
7
7 L
40

ZACHARIAE PASQVALIGI


DISPVTATIONES METAPHYSICAE.

ZACHARIÆ PASQVALIGI
VERONENSIS
CLERICI REGVLARIS THEOLOGI

DISPVTATIONES METAPHYSICÆ

quibus, quæ ad primam Philosophiam spectant, accuratè exponũtur.

PARS PRIMA




In qua de obiecto, & eius principijs intrinsecis, præmissis ad totam Philosophiã introductorijs disputationibus, nouo ordine, disseritur.

Cum suis Indicibus.

ROMÆ MDCXXXIV.
Ex Typographia Andreæ Phæi.



EMINENTISSIMO
ET
REVERENDISSIMO
Ac ſemper Inclyto Principi
CARD. BARBERINO
S. R. E. VICECANCELLARIO.



Zacharias Paſqualigus Clericus Regularis.



Onfluunt ad te vndique volumina, Eminentiſſime Princeps, tibi ſapientiam omnem litatura. Muſæ omnes, Scriptorum calamis adumbratæ, ſiſtuntur tibi Apollini ſuo; vt iam non inuideas Pyrro illi Regum potentiſſimo, qui Apollinem Sapientiæ Deum gemmæ inſculpſit, digitum ornaturus, & hoc ſibi charactere Sapientiam conciliaturus. Vnus & ipſe è ſcribentium turba volumen meum tibi ſiſto. In eo Philoſophiam do in ſuo veluti primo rudimento, in primis natalibus; proceſſuram in plenum diem, ſi tua luce veſtiatur, fauore nutriatur. Gaudet Principum purpuris tegere nuditatem ſuam: ſed tua magis, cui omnia animi bona pretium addunt. Natiuus eius decor integer ab omni adſcititio fuco congruit candori illius Principis, in quo Virtutes omnes in ſua planè ſynceritate. Illi benè innititur, cui etiam nititur prouidentia illa Vrbani Octaui Pontificis vndique ſummi, vndique optimi æternis curis concinnata. Quam dum lætus Orbis illius benignitate elargitam, tuaque adminiſtratione profuſam excipit, totus in plauſus abit. Sed magis hoc Eccleſię Imperium, vota ſoluens, quòd ſub tanta ſollicitudine nec tabidam luem ſenſerit, nec graſſantis belli calamitates, aut caritatis annonæ languores, dum ſub his ipſis malis Orbis totus ingemiſceret. Quam ſanè felicitatem cœterę quoque Gentes ſenſiſſent, ſi benificentiſſimi Pontificis, alieniſque calamitatibus condolentis ſapientiſſimis conſilijs, tua ope, & labore impertitis ſtetiſſent. Illi inquam benè innititur, qui ita manum admo-

uet Orbis regimini, vt altera quoque litterarum, ſapientiæque ſtudia tractet, ſummo Reipublicæ geminæ Chriſtianæ, & Litterariæ ornamento. Tibi igitur hunc primitium partum ſacrum volui, vt ab humanitate tua vitam trahens, poſteritati perennet. Venit facilitate tua illectus nudus, & ſine pompa. Ita planè decuit, vt candidiſſimam in te reuerentiam meam æmularetur. Satis illi ornamenti, ſatis pompæ manibus tuis excipi, & tali tutelari Principe pręſigniri. Non verebitur ſęcula ſub tanto patrocinio, atque tuum præferens nomen temporis edacitatem caſtigabit. Excipies illum ſereno animo, ponderoſo offerentis affectu commendatum, ſi hoc, quantulumcumque obſequium, tuum agnoſces; beneficijs, quibus Congregationem hanc meā prolixa ſerie deuinxiſti, debitum. Puderet me exiguitatis, dum vnà cum ipſa communem infœcunditatem doleo, quòd ingentibus beneficentijs aucti, exili tantùm, & vmbratico prouentu reſpondeamus, niſi is eſſes, qui luculenta tua magnificentia contentus, ſolam beneficiorum æſtimationem in grato animo metireris. Quam mundam ab omni ingratitudinis labe ſeruans, quod poſſum, ipſe prę cœteris, pro tua præſenti, æternaque felicitate vota enixè nuncupo.



LECTORI

LECTORI.





ARTES meas apud te suscipiam mi Lector. Fatigor iam, inquies, tot voluminibus; vix vnum absolui, cum ecce altero statim premor codice. Quis finis? quid prodest, nouas semper implere paginas? si veritas illa, pro qua vos, inquitis Philosophi, tantopere laboratis, non dum inuenta, an semper inanes Sysiphi labores repetetis? Si iam præ manibus habetis, quid eam tot atramentis obnubilatis? Præstat nudis verbis illam exponere, quàm tot contentionum tricis onerare. Verùm non statim ita pronunties. Vides, communem omnium parentem Naturam nouas semper adtemperare vices? Vides Solem annuas semper periodos instaurare, terram nouo semper indui velamine, & nunc floribus ridentem, nunc fructibus vberem alternos vultus resumere? Vides Cœlum postquam candidis illuxit diebus, nubibus obduci, fœcundos imbres effundere, & rursus serenitatem aduocare: Omnia denique perpetuis mutationibus reuolui. Quid, inquam ipse, perennes istæ vicissitudines? Cur cœlũ eadẽ semper repetit, cur terra? An non melior vna quædam fixa stabilitas? Quid prosunt fluxæ istæ mutabilitates? Equidem hoc fatearis necesse est, prodesse has vicissitudines, vt vna stet rerum facies, & labilis hæc machina ijsdem semper reparetur machinationibus; Siquidem vigescit Natura, dum continuò agitata suos ortus, in ortusque peragit. Hoc & Philosophia ingenium: disputationibus, scholasticisq. exercitationibus animatur, viresq. illa continua Doctorum agitatione resumit; nec sanè postera sæcula aspiceret, nisi per altercantes paginas ad ipsa traduceretur. Illi Placitorum ortus, interitusq. Illa Philosophorum concurrentes, sibiq. aduersantes sententiæ continua quædam philosophiæ propagatio; in ijs interit, nouosq. natales phœniceo more auspicatur, continuo incremento fluxam conditionem suam stabilitura. Quid ergo mirum, si insudant Philosophi, si nouos semper pangunt codices? philosophiæ laborant, & motricium intelligentiarum instar scholasticum cœlum obuersantes, eiusdem perennitatem moliuntur, continua quædam disputationum serie stabiliendum. Non igitur, si æquum te præfers, potes, Lector, labores meos insimulare: Si arguis, non mihi, sed Philosophiæ iniurius es, cui alumnos improbas soluere, quod debent, & illi inuides, quòd in suo fluxu, defluxuque perennet. Hæc insinuaui, vt occurrerem excipienti nauseanti animo Recentiorum labores. Cæterum candor animi tui, mi Lector, tuam mihi asserit humanitatem, & tibi fidenti animo hos primos labores meos profero, partem alteram, quæ iam in promptu est, mox daturus; & alia quoque, tam philosophica, quàm theologica, quæ adhuc mihi in rudi massa. A metaphysica sum exorsus, vt prima philosophia, & in qua prima bases sternuntur. An erigam ædificium, nondum iactis fundamentis? ruinosum erit. Difficile, inquies, argumentum in primo statim Philosophiæ limine. Fateor: at per ostium tyrones introduco, & ea, qua potui facilitate, viam temperaui; nec illos ad tumultuariam doctrinam voco, sed ad eam, quæ suis fixa radicibus, altius germinet. Tu igitur liberali vultu hæc accipe; atque Vale.

APPROBATIONES

EX commissione admodum Reuerendi Patris nostri Generalis perlegi librum, cui titulus est, Disputationes methaphysicæ de obiecto primæ Philosophiæ, Auctore R.P.D. Zacharia Pasqualigo, in quo non solùm omnia reperi sanæ doctrinæ consona, sed etiam clarè, & acutè disputata; qua propter dignum existimo, vt typis mandetur.

D. Franciscus Maria Castriota Cler. Reg. Sacræ Theologiæ Professor.

DE mandato admodum Reuerendi Patris D. Philippi Mariæ Guadagnij Præpositi Generalis nostræ Congregationis has Disputationes methaphysicas de Obiecto Primæ Philosophiæ, à R.P.D. Zacharia Pasqualigo Clerico Regulari compositas, accuratissimè perlegi; & nihil in eis reperi, quod catholicam offendat veritatem; vel à Christiana morum dissentiat honestate: imo probatissimam doctrinam, & quæ Auctoris perspicax ingenium testetur. Quapropter ne dum quòd typis mandentur, sed etiam quòd omnium tractentur manibus reor dignissimas.

D. Isidorus Casatus Clericus Regularis Theologus.

D. Philippus Maria Guadagnius Præpositus Gen. Clericorum Regularium.

CVm hoc opus inscriptum, Disputationes Methaphysicæ de Obiecto primæ Philosophiæ, à P.D. Zacharia Pasqualigo nostræ Congregationis Theologo compositum, iuxta præfixam assertionem Patrum nostrorum, quibus id commisimus, approbatum fuerit, vt typis mandetur, quoad nos spectat, facultatem concedimus. Datum Romæ in ædibus nostris Sancti Siluestri in Monte Quirinali. Die prima Februarij. 1629.

D. Philippus Maria Guadagnius Præpositus Generalis.

D. Bernardus Castagninus Secretarius.

Imprimatur si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Palatij

A. Torniellus Vicesgerens.

EGo D. Thomas de Afflictis Clericus Regularis Sacræ Theologiæ Professor ex mandato Reuerendissimi Patris Nicolai Riccardij Sacri Palatij Magistri vidi, & accuratè perlegi librum Disputationum Methaphysicarum de obiecto primæ Philosophiæ R.P.D. Zachariæ Pasqualigi Clerici Regularis Theologi, & nihil in illo reperi, quod sanæ doctrinæ, & bonis moribus aduersetur; sed vtilissimum philosophiæ studiosis futurum censeo, & proinde in lucem edi, & typis mandari posse iudico. Romæ Die secunda Iulij. 1633.

Ego D. Thomas de afflictis Cler. Reg.

Imprimatur.
Frater Nicolaus Sacri Palatij Magister.

INDEX

INDEX DISPVTATIONVM ET SECTIONVM.

DE NATVRA, ET DIVISIONE PHILOSOPHIAE.

Dispu-

4.*Rationes*

Dispu-

Disputatio L.
An definitio generis tradita à Porphyrio sit quidditatiua.

Disputatio LI.
Quomodo genus cõtineat differentias.

Dipsutatio LII.
An abstracta metaphysica sufficiant ad constituendum genus.

Disputatio LIII.
Quomodo genus prædicetur de speciebus.

Disputatio LIV.
Quodnam sit correlatiuum generis.

Disputatio LV.
Quomodo Genus prædicetur de indiuiduis.

Disputatio LVI.
An, & quomodo Genus requirat plures species.

Disputatio LVII.
De diuisione Generis.

DE ALTERO PRINCIPIO OBIECTI METAPHYSICI.

Disputatio LVIII.
De nomine, significatione, diuisione, & existentia differentiç.

2. Præ.



INDEX PHILOSOPHICVS AD COETERAS PARTES PHILOSOPHIAE.

AD LOGICAM.

Quod

DE SPECIE.

Aiorum

Quid

DE PRINCIPIIS DEMONSTRATIONIS.

DE DEMONSTRATIONE.

DE SCIENTIA.

DE ENTE RATIONIS.

AD PHYSICAM.

AD PROEMIALIA.

DE PRINCIPIIS IN COMMVNI.

DE FORMA.

DE PRIVATIONE.

DE CAVSIS

DE QVANTITATE.

DE TEMPORE, ET MOTV.

DE ANIMA.

INDEX THEOLOGICVS.





ZACHARIAE

ZACHARIAE PASQVALIGI VERONENSIS CLERICI REGVLARIS.

DISPVTATIONES METAPHYSICAE QVIBVS QVICQVID AD OBIECTVM PRIMAE PHILOSOPHIAE PERTINET EXPONITVR.





VIS cupiditatibus instruitur humanus animus, ne imperanti Rationi inseruientium satellitium desit. Nullo pretio æstimabile beneficium, si cócordi numero ad ipsius imperium moueantur. Ex lenes auræ, quibus mens ad beatitudinem transmittitur: seu potius errones in hoc nostro patuo cælo, qui intimo vigore ad pulchros motus incita ti, mirum, si certo fœdere ligentur, atque ad rationis regulas componantur, quàm opulentis influxibus hominem beent. Dumq. eius animum agunt, veluti diuerso calle vnaquaque ad bonum perducitur. Cæteris tamen mihi melior sciendi appetitus. Ipse suaui labore animum exercet, ac quantulacunque frui potest mortalis homo, felicitatem pluit, nempe veritatis contemplationem, perennis beatitudinis quamdam adumbrationem. Ipse cæteris potentior maiori vi animum impellit ad suum, quod deperit, idolum; quasi sine ipso nihil futurus. Nec mirum tanto æstu feruescere: Sapientia est, quæ quæritur. Grande quidem facinus, & plurimi operis: sed in quo labori quoque sua iucunditas; fertur enim suomet pondere natura ad ardua quæque quoties intimo cupidine monetur. Ex illa caligine, qua sapientiæ facies suffunditur, diuini quidam radij occultæ pulchritudinis indies, qui sibi animi, aliquantulum sese erigentis, amores omnino afferant. Ideo tanti æstus; ideò dulcia suscepta studia. Nusquam tàm immota laborum pertinacia, quàm in sapientiæ inquisitione. Tanta rerum varietate scientiarum campos natura temperauit, vt improuisa semper iucunditas lassatos excipiat, nunquam contemplatio fatiget. Ibi naturæ industria veluti suas opes ad ambitionem explicantis. Rerum nouitas per immensum sparsa nunquam curiosos oculos castigat, sed multiplici semper pascit rerum vultu. Beata quasi florum luxuries dulcissimæ scientiæ segetem ministrat. Ancillantes sensus huc, illuc discurrentes sparsam dulcedinem carpunt, quã mens in suauitatis fauum cogat. Hoc pascitur scientiæ appetitus, & quasi lautissimo conuiuio accumbens, omni voluptate imbuitur, adblandiente sibi egregia beatitudinis imagine. Id dicimus, quantum exiguæ vires nostræ patiebantur, dulcedinem experti. Nihil illo beatius, qui secreta animi tranquillitate vsus tali mensę accumbit, in qua edulijs varijs instructa fercula cupidinem explet, & inuidenda fœlicitas suaui rerum contemplatione diluta propinatur. Esurimus adhuc tantum bonum, & valido appetitu ad degustandum impellimur. Accumbemus, sed ea lege, vt quæcunque in Philosophiæ triclinio degustauerimus, alios quoque impertiamus Disputationum serie digesta. In ijs nullus fucus, nullus etiam sanæ eloquentiæ color. Stylus ad Philosophorum palatum veritatis saporem commendabit; non inficiet.

Vndenam Philosophiæ traxerit originem. Disp. I.

Philosophiæ ethymon, & deffinitio.

SECTIO I.

I. ERGO appetitum sapientiæ, sequentes per amœnos Philosophię campos cursum soluemus, beata florum vbertate fruentes. Quod si sudorum imbres effundendi, ijs, veluti fœcundo rori lauta messis respondebit. Ab inuentione ligitur auspicantes, vndenam duxerit originem, inquiremus, an videlicet ex appetitu sciendi; sed prius explicanda est nominis ethymologia, & deffinitio tradenda, ne ea ignorata, illius rei originẽ inquiramus, quam nescimus. Quod si præmiserimus, statim eiusdem etiam existentia colligetur, ita vt tunc iure possimus inquirere, vnde prouenerit; & quam radicem suæ existentiæ habuerit, quod non commode fieri posset, nisi de existentia constaret.

Philosophiæ ethymologia. II. Philosophia vox græca est, composita ex φίλος, hoc est *Amor*, & σοφὸς, hoc est *Sapientia*, vnde iuxta ethymologiam importat *Amorem sapientiæ*, seu *Studium sapientiæ*; a quò deducitur Philosophus, hoc est *Philosophiæ studiosus, seu amator.* Sic autem dicti prisci illi sapientiæ professores, vt nominis iactantiam effugerent, quam incurrissent, si se Sapientes nuncupassent; & ex hoc etiam factum est, quod cognitio illa scientifica, quam profitebantur, non simpliciter *Sapientia* dicta sit, sed *Amor sapientiæ*, vt in hoc conformaretur vocabulo, quod ipsi Sapientiæ professores sibi vsurpabant. Cum autem Philosophia dicitur *Amor sapientiæ*, non debet intelligi de sapientia proprie dicta; nam ratio sapientiæ propriè dictæ vni tantum parti ipsius conuenit, vt infra videbimus; Sed intelligitur de sapientia largè accepta, pro eximia quadam cognitione cuiuscunque facultatis: sicuti etiam eam accepit Arist. 6. Ethic. cap. 7. dum excellentes in qualibet facultate, *Sapientes* vocat; ait enim *Sapientiam autem in artibus ijs tribuimus, qui in ipsis sunt exactissimi; Phidiam enim sapientem sculptorem lapidum dicimus, & Polycretum statuarium itidem sapientem. Atque hic per Sapientiam nihil aliud intelligimus, quam ipsius artis virtutem.* Et hæc quod spectat ad nominis ethymologiam. Sapientia pro quacunq. eximia facultate. Aristot.

III. Quod vero spectat ad deffinitionem; eam Stoici deffiniunt, vt refert Plutar. lib. 1. de Placitis Philosoph. cap. 1. Quod sit *Rerum diuinarum, humanarumq. cognitio*, quam deffinitionem receperunt complures ex priscis Philosophis, vt Plato in Phædone, & Theeth. Cicero lib. 2. Officior. & in quæst. Tusculan. vt referunt communiter Auctores. Discrepant tamen, quid intelligendum sit per *Res diuinas, & humanas*. Quidam enim per *Res humanas* intelligunt res materiæ concretioni immersas; per *Diuinas* vero, res à materia secretas. Alij vero nom... [illegible] um diuinarum intelligunt illas, quarum contemplatio hominem segregat à communi cœtu, & nomine *Rerum humanarum* eas, quæ pertinent ad ciuilem cultum. Deffinitio Philosophię. Plutar. Plato. Cicero.

IV. Si tamen hæc deffinitio rigorosius expendatur, non recte procedere reperiemus; in primis enim procedit per terminos dubios, & obscuros, ex quo fit, quod nequeat per ipsos explicari, quid sit Philosophia, & non minus obscura sit deffinitio, quam deffinitum, imo fortasse magis obscura. Deinde licet genus rectè assignetur, nempe cognitio, vitium tamen committitur in assignanda differentia: hæc enim desumi debet ab obiecto, quia sicuti ab obiecto scientiæ specificantur, ita ab ipso quoque sumunt suas differentias; modo philosophia in communi non habet certum, & determinatum obiectum, sed obiectũ vt sic, à quo eius differentia generica desumatur, sicuti etiam differentia cuiuscunque scientiæ in particulari desumitur ab aliquo obiecto in particulari; quod non præstat illa deffinitio, quomodocunque enim res diuinæ, atque humanæ intelligantur, sem per important aliquam rationem obiecti in particulari. Reijcitur allata deffinitio.

V. Melius igitur diffinitur Philoso-

phia

Alij desumunt. phia in communi, quod sit *Cognitio rerum prout sunt*. Quam deffinitionem amplectuntur Damascen. cap. 4. suæ Dialect. Ammon. initio prædicab. Connimb. in Proem. ad lib. Phis. initio: & desumitur etiam ex ijs, quæ tradit Arist. 2. Metaph. cap. 1. Ratio autem potest desumi ex eius vniuersalitate, quia cum sit cognitio quædam vniuersalissima, consequens etiam est, quod habeat obiectum vniuersalissimum, quod complectatur quicquid sub cognitionem philosophicam cadere potest, quod aliter fieri non potest, nisi res omnes complectatur: si quidem res omnes hac cognitione attingi possunt; ex hoc ergo obiecto sic vniuersalissime sumpto desumi debet differentia Philosophiæ in communi considerata.

D. Damascen. Ammo. Cõnim. Arist.

Quomodo intelligenda allata deffinitio. VI. Sed dubitare aliquis posset, quid intelligi debeat per illam particulam *vt sunt*. Cui difficultati communiter respondent præsertim Fonseca 2. Metaph. cap. 3. quæst. 1. sect. 2. & Connimb. loco citato, quod idem significat, ac per suas causas: quia tunc verè aliquid cognoscimus, quando ex suis causis, veluti ex quodam fonte eius cognitionem haurimus; cui concordat, quod tradit Arist. citato lib. 2. Metaph. tex. 4. quod videlicet sine causa non cognoscimus verum. Quæ quidem doctrina vera est, si nomine causæ intelligatur quęlibet ratio, quæ assignari potest de eo, quod cognoscitur; non autem de causa proprie dicta, nam Ethica est pars Philosophiæ, & tamen non procedit per causas propriè dictas, sed tantum doctrinali modo, & per quasdam rationes, quæ propter connexionem, quam res habent adinuicem, causant cognitionem alicuius conclusionis; vnde debet intelligi de causis in cognoscendo. Potest tamen, & fortasse etiam rectius, intelligi, quod *Prout vt sunt* idem significet, ac secundum esse, quod in se habent; quia tunc demum aliquid verè cognoscitur, quando intellectus attingit esse ipsius, vt in se est, ita vt per cognitionem conformetur omnino cum obiecto, & hoc pacto res facilis est, & magis proxime veritatem cognitionis declarat.

Fonseca Connimb. Arist.

Existentia Philosophiæ. VII. Et ex his conuincitur existentia philosophię, nam experimur, quod plurima cognoscimus, prout in se sunt, atque etiam per suas causas. Atque licet Philosophia sit cognitio rerum prout sunt, ad eius tamen existentiam non est necesse, quod res omnes cognoscantur, neque quod eæ, quæ cognoscuntur, secundum omnem cognoscibilitatem attingantur, non enim philosophia est cognitio rerum omnium collectiuè sumpta rum, sed diuisim; vnde sufficit ad hoc, vt existat Philosophia, quod res aliquę cognoscantur secundum aliquam rationem cognoscibilitatis: quia tunc saltem secundum aliquam sui partem existet; Verum tamen est, quod adhoc vt Philosophia existat adæquatè secundum omnē sui partem, debet collectiue esse cognitio rerum omnium, atque eas attingere secundum omnem cognoscibilitatem, quia sicuti Philosophia est cognitio rerum, ita adæquata philosophia, & completa debet esse cognitio perfecta rerum omnium, quatenus discursiuo modo attingi possunt.

Omnes homines appetere scientiam, & ex hac radice prouenisse Philosophiam.

SECTIO II.

I. ARist. tex. 1. lib. 1. Metaph. docet, quod omnes homines naturaliter inclinatur in scientiam, & quod eam naturæ impulsu appetāt. Et quamuis inter veteres Philosophos aliqua controuersia fuerit, an daretur scientia, & an per reminiscentiam fieret, an verò per nouam acquisitionem, si tamen sumimus scientiam pro illa cognitione, qua res cognoscuntur, vt præcedenti sectio. diximus esse Philosophiam, nulla difficultas esse potest, quod talis cognitio detur; nam experimur, plura nos cognoscere, vt ibid. diximus siuè de nouo eorum cognitionem acquiramus, quod planè verum est, siue fieret hæc cognitio per reminiscentiam, vt Heraclitus, & Cratilus volebant, & consequenter, quod homines huiusmodi cognitionem appetant.

Aristot. Omnes homines appetunt scire. Heracl. Cratil.

II. Atq. huius appetitus optimam rationem reddit ibidem Arist. desumptam à posteriori, ex amore videlicet, quo sensus amamus, & præcipuè visum: inquit enim, quod non solum amamus sensus propter seipsos, sed etiam propter vtilitatem, quam intellectiuæ cognitioni afferunt; quia ab ipsis omninò intellectiua cognitio dependet; quia sine sensibus impossibile esset aliquid pro hoc statu cognoscere; quocirca propter hanc vtilitatem amamus sensus; quia autem visus

Ratio cur homines appetūt scire. Arist.

plurium rerum differentias percipit, & eas intellectui ministrat, ideò plus cæteris etiam amatur, cum plus cæteris etiam intellectiuę cognitioni deseruiat. Et ex hoc colligit, quod homines naturaliter ſcire appetant, quia ſi natura indidit amorem, & inclinationem erga media, multo magis, & à fortiori debuit indidiſſe erga finem, cum media ſolum amentur ex eo, quod amatur finis, & amor mediorum ita ſit connexus cum amore finis, vt illum neceſſario inuoluat. Et hæc eſt ratio Ariſt. qua hunc appetitum ad ſcientiam conuincit.

Alia ratio a priori.

III. Poteſt tamen etiam à priori res declarari, pro quo ſupponi debet, quod homo habeat potentiam intellectiuam, quæ correſpondeat obiectis, quatenus vera, & intelligibilia ſunt, & habeat cum ipſis talem commenſurationem, vt conſtituatur in eſſe per ordinem tranſcendentalem, quo eadem obiecta reſpicit. Et è contra etiam obiecta, ſeu res ab intrinſeco ſuo habent talem commenſurationem cum intellectu, vt ab ipſo ſint cognoſcibilia; quare dum ſeruant inter ſe hanc proportionem, & commenſurationem, neceſſe eſt, quod poſſit talis commenſuratio reduci ad actum; reducitur autem per actualem cognitionem, in quam exit intellectus ex vi illius commenſurationis, & proportionis, quam habet cum eodem obiecto. Per hanc autem cognitionem intellectus aſſimilatur obiecto, nàm obiectum acquirit in intellectu quoddam eſſe intentionale, quod eſt imago quædam ipſius. Et proinde Ariſt. 3. de Anima tex. 18. ait, quod. *Quidam eſt intellectus talis vt omnia fiat.* & rurſus tex. 37. *Rurſus dicamus animam ipſam ea vniuerſa quodammodo eſſe, quæ ſunt.* Atque tex. 38. explicans, quomodo anima ſit omnia, quæ ſunt: docet eſſe talem, quia imagines rerum ſunt in ipſa; ſubdit enim tali pacto, *Atqui neceſſe eſt, aut res ipſas, aut formas in anima eſſe. at non ſunt in ea res ipſæ profecto; non enim ipſe lapis in anima, ſed forma lapidis ineſt.*

Obiectũ acquirit in intellectu eſſe intentionale.

Ariſtot.

IV. His ergo ſuppoſitis, elicitur ratio à priori cõuincẽs dari hunc appetitũ naturalẽ ad ſcientiam, quia quotieſcũq. natura ordinat ad aliquem finẽ, inclinat in ipſum; quomodo enim res ex natura ſua ordinaretur ad illum finem, niſi in ipſum inclinaretur? oportet enim, vt natura ſua ordinetur, quod habeat aliquod pondus in ipſum, quo præciſo non adeſſet illa connaturalis congruentia, quæ neceſſaria eſt ad hoc, vt aliquid ſit finis alterius. Statim autem ac adeſt inclinatio, & pondus in aliud, habemus appetitum ad ipſum: ſi igitur natura ordinauit intellectum ad cognitionem, quam habet de rebus tanquam ad finem, propter hoc enim factus eſt intellectus, vt homo eo mediante acquirat rerum cognitionem, neceſſe etiam eſt, quod inſeruerit inclinationem, atque appetitum ad eandem cognitionem.

Ordinatio in finem eſt cum inclinatione ad ipſum.

V. Et poteſt ratio facta confir. Omne perfectibile naturaliter inclinatur in ſuum perfectiuum, quia quælibet res appetit naturaliter ſuum bonum; perfectiuum autem eſt bonũ quoddam perfectibilis, & ideò debet ab ipſo appeti, hinc materia appetit formã, quia ob ipſa perficitur, & recipit ſuã pulchritudinẽ. Cognitio aũt & ſcietia eſt perfectio intellectus q eſt in potentia ad ipſam, & conſequenter valde imperfectus, & incompletus; per ſcientiã ergo recipit ſuam perfectionem, quia actu cognoſcit res illas, quas antea poterat tantum cognoſcere; vnde oportet, quod dicat appetitum ad ipſam ſcietiam, tanquam ad ſuum connaturale perfectiuum. Quod poteſt etiam declarari ex eo, quod cognitio illa eſt propria operatio intellectus, vnaquæque autem res habet inclinationem, & pondus ad ſuam propriam operationem, quod præſertim verum eſt, quando operatio eſt immanens, quia per ipſam perficitur operans, vnde oportet, quod natura tribuerit inclinationem ad cognitionem, & ſcientiam tanquam ad propriam operationem intellectus. Quod etiam à poſteriori colligitur ex delectatione, quam homo experitur in rerum contemplatione, quæ tanta eſt, vt corporis paſſionibus præferatur, quod certè, præſertim adeò frequenter, non contingeret, niſi naturaliter appeteret ſcientiam.

Omne perfectibile appetit perfectiuum.

VI. Sed pro maiori cognitione huius appetitus ſciẽdum eſt, per ſeipsũ pręciſe nõ poſſe cognitionẽ intellectiuã acquirere, niſi beneficio ſenſuum, nec enim hic appetitus poteſt ferri in ſuũ obiectũ, niſi per ſenſus; & hinc non ſolum dependet ab ipſis ſenſibus, ſed etiam etiam ab eorundem optimis diſpoſitionibus, quibus apti reddantur, vt poſſint miniſtrare ſcientiam intellectui; & etiam dependet à voluntate, quæ applicet tum ſenſus, tum intellectum ad acquiſitionem ſcientiæ, &

Quomodo hic appetitus feratur in obiectũ.

inqui-

inquisitionem veritatis, & ideo his præcisis appetitus est remotus, nec proximè constitutus, vt reducatur ad actum. Et hinc fit, quod non omnes homines tendant ad hanc scientiam, & illam acquirant, quia impediuntur, vel ab incongrua dispositione sensuum, quæ eos non sinit esse capaces Philosophiæ, vel quia refugiunt laborem, nec se applicant; vnde hoc non obstat, quin adsit iste appetitus à natura erga scientiam, sed solum quod impediatur. Rursus hinc etiam sequitur quod non omnes scientiæ ab vnoquoque teneantur, quia videlicet non ad omnes se applicat, & etiam quia appetitus inclinat ad scientiam media inquisitione, & doctrina, quæ in vnoquoque non potest versari circa omnia obiecta. Quod si aliquãdo contingit homines appetere ignorantiam, vt quando illam affectant, id non est verum de ignorantia simpliciter, sed de ignorantia talis, vel talis rei in particulari, quia tanquam bonum apprehendunt, hic & nunc illam ignorare; & idcirco ex hoc colligi non potest, quod non adsit naturalis appetitus ad scientiam, quia tunc non præsentatur scientia, tanquam perfectio quædam intellectus, sub qua ratione desideratur, sed tanquam malum quoddam.

VII. Stante ergo hoc appetitu colligitur, quod sit erga omnes scientias, tàm speculatiuas, quàm practicas: omnes enim sunt perfectiones quædam intellectus, & media operatione ipsius acquiruntur, & sicuti intellectus habet proportionem cum rebus omnibus, quatenus cognoscibiles sunt: ita similiter ad earumdem cognitionem inclinantur homines. Ex hoc autem appetitu ad vniuersas scientias tanquam ex radice quadam scientiæ ipsæ ortum duxerunt. Cum enim res cognoscibiles medijs sensibus hominibus proponerentur, appetitum naturalem, quo impellebantur, sequentes, earumdem contemplationi se applicauerunt, quam prosequentes scientias inuenerunt, & paulatim in eum ordinem, quem tunc habent, reduxerunt. Constat ergo quod huiusmodi appetitus sit prima radix, à qua scientiæ suam existentiam acceperint. Appetitus est circa omnes scientias.



Non solum appetitu innato sed etiam elicito homines scientiam appetere.

SECTIO II.

I. Vidimus, quomodo omnes homines scientiam appetãt, & quomodo ipsa ex hoc appetitu originem traxerit. Vt tamen plenius rem teneamus, inquirendum est, an solum ex appetitu innato homo impulsus sit, ad inuentionem scientiarum, an vero etiam ex appetitu elicito. Pro cuius resolutione examinandum est, an homines nedum appetitu innato appetant scire, sed etiam an elicito; si enim appetitu elicito appetent scire. certum est, quod etiam ab ipso impulsi sint ad inuentionem scientiarum; at si non appetent, solum appetitus innatus statuendus erit pro radice scientiarum, & solum appetitus elicitus consentiet in inquisitionem earumdem, non autem impellet. Vt autem melius punctum difficultatis percipiamus, Aduertendum est, quod duplex appetitus distingui solet; Alter, qui dicitur innatus, & alter, qui dicitur elicitus. Appetitus innatus est propensio quædam insita cuicumque rei à natura, quę sine aliqua præuia cognitione fertur in bonum suum; hæc autem tendentia est quædam appetitio materialis, quia sine aliqua præuia cognitione tendit in suum bonum ex naturali quadam proportione, indito quodam ordine ad ipsum; vnde est quidam appetitus imperfectus, quia non tendit in bonum, ex eo, quod tanquam bonum proponatur; sed solum quia ex vi sui esse ad ipsum ordinatur. Appetitus vero elicitus, qui propriè appetitus est, consistit in actu quodam elicito ab aliqua potentia, quæ habeat correspondentiam cum obiecto, quatenus bonum est, & ex vi postea huius correspondentiæ, & proportionis excat in actum appetitionis, qui actus præuia cognitione elicitur, quia scilicet cognitio proponit obiectum sequendum, vel fugiendum, vnde formaliter tendit appetitiuo modo, cum inclinetur in obiectum ex præuia cognitione eiusdem. Punctus difficultatis. Duplex appetitus innatus & elicitus.

II. Huiusmodi autem appetitus elicitus in homine duplex est, sicuti etiam duplex est cognitio intellectiua, & sensitiua; cognitioni enim intellectiuæ correspondet appetitus rationalis, qui rationa Duplex appetitus elicitus in homine intellectiuus, & sensitiuus.

li modo, & cum discursu præuio atque libertate tendet in obiectum. Sensitiuæ autem cognitioni correspondet appetitus sensitiuus, qui sequens condicionem sensitiuæ cognitionis naturali modo, & sine libertate tendit in suum obiectum, & tanquam determinatus ad vnum. Certum autem est, quod homines non possunt hoc appetitu appetere scientiam, quia dependet à cognitione sensitiua, à qua debet proponi obiectū, & scientia nō est obiectum cognitionis sensitiuæ, vnde nequit proponi appetitui sensitiuo, qui tantum bonum sensibile habet rationem cognitionis intra adæquationem sui obiecti; deinde quia appetitus sensitiuus conuenit etiam brutis, quibus tamen non conuenit appetitus scientiæ solum ergo inquirendum est de appetitu elicito rationali.

Homo habet appetitum onatū ad scientiam.

III. Et quod spectat ad appetitum innatum. Conueniunt omnes, quòd homo habeat appetitum innatum: & hoc conuincunt rationes, quas sect. præcedenti attulimus, quia scilicet intellectus habet naturale pondus ad cognitionem, tanquam ad suam connaturalem perfectionem, & consequenter homo ratione intellectus habet hunc innatum appetitum ad scientiam, neque de hoc est aliqua difficultas, vt iam constat ex dictis sect. præcedenti. Similiter etiam si loquamur de appetitu elicito rationali, certum est, quod homo hoc appetitu appetat scientiam; pro cuius confirmatione sufficeret experientia, qua experimur homines ad scientias ita inclinari, vt valde illas appetant; sed etiam ratione ostenditur, quia scientia est quoddā bonū & si, vt tale est, voluntati proponatur, nemo erit, qui illam non appetat, neque enim fieri potest, quod homo non appetat bonum sub ratione boni propositum.

In quo consistat difficultas.

Aristot.

IV. Quod in hac re difficultatem facit est, an huiusmodi appetitus elicitus naturalis sit, ita vt quando Arist. initio 1. Metaph. docet, quod omnes homines natura scire desiderant, intelligi debeat solum de appetitu innato, an vero possit intelligi etiam de elicito. Quod enim solum debeat intelligi de appetitu innato, non vero de elicito docent Scot. idid. Anton. Andreas, quæst. 2. & Iauel. quest. 3. conclus. 1. & nonnulli alij. Atque in eo fundant suam opinionem, quod omnis actus, quo appetimus scientiam est liber, & proinde potest homo velle, & non velle ipsum scire: Propterea quia homines non æqualiter appetunt ipsum scire, sed vnus intensius altero; si autem appetitus esset naturalis, omnes æqualiter appeterent. Rursus appetitus, qui respectu mediorum est liber, est etiam liber respectu finis, at media ad acquirendam scientiam simpliciter necessaria, cuiusmodi est studium, liberè appetuntur, & non naturaliter; ergo etiam scientia, quæ est finis.

Scot.

Ant Andreas. Iauel.

Cōmunis sñia

V. Cōmuniter tamen censent, quod verum sit, omnes homines appetere sciētiam naturali appetitu elicito, & ita docent D. Thom. 1. 2. quæst. 10. art. 1. & 2. 2. quæst. 160. artic. 2. Alens. initio lib. 1. Metaph. Ferrar. 1. contra Gent. cap. 4. Caiet. 1. par. quæst. 78. ar. 1. & quęst. 82. art. item 1. Aegid. 1. Metaph. quęst. 4. Fonseca ibid. cap. 2. quæst. 1. sect. 6. Suarez. in Metaph. dist. 1. sect. 6. nu. 9. & alij complures. Atque hoc ipsum tradidit etiam Cicero lib. 5. de Finib. vbi ita inquit. *Tantus est innatus in omnibus cognitionis amor, vt nemo dubitari possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento inuitata rapiatur; videmus enim vt pueri, ne verberibus quidē à contemplandis rebus, perquirendisque deterreantur, vt pulsi requirant, & aliquid scire se gaudeant? vt alijs narrare gestiant? & sitim perferant? Quid vero, qui ingenuis studijs, atque artibus delectantur? nonne videmus eos, nec valetudinis, nec rei familiaris habere rationem, omniaque perpeti ipsa cognitione, & scientia captos?* Atque hoc ipsum pluribus alijs prosequitur ostendens non solum desiderium sciendi, sed etiam ipsius vehementiam.

D. Tho. Alensis. Ferrar. Caieta. Ægid. Fonseca Suarez. Cicero.

Eadem sententia ad probatur.

VI. Et quidem hæc opinio longe probabilior est, & pro eius confirmatione non solum ostendendum est, quomodo appetitus elicitus sit naturalis, quod enim adsit huiusmodi appetitus erga scientiam nulli dubium est. Loquimur autem de appetitu erga scientiam in communi cōsideratam, de qua procedit quæstio; non autem erga hanc, vel illam scientiam in particulari, quamquam si etiam hæc consideretur secundum rationem scientiæ, & prout est quædam perfectio intellectus nostri, eadem est ratio. Atque quia naturale diuerso modo sumi potest; in primis hic appetitus naturalis est, quatenus coformis est naturæ. Cum enim scientia sit connaturalis perfectio hominis, ita vt habeat ad ipsam appetitum innatum, si

Qūo appetitus elicitus erga scientiā sit naturalis.

elicit

elicit appetitum erga ipsam, certè huiusmodi appetitus correspondebit appetitui innato, & erit iuxta exigentiam ipsius. Imò quia appetitus innatus non potest esse in suum terminum, nisi in eumdem tendat etiam appetitus rationalis elicitus, ideò ex vi huius innati appetitus, qui est pondus quoddam in suum terminum, etiam rationalis impellitur in eumdem terminum, & hoc pacto est naturalis, hoc est iuxta exigentiam, & impulsum naturæ: & quemadmodum appetitus elicitus rationalis solet multoties rapi a sensitiuo, ita etiam rapitur, seu potius impellitur ab innato erga scientiam.

Appetitus elicitus erga sciētiam est determinatus ad vnū

VII. Rursus etiam huiusmodi appetitus naturalis est, prout naturale dicit esse determinatum ad vnum, ita vt in oppositum non possit, quod sentiunt Doctores supracitati, & facile etiam ostenditur, quia supposito, quod obiectum rectè proponatur, vt re vera in se est, nō potest homo non amare seipsum, & ea, quæ sunt aliquod bonum ipsius, seu aliqua perfectio, quamuis enim liber sit, impossibile tamen est, quod appetat sui destructionem, vt destructio est, & refugiat proprium bonum; imò si, vt tale proponitur, impossibile est, quod illud non amet, atq; amplectatur. Quod præsertim verum est, quia non est liber quò ad specificationem respectu boni. Quare si illi proponatur scientia, vt quoddam bonum, & quædam perfectio ipsius, vt verè est, fieri non poterit, quod illam non appetat. Quod si aliqui aliquam scientiam non appetunt, ideo fit, quia illis proponitur sub ratione mali; quod si proponeretur sub ratione boni, statim illam appeterent, & hoc contingit in illis, qui recusant scientiam propter laborem; hoc tamen non facit, quod debitè proposita, non appetatur naturaliter, quia etiam tali pacto si proprium esse proponeretur sub ratione non boni, non appeteretur.

Cur appetitus non sit liber quò ad specificationem respectu boni.

VIII. Et hoc potest etiam confirmari assignando rationem, cur non sit liber appetitus quòad specificationem respectu boni. Est enim appetitus potentia quædam inclinatiua in obiectum, vnde habet hoc determinatum, quod ex vi sui, quando obiectum est proportionatum, debet inclinari in ipsum, sicuti enim, quia ignis habet virtutem calefactiuam, est determinatus ad calefaciendum, ita vt non possit, nisi calefacere; ita etiam cum appetitus sit secundum se totum virtus quædam inclinatiua in bonum, est determinatus ad hoc vnum, vt inclinetur in bonum. Cuius rei ratio est, quia si operatur debet conformiter ad propriam virtutem operari, & cum virtus sit tantum inclinatiua in bonum, debet si operatur erga bonum, in ipsum inclinari. Ex quo fit, quod cum scientia proponitur sub ratione boni, & cuiusdam perfectionis, qua homo perficitur, appetitus sit determinatus ad eius appetitionem, vt pote quia est determinatus ad prosequendum bonum. Præterea appetitus non potest non velle id, ad quod à natura sua ordinatur intellectus, supposito quod debitè proponatur, alioquin sicuti posset appetitus non velle id, ad quod natura ordinatur intellectus, posset etiam non velle ipsum intellectum, tum quia est eadem ratio, tum etiam quia vnum implicitè includitur in altero, quod tamen manifestè patet esse falsum.

Scientia appetitur propter se ipsam

IX. Atque hinc sequitur, quod non solum naturali appetitu elicito scientia appetatur, sed etiam propter seipsam, quod verum est de speculatiuis scientijs, quæ sistunt in sola cognitione. Cuius ratio est, quoniam vnamquodque debet eo modo appeti, quo ex natura sua est appetibile, si igitur aliquid est ita ex natura sua appetibile, vt non propter aliud appetatur, sed propter se, debet etiam propter se appeti, & huiusmodi est scientia speculatiua, quæ sistit in sola cognitione, nec ad aliud ordinatur. atque in se ipsa habet maximam rationem appetibilitatis, quia est perfectio intellectus, & felicitatem maximam confert homini, vt enim habetur lib. 10. Eth. cap. 7. Felicitas humana in contemplatione maximè consistit. Hinc ergo constat, quomodo vtroque appetitu impellente homines contemplationi se applicauerint, & scientias adinuenerint.

Satisf. fundamentis oppositæ sententiæ.

X. Hinc etiam patet ad fundamenta oppositæ sententiæ, non enim rectè assumunt, quod appetitus ille elicitus, quo scientiam appetimus, ita sit liber, vt non sit determinatus ad vnum, hoc enim est falsum, vt patet ex supradictis, si enim esset tali pacto liber, proposita scientia sub ratione scientiæ, & perfectionis cuiusdam intellectualis, posset illam non appetere, quod tamen fieri non potest, vt ostendimus. Ad alterum autem fundamentū dicitur, quod non ex eo, quod appetitus sit naturalis, sequitur, quod debeat

beat esse æqualis, quia cum sequatur cognitionem proponentem, & eidem commensuretur, quanta est efficacia cognitionis proponentis, tanta quoque est intensio appetitus, & sicuti quamuis cognitio naturalis sit, potest esse magis, vel minus intensa ex diuersis circumstantijs, quæ concurrunt: ita similiter verùm est, quod appetitus eiusdem obiecti, quamuis naturalis, sit magis intensus in vno, quam in alio; præsertim quando etiam in cæteris agentibus naturalibus ex diuersis conditionibus, & circumstantijs vnũ agit fortius altero, vt quotidiè experientia compertum habemus. Ad tertium concedendum est, quod eo modo, quo appetitur finis, appetantur etiam media, & è contra, quãdo scilicet inter media, & finem est necessaria connexio simpliciter, & vnicum tantum medium reperitur, quod possit conducere ad talem finem, & ita sit simpliciter necessarium, vt sine ipso finis haberi non possit; at quando finis potest haberi per plura media seorsim sumpta, tunc potest necessario appeti finis, & liberè eligi hoc, vel illud medium, quod præcipuè verum est, quando finis obtineri potest sine aliquo ex ijs medijs. Quod totũ cõtingit in sciẽtia, põt enim obtineri per infusionem à Deo supernaturali modo, absque eo, quod homo aliquod medium adhibear, vndè potest naturaliter appeti scientia, licet liberè media eligantur. Deinde scientia potest secundum se præcisè considerari, vt est perfectio intellectualis; & etiam potest considerari, vt est tali pacto acquirenda; primo modo naturaliter appetitur, & præscindit à medijs, quibus potest acquiri, & dicit tantum suam propriam perfectionem. Secundo modo dicit ordinem, ad ipsa media, & dependenter ab ipsis desideratur, & ideò eius desiderium debet etiam commensurari medijs, & eorum naturam sequi.

Quomodo finis naturaliter appetatur et media libere eligantur

Quomodo Philosophia adinuenta sit. Disp. II.

Explicatur primus processus Philosophandi.

SECTIO I.

Motiuũ inuenie. de philosophiæ.

I. Constituta radice, ex qua originem traxit Philosophia, superest, vt videamus, quomodo ex hac radice originem traxerit: seu explicandus est processus ille, quo Philosophia, stante tali appetitu sciendi, adinuenta est. In hoc autẽ duo explicãda sunt, scilicet motiua, & modus. Motiuũ, quo primo, & principaliter motus est intellectus ad inquisitionẽ philosophiæ, fuit Admiratio. Supposita enim cognitione sensitiua, per quã plurimæ res deferebantur ad intellectum, quas antea non cognouerãt; rursus stante ignorantia, quam de ipsis, seu de philosophia habebat, ex earum insolita, & ignota natura admirari cœpit, hinc stante appetitu naturali sciendi, ex hac admiratione moti fuerunt homines, vt inquirerent de ijs rebus, quæ per sensus offerebantur, & ipsarum naturas inuestigarent, & tali pacto procedentes, paulatim scientias constituerunt, augentes cognitionem illam, quam per diuersas obseruationes acquirebant.

Plato Arist. Finis scientiæ expulsio ignorãtiæ.

II. Quod autem ex hac admiratione moti sint homines ad philosophandum, & ab ipsa incœperit progressus philosophiæ tradit Plato in Theet. & Arist. 1. Metaph. cap. 2. vbi ita inquit. *Propter admirationẽm enim, & nunc, & primo cœperunt homines philosophari; à principio quidem admirando ea, quæ de dubitandis faciliora erant, deinde paulatim vlterius procedentes, etiam de maioribus dubitando, vt de passionibus, & eorum, quæ circa Solem, & Stellas fiunt, ac de generatione vniuersi.* Ex hac ergo admiratione commoti, & vrgente appetitu sciendi, vt ignorantiam depellerent, & acquirerent finem, in quem tendebat appetitus cœperunt discurrere, rerum causas inquirendo, & principia eorum, quæ fieri videbant; vnde subdit etiam Arist. ipse *Quare si propter fugam ignorantiæ philosophati sunt, patet quod causa cognoscendi, & nullius vsus gratia ipsum scire prosequebantur.* Sic ergo ex admiratione incœpit progressus Philosophiæ, & veritatis inquisitio.

Quõ ad. miratio supponat discursũ

III. Hinc tamen oritur difficultas, quomodo fieri possit, quod admiratio proueniat ex ignorantia, si quidem pro-

uenit

uenit ex discursu, ideo enim homo admiratiuus, quia discursiuus; vnde videtur supponere discursum circa rem, de qua est quomodo ergo supponit ignorantiam, ex qua prouenit? Responderi posset, quod alia est admiratio, quę respicit excellentiam rei; alia vero, quæ respicit nouitatem, si loquamur de admiratione primo modo accepta, verum quidem est, quod supponit cognitionem, & consequenter discursum circa rem, quam admiramur; at si loquamur de admiratione altero modo accepta, prouenit ex ignorantia: hinc homines rudes de pluribus admirantur, quã doctiores, quia cum plurima ignorent, fere vnumquodq. ijs admirationem affert. Cæterum hæc responsio non euacuat difficultatem. Nam simpliciter esse admiratiuum est passio conueniens homini ex eo, quod sit discursiuus, sicuti ergo posse admirari illi conuenit ex eo, quod potest discurrere, ita actu admirari debet conuenire, quia actu discurrat, vnde omnis admiratio, siue nouitatem rei respiciat, siue excellentiam semper debet prouenire ex discursu, & ex cognitione: Quomodo enim admirabimur rem, quam non cognoscimus? Respondendum igitur est, quod admiratio est affectus quidam animæ tendens circa obiectum, quod per cognitionem repræsentatur, & ideò homo admiratur, quia est discursiuus, quia scilicet rem illam, quam admiramur, vel cognoscimus per discursum, vel saltem necessarius est discursus, vt sequatur actus admirationis. Debet enim homo ad hoc, vt admiretur, facere quamdam comparationem illius rei, cum cæteris, quas antea cognouit & inde inferre, vel illius nouitatem, vel magnitudinem, vel aliquid aliud, quod dignum fit admiratione. Quia tamen admiratio requirit etiam, quod res non penitus cognoscatur, quando scilicet tendit in obiectum obscuro modo, ideo etiam simul prouenit ex aliqua ignorantia; vnde verum est, quod admiratio proueniat simul ex discursu, & ignorantia; & ex hac originem traxit inquisitio veritatis, qua primum cœpit adinueniri philosophia.

Expenditur prima responsio.

Alia responsio.

IV. Quia tamen scientia non habetur, nisi ex vniuersalibus, ideò non sufficiebat, quod ex sola admiratione inquisitio procederet, sed vlterius opus fuit, vt res quæ ad singularitatem definitæ, & determinatæ medijs sensibus percipiebantur, ad vniuersalitatem redigerentur; ad hoc autem deseruit memoria, quæ conseruans plures res singulares, quæ medijs sensibus percipiuntur, & percipiens quamdam conuenientiam inter ipsas secũdum essentiam, quam postea præcise considerans, abstrahit à singularibus rationem illam conuenientiæ, & format vniuersalia, quibus mediantibus deducit etiam suas conclusiones scietificas vniuersales, & hoc pacto acquirit scientiam; quæ sicuti procedit ex vniuersalibus, ita etiã procedit ex necessarijs. Atque hic est primus processus, quo ex admiratione intellectus procedit ad scientiam; dubitari tamen posset quomodo experientia necessaria sit ad scientiam. Sed hanc dubitationem inferius dissoluemus.

Quo etiã memoria concurrat ad acquisitionem scientiæ

Explicantur media, & modus quibus Philosophia inuenta fuit.

SECTIO II.

I. Cum ex admiratione homines processerint ad philosophandũ, explicanda sunt media, & modus quę adhibuerunt in inquisitione veritatis. Quod spectat ad modos Tolet. in proem. ad lib. Phi si. c. 4. ex cõmuni sentẽtia quinq. assignat; quorũ primus est Similitudo, atq. in eo cõsistit, quod dũ sensus percipit singularia, ex ijs cõgregat intellectus rõnes vniuersales, quæ aptæ sunt ad scientificã cognitionẽ. Alter modus est Separatio; quando videlicet intellectus vnũ separat ab alio, vt cũ percipit lignũ modo esse calidũ, modo frigidũ, percipit distinctionẽ accidẽtis à substãtia. Tertius est Resolutio, cũ scilicet res in suas partes, atq. principia resoluuntur, vt compositum in materiã, & formam. Quartus est Cõpositio, quando vnũ alteri connectentes, passiones, quæ prius occultæ erant, reperimus. Quintus deniq. est Proportio, cum ex rebus notis, proportione seruata, res ignotas cognoscimus.

Tolet.

Quinq. modi inueniẽdi Philosophiam.

II. Attamen si res rectè perpendatur in rigore non erunt modi, quibus inuẽta est Philosophia, sed potius media quzdã, & motiua, quibus intellectus innixus philosophicam veritatem adinuenit; neque erunt quinque, sed pauciores. Vnde aduertere oportet, quod aliud est loqui de modo, quo philosophia inuenta est, & aliud de medijs, neq. enim modus, & mediũ inter se cõfundi debent, cũ plurimũ differãt. Modus enim acquisitionis intrinsecè imbibitur in acquisitione ipsa, ita vt cõcipi

Expenduntur hi modi.

non possit, nisi simul concipiatur acquisitio, quia hoc est vniuersaliter de ratione modi, quod sit ens entitate illius rei, cuius est modus, siue illi essentialis, & intrinsecus sit, siue accidentalis, & quod sine ipsa nequeat concipi. Medium vero se habet tanquam via respectu termini, & quãuis conducat ad acquisitionem rei, ad quam est medium; non tamen est ipsamet formalis acquisitio, sed præparatio quædam ad acquisitionem, vnde est extra ipsam, & quamuis habeantur Media nondum tamen habetur acquisitio.

Multiplex virtus intellectus.

III. Secundo aduertendũ est, quod intellectus habet multiplicem virtutẽ: alia enim est virtus comparatiua, qua vnum cum alio comparat; alia virtus præcisiua, qua vnũ separat ab alio, & ponit distinctionem etiã inter ea, quæ indistincta sunt, vt cum in eadẽ entitate distinguit diuersas formalitates; alia est virtus compositiua, qua vnum cum alio cõiungit. Sed ea, quæ est præcipua, est virtus discursiua, qua ex cognitione vnius infert, & colligit cognitionẽ alterius. Cæterũ sicuti cognitio correspondet ipsis rebus, atq. illis proportionatur; ita etiã discursus ip se, cũ sit processus quidã cognoscitiuus. Proportio autẽ, & correspõdentia in hoc cõsistit, quod discursus sit quędã cõnexio pluriũ cognitionũ; sicuti enim res habent adinuicẽ talem connexionem, vt vna connectatur cũ altera, & ex positione vnius debeat poni & altera: ita etiam plures illæ cognitiones, quæ interueniunt in discursu, ita sunt connexæ, vt ex vna sequatur altera.

Prima conclusio. Modi enumerati à Toleto nõ sunt veri modi sed media.

IV. Hinc dicendum primò, Quinque illos modos enumeratos à Toleto, nõ esse veros modos acquisitionis philosophię, sed tantũ media quędã conducentia ad eius acquisitionẽ. Prima pars suadetur ex eo, quia, vt supra etiam diximus, modus inuentionis inuoluitur in ipsa inuẽtione, & modus acquisitionis in ipsa acquisitione, illi autẽ modi nõ inuoluũtur in acquisitione philosophiæ, cũ enim inuentio, & acquisitio philosophiæ sit assecutio illius cognitionis, qua rerũ veritatẽ percipimus solũ potest inuentio, & acquisitio formaliter cõsistere in illo assensu, quo vel alicui cõclusioni assẽtimur, vel alicui principio, ex quo cõclusiones deducantur; non ergo consistit in illis modis, vt Cõparatione, & cæteris enumeratis. Quod potest etiã ad hoc confirmari. Cõponere, diuidere, comparare, resoluere in principia, & obseruare proportionẽ sunt tantum media quædam ad inueniendã aliquã veritatem, quibus adhibitis mouetur intellectus, vt eliciat assensũ circa aliquã propositionẽ, n õ antẽ sunt formaliter assẽsus, aut deductio alicuius veritatis, sicuti vsus medij, nõ est formaliter assecutio finis, sed tantum virtualiter, quatenus illam inducit, ergo cũ modus debeat inuolui in re, cuius est modus, non possunt esse modi, quibus inuenta est philosophia. Atq. hinc etiam colligitur secunda pars, quod scilicet sint media; illud enim est mediũ, quod conducit ad aliquid assequendum, & separare, diuidere, componere, seruare proportionem, & alia huiusmodi conducunt ad assequendam philosophicam veritatem, ergo erunt media ad illam.

Secunda Conclusio. Tria media ad assequẽdã philosophã.

V. Secundo dicendum est, hæc media non esse quinque, sed tantũ tria. Hoc autem declaratur, & simul probatur, nam resolutio in primis, & separatio sunt idem, resolutio enim formaliter dicit, quod aliquod vnum resoluatur in suas partes, & principia, quibus constat, vt quando mistum resoluitur in elementa; vnde respicit compositionem, quatenus vi ipsius plura in vnum coguntur, ita tamen vt tollat huiusmodi compositionem. Sed etiam separatio respicit compositionem, & vnionem plurium, quam tollat, ea enim separantur, quæ vnita sunt: & proinde etiam ipsa respicit plura quæ coiuerint in vnum, ergo cum habeant eundem terminum, nempe ablationem vnitatis, erunt idem medium. Præterea Proportio potest reduci ad conuenientiam, cum etiam ipsa sit quædam conuenientia; & hoc præcipuè verum est, si attendamus modum, quo istud medium deseruit ad venandam veritatem; in eo enim eius vsus consistit, quod propter proportionem res ignotas ex cognitis cognoscamus, quia videlicet, quod reperimus conuenire rebus, quas cognoscimus, proportionaliter tribuimus ignotis ex eo, quod seruant proportionem ad cognitas; hoc autem contingit etiam in conuenientia, nam ex eo, quod conueniunt aliqua inter se, quod vni tribuimus, etiam alteri tribui debet.

Tertia. Conclusio.

VI. Tertio dicendum est. Modũ, quo inuenta est philosophia, fundamentaliter esse connexionem illam, quam res habẽt ad inuicẽ; Formaliter autem esse progressionẽ intellectus, qua à cognitione vnius progreditur discurrẽdo, & inuestigãdo ad cognitionem alterius. Prima pars prob.

quo-

quoniam cum inuentio, & acquisitio philosophiæ in eo consistat vt diximus, quod certam cognitionem assequamur, in eo debet fundari, in quo fundatur assecutio huius cognitionis; hæc autem assecutio in nullo alio fundatur, nisi in illa connexione, quam res habent inter se, propter quã in cognoscibilitate se mutuo inferũt. Altera etiã pars manifesta mihi videtur, quoniam modus inuentionis est ille, quo philosophia inuenitur, vt enim inductione constat modus vniuscuiusque rei in fieri est ille, quo res fit, sed progrediendo cum inuestigatione à cognitione vnius ad cognitionem alterius, inuenitur philosophia, & assequimur cognitionem rerum, ergo huiusmodi progressus erit modus, quo philosophia inuenitur.

An, & quomodo experientia necessaria fuerit ad inuentionem Philosophię. Disp. III.

Experientiam ad Philosophiam necessariam esse, & quid ea sit.

SECTIO I.

Experiẽtia mediũ necessariũ ad scientiam. Aristot.

I Diximus disputatione præcedenti, quod experientia necessariũ medium fuerit ad inueniendam Philosophiam, & hoc ipsum est, quod tradit Arist. 1. Metaph. cap. 1. vbi ita inquit. *Per experientiam autem ars & scientia hominibus efficitur, Experientia enim artem effecit, in experientia vero fortunam.* Atque in hoc omnes conueniunt, quia licet vanas & diuersas opiniones antiqui Philosophi de anima, & intellectu protulerint, vt Pithagoras, qui posuit transmigrationem animarum, qui propterea existimabat ex eo, quod anima eadem pluries, & pluries

Pithag.

diuersa corpora intraret, plenam esse plurimis perfectionibus scientificis, & artificialibus, tamen non negabat semper aliquid de nouo discere propter rerum experientiam; vnde non negabat experientiam necessariam esse ad scientias, & artes inueniendas. Similiter etiam Iamblicus licet existimauerit Animam produci perfectam cum suis cognitionibus, quia nulla forma imperfecta editur; existimauit tamen experientiam necessariam esse, vt ipsa excitarentur artes, & scientiæ; quod etiam sensit Empedocles, nimirum experientiam necessariam esse propter hanc excitationem, ipse enim opinabatur, quod anima compacta esset ex omnibus, quia omne, quod cognoscit, per aliquid sui simile cognoscit; quamuis fortasse tantum intelligere voluerit, quod anima sit compacta ex omnium formis quatenus omnium rerum species suscipit.

Iamblicus.

Empedocles.

II. Insuper etiam, qui ponunt animam præexistere ante corpus in se perfectam, omnium rerum cognitionem in se habentem, & ponunt vnicum intellectum omnibus assistentem; vt Auer. 3. de anima. com. 5. & 7. Phis. com. 20. Themist. Theophrast. Simplicius, & omnes Aueroistæ, qui consequenter debent tenere, quod scire sit quoddam reminisci, adhuc tamen concedunt, quod experientia ad artes, & scientias necessaria sit. Inquiunt enim, quod intellectus iste omnibus assistens duplici modo vnitur hominibus: nimirum vt principium essendi, & principium intelligendi. Primam coniunctionem, vt explicat Auer. 3. de anima com. 20. volunt esse per naturam, quia fit ex vi generationis, qua homo generatur. Secundam volunt esse voluntariam, quatenus de ipso ad libitum plus, vel minus acquirimus cooperantibus sensibus; quibus præsuppositis affirmant, quod intellectus secundum se est omnibus scientijs, atque artibus perfectus, quia cum omnis ars, & scientia sit de perfectione vniuersi, nisi repetirentur in hoc intellectu, esset Vniuersum valde imperfectum, & quando intellectus vnitur homini secundum naturam, vnitur etiam secundum has omnes perfectiones, tamen tunc non vnitur tanquam principium proximum intelligendi, quia inquit Auerroes necessariæ sunt intentiones imaginariæ, siue phantasmata, quæ solum medijs experientijs acquiruntur; & ideo etiam ipsi hoc pacto admittunt experien-

Auer. Themist. Theophrast. Simplic.

Quõ experiẽtia sm Aueroistas sit necessaria ad scientias.

tiam necessariam esse ad artes, & scientias; in quo etiam conueniunt, qui alio modo volunt; Scire esse quoddam Reminisci; tunc enim saltem propter excitationem necessaria est experientia, imo etiam propter Phantasmata, quæ certum est de nouo acquiri.

III. Itaque quamuis variæ sint opiniones de anima, conueniunt tamen omnes, quod experientia necessaria fuerit ad inuentionem scientiarum, & artium; vnde supersedemus nunc hos errores cōfutare, quia sufficit, quod concedant hanc necessitatem experientiæ, vt etiam concedunt omnes, qui rectè sentiunt de anima, quod nimirum multiplicetur ad multiplicationem indiuiduorum, & quod de nouo producatur, quoties nouus indiuiduus homo producitur. Atque hanc necessitatem experientiæ tradunt communiter interpretes in cap. 1. lib. 1. Metaph. D. Thom. ibid. lect. 1. Albert. Magnus lib. 1. suæ Metaph. tract. 1. cap. 7. Suessan. 1. Metaph. disp 7. cap. 4. Anton. Andreas quæst. 5. Iauel. quæst. 7. Fonseca cap. 1. quæst. 4. sect. 3. atque alij complures.

D. Tho. Albert. Magn. Suessan. Anton. Andr. Iauel. Fonseca

IV. Et stante vera opinione de anima, possumus rationem colligere ex ipso Arist. qua necessitas huius experientiæ conuincatur, ait enim citato capitulo. *Fit autem ars, cum è multis experimentalibus conceptibus, vna de similibus vniuersalis opinio fiat, opinari enim, quod Calliæ hoc morbo laboranti hoc conuenerit; similiter Socrati, ac sigillatim alijs multis, experientiæ: quod autem omnibus huiusmodi secundum vnam speciem determinatis hoc morbo laborantibus conducit, vt pote pituitosis, aut biliosis, aut febre ardente febricitantibus, hoc artis propriũ est.* Deinde post pauca subdit; *Ars autem vniuersalium cognitio est.* Ex quibus elicitur talis ratio. Quælibet scientia, atque ars versatur tantum circa vniuersalia, vt experientia patet, non enim medicina docet, quod Petro talis medicina adhibenda sit, sed quod tali morbo, secundum speciem considerato, ergo ad eius inuentionem necessaria est cognitio experimentalis. Hæc consequentia colligitur, quoniam, cum vniuersale sit quid vnum in multis, non potest tanquam vniuersale cognosci, nisi vt multis conueniens cognoscatur; Verum cum, quicquid cognoscitur, medijs sensibus singulari modo cognoscatur, necesse est, vt aliquid tanquam vniuersale cognoscatur, quod percipiantur plura singularia, quæ eamdem rationem participent, atque inde intellectus id intelligat esse vniuersale, quia in pluribus singularibus reperitur; & ob id necessaria fuit experientia, vt scientiæ, & artes circa vniuersalia, cum primum inuentæ sunt, versari possent.

Aristot.

Ratio cur experientia sit necessaria ad scientiam.

V. Sed dubium remanet, quid sit hæc experientia, quæ ad inuentionem Philosophiæ, & cuiuslibet alterius facultatis necessaria fuit, & in quonam consistat. In qua re illud certum est, quod consistit in cognitione plurium singularium eamdē rationem communem participantium, quia cum sit in ordine ad inueniendas naturas vniuersales, oportet, quod versetur circa singularia, quatenus eamdem rationem communem participant. Rursus hinc etiam requiritur, quod huiusmodi experientia debeat esse cum quadam collatione, qua illa plura singularia inter se conferantur, alioquin quomodo cognoscemus, rationem illam esse communem, nisi conferamus indiuidua inter se, vt percipiamus conuenire in illa? hoc enim nullo alio modo fieri potest, nisi facta collatione indiuiduorum. Illud autem de quo dubitatur est, an experientia debeat esse cognitio complexa, & cum iudicio, an vero sufficiat, quod sit incomplexa. Quidam enim præsertim ex Scotistis, vt Anton. Andreas supracitat. tenent, quod ad saluandam experientiam sufficiat cognitio incomplexa, experientia enim est cognitio tantum plurium indiuiduorum; vnde parum refert, quod sit complexa cum iudicio, vel sine iudicio.

Quid sit experientia.

Anton. Andr.

VI. Attamen magis communiter docent, ad saluandam experientiam, necessariam esse cognitionem complexam, simul cum iudicio, quod inter alios tradunt Suessan. Iauel. & Fonseca supracitati. Et hæc procul dubio sententia est Aristot. citato illo 1. cap. lib. 1. Metaph. cum enim docuisset, quod per experientiam ars, atque scientia efficitur, atque experientia constet ex multis similibus conceptibus, subdit. *Opinari enim, quod Calliæ hoc morbo laboranti hoc conducit, similiter Socrati, ac sigillatim alijs multis experientiæ proprium est.* Ecce ergo quo modo oportet opinari, seu iudicare, quod aliquid tali, & tali indiuiduo conueniat, vt experientiam habeamus, quod nihil

Suessan. Iauel. Fonseca Aristot.

Cognitio complexa iudicatiua est necessaria ad experientiam.

aliud est, nisi habere cognitionem complexam iudicatiuam. Pro quo aduertendum est, quod ad consumatam experientiam duplex cognitio interuenit, alia quidem sensitiua, & alia intellectiua, correspondens sensitiuæ. Sensitiua autem cognitio est tantum suo modo complexa, hoc est præbens intellectui fundamẽtum ad cognitionem complexam iudicatiuam, vnde dicit tantum materiali modo conceptum prædicatum, & subiectum cum sua connexione, quod intellectui præsentatum, illum mouet ad veram cognitionem complexam iudicatiuam, qua pronunciat prædicatum conuenire subiecto.

Iudiciū de aliqua re vniuersali pendet ab inductione. VII. Quod autem hæc cognitio cōplexa, & iudicatiua necessaria sit ad experientiam, inde colligitur, quod ex vi experientiæ debemus venari vniuersale, quod est vnum conueniens multis, in quo interueniunt illa multa, atque etiam natura vniuersalis, quæ ipsis conuenit, & proinde intellectus indicat, quod talis natura pluribus conueniat; non potest autem ferre hoc iudicium, nisi prius idipsum in singularibus iudicauerit; pendet enim hoc iudicium à quadam inductione facta in indiuiduis, quia nisi intellectus prius iudicaret, & hoc, & hoc indiuiduum esse tale, quomodo iudicaret, omne indiuiduum esse tale? sicuti enim cognitio vniuersalis supponit cognitionem particularium, ita iudicium vniuersale, seu de re vniuersali supponit iudicium de singularibus. Præterea experientia debet necessario fieri in multis, ita tamen vt percipiamus per quamdam collationem eadem, vel diuerso modo se habere, vel eodem modo. Quod si diuerso modo se habent, oportet, quod intellectus concipiat, quod vni conuenit, alteri non conuenire, sed conuenire illi aliquid aliud diuersum, vnde debet pluribus diuersa tribuere, quod sine iudicatiua compositione fieri non potest. At si eodem modo se habent; tunc etiam necesse est, quod aliquid vnum tribuat pluribus, & interueniat iudicatiua compositio, qua illud cum pluribus connectatur. Quod rursus etiam confirmari potest. Experientia debet esse talis, vt ex se præbeat intellectui sufficiens motiuum, & determinatiuum ad eliciendam propositionem vniuersalem; ad hoc autem insufficiens est incomplexa cognitio, vt quod totum sit maius sua parte, non potest ab intellectu elici ab his cognitionibus incomplexis, quibus hoc, & illud totum repræsentetur, atque hæc & illa pars: sed oportet, quod conferat hanc partem cum hoc toto, deinde illam partem cum alio toto, & sic de reliquis, & iudicet, quod semper pars cum toto collata illud excedat, & formando circa indiuidua propositiones singulares poterit inde determinari ad eliciendam vniuersalē. Atq. ratio est, quoniam vniuersale contineri debet in singularibus, vnde eo modo, quo repræsentatur esse in singularibus, seu se habere in singularibus seorsim sumptis, se habebit etiam respectu eorumdem collectiuè sumptorum. Quare si, quando repræsentatur seorsim in singularibus non illi tribuitur aliquid per iudicatiuam compositionem, neque etiam poterit tribui, quando omnia simul collectiuè considerantur, siquidem ratione indiuiduorum seorsim sumptorum debet tribui.

Proportio vniuersalis ad singulare.

Quomodo experientia ad Philosophiam necessaria fuerit.

SECTIO II.

I. Experientiam fuisse necessariam ad inuentionem Philosophiæ ex dictis præcedenti sect. manifestum remanet; nūc oportet inquirere, quomodo necessaria fuerit. Vt autem punctus difficultatis aperiatur. Sciendum est, quod in qualibet scientia, & arte, & consequenter etiā in Philosophia vt sic tria solent distingui: videlicet apprehensio terminorum habitualis. Principia, ex quibus conclusiones deducuntur; atque ipsæ conclusiones deductæ. Hinc ergo insurgit difficultas, an respectu omnium trium, nimirum apprehensionis terminorum; Principiorum, & Conclusionum necessaria sit experientia. In qua difficultate illud, tanquam certum principium præsupponi debet, quod qualibet cognitio intellectiua, siue simplicis apprehensionis, siue principiorum, siue conclusionum dependet à cognitione sensitiua, est enim intellectus noster determinatus ad intelligendum dependenter à sensibus, ita vt non possit moueri ab obiectis extrinsecis, nisi medijs sensibus. Hinc communiter recipitur, quod nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu; quod tamen ita intelligi debet, vt sufficiat,

Puncti difficultatis.

Omnis cognitio dependet à sensibus.

ciat,quod quocunque modo fuerit in sensu,etiam virtuali modo, quia intellectus propter vim discursiuā,quā habet, potest ex ijs, quæ sunt formaliter in sensu, plura alia elicere; & hoc pacto intellectus dependet à sensibus, quia saltem cognitio intellectiua debet inchoari à sensitiua.

Ad apprehensionem terminorum habitualem necessaria est frequentata cognitio sensitiua.

II. Atque hinc deducitur, quod in Philosophia, & qualibet arte ad habitualem apprehensionem terminorum, sit necessaria illa frequentata cognitio sensitiua, quę versetur, vel formaliter, vel saltem virtualiter circa eosdem terminos, qui ab intellectu apprehenduntur. Cum enim hæc apprehensio intellectualis terminorum sit apprehensio rerum, circa quas scientiæ, & facultates versantur; atque etiam sint termini vniuersales ex eo, quod scientiæ circa vniuersalia tantum versantur, quomodo apprehendi possunt ab intellectu sub ratione vniuersalis, nisi prius præcesserit cognitio sensitiua, quæ eadem in pluribus indiuiduis repræsentauerit? & in hoc debet etiam intellectus cum sensu proportionari, vt possit cognitione incōplexa ea tantum singularia apprehendere, quæ in vnico tantum indiuiduo à sensu percepta sunt, & vt apprehendat vniuersale cognitione incomplexa necesse est, quod sensus idem apprehenderit in pluribus indiniduis. Quod tamen cum hac limitatione accipi debet, vt hæc necessitas locum habeat, quando ex cognitione vnius indiuidui, non potest per discursum colligi, illam naturam esse vniuersalem propter similitudinem, quam habet, cum ea, quæ cognita est, esse vniuersalem. Fieri enim potest, quod cognita natura aliqua vniuersali, & deinde cognita alia natura in vnico tantum indiuiduo, quia in hac ipsa natura reperiamus rationem constitutiuam vniuersalitatis, inferamus per discursum esse vniuersalem, quamuis non percipiatur esse in pluribus indiniduis: sic cognoscimus naturam solis esse vniuersalem, quamuis in vnico indiniduo sit, quia reperimus in ea communicabilitatem, quæ alias naturas reddit vniuersales. Verum in hoc casu vniuersalitas illius naturæ in cognosci, non dependet ab illa sensatione, qua natura illa in vnico tantum indiuiduo cognita fuit, sed dependet ab illa sensatione, qua cognita fuit natura in pluribus indiuiduis, ex qua postea elicimus, hanc quoque propter eamdem rationem vniuersalem esse.

Quō cognita natura in vnico solo indiuiduo possit inferri esse vniuersalitas.

III. Præterea in hoc etiam omnes conueniunt, quod siue loquamur de principijs, ex quibus scientiæ procedunt, siue de conclusionibus; experientia valde confert ad cognitionem eorumdem. Cum enim intellectus veluti à sensu ducatur ad inquirendam rerum veritatem, atque ea cognitio vera sit, quam medio sensu delumit à rebus, hinc fit, quod si cognitio principiorum, & conclusionum experientia firmetur, supposito etiam, quod sine ipsa haberi possit, maiorem quamdam certitudinem, atque euidentiā acquirat, quàm haberet præcisa huiusmodi experientia; est enim cognitio sensitiua, & propterea habet quamdam magnam euidentiam, quæ dum in pluribus indiuiduis reperitur, in quibus principia, & conclusiones secundum particularem materiam verificantur, redundat etiam in cognitionem intellectiuam, qua eadem in vniuersali cognoscuntur. Et quemadmodum quando sensus decipitur, nec ab alio corrigitur, cognitio quoque intellectiua, quæ ab eo dependet, falsa est, ita etiam quò magis cognitio sensitiua certa, atque euidens est, eò etiam magis intellectiua de certitudine, & euidentia participat, atque etiam sensus facilitat valde intellectum ad suam cognitionem, quia vt diximus, veluti deducit ad inquisitionem veritatis.

Experientia confert ad cognitionem principiorum & conclusionum.

IV. Sed quod controuertitur est, an ad cognitionem incomplexam terminorum eorumdem habitualem apprehendēdam necessaria sit experientia. Scotistæ enim, vt præcipuè Anton. Andreas citata quæst. 4. lib. 1. Metaph. volunt, quod necessaria sit experientia. At è contra sentiunt Thomistæ, vt asserit Iauel. quos ipse sequitur citata quæst. 6. lib. 1. Metaph. §. *Quantum ad hoc Scotistæ*, & Fonseca ibid. cap. 1. quæst 4. sect. 3. conclus. 1. Et planè ita dicendum est. Neque enim apparet aliqua ratio, quæ hanc experientiam requirat, si tamen loquamur de experientia formali, quæ importat, vt diximus sect. præcedenti, illam cognitionem iudicatiuam, imò impossibile est, quod talis experientia concurrat ad causanuam illam simplicem apprehensionem terminorum, quia cognitio vniuersalis causatur ab experientia, sibi proportionata. Cum ergo apprehensio terminorum simplex scientifica, non dicat aliquod iudicium, neq; aliquam compositionem formalem terminorum, sed solum simplices terminos; alioquin, si diceret, deberet se-

In quo sit sit difficultas.

Anton. Andr.

Iauel.

Fonseca

cundum

cundum hoc iudicium influeret in cognitionem causatam, & proinde iudicium ipsi communicaret. Solum ergo interuenit experientia materialiter sumpta, prout dicit cognitionem plurium indiuiduorum sine iudicio.

Alia difficultas. V. Altera difficultas est, an ad conclusiones necessaria sit experientia, an vero solum vtilis. Quod enim solum vtilis sit affirmant nonnulli Scotistæ, præsertim Anton. Andreas Anton. Andreas citat. quæst. 4. conclus. 2. & 4. Et fundamentum esse potest, quia conclusiones scientificæ deducuntur ex principijs, igitur sola principia sufficiunt ad causandam cognitionem certā de conclusionibus, nec opus erit experimento. Aliorū sentētia. Hoc tamen non obstante alij quamplures volunt ad quasdam conclusiones necessariam esse experientiam, tanquam earumdem cognitionem, & certitudinem causantem, quod præsertim habet locum in scientijs practicis; atque hanc opinionem cum Thomistis tenet Iauel. Iauel. loco suco supra citato, Suessan. Suessan. 1. Metaph. disp. 7. cap. 4. conclus. 3. & Fonseca Fonseca supracit. conclus. 3.

Experiētia necessaria ad aliquas conclusiones. VI. Et potest ratio facilè reddi. Certum est enim, quod quotiescunque aliquid ita se habet, vt eius veritate cognita, conclusio deducatur, se habet etiam tanquam aliquid simpliciter causatiuum illius cognitionis; hoc autem contingit in conclusionibus, nam facta experimentali inductione in singularibus formatur assumptum, ex quo tales conclusiones deducuntur. Et sic contingit, quod quædam conclusiones immediatè resoluantur in experimentum, quo mediante videmus illas vniuersaliter verificari; imo etiam contingit aliquando, quod per sola experimenta conclusiones probari possint, quia videlicet solum à posteriori illas colligimus, cum earumdē causæ nos lateant, & in scientiarum inuentione hoc plurimum contigisse, indubitatum est; nam tunc vt plurimum causę latebant, & ab effectibus, & continuata experientia conclusiones colligebantur, quamuis postea per causas demonstratæ sint, hic enim processus frequens est in scientijs, quando à posteriori per effectus, et experientiam colligimus conclusionem, qua inuenta colligimus eius causam, per quam postea conclusionem demonstramus.

Tractatur difficultas quoad Principia.

SECTIO III.

I. POtissima difficultas circa hanc materiam est de illa experientia, quæ An experientia necessaria sit ad principia principia colliguntur, an videlicet solum vtilis sit ad cognitionem principiorum, an vero necessaria, itaut sine ipsa nequeat haberi exacta cognitio principiorum. Quod enim non sit necessaria, videtur sequi ex Ratio dubitandi. natura ipsorum principiorum, quæ cum sint prima, nec per aliud possint probari, Prima. habent, quod ex sola notitia terminorum innotescant, et quod intellectus solum terminis perceptis assentiatur vnde Arist. Aristot. 1. Poster. cap. 3. inquit *Sed et principium scientiæ quoddam esse asserimus, quo terminos ipsos cognoscimus*, Et 1. Topicor. cap. 1. de primis principijs loquens ait *Sunt quidem vera, vt prima, quæ non per alia, sed per se habent fidem*, ergo non est necessaria experientia, vt principiorum cognitionem habeamus. Præterea quoniam non apparet quomodo ab experien- Secunda tia generari possit notitia principiorum, quæ est omnium certissima, atque euidentissima; cognitio autem experimentalis incerta est, quoniam sensus decipi possunt, nec in omnibus, sed in paucis tantum indiuiduis haberi potest. Tertio in Tertia. Mathematicis disciplinis reperiuntur quę dam deffinitiones, quæ in ijs scientijs tanquam principia se habent, vt quid sit Linea, quid Superficies, quid Figura, atque aliæ huiusmodi, non ergo omnia principia indigent experientia. Quod potest confirmari ex Arist. qui 1. Ethic. cap. 7. Aristot. inquit *Principiorum alia inductione, alia sensu, alia assuetudine quadam, alia alio modo percipiuntur*. quod si aliqua possunt sine experientia cognosci, videntur etiam omnia posse cognosci, quia si aliqua ex se cognoscuntur propter euidentiam terminorum, cur non cognoscentur omnia, cum habeant eamdem euidentiā? Denique non videtur conueniens, quod Quarta. cognitio principiorum depēdeat à cognitione experimentali, cognitio enim principiorum est omnium nobilissima; cognitio vero experimentalis est inferioris ordinis. Hinc nonnulli sentiunt, quod ex- Prima opinio. perientia solum sit vtilis, non autem necessaria ad cognitionem principiorum. vt Albert. 1. Metaph. tract. 1. c. 6. Anton. Albert Andreas ibidem quæst. 4. & nonnulli alij Ant Andreas. præsertim ex Scotistis.

Secūda opinio. Iauel. Alexan. Themi. Philop. Auer. D.Tho. Sueffan. Fonseca II. E contra tamē Thomistæ, vt præsertim Iauel.citata quæst. 6. lib. 1. Metaphys.& complures alij præsertim Alexander Themis. Philop. Auer. & D. Thom. in expositione tex. Arist. infra citādi Sueffan. 1. Metaph. disp. 7. cap. 4. & Fonseca cap. 1. quæst. 4. sect. 3. conclus. 2. sentiunt, quod etiam respectu principiorum necessaria sit experientia, vt illis non temerè intellectus assentiatur. Quæ sententia proculdubio desumitur etiam ex Arist. nam imprimis 2. Poster. cap. vltimo, probat prima principia debere innotescere per inductionem experimentalem, ait enim. *Plures enim memoriæ, numero vna experientia est, ab experientia vero illa genita ex omnibus notitia fit, vniuersali quietem in anima iam consecuto, quod est vnum præter multa, quodque in omnibus illis vnum inest principium artis, atque scientiæ; artis quidem si circa generationem sit, scientiæ vero si sit circa id, quod eodem modo semper existit.* Et postea subdit, quod quando intelligitur aliquod singulare eorum, quæ habent eamdem naturam, incipit tunc vniuersale nasci in anima, quod conseruatum in memoria quousque alia intelligantur, efficitur postea vniuersale: vnde concludit. *Necesse est igitur, vt ex hisce patet, ipsa prima* (scilicet principia) *inductione cognoscere sic enim, & sensus efficit in nobis ipsum vniuersale.*

III. Rursus lib. 1. Prior. cap. 31. docet, quod ad experientiam spectat tradere principia, dum ait, *Quare Principia quidem, quæ sunt circa vnumquodque experimenti est tradere: vt astrologica inquam experientia, astrologicæ disciplinæ principia. Sumptis enim sufficienter, quæ istbic apparent, sic inuenta astrologicæ demonstrationes sunt; similiter autem & circa quamlibet aliam, & artem, & disciplinam habet.* Et ratio efficax ex priori sen-

Ratio huius sententiæ. tentia etiam desumitur. Principia enim prima debent esse vniuersalia, & cum sint complexa, debet intellectus cognoscere, quod connexio prædicati cum subiecto vniuersaliter verificetur; quomodo aūt potest cognoscere vniuersaliter verificari nisi percipiat verificari in suis inferioribus? hoc enim dicit vniuersaliter propositionem aliquam verificari, quod in suis inferioribus veritatem habeat. Sed quomodo percipit verificari in suis inferioribus, nisi facta quadam experimentali inductione? Quod etiam potest confirmari. Esse propositionis vniuersalis dependet ab esse plurium propositionum particularium, non enim possumus cognoscere aliquam propositionem esse vniuersalem nisi percipiat illam reperiri in pluribus singularibus, hoc enim est de ratione vniuersalis, ergo etiam veritas illius dependet à veritate plurium singularium, quas proinde necesse est cognoscere, vt illam tamquam vniuersaliter veram debito modo cognoscamus.

IV. Sed posset aliquis respondere, quod veritas principiorum satis percipitur ex ipsis terminis vniuersaliter acceptis propter eorumdem euidentiam. Non tamen hæc responsio soluit rationem factam. Quia quamuis termini habeant euidentiam, est tamen euidentia proportionata, hoc est euidentia vniuersalis, quę debet facere rem innotescere vniuersali modo: non potest autem id præstare, nisi dependenter à singularibus, in quibus reperitur, ita etiam propositio vniuersalis habet suam veritatem dependenter ab iisdem, quia prius est, quod verificetur in pluribus singulari modo, quam quod verificetur vniuersaliter, vnde illa euidentia terminorum vniuersalium debet sequi naturam eorumdem; & sicuti termini vniuersales colliguntur à particularibus propter conuenientiam, quam habent ad inuicem, ità etiam ipsorum euidentia debet colligi ab euidentia terminorum particularium, & consequenter veritas propositionis vniuersalis à veritate particulariū; & proinde non possumus debito modo assentiri principijs, nisi ex vi experimentalis inductionis. Excluditur responsio.

V. Secundo prob. ex modo, quem in cognoscendo debet adhibere noster intellectus. Omnis enim ipsius cognitio debet originari à sensu, vel quia id, quod cognoscit intellectus, fuerit etiam cognitum à sensu, vel saltem quia in eo virtualiter contineatur, quia si neque virtualiter contineretur, nullo pacto posset percipi ab intellectu; quicquid enim intellectus percipit, vel cognoscit, quia illud à sensu prę sentatur, vel quia per discursum elicit ex eo, quod prius cognouerat, quod non posset elicere, nisi in ipso virtualiter contineretur. Quare semper intellectus indiger aliquo determinatiuo, quod se teneat ex parte obiecti, quoad talem cognitionem determinetur, siue ea complexa sit, siue incomplexa; & ratio huius necessitatis est, quia intellectus est indetermi- Secūda ratio.

natus

natus ad hoc, vel illud cognoscendum. Altero ergo ex his duobus modis debet intellectus principijs assentiri. Non potest autem assentiri, quia per sensus repræsententur; hic enim tantum singularia repræsentat; ergo altero modo debet illis assentiri, scilicet quia per discursum ex ijs, in quibus virtualiter continentur, eorumdem cognitionem deducat. Hinc autem sequitur, quod debeat præcedere experimentalis inductio, vt intellectus acquirat cognitionem principiorum, & illis assentiat: debet enim præcedere aliquod acceptum à sensibus, in quo principia virtualiter contineantur, & quod determinet intellectum ad talem assensum; hoc autem non potest esse vnica tantum cognitio, qua propositionem vniuersalem particularizatam perci piamus: non enim propositio vniuersalis distributiua pro omnibus, & singulis continetur virtualiter in particulari tantum, sed debet contineri in pluribus, à quibus postea eliciatur vniuersalis, quia vniuersale supponit pro pluribus particularibus, in quibus solum potest per modũ vniuersalis contineri. Quare constat, quomodo necessariò debeat præcedere experientia, vt assensum principiorum eliciamus.

Satisfit ob iectioni. VI. Dices. Nonne quando primò nobis proponitur aliquod principium, illi assentimur absque aliqua alia experientia, vt si alicui proponeretur hoc principiũ; Omne totum est maius sua parte, & illud nunquam amplius audiuisset, statim absq. aliqua experientia illi assentiretur propter euidentiam terminorum? Resp. quod vel antea expertus esset in singularibus, totum esse maius sua parte, vel non expertus esset. Si id prius expertus esset, tunc, suggerente memoria talem experientiam, ex ea statim veritatem, & euidentiam principij vniuersalis deduceret, & illi assentiretur. Si vero prius non habuit experientiam, aut illius non recordatur, tunc necesse est, quod id in indiuiduis experiatur, antequam eliciat assensum, quo principio assentiatur. Neque id mirum esse debet, quia non potest assentiri, nisi habeat euidentiam terminorum propter quam assentitur; non potest antem habere hanc euidentiam, nisi ab experientia, quia sicuti vniuersale non potest concipi, vt vniuersale, nisi concipiatur, vt quid commune multis: ita etiam non potest haberi euidentia vniuersalis, nisi habeatur ex pluribus euidentijs particularibus, quibus communis sit, & à quibus desumatur.

VII. Atque hinc constat, quomodo necessaria sit experimentalis inductio ad assensum principiorum, non quidem, quia eliciat illam cognitionem, atq. illum assẽsum; qui solum elicitur ab intellectu, cum sit formaliter intellectio; sed solũ, quia cõcurrit determinando intellectum, & illum mouendo, alioquin de se indeterminatum ad talem assensum; atque exhibet veritatem obiectiuam in pluribus dispersam, quam intellectus colligat in vnicã veritatem vniuersalem; & hæc est necessitas experimentalis inductionis; quomodo enim intellectus coadunaret vniuersalem veritatẽ, nisi haberet, ex quibus illã coadunaret? Sic ergo experientia concurrit ad cognitionem principiorum, quod aliqui dicunt concurrere tanquam causam particularem, hoc est determinatam; ad differentiam intellectus, qui cum sit indeterminatus, vt assentiatur huic, vel illi principio, dicitur causa vniuersalis, vnde oportet, quod simul cum experientia conueniat, vt determinetur. Atque hæc experientia, dum causat cognitionem principiorum, causat saltem mediatè cognitionem omnium conclusionum, quæ ex principijs deducuntur, vt per se euidens est. Quõ experiẽtia necessaria sit ad assensum principiorũ.

VIII. Et ex his etiam colligitur, Quo modo philosophia, & qualibet alia facultas ab experimento causetur, non quia immediatè ab ipso accipiat esse, sed quia principia, quibus qualibet facultas innititur, dependent in sui cognitione ab experientia, & sicuti sine principijs non potest causari aliqua scientia, quia non haberemus, vnde conlusiones deduceremus certas; ita neque potest causari, aut de nouo inueniri, sine experientia, quia non possumus habere principia euidenter cognita, nisi per experientiam. Vnde in resolutione sic procedendum est, vt scientiæ, atq. facultates secundum suas conclusiones resoluantur in principia: principia autem in experientiam, tanquam in primam radicem, à qua originantur. Atque hoc vniuersaliter verum est de omnibus artibus, atque scientijs, tàm practicis, quàm speculatiuis. In quo illud adnotandum est, quod in speculatiuis scientijs sufficit experientia speculatiua; in practicis vero aliquando requiritur experientia practica, quia cum practica consistat in operatione, opus est, quod ad firmandã experiẽ- Quõ facultates ab experientia causentur.

tiam interueniat operatio, quod tunc cõtingit, quando non habemus causam rei, quam inquirimus. Vnde hoc aliud discrimen adnotandum est, quod est inter addiscentem aliquam facultatem, & inuentorem ipsius. Addiscenti enim sufficit, quod habeat experientiam principiorum, vt possit illis debitè assentiri; & si quæ conclusiones sunt, quæ non demonstrentur per causam, quantumuis enim illas præceptor tradat, atque explicet, nunquam tamen illis assentietur iuxta exigentiam facultatis, nisi moueatur ad assentiendum ab experimento, alioquin tantum fidem habebit, non autem sciet; quamuis si ex vi solius experimenti assentiatur, neque habebit perfectam scientiam, quia à posteriori procedet, & non per causam. Inuentor autem facultatis oportet, quod maiorem experientiam habeat, quia debet habere experientiam de multis conclusionibus, antequam eas per causas demonstret, quia scilicet contingit, quod per experientiam, & obseruationem earumdem veritatem percipiat, antequam causam inueniat, per quam illas demonstret; quam alioquin nunquam inueniret, nisi inuenta per experientiam veritate conclusionum.

Soluuntur rationes oppositæ, sectione præcedenti allatæ.

SECTIO IV.

Quo vera sit princip. ex sola notitia terminorũ cognosci.

I. EX solutione eorum quæ initio sect. præcedentis pro opposita sententia afferebãtur, omnis alius scrupulus eximatur, si quis circa præsentem materiam remanet. Et prima quidem ratio in opposi tum petit solutionem illius difficultatis, quomodo principia cum pendeant in cognosci ab experientia, dicantur tamen cognosci ex seipsis, & ex sola notitia, & euidentia terminorum: vt in locis ibidem citatis affirmat etiam Arist. Cui respondendũ est, quod prima principia dicũtur per per se, & non per aliud cognosci, quia in seipsis habent intrinsecam euidentiam, & non in alio; vnde seipsis mouent intellectum ad præbendum assensum, ad differentiam conclusionum, quæ non habent euidentiam in seipsis, sed in suis principijs, à quibus intellectus mouetur, vt assentiatur conclusionibus ab ijs deductis. Cognoscuntur tamen principia propter experientiam, quia euidentia illa, quam intrinsecè dicunt, est coadunata ab intellectu ex pluribus euidentijs particularibus, vt diximus sect. præcedenti, quia sicuti principium, vtpote quid vniuersale coadunatur à pluribus singularibus, ita etiam euidentia. Quocirca solum principia dicuntur cognosci per seipsa, quatenus non per aliud medium à priori demonstrantur.

II. Atque hæc est mens Arist. in ijs locis, quod totum luculenter declarauit, citato illo cap. 3. lib. 1. Poster. vbi ita inquit. *Nos autem dicimus, nec omnem scientiam esse demonstratiuam; sed eorum, quæ medijs vacant indemonstrabilem esse. Quod quidem necessarium esse patet; nam si necessarium est, quod priora sciantur, & ea, ex quibus conficitur demonstratio, statur tandem in bisce, quæ vacant medijs, hæc indemonstrabilia necesse est esse. Hoc igitur ita se habere dicimus, & non solum scientiam, sed & principium scientiæ quoddam esse asserimus, quo terminos quos cognoscimus.* Aristot. Constat ergo ex hac auctoritate, quod solum principia vult cognosci seipsis, & ex terminis, quatenus sine medio à priori demonstrante cognoscuntur. Quod etiam confirmatur ex auctoritate ibidem allata ex cap. 1. lib. 1. Topicor. nam ita ait. *Sunt quidem vera, & prima, quæ non per alia, sed per se habent fidem.* Deinde declarat quomodo per alia non habeant fidẽ, & ait. *Nõ enim oportet in disciplinaribus principijs inquirere propter quid, sed vnamquamque principiorum ipsam per se esse fidem.* Vult ergo, quod in tantum principia sint per se nota, in quantum à priori probari non possunt.

III. Secunda autem ratio continet duas partes, ad quas singillatim respondere oportet: cum ergo in priori dicitur, quod cognitio experimentalis incerta est, vtpote, quia dependet à sensibus, qui facile decipi possunt, & proinde non posse generare cognitionem certissimam, qualis est cognitio principiorum; respondetur, quod quamuis sensus decipi possunt, tamẽ potest corrigi error, vel ab alio sensu, vel ab ipso intellectu, qui prius quam sequatur cognitionem experimentalem sensitiuam rectè perpendit, an in illa interueniat aliquis error; quod si reperit certam esse, nec sensum falli, tunc illam sequitur, & ab ipsa desumit cognitionem principiorum, coadunatam ex pluribus cognitionibus particularibus. Et idem etiã Quo experimẽta, &c.

pro-

proportionaliter dicendum est de accidenti; & hoc modo ab experientia principia acquirunt certitudinem, atque euidentiam. Atque hinc etiam colligitur, quomodo certitudini, & euidentiæ principiorum non noceat, quod experientia versetur circa res fluxas, & variabiles, vt potè, quia versatur circa singularia sensibilia; nam quando intellectus colligit hanc cognitionem principiorum ex cognitionibus experimentalibus, præscindit ab illa fluxibilitate, & tantum considerat ea, quæ necessaria sunt, & quod in pluribus indiuiduis ratione naturæ communis reperit necessarium, & sic cognitio principiorum remanet certa, atque inuariabilis, quamuis in rebus variabilibus fundetur.

Qũo colligi possit propositio vniuersalis absque experiētia in oībus indiuiduis.

IV. Altera vero pars petit explicationem, quomodo fieri possit, quod colligatur propositio vniuersalis, quamuis nō sit facta in omnibus indiuiduis experientia: quod enim fiat in omnibus indiuiduis, impossibile omnino est, non solum quia actu non existunt omnia, sed etiam, quia possibilia in infinitum multiplicari possunt; vnde possibile non est, quod omnia cognoscantur; immo aliquando contingit, quod aliquid semel cognitum sufficiat ad præbendum assensum principio alicui vniuersali, cuiusmodi est illud Mathematicorum, super lineam datam posse constitui triangulum æquilaterum. Sed respondetur cum Fauello, quod duplex est experientia, Alia Formalis, alia Virtualis. Formalis est illa, qua aliquid verè, & formaliter in pluribus indiuiduis experimur. Virtualis autem est illa, qua aliquid in vno experimur formaliter, vel etiam in pluribus, in cæteris vero virtualiter, quia scilicet experientia facta in vno, aut altero æquiualet experientiæ factæ in omnibus. Atque hæc virtualis experientia, quia virtualiter complectitur omnia indiuidua, tam existentia, quam possibilia, est virtualiter vniuersalis, quantum potest esse, & continet virtualiter totam illam experientiam, quæ possibilis est. Habet autem hæc experientia huiusmodi æquiualentiam in virtute discursus, quo mediante intellectus eam extendit ad omnia indiuidua; nam percipiens aliquid in vno, aut pluribus indiuiduis, videns eamdem debere militare rationem in cæteris, propter conuenientiam, quam habent ad inuicem, concludit, quod illud, quod in vno experitur, etiam in alio experiretur, si poneretur in actu, & illi obijceretur. Quod autem aliquando sufficiat experientia in vno tantum, aliquando vero necesse sit, quod fiat in pluribus, inde prouenit, quod aliquando id, quod in vno experimur, non apparet adeò certè, & euidenter, nec intellectus inde sumit tale fundamentum, vt possit ad omnia alia indiuidua hoc ipsum extendere; quod præsertim locum habet in rebus variabilibus, & quæ continuo sunt mutationi obnoxiæ; aliquando vero ita euidenter apparet in vnoquoque indiuiduo, vt sufficiat in vnico tantum expertum fuisse. Cum igitur dicitur, quod experientia necessaria est, intelligi debet de virtuali, quæ fiat in vno indiuiduo, & extendatur ad alia, quæ simpliciter virtualis est, vel de illa quæ fit in pluribus, sed non omnibus; ad omnia tamen extenditur, quæ partim formalis est, partim virtualis.

Qñ definitiones requirant experiētiā & quando non.

V. Ad alterũ respondendum est, illas definitiones duplici modo spectari posse, vel vt sunt puræ quædã explicationes, rei definitè naturam declarantes, vel etiã considerari possunt, prout sunt quædam principia vniuersalia, quæ deseruiant ad deducendas conclusiones. Si primo modo accipiantur, tunc quia debent solum explicare naturam rei, non est opus experimento; non enim tum attenditur aliqua veritas vniuersalis, sed solum explicatio naturæ definitæ, & proinde sufficit, quod in ordine ad illam conformitatem seruet, itavt vere cum ipsa adæquetur; quod intellectus assequitur, si attendat ad solum definitum sub ea ratione, qua definitur, & ad definitionem, atque consideret an definitio rectè explicet naturã definiti. Hoc tamen pacto huiusmodi definitiones cõsideratæ non habent rationem principij complexi; principiũ enim complexum est propositio quædam vniuersalis. Quare si considerentur tanquam principia, ex quibus deduci possint cõclusiones, tũc quia dicunt propositionem distributiuam, vniuersaliter veram, indigent experimento, ratione cuius intellectus colligat vniuersalem veritatem, atq. semper in mathematicis hæc experientia præcedere debet antequam illis definitionibus, tanquã principijs cõplexis assentiamur. Ad confir. desumptã ex Arist. dico, quod per inductionẽ ibi non intelligit de experimentali, alio-

Epl tur

quia cur diceret alia etiam principia assuetudine agnosci? quomodo enim inductionem ab assuetudine contradistingueret, cum assuetudo fit quædam experimentalis inductio? quomodo etiam contradistingueret à sensu, cum nullum principiū per sensum intelligatur, nisi facta inductione, qua colligatur propositio vniuersalis? Itaq. per inductionem intelligit peculiarem quemdam modum experimentalis inductionis, prout scilicet dicit inductionem purè internam, & intellectualē; sunt enim quædam principia, quę non colliguntur per aliquam inductionem factā in rebus externis immediatè, sed solū in rebus, quæ iam habent esse abstractum, vt quod omne vniuersale sit multiplicabile; tunc enim debet fieri inductio in naturis vniuersalibus, prout iam habent esse abstractum, à suis inferioribus, atque huiusmodi principia dicuntur ab Arist. percipi inductione, hunc peculiarem modum inductionis appellans nomine generis.

Experimentalis cognitio causa partialis assensus principiorum sec. aliquos.

VI. Ad quartum denique Respondēt aliqui, quod cognitio principiorum, quāuis sit nobilissima, & euidentissima, potest tamen esse ab experimento, quia non est ab illo solo, sed est etiam à lumine intellectus, qui tribuit talem certitudinem, atque euidentiam, vnde experimentalis cognitio est veluti causa tantum partialis. Hæc tamen responsio non soluit difficultatem, nam lumen intellectus est idem respectu cuiuscunque cognitionis, siue principiorum sit, siue experimentalis, ergo non potest ex se facere, quod vna cognitio sit eminentior altera, & habeat maiorem euidentiam; Quod etiam confirm. nam in ipsis principijs primis quædam habent quamdam maiorem euidentiam; quod sanè non potest contingere ratione luminis intellectualis; quia idem omnino versatur circa omnia principia. Præterea intellectus assentitur principijs propter eorumdem euidentiam, vnde ex se, & independenter ab intellectu habent talem euidentiam, cum ipsa euidentia sit causa assensus, quem intellectus exhibet, non potest ergo causari à lumine intellectus. Vnde respōdendum est, quod quando intellectus assentitur principijs desumit euidentiam, & certitudinem ab experientia coadunando; cognitiones particulares in vniuersalem, dū autem coadunat, præscindit talem cognitionem à materia particulari, & consequenter etiam ab ijs, quæ causant imperfectionem, & dubitationem in tali cognitione, qua præcisione facta, depurata remanet illa cognitio vniuersalis, & idcirco constituitur, quantum est ex parte obiecti; eminentioris ordinis, & excellentioris certitudinis, atque euidentiæ; principia enim obiectiuè considerata euidentiora sunt, quàm cæteræ propositiones, & ideo ijs facilius intellectus assentitur.

Vera responsio.

Vnde proueniat difficultas in veritate inuenienda. Disp. IV.

Variæ Opiniones.

SECTIO I.

Difficultas inueniendæ veritatis.

I. Veritatis inuentionem difficillimam esse, experientia testatur; siquidem circa inuentionem Philosophię tot Philosophi laborauerunt, & experientias, & obseruationes adhibuerunt, & plurima tamen incerta sunt, & ea solum quibusdam coniecturis assequimur. Imo multa, quæ antea tamquam certissima habebantur, temporis processu incerta facta sunt, imo multoties falsa apparuerunt; quod præcipuè contigit in ijs, quæ fide reuelante didicimus, aut longa experientia comprobata sunt. Atque ex hac difficultate tot, tamque variæ Philosophorū opiniones originem habuerunt, qui inter se discrepantes pluribus etiam difficultatibus philosophiam obnoxiam fecerunt. Stante ergo huiusmodi difficultate, quærunt Philosophi, vnde proueniat, an videlicet ex parte nostri propter intellectū, qui corpori immersus nequeat ita facile veritatē inquirere, an vero ex parte ipsarū rerum, quæ sint difficilis cognitionis.

Antiquorū opinio. Heracl. Cratil.

II. In qua difficultate, Veteres philosophi arbitrati sunt, inter quos est Heraclitus, & Cratilus, vt colligitur ex Arist. quod tota difficultas proueniret ex rebus ipsis, vt potè, quia fluxæ sunt, atque

insta-

instabiles, & propter hanc instabilitatem rerum contingere, quod veritas indagari non possit, quia cum opus sit longa obseruatione, statim res variantur, nec amplius sunt eædem, vnde intellectus obseruatio frustratur. Atque ex eo hæc sententia confirmari solet, quod intellectus noster ad recipiendas species, quibus veritas manifestetur, se habet, velnti materia, vt etiam habetur ex Arist. 3. de anima cap. 4. sicuti ergo materia quantum est de se sine vlla difficultate recipit omnes formas, & tota difficultas prouenit ratione agentium, à quibus debent introduci; ita etiam intellectus, quantum est de se, sine vlla difficultate posset recipere omnes formas intelligibiles, nisi difficultas à rebus ipsis proueniret. Præterea intellectus noster non est in organo corporeo, quo mediante lædatur ab excellenti obiecto; quemadmodum læditur sensus, sed quo obiectum est excellentius, potius magis perficitur, non autem læditur, vt etiam docet Arist. 3. de anima tex. 8. dum ait. *At intellectus aliquo valde intelligibili intellecto, non minus sanè, sed magis percipit, intelligitq; inferiora; sensitiuum enim non est sine corpore, at intellectus ab eo separabilis.* Quare tota difficultas prouenit ab ipsis rebus, quę natura sua parū intelligibiles sunt.

Aristot.

Aristot.

Opinio Scotistarum.

III. Sententiam autem omninò oppositam tradunt Scotistæ: videlicet totam difficultatem, quam experimur in cognitione rerum, prouenire ex sola intellectus nostri imperfectione, quia res sunt maximè cognoscibiles, intellectus vero noster propter imbecillitatem suā, nequit eas cognoscere. Atque ita docent. Scot. initio secundi libri Metaph. Anton. Andreas ibid quæst. 2. Trombeta ibid. atque alij. Et fundant suam sententiam in eo, quod si difficultas proueniret ex parte rerum, quia essent difficilis cognitionis, essent tales respectu cuiuscumque intellectus, quod tamen est falsum, cum respectu intellectus diuini nulla res sit difficilis cognitionis. Præterea cum vnaquæque res sit per se cognoscibilis, non potest esse difficilè cognoscibilis, quod enim per se est tale, non potest esse difficile tale, sic quia color est per se visibilis, non est difficile visibilis, atque hæc sententia desumitur etiam ex Alberto Magno 2. Metaph. trac. 1. cap. 2.

Scotus. Anton. Andr. Trōbet.

Albert. Magnus

Tertia opinio media via procedens.

IV. Tertia sententia media via procedit, atque asserit, quod difficultas, quæ est in cognoscendis rebus partim prouenit ab intellectu nostro, partim à rebus ipsis. prouenit ab intellectu nostro respectu rerum immaterialium, quæ cum sint maximè cognoscibiles respectu imbecillitatis intellectus nequeunt facilè cognosci. respectu vero rerum materialium prouenit difficultas ab ipsis, quia aliquæ non sunt adeo cognoscibiles. Ita tenent Auer. & Alexander 2. Metaph. tex. 1. D. Thom. ibid. lect. 1. Iandun. quęst. 3. Ianel. quęst. 2. Snessan. disp. 2. cap. 4. Aquar. quæst. 2. atque alij complures. Fundant autem hanc suam sententiam in eo, quod cognoscibilitas est passio entis, non quomodocunque considerati, sed entis in actu, vnde quæ habent esse deficiens, & imperfectum, & minimum habent de actu, sunt parum cognoscibilia, vt est materia prima; cum autem aliqua entia sint maximè in actu, & perfecta, sunt nobis difficillima ad cognoscendum propter perfectionem. Præterea confirmant, quoniam res materiales habent minimum lucis, ideò difficile cognoscuntur, quemadmodum colores parum illuminati difficilè visu percipiuntur. Rursus sicuti, quæ sunt exiguæ molis, difficilè cernuntur ob paruitatem, ita etiam quæ sunt exiguæ entitatis, cum sit eadem proportio. Atq; hanc sententiam sequitur etiam Fonseca 2. Metaph. cap. 1. quæst. 1. sect. 3. quā uis difficultatem cognoscendi velit ab obiectis principaliter prouenire.

Auer. Alexād. D. Thō. Iandun. Ianel. Snessan. Aquar.

Fonseca

Prima, & tertia sententia reijcitur.

SECTIO II.

I. PRima sententia ab omnibus reijcitur, & est iam antiquata, quia non potest variabilitas illa, quam in rebus cernimus tollere, quin possint cognosci, quia imprimis hæc variabilitas non est in rebus omnibus, sed solum in sublunaribus, vnde si sublunares propter hanc fluxibilitatem essent difficilè cognoscibiles, res stabiles, vt Deus, atque intelligentiæ, quia sunt maximè stabiles facillimè cognoscerentur, quod tamen opposito modo se habet, quod satis conuincit difficultatem in cognoscendo non prouenire à rerum fluxibilitate. Quod etiam potest confir. nam quædam, quæ variabilia sunt, facillimè cognoscimus, vt sunt illa, quæ obuia sunt sensibus, ergo non potest à variabilitate prouenire difficul-

Variabilitas rerum nō causat difficultatē in cognoscendo.

tas

tas in cognoſcendo. Præterea quamuis res continuè varientur, tamen ſuccedunt etiam aliæ eiuſdem rationis, vnde hoc obſtare non poteſt, quin intellectus poſſit continuare ſuam obſeruationem, & elicere veritatem. Et quod penitus hanc ſententiam euertit eſt, quod res fluunt, & variantur ſecundum exiſtentiam tantum, non autem ſecundum eſſentiam, ſcientiæ autem non verſantur circa exiſtentiam, ſed circa eſſentiam, quæ cum eadem ſemper perſeueret, quomodo ex variabilitate res difficile cognoſceutur, cum nihil variabilitas ad obiectum ſcientiæ pertineat?

Reiicitur tertia opinio.

II. Tertia vero ſententia, quamuis graues auctores habeat, & probabilis videatur, ſi attentè tamen conſideretur, nullo firmo fundamento inniti reperiemus. Inquit enim, quod res ratione minimè entitatis redditur difficilis, vt cognoſcatur, quia parum participat de ente in actu, vnde quo minus res de actuali entitate participāt, eò difficiliores cognitū redduntur reſpectu noſtri intellectus, ergo quo magis de actuali entitate participabunt, eò facilius erunt reſpectu eiuſdem noſtri intellectus cognoſcibiles, quod tamen experimur falſum eſſe, ſi quidem, vt aſſerunt auctores eiuſdem ſententiæ, Deus, & intelligentiæ, quæ ſunt maximè in actu, difficillimè cognſcuntur. Conſeq. declaratur, & confirmatur. Quoniam ſi exigua participatio de ente actuali non quomodocumque res reddit difficilis cognitionis, ſed reſpectu intellectus noſtri, & quò minus de tali eſſe participant, eò difficiliores redduntur, debent reſpectu eiuſdem intellectus reddi facilioris cognitionis, quò magis de actu participant, quando enim ab vno oppoſito habetur aliquis effectus, debet ab altero oppoſito haberi etiam oppoſitum illius effectus, ſic quia albedo diſgregat viſum, nigredo congregat: vnde ſi minimum eſſe reddit res noſtro intellectui difficilè cognoſcibiles, maximum eſſe reddet facilè cognoſcibiles. Confir. minima participatio entitatis eſt receſſus à facilitate cognitionis reſpectu noſtri intellectus; ergo maxima participatio debet eſſe acceſſus ad facilitatem cognitionis, ſi quidem maxima, & minima participatio opponuntur, cum negatione, & per minimam participationem recedit à facilitate.

III. Rurſus quod eſt cauſa, cur res difficilè cognoſcantur, non poteſt cauſa, cur res facilè cognoſcantur ab eodem intellectu, quia idem in quantum idem, non poteſt eſſe cauſa oppoſitorū; & ſimiliter, quod eſt cauſa, cur res facilè cognoſcantur, non poteſt eſſe cauſa, cur difficilè cognoſcantur; Hoc autem in allata ſententia deberet admitti, nam quod res maximè participent de eſſe actuali, eſt cauſa, quod res non facilè poſſint cognoſci, quippe ſunt ſupra imbecillitatem noſtri intellectus, qui inſtāte eius imbecillitate, propter nimium earum lumen, nequit eas attingere, vt ipſi dicunt, vnde nō ſolum hoc prouenit ex imbecillitate intellectus; ſed etiam ex exceſſu ipſarum rerum, quo facultatem intellectiuam humani intellectus excedunt. vnde ſi remoueretur iſte exceſſus, facilè intelligentur, quia remoueretur impedimentum propter quod difficilè cognoſcebantur. quia parum participabant de eſſe actuali, vnde quando multum de illo participant, remouentur ab eo, quod reddebat cognitionem difficilem.

Idē non pōt eſſe cauſa facilis, & difficilis cognitionis.

IV. Tertio difficilem reddit illam ſententiam, quod inquit eſſe actuale reddere rem cognoſcibilem. Quæro enim quid per hoc eſſe actuale intelligant; vel enim intelligunt eſſe exiſtentiæ, & hoc eſt manifeſtè falſum, quia nedum exiſtentia intelliguntur, ſed etiam poſſibilia imo ſcientiæ, atque prima principia, quæ ſunt maxime nota, ſunt de rebus vniuerſalibus, & quæ abſtrahunt ab exiſtentia. Si vero per eſſe actuale intelligunt eſſe, prout contradiſtinguitur à potentia, & quo res accedit ad purum actum, ita vt excludat à ſe potentialitatem, quemadmodum ſunt angeli, qui ſolum ſunt actus, tunc materia prima, quæ in hoc ſenſu eſt pura potentia, nullo pacto poterit intelligi, quia nihil participabit de actu; Si vero per eſſe actuale intelligunt illud eſſe, ſecundum quod res poteſt poni in actu; tunc vnaquæque res habet ſuum propriū eſſe, quo æquè poteſt poni in actu, ac quælibet alia, nec vna hoc pacto magis, quā altera participat de eſſe actuali, quia vnaquæq; participat perfectè totum id, quod requiritur ad hoc, vt ponatur in eſſe. Denique ſi per participare magis, vel minus de eſſe actuali intelligunt participare eſſe magis, vel minus perfectum, hoc non rectè dicitur, nam multoties cōtingit quod aliqua ſeruata proportione eſſe æque perfectum, habēt & tamen vnum fit faci-

Tertia [illegible] ratio.

le cognoscibile alterum vero difficile.

V. Confir. Ex eo, quod aliqua res minui tur in perfectione, nõ minuitur in intelligibilitate, neq. ex eo, quod crescit in perfectione crescit in intelligibilitate, seu ex eo, quod res magis participat de esse actuali, non crescit eius intelligibilitas neque ex eo, quod minus participat, minuitur intelligibilitas, ergo non rectè ex maiori, vel minori perfectione, seu esse actuali, debet res, quantum est de se, reddi facilis, vel difficilis secundum cognitionem. Antecedens prob. intelligibilitas consequitur ab esse intrinseco rei, tamquam passio ipsius, & correspondet cuicunque formalitati, ex eo, quod talis formalitas ens est: vnde quando superadditur aliqua formalitas quæ importet aliquam maiorem perfectionem, aliæ formalitates, quæ præsupponebantur, non redduntur magis cognoscibiles, quia non variantur secundum suum esse intrinsecè, sed solum adhuc fiunt cognoscibiles secundum illam maiorem perfectionem, quæ superadditur, quia quælibet perfectio est per se intelligibilis, ergo ex maiori, vel minori perfectione non licet inferre, quod res sit magis, vel minus intelligibilis. Confeq. etiam probatur. Quoniam si perfectio maior non ponit maiorem cognoscibilitatem, neque etiam reddet rem facilius cognoscibilem. Quod rursus potest declarari. Sumatur aliqua res perfecta, & aliqua imperfecta, quę tamen conueniant saltem in natura generica, ita vt vna difficile cognoscatur, altera vero facile, certè si valeret ratio illa, quod secundum perfectionem rei mutaretur etiam eiusdem cognoscibilitas, seu facilitas cognitionis, deberent res illæ tantum secundum quid esse æquè facile cognoscibiles, hoc est secundum rationem genericam, quia secũdum quid sunt eiusdem perfectionis, & solum secundum aliquam partem sui esse vna est perfectior altera, & tamen experimur, quod secundum se totam vna est difficile cognoscibilis, altera facilè, ergo res non fiunt facile, vel difficile cognoscibiles ex eo, quod habeant maiorem, vel minorem perfectionem.

Maior, & minor perfectio non auget neq; minuit intelligibilitaté rei.

Quarta impugnatio.

VI. Quarto etiam difficilem reddit eamdem sententiam. Quod inquiant, rem ex eo, quod est perfectissima, participare multum de intelligibilitate, & tamen difficile cognosci propter debilitatem intellectus, rursum etiam quando habet parum de perfectione, & consequenter etiam de intelligibilitate. Hoc tamen non rectè dicitur, quia imprimis hinc sequeretur, quod res quò minus participet de intelligibilitate facilius intelligeretur, quia tolleretur improportio illa, quæ prouenit ratione excessus in intelligibilitate. Quod si respondeant requiri mediocritatem cognoscibilitatis. Contra, quia inquiro, an hęc mediocritas sit necessaria propter facilitatem cognitionis, quia dicat perfectionem illam cognoscibilitatis, seu accessum ad summam intelligibitatem, vel quia dicat recessum ab eadem. Si reddit rem facile cognoscibilem, quia dicit accessum, ergo quò magis accedet, reddetur magis cognoscibilis respectu eiusdem nostri intellectus, & acquiret maiorem facilitatem cognoscibilitatis. ex illo communi axiomate, quod sicuti se habet simpliciter, ex magis sequetur magis. Si vero facilè intelligitur ex eo, quod recedit à summa cognoscibilitate, quò magis recedet propter eamdem rationem eò facilius etiam cognoscetur.

VII. Deinde non rectè dicitur, quod propter perfectionem suam, & magnam cognoscibilitatem res difficilius ab intellectu nostro cognoscatur, intellectus enim noster est cognoscitiuus, igitur quò res est magis cognoscibilis, eò facilius etiam cognosceretur; quando enim debet sequi aliqua actio, quò magis perfecta sunt illa, quæ concurrunt ad illam actionem eo etiam facilius sequitur actio, sic debilis ignis, quamuis per se possit parum comburere, si aliquid maximè combustibile applicetur, facilius comburet, & eadem inductio potest fieri in cęteris, ergo tantum abest, quod maxima cognoscibilitas, quantum est de se, reddat cognitionem difficilem, quod etiam illam valde adiuuet. Neque dici potest quod intellectus lædatur à maxima cognoscibilitate obiecti, & eius lumine, quemadmodum vespertiliones à lumine diei, & proindè difficile, res maximè cognoscibiles attingat, vt dicit Arist. tex. 1. lib. 2. Metaph. & explicant auctores tertiæ sententiæ, quia intellectus non patitur ab intelligibili, & quò excellentius est intelligibile, eò promptior redditur ad intelligendum, vt etiam docet Arist. 3. de anima tex. 8. relatus sect. præcedenti n. 3. quia sicuti oculus à magno lumine lęditur quia est organicus, ita intellectus

Quo res est magis cognosci. bilis eò facilius cognoscitur.

Intellectus nõ læditur ab excellenti intelligibili.

non læditur ab excellenti obiecto, quia est inorganicus. Atque Arist. cum illa similitudine non intendit, quod intellectus lædatur ab excellenti sensibili, sed solum vult ostendere, quod intellectus res excellentes intelligit cum difficultate, ad quas veluti caligat, quemadmodum vespertilionum oculi caligant ad lumē diei; non autem vult, quod contingat idem in nobis ob eamdem causam; in vespertilionibus enim hoc contingit, quia à magno lumine læduntur; in nobis vero, quia res illę excellentes sunt valdè remotæ à nostris sensibus, vt dicemus sect. sequenti; vndè idem proportionaliter sequitur ex diuersis causis.

Explicatur Arist.

VIII. Atque ex his, quæ diximus, corruit fundamentum huius tertiæ sententiæ, vt enim in eius confutatione modo diximus, ex eo, quod aliquid magis, vel minus participet de esse actuali, non redditur res facilè, vel difficilè cognoscibilis, quia vnumquodque est per se cognoscibile, quamtum cognosci potest, siue parum, siue multum participet de esse actuali, & ex eo, quod res sit magis perfecta, sequitur tantum, quod sit secundum maiorem perfectionem cognoscibilis nō autem, quantum est de se, quod facilius, vel difficilius cognoscatur, vt magis explicabimus sect. sequenti. Illa autem exempla, quæ ibidem afferuntur parum faciunt ad propositum. Nàm cum dicitur, quod res materiales habent minimum luminis, & ideò difficilè cognoscuntur, sicuti difficilè videntur colores minus illuminati, nescio quid intelligant per hoc lumen, vt enim res sit cognoscibilis, non requiritur aliquod lumen superadditum, sed intrinsecè in sua entitate imbibit cognoscibilitatem, quæ solum metaphoricè potest dici lumen; cum tamen non intendatur, & remittatur, sicuti lumen, non potest dici, quod res habeat minimum luminis. Deindè quid potest concludere argumentum à metaphora desumptum? Alterum etiam exemplum, quod sicuti res minimæ entitatis difficilè cognoscuntur, nihil concludit, quoniam visio requirit obiectum, quod possit immittere species ad oculum, parua autem moles, præsertim in aliqua distantia, cum sit debilis in emittenda specie intentionali, aut non pertingit ad oculum, aut pertingit cum specie debili, quæ parum potest oculum mouere. Hoc autem non contingit in rebus, quæ sunt imperfecti esse, quia non per hoc sunt imperfectę ad mouendum intellectum, vt constat enim in rebus visibilibus, quæ siue perfectæ sint, siue minus perfectæ, dummodo sint æqualis molis, & intensionis, æquè perfectè mouent potentiam visiuam.

Satisfit rationi in oppositum.

Res est intellectè cognoscibilis.

Secunda sententia congruenter exposita adprobatur.

SECTIO III.

I. INter relatas sententias secunda magis probabilis mihi videtur, quam tenendam puto, si tamen cum quadam moderatione explicetur congruenter. Pro quo declarandum imprimis est, quid sit facilè, & quid difficilè intelligi; non enim difficilè intelligi importat quamdā resistentiam, aut contrarietatem, quæ sit inter obiectum, & intellectum; quia neque intellectus habet resistentiam ad intelligendum, neque obiectum ad intelligi. Sed sicuti intellectio consistit in quadam adæquatione, qua intellectus cum obiecto adæquetur propter similitudinem repræsentiuam obiecti, quam intellectus promit; ità difficultas, & facilitas in cognoscendo consistit in eo, quod possit intellectus facilè, vel difficilè hanc similitudinem repręsentatiuam obiecti exprimere; quia autem intellectus statim ac completè est constitutus in actu primo, sine vlla difficultate potest exire in actū, quia est agens naturale, quod in operando nullam patitur difficultatem, ideò tota facilitas, vel difficultas consistit in eo, quod intellectus facilè, vel difficilè compleatur, & determinetur in ordine ad cognitionem; quod cum fiat per speciem impressam, sequitur, quod tota facilitas, vel difficultas cognitionis consistat in facilitate, vel difficultate acquirendi huiusmodi speciem impressam, aut si quod est aliud, quod loco illius deseruiat, vt cum res per alienas species intelliguntur.

Quid sit facilè, & quid difficilè cognosci.

II. Præterea, hæc facilitas, vel difficultas cognitionis potest considerari simpliciter, vel ex aliqua suppositione; plurimum enim interest vtronam ex his modis consideretur. Si enim consideratur simpliciter, debet imprimis esse simpliciter talis, itavt vniuersaliter verificetur, quod enim est simpliciter tale, semper est tale in comparatione cuiuscunque; nec modo est tale, modo non; atque id

Facilitas & difficultas cognitionis alia simpliciter, alia ex suppositione.

ipsi

ipsi conuenit ex se, & ab intrinseco, & non ex aliqua suppositione extrinseca. Si verò consideretur ex aliqua suppositione, tunc opposito modo se habet, nam neq. illi conuenit ex vi suæ naturæ, neq. vniuersaliter, & quocũq. modo consideretur, sed solum stante aliquo, quod potest nõ esse, nempe illo, quod supponitur. In præsenti ergo materia facilitas, & difficultas cognitionis ex suppositione dependebit ex tali modo imperfecto cognoscendi, quem habet intellectus pro hoc statu, quo supposito quæ.i potest, vnde proueniat difficultas, & facilitas in cognoscendo.

Prima Conclusio.

III. His igitur præsuppositis dicendum est primo. Si facilitas, & difficultas cognitionis simpliciter consideretur, res omnes esse æque facilè cognoscibiles, nec ab illis prouenire difficultatem in cognoscendo. Hoc autem sic probatur, & declaratur. Facilitas, & difficultas cognitionis in eo consistit, quod res possit determinare facilè, vel difficilè intellectum per speciem impressam, ad sui cognitionem; quocumque autem modo id fiat, cum res sint ex natura sua cognoscibiles ab intellectu, debuit natura prouidere de medio proportionato vnicuique, quo determinaret intellectũ; loquendo tamen de ijs rebus, quæ sunt naturaliter cognoscibiles. Cum ergo vnaquæquè res naturaliter cognoscibilis habeat suum medium proportionatum, quo innotescat intellectui eo modo, quo potest, & exigit, quantum est de se innotescere, sequitur, quod res omnes sint æquè facilè cognoscibiles, quantum est de se, & quod si aliquæ sunt difficilè cognoscibiles, aliunde proueniat, quam ab ipsis rebus. Quod etiam potest confirm. Nam si aliqua res esset ex se difficilè cognoscibilis, deberet assignari aliquid ex parte ipsius, quo redderetur difficilè cognoscibilis; hoc autem non potest esse, quia non habeat medium sufficiens, quantum est de se, vt innotescat alioquin natura defecisset, nisi vnicuique prouidisset de medio, quod vndequaque sufficiens esset, vt debito modo innotesceret, & iuxta suam exigentiam. Nec etiam potest assignari, quod res ex se sit parum intelligibilis; quia habet totam illam intelligibilitatem, cuius est capax. Nec potest dici, quod sit exigua intelligibilitas, quia imprimis non potest explicari, in quo consistat huiusmodi exiguitas. Deinde quicquid sit de hac exiguitate, ex hoc tantum sequeretur, quod res exiguè intelligeretur, non autem cum difficultate: quia haberet medium proportionatum suæ illi exiguæ intelligibilitati, quod illam æquè facilè faceret innotescere, ac aliud medium faceret innotescere rem maximè intelligibilem.

Res oẽs naturaliter cognoscibiles habeant mediũ quo innotescant.

Vnumquodq. ens cõmensuratur cũ intellectu in ratione intelligibilis.

IV. Quod potest rursus declarari, & confirmari. Vnumquodque ens intrinsecè inuoluit talem correspondentiam cum intellectu, vt sit ordinatum, vt possit ab ipso intelligi, & proinde habet cum ipso quamdam proportionem, atque commensurationem, quà ita proportionatur, & commensuratur, vt fit iuxta exigentiam potentiæ intellectiuæ: per hanc enim commensurationem constituitur in esse obiecti, quæ si auferatur, tollitur etiam, quod sit amplius obiectum. Ex quo sequitur, quod obiectum, quantum est ex vi sui esse intrinseci, nullam possit habere difficultatem ad cognosci; quia tunc haberet, quando deficeret debita commensuratio, stante autem hac commensuratione, quæ omnino necessaria est, habet quicquid exigitur, vt possit percipi ab intellectu, cum autem ex se habeat quicquid necessarium est, vt possit intelligi, vnde quæso potest habere difficultatem ad cognosci? oporteret enim, quod huiusmodi difficultas proueniret ex defectu alicuius, quod necessarium esset ex parte obiecti. Sed neque potest prouenire ex defectu medij, quo intellectus determinetur, quia de hoc necessario natura prouidit, quantum est ex parte rerum, dum eas ordinauit, vt intelligerentur, vt supra modo dicebamus. Quo si ratione alicuius impedimenti hoc medium non fortitur suum effectum, hoc non ponit difficultatem ex parte ipsarum rerum, nec facit, quod ipsæ difficilè sint cognoscibiles.

Si res essent ex se difficilè cognoscibiles, respectu cuiuscunque intellect. essent tales.

V. Tertio, vrgeri potest argumentum Scoti, nimirum. Quod si res ex se essent difficilè cognoscibiles, respectu cuiuscunque intellectus essent tales, quod tamen est falsum, cum respectu intellectus non solum diuini, sed etiam angelici æquè facilè omnes cognoscantur. Et quamuis auctores oppositæ sententiæ arguant hanc rationem tamquam vitiosam; si tamen attentè consideretur, habet magnam efficaciam, nam quod alicui conuenit ex se, seu ex vi pro-

prij esse debet semper conuenire; quia illi conuenit simpliciter, quod si semel non conuenit, signum est, quod non conuenit simpliciter, nec ex se, sed solum ex aliqua suppositione, vt dicemus, & proinde hæc difficultas cognoscendi non radicatur in rebus ipsis, sed potius in eo, cuius suppositione redduntur difficilis cognitionis.

Responsio Fonsecæ.

VI. Occurrunt tamen præsertim Fonseca citata quæst. 1. cap. 1. lib. 2. Metaphysic. sect. 4. Quod aliud est res esse per se difficiles ad cognosci, aliud autem esse ex se difficilis cognitionis. Si primo modo illis conueniret difficultas cognitionis, certè respectu cuiuscunque intellectus deberent esse tales; quia difficultas conueniret tanquam proprietas. Sed solum secundo modo sunt difficilè cognoscibiles, quod nihil aliud est, nisi quod ex earum natura proueniat, quod non possint facile cognosci, nisi ab intellectu perfecto. Sic mortuus ex natura sua est difficile resuscitabilis, & tamen sine difficultate à Deo resuscitatur, lignum viride ex natura sua est difficilè combustibile; & tamen à magno igne potest facile comburi. Cœterum hæc responsio nullam habet probabilitatem. Et potest primò reijci. Quoniam in præsenti materia loquendo de facilitate, vel difficultate cognitionis, idem est conuenire ex se, seu ex natura, ac conuenire per se, si ergo quod conuenit per se, vt concedit Fonseca, debet conuenire respectu cuiuscunque intellectus, etiam debet conuenire quicquid conuenit ex se. Assumptum autem ostenditur. Nam quod conuenit alicui tanquam imbibitum in proprio esse, non solum entitatiuè considerato, sed etiam essentialiter, conuenit per se, nam vel est constitutiuum essentiæ, vel passio aliqua metapyhsica, & est omnino inseparabile, sed quod res sit facilè, vel difficilè cognoscibilis, habet ex proprio esse, ita vt in ipso imbibatur, non enim habet ratione alicuius superadditi, nam præciso quocumque adhuc sicuti res est intelligibilis, ita etiam facilè, vel difficilè, ergo per se conuenit esse facilè, vel difficilè intelligibilis, cum illi conueniat, tanquam quid imbibitum in proprio esse essentiali.

Reijcitur allata responsio.

VII. Atque hoc confir. ex ijs, quæ ipsi dicunt: asserunt enim, quod aliqua entia difficilè intelliguntur, quia valde perfecta sunt, & participant plurimum de esse actuali; aliqua vero, quia imperfecta sunt, & parum participant de esse actuali, ex hoc autem sequitur, quod sicuti habere esse perfectum, vel imperfectum conuenit illis per se, si quidem conuenit ex vi proprij esse formaliter: ita etiam conueniat per se facilè, vel difficilè intelligi. Rursus, quod alicui conuenit ex se, atque ex natura sua, non illi conuenit propter aliud extrinsecum, aut quod illi ab extrinseco adueniat, sed conuenit ab intrinseco suo, atque ex vi sui esse, præsertim quando illi conuenit præciso quocunque alio ab ipso distincto: quod autem alicui conuenit ab intrinseco præciso quocumque alio, quod non spectat ad esse illius, conuenit per se: non enim conuenit per accidens: omne autem quod conuenit per accidens, non conuenit per se.

Secunda impugnatio.

VIII. Secundo reijcitur eadem respon sio; eo modo debet rebus conuenire intelligibilitas, ac facilitas, seu difficultas in cognosci: nam facilitas in cognosci, vel difficultas est modus quidam qualificans rei cognoscibilitatem, atque in ipsa intrinsece imbibitus. Quod enim res facilè, vel difficilè cognoscatur, non aliunde prouenit, quam ex qualitate cognoscibilitatis, quam habet: & à quo prouenit, vt cognoscatur, prouenit etiam, quod tali, vel tali pacto cognoscatur, hoc est facile, vel difficilè: modus enim cognitionis commensuratur rei cognoscibilitati. Sed cognoscibilitas conuenit obiecto ab intrinseco, & per se, & respectu entis se habet tanquam propria passio metaphysica cū ipso identificata, ergo etiam facilitas, vel difficultas cognoscibilitatis illi conuenit per se. Quod præsertim confirmatur, quoniam, neque etiam mente possumus præscindere facilitatem, vel difficultatem ab ipsa cognoscibilitate; quod si alio modo conueniret cognoscibilitas, ac conueniret facilitas, possemus vnam absque alia cognoscere, nec ita intrinsecè, tanquā modus ipsius, facilitas, vel difficultas imbiberetur in ipsa cognoscibilitate.

Tertia impugnatio

IX. Tertio impugnatur, non potest aliquod ens ex natura sua esse difficilè intelligibile respectu cuiuscunque intellectus, nisi ex se habeat aliquid, per quod reddatur difficilè cognoscibile tanquam per aliquam rationem formalem ponentem talem difficultatem, cum nequeat haberi aliquis effectus formalis sine causa formali sibi proportionata, difficultas autem

cogno-

cognoscibilitatis non potest fundari nisi in aliqua imperfectione obiecti, & importare aliquem defectum, nimirum qui tollat aliquid de cognoscibilitate, ergo respectu cuiuscunque intellectus habebit eamdem difficultatem, siquidem est idem obiectum, quod comparatum cum quocumque intellectu habet semper eamdem imperfectionem, & eumdem defectum cognoscibilitatis. Quod potest adhuc cõfirmari. Vel quæ sunt difficile cognoscibilia, participant aliquam rationem, quæ sit formaliter, & vt quo ratio huius difficultatis, seu huius difficilis cognitionis; Vel non habent. Si adest ista ratio, cum formaliter, & vt quo sit talis respectu cuiuscumque intellectus reddet rem difficile cognoscibilem, quia reddet illam simpliciter talem independenter à quocunque extrinseco; Si vero non adest talis ratio, ergo res non est difficile cognoscibilis, quia non habet rationem formalem per quam reddatur talis. Denique nõ percipio, quomodo quod ex natura sua, & ex se tale, non sit tale respectu cuiuscũque, cum sit simpliciter tale, & ex nulla suppositione.

Expenduntur exẽpla in eadẽ respon sione al lata.

X. Neque illa exempla aliquid iuuant responsionem allatam. Nam resuscitatio mortuorum respectu creaturæ non est difficilis, sed simpliciter impossibilis, respectu vero Dei non est difficilis, sed facilis, quia solus est, qui possit tales effectus præstare; vnde non sequitur, quod aliquid ex natura sua sit facile vni, & difficile alteri. Addo, quod cum resuscitatio mortuorũ sit simpliciter possibilis, nullo pacto potest dici difficilis, nisi forte difficile sumatur, prout dicit magnitudinem operis, & raritatem, non enim habet aliquam resistentiam, aut aliam difficultatem respectu virtutis proportionatæ. Lignum vero viride, quia ratione qualitatum resistentium resistit igni, ideò dicitur difficilis combustionis; hanc tamen difficultatem habet tam respectu debilis ignis, quam respectu fortis; quod si facilius à forti comburitur, ideò est, quia propter suam maximam actiuitatem facilius superat resistentiam, atque difficultatem: in rebus tamen cognoscibilibus non adest resistentia aliqua ad cognosci, ex qua proueniat difficultas, sed inde prouenit, quia intellectus non potest ita facile moueri. Quin ex hoc exemplo confirmatur nostra conclusio, nam quia lignum viride difficile comburitur ex eius dispositionibus, retinet hanc difficultatem respectu cuiuscunque ignis: ergo etiam, si aliquæ res ex se difficile cognoscerentur, essent tales respectu cuiuscunque intellectus: siue perfectus, siue minus perfectus sit.

Tertia ratio.

XI. Tertio principaliter probatur nostra conclusio: Ad cognoscendam radicem, ex qua aliquid proueniat, optima via est, videre, cum quonam habeat connexionem, ab illo enim originatur, cum quo ita connectitur, vt eo posito ponatur & ipsum, & eo ablato auferatur: sic risibilitas radicatur in rationalitate, & discursiuitate, quia his positis ponitur & risibilitas, & ablatis aufertur. Quando vero contingit id, cuius radicem quærimus, mutari, nulla facta mutatione in alio, de qua dubitatur, an sit radix illius, tunc procul dubio non est radix illius; quia, nisi fiat mutatio in radice, non potest fieri in eo, quod sequitur ab ipsa, præsertim si mutatio sit secundum magis, & minus. Modo si res comparentur ad intellectum nostrum, aliquæ difficilè cognoscuntur: aliquæ vero facilè: si comparentur verò ad intellectum angelicum saltem omnes illæ, quæ sunt intra ordinem naturæ, facilè cognoscuntur, & illæ, quæ ab intellectu humano difficilè cognoscuntur, ab angelico facillimè percipiuntur; non fit autem aliqua mutatio in rebus, quia eædem sunt omnino respectu vtriusque intellectus, solum fit mutatio intellectus; quia vnus est perfectior, alter imperfectior: ergo difficultas in cognoscendo non prouenit ab obiectis, sed ab ipso intellectu, cum iuxta mutationem intellectus ipsa quoque mutetur.

Quarta ratio.

XII. Quarto argumentor. Res omnes participant eamdem rationem formalem obiectiuam, ergo res omnes sunt æque facilè cognoscibiles, quantũ est de se. Antecedens certum est, quoniam vnaquæq. potentia habet suam propriam rationem obiectiuam, cum qua adæquatur, per quã res constituuntur, vt sint obiectum talis potentiæ, quam nisi participent, fieri non potest, quod ab ea potentia attingantur, & quia potentia specificatur à tali ratione obiectiua, ideò si potentia est vna, atque eadem, etiam ratio obiectiua debet esse vna, atque eadem, quam res omnes illæ participẽt, quę sub eiusdẽ obiecto cõprehẽdũtur. Quod vero spectat ad

consequentiæ autem uis in eo consistit, quod quamuis diuersæ res, atque rationes, quarum vna est perfectior altera substernantur huic rationi formali obiectiuæ, non ex se tamen habent cognoscibilitatem, sed totam participant à ratione formali obiectiua, quia sicuti hæc trahit res intra obiectum intellectus, ita etiam illis tribuit, vt quo, cognoscibilitatem, itavt ipsa respectu intellectus sit ratio formalis cognoscibilitatis, est enim ratio secundum quam obiectum formaliter attingitur. Cum ergo res ab hac ratione formali obiectiua habeant, quod sint cognoscibiles, penes eamdem debet attendi cognoscibilitas, & erit eadem in omnibus, & cum consistat in indiuisibili, sicuti qualibet alia ratio formalis, debet indiuisibili modo, & secundum se totam à quacumque re participari, & sola diuersitas erit secundum esse materiale, quod tali rationi substernitur; ergo cum cognoscibilitas attendatur tantum penes rationem formalem obiectiuam, & hæc sit vna & eadem indiuisibiliter in omnibus, sequitur, quod res omnes debeant æquè faciles esse ad cognosci, quantum est de se, & quod non ex ipsis, sed aliunde difficultas proueniat.

Secūda conclusio difficultas cognitionis tota ex nobis est.

XIII. Secundo dicendum est. Difficultatem in cognoscendo radicari totam in nostro intellectu. Hoc dictum sequitur ex præcedenti, quia si non prouenit ex rebus consequens est, quod proueniat ab intellectu nostro propter imperfectum modum cognoscendi, quem habet. Atque hanc existimo esse sententiam Arist. nam cum tex. 1. lib. 2. Metaphis. dixisset, quod speculatio veritatis partim difficilis est, partim facilis; inquirens causam subdit. *Cum vero difficultas duobus fit modis, fortassis causa eius non rebus, sed nobis ipsis inest*. Hoc est cum difficultas in cognoscēdo ex duplici capite oriri possit non ex rebus, sed ex nobis oritur, ita enim intelligi debet, non quod de facto duobus modis contingat, nā non dixisset; quod potius est in nobis, quam in rebus, quia esset tum in nobis, tum in rebus.

Aristot.

Qūo difficultas cognitionis ex imperfecto modo cognoscendi nostri intellect⁹ fit.

XIV. Vt autem huius dicti rationem assignemus supponi debet, quod intellectus manuducitur à sensibus ad inquirendam veritatem, itavt ex se primo nihil possit cognoscere; sed opus sit, quod medio sensu percipiat, quatenus scilicet saltem virtualiter perceptum fuerit à sensu; atq; hic est proprius modus cognoscendi nostri intellectus pro hoc statu. Ex hoc autem modo oritur tota difficultas, quam experimur in inquisitione veritatis; quia cum plurimæ sint res, quæ longè remotæ sunt à sensibus, itavt ex ijs, quę sensibus subijciuntur difficilè sit aliquid colligere consurgit difficultas illa cognitionis, quā supra explicauimus, quæ in eo consistit, quod intellectus difficilè determinari possit ad horum cognitionem, quia ex ijs, quæ sensus percipit, non potest ita facilè per discursum assurgere in eorum cognitionem, quia vt diximus, remotæ sunt à sensibus, & occultam vnionem habent cum ijs, quæ sensibus obijciuntur. Quod si posset intellectus independenter à sensu cognoscere ea, quæ difficilè cognoscit, cum facilitate perciperet, vt contingit in angelis. Atque hanc esse veram radicem totius difficultatis inde colligitur, quod vniuersalis est, & militat tam pro ijs quæ perfecta sunt, quam pro ijs, quæ imperfecta sunt, si quidem vtraque longe remota sunt à sensibus, & propter hanc remotionem fit, quod intellectus dum habet talem modum cognoscendi imperfectum, nequeat illa attingere, & sic in omnibus eadem est ratio difficultatis. Quæ omnia per se clara sunt, præsertim suppositis ijs, quæ in confirmationem præcedentis conclusionis dicta sunt.

Tertia cōclusio

XV. Cæterum si difficultas cognitionis consideretur non simpliciter, sed ex suppositione, stante videlicet tali modo imperfecto cognoscendi nostri intellectus. tunc dici potest; quod proueniat ab ipsis obiectis. Atque hoc breuiter declarari potest, quoniam supposito, quod intellectus debeat tali modo, hoc est dependenter à sensibus cognoscere, sequitur, quod obiectum proportionatum ipsius sint tantum res sensibiles, quæ sensu percipiuntur, quod inde satis constat, quod omnia, quæ cognoscit, debet ad modum rei sensibilis percipere; quia tamen sunt extra obiectum pro hoc statu proportionatum, & debēt per similitudines rerum sensibilium proportionari, ideo difficilè cognoscuntur, et quod, difficilè cognoscantur facta hac suppositione, prouenit ab ipsis rebus; siquidem in ipsis est defectus debitæ proportionis, quam talis modus cognoscendi requirit, & sunt ex se valdè remotæ à sensibus, cum obiectum proportionatum pro hoc statu debeat esse sensibile.

Qūo difficultas cognitionis proueniat ex ipsis obiectis

XVI. Atque ex iis, quę hucvsque dicta

Satisfit fundamento primæ opinionis.

cta sunt, soluta manent fundamenta primæ opinionis. Quod enim res sublunares sint fluxæ, & variabiles, non tollit, quin possint facilè cognosci quantum est de se, quia sufficit, quod secundum essentiam, vt diximus, sint inuariabiles; imo ipsamet variabilitas cognoscitur, nec sequitur, quod intellectus sua obseruatione frustretur. Quod verò intellectus se habeat tanquam materia ad recipiendas formas intelligibiles, aliquo pacto verum est; sed quemadmodum, quod aliquod agens difficilè inducat aliquam formam in materiam, vt plurimum prouenit difficultas ab ipsa materia, quæ est affecta dispositionibus, quas oportet destruere, ita quod difficilè intellectus recipiat species intelligibiles, quibus determinetur ad cognoscendum, prouenit ex parte ipsius intellectus, qui cum debeat cognoscere dependenter à sensibus, sequitur, quod difficilè possit moueri à rebus longè remotis à sensibus.

Traditur diuisio Philosophiæ. Disp. V.

Diuisiones quædam reijciuntur. Sect. I.
Prima diuisio desumpta ex fine. Sect. II.
Altera diuisio ex parte obiecti. Sect. III.

Diuisiones quædam reijciuntur.

SECTIO I.

I. QVæ hucusquè diximus ad existentiam spectant, inuentio enim, & difficultas circa inuentionem concurrunt ad ponendum in esse philosophiam. Quod vero spectat ad essentiam suppofita eius definitione, nimirum quod sit. *Cognitio rerum prout sunt.* nihil est, quod aliud hic tradamus, quia quæ spectant ad philosophiam in communi, sunt eadem, ac quæ spectant ad scientiam in communi, quæ suo loco tradenda sunt; quæ vero spectant ad hãc, vel illam partem, neque sunt huius loci, sed alibi explicari debent, quando scilicet singulę partes philosophię pertractantur; quod circa Metaphysicam præstabimus infra, eius naturam exactè declarantes; nunc vt debitum ordinem seruemus, in suas partes, & species distribui debet; est enim aliquid valde vniuersale, & habet sub se suas species, & proinde in eas distribuenda est.

Prima diuisio philosophiæ reijcitur.

II. Variè autem huiusmodi diuisio solet assignari. Et prima quidem diuisio est Veterum Philosophorum, quam tradidit Epicurus, qui constituebat tres partes Philosophiæ, nimirum Ethicam, quę spectat ad mores, & docet, quomodo vita ciuilis instituenda sit. Physicam, quæ versatur circa res naturales, earumdem naturas, & passiones inuestigando. Et Canonicam, quæ iuxta eius mentem est Medicina practica. Cæterum huiusmodi diuisionem omnes reijciunt tanquam non rectè assignatam, nam multiplicat membra absque necessitate, & ponit tanquam membrum genericum, id, quod est specificum. Medicina enim practica non diuidit immediatè Philosophiam, sed est species quædam philosophiæ naturalis, vnde non rectè ponitur, tanquam membrum ab ipsa contradistinctum. Deinde dum contradistinguit medicinam practicam, videtur præsupponere aliam medicinam speculatiuam; quod tamen est falsum, cum detur tantum vna medicina, quæ est practica. Rursus Ethica dicit tantum vnicam partem philosophiæ moralis, vbi ergo sunt cæteræ partes? non enim possunt reduci ad philosophiam naturalem, vndè diuisio remanet diminuta cum non complectatur omnes partes philosophiæ. Quod si sumit Ethicam amplè prout complectitur omnem moralem philosophiam, id explicandum fuisset, & adhuc vitiosa esset, quia nomen speciei tribueret generi.

Reijcitur secunda diuisio.

III. Cleantes autem ex Veteribus Philosophis alio modo diuisit. Constituebat enim sex partes philosophiæ. Quarum prima dicebat ipse, est Dialectica; secunda Oratoria; tertia Moralis; quarta Naturalis; & postrema Theologia; per Theologiam autem intelligebat Theologiam naturalem, quæ idem est, ac metaphysica. Verum hæc quoque diuisio ab omnibus, & meritò, reijcitur: adeo enim multiplicat membra, vt multò pauciora constitui possent, & consequenter non assignantur primæ rationes diuidentes philosophiam vt sic, imo aliqua etiam non sunt partes philosophiæ. Et imprimis quod oratoria non sit pars philosophiæ, omnes concedunt, nec de hoc est difficultas aliqua; imo est per se euidens, quod à speciebus philosophiæ excludi

Oratoria non est pars philosophiæ.

debeat,

debeat, quam enim ex rebus considerat, cuius naturam, & passiones inquirat, vt constitui debet pars philosophiæ? aut quid circa res naturales docet practico modo? solum enim tradit modum conficiendi elegantem orationem. Non negauerim tamen, posse procedere philosophico modo inquirendo veritatem, vt si inquireret naturam humanorum adfectuũ in ordine ad persuasionẽ, quomodo scilicet excitari possint, & moueri; quomodo placari, eruendo id ex natura ipsorum, rursus posset etiam considerare verborum sonum, prout concernit concinnitati elocutionis: sed non procedit hoc modo, sed solum quædam præcepta tradit, nihil curando de causis, aut aliquid demonstrando. Rursus de Dialectica quoque dubium est, an sit pars philosophiæ; quod si est pars philosophiæ, non est distincta à naturali, sed sub illa comprehenditur.

Præfata diuisio non est per membra non mediate diuidentia.

IV Nimis etiam hæc diuisio cœtera membra multiplicat, ex quo consequenter fit, quod non tradatur per membra immediatè diuidentia; sed potius assignetur quædam species membrorum immediatè diuidentium philosophiam vt sic. Imprimis enim ciuilis philosophia est pars Moralis; vndè non debet ab ipsa contradistingui: imò grauè vitium committitur, nam idem membrum diuidens bis ponitur in Morali, implicitè ponitur, & ponitur de nouo à Morali contradistincta. Præterea naturalis quoque Theologia, est pars philosophiæ naturalis: vnde etiam ex hoc capite sequuntur eadem absurda scilicet quod idem membrum bis ponatur in eadem diuisione, & quod cõtradistinguatur, licet non debeat contradistingui. Quod autẽ Metaphysica seu Theologia naturalis sit pars Philosophiæ naturalis, euidens est, quoniam ipsa quoque inquirit veritatem circa res naturales speculatiuo modo, & scrutatur earum naturam atq; passiones.

Tertia diuisio Recentiorum Philosophorum Tolet.

V. Ex Recentioribus autem Philosophis. Tolet. initio lib. 1. Phis. cap. 2. de Philosophia in genere, tertiam assignat diuisionem; qua philosophia in triplicem partem diuiditur, nimirum in Speculatiuam; Actiuam; & Factiuam. Sic enim philosophatur. Quod philosophia est propter expellendam ignorantiam, quam expellit. Triplici autem ignorantia laborat homo, quarum prima est ignorantia naturalis, qua res, & earum naturæ ignorantur; atque propter hanc expellendam ponenda est scientia speculatiua, quæ habeat pro scopo inquirere veritates, & rerum naturas inuestigare. Secunda vero ignorantia est eorum, quæ secundum rectam rationem agere oportet; & propter hanc ponenda est Philosophia actiua, quæ pertineat ad mores, & doceat, quid secundum rectam rationem agere oporteat. Tertia autem ignorantia est eorum, quæ pertinent ad vitæ substentationem, & commodum, vt sunt plurima, quæ homines artificiosè operantur; & huic ignorantię correspondet philosophia Factiua, quæ continet cognitionem artis.

Reijcitur.

VI. Sed hæc quoque diuisio reijcienda est. Nam imprimis ponit tanquam partem philosophiæ cognitionem Factiuam, seu cognitionem artis. quæ licet sit intellectualis cognitio, non est tamen philosophica; est enim cognitio philosophica excellentior, quam sit cognitio artificum, vt patet ex communi omnium sensu, & vsurpatione vocabuli. Neque aliquis artifex, quantumuis excellens, philosophi nominẽ insignitur; cur autem non appellaretur, si cognitio factiua esset cognitio philosophica? Accedit etiam, quod omnis cognitio philosophica debet procedere per causas, vel saltem per eã, quæ se habent vt causæ, et debet demonstrare aliquas conclusiones de suo obiecto, quod non præstant artes, & si in ijs aliquid demonstratur, id fit à Mathematica, ars verò quædam tantum præcepta vsualia tradit. Sed supposita etiam, quod factiua esset verè pars philosophiæ, neque adhuc diuisio rectè procederet; quia tam Actiua, quam Factiua in hoc conuenirent, quod essent cognitiones practicæ: vnde constituerent vnicum membrum magis vniuersale, & quod immediatius se haberet ab philosophiam, vt sic, cum ergo diuisio debeat tradi per membra magis immediata, deberet tradi per practicum, non autem per Factiuum, & Actiuum.

Artifex quantũuis excellens, no tamen Philosophus.

Prima diuisio desumpta ex fine.

SECTIO II.

Philosophia ex duplici capite diuidenda.

I. VT veram diuisionem philosophię tradamus supponendum est, quod duo possunt attendi penes, quæ vera diuisio assignetur, nimirum Finis, &

Obie-

Obiectum. Cæterum finis non debet quocunque modo se habere; sed oportet, quod sit, vt solet appellari, intrinsecus: tunc enim quot sunt fines immediatè se habentes ad philosophiam vt sic, tot etiã sunt partes, seu species philosophiæ, & similiter etiam, quot erunt obiecta, tot etiã erunt partes, considerando tamen obiecta secundum suas rationes formales, quibus scientias specificant. Cæterum quamuis finis, & obiectum videantur coincidere, finis enim intrinsecus à qualitate obiecti desumitur, & illi proportionatur, quale enim est obiectũ, talis quoq; est finis, reuera tamen differunt, quia cõsistunt in diuersis rationibus formalibus, quæ in eodem obiecto reperiuntur; quod etiam patet ex diuersis denominationibus, quas scientijs tribuunt, & ex diuersis differẽtijs, quas conferunt; imo scientiæ, quę habent eũdem finem, possunt habere & de facto habent diuersas differentias.

Finis & obiectũ in scientijs differunt.

II. Attendendo ergo finem, Philosophia adæquatè diuiditur in Speculatiuam, & Practicam. Speculatiua autem est illa, quæ sistit in sola cognitione; Practica vero quæ non habet pro fine solam inquisitionem veritatis, sed vlterius ordinatur ad opus, quod habet pro fine. Atque hęc diuisio communiter recipitur. Quam præcipuè explicant Iauel. 6. Metaph. quæst. 6. & Perer. lib. 1. de Philosophia cap. 2. & desumitur ex Arist. 2. Metaph. cap. 1. tex. 3. vbi inquit. *Rectè autem se habet Philosophiam scientiam veritatis contemplatricem appellasse*. Deinde ponit diuisionem, quam attulimus, *Speculatiuæ etenim finis veritas: Practicæ autem opus*. Et pergit etiam declarare quomodo Philosophia Practica tendit ad opus, dum immediatè subdit. *Etenim si quomodo se habent considerant non causam per se, sed ad aliquid, & eo in tępore practici speculantur*. Hoc est, quod quando practica inquirit causã alicuius rei, seu quõ se habeat, nõinquirit, vt sciat, quomodo res se habeat, sed eo ipso quod inquirit propter aliquid faciẽdũ inquirit.

Diuisio philosophię in Speculatiuã, & Practicã.

Iauel.

Perer.

Aristot.

III. Circa rationem sufficientiæ, qua hanc diuisionem adæquatam, & sufficientem esse ostendatur, nonnulla difficultas est; & plures solent assignari, quas recenset Perer. citat. cap. 3. Prima est desumpta ex subiecto, quod est intellectus. Cum enim philosophia sit propter perficiendum intellectum, quot modis contingit perfici, tot etiam modis contingit diuidi philosophiam. Quia autem intellectus est duplex nempe Practicus, & Speculatiuus, ideo duplex quoque est philosophia, Practica, atque Speculatiua. Verum hæc ratio egregiè petit principium, ostendendum enim est quod intellectus adæquatè diuidatur, per practicum, & speculatiuum; sicuti enim dubitamus, an practicum, & speculatiuum adæquatè diuidant scientiam, seu philosophiam, ita similiter possumus dubitare, an adæquatè diuidant intellectum vt sic. Præterea intellectus ex se neque est practicus, neq. speculatiuus sed per cognitionem: sicuti enim ex se est indifferens ad quamlibet cognitionem, & solum est potentia intellectiua; sic etiam neque habet ex se aliquam differentiam, quæ in ordine ad aliquod obiectum determinatum desumatur, quare, cum philosophia diuiditur in practicam & speculatiuam, quia intellectus alius est practicus, & alius speculatiuus, idem est, ac si dicatur, rectè diuidi in practicam, & speculatiuam, quia alia est practica, alia speculatiua.

Ratio sufficientię huius diuisionis.

Perer.

Reijcitur prima ratio sufficientiæ.

IV. Secundam rationem sufficientiæ assignant alij ex eo scilicet, quod doctrina philosophica comparata sit ad dirigendas operationes hominis, quæ eius arbitrio subsunt. Cum autem operationes dirigendæ aliæ sint intellectus, atque aliæ appetitus duplex requiritur philosophia, alia speculatiua, quæ dirigat operationes intellectus, & alia practica, quæ dirigat operationes appetitus. Sed hæc ratio improbabilior est, quam præcedens. Et imprimis reprehendenda est, quia desumit rationem sufficientiæ ex alio fine, quam ex eo, per quem diuiditur: diuiditur enim, per id, quod sistat in sola cognitione, & quod ordinetur ad opus, ratio vero sufficientiæ assignatur ex eo, quod sit ordinata ad dirigendas operationes, quæ subsunt nostro arbitrio. Deinde operationes, quæ propriè subsunt nostro arbitrio, sunt tantum operationes voluntatis liberæ, & quæ ab ipsa dependent, inter quas tamen operatio externa, non dirigitur per philosophiam? Præterea operationes intellectus, non diriguntur per philosophiam naturalem, sed potius per logicam. Quod si per *Dirigere* intelligitur, *Perficere*, tum nulla scientia spectat ad appetitum, sed tota philosophia secundum omnem sui partem perficit intellectum, vnde tunc neque hoc modo dirigit operationes, sed potentiam.

Expeditur altera ratio sufficientię.

Nõ operationes dirigũtur à philosophia.

Rurſus licet practica dirigat operationes, appetitus, non tamen omnis cognitio practica illas dirigit, vt ſunt artes mechanicæ, & medicina, quæ tamen eſt vera pars philoſophiæ; vnde vel diuiſio eſſet nimis ampla ſi intelligeretur de cognitione, quæ dirigit operationes quaſcunque, quæ aliquo modo dependent à voluntate, quia ſic complecteretur etiam artes, vel eſſet diminuta, ſi deberet intelligi de cognitione, quæ ſolas proprias operationes appetitus dirigeret, quia tunc excluderetur medicina.

Tertia ratio examinatur.

V. Tertia ratio aſſignatur ab alijs: Nimirum ſcientiam; atque cognitionem eſſe medicinam animæ ſanans morbum ignorantiæ. Duplici autem modo poteſt contingere ignorantia; vel enim poteſt eſſe in ſolo intellectu, vel circa aliquid agendum. Si primo modo contingit ignorantia, habetur philoſophia ſpeculatiua, quæ ſolum in contemplatione veritatis conſiſtit. Vel ſecundo modo, contingit, & habetur philoſophia practica, quæ verſatur circa ea, quæ ab omnibus operari ſolent. Cœterum neque hęc ratio ſatisfacere poteſt, eſt enim æquè obſcurum, quod ſit tantum duplex ignorantia, ac ſit, duplicem eſſe partem philoſophiæ; imo quod ſit duplex ignorantia dependet ab eo, quod duplex ſit philoſophia, eſt enim ignorantia priuatio quædam, quæ ſolum cognoſcitur per ordinem ad formam, & proinde vt cognoſcamus duplicem eſſe ignorantiam, debet præſupponi, & cognoſci, quod duplex ſit pars philoſophiæ. Præterea hæc ratio nimis morali modo procedit, & ex fine valdè extrinſeco eruit ſufficientiam, non autem ex illo, per quem philoſophia diuiditur. Vnde præterquam quod hæc ratio petit principium, etiam non rectè procedit.

Æquè obſcurũ duplicẽ eſſe ignorantiam ac duplicẽ eſſe partem philoſophię.

Quarta ratio de ſumpta ex deſiderio ſciendi reijcitur.

VI. Similiter etiam eodem vitio laborat quarta ratio, quam ex deſiderio ſciendi aſſignant alij. Inquiunt; Quod ea, quæ deſideramus ſcire, vel conferunt ad vitam ciuilem, vel non conferunt. Si conferunt ad vitam ciuilem, conſtituitur philoſophia practica. Si vero non conferunt, conſtituitur philoſophia ſpeculatiua. Cum qua ferè coincidit illa altera, quod finis cognitionis eſt aliquod bonum, vt habetur 1. Eth. initio, & ratio eſſe poteſt, quia homo ſemper operatur pro pter aliquem finem; qui habeat in ſe aliquam rationem boni, vnde cum intendit cognitionem, intendit aliquod bonum. Vel ergo hoc bonum eſt ſola cognitio, vel aliquid aliud, ad quod ordinetur cognitio. Primo modo conſurgit philoſophia ſpeculatiua: altero vero modo cognitio practica. In his enim rationibus, niſi aliter explicentur, nihil amplius aſſignatur, quàm aſſignetur in ipſa diuiſione: in prima idem eſt ordinari ad vitam ciuilem, ac ordinari ad opus, & ſimiliter non conferre ad vitam ciuilem eſt idem, ac non ordinari ad opus, vnde niſi aliud addatur idem eſt, ac eſſe practicum, & ſpeculatiuum. Accedit etiam, quod pro aſſignanda hac ratione, non eſt opus recurrere ad deſiderium ſciẽdi, cum tota eruatur ex ipſa ratione practici, & ſpeculatiui. In altera vero ſolum ex eo, quod ordinetur, vel nõ ordinetur ad aliud deſumitur ratio, quæ inſufficiens eſt, niſi aliud addatur, & explicetur, quomodo adæquet totam philoſophiam. Deinde non video, quid vrgeat recurrere ad rationem boni, cum id, quod dicitur de bono, dici etiam poſſit de cognitione ipſa, conſiderata vt cognitio eſt.

Vera rõ ſufficiẽtiæ.

VII. Vera ergo ratio, & phyſica deſumenda eſt ex ipſo fine, & ex ratione practici, & ſpeculatiui; in quo duo oſtendenda ſunt; alterum, quod dentur hæ duæ partes philoſophiæ; & alterum, quod immediatè ſe habeant ad philoſophiam, atque illam adæquent. Quod autem ſpectat ad primum, euidens eſt dari has duas partes philoſophiæ, practicum, vt ex Ariſt. declarauimus, in eo conſiſtat, quod cognitio ordinetur ad opus, vt eſt Moralis philoſophia; ſpeculatiuum vero conſiſtit in eo, quod cognitio non ordinetur ad aliud, ſed ſit propter ſe, dantur autem ſcientiæ naturales, vt præcipuè Metaphyſica, quæ ſiſtunt in ſola contemplatione veritatis. Atque hoc ipſum etiam conſtat, ſi conſiderentur obiecta; quædam enim ex natura ſua ita ſunt ſpeculabilia, vt ſimul etiam ſint operabilia; vnde cognitio, quæ circa ipſa verſatur debet eſſe practica, quia ita verſatur, vt ſit propter operandum aliquid erga ipſa. Quædam vero obiecta ſunt merè ſpeculabilia, ita vt nihil cognitio de operatione tradat, & tunc intellectus cogitur, vt ſiſtat in ſola contemplatione obiecti, et merè ſpeculatiuo modo ſe habeat. Rurſus autem adæquatè diuidunt totam philoſophiam, nam traditur per membra contradictoria, quorum alterum neceſſe

Datur philoſophia practica & ſpeculatiua. At. ſtat.

Speculatiuã & practicã adæquatè diuidunt totã philoſophiã.

eſt

est, quod tota philosophia sub ipsis continetur. Sed etiam immediatè se habent ad philosophiam vt sic. Nam philosophia, cum sit quædam cognitio, debet habere suum finem magis immediatum ad se ipsam, quàm quod sistat in sola cognitione, nec ad aliud ordinetur, aut quod ordinetur ad opus; & sic etiã immediatè se habẽt, quia inter cognitionem, & quod ordinetur ad opus nihil potest cogitari, quod intercedat. Accedit etiã, quod de ipsa sub disiunctione prædicantur, vt omnis philosophia, vel est practica, vel speculatiua; & conueniens est, & vera prędicatio; quod non contingeret, nisi essent differentię immediatè se habentes; non enim rectè dicitur; Omne corpus, vel est rationale, vel irrationale, quia rationale, & irrationale nõ se habent immediatè ad corpus, vt sic. Denique ex eo, quod adæquatè diuidãt, sequitur etiam, quod immediatè se habeant ad rationem diuisam; Si enim se haberent mediatè, necesse esset, quod diuiderent illam rationem, qua mediante aduenirent; quia cum sint differentiæ sibi ex opposito correspondentes, debent vnam, atque eamdem rationem diuidere. Rursus hæc ratio, qua mediante aduenirent philosophiæ vt sic, debet et illam diuidere, vnde sequeretur, quod practicũ, & speculatiuum diuiderent tantum partialiter philosophiam, prout scilicet contrahitur ad illam rationem, qua mediante diuidunt, & consequenter non adæquarẽt totam philosophiam.

An diuisio sit in species athomas.

VIII. Sed ad complementum huius diuisionis alia difficultas soluenda est, an videlicet hæc diuisio sit in species athomas, an verò subalternas, quæ sint vlterius diuisibiles. Pro cuius solutione supponendum est, quod scientia speculatiua, non dicit solam rationem philosophicæ cognitionis vt sic; sed quemadmodum practica superaddit suam propriam differentiam, ex vi cuius habet, quod sit cognitio manifestatiua alicuius rei operabilis; & proinde ordinetur ad opus: ita etiam speculatiua superaddit philosophiæ, vt sic propriam differentiam, qua constituitur talis cognitio, & ex vi ipsius habet, quod non manifestet aliquid operabile, sed sistat in seipsa, atque est differentia positiua, quæ fundat hanc negationem, nimirum, Non ordinari ad opus. Ex quo concluditur, quod huiusmodi diuisio sit generis in suas species. Diuiditur enim ratio quædam communis per veras differentias, quæ sunt immediatè oppositæ, & extra rationem generis, atque genus est extra rationem ipsarum, siquidem philosophia vt sic, præscindit adæquatè ab eo, quod dirigatur ad opus, & ab eo, quod sistat in sola cognitione. Rursus philosophia vt sic, est pars quædam potẽtialis contrahibilis, & determinabilis per aliquam perfectionẽ superadditam, quæ omnia indicant esse diuisionem generis in suas species.

Practicũ & speculatiuũ cõstituũt species athomas.

IX. An verò sint species athomæ, an verò subalternę; videtur probabilius dicẽdũ quantum est ex vi harum differentiarũ esse species athomas. Quod sic declaratur. Tota differentia, quam practicũ in ratione practici potest habere, & speculatiuũ in ratione speculatiui, solum potest esse, quod versetur circa hoc, vel illud faciendum, & circa hanc, vel illam rem speculandam; hoc autem non potest ponere discrimen intra rationem practici, & speculatiui formaliter sumpti, sed tantum materialiter; quoniam sicuti practicum, & speculatiuum, vt sic, versantur circa aliquod obiectum, in quo tanquam in materiali fundetur speculatio, & praxis, ita quod speculatio, & praxis fit de tali, vel tali re, contrahit tantum illud materiale obiectum, circa quod versatur speculatio, & praxis; non autem modum tendendi speculationis, & praxis; & ideò non possunt esse differentiæ diuidentes practicũ, & speculatiuum, si formaliter sumatur, sed solum si sumatur materialiter. Et quemadmodum quando differentia sumitur, non ex fine, sed ex obiecto, diuersitas obiecti materialiter sumpti, non causat diuersitatem in scientia; ita neque respectu practici, & speculatiui diuersitas materialis diuidet vlterius. Neque aliæ differentiæ præter prædictas assignari possunt, quibus practicum, & speculatiuum diuidatur.

Practicũ & speculatiuum ex natura sua differentiæ infimæ.

X. Quin addo practicum, & speculatiuum esse ex natura sua rationes infimas, nec vlterius diuisibiles: quod ostenditur ex eo, quod sunt finis formalis harum partium philosophiæ. Finis enim cum induat rationem causæ allicientis agens ad operandum, oportet, quod sit cõpletus, & constitutus in aliqua infima specie; hoc enim est de ratione causæ, quod vt possit causare sit constituta in aliqua vltima specie. Cum ergo practicum, quà practicum est, & speculatiuum, quà speculatiuum est, sint fines for-

formales harum scientiarum allicientes ad ipsarum cognitionem, oportet, vt secū dum suam rationem formalem sint alicuius infimæ speciei, quia sunt rationes formales, quibus tales scientiæ alliciunt, & solum quod materialiter diuersificentur. Quod præsertim verum esse intelligitur, quia omnes scientiæ practicæ, & omnes speculatiuæ habent eumdem modum ten dendi, & ex parte obiecti vna, atq. eadem ratio constituit rationem finis, quæ non est potentialis, vt per alias differentias actuari possit; esse enim operabile, quod scientiæ tribuit esse practicum dicit conditionem obiecti, cui non potest concipi, alias differentias aduenire.

Altera diuisio ex parte obiecti.

SECTIO III.

Prima opin. circa diuisionē ex parte obiecti.

I. Altera philosophiæ diuisio ex parte obiecti desumitur, circa quā tamen non conueniunt auctores: vnde duplicem reperio sententiam. Prima autem constituit trimembrem diuisionem, nempe Naturalem, Moralem, atq, Logicam; quam etiam rationalem vocant. Quam diuisionem tradiderunt Stoici, & Platonici, atque complures alij tàm ex veteribus, quàm ex Recentioribus, & præcipuè ij, qui tenent logicam esse scientiam, atque partem philosophiæ, hanc diuisionem amplectuntur, & præcipuè Conimb. in Proemio ad lib. Phys. Per naturalem autem intelligunt totam illam philosophiā, quæ versatur circa res, quæ non spectant ad ciuilem vitam, vnde includit tam philosophiam naturalem practicam, quam speculatiuam. Et per moralem intelligunt totam illam, quæ spectat ad mores, & ad ciuilem vitam.

Conim.

Prima ratio sufficiētiæ. D. Aug.

Arist.

II. Conantur autem rationem sufficientiæ reddere, & prima quidē est, quod, vt docet D. Aug. lib. 1. de Ciuit. Dei, c. 1. ex Platone: homo philosophatur, vt acquirat illam beatitudinem, quam in hac vita potest habere. Rursus, vt docet Arist. lib. 1. Nichom. cap. 7 & 8. Beatitudo partim est in contemplatione veritatis, & huic correspondet speculatiua. Partim in actione consentanea virtuti, & huic correspondet moralis. Quia autem contingit in philosophando mentem decipi, constituenda est dialectica, quę mentem dirigat. Altera autem ratio sufficientiæ desumitur ex D. Tho. initio Ethic. ad Nicom. qui supponit ex 1. Metaphys. cap. 2. quod tota cura sapientis circa ordinē versetur. Hinc ait, quod triplex est ordo, qui sub philosophiam cadit, & iuxta huac triplicem ordinē constituitur triplex pars philosophię. Alius est enim ordo, quem tantum ratio incipit, atque speculatur; Et sic habetur philosophia speculatiua. Alter est, quem sibi ratio exhibet, seu quem sibi præscribit in incipiendo ordinem, quem speculatur, & seruat in suis speculationibus, & sic habetur scientia rationalis, seu logica. Tertius ordo est, quem ratio voluntati præscribit, vt congruē, & rectè operetur, & hic ordo importat philosophiam moralem. Tertia deniq; ratio desumi potest ex D. August. lib. 1. de Ciui. Dei cap. 4. qui iuxta sententiam Platonis tripliciter, distribuens philosophiam, ait, ponendam esse naturalē propter naturā, & quæ in contemplatione consistat. Dein de Moralē propter vsum, & quę pertineat ad mores instituendos. Tertiū deniq. Rationalem propter doctrinā, qua s. verum à falso discernatur, quę necessario est tum propter naturalem, tum pp moralem, sed magis pp contēplationē, & hęc est logica

Secūda ratio. D. Tho.

Tertia ratio. D. Aug.

Alia opinio.

III. His tamen non obstantibus altera sententia duplicem tantum statuit philosophiam, nempe naturalem & moralem, ita peripatetici communiter præsertim Simplicius, & omnes ij, qui negant Logicam esse partem scientię, seu philosophiæ: & hæc opinio nedum communior est, quam pręcedens; sed etiā probabilior, & magis apta, atq. sufficiens ad explicandā adæquatè diuisione immediata totam philosophiam. Vnde cum ipsa dicendum est: Philosophiam vt sic ratione obiecti adæquatè diuidi in naturalem, & moralē, accipiendo naturalem non strictum, prout dicit solam contemplationem de natura, sed largè, prout complectitur res omnes intra ordinem naturæ speculabiles sub quacunq. abstractione illę sint, & similiter etiam moralem accipiendo, prout dicit quicquid ad instituendam ciuilem vitam spectat. Atque hæc diuisio debet habere locum, siue logica sit pars philosophię, siue non.

Simpl.

Ratio sufficiētiæ.

IV. Vt autem rationem sufficientiæ reddamus, imprimis ostendendum est, quomodo logica non debeat constituere membrum distinctum; quod mihi quidem euidens videtur: nam si non ponitur pars philosophiæ, iam ad hanc diuisionem, qua solum philosophia diuiditur, non

spe-

spectat; vnde reijcienda est tanquam membrum alienum ab hac diuisione. Si verò est pars philosophiæ, certè specta re videtur ad philosophiam naturalem; tunc enim habet proprium obiectum, atque quodcunque illud sit siue operationes intellectus, siue argumentatio, est aliquid, quod continetur intra ordinem naturę sumendo amplè naturam, vt diximus sumi debere in hac diuisione; tunc enim quicquid, considerat logica, est aliquid cõtentum intra hunc ordinem naturæ, quod præcipuè verum est, si consideret operationes intellectus quatenus dirigibiles, & conformabiles per discursum cum illa connexione, quam res habent adinuicē, qua mediante vna infertur per aliam; tunc enim tam ista connexio, quàm ipsæ operationes sunt quid naturale, & naturaliter dirigibiles, & intellectus ex natura sua habet, quod conformari debeat in discursu cũ ipsis rebus, vnde semper logica aliquid intra ordinem naturæ considerat. Quod potest declarari exemplo medicinæ, quæ licet consideret corpus vt sanabile, & sanitas in ipsum inducenda sit artificiali modo, tamē quia de se corpus, & ex natura sua est sanabile, licet artificiali modo, medicina constituit partem naturalis philosophiæ, ergo licet directio artificiali modo esset inducenda in operationes; quia tamen sunt ex natura sua dirigibiles, idcirco spectabit ad naturalem Philosophiam; supposito, quod nihil aliud obstet, & quod sit pars philosophiæ.

Naturalis & Moralis adæquatè diuidunt totam philosoph.

V. Quod autem Naturalis, & Moralis adæquatè diuidant totam Philosophiam, non solum sequitur ex eo, quod excluditur logica tamquam membrum contradistinctum ab ipsis, sed etiam peculiari ratione ostendi potest. Imprimis enim certum est, quod Naturale, & Morale sunt differentiæ congruentes philosophiæ, vt per se euidens est, & experientia constat; rursus etiam sunt differentiæ immediatè oppositæ, & quæ fundant contradictionem, vnde sequitur, vt iam patet ex dictis sectione præcedenti, quod immediatè philosophiæ, vt sic aduenia nt, & quod illam adæquatè diuidant. Quod autem sint differentiæ immediatè oppositæ hinc colligitur, quod cum Morale, & Naturale important aliquid, quod habeat esse, necessariò quicquid habet esse, debet vel ad Morale, vel ad Naturale pertinere. Si quidem si non pertinet ad vitam ciuilem instituendam, iam est intra ordinem naturæ: in tantum enim, ab ordine naturæ extrahitur, in quantum pertinet ad ciuilem vitam, vnde hoc pacto fundatur contradictio. Vel pertinet ad ciuilem vitam, vel non pertinet: Si pertinet philosophia ad ciuilem vitam, iam est philosophia moralis. Si verò non pertinet, cum debeat considerare aliquid, quod reale sit, consequenter considerabit aliquid, quod sit intra ordinem naturæ; quia quicquid est independenter à ciuili vita, est intra ordinem naturæ. Quare potest addi confirmatio ex parte obiecti. Ens enim adæquatè diuiditur in ens morale, & naturale, ergo cum philosophia suam specificationem sumat ab obiecto, à quo nunc sumimus diuisionem, sicuti obiectum adæquatè diuiditur in Naturale, & Morale; ita etiam adæquatè diuiditur scientia.

Satisfit rõnibus in oppositum.

VI. Atque hinc facilè etiam soluuntur rationes alterius sententię; vnde ad primã dicendũ est, solum probare, quod dentur tres illæ partes; non verò, quod logica sit membrum immediatè diuidens, philosophiam vt sic, & quod non cõtineatur sub naturali philosophia; vnde ratio illa deficit, tum quia non probat logicam esse membrum immediatè se habens ad philosophiam vt sic, tum quia non probat, sed supponit esse partem philosophiæ, quod tamen valde controuersum est. Deinde etiam in hoc deficit, quod neque adhuc est adæquata, sed diminuta; medicina enim pars est naturalis philosophiæ, prout contradistinguitur à morali, & tamen non clauditur sub naturali philosophia, quæ est membrum illius diuisionis; ibi enim per naturalem philosophiam intelligitur illa, quæ consistit in speculatione veritatis; quæ solum speculatiua est; vnde excluditur naturalis philosophia practica, quæ dirigitur ad opus.

Expenditur secũda ratio sufficientiæ.

VII. Ad secundam rationem dicendum pariter, adhuc iuxta illam sufficientiam, diuisionem esse diminutam, quia neque adhuc comprehenditur sub illa philosophia naturalis practica, qualis est medicina; deinde etiam peccat, quia sufficientiam colligit ex ordine, non verò ex obiecto, penes quod sumitur diuisio. Deniq. stante hac ratione sufficientię, adhuc sequitur, quod logica nõ sit mēbrũ contradistinctum à naturali philosophia

ſuppoſito, quod logica ſit pars philoſophiæ,& quod naturalis philoſophia debitè ſumatur ſecundum totam ſuam amplitudinem;tunc enim ordo ille,quẽ ſibi pręſcribit ratio,cum conſiſtat in operationibus intellectus, quatenus diriguntur, & conficiunt diſcurſum,vel in rebus quatenus ſunt obiectum diſcurſus, non eſt extra latitudinem naturæ, vt ſupra etiam dictum eſt. Ad tertiam reſpondetur illam congruentiam adduci à D. Auguſtin. ex ſententia Platonis, qui eam diuiſionem ſequutus eſt, & tantum probat, quod danda ſit Logica, non verò, quod ſit pars philoſophiæ; aut quod ſi eſt, contradiſtingnatur à naturali, & ſit membrum immediatè ſe habens ad philoſophiam vt ſic, quod eſſet probandum. Deinde illa ratio ſufficientiæ non ſumitur ex parte obiecti; quia philoſophia habet pro obiecto res, non autem neceſsitatem doctrinæ, & quod Logica neceſſaria ſit ad dirigendam contemplationem, prouenit ex neceſsitate doctrinæ; vnde remotè ſe habet logica ad neceſsitatem doctrinæ, quatenus ipſa fundatur in neceſsitate dirigendæ contẽplationis, quæ neceſſaria eſt ad acquirendam doctrinam.

Diuiſio ex parte finis, & ex parte obiecti inuicẽ confunduntur & quo.

VIII. Ex dictis autem colligitur, quod ſi hæc poſterior diuiſio compararetur cum priori, confunduntur adinuicem, ſiquidem ſub membro vnius comprehenduntur ambæ partes alterius, Si enim loquimur de Naturali philoſophia, quia hæc diuiditur in practicam,& ſpeculatiuam,vt videbimus infra, ſpectat ad vtrumque membrum prioris diuiſionis; & ſimiliter vtrumque membrum prioris diuiſionis in vnico poſterioris diuiſionis coadunatur. Similiter etiam loquendo de altero membro poſterioris diuiſionis, nimirum de philoſophia morali ad vtrumque prioris diuiſionis ſecundum aliquam ſui partem, quamuis non adeò propriè reduci poteſt. Cum enim philoſophia moralis verſetur circa vitæ ciuilis inſtitutionem, atque mores inſtituendos, verſatur circa aliquod opus, & proinde practica eſt. Verum poteſt aliquo modo ſecundum aliquam ſui partem procedere ſpeculatiuè, vt ſi conſideret in quo ſubiecto ſint virtutes morales, in quanam ſpecies diuidantur, quæ ſit earumdem natura: vnde quantum eſt ex hoc capite poteſt ad ſpeculatiuam ſcientiam reduci. Simpliciter tamen practica dicenda eſt, tum quia hæc, quæ ſpeculatiuo modo tractat de ijs agit in ordine ad ea, quæ ſunt ad operationem formaliter ordinata, vt etiam docet Ariſtot. 2. Ethicor. initio cap. 2. qui propterea inquit de morali philoſophia. *Cum præſens tractatio non contemplationis ſit, vt cætera, gratia; non enim, vt ſciamus, quidnam ſit Virtus, ſed vt efficiamur boni, conſideramus, nam nulla ipſius eſſet vtilitas.* Tum etiam, quia ratio obiecti formalis continet aliquid operabile, à quo deſumi debet eſſentia, & denominatio; non hinc tamen tollitur, quod ſecundum aliquam partem ſui obiecti materialis non procedat ſpeculatiuo modo, vt diximus.

Ariſtot.

Diuiſio ex parte obiecti eſt generis in ſpecies.

IX. Rurſus colligitur, hanc quoque diuiſionem eſſe generis in ſuas ſpecies. Suppoſito enim, quod philoſophia vt ſic, vt ſectione præcedenti dictum eſt, ſit aliquid potentiale præſcindens omninò à differentijs inferiorum, & conſequenter poſsit vlterius perfici, & determinari; morale, & naturale important quaſdam rationes differentiales, quæ perficiunt, atque determinant philoſophiam vt ſic ad magis certum, & determinatum modum eſſendi, atque conſtituunt quaſdam ſpecies philoſophiæ, quæ ſint veræ ſpecies: conſtant enim ex parte potentiali genere nimirum, atque actuali, nempe differentia; quæ ſimul conſtituunt compoſitum metaphyſicum, quod eſt ſpecies. Huiuſmodi autem ſpecies non ſunt infimę, ſed ſubalternæ, quia vlterius ſubdiniduntur in alias ſpecies, vt videbimus mox de Naturali philoſophia.

De diuiſione Naturalis Philoſophiæ. Diſp. VI.

Quædam adnotantur, & Doctorum opiniones recenſentur.

SECTIO I.

I. QVamuis circa Philoſophiam practicam,& ſpeculatiuam quædã alia examinãda eſsẽt,&pręcipuè quę

nam

nam differentiæ sumantur a practico, & speculatiuo: ijs tamen omissis, vt potè quia commodiori loco agitantur in tractatu de scientia, cum sint quædam differentiæ ipsius, & hanc diuisionem omittimus, cum ipsius membra vlterius subdiuidi non possint, nam formaliter in ratione practici, & speculatiui constituunt species athomas, vt declarauimus circa finem sect. 2. disp. præcedentis. Sed etiam ex altera diuisione relinquimus partem philosophiæ moralem, cum hæc ad præsens nostrum institutum non faciat, & solam philosophiam naturalem assumêtes, quam pertractandam suscepimus, eius diuisionem in suas species inquirimus. Cum enim hæc diuisio, qua philosophia diuiditur in Naturalem, & Moralem desumatur ab obiecto, & obiectum specificatiuum harum partium non sit ita determinatum, quin possit vlterius alias differentias suscipere, sequitur, quod hæ partes, vt etiam supra diximus, possint vlterius diuidi.

Existentia philosophiæ naturalis

II. Supponendum autem est, dari philosophiam naturalem, quæ sit cognitio rerum naturalium per suas causas. Cum enim intellectus noster cognoscitiuus sit, & discursiuus, atque res naturales cognoscibiles sint, & habeant causas, quæ nos in earumdem cognitionem ducant, neque eccedant proportionem nostri intellectus, potest ex vi discursus plurium cognitionem acquirere, procedendo ex causis, quas notas habet, ex cognitis incognita inuestigando, atque huiusmodi cognitio erit philosophia naturalis, quia scilicet est cognitio rerum naturalium per suas causas. Hoc tamen intelligi debet de causis, latè sumptis, siue physicæ sint, siue metaphysicæ, dummodo sint aliquid prius, ex quo ex natura sua aliquid siue virtuali, siue formali modo cõ sequatur; vnde sufficit, quod sit aliquid æquiualens causæ. Quod ideò addidi, quia forte etiã Logica reduci potest tanquam pars ipsius ad naturalem philosophiam; & non debet modo controuerti, an procedat per veras causas, sufficit enim, quod procedat per aliquid æquiualens causæ, vt possit reduci ad philosophiam tanquam pars ipsius. Quod autem sic optimè explicetur philosophia naturalis, vt nimirum sit cognitio rerum naturaliũ per suas causas, sumendo causam, vt explicauimus, patet, nam traditur definitio per verum genus, quod nempè sit cognitio scientifica, & explicatur eius vltima differentia in ordine ad proprium obiectum, nimirum res naturales, circa quas versatur, vt fit in qualibet cognitione, potentia, & habitu, quæ per ordinem ad proprium obiectum explicantur, vt potè quia ab ipso sumunt specificationem.

Quid sit philosophia naturalis.

Punctum difficultatis.

III. Rursus supponenendum est. Quod si consideretur obiectum naturalis philosophiæ, potest in ipso reperiri nedum diuersa ratio obiecti, sed etiam diuersa ratio finis; quare eadem diuisio practici, & speculatiui, quam tradidimus de philosophia vt sic potest etiam tradi de philosophia naturali, quia vt supra diximus, partes phliosophiæ, quæ distinguũtur ex fine, possunt secundum suas differentias reperiri in qualibet parte ex ijs, quæ desumuntur ex obiecto. Quod enim detur aliquid practicũ in naturali philosophia euidens est, cum adsit aliqua cognitio, quæ ex intrinseca sua ratione ordinetur ad opus, & præscribat regulas, quomodo corpus sanari possit. Vnde dubiũ non est, quin in philosophia naturali reperiatur aliqua cognitio practica. Solum difficultas est, an rectè diuidi possit, in speculatiuam, & practicam. Solutio vero difficultatis, ex eo pendet, an detur aliqua philosophiæ pars, quæ verè sit simpliciter practica, & quia de logica incertum est, an sit pars philosophiæ, quod hic commodè disputari non potest; ideò de medicina, quam certum est esse partem philosophiæ, inquirendum est. Quod si erit simpliciter practica, rectè etiam philosophia naturalis diuidetur in practicam, & speculatiuam tanquam in suas species.

An medicina sit simpliciter practica.

IV. Prima autem sententia negat esse simpliciter practicam, sed esse partim practicam, partim speculatiuam. Ita docent nonnulli ex Medicis presertim Lemos. 1. suorum comment. in Galen. de morb. meden. & Aponens. different. 4. qui etiam addit, posse dici speculatiuam. Hanc quoq; sententiam sequuntur nonnulli recentiores philosophi, qui volunt Theoricam esse scientiam speculatiuam, & fortasse per Theoricam intelligunt partem illam medicinę, quæ considerat morborum, & medicamentorum naturam, atque affectiones. Fundant autem hanc suam sententiam in eo, quod Medicina communiter solet diuidi in practicam, & Theoricam, cum ergo hęc Theorica con-

Sẽtentia negatiua.

Lemos.

Aponẽs.

tradi-

num. 8. ex Arist. 2. Eth cap. 2. docuimus, vbi inquit, quod non quærimus, quid sit virtus, vt in eius cognitione sistamus, sed vt efficiamur boni.

Cur medicina consideret tēperamentū corporis & alia huiusmodi.

IV. Ad secundum autem, quid dicendum sit, patet ex ijs, quæ in confirmationem nostræ sententiæ dicta sunt. Medicina enim habet pro fine principali & intrinseco sanitatem, quam inducat in corpus; vnde debet etiam inquirere ea, quæ facilitant hunc finem. Quia autem difficilè esset inducere sanitatem in corpus, & cognoscere naturam morborum, qui experiendi sunt, nisi cognito temperamento corporis, & eius structura, nec possent ijs ignorantis facilè medicamenta applicari, ideò inquirit de temperamento, atque structura humani corporis, quæ necesse est, quod speculatiuo modo tractet; non tamen tractat, vt in eorum cognitione sistat, sed vt ordinet ad opus, ideò est simpliciter practica.

Est diuisio generis in species

V. An autem hæc diuisio sit generis in species: respondendum est proportionaliter ad ea, quæ supra diximus de diuisione philosophiæ, vt sic, in practicam, & speculatiuam; esse videlicet generis in species, militat enim eadem ratio, & semper ratio practici, & speculatiui sunt rationes differentiales constitutiuæ specierum. Sed tunc insurgit difficultas, quod nam sit genus, quod diuidatur; non enim potest esse philosophia naturalis quatenus naturalis; quia cum esse naturale non desumatur ex fine, sed ex obiecto, non potest coarctari per differentias desumptas ex fine, sed debet, vt proportio debita seruetur, coarctari per differentias desumptas ex obiecto, vt obiectum est, & prout secundum aliquam rationem magis determinatam specificat cognitionem. Itaque dicendum existimo idem genus pro his differentijs assignari debere, quod assignatur in philosophia, vt sic pro ijsdem, cum sit eadem ratio. Contingit autem hoc pacto. Philosophia vt sic descendit ad philosophiam naturalem, sed non solum descendit secundum genus, sed etiam secundum differentias, quas desumit ex parte finis, in obiecto enim, quod specificat philosophiam naturalem reperiuntur rationes illę finis, quæ tribuunt esse practicum, atque speculatiuum; vnde cum stent simul cum ratione philosophiæ naturalis, oportet quod dum philosophia vt sic descendit ad naturalem, descendit etiam cum suis differentijs practici, atque speculatiui, & hoc pacto, tàm in philosophia naturali, quàm in philosophia vt sic hę differentię habent idem genus.

Quodnā sit genus huius diuisionis

Quomodo Philosophia speculatiua diuidenda sit. Disp. VII.

Quid sentiant auctores.

SECTIO I.

Philosophia speculatiua diuidenda ex parte obiecti.

I. QVia philosophia naturalis practica ad nos non spectat, ideò eam relinquimus, & solum, diuisionem philosophiæ naturalis speculatiuæ inquirimus. Huius autem diuisio ex parte obiecti desumenda est; tum quia intra rationem speculatiui, non potest vlterius procedere diuisio, vt supra docuimus; tum quia diuiditur secundum rationem naturalis, quæ ratio cum desumatur ab obiecto, debet etiam diuidi per differentias ab eodem obiecto desumptas. Atque communis diuisio, quæ tradi solet est illa, qua diuiditur in Metaphysicam, Physicam, seu Physiologiam, & Mathematicam; & de hac diuisione quæritur, an rectè tradita sit. Vbi antequam vlterius progrediamur, illud aduertendum est, quod ex vi huius diuisionis comprehenditur etiam scientia practica naturalis simpliciter loquendo, est enim quædam pars physicæ; vnde per hanc diuisionem diuiditur philosophia naturalis secundum totam suam latitudinem non minus quam altera diuisione, quæ ex parte finis desumatur: sicuti enim philosophia, vt sic diuiditur tum ex parte finis, tum ex parte obiecti; ita etiam eodem modo hac duplici diuisione diuidi potest philosophia naturalis. Quia tamen philosophia practica naturalis ad nos non spectat, ideò in hac diuisione diuidimus philosophiam speculatiuam; quod rectè

fiet

fiet, si physicam non accipiamus in tota sua latitudine; sed tantum prout dicit physicam speculatiuam.

Prima sententia Diuisionem nō rectè tradi.

II. Prima autem sententia negat rectè diuidi per hanc diuisionem. Auctores autē huius sententiæ procedunt ex diuersis modis. Aliqui enim volunt vnicā esse tantum scientiam rerum omnium, & proinde non esse multiplicandam, neque Metaphiysicā, neque Physicam, neque Mathematicam, cum omnes speculatiuo modo procedant. Ita tenent Mirandul lib. 13. singul. certam sect. 6. & 7. & Aegid. 1. Metaph. quæst. 22. atque in eo fundantur præcipuè quod huiusmodi sciētia non implicet, quemadmodum datur vnus intellectus, qui omnia cognoscit: vnde potest dari etiam vna scientia, quæ correspondeat amplitudini intellectus. Plura alia solent afferri: sed quia procedunt particulariter de metaphysica, ideò ea ommittimus, nam infra afferemus, quando redibit iterum disputatio, ex occasione inquirendi, an Metaphysica consideret omnia inferiora entis.

Mirandulan.

Ægid.

Physicā & Metaphysicā esse vnā scientiā aliorum opinio. Auersa.

III. Hanc fere sententiam nouissimè sequutus est Auersa in sua philosophia tom. 1. quæst. 1. sect. 6. vbi vult dari vnam totalem scientiam, quę omnia consideret. Excludit tamen ab hac totali scientia Mathematicam, & solum coniungit physicam, & metaphysicam, & potest pro secunda sententia referri. Pro qua citat etiam Iul. Syren. in disp. de subiecto primæ philosoph. sect. 2. cap. 36. & seq. vbi inquit, asserere, quod metaphysica debet agere de omnibus prorsus rebus, atque earum proprietatibus vsque ad vltimas species. Et ait hanc esse Veterum sententiam ante Platonem, qui non distinguebant Physicam, & Metaphysicam, vt patet ex eorū sentētijs, quas supra retulimus. Et cognitionem de substantijs separatis, & præcipuè de Deo illi prisci philosophi sub physica, quam solam habebant, comprehendebant. Verum ex hoc nihil firmi deduci potest etiam quò ad auctoritatem, quia mirum non est; quod illi prisci philosophi non rectè diuiserint philosophiam, cum nondum acquisiuissent perfectam rerum cognitionem.

Iulius Syrenus

Fundamenta huius sententiæ.

IV. Hanc autem suam sententiam confirmat ratione primò quidem, quia non adest conueniens modus distinguendi, quò vnicuique suum obiectum totale adæquatum assignetur, quia diuersa abstractio non sufficit; nec adest diuersus modus procedendi. Secundo Arist. 1. de partib. animal. cap. 1. ait *Eadem contemplatio omnium est inter se coniunctorum.* Res autem philosophicæ, & præcipuè rationes superiores, & inferiores, quæ constituuntur pro obiectis physicæ, & metaphysicæ coniunguntur, ens enim est commune omnibus. Tertio plura, quæ tractantur in physica, & metaphysica sunt talis condicionis, vt in vtraque tractari possint, quod est signum indistinctionis, & auctores coguntur multa confundere, & non seruant distinctionem inter physicam, & metaphysidam, vt dum in physica tractant, quæ communia sunt rebus abstrahentibus à materia, vt cum agunt de principijs, & causis in communi, & econtra in metaphysica tractant de ijs, quæ conueniunt etiam rebus materialibus, vt tales sunt. Quarto quędam quęstiones ab vno tractantur in physica, ab altero in metaphysica. Quod si controuertitur ad quam nam scientiam pertineant, signum est habere tantam connexionem has duas scientias, vt nequeant distingui. Quinto quia de aliquibus rebus, vt anima rationali; existentia intelligentiarum dubium est, ad quam nam scientiam pertineant. Sexto, quia non possent rectè distingui tractatus speciales harum scientiarum, nam prius agendum esset de ente in communi, & substantia: postea de ente materiali, deinde de intelligentijs, quia ex rebus sensibilibus ad earum cognitionem deuenimus.

Secundū

Tertiū.

Quartū

Quintū

Sextum

Tertia sententia.

Quinque partes Philosophię speculatiuę

V. Alij vero nolunt rectè diuidi philosophiam hac triplici diuisione, asserunt enim, philosophiam speculatiuam naturalem habere quinque partes, nimirum. Aliam, quæ agat de Ente, Alteram de Deo, tertiā de Intelligentijs; quartam de substantijs mobilibus, & vltimam de quātitate. Alij vero coarctant triplicem illam diuisionem, & ponunt tantum duas species, priorem quæ agat de quantitate, & alteram, quæ res cæteras consideret. Quod si inquiras, cur non sit vna tantum, respondent, ex duplici capite id prouenire. Primum est, quia mathematica, quæ agit de quantitate præscindit ab ente, & ideò non potest considerare suum obiectum sub illa ratione, sub qua consideratur ens; alterum est, quia habet modum procedendi ab alijs valde diuersum.

Quarta op nio. Duplex pars philosophię speculatiuę

VI. Communis tamen sententia hanc diuisionem philosophiæ speculatiuę

naturalis in Metaphyſicam, Phyſiologiã, & Mathematicã tanquam rectè traditam amplectitur, atq; deſumitur ex Ariſ. 6. metaph. tex. 2. vbi cum diſtinxiſſet diuerſa obiecta, & oſtendiſſet quomodo eorum conſideratio ad diuerſas ſcientias pertineat ſubdit *Quare tres vtique erunt ſpeculatiuæ philoſophiæ Mathematica; Naturalis; Theologia* (hoc eſt Metaphyſica) & eam etiam antea tradiderat Plato, vt habetur apud Alcinoum de doctrina Platonis c. 6. & ita ſentiunt communiter Damaſcen. c. 1. ſuæ Phyſiolog. Boet. de Trinit. cap. 2. Auicen. lib. 1. Metaph. cap. 1. Algazel. initio ſuę philoſophiæ. Ptolom. in Almages. lib. 1. cap. 1. D. Tho. quæſt. 2. de Verit. ar. 6 ad 1. & 6. Metaph lect. 1. opuſ. 70. quæſt. de diuiſione ſciẽtiar. ar. 1. Capr. quæſt. 3. Prologi Iauel. 6. Metaph. quęſt. 7. Soncin. ibid. Iandun. item ibid. Themiſt. atque Philop. initio phyſ. Euſtrat. initio Ethicor. Albert. 1. Metaph. cap. 1. Scot. 6 Metaph. quęſt. 1. Connimb. in Proem. ad lib. phyſ. quæſt 1. ar 3. Perer. lib. 1. ſuę Philoſoph. cap. 3. & communiter omnes Philoſophi tam ex Veteribus, quam Recentioribus cuiuſcumque ſcholę.

Ariſtot. Plato Damaſcen. Boet. Auicen. Algazel Ptolom. D. Tho. Capr. Iauel. Soncin. Iandun Themiſtius. Philop. Euſtrat. Albert. Scot. Connim. Perer.

Poſterior ſententia vt vera declaratur.

SECTIO II.

In quo ſenſu de hac ſectioni diuiſio.

I. HAnc communem ſententiam, quam poſteriori loco retulimus veram eſſe exiſtimo: quam vt declaremus aduerto. Quod, cum quæritur, an philoſophia naturalis ſpeculatiua rectè diuidatur in Metaphyſicam, Phyſiologiã, & Mathematicã, ſenſus nõ eſt, an diuidatur tanquã in ſpecies athomas, quia non eſt pręſentis loci quærere, an prædictæ ſint ſpecies athomæ; ſed ſolum, an huiuſmodi diuiſio rectè tradita ſit, ita vt ſit immediata, & adequata, continens ſub ſe omnes ſcientias, ita vt nulla ſit, quæ ſub aliquo ex his membris nõ comprehendatur. Pro cuius intelligentia illud in primis obſeruandum eſt. Quod quęlibet ſcientia debet neceſſariò habere ſuum obiectum intra aliquam abſtractionem, factam ab intellectu, qua mediante conſiderentur præciſæ naturæ cõmunes, vt etiã adnotauit D. Th. citato illo opuſ. 70. q. de diuiſione ſcientiar. ar. 1. in corpore, Cuius rei ratio eſt, quia ſcientia non poteſt eſſe de ſingularibus, cũ debeat eſſe de neceſſarijs; hinc ſolum circa vniuerſalia verſari poteſt tanquam circa obiectum proportionatum; & proinde neceſſaria eſt aliqua abſtractio facta ab intellectu, qua naturæ communes immerſæ ſingularibus ſeparentur, & conſtituantur obiectum proportionatum ſcientiæ.

II. Rurſus etiam aduertere oportet, quod quamuis ſint diuerſæ opiniones, vndenam deſumi debeat vnitas ſcientię: alij enim volunt deſumi, ex diuerſitate principiorum, ex quibus procedit; alij verò ex abſtractione: alij ex diuerſa ratione formali, tamen vnumquodque iſtorum ſufficit, vt colligatur multiplicitas ipſius. Principia enim, ex quibus procedit ſcientia, modus item tendendi, Abſtractio, & ratio formalis obiecti, ita adinuicem proportionantur, & ſibi correſpondent, vt vnum radicetur in alio, & ad multiplicationem vnius, colligitur multiplicatio alterius, ſiue à priori, ſiue à poſteriori. Quotieſcunque enim adeſt diuerſa abſtractio, adeſt etiam diuerſa ratio formalis obiecti, diuerſus modus tendendi, atque diuerſa principia, & etiam e contra; vnde quocumque iſtorum multiplicato, oportet etiam, quod alterum multiplicetur, & conſequenter etiam ſcientia; & proinde ex quocumque iſtorum poteſt colligi multiplicitas, & diuerſitas partium philoſophiæ, quamuis non ſit vera radix illius, & proxima.

Proportio inter abſtractionẽ Rõnem formalem, & principia ſciẽtiarum.

III. Pro reſolutione ergo dicendum eſt primò; Philoſophiam naturalem ſpeculatiuam non eſſe ita vnam, vt non ſit diuiſibilis in alias partes, quæ conſtituant ſcientias diuerſas ſpeculatiuas; vnde non ſolum ſcientię ſimpliciter multiplicandæ ſunt, ſed etiam ſcientiæ ſpeculatiuæ. Atque principalis ratio pro hoc dicto deſumitur ex diuerſis rationibus formalibus; in rebus enim, quæ ſpeculatiuo modo cognoſcibiles ſunt, reperiuntur plures rationes formales obiectiuæ; nam alia eſt ratio formalis entis, vt ens eſt; alia ratio formalis corporis, quà corpus eſt, alia ratio formalis dimenſionis, quà dimenſio eſt, quod adeò euidens eſt, vt alia probatione non egeat. Ergo debent concedi etiam diuerſæ ſcientiæ, quemadmodum conceduntur diuerſæ rationes formales obiecti. Hæc conſequentia declaratur, Scientia enim inclinat intellectum in obiectũ, cum quadam adæquatione, & proportione, ità vt intellectus habeat quamdam adæquatam repræſentationem, qua

Prima Concluſio.

sibi obiectum scibile innotescat, ergo intellectus prout adæquatur cum vna ratione formali obiectiua, non potest adæquari cum alia, & consequenter, quot erunt rationes formales obiectiuæ, tot etiã erunt sciẽtiæ. Cũ enim rationes formales obiectiuæ sint inter se diuersæ, quis non videt, quod quatenus intellectus habet proportionem cum vna, non potest habere cum alia? aut quatenus adæquatur cũ vna, non potest adæquari cum alia, cum sint diuersæ rationes adæquationis?

Confirmatur eadẽ ratio exanalogia ad potẽtias. IV. Et pro confirmatione huius rationis possumus argumentari ex analogia ad potentias. Potentiæ namque habent suas rationes formales obiectiuas, atque ita vna potentia respicit vnam rationem formalem obiectiuam, vt nullo pacto possit tendere in aliam, neque etiam per Dei potentiam, adeò est determinata ad ipsã; atque causa huius determinationis nulla alia est, nisi correspondentia, & proportio, quæ est inter obiectum, & potentiam; ita enim debent obiectum, & potentia proportionari, vt potentia constituatur formaliter per illam commensurationem, quam habet cum obiecto, & obiectum ita correspondet huic commensurationi potentiæ, vt nequeat alteri correspondere: sic visus ita fertur in colorem, vt impossibile sit ferri in sonum, quia commensuratio illa, quæ ex parte potentię correspondet colori, non correspondet sonui, & eadem inductio fieri potest de cæteris potentijs, & obiectis. Cum ergo multiplicentur potentiæ ad multiplicationem rationum formalium obiectiuarum, debent etiam multiplicari scientiæ, cum sit eadẽ ratio, nam etiam scientiæ seruant suam commensurationem ad obiectum, vnde quæ fertur in vnam rationem formalem obiecti, non poterit ferri in aliam.

Secũda ratio. V. Secundo principaliter argumẽtor, In hoc cõueniunt potentiæ cũ scientijs, & quibuscũq. habitibus, q̃ sicuti ipsæ specificantur à suis obiectis formalibus, ita etiã scientiæ ab ijsdem sumunt suam specificationẽ, ergo cũ in rebus naturalibus sint diuersę rationes formales obiectiuę, vt supra declarauimus, oportet etiã, q̃ reperiãtur diuersæ scientiæ, quæ circa ipsas versentur, nec poterit vna sciẽtia omnes considerare. Atq. hæc cõsequentia euidẽs est, illę enim rationes formales obiectiuę sũt specificatiuę scientiarum, & sunt inter se essentialiter diuersæ, Quomodo ergo fieri potest, q̃ specificent vnam, atque eamdem scientiam? Imò quomodo non debent cõstituere diuersas species philosophiæ? quotiescunque enim variatur extrinsecum specificatiuum, debet etiam variari intrinsecum constitutiuum, quod est tale per ordinem ad extrinsecum specificatiuum, vt videmus contingere in omnibus relationibus transcendentalibus, atque etiã prædicamentalibus. Et potest amplius ratio facta vrgeri. Scientia vt sic, constituitur per ordinem transcendentalem ad obiectum, vnde per ipsum quoque definitur; rursus non respicit aliquam rationem peculiarem obiecti, sed tantum obiectum in communi; Obiectum verò sic in communi acceptũ, est capax aliarum differentiarum, quibus cõtrahatur ad talem, vel talem rationem obiecti; ergo etiam scientia, seu philosophia vt sic considerata, in quantum speculatiua, debet esse susceptiua aliarum differentiarum, quibus contrahatur ad talem, vel talem sciẽtiam speculatiuam, quemadmodum eius obiectũ contrahitur ad hanc, vel illam rationem obiecti: sicuti enim per ordinem ad obiectum vt sic speculabile constituitur philosophia speculatiua vt sic: ita per ordinem ad talem, vel talem obiectiuam rationem debet constitui talis, vel talis species speculatiuæ philosophiæ. Constat ergo, quod speculatiua philosophia habet suas species, in quas potest diuidi, nec est vna tantum, nisi genericè.

VI. Stante ergo, quod philosophia speculatiua possit diuidi per suas species dicendum est secundo: adæquatè, & sufficienter diuidi in Metaphysicam, Physiologiam, & Mathematicam. Quamuis autem communiter Doctores hanc diuisionem tanquam sufficientem, & adæquatam admittant, non conueniunt tamẽ in reddenda ratione sufficiẽtiæ. Prima autẽ ratio sufficientiæ desumitur ex Alberto Magno 1. Phys. trac. 1. c. 1. Qui distinguit triplex genus rerum; aliud quidem, q̃ continet res per se, secundũ naturam suã intelligibiles, & circa has versatur Metaphysica; Aliud, quod continet res intelligibiles, & simul imaginabiles, quemadmodum est quantitas, & circa ipsas versatur Mathematica. Denique tertium genus rerum continet res intelligibiles, imaginabiles, atque sensibiles, & circa has versatur Physica: atque hæc est ratio sufficientiæ, quam ipse assignat, vt communiter ferè intelligunt; quamuis si eius doctrina rectè perpendatur in re-

Secũda Conclusio.

Albert. Magn.

nnn

non discrepat à ratione sufficientiæ, quæ communiter solet assignari, licet differat in modo loquendi.

Reijcitur. VII. Sed quicquid de hoc sit, ratio sic posita non potest satisfacere. Vnde im pugnatur primo: non enim rectè ponit di scrimen inter Physicam, & Mathematicā, ex eo, quod vna supra suum obiectum nimirum Physica addat rationem sensibilitatis; si enim, vt etiam aduertit Pe- Peret. rerius supra citatus, quantitas, quam con siderat mathematica, est imaginabilis, quomodo etiam non est sensibilis? an ima ginatio non est sensus? accedit etiā, quod quicquid est imaginabile, percipitur etiā à sensibus externis, quicquid enim percipitur ab interno sensu, ab externis etiā percipitur, vnde est omnimodè sensibile, & proinde nullo modo differunt inter se imaginabilia, & sensibilia. Præterea non video quomodo in ordine ad sensum assignetur differentia scientiarum, cum sint habitus intellectuales; vnde si distinguuntur per obiecta, necesse est, quod cō siderentur discrimina obiectorum, quæ sortiuntur in ordine ad intellectum, non verò in ordine ad sensum; imaginabile autem, & sensibile, si aliquo pacto distinguerentur, solum in ordine ad sensum di stinguerentur.

VIII. Atque hinc potest etiam tertio impugnari. Vel enim quando distinguitur inter imaginabile, atque sensibile, con siderantur rationes formales obiectorū, vel materiales. Non potest dici, quod cō siderentur rationes formales obiectorum, quasi imaginabile tāquam ratio formalis constituat obiectum mathematicæ, & sen sibile obiectum physicæ; quoniam imaginabile, & sensibile non sunt rationes formales respectu intellectus, sed solū respectu sensus; ratio autem formalis obiecti scientifici desumi debet in ordine ad intel lectum, vt modo dictum fuit; si verò accipiuntur, tanquā rationes materiales, tunc non possunt distinguere scientias, quæ so lum per obiecta formalia distinguuntur. Quartò, scientiæ sunt quædam cognitiones habituales intellectiuæ, quæ proinde tendunt in obiecta intelligibilia, quatenus talia sunt, vnde etiam debent desumere suam diuersitatem penes rationes obiectiuas, quę vt tales intelligibiles sint; huiusmodi autem non sunt rationes imaginabilitatis, & sensibilitatis, siquidem non determinant intelligibilitatem vt sic, sed spectant ad sensus: vnde respectu intellectus tanquam obiectum materiale intelligibile se habent; quia in tantum intelliguntur, in quantum substernuntur alicui rationi formali, quæ constituat speciale obiectum intellectus.

IX. Secunda ergo ratio sufficientiæ est quorundam Scotistarum, quam tra- Secūda ratio sufficiētiæ. Anton. Andr. dit Anton. Andreas 6. Metaph. quæst. 3. Distinguunt ergo triplex genus obiecti speculabilis, & quod habeat passiones demonstrabiles; pro quo supponunt, quod illud sit tantum obiectum à nobis speculabile, quod per viam sensus est speculabile; vnde excludunt substantias separatas, seu intelligentias; quia licet habeant passiones demonstrabiles, non tamen secundum propriam rationem possunt per sensum nobis innotescere. Ex ijs ergo, quæ possunt via sensus nobis innotescere constituunt illud triplex genus. Primum est Entis, quatenus est cognoscibile, & habet passiones demonstrabiles, ex principijs via sensus cognitis. Secundum est substantia, in quantum habet annexam quantitatem. Tertium est eadem substantia, quatenus habet formam, & est affecta cœteris accidentibus; & etiam est principium motus. Hinc circa primum genus aiunt versari Metaphysicam; circa secundam Mathematicam, & circa tertium Physicam, & sic iuxta hoc triplex genus entis diuidunt to tam Philosophiam speculatiuam.

X. Hanc tamen rationem improbant Reijcitur. Iauel. Soncin. Peret. Thomistæ præsertim Iauel. citata quæst. 7. lib. 6. Metaph. & Soncin. ibid. quos etiam sequitur Peret. lib. 1. suæ Philosophiæ cap. 5. non solum quia excludit substantiam incorpoream, de qua tamen aliquid possumus scire; sed etiam quia Arist. solet diuidere scientias ex diuersa abstractione à materia; Prçterea quia ponit sub stantiam corpoream esse obiectum mathematicæ, cum pertineat secundum omnem sui considerationem ad Physicam, & Mathematicus abstrahat à materia, quæ ingreditur constitutionem corporis naturalis, seu substantiæ corporeæ. Neq. etiam potest dici, q includatur in obiecto mathematicæ tanquā subiectum, quia sequeretur, quod omnia accidētia, quæ mathematici definiunt, deberent definire per substantiam corpoream, quod tamen constat esse falsum. Deinde etiam sequeretur, quod naturalis philosophia esset magis abstracta, quàm mathematica; siquidem consideraret substantiam corporeā

secundum formam, secundum quam rationem prior est quam, si accipiatur secundum accidens.

Non reiicitur. XI. Verum, si res attentius considaretur, nō videtur hæc ratio adeo reprehēdenda; nam quod spectat ad substantiam incorpoream, fortasse rectè excluditur, quod tamen infra examinādum relinquimus; & quamuis ex aliquo effectu innotescat ex ijs, quæ sensu percipimus; tamen, quia solum ex aliquo effectu innotescit, ideò intra alium ordinem est supra substantiam corpoream, atque ipsa sensibilia; & oportet, quod intellectus vtatur quodam abstractiori discursu ad ipsius naturam indagandam. Quod verò ex abstractione à materia non procedat, id parum refert, quia, vt adnotauimus, multiplicatio partium philosophiæ tàm ex diuersis abstractionibus, quàm ex diuersis rationibus formalibus, aut modis tendendi desumi potest; quia in idem coincidit. Neq. etiam sequitur, quod substantia corporea includatur in obiecto mathematicæ; quia ex vi reduplicationis, quam ponunt, illā excludunt; dicunt enim, quod substantia, non quomodocumque, sed in quantū habet annexam quantitatem, spectat ad mathematicam, quod idem est, ac si dicatur quantitatem spectare ad mathematicam; & proinde nō sequitur, quod mathematicus debeat definire in ordine ad substantiam corpoream, quia cōsiderat quantitatem secundum se, non verò prout est accidens substantiæ corporeæ. Denique licet substantia corporea sit prior, quā accidens, non sequitur, quod sit magis abstracta, quia hæc prioritas est secundum rerum naturas independenter ab intellectu; abstractio verò fit ab intellectu; imo si aliquid hæc ratio valeret, de facto concluderet, quod obiectum physicæ sit magis abstractum, quàm mathematicæ. Solum ergo videtur reprehendenda, quia licet rectè assignet triplex obiectum huius triplicis scientiæ, nempè Ens, Quantitatem, Substantiam corpoream, non tamen ostendit, quod non sint plura obiecta formalia, & proinde non conuincit, quod non sint plures, quàm tres partes philosophiæ naturalis speculatiuæ.

Vera ratio sufficiens. XII. Optima ergo ratio est illa, quam communiter assignare solent desumptam ex diuersitate abstractionum; quæ colligitur ex Arist. pluribus in locis, sed præsertim ex 2. Physic. à tex. 16. vsque ad 18. & 6. Metaphys. cap. 1. & lib. 12. cap. 6. & 1. de anima tex. 17. vbi ex diuersitate abstractionum colligit diuersas partes philosophiæ speculatiuæ. Pro cuius intelligentia scire oportet, quod obiectum cuiuscunque scientiæ debet esse abstractum, quia cum debeat versari circa rationes communes, quæ dispersæ sunt in particularibus, oportet, quod intellectus media abstractione illas coadunet abstrahendo à singularitate, quod dicunt abstrahere à materia signata; vocant enim indiuiduationem materiam signatam; & saltem ab hac materia debet obiectum cuiuscunque partis philosophiæ abstrahere. Ex eo autem, quod ponuntur diuersæ abstractiones, oriuntur etiam diuersæ rationes formales obiecti, non enim secundum eamdem rationem formalem potest res intra diuersas abstractiones reperiri, sed statim, ac intra aliam abstractionem ponitur, secundum aliam rationem formalem consideratur. ex diuersitate ergo abstractionum colliguntur diuersæ rationes formales, & proinde si ostendatur nō esse plures, quam tres abstractiones primas, rectè ostendetur philosophiam naturalem speculatiuam habere triplicem partem.

Aristot.

XIII. Quod ergo abstractio sit tantum triplex sic ostenditur. Nam prima abstractio, quæ fit, est à materia signata, seu ab esse indiuiduali, & per hanc abstractionem habetur prima ratio vniuersalitatis, quæ necessaria est ad omnes scientias, & proinde non est in ipsa sistendum, sed veluti è quodam toto excerpendæ sunt rationes obiectiuæ propriæ cuiuscunque partis philosophiæ, & quæ importent rationes magis determinatas; quod fit per vlteriorem abstractionem, & separationem. In ijs enim, quæ iam abstractæ sunt à singularitate, considerari possunt diuersæ rationes abstrahibiles, nam aliquę ita abstrahi possunt, vt inuoluant aliquid materiale; aliquę verò ita abstrahi possunt, vt nihil de materiali inuoluant; atque hæc duplex abstractio necessaria est, & adæquata, cum tradatur per membra contradictionem fundantia, vt est abstrahere ab omni materia, & non abstrahere; vnde sunt membra immediatè diuidentia, & adæquatè, quia contradictoriorum necesse est alterum inesse. Si verò ita fit abstractio, vt in re abstracta inuoluatur materiale aliquid, potest adhuc

Triplex tantum abstractio à materia

circa

circa hoc fieri noua abstractio; vt potè quia in hoc materiali adest materiale molis, seu dimensionis, qua res materialis habet, quod possit dimetiri; & est materiale perfectionis, seu quod spectat ad essentialem rei constitutionem, vt est materia, & forma; vndè in hac vlteriori abstractione duplex tantum immediata abstractio interuenire potest, alia quidem quæ dicat materiam molis, quam vocare solent materiam intelligibilem; & alia, quæ dicat materiam perfectionis, quam vocant materiam sensibilem, quia est subiectum accidentium sensibilium; atque hæc etiam diuisio explicari potest, per membra contradictoria: nam hoc materiale, quod præscinditur, vel dicit materiam perfectionis, vel non dicit; nullam aliam materiam potest dicere, præter materiam molis, seu dimensionis; & hoc pacto duo tantum membra constituuntur.

Triplex pars philosophiæ iuxta triplicem abstractionem.

VIV. Constat ergo triplicem esse tantum abstractionem, iuxta quam triplex pars philosophiæ constituitur, nam alia abstractio est ab omni materia, & iuxta hanc constituitur metaphysica; alia vero est secundum materiam intelligibilem, in qua scilicet inuoluitur materia molis, & secundum ipsam constituitur mathematica, denique alia est secundum materiam sensibilem, quæ scilicet innoluit materiam sensibilem, & hæc constituit physiologiam. Verum adnotandum est, quod non omnes hæ partes philosophiæ immediatè se habent ad philosophiam vt sic; sed sicuti abstractio diuiditur primo, & immediatè in eam, quæ fit secundum nullam materiam, secundum quam constituitur metaphysica, & in eam, quæ fit secundum materiam. Ita etiam philosophia naturalis speculatiua, vt sic debet immediatè diuidi in metaphysicam, & in eam, quæ versatur circa res inuoluentes materiam. Rursus sicuti hæc abstractio diuiditur in eam, quæ fit secundum materiam sensibilem, & in eam, quæ fit secundum materiam intelligibilem: ita etiam philosophia debet rursus subdiuidi in physicā, & mathematicā, & sic seruantur regulæ optimæ, & immediatæ diuisionis: Hinc reijcitur opinio illorū, qui apud Iauel. citatum asserunt, quod nihil refert, quod tradatur per plura, quā per duo membra, quia est diuisio analogi in sua analogata, quæ per plura membra fieri potest: hoc enim falsum est; siquidem philosophia speculatiua naturalis vniuocè se habet respectu harum partium; vt infra declarabimus. Ponuntur autem hæc tria membra tanquam immediatè diuidentia philosophiam speculatiuam, quia illud, quod immediatè primo diuidit, & versatur circa abstractionē factā secundum materiam, non constituit aliquā peculiarem scientiam, quæ habeat obiectum determinatum, de quo ex certis, & determinatis principijs cū peculiari modo tendendi possit aliquid demonstrari.

Duæ tantū partes immediatè se habent ad philosophiā vt sic, & quomodo.

Abstractio à materia signata non constituit peculiare obiectū scientiæ.

XV. Cœterum circa hanc rationem sufficientiæ obseruandum est, quod non rectè ponitur abstractio à materia signata tanquam aliqua peculiaris ratio abstractionis constituens in esse physiologiam; quasi ipsa sit ratio, ex qua consurgat obiectum illius, nam, vt supra etiam innuimus, huiusmodi abstractio necessaria est propter vniuersalitem obiecti, atque cum vniuersalitas sit necessario requisita ad obiectum cuiuscumque scientiæ, consequenter etiam huiusmodi abstractio non est magis peculiaris vnius, quàm alterius scientiæ. Quod præsertim verum est, quoniam facta huiusmodi abstractione in eo, quod abstrahitur, nō solum includitur obiectum physicæ, sed etiam mathematicæ, & metaphysicæ, & idcirco aliqua alia separatio facienda est, vt deueniamus ad certum, & determinatum obiectum cuiuscunque scientiæ, & solum abstractio à materia signata inseruit pro fundamento ad distinguenda diuersa obiecta.

Vera radix propter quā necessaria est abstractio in scientiæ obiecto.

XVI. Rursus circa eamdem rationem aduertere oportet, quod non rectè Thomistæ assignant radicem necessitatis, propter quam necessariæ sint hæ abstractiones, dum inquiunt, quod materia obstat intelligibilitati; & ideo necesse est, vt sensibilia abstrahantur à materia, quia propter materialitatem sunt tantum in potentia intelligibilia, & fiunt actu intelligibilia, dum fiunt immaterialia. Hoc enim falsum est, de quacunque enim materia loquantur verum est, quod illa materia sit ex se, & per se intelligibilis; participat enim rationem entis, & consequenter intelligibilitatem, quæ tanquam passio ad ipsū consequitur; sicut ergo huiusmodi materiæ superfunditur, & in ipsa intrinsecè imbibitur ratio formalis intelligibilitatis, quomodo non erit intelligibilis? aut si ipsa est intelligibilis, quomodo sensibilia non erunt intelligibilia ratione materialitatis? Non enim potest dici quod hæc materialitas auferat ab ip-

sis

sis intelligibilitatem, quæ non potest auferri, nisi etiam auferatur ratio entis. Quare cum sensibilia siue specificatiuè, siue reduplicatiuè accepta actu sint entia, actu etiam participant rationem formalem intelligibilitatis, & proindè sunt actu intelligibilia. Quod etiam potest confir. quia physica, & mathematica inuoluunt in suo obiecto materialitatem, non obstante quod sit facta necessaria abstractio, & tamen est actu intelligibile; vnde materialitas, quantum est ex vi suæ rationis formalis non tollit intelligibilitatem. Quod si loquantur de abstractione tantum à materia signata militat eadem ratio, quia hæc quoque quantum est de se, est ens, & proinde intelligibilis, & intellectus intelligit singularia, vt singularia sunt, & de ipsis modo scientifico docet vt de Deo, de Christo. Quare radix vnde prouenit necessitas huius abstractionis, si loquamur de abstractione à materia signata est, quia obiectum scientiæ debet esse vniuersale. Si vero loquamur de cœteris abstractionibus, necessariæ sunt, vt consurgant diuersæ rationes formales obiectiuæ.

Difficultates contra explicatam sententiam dissoluuntur.

SECTIO III.

Cur vnicus sit tantum intellectus, & multiplex pars philosoph.

I. AD stabiliendam magis explicatam sententiam, necessaria est explicatio quarumdam difficultatum, quę ipsi officere videntur, & primo quidem loco euertendum est fundamentum oppositæ sententiæ, & ostendendū cur non debeat dari vnica tantum scientia, quemadmodum datur vnus tantum intellectus, quæ versetur circa omnia scibilia, sicuti intellectus versatur circa omnia intelligibilia; & ratio disparitatis desumitur ex dictis. Scientia enim constituitur per ordinem ad obiectum, quatenus res plures secundum vnam aliquam rationem coadunantur in vnum obiectum; sicuti etiam constituitur intellectus, quia tamen ratio obiectiua formalis intellectus ita est vna, vt non sit determinabilis per alias rationes magis peculiares intra idem genus, ideo est vna etiam potestas intellectiua, at non sic contingit in obiecto scientię, quia si consideretur obiectum philosophiæ vt sic, est aliquid valde vniuersale, & indeterminatū, quia dicit quicquid est cognoscibile per suas causas; vnde intra suam latitudinem comprehendit diuersos modos, quibus est cognoscibile, & diuersas formales rationes, secundum quas, est cognoscibile, & ideo indiget vlteriori subdiuisione, donec deueniatur ad certam, & determinatam rationem obiectiuam, quę non possit amplius subdiuidi; & ideò constituuntur diuersæ partes philosophiæ secundum diuersas rationes formales obiectiuas, quæ desumuntur, vt explicatum est sect. præcedenti, ex diuersis abstractionibus.

II. Secunda difficultas desumitur ex lib. 4. Metaph. tex. item 4. vbi Arist. docet quod *Tot philosophia partes sunt, quot substantia*. Hoc est genera substantiarum, quæ sunt tantum duo, nimirum illud, quod nullam inuoluit materiam, & illud, quod est materiale, & corporeum; quare cum mathematica non consideret aliquod genus substantiæ, sed quantitatem, non erit pars speculatiuæ philosophię. Sed facilè dubitatio dissoluetur, si ostendamus, quid ibi intendat Arist. Cum enim tex. 2. docuisset, quod ad eamdem scientiam spectat considerare ea omnia, quæ ad vnum, quod est obiectum illius, reducuntur, & quod scientia, quæ habet pro obiecto ens, considerat eiusdem species, atque species specierum; & postea etiam subdidisset, quod vnum, & ens sunt idem, & quod nihil aliud sit vnum, quàm ens, ne tamen aliquis existimaret, quod vnica tantum sit scientia pergit declarare, quomodo iuxta diuersa genera entis constitui debeant diuersę scientiæ, & imprimis declarat hoc ipsum ex parte substantię, inquiens. *Atque tot philosophia partes sunt, quot substantia; quare necesse est, vt aliqua earum prima, & alia sequens sit; sunt autem subinde habentia genera ipsum vnum, & ens, quare etiam scientia sequentur ista*. Hoc est quemadmodum genera substantiarum, quamuis seruent inter se ordinem, habent tamen genus, nempè vnum, & ens; ita similiter hæ partes philosophiæ, quamuis vna sit prior altera, habent suum genus, quia in hoc sequuntur obiecta; & sic declarauit quomodo ex parte substantię contingat scientias multiplicari. Deinde pergit ostendere, quomodo etiam dentur aliæ scientiæ mathematicæ, quæ sint partes philosophiæ, dum subdit *Philosophus namque est, vt ille, qui Mathematicus dicitur*. Et etiam mathematicæ tribuit

Explicatur tex. 4. lib. 4. Metaph

suas partes, quemadmodum tribuerat philosophiæ versanti circa substantiam, inquiens *Et hac enim habet partes, ac prima quadam, & secunda scientia est, cætera quoque consequenter in mathematibus*. Ex quibus satis liquet, quod mathematicam nō excludit à partibus philosophiç, sed prius assignat partes philosophiæ versantis circa substantias, deinde ponit mathematicam, atque eius partes.

Quomodo quātitas pertineat ad physicū, & quō ad mathematicā.

III. Tertia difficultas prouenit ex eo, quod etiam Physicus conderat quantitatem tanquam affectionem corporis naturalis illi tribuentem molem, ergo non potest eadem esse obiectum mathematicæ, quia quod semel est intra obiectum alicuius scientiæ, non potest fieri obiectum alterius. Sed breuiter respondetur, posse aliquid, quod est intra obiectum alicuius scientiæ, præcipuè si se habeat vt passio illius, constitui obiectum alterius, quandocumque contingit considerari secundum aliam rationem, quod contingit in quantitate, quæ spectat ad Physicum tanquam passio sui obiecti, vnde considerat tantum, quomodo sit passio, & explicat naturam ipsius, non verò considerat dimensibilitatem, quæ est veluti passio quantitatis, neque ea, quæ spectant ad dimensibilitatem, vt est figura, & eius passiones. Ex quo fit etiam, quod quantitas, prout consideratur à Physico, non abstrahat à materia sensibili, quia consideratur tanquam passio corporis naturalis, & vt aliquid spectans ad ipsum; quando verò consideratur a mathematico, omnino abstrahit à materia sensibili, quia præcisè consideratur tantum secundum rationem dimensibilitatis, quæ ex se nullum dicit ordinem ad materiam sensibilem.

Alia difficultas expeditur.

IV. Deniq. difficultatem facit, quod alia est abstractio, qua intelligentię abstrahunt à materia, & alia, qua ens abstrahit ab eadem; intelligentiæ enim abstrahūt à materia realiter, ens verò abstrahit tantum secundum rationem. Similiter etiā Deus alia abstractione ab his diuersa abstrahit à materia, si modo huiusmodi terminus abstractionis de ipso verificari potest; si enim abstrahit, vt actus purus, & tanquam ens per essentiam abstrahit. Si ergo sunt diuersæ abstractiones, iam metaphysica non erit vna scientia. Hæc difficultas difficilè hoc loco dissolui potest, tangit enim dubitationem de obiecto metaphysicę, atque eius abstractione, quam infra tractaturi sumus. Interim dicimus, vel metaphysicam ratione harum abstractionum habere diuersas partes specie differentes, ita vt sit vna tantum specie subalterna, vel, vt fortasse dicemus, Deum, & intelligentias non spectare ad eius obiectum: sed ad theologiam, quod quomodo verum sit, ibi declarandum erit.

Soluuntur rationes secunda sententia.

SECTIO IV.

I. Ad rationes autem pro sententia Auersæ adductas ex dictis facilè responderi potest. Ad primam ergo dicitur, adesse conuenientem modum distinguendi has scientias, quem licet non conferant formaliter diuersæ abstractiones, illum tamen indicant, & consecutiuè ex ipsis sequitur; hic autem modus conueniens distinguendi est ipse diuersus modus procedendi, & diuersa ratio formalis obiecti, quam adesse constabit ex ijs, quæ de metaphysicę obiecto infra dicturi sumus. Quemadmodum autem diuersę rationes formales obiecti distinguunt diuersificant potentias; ita etiam diuersificant scientias, & ita coadunant obiecta materialia in vnum obiectum formale, vt impossibile sit scientiam, quę tendit in vnum, tendere etiam in aliud præsertim cum scientię ab obiecto formali specificentur; quemadmodum etiam impossibile est potentiam specificatam per vnum obiectum, tendere in obiectum specificatiuum alterius.

Qui- nam sit modus cōueniens distinguēdi scientias.

II. Ad secundam dicendum est, nos quoque concedere, quod vna sit scientia eorum, quę coniuncta sunt, vt ibidem, & alibi docet Arist. Verum intelligi debet non de quacunque coniunctione; sed de illa, quę proportionata sit, & sufficiens, ad vnitatem scientiæ. hæc autem coniunctio est tantum illa, quæ fit ratione abstractionis, & rationis formalis obiectiuæ: cum enim hæc coniunctio debeat esse talis, vt adsit vnitas specificatiua vnius scientię, oportet, quod sit vnitas eiusdem rationis formalis obiectiuę, nec sufficit, quæcumque alia materialis coniunctio, siue sit rationum superiorum, & inferiorum: siue aliqua alia; alioquin si talis coniunctio sufficeret, cum res omnes tali pacto coniunctæ sint, daretur tantum vna scientia rerum omnium, quod tamen ipse Auersa non concedit. Et quod necessaria sit hęc vnitas obiecti, euidens est, nam scien-

Quæ cōiunctio requiratur vt plura pertineant ad eādē scientiā.

tia,

tia, vt diximus, specificari debet ab obiecto.

Vnde cognoscatur res ad obiectũ physicæ vel metaphysicæ pertinere.

III. Ad tertiam, si consideretur res, quæ tum in Physica, tum in Metaphysica pertractantur, esse talis conditionis ex natura sua, vt ad vnã tantum illarum pertineant; nam si sunt de obiecto totali Metaphysicæ pertinent ad ipsam, si vero de obiecto totali Physicæ pertinent ad Physicam. Et hoc facile cognoscitur ex diuersitate abstractionum: si enim abstrahunt omnino à materia, secundum rationem tantum, & tanquam res incompletæ in ordine ad entitatem integram, pertinent ad Metaphysicam, vt dicemus infra: si vero non abstrahunt à materia sensibili, pertinent ad Physicam. Quod vero possint in vtraque pertractari, id non prouenit ex natura ipsarum rerum, sed propter commoditatem doctrinæ, quò ad nos; Adest enim duplex ordo doctrinæ, vt explicabimus infra, alius quem exigunt res ex natura sua, & alius, qui nobis magis commodus est, & facilis. Quoad primum vnaqueque questio in vnica tantum scientia pertractari potest. Si vero alter ordo seruetur, tunc spectat ad Doctores illum disponere; & hinc factum est, quod alius de vna re agat in metaphysica, alter vero agat in Physica prout magis commodum opinatur. Et ex hoc etiam factum est, vt in Physica tractentur res Metaphysicæ, præsertim rationes communes, & in Metaphysica aliquid Physicum misceatur, non autem quia ita rei natura exigat; & hæc necessitas confundendi materias est tantum propter facilitatem doctrinæ quo ad nos.

Omnes quæstiones ex natura sua ad determinatã scientiã spectant.

IV. Ex his, quæ diximus, patet responsio ad quartam rationem, cum autem dicitur, quod de aliquibus quæstionibus controuertitur ad quamnam scientiã spectent, an ad Physicam, an vero ad Metaphysicam; quamuis hoc difficilè contingere possit, si attendatur abstractio, tamen id non obest distinctioni scientiarum, quia re vera ex natura sua ad vnã tantum pertinebunt; ex ignorantia autem nostra proueniet, quod non constet, quæ nam illa sit; & sicuti multa alia controuertuntur in scientijs, & non ob id tollitur eorum veritas, ita similiter in casu uostro quamuis incertum sit, ad quamnam scientiam aliquę questiones pertineant, ex natura tamen sua ad determinatam spectant. Simili modo respondetur ad quintam rationem; illa videlicet obiecta de quibus quæstio est, an sint Physicæ, an vero Metaphysicæ consideratio nis; ex natura sua ad vnam determinatè pertinere, id tamẽ nobis nõ satis innotescere. Hoc autem non tollit quin ex natura sua scientiæ non distinguantur.

Quõdo tractatus in scientia debent disponi.

V Ad sextã dico. Rectè distingui posse tractatus si attẽdatur ordo doctrinæ, quem habent res ex natura sua, tunc enim prius ponenda sunt, quæ spectant ad vnã scientiam, & in hac prius agendum de obiecto in communi; deinde de particularibus, quæ sub ipso continentur: & sic optimè omnes tractatus disponentur. Si vero attendatur ordo doctrinæ secundũ facilitatem, tunc Doctoris iudicio standum est, vt ipse disponat, prout magis congruum existimabit. Et vt hoc obiter adnotemus, non video quomodo Physica, & Metaphysica in vnam scientiam debeant confundi, & non aliæ, cum rationes adductæ eodem modo de omnibus procedant, & ratio distinguendi Mathematicam, siue sit abstractio, siue aliqua alia eodem modo militet inter Physicam & Metaphysicam, nec enim maior distinctio potest poni inter Physicam, & Mathematicam, quàm inter Physicam, & Metaphysicam. Quod si illa connexio rerum confunderet res in vnam scientiã, & ad hanc vnionem sufficeret connexio rationis superioris, & inferioris, vt arguebat Auersa, cum Metaphysica consideret ens, quod tanquam ratio vniuersalissima omnia inferiora sibi vnit, & in omnibus imbibitur, nulla scientia distinguenda esset à Metaphysica, sed omnes in vnam coirent Conatur etiam Auersa ostendere Arist. fuisse huius opinionis; sed immerito, vt ex dictis constat, & ex dicendis magis patebit, præsertim quando agemus de obiecto Metaphysicæ.

Qualis nam sit huiusmodi diuisio. Disp. VIII.

Ratio dubitandi, & quæ certa sunt præmittuntur.

SECTIO I.

I. CVm Philosophia speculatiua diuidatur in tres illas partes, vt declaratum est disp. præcedenti; inquiret aliquis, qualis nam sit huiusmodi diuisio an generis in species, an subiecti in accidentia; an analogi in sua analogata, an vero aliquo alio modo se habeat. Atque difficultas hoc pacto procedit; vt primo quidem inquirendum sit de philosophia speculatiua respectu metaphysicæ, & philosophiæ versantis circa obiectum inuoluens materiam; deinde de hac respectu physicæ, & mathematicæ. Sed quia eadem est ratio de omnibus, ideò parum refert, quod cum hac diuisione procedamus, eo enim modo, quo philosophia speculatiua descendet ad metaphysicam, & eam, quæ versatur circa obiectum non præscindens à materia, descendet etiam ad physicam, & mathematicam, mediante suo primo genere.

II. Atque ratio dubitandi, & non leuis, inde desumitur, quia non videtur esse generis in suas species, genus enim est quid superius respectu suarum specierũ: vnde si ex parte philosophiæ cõcedimus genus superius, debemus etiam concedere ex parte obiecti; cum omnis habitus sit talis per ordinem ad suum obiectum, & sicuti talis pars philosophiæ constituitur per ordinem ad tale obiectũ, ita philosophia in genere debet constitui per ordinem ad obiectum in genere acceptum. Hoc autem obiectum genericè sumptum videtur prorsus impossibile, & quod se habeat tamquam quid superius ad obiecta scientiarum particularium; nam metaphisica considerat ens, vt ens est, vnde ens, vt tale est, constituitur pro obiecto scientiæ specialis, at quænam ratio obiecti potest dari, quæ sit superior ente? supra enim ens nihil reale reperitur. Propter hanc autem difficultatem Perer. lib. primo suę philosophiæ cap. 6. negat esse generis in species, sed esse superioris analogi in sua analogata, quod non dicat naturam aliquam communem ab ipsis distinctam, sed quæ immediatè sit in ipsis.

Perer. Hic diuisionẽ esse analogi in sua analogata.

III. Pro resolutione autem huius difficultatis quędam certa præmitti debent. Et primò quidem certum est, quod huiusmodi diuisio non potest esse subiecti in accidentia; quod manifestè conuincitur ex eo, quod subiectum non potest prædicari in recto de accidentibus; non enim potest dici albedo est paries, aut nigredo est coruus. Scientia verò prædicatur in recto de suis partibus: Dicitur enim Metaphysica est scientia, seu philosophia speculatiua. Physica est speculatiua philosophia; & proinde concludendum est, quod nullo pacto possit esse diuisio subiecti in accidentia. Atque eadem de causa excludi potest diuisio totius in partes; si enim esset diuisio totius in partes, deberet esse diuisio in partes essentiales, quoniam Metaphysica, Physica, & Mathematica sunt inter se essentialiter diuersæ, & proinde essent partes essentiales. Verũ totum non pręcicatur in recto de suis partibus essentialibus: non enim dicitur Materia est compositum; vnde cum philosophia speculatiua de his prædicetur in recto, remanet, quod non possit esse diuisio totius in partes essentiales.

Hæc diuisio est subiecti in accidentia.

IV. Secundò certum est, quod Philosophia speculatiua prædicatur quidditatiue de his tribus membris diuidentibus, non solùm, quia prædicatur in recto, qui modus prædicandi, si fiat secundum abstracta, vt in casu nostro contingit, solùm conuenit prædicationi quidditatiuæ; sed etiam quia vnumquodque ipsorum intrinsecè constituitur per ordinem ad obiectum, quatenus scibile, & consequenter intrinsecè inuoluit rationem scientiæ speculatiuæ; quę consistit in ordinę transcendentali ad obiectum scibile, & proinde intrinsecè est philosophia speculatiua. Ex quo fit, quod ratio diuisa debeat esse quid essentiale respectu membrorum diuidentium. Quare solum remanet difficultas, an sit generis in species, an verò nulla adsit ratio communis superior, quæ diuidatur tanquam quid præcisum ab inferioribus, sed solum sit, quid immediatè imbibitum in inferioribus, & non præcisum.

Philosophia dicat quidditatiue de his tribus

Vera sententia explicatur.

SECTIO II.

I. QVamuis ratio dubitandi valdè vrgeat, nihilominus sentẽtia Perer. satisfacere non potest, & si res perpendatur, proculdubio, esse diuisionẽ generis in

Prima Conclu-sio. in suas species reperiemus. vnde Dicendum primò, Philosophiam speculatiuam esse quid commune superius ad Metaphysicam, Physicam, & Mathematicã. Et pro hac conclusione ratio efficax desumitur ex eo, quod Philosophia speculatiua est aliquid superius ad has omnes scientias, atque ita se habet, vt etiam participetur intrinsecè ab vnaquaque, ergo oportet, quod sit aliquid commune ab ipsis distinctum, Antecedens certum est; philosophia enim speculatiua de vnaquaque ipsarum in quid, & in recto prædicatur, & non est sola vox, quæ prædicetur, sed conceptus quidam obiectiuus, qui reperitur in omnibus intrinsecè participatus: nimirum cognitio rei per suas causas, vnaquæque enim in speculatione proprij obiecti procedit per causas inquirendo veritatem, vt per se manifestum est; vnde conueniunt omnes inter se, quod vnaquæque sit cognitio scientifica, seu per causam; & proinde hæc ratio, seu cognitio est quid superius ad omnes illas. Conseq. etiam declaratur, quia statim, ac ratio quædam reperitur in pluribus, & est eadem in omnibus, est quid commune ipsis, cum nihil aliud sit esse commune, quã à pluribus participari; atque statim, ac aliquid à pluribus participatur, potest intellectus accedere, & conceptum communẽ obiectiuũ ab ijs præscindere; habet enim hæc præcisio sufficiens fundamentum, nimirum distinctionẽ virtualem ex eo, quod ita in vno reperitur, vt reperiatur etiam in alio, in quo non est illius differentia; nec aliud fundamentũ interuenit in quocumque genere, quod à suis speciebus præscindatur: quando enim præscinditur animal, quod est quid superius commune, non alia distinctio virtualis, seu fundamẽtum interuenit, nisi quod in pluribus speciebus reperitur, quod sufficienter indicat, aliam esse formalitatem animalis, & aliam differentiarum, & ideò potest præscindi, vt quid superius commune; hoc autem totum contingit in philosophia speculatiua, quę eodem pacto potest præscindi à Metaphysica, Physica, & Mathematica.

Confir. præcedentis rationis. II. Atque magis confirmari potest hęc ratio, Quãdo philosophia speculatiua prędicatur de metaphysica nõ prędicatur sola vox, sed conceptus aliquis realis obiectiuus explicans ex parte naturam illius, ita vt sit eius partiale constitutiuum: rursus hic idem conceptus, quem asserimus de Metaphysica possumus etiam asserere de Physica tanquam ex parte explicãtem naturam illius: vnde sequitur, quod philosophia speculatiua se habeat tanquam aliquid superius respectu suorum inferiorum; quod enim de pluribus prędicatur, se habet, vt quid ad ipsa superius, ergo oportet, quod sit quid superius ab ipsis ratione distinctum, etenim dicit relationem ad inferiora, quę non potest saluari sine aliqua distinctione. Præterea dum de pluribus prædicatur, oportet, quod sit, quid vniuersale, & consequenter aliquid commune; vniuersale autem, & commune debet esse distinctum ab inferioribus, non solum propter ordinem, quem ad ipsa dicit, sed etiam propter oppositionem, quę inter superius, & inferius intercedit.

Prædicari in qd de pluribus fundatur in cõitate rationis prædicatis. III. Rursus argumentor, & inquiro, cur Metaphysica non potest esse quid superius ad physicam, & Mathematicam, & de ipsis prædicari in quid; certè nulla alia ratione, nisi quia non dicit aliquid cõmune, & superius participatum ab ipsis; & e contra si diceret aliquid commune superius ab ipsis participatum, posset prædicari in quid tanquam aliquid superius; vnde quod aliquid tanquam superius prędicetur in quid, fundatur in eo, quod sit aliquid commune participatum, ergo cum philosophia speculatiua prędicetur de his membris diuidentibus in quid, tanquam aliquid superius, oportet quod sit quid commune ab ipsis participatum. quod si est commune, etiam poterit esse præcisum. Omne enim commune potest à suis inferioribus præscindi, cum sit aliquid ab ipsis contradistinctum.

Philosophia speculatiua est quid cõtrahibile. IV. Tertiò. Philosophia speculatiua, si secundum se consideretur intra suum genus, est aliquid indeterminatum, nec habens totam suam perfectionem, quam potest habere ex aliqua maiori determinatione, vnde, quantum est de se, est aliquid contrahibile: ratio vero Metaphysicæ, aut Physicæ, siue Mathematicæ sunt aliquæ rationes contrahentes, & ipsam determinantes ad certam cognitionem; & quæ prius non versabatur circa obiectum determinatum, ex vi suarum differentiarum intelligitur versari; ergo cum hæ differentiæ se habeant vt contractiuum, & determinatiuum, oportet, quod philosophia speculatiua se habeat, vt determinabile, & contrahibile; quis

autem

autem non videt eo ipso, quod est aliquid contrahibile, esse aliquid superius distinctum, cum contrahibile à contractiuo contradistinguatur. Nec potest dici, quod sola vox sit communis, tũ quia experimur, nos verè aliquid reale concipere, quando cõcipimus in communi philosophiam speculatiuam, participantem rationem cognitionis realis; tum quia si differentiæ sunt realia contractiua, oportet, quod illis correspondeat reale cõtrahibile. Quod verò ratio talis philosophię speculatiuæ sit ratio contractiua, patet nõ solum quia facit illam versari circa tale obiectum; sed etiam, quia facit vnam ab alia differre, cum alioquin in ratione philosophiæ speculatiuæ vt sic conueniant.

Hæ partes philosoph. partim differũt partim conueniunt.

V. Confir. principaliter Physica, Metaphysica, & Mathematica sunt inter se essentialiter diuersæ, atque non sunt adeò diuersæ, quin in aliqua ratione conueniãt: sunt enim potius differentes, quam diuersæ; atque hæc diuersitas, seu differentia est intra rationem philosophiæ speculatiuæ, quia nimirum diuersa obiecta formalia, vt diximus, speculantur. Vel ergo hæ differentiæ diuidunt aliquam rationem communem, quæ sit philosophia, vel non diuidunt. Hoc secundum dici non potest, quoniam si non diuiderent aliquam rationem philosophiæ communem, intra rationem philosophiæ nullam haberent conuenientiam, quod tamen apertè constat falsum esse; nam omnes conueniunt in eo, quod per causas inquirant naturam de suo obiecto; & ex aliquibus notis principijs de eodem demonstrant aliquas cõclusiones, quæ non est imaginaria conuenientia, sed realis, & in ipso obiecto, neque est conuenientia extra rationem philosophiæ, sed intra eius latitudinem, cum philosophia nihil aliud sit, quam cognitio per causas, atque omnes conueniunt etiam in hoc, quod speculatiuo modo procedant, nam inquirunt cognitionem de suo obiecto, vt in ipsa sistant. ergo concludendum est, quod diuidant aliquam rationem communem. Verum si diuidunt rationem communẽ, oportet, quod hæc ratio sit ab ipsis præcisa, & distincta; idem enim non potest esse diuisum, & diuidens; adde. quod diuisum habet minorem latitudinem, quàm diuisibile, quia illud trahit ad se tantum partialiter; deinde semper, quandocumque aliqua ratio diuiditur ab aliquibus inferioribus, est quid cõmune præcisum respectu ipsorum. Atque ex his sufficienter conuincitur, philosophiam speculatiuam dicere aliquid commune præcisum.

Secũda Conclusio.

VI. Hinc dicendum est secundo. Philosophiam speculatiuã se habere tanquã genus respectu Metaphysicæ, Physicæ, & Mathematicæ, ita vt prius descendat simul ad Metaphysicam, & Philosophiam versantem circa obiectum, quod non pręscindit à materia, & hac mediante ad Physicam, & Mathematicam: vnde est diuisio generis in suas species. Quę conclusio desumitur ex Aris. 4. Metaph. tex. 4. vbi cũ dixisset, quod tot sunt partes philosophię quot substantiæ; subdit, quod hæ partes substantiæ habent genera nempè vnũ, & ens, & consequenter etiam substantiã vt sic, quamuis id Aris. non exprimat; deinde infert, quod etiam hæ partes philosophiæ debent sequi genera substantiæ, & proinde ipsæ quoque habere propriũ genus: verba ipsius Aris. sunt. *Sunt autem subinde habentia genera* (hoc est substantiæ istæ) *ipsum vnum & ens, quare, etiam scientiæ sequentur ista*.

Aristot.

Obiecta partiũ philosophię speculatiuę habent aliquid generi-cum cõmune.

VII. Atq. ex hoc textu potest elici prima ratio ad confirmandam hanc conclusionem. Obiecta harum trium partium habent aliquam rationem communẽ, & pręcipuè Metaphysicæ, & Physicæ, quæ quantum est de se, cognoscibilia sunt speculatiuo modo: ergo si obiecta habent aliquã rationem communem genericam cognoscibilem speculatiuo modo, etiam istæ partes philosophiæ habebũt suũ genus, quod sit philosophia speculatiua vt sic, & proinde diuisio erit generis in suas species. Hæc consequentia est clara, quia philosophia sequitur naturam obiecti; vnde si ex parte obiecti datur ratio generica, dabitur etiam ex parte philosophiæ, quæ ipsi correspondeat; neque enim, vt constat ex ratione dubitandi, ex alio capite negãda esset ratio generica, nisi quia huiusmodi ratio generica non correspondet ex parte obiecti. Quare solũ oportet ostẽdere, quomodo ex parte obiecti correspondeat huiusmodi ratio generica. Et imprimis, si loquamur de obiecto mathematicę hoc conuenit cũ obiectis aliarũ partium, quod sit speculatiuo modo cognoscibile; & similiter etiam obiectum Physicæ, & Mathematicæ conueniunt inter se in hoc, quod sint cognoscibilia speculatiuo modo. Vnde hæc ratio cognoscibilitatis speculatiuo modo, quæ

reperitur in obiecto omnium harum partium philosophiæ, non solum est generica, quia ita conuenit pluribus specie diuersis, vt possit ab ipsis adæquatè præscindi,& concipi se sola nulla concepta differentia talis,vel talis modi,quò speculatiuè cognosci potest; sed etiam est ratio maximè spectans ad rationem formalem obiecti,& proinde apta est, vt constituat rationem genericam obiectiuam, cui correspondeat genus philosophiæ speculatiuę vt sic.

Respon io refu atur.

VIII. Sed dicet aliquis, quod ratio huiusmodi, nimirum cognoscibilitas speculatiuo modo, non est apta ad constituẽ dam rationem genericam obiectiuam,cui correspõdeat philosophia in genere, quia scilicet est transcendens, & imbibitur in vltimis differentijs, quemadmodum ens imbibitur in vltimis differentijs, & quacumque formalitate inferiori. Verum id non rectè asseritur:falsum est enim, quod cognoscibilitas imbibatur in differentijs suis, quod, vt manifestum fiat aduertendum est,aliud esse,dicere cognoscibilitatẽ innolui in differentijs obiecti, quod con sideratur à philosophia speculatiua vt sic, et aliud dicere; quod inuoluatur in suis met differentijs, quibus contrahitur, seu in tali, & tali modo cognoscibilitatis speculatiuo modo. Primum enim verum est, quia obiecta Physicæ, Metaphysicæ, & Mathematicæ, secundum suas vltimas differentias, quibus in esse talis obiecti constituuntur, verè sunt cognoscibilia speculatiuo modo, at secundum falsum est, non enim talis, vel talis modus cognoscibilitatis speculatiuæ dicit intrinsecè cognoscibilitatem speculatiuam vt sic, quod euidenter patet, si considerentur rationes formales obiectiuæ: ratio enim corporis naturalis, quæ communiter statuitur ratio formalis obiectiua pro physica, non includit in se formaliter alias rationes superiores, sed dicit solam rationẽ corporis sic etiã ratio dimensionis in mathematica. In hac autem sola ratione obiectiua fundatur talis modus præcisè acceptus cognoscibilitatis speculatiuæ, & proinde sicut ratio obiectiua non includit aliã rationem superiorem, in qua fundetur cognoscibilitas speculatiua vt sic,ita neque talis modus, qui in ipsa fundatur includit cognoscibilitatem speculatiuam vt sic. Nec potest dici, quod includatur in tali ratione obiectiua ratione entis, quod in seipsa imbibit,quia cognoscibilitas speculatiua non sequitur rationem entis,sed tale ens, cum non omne ens sit cognoscibile speculatiuo modo; & ens, vt ens est, fundat non cognoscibilitatem speculatiuam vt sic, sed talem cognoscibilitatem speculatiuam, quæ correspondet metaphysicæ.

IX. Secundo argumentor. Ratio philosophiæ speculatiuæ vt sic est quædam ratio potentialis,quæ adæquatè præscindit à differentijs, per quas contrahitur, possumus enim commodè concipere cognitionem procedentem ex causis, quæ sit propter se expetibilis,absque eo,quod concipiamus versari circa tale, vel tale obiectum; rursus quandocumque concipimus, quod versetur circa tale, vel tale obiectum, simul etiam concipimus differentias, per quas contrahatur per quãdam compositionem metaphysicam, qua mediante constituatur quoddam compositum metaphysicum, constans ex parte actuali, atque potentiali; hoc autem cõ positum metaphysicum nihil aliud est, quam species, quę, vt dicemus infra suo loco, habet hoc, quod ex vi suæ essentiæ sit huiusmodi compositum, constans ex parte actuali, & potentiali metaphysica; vnde quod diuiditur, oportet, quod sit genus, & consequenter sit diuisio generis in suas species. Quod etiam potest confirmari ex distinctione generis, quod enim prædicatur de pluribus differentibus specie, est genus, atque illa speciæ differunt, quæ differunt essentialiter, & conueniunt in aliqua ratione superiori contrahibili; hoc autem totum contingit in his partibus philosophiæ,quæ essentialiter differunt, & etiam conueniunt in ratione philosophię speculatiuæ vt sic, quæ est quid contrahibile per differentias, quas tales partes important, & de ipsis in quid prędicatur, & idcirco oportet, quod se habeat tanquam genus ipsarum.

Secũda ratio.

Philosophia vt sic quid potentiale.

Soluitur ratio dubitandi, & alia difficultas expeditur.

SECTIO III.

I. Ratio dubitandi, quam initio sect. primæ retulimus,non difficilè soluetur, si attendemus ad ea, quę diximus sectione præcedenti in confirmatione nostræ secundę conclusionis. Vnde sup po-

posito pro nũc ens est, esse obiectũ metaphysicæ, quod infra suo loco disputabimus, respondendũ est, posse ens dupliciter considerari, & prout dicit rationem essendi; & prout dicit rationem cognoscibilis. Si primo modo accipiatur, certum est non habere aliquid superius, quod possit induere rationem generis, cum supra ens, prout dicit habere esse, nihil reale sit. at vero si consideretur secundum rationem cognoscibilis, tunc potest habere supra se aliquid, quod induat rationem generis. Quod vt melius intelligatur, oportet considerare, quod quando ens sumitur secundum rationem scibilis, non intelligitur de scibilitate latè sumpta, prò ut conuertitur cum intelligibilitate, quia cum intelligibilitas sit passio entis tàm latè patet, quàm ipsum ens; & sicuti ens non habet aliquid superius intra rationem entis, ita nec intra rationem intelligibilitatis, cum sit eiusdem vniuersalitatis cum ente; sed debet intelligi de scibilitate scientifico modo, quę dicat illum peculiarem modum scibilitatis, quo ens scientifico modo est cognoscibile.

Q̃iõ etiã in rõne cognoscibilis habeat aliquid superius.

II. Si ergo ens sumatur, prout est hoc peculiari modo scientificè cognoscibile, potest habere aliquã rationem genericã superiorem, quia tunc dicit, quod ens sit intra talem abstractionem, & quod de ipso tractet metaphysica, ex talibus principijs, & cum tali modo tendendi, quod est aliquid valde determinatum, & dicit peculiarem speciem cognoscibilitatis scientificæ, simul ab alijs contra distinctam, & cum ijsdem conuenientem, quatenus dicit rationem cognoscibilitatis scientificæ vt sic atq. hæc eadem ratio est genus ad talem cognoscibilitatem sciẽtificam, quam ens, vt ens est participat, & insuper addit suũ proprium modum cognoscibilitatis, ratione cuius ens ponitur sub cognoscibilitate vt sic, tanquam sub genere. Cum ergo ens in ratione cognoscibilis habeat genus, atque differentiam, soluta manet tota difficultas, nam iam ex parte obiecti habemus rationem genericam, nempe cognoscibilitatem scientificam vt sic, quam habet pro obiecto philosophia speculatiua vt sic, & talem, vel talem cognoscibilitatem scientificam, quæ correspondet tali, vel tali parti philosophiæ.

Altera difficultas.

III. Altera autem difficultas etiam ex parte obiecti harum scientiarum oritur. Ita enim se debent habere scientiæ, quẽadmodum se habent earundem obiecta: vnde si obiecta non possunt constituere diuersas species, nec etiam scientiæ erũt diuersæ speciei. Quod autem obiecta non possint constituere diuersas species, inde colligitur, quoniam, quæ sunt specie diuersa, cum per differentias oppositas constituantur, non possunt se habere tan quam gradus subordinati; gradus enim subordinati possunt concurrere ad constituendã vnam naturam, & propter oppositionem præstare nõ possunt differentię, quæ constituunt diuersas species; vnde quæ se habent, vt gradus subordinati, nõ possunt se habere tanquam species sub eodem genere positæ. Obiecta autem saltem Physicæ, & Metaphysicæ se habent vt gradus subordinati, Metaphysica enim considerat ens, Physica verò corpus; ens autem, & corpus sunt gradus subordinati; corpus enim subordinatur enti, vnde non potetunt constituere diuersas species obiecti.

Quæ sũt specie diuersa, nõ sũt subordinata.

IV. Huic difficultati ex ijsdem ferè principijs respondendum est, quibus præcedentem soluimus: nimirum posse rationem corporis, & entis considerari secundum rationem essendi, seu secundum essentiam, quam important, & hoc pacto verum quidem est, quod sint gradus subordinati, quia corpus est ratio quædam contractiua entis mediante substantia; & proinde si secundum hanc rationem spectentur, non possunt se habere tanquam species diuersæ; ponuntur enim sub eadem serie prædicamentali, & quamuis ens non se habeat, vt quid prædicamentale; prædicatur tamen de inferiotibus speciebus, & de corpore in quid, quod non conuenit ijs, quæ sunt specie diuersa. Cœterum adhuc considerari possunt secundum rationem scibilis, non quidem scibilis largè sumpti, sed prout dicit talem modum cognoscibilitatis speculatiuæ, correspondentem, vt proprium vtrique scientiæ; atque tunc hi peculiares modi cognoscibilitatis speculatiuę non se habent, vt gradus subordinati, sed vt differentiæ omninò incompossibiles, & se mutuo ab eodem genere obiecti excludentes: & idcircò constituunt diuersas species obiecti, & partes philosophiæ ipsi correspondentes sunt diuersæ speciei sub eodem genere scientiæ. Non hinc tamen excludimus, quod hæ duæ partes philosophię non subalternentur; quia de hoc disputabimus infra; quamuis enim essent

partes philosophiæ subalternæ, adhuc tamen possent esse specie diuersæ, quia scientiã subalternari, non dicit, quod earum obiecta se habeant tanquam gradus subordinati, sed hoc præciso ex alio capite saluatur subalternatio.

An Philosophia speculatiua dicatur vniuocè de Metaphysica, Physica, & Mathematica. Disp. IX.

Sententia negatiua, & eius fundamenta dissoluta.

SECTIO I.

I. CVm Philosophia speculatiua sit genus respectu Metaphysicæ, Physicæ, & Mathematicæ, ita tamen, vt non immediatè descendat ad has duas postremas, sed mediã philosophia speculatiua, quæ versatur circa obiectum non præscindens à materia; nunc oportet inquirere, an sit aliquid vniuocum respectu ipsarum, an vero aliquid analogum. Et quamuis eo ipso, quod est genus, sequatur etiam, quod sit vniuoca, cum omne verum genus debeat esse quid vniuocum; tamen quia habet peculiarem difficultatem ex alio capite, & nonnulli in contrarium sentiunt, ideo peculiaris disputatio de hac re instituenda est, & pręcipua difficultas in eo consistit, quod qui dam putent, Mathematicam non esse verè scientiam, & proinde non participare perfectè veram rationem phylosophiæ speculatiuæ, quæ propriè est scientia vnde etiam pro eius resolutione inquirendum est, an Mathematica sit vera scientia, supponendo, quod Physica sit talis vt communiter docent.

I. sentẽ. negans esse qd vniuocum Alexan. II. Non esse autem aliquid vniuocũ, sed analogum tradit Alexander Aphrodis. in proem. super lib. Prior. quem alij recentiores apud Perer. sequuntur & ipse quoque tenet hanc opinionem cap. 12 suæ philosoph. prob. autem Alexander, (Perer.) quoniam Metaphysica versatur circa res diuinas, non autem aliæ partes philosophiæ speculatiuæ, sicuti autem inter res diuinas, & res inferiores non datur aliquid vniuocum, ita neque inter Metaphysicam, & alias partes philosophiæ. (I. argumentũ.) (Secũdũ) Atque eodem ferè modo alij argumẽtantur apud Perer. citatum, inquiunt, quod quando obiecta non sunt vniuoca, neq. scientiæ possunt esse vniuocæ; at obiecta harum scientiarum non sunt vniuoca, siquidem Deo, & creaturis nihil est vniuocum; metaphysica autem agit de Deo. (Tertiũ.) Tertio alij apud eundem Perer. scientia non potest dici vniuocè de subalternãte & subalternata, cum igitur cœteræ scientiæ metaphysicæ subalternentur, vt physica, & mathematica, non poterit dici de ipsis vniuocè. (Quartũ.) Denique Perer. putat tolli vniuocationem ex parte mathematicæ, quia ipsa non est verè scientia, atq; quod non sit verè scientia inde probat, quia non procedit per veras causas; medium enim demonstrationis mathematicæ est aliquid, quod per accidens se habet ad rem demonstrandam; & ideo non potest gignere veram scientiam. Concedit tamen Perer. quod vniuocè dicatur de physica, & metaphysica.

(Expenduntur allata fundamenta.) III. Verum hæc fundamenta parum firma sunt, & si rectè expendantur non concludunt, cum enim Alexander dicit, quod res diuinæ, & inferiores nihil habent commune vniuocum, esto id verum sit quoad esse materialiter consideratum; si tamen considerentur secundum rationem formalem obiecti, & prout dicunt proprium modum cognoscibilitatis sciẽtificæ, oportet, quod si spectant ad eandem scientiam cum alijs rebus non diuinis, quod simul cum ijs participent aliquid vniuocum, quo constituantur intra eandem abstractionem, & participent eandem rationem formalem obiecti, alioquin non possent ad eandem scientiam spectare; possunt autem spectare ad eamdem scientiam, nam metaphysica non solum per ipsos considerat res diuinas, sed etiam non diuinas, cum considerer ens, secundum totam suam latitudinem. Deinde dubium est, an res diuinæ spectent ad metaphysicam; sicuti etiam dubium est de Deo, quod infra examinabimus. Rursus quicquid de hoc sit, & admisso quod inter res diuinas, & huma-

nas

nas, seu inferiores non possit esse aliquid vniuocum, solum sequetur, quod cum metaphysica consideret res diuinas, vt talis scientia est, non habeat aliquid vniuocum cum cæteris, prout est talis scientia specie, non autem vniuersaliter considerata, quatenus præcisè dicit, quod sit cognitio per causam: vnde tota diuersitas, tàm ex parte scientiæ, quàm ex parte obiecti proueniet ratione differentiarum, & proinde non tollet vniuocationem generis. Atque hoc eodem modo soluenda est secunda ratio, cum similiter procedat ex eo, quod obiecta non conueniant in aliquo vniuocè. Quod si verum esset non conuenire in aliquo vniuocè, non possent spectare ad eandem scientiam cum ijs cum quibus vniuocè non conueniunt. Scotistæ vero responderent, quod Deus, & creatura conueniunt vniuocè in ratione entis, & etiam in aliis rationibus, quod pariter docent Nominales.

Tertia ratio in efficax. IV. Quod vero spectat ad tertiam rationem, etiam inualida, & inefficax est nam imprimis dubium est, an metaphysica subalternet sibi alias scientias, vt physicam & mathematicam, atque complures id negant; Sed si concedatur sibi subalternare non video, cur non possit vniuocè conuenire in ratione scientię vt sic subalterna cum subalternante. Quod enim subalterna non habeat principia indemonstrabilia, sed illa demonstrentur à superiori scientia, adhuc tamen rigorosè seruat rationem formalem scientiæ, & est certa, atque euidens cognitio à priori, & per causas; vnde non video, in quo deficiat ab vniuocatione generica, cum subalternante, cum æque sit euidens & certa cognitio. Denique neque fundamētum Pererij valet quoniam falsum est quod mathematica non sit vera scientia, vt ostendemus iuxta mentem Arist. atque communem sensum Doctorum.

Secunda sententia, & fundamenta pro eius explicatione.

SECTIO II.

Secūda sententia admittens vniuocationem. Iauel. I. Altera sententia affirmat philosophiam speculatiuam esse quid vniuocum respectu harum trium specierum, quam opinionem referr Perer. lib. 1. suæ philosophię cap. 11. & eam tradit Iauel. 6. Metaph. quest. 7. §. Respondent aliqui &c. Alij autem Auctores citari non possunt, quia hæc quæstio non solet agitari: puto tamen, quod communiter eam amplecterentur, cum communiter concedant, tàm Metaphysicam; quàm alias duas scientias esse propriè, & rigorosè scientias speculatiuas, quæ sine vniuocatione philosophiæ vt sic speculatiuę nequaquā saluari posset vt est per se euidens. Affert etiam Iauel. pro hac sententia fundamentum, quia scientia speculatiua vt sic ponitur in prædicamento, sub qua tanquam sub genere collocantur hæ tres species, nihil autem, quod vniuocum non sit, ponitur in prædicamento. Verum hæc ratio non mihi videtur conuincens, quoniam cum omnia ponantur in prędicamento præter transcendentia, sequeretur, quod ipsa sola essent analoga, quod si ipsa non sunt analoga, vt aliqui volunt; rolleretur prorsus omnis analogia. Deinde cur, quę ponunrur in prædicamento, non possunt esse analoga, quamuis analoga non sint secundum supremū genus? possunt enim esse analoga secundum aliquam aliam rationem, sic pes animalis, & pes scamni quamuis sint in prædicamento substantiæ & secundum rationem substantiæ vniuoca sint, secundum tamen rationem pedis sunt analoga; & alias plures analogias reperiemus in prędicamentis, vnde alio pacto hæc sententia confirmanda est.

II. Vt igitur hanc sententiam, quam veram existimo, confirmemus, præmittendum est primo; quod cum quærimus, an philosophia speculatiua dicatur vniuocè de Metaphysica, Physica, & Mathematica, non est spectanda dignitas, & excellentia scientię, quia cum hęc attendatur etiam penes obiectum materialiter consideratum, & penes alia munera, quę scientia exercet, quæ sunt extra rationem formalem scientiæ speculatiuæ, vt talis est, facilè secundum hanc metaphysica omnes alias scientias superat; non solum quia habet obiectum nobilius, cum agat de ente vniuersalissimè sumpto, sed etiam quia recognoscit obiecta aliarum sciētiarum, atque ea distribuit, & diuidit, vnicuique proprium assignando; atque etiā alia officia exercet, quæ illi conferunt magnam dignitatem, vt est, recognoscere, an vera sint principia aliarum scientiarum, & alia huiusmodi. Sed debet attendi propria ratio scientiæ, quæ in eo consistit, quod sit congitio certa, & euidens In vniuocatione non est attēdēda excellētia sciētiæ.

dens

dens per causam; & hinc nihil refert, quod vna agat de Deo, & speculetur diuina; altera vero agat de substantia corporea, & speculetur res ordinis longè inferioris, quia hoc per accidens se habet ad rationem certæ, & euidentis cognitionis per causam, imo quantum est ex hoc præcisè, scilicet ex nobilitate obiecti, fieri potest, quod scientia non sit adeo euidens. Si ergo æqualiter participant rationem cognitionis certæ, & euidentis per causas in communi, concludendum est, quod philosophia speculatiua sit quid vniuocum respectu ipsarum.

Quanta maior euidentia, & certitudo tollat vniuocationem.

III. Verum quoniam contingit vnã ex his scientijs esse euidentiorem, & magis certam, quam sit alia, ex eo, quod habeat euidentiam, & certitudinem nobiliorem, valde aduertendum est, vnde nam proueniat huiusmodi excellentia certitudinis, & euidentiæ, an scilicet ab obiecto, prout est scibile præcisè vt sic speculatiuè, an vero à tali ratione obiecti. Si enim proueniret ab obiecto, vt dicit communem rationem cognoscibilitatis speculatiuo modo, tunc hæc maior excellentia redundaret in rationem generica scientię speculatiuæ, & tolleret vniuocationem, quia perfectiori modo genus reperiretur in vna, quàm in alia. At si prouenit ab obiecto, prout dicit talem rationem obiecti, tunc ista maior excellentia certitudinis, & euidentiæ redundabit tantum in rationem differentialem scientiæ, & ideo non officiet vniuocationi generis; nam diuersitas, quæ prouenit à differentijs, non tollit vniuocationem genericam.

Quomodo in mathematicis scientifico modo procedi possit.

IV. Secundo obseruandum est, obiectum mathematicæ esse quantitatem consideratam secundum rationem mensurabilitatis, siue dimensionis, siue numeri, vnde licet figuræ, quę spectãt ad obiectũ nõ possit habere, vt plurimũ, veras causas in essendo, sicuti habet obiectum physicæ; quia si secundum seipsas considerentur figurę, constant ex lineis, quæ ita constituunt vnam figuram; vt vnaqueque ipsarum possit ad aliam figuram constituendam concurrere, & proinde quasi accidentaliter se habet, quia quamuis necessaria sit ad constituendam figuram, non est tamen propria illius. Cæterum possunt etiam in mathematica causa materialis, & formalis suo modo constitui, ita vt quantitas dimensibilis, seu lineę quibus figuræ constant constituantur pro materia, ipsa vero ratio, seu forma figuræ, vt est ratio trianguli, aut quadranguli subeat rationem causæ formalis, & vocari possunt causa materialis, & formalis in genere mathematico. Præterea intra obiectum mathematicæ adsunt etiam quędam proportiones, & necessariæ correspondentię, quæ non habent minorem connexionem, quàm reperiatur in rebus physicis, vt quod triangulus habeat tres angulos æquales duobus rectis, atque alia huiusmodi.

V. Hinc autem sequitur, quod licet in mathematica, non sint veræ causæ in essendo; reperitur tamen causa formalis, & materialis, quæ intra genus mathematicum possunt suo modo appellari causæ in essendo, ex quibus possunt desumi congruentia media demonstrationis mathematicæ, quæ necessario inferat conclusiones aliquas, atque non solum ex his causis, sed etiã ex alijs proportionibus, & necessarijs correspondentijs desumi possunt alia congruentia media demonstrationum, ex quibus veritates necessarię deducantur, vt constat ex toto processu ipsius mathematicæ, quæ quodammodo causę sunt illius, quod demonstratur, quatenus à priori, & per se illud inferunt & idcirco dici possunt causæ ostensiuæ, quia ostendunt veritatem, quæ prius latebat, & propter necessariã connexionem quam cum ipsa habent, faciunt, quod in nostro intellectu generetur. Et quemadmodum etiam in cœteris scientijs, demonstrationes, quæ procedunt per media necessaria, qualis est definitio, dicuntur procedere per causas, quamuis re vera causæ non sint, vt contingit in rebus simplicibus, quæ non habent neque causam materialem, neque formalem, ita etiam dicendum est de mathematica, quę etiam procedit per suas definitiones, quamuis ratione diuersi obiecti formalis, & diuersæ abstractionis habeat diuersum modum definiendi.

VI. Tertio adnotandum est. Quod cognitio scientifica ideo debet esse per causam, vt sit certa, & euidens: statim enim ac aliquid potest gignere certam, atque euidentem cognitionem, est sufficiens causa, per quam possit scientia procedere, & habet totum id, quod requiritur ad causam, quæ necessaria est ad scientiam. Hinc parum refert, quod scientia sit per causam in essendo, aut per causam solum ostensiuam, dummodo idem præstet

Cognitio scientifica debet esse per mediũ necessariũ & hoc illi⁹ sufficit.

præstet

præstet; & quia causa in essendo, quando assumitur ad aliquid demonstrandum, nihil aliud confert scientiæ præter certitudinem, & euidentiam, quam etiam confert causa ostensiua ob necessariam cõnexionem, quam habet cum eo, ad quod demonstrandum assumitur; ideò ad veram scientiam generãdam parum refert, quod causa sit ostensiua, vel in essendo; cũ enim sola necessaria, & euidens connexio requiratur inter id, quod demonstratur, & id, quod ad demonstrandum assumitur, nihil refert, quod huiusmodi necessaria connexio in hoc, vel in illo fundetur. Quare ad saluandam proprietatem scientiæ, nihil obstabit, quod procedat per causas ostensiuas, sed quantum est ex hoc capite, tàm erit vera, & propriè scientia illa quæ procedit ex causis ostensiuis, quàm illa, quæ procedit ex causis in essendo. Imò addo, quod si intueamur causalitatem, quam vtreque respectu scientiæ exercent, omnes sunt veræ causæ, & propriæ, atque etiam sunt causæ in essendo respectu ipsius scientiæ, quia ex vi ipsarum, etiam si solùm ostensiuæ sint, ponitur in esse scientia.

Scientia vt sic est per causam vt sic, talis scientia per tale genus causarũ. VII. Denique aduertendum est, quod sicuti obiectum scientiæ in communi est scibile vt sic, atque talis scientiæ tale scibile; ita similiter sciẽtia vt sic est cognitio certa, atque euidens per causam vt sic, generatiuam scientiæ, non verò per talem, & talem causam: sed solum talis scientia erit per tale genus causæ. Quare, quod sciẽtia aliqua procedat per tale genus causæ, nihil faciet ad rationem genericam ipsius, sed spectabit ad rationem differentialem; & proinde, quod vna procedat per causas ostensiuas in essendo, immutabit tantum rationes differentiales, non autem faciet, quod ratio generica diuerso modo sit in vna, ac sit in alia; quia ratio generica sciẽtiæ, quantũ est de se, requirit, quod sit per causam habentem necessariam connexionem cum eo, quod demonstratur: & hoc pacto etiam variatio illa secundum euidẽtiam, & certitudinem, quæ prouenit ex eo, quod scientia procedat per tale, vel tale genus causæ, pertinebit tantum ad rationem differentialem scientiæ, & ideò nõ tollet genericam vniuocationem ipsius. His ergo iactis fundamentis, facile erit totam difficultatem enodare, cum maior difficultas sit de Mathematica, quàm de cæteris.

Secunda sententia adprobatur, & confirmatur.

SECTIO III.

I. VT secundam sententiam confirmemus, quã verã esse statuimus, pro resolutione principalis difficultatis Dicendum est primò. Mathematicam esse verã scientiã speculatiuã. Et quod sit speculatiua dubiũ non est, cum cognitio, quæ per ipsam acquiritur, non ordinetur ad opus, sed sit propter seipsã. Quod verò sit verè, & propriè scientia, desumitur nõ solum ex communi sensu Philosophorũ, sed præcipuè ex Arist. pluribus in locis, nam 6. Metaph. tex. 2. vbi distribuit obiecta speculatiuæ philosophiæ, iuxta triplicem numerum, triplicem philosophiam speculatiuam constituit, inquit enim *Quare tres vtique erunt speculatiuæ Philosophia Mathematica Naturalis Theologia*. Quod si ponit Mathematicam esse speculatiuam philosophiam, oportet, quod sit verè sciẽtia, quia cum speculatiuum sit differentia scientiæ propriæ dictæ, quomodo erit speculatiua, nisi sit scientia propriè dicta? Quod magis etiam confirmat, quod supra dixerat, nimirum *Necesse est autem omnes quidem causas perpetuas esse, maximè verò has*. Hoc est, oportet, quod omnes causæ per quas procedunt hæ scientiæ, perpetuæ sint, sed maximè hæ, per quas procedit Metaphysica; vbi vult, quod etiam Mathematica procedat per causas, & ideò vera sit scientia, & alibi similia habet, & sæpè vocat demonstrationes mathematicas certissimas, & euidentissimas, & quod tales sint, etiam experientia constat. Prima Conclusio.

II. Atque etiam potest ex ijs, quæ sectione præcedenti diximus, confirmari. Mathematica enim procedit per causam formalem, & materialem intra genus mathematicum, procedit per definitiones, non secus, ac aliæ scientiæ, atque per alia media desumpta ex proportionibus, ac necessarijs correspondentijs, quæ omnia apta sunt ad generandam certam, & euidentem cognitionem, quid ergo ei deest ad perfectam rationem scientiæ? Quod si definitio in alijs scientijs potest veram scientiam generare, quando assumitur, vt medium demonstrationis, cur non poterit etiam in Mathematica? Confir. Certa, & euidẽs cognitio arguitiua, hoc Mathematica procedit per causas.

est per discursum acquisita, saluat perfectè, & completè rigorosam quidditatem scientiæ,& in tantum scientia dicitur esse cognitio per causam, in quantum est cognitio acquisita, quæ requirit aliquod medium extrinsecum, à quo deducatur, quod debet esse causa, vt possit certitudinem, & euidentiam debitam influere; in se verò scientia intrinsecè est tantum certa, & euidens cognitio arguitiua, & hac saluata, adæquatè saluatur rigorosa scientia; ergo cum mathematica sit certa, & euidens cognitio arguitiua, vt per se manifestum est,cur non erit etiam rigorosè scientia?

Secūda conclusio. III. Secundò dicendum est. Scientiā, seu Philosophiam speculatiuam dici vniuocè de Metaphysica,& Philosophia,quę versatur circa obiectum non abstrahens à materia,& hac mediāte de Physica,& Mathematica, ita vt tanquam quid vniuocū in his omnibus tribus membris reperiatur. Et ratio pro hac conclusione desumitur ex æquali participatione, qua hæc tria membra æqualiter philosophiam speculatiuam participant,vnumquodque enim est certa,& euidens cognitio arguitiua,in quo consistit ratio scientiæ. Quod si vna habet certitudinem, & euidentiā magis excellentem,id non tollit vniuocationem generis, quod enim Metaphysica sit magis certa,& euidens, quàm cœteræ, id habet,quia versatur circa tale obiectū, & demonstrat suas conclusiones ex principijs vniuersalissimis, quod cum illi cōpetat ratione suæ proprię differentiæ,qua à cœteris contradistinguitur,sequitur, ꝙ etiā hæc maior euidentia conueniat metaphysicæ,vt metaphysica est, & ideò non tollat vniuocationem generis.

Secūda ratio. IV. Secundò. In obiectis harum scientiarum adest ratio formalis talis obiecti, secundum quam omninò differunt inter se; ergo debet adesse etiam ratio obiecti speculabilis vt sic, secundum quam omninò conueniant; atque cum scientię sequantur obiecta, cum quibus proportionantur, oportet etiam, vt debita seruetur proportio, in ipsis concedere rationem scientiæ, secundum quam omnino differant, & rationem scientiæ secundum quā omninò conueniant, quæ correspondeat rationi obiectiuæ communi. Quod si admittimus hanc rationem obiectiuam cōmunem,secundum quam scientiæ istæ cōueniant,oportet etiam admittere vniuocationem scientiæ, quia vniuocatio, & perfecta cōuenientia idē sunt. Quod verò in obiectis dētur huiusmodi rationes, quibus differant,videtur euidens; nam vnumquodq. dicit suam peculiarem rationem formalem obiectiuam,per quam cōstituitur intra peculiarem abstractionem, atque si obiecta considerentur secundum hāc propriam rationem formalē obiectiuā,nullam habent inter se conuenientiā, cū quatenus propria,faciat secundū se tota eā obiecta differre Quod verò hinc sequatur concedendam esse rationem,secū dum quam omninò conueniant, quæ erat prima consequentia,inde colligitur, quia manifestum est, quod admittenda est aliqua ratio cōuenientię. Verū hæc ratio cōueniētiæ, si præscinderetur, esset omninò extra rationē differentiæ,quia si propria ratio differentię vniuscuiusq. obiecti facit illud omninò ab alio differre,oportet etiā ꝙ ratio communis conuenientiæ, non imbibatur in ratione differentiæ, ita vt non possit adæquatè pręscindi,alioquin ratio illa differentialis partim faceret differre, partim conuenire;quod si potest adæquatè præscindi, iam erit sic præcisa pura ratio cōuenientiæ,& consequenter perfecta quia nullam inuoluet diuersitatem.

V. Tertiò. Qualibet ex his partibus Philosophiæ habet suam propriam differentiam constitutiuam; vel ergo præter hanc rationem differentialem participat aliquam rationem genericam communē cum alijs, vel non participat. Hoc secū dum non potest dici, tum quia non esset vera pars philosophiæ speculatiuæ, tum quia differentia illa, qua constituitur, essentialiter supponit rationem philosophiæ speculatiuæ vt sic, & idcirco necesse est, quod vnaquæque pars participet rationem philosophiæ speculatiuæ vt sic. quod si vnaquæque participat rationem philosophiæ speculatiuæ vt sic,oportet etiam, quod participet sine aliqua diuersitate, nam eadem ratio generica erit in omnibus, quod nequit stare cum aliqua diuersitate; omnis enim diuersitas secundum rationes formales, quæ non suscipiunt magis, & minus, sed consistunt in indiuisibili, essentialis est; diuersitas autem essentialis non relinquit eamdem rationem, siue genericam, siue specificam, sed multiplicat; cum ergo sit eadem ratio generica in omnibus, erit etiam sine vlla diuersitate, & consequenter cum vniuocatione, quia vbi non est diuersitas, ibi est vniuocatio. Tertia ratio.

Neque

VI. Neque contra hanc ſententiam video difficultatem. quæ ſit alicuius momenti, cum iam ſtatutum ſit, vnamquaq. procedere per cauſas ſufficientes ad generandam veram ſcientiam; atque omnis difficultas, quæ ex inæqualitate deſumi poſſit commodè ſoluitur ex eo, qnod huiuſmodi inæqualitas prouenit tantum ratione differentiarum, quod manifeſtum erit id conſideranti, quia tota illa maior perfectio, qnam vna ſupra aliam habere videtur, ſtat ex parte differentiæ, & ex tali modo procedendi, quem vt talis ſcientia eſt, ſibi vſurpat. Quare maneat, philoſophiam ſpeculatiuam vt ſic diuidi modo ſupra explicato in has tres partes Metaphyſicam, Phyſicam, atque Mathematicam, tanquam genus vniuocum in ſuas proprias ſpecies.

An perfecta cognitio ſpeculatiua, debeat eſſe per omnes cauſas. Diſp. X.

Cõmunis ſententia, & quædã pro declaratione adnotantur. *Sect. I.*
Reſoluitur tota difficultas. *Sect. II.*

Communis ſententia, & quædam pro declaratione adnotantur.

SECTIO I.

Cõis Doctrina

I. EXplicata diuiſione tum philoſophiæ in communi, tũ philoſophiæ in particulari, nempè ſpeculatiuæ, conſequens eſt, vt videamus, quid requiratur ad eius perfectionem, & an neceſſe ſit, vt per omnes cauſas procedat. In qua re Doctores concordes ſunt, & conueniunt in hoc, quod cognitio ſimpliciter perfecta, & in omni genere debet eſſe per omnes cauſas; Cognitio autem perfecta in genere determinato, per cauſas, quæ in illo genere occurrunt. Rurſus cognitionẽ definitiuam debere eſſe per cauſas intrinſecas; prout verò res conſideratur in fieri, requirere etiam cauſas extrinſecas, quoniam ab ipſis dependet; atque hæc eſt ſumma doctrinæ, quam de hac re tradunt Philoſophi, præſertim recentiores, vt Tolet. 1. Phyſic. cap. 1. quæſt. 4. Iauel. quæſt. 2. Peter. lib 3. ſuæ philoſophiæ cap. 5. Conimb. 1. phyſic. cap. 1. quæſt. 1. Ruu. ibid. atque alij hoc eodem loco, præſertim Expoſitores.

Tolet. Iauel. Peter. Conim. Ruu.

II. Vt autem rem omnem diſtinctius explicemus, quædam prius adnotabimus, quæ valde conferent ad rei intelligentiã. Primum igitur, quod adnotare oportet, eſt, quod cognitio dupliciter diſtingui ſolet; alia enim eſt cognitio Intuitiua, alia verò Abſtractiua. Cognitio intuitiua eſt illa, qua res immediatè in ſeipſa cognoſcitur, & modo quodam experimentali percipitur, quo experimur rem in ſe cognoſci, vt præſentem; dicitur autem intuitiua, ducta ſimilitudine à viſione, quæ fertur in obiectum præſens, & in ſeipſo illud attingit, & idcirco dicitur intueri. Abſtractiua verò cognitio ex oppoſito ſe habet; non enim repræſentat obiectum modo experimentali, neque vt præſens, ſed ſolum per illam metè intellectus percipit obiectum, abſque eo, quod in ſe ipſo illud attingat, & experiatur præſens; Atque talis eſt Cognitio diſcurſiua, qua intellectus per alienas ſpecies res attingit, deueniendo à cognitione vnius ad cognitionem alterius; atque ſimpliciter omnis cognitio, quæ fit per alienas ſpecies. An autem detur cognitio abſtractiua, quæ fiat per propriam ſpeciem nõn eſt hujus loci diſputare: eſſet enim grauis quæſtio, quæ non ita facilè expediri poſſet.

Cognitio Intuitiua, & Abſtractiua.

III. Cognitio autem Intuitiua eſt duplex. Alia enim eſt Comprehenſiua, alia verò non comprehenſiua. Eſt autem hoc diſcrimen inter cognitionem Comprehenſiuam, & non Comprehenſiuam; quòd ad hanc ſufficit, quod res quidditatiuè, & per propriam ſpeciem cognoſcatur modo illo experimentali, quo intellectus percipit, & veluti experitur obiectum præſens, & in ſe; eo ferè modo, quo diximus oculum percipere ſuum obiectum. At comprehenſiua cognitio debet obiectum, non quomodocumque, ſed quantum cognoſcibile eſt, repræſentare, ita vt cum omni eius cognoſcibilitate adæquetur, nec minor ſit cognitio in repræſentando, quàm obiectum in eſſe repræſentabili; hinc debet repræſentare quicquid, & quocumque modo in ipſo continetur; & ideò debet repræſentare omnes habitudines, quas dicit ad extrinſeca, & conſequenter etiam debet attingere terminos aliquo modo illarum habitudinum, cum nequeat habitudo cognoſci

Duplex cognitio Intuitiua.

sine suo termino; & hinc fit, quod nequeat aliqua causa comprehensiuè cognosci, nisi saltem secundum speciē attingantur omnes effectus; quilibet enim effectus virtualiter continētur in sua causa: vnde & dicit habitudinem ad ipsam. Verùm, vt hoc obiter adnotemus, non hinc sequitur, quod comprehendens materiam, debeat comprehendere omnes formas, quas potest recipere; sed cum vna, atque eadem omninò potentia substantiali omnes recipiat, sufficit si illam cognoscat ex habitudine ad formam substantialem in genere. Verum tamen est, quod si formæ continentur potentialiter in materia, ita vt illas educi, sit extrahi de eius potētia, tunc ad eius comprehensionem necesse est, vt omnes secundum speciem saltem cognoscatur, quia omnes in ipsa continerentur; vnde etiam eo pacto, quo continerentur deberent attingi.

Duplex cognitio scientifica.

IV. Sed huiusmodi cognitio intuitiua nihil ad nos spectat, neq. est illa, de qua modo agimus. Solùm enim inquirimus de cognitione speculatiua scientifica, quę est per causas. Huiusmodi autem est duplex. Alia enim est Deffinitiua, alia verò Demonstratiua; intellectus enim noster nititur eo modo, quocumque potest, rerum cognitionem præsertim quidditatiuam acquirere; duplici autem medio potissimum vtitur, nēpè deffinitione, per quā acquirit cognitionem deffinitiuam, & demonstratione; per quam acquirit cognitionem demonstratiuam. Potest autem vtraque cognitio considerari, & prout est de obiecto secundum vnam aliquam peculiarem rationem formalem accepto, & quatenus ad vnam aliquam scientiam determinatam spectat; & etiam prout est de obiecto considerato secundum diuersas rationes formales, & vt spectat ad diuersas scientias; & prout secundum has diuersas acceptiones consideratur, diuerso modo de perfectione cognitionis philosophandum est.

Causæ per se, & causæ per accidens.

V. Quod verò spectat ad causas, oportet scire, quod aliæ sunt causæ per se, aliæ verò per accidens; & si loquamur de causis per accidens, certum est, non esse necessarias ad perfectam rei cognitionem, siue demonstratiuam, siue deffinitiuam; quia cum cognitio scientifica fit talis propter connexionem necessariam, quam habet effectus cum causis, quæ nos in illius cognitionem ducunt, reijciendæ sunt causæ per accidens, cum careant hac necessaria connexione, nec habiles sint ad scientificam cognitionem generandam. Præsertim cum verum sit, Quod res ita se habet ad esse, sicuti ad cognosci; vnde cum secundum esse non dependeat per se à causis per accidens, neque etiam dependebit, quò ad cognosci; vnde prorsus inutiles erunt ad perfectionem cognitionis acquirendam.

Causæ primę, & causę infimæ.

VI. Inter causas autem, quæ per se connectuntur cum effectu, aliquæ sunt infimę, seu immediatæ respectu effectus; aliquæ verò primæ, & aliquæ intermediç; quam differentiam causarum oportet obseruare, quia valdè confert ad præsentis difficultatis dilucidationem. Causæ autem immediatæ sunt illæ, quas etiam infimas appellamus, quæ per se ipsas immediatè connectuntur cum effectu. Primas autem illas intelligo, quę supra se non habent alias causas, sed sunt omnium primæ respectu talis effectus. Intermediæ autem erunt illæ, quę sunt inter primas, & infimas. Hinc deducitur, quod cognitio illa, quæ est per causas, quæ non sunt primæ, non possit esse omninò perfecta, sed requirat etiam, quod sit per alias causas superiores, & omnium primas. Et si ratio quæratur, manifesta est; scientia enim vndequaque perfecta, debet esse effectus veræ demonstrationis, & perfectæ: at perfecta demonstratio debet constare ex principijs primis, & immediatis, quod non obtinebit, nisi in causas primas resoluatur; non negauerim tamen, quod licèt cognitio non sit per causas omnium primas, non idcircò non sit perfecta, quāuis non ita vndequaque perfecta, quemadmodum etiā demonstratio, quamuis nō sit ex omnium primis perfecta est, licet non perfectissima.

Resoluitur tota difficultas.

SECTIO II.

Prima Conclusio.

I. Ex his, quæ sect. præceden. adnotauimus, facile erit rem totā declarare. Quod ergo spectat ad cognitionē perfectā de obiecto secundū quamcūq. rationē formalē considerato, secundū quā potest esse obiectū cuiusuis scientiæ, debet esse per causas, per quas in vnaquaq. scōtia est cognoscibile. Et ratio mihi videtur manifesta, quoniā suppositis diuersis rōnibus obiectiuis formalibus, & q. obiectum ex vi illarum pertineat ad diuersas scientias,

eſt etiam diuerſo modo cognoſcibile in vna ſcientia, ac in alia, vt ergo adæquatè in quocunque genere, & ſecundum omnem modum ſcientificæ cognoſcibilitatis cognoſcatur, oportet, quod per omnes cauſas cognoſcatur, per quas procedit vnaquæque ſcientia, ad quam tanquam obiectum ſpectat, alioquin ſi nõ cognoſceretur per omnes, non cognoſceretur, quantum cognoſcibile eſt per illas ſcientias, & conſequenter cognitio non eſſet abſolutè perfecta.

Secũda concluſio ſufficit cognitionẽ demõſtratiuã eſſe per aliquã cauſam.

II. Hinc ſequitur ſecunda concluſio videlicet ad cognitionem demonſtratiuam perfectam in vno genere, ſeu in vna ſcientia, ſufficere, quod ſit per aliquam cauſam, per quam talis concluſio in illa ſcientia eſt demonſtrabilis. Si vero loquamur de ſcientia totali debet eſſe per omnes, per quas illa ſcientia poteſt procedere. Prima pars prob. Demonſtratio enim habet ex intrinſeca ſua ratione, quod pariat perfectam ſcientiam, & illi conferat totam illam perfectionem, quam poteſt habere in tali genere; cum ergo demonſtratio quælibet per vnicum tantum genus cauſæ procedat, ſequitur, quod vnicum genus cauſæ ſufficiat ad ponendum in eſſe perfectam ſcientiam. Quod poteſt adhuc confirmari. Ad ſcientificam cognitionem perfectam in ſuo genere, ſufficit, quod in ipſo habeat perfectam euidentiam, & certitudinem; in hoc enim conſiſtit perfectio ſcientiæ, huiuſmodi autem perfecta euidentia, & certitudo, poteſt haberi per vnicum genus cauſæ; cum enim cauſa habeat neceſſariam connexionem cum effectu, ſi connexio eſt euidens, ita vt commodè aſſumi poſſit ad demonſtrationem, ſufficit ad pariendam certam, & euidentem cognitionem ſcientificam, ita vt habeat totam illam euidentiam, & certitudinem, quam in tali genere poteſt habere. Secunda autem pars euidens eſt, quia vnaquæque ſcientia totalis non procedit per vnicum genus cauſæ, ſed per plura, & concluſio vna demonſtratur per vnam cauſam, alia verò per aliam cauſam; vnde oportet, quod totalis ſcientia procedat per diuerſas cauſas, & per omnes debet eſſe eius cognitio, per quas poteſt procedere.

Tertia concluſio quas cauſas requirat cognitio deffinitiua.

III. De cognitione vero deffinitiua idem proportionaliter ſtatuendum eſt. Vnde ſit Tertia concluſio. Perfecta cognitio deffinitiua in vnaquaque ſcientia non requirit, niſi illas cauſas intrinſecas, & illum modum deffiniendi, quo vtitur talis ſciẽtia ſi vero obiectum eſſet deffiniendum, prout ſpectat ad plures ſcientias, tunc perfecta cognitio debet eſſe per illos diuerſos modos deffiniendi, qui proprij ſunt vnius cuiuſque ſcientiæ. Ratio etiam proportionaliter eſt eadem. Illa enim eſt perfecta cognitio deffinitiua, quę habetur ex perfecta deffinitione, atque illa eſt perfecta deffinitio, quæ procedit per veras cauſas intrinſecas, nec aliæ cauſæ requiruntur pręter intrinſecas. Hinc ſi deffinitio eſt in vno tantum genere, ſeu in vna tantum ſcientia, ſufficit, quod tradatur per illum ſolum modum deffiniendi, quo vtitur talis ſcientia, quia tunc ſufficit illa deffinitio ad rem manifeſtandam, quantum manifeſtabilis eſt in tali ſcientia per cognitionem deffinitiuã, cum ſit in illo genere perfecta. Si vero conſideretur res, prout eſt cognoſcibilis in diuerſis ſcientijs, tunc quia eſt diuerſo modo cognoſcibilis in vna, ac ſit cognoſcibilis in alia, oportet, vt perfecta ſit eius cognitio deffinitiua, quod per deffinitiones diuerſo modo procedentes tradatur, ſiquidem debet deffiniri, quantum deffinibilis eſt; prout autem ſpectat ad diuerſas ſcientias, eſt deffinibilis per vnũquemque modum proprium cuiuſcunque ſcientiæ.

Quid requiratur ad cognitionem ſimpliciter perfectam.

IV. Atque ex his, quæ diximus colligitur, ad notitiam rei ſimpliciter perfectam, requiri, quod ſit per omnes cauſas per ſe tàm intrinſecas, quàm extrinſecas; illa enim eſt cognitio ſimpliciter & vndequaque perfecta, quæ habet totam illam perfectionem, quam poteſt habere. Hanc autem totam perfectionem non poteſt habere, niſi tradatur per omnes cauſas, per quas quocunque modo eſt cognoſcibilis; dum enim quelibet cauſa ob neceſſariam connexionem, quã habet cũ effectu, pariat aliquam notitiã de ipſo, ſi cognitio non eſſet per omnes cauſas, tunc res non haberet totam illam euidentiam, & certitudinem, quam poſſet habere, & ideo non eſſet ſimpliciter perfecta, quando enim effectus non procedit per omnes illas cauſas partiales, per quas poteſt procedere, certum eſt, quod minuitur ſecundum perfectionem & habet aliquod minus, quàm haberet, ſi per omnes procederet. Cum ergo quælibet cauſa in parienda cognitione, ſe habeat vt cauſa partialis, ſi cognitio nõ ſit per omnes cauſas; erit diminuta, nec

erit

erit simpliciter perfecta. Atque hinc etiã intelligitur cur Arist. 1. Physic. tex. 1. dixerit: *Cum circa omnes doctrinas, quarum sunt principia, vel causæ, vel elementa, ex harum perceptione cognitio fiat, atque scientia; Tunc enim vnamquamque rem scire putamus, cum causas primas; principiaque prima, & vsque ad elementa cognoscimus; patet & ea, quæ ad principia naturalis scientiæ pertinent existendum esse prius determinare*. Locutus est enim, non de vna aliqua conclusione, sed de totali scientia, quæ per omnes causas, & principia debet procedere, & resoluere suum obiectum, si modo resoluibile est, vsque ad prima elementa.

Aristot. explicatur.

V. Verum circa tertiam Conclusionem adest nonnihil difficultatis, videntur enim necessariæ ad perfectam cognitionẽ definitiuam etiam causæ extrinsecæ præter intrinsecas: perfectius enim res cognoscitur, si adhibeantur ad definiendũ etiam causæ extrinsecæ; vnde contingit, quod multoties assumuntur, hinc ergo fit, quod intrinsecæ non sufficiant, vt cognitio sit vndequaque perfecta. Et difficultatem auget definitio accidentis, quod necessariò debet definiri cum ordine ad subiectum, vt etiam docet Arist. 7. Metaph. cap. 1. Subiectum autem est causa extrinseca, ergo ad perfectam cognitionem definitiuam concurrunt etiam causæ extrinsecæ. Respondendum tamen est, quod licet aliquando in tradenda cognitione definitiua assumantur causæ extrinsecæ, non tamen assumuntur, vt explicent definitiuè rem ipsam, sed solùm, vt adiuuent explicationem; est enim magnum discrimen inter explicare definitiuè aliquid, & adiuuare eius explicationem. Vt enim aliquid explicet definitiuè aliud, oportet, quod explicet quidditatiuo modo, & proinde quod se habeat, vt principium intrinsecum constitutiuum quidditatis illius rei, quæ per definitionem explicatur: quod nequaquam conuenit causis extrinsecis, vt per se patet. Vt verò adiuuet explicationem, non est necesse, quod quidditatiuè explicet, sed sufficit, quod aliquo modo conducat ad cognitionem eorum, quæ quidditatiuo modo explicant, & hoc nihil obstat, quin conueniat causis etiam extrinsecis. Ad instantiam verò respondetur. Accidens esse, quid essentialiter ordinatum ad subiectũ, cum sit essentialiter affectio illius, atque cum hic ordo debeat in definitione quidditatiua explicari, vt potè tanquam aliquid accidenti essentiale, sequitur, quod etiam terminus huius ordinis debeat necessariò poni in eius definitione, cum non possit ordo intelligi sine suo termino hinc fit, vt subiectum ponatur necessariò in definitione accidentis, verum non tanquam causa extrinseca, sed tanquam terminus necessarius ad explicandam habitudinem essentialem accidentis, & ideò non hinc sequitur, quod ad perfectam cognitionem definitiuam necessariæ sint causæ extrinsecæ.

Difficultas contra tertiã Conclusionem.

Aristot.

Soluitur difficultas

An quælibet pars Philosophiæ speculatiuæ procedat per quodlibet genus causæ.

Disputat. XI.

Variæ opiniones, & adnotationes quædam.

SECTIO I.

I. Explicata necessitate causarum, quæ debent interuenire ad perfectam cognitionem speculatiuam, quæ etiam proportionaliter potest intelligi de cognitione practica; atque etiam cum statutum sit, ad perfectam cognitionem vnius tantum conclusionis sufficere vnicam causam, supposito tamen quod cognosci debeat, vt ad vnicam solam scientiã spectat; totalem autem scientiam procedere per plura genera causarum; nunc oportet inquirere de vnaquaque parte Philosophiæ speculatiuæ, prout est quædam scientia totalis, an debeat procedere per quodlibet genus causarum, an verò per aliqua tantum; hoc enim plurimum confert ad intelligendam naturam, & modum procedendi vniuscuiusque scientiæ speculatiuæ; in qua re nonnihil difficultatis est propter diuersitatem opinionũ.

II. Tota autem diuersitas in opinando

est

Variæ opiniones.

est circa Metaphysicam, atque Mathematicam, quod enim spectat ad Metaphysicam. Venetus censet procedere per omnia genera causarum, præter quã per materiale, vt potè, quia Metaphysica abstrahit ab omni materia. Ita etiam Soncin. 4. Metaph. quæst. 15. Toletus verò 1. Phys. cap. 1. quæst. 4. asserit, quod nõ procedit per causam efficientem, sed per causam agentem; distinguit enim inter causam agentem, & efficientem. Vult enim, quod efficiens operetur cum motu, agens verò sine motu; vndè cum metaphysica abstrahat à motu, procedet solum per causam agentem, non verò per efficientem. Alexander autem Aphrodis. vult vti tantummodo causa formali, cui etiam Burleus consentit circa illam partem, quæ agit de intelligentijs, dissentit verò de reliquis partibus, quæ agunt de entibus in communi, nam has vult procedere etiam per genus causæ materialis. Denique Auer. 2. Metaph. com. 6. & Albertus Magn. ibid. tract. 3. cap. 1. quos sequitur Suarez in Metaph. disp. 1. sect. 5. num. 38. & sequentib. volunt vti omnibus generibus causarum, quia nullum ex his coarctatur ad aliquam peculiarem scientiam, intra cuius abstractionem tantummodo reperiatur.

(Venet. — Soncin. Tolet. — Alexan. — Burleus — Auer. Albert. Magn. Suarez)

III. Sed quod spectat ad Mathematicam, etiam diuersimodè sentiunt. Quidã enim, vt Auer. & Alexander volunt procedere per solum genus causæ formalis. Alij verò præter genus causæ formalis, cõcedunt etiam materialem, vt Simplic. quem sequitur Tolet. loco supracitato. Alij verò asserunt, quod nullo pacto procedat per causas, sed tantum per principia certissima. Ita Nyphus, & Buridan. in proemio Metaphys. quos etiam sequitur Perer. lib. 3. suæ philosophiæ cap. 3. qui proinde etiam censet Mathematicam nõ esse veram scientiam, cuius tamen sententia supra à nobis impugnata fuit; atque ita concedunt huic parti philosophiæ modum procedendi ab alijs longè diuersum. Vt autem aperiamus, quid nobis hac in re dicendum videatur, nonnulla prius ad notabimus, deinde nostram sententiam proferemus.

(Auer. Alexan. — Simpl. Tolet. — Nyphus Burida. — Perer.)

IV. Vt igitur certa ab incertis secernamus. Adnotamus primò. Certum esse quod Physica per omnia quatuor genera causarum, nempè Materiale, Formale, Finale, atque Efficiens procedat, in quo omnes conueniunt cum Arist. 2. phys. tex. 70 vbi ita inquit, *Cum autem quatuor causæ sint, de omnibus scire nimirum ad naturalem philosophum pertinet, atque ad omnes ipsum propter quid redigens ipse, materiam, formam, id, quod mouit, & id gratia cuius, naturaliter reddet, ac assignabit*. Quod etiam habet 8. Metaph. text. 12. Atque ratio reddi potest, quia cum scientia sit cognitio rei per suas causas, sequitur quod possit talis cognitio procedere per omnes illas causas, per quas res est. Res autem physicæ dependent in esse ab omnibus quatuor generibus causarũ, & idcircò per omnia eorum cognitio tradi potest. Quod autem res physicæ dependeant ab omnibus quatuor generibus causarum declarat Auer. loco citato lib. 2. phys. quia scilicet res physicæ habent materiam, cum ab illa non abstrahant, quod si adest materia, adsunt etiam cœtera genera causarum; imprimis enim debet concedi forma, quæ compleat, & perficiat materiam, alioquin res physicę destituerentur propria, atque essentiali perfectione; Cœterum cum forma, & causa finalis coincidant, hoc quoque genus causæ concedi debet, si formale admittitur; cum autem finis respectu agentis se habeat, oportet, quod interueniat causa efficiens, quæ à fine moueatur, & hoc pacto ex positione vnius causæ, debent cœtera quoque genera admitti propter connexionem, quam habent adinuicem.

(Aristot. — Auer.)

V. Secundo adnotamus, vt ex modo dictis etiam sequitur, Causam Formalem, atque Materialem ita adinuicem connecti, vt omninò impossibile sit adesse vnã, nisi etiam adsit altera; forma enim ex intrinseca sua ratione dicit ordinem essentialem ad materiam, tanquam complementum illius; & e contra etiam materia dicit ordinem essentialem ad formam, tanquam ad suum perfectiuum. Ex quo fit, quod in eo genere, abstractione, & ordine rerum, in quo est forma, debeat etiam concedi materia; atque e contra vbi est materia, ibi etiam debeat esse forma, propter mutuam dependentiam, & coordinationẽ, quam habẽt inter se, alioquin in aliquo genere admitti deberet aliquid essentialiter incompletum, & deficiens ab aliqua perfectione sibi connaturaliter debita. Hinc fit, quod malè Doctores illi, primo loco relati, concedant metaphysicam procedere per causam formalem, & non per materialem; quomodo enim intra abstractionem metaphysicam

(Connexio necessaria causæ materialis & formalis.)

cam aderit causa formalis, per quam procedat, & non aderit materialis, & si adest, cur non poterit assumi ad aliquid demonstrandum?

Triplex genus causæ iuxta triplicem abstractionem

VI. Hinc tertiò adnotamus, quod causarum genera possunt iuxta triplicem differentiam distingui, iuxta triplicem abstractionem, secundum quam etiam distinguitur scientia, vt videlicet hæc quatuor genera causarum, alia sint physica, alia metaphysica, alia vero Mathematica. Et quidem dari causas, quæ sint intra abstractionem physicam dubium non est. De cæteris, quoniam aliquam difficultatem patiuntur, breuiter declaratur. Et in primis, quod spectat ad metaphysicam, vt concedantur causę metaphysicæ, non est necesse, quod distinguantur realiter, sed sufficit, quod sequantur rationem metaphysicam, vt videlicet importent diuersas formalitates, imitantes causas physicas, ad quod sufficit distinctio rationis cum fundamento intrinseco ipsimet obiecto, in quo fingitur distinctio; atque nulla alia maior distinctio interuenire potest: si enim entitatiuè distinguerentur, iam essent causæ physicę, & non abstraherent à materia. Quod vero intra abstractionem metaphysicam possint admitti huiusmodi causæ metaphysicæ, quæ secundum formalitatem imitentur physicas, euidens mihi videtur. Cur enim in rebus metaphysicis non possum concipere aliquid potentiale, & aliquid actuale: imo quicquid est intra abstractionem metaphysicam, quod ratione tantum abstrahat ab omni materia, an non reperitur immersum in entitate physica, ante quam abstrahatur? cur ergo etiam rationes formales causarum non potuerunt ita abstrahi ab entitate physica, vt constituantur intra abstractionem metaphysicam, atque saltem cum aliqua similitudine tribuantur formalitatibus metaphysicis? Atque ita dicere omnino est necessarium, nam in primis conspicimus speciem componi ex genere, et differentia tanquam ex partibus actuali, & potentiali; rursus passiones metaphysicas consequi subiecta, in quo concipimus virtuali modo interuenire causam efficientem, illud nimirum, à quò consequitur passio, atq suo modo interuenit causa finalis, quia passiones sunt propter perfectionem subiecti: quocirca etiam in metaphysica quatuor genera causarum concedenda sunt, methaphysico tamen modo se habentia.

Genera causarũ intra ordinẽ mathematicum.

VII. Quod spectat etiam ad Mathematicam, supra diximus, habere causas ostensiuas, per quas suas conclusiones demonstret, nunc autem rem exactius declarando possumus etiam secundum esse assignare genera causarum, proportione tamẽ seruata ad esse mathematicũ, ita vt saltem induant rationem causæ virtualis secundum esse, & veluti mathematico modo causent, atque in eo causalitas consistet, quod vnum necessario sequella ex alio sequatur intra genus mathematicum, ita ut posito vno secundum esse, necessario sequatur alterũ aliqua ratione causationis, quę fit inter causas physicas: sic possumus assignare causam materialem, & formalem in figuris, vt supra etiam innuimus, vt ratio figuræ subeat rationem causæ formalis, ipsæ verò lineæ rationem causæ materialis; atque cum obiecta quoque mathematica habeant suas passiones; debet concedi principium à quo consequantur, & etiam finis, propter quę sint huiusmodi passiones. Hinc ergo patet, quomodo in metaphysica, & mathematica concedendę sint quędam rationes causatiuæ, quæ suo modo causent; nec necesse sit, quod causent à parte rei, quia, vt dictum est, tunc essent causæ physicę; vt ergo sint causæ metaphysicæ, vel mathematicæ, oportet, quod non habeant aliam rationem, causandi præter illam, qua vnum virtuali modo intelligimus esse ab alio intra genus mathematicum, vel metaphysicum; & quemadmodum causa est illa, ex vi cuius aliquid ponitur in esse; ita cum ex vi harum rationum causatiuarum aliquid aliud ita sequatur, vt ijs positis debeat, & ipsum poni, necessariò participabunt aliquam rationem causæ.

Causæ pro vnaquaque scientia proportionatæ.

VIII. Quodlibet igitur ex his generibus deseruiet suę scientiæ illi nimirum intra cuius abstractionem reperitur; non enim causæ physicę deseruire possunt metaphysicæ; aut metaphysicæ physicę, quia sunt intra aliã abstractionẽ. Atque ratio ea est, quoniam causę assumuntur à scientia, vt aliquid de proprio obiecto demonstret, prout est intra talem abstractionem ac secundum talem rationem formalem consideratur. Prout autem secundum talem abstractionem, atque rationem formalem accipitur, non potest habere alias causas, nisi illas, quæ sunt intra eandem abstractionem, quemadmodum

etiam corpus naturale non poteſt habere alias cauſas, niſi phyſicas, & naturales; vnde etiam, quæ ſunt intra abſtractionem metaphyſicam, aut mathematicam, non poſſunt habere alias cauſas niſi mathematicas, aut metaphyſicas. Quare cum etiam tàm intra abſtractionem metaphyſicam, quam intra abſtractionem mathematicam, ita aliqua ſe habeant, vt ad poſitionem vnius, ponatur etiam alterum atque ex vi huiuſmodi ſequellarum conſi ciantur demonſtrationes procedentes ex neceſſarijs, ideò concedi debent cauſæ metaphyſicæ, atque mathematicæ, quæ ſufficientes ſint ad conficiendas demonſtrationes procedentes ex cauſis.

IX. Denique adnotandum eſt. Neque Deum, neque intelligentias contineri ſub obiecto metaphyſicæ, vt infra ſuo loco oſtendemus. Vbi etiam declarabimus ad quamnã facultatem pertineant. Imò ſub obiecto Metaphyſicæ nulla res continetur, quæ dicat tale eſſe completũ, quod ſe ſolo, abſque aliqua alia formalitate eſſentiali ſuperaddita, poſſit exiſtere à parte rei, importans vnam aliquam entitatem à cœteris contradiſtinctam. Sed tantum inuoluit rationes ita abſtractas, vt incompletæ ſint, non quidem in ſuo genere, ſed in ordine ad exiſtendum, & ad habendam propriam entitatem, & ideò indigeant aliqua alia ratione, qua magis compleantur, & determinentur, vt conſurgat vna aliqua entitas.

Conditio neceſſaria ad cauſas metaphyſicas. Ex quo deducitur, quod etiam cauſæ, quibus vtitur, debeant eſſe in eodem genere; ſcilicet, quod non ſint cauſæ ita completæ, vt ſe ſolis ſufficientes ſint ad eſſendum à parte rei, & conſtituẽdũ propriam virtutem cauſatiuam intrinſecè ab alijs contradiſtinctam, quia tali pacto eſſent cauſæ phyſicæ, ſed ſint magis abſtractæ à materia ſignata, quàm cauſæ phyſicæ, & ſolùm metaphyſico modo habeant exercere ſuam cauſalitatem.

Propria ſententia.

SECTIO II.

Prima Concluſio. I. Ex ijs, quæ ſectione præcedenti adnotauimus, facilè erit, quid ſentiamus, aperire. Quod ergo ſpectat ad Metaphyſicam. Dicendum eſt primò, procedere per omnia genera cauſarum, quatenus tamen ſunt intra abſtractionem metaphyſicam modo ſupra explicato. Atque probari poteſt. Omnis ſcientia poteſt procedere per omnia illa genera cauſarum, per quas ſuum obiectum habet eſſe, quia per eadem etiam eſt cognoſcibile, cum res ita ſe habeat ad cognoſci, ſicuti ad eſſe; hinc Phyſica poteſt procedere per omnia genera cauſarum, quia, quæ continentur intra ſuum obiectum, dependent in eſſe ab omnibus quatuor generibus cauſarum, quemadmodum ſunt corpora naturalia. Obiectum autem Metaphyſicæ habet eſſe ſaltem metaphyſico modo per omnia genera cauſarum, quatenus continentur intra abſtractionem Metaphyſicam; ſic compoſita Metaphyſica conſtant ex materia, & forma Metaphyſica quemadmodũ ſunt ſpecies, in quibus genus eſt pars potentialis Metaphyſica, vt communiter conceduut, & nos infra ſuo loco oſtendimus; differentia verò ſe habet, vt pars formalis, vel actualis: vnde definitio, quæ de ſpecie traditur, per genus, atque differentiam traditur, tanquam per duo principia conſtitutiua intrinſeca, facientia vnum per ſe, & ideò ſe habẽtia tanquam actus, & potentia. Rurſus dantur etiam cauſæ virtuales efficientes, vt ſunt illæ, quæ aſſignantur tanquam principia, & radices paſſionum. Rurſus etiam dantur cauſæ finales, propter quas aliquid metaphyſico modo ſit, ſic genus, & differentia ſunt propter ſpeciem, paſſiones propter perfectionem ſubiecti.

II. Hinc autem fit, quod metaphyſica in ſuis demõſtrationibus, per hæc omnia quatuor genera cauſarum procedere poſſit, tanquam per illa, quibus ea, quæ intra ſuum obiectum complectitur, habent eſſe. Quod etiam inde confirmari poteſt. Omnes enim concedunt, quod ſaltem per aliquod genus cauſæ procedat, atque ita eſſe, experientia confirmat, cum metaphyſica conficiat plures demonſtrationes à priori, deducendo concluſiones ex ijs, ex quorum poſitione neceſſe eſt, quod aliquid aliud ſecundum eſſe ſequatur; vnde hoc ponitur in concluſione tanquam effectus illius, quod in præmiſsis aſſumitur. Hinc dubium non eſt, quin demonſtrationes procedant ex cauſis. Quo ſtante poſſumus vti diſcurſu, quem retulimus ſectione præcedenti num. 4. Cauſæ omnes ſunt inter ſe connexæ, & ſi ponitur vna, debet alia quoque concedi: nec poteſt concedi materia, niſi in eodem genere concedatur etiam forma, Quõ ex eo, quod metaph. procedit per aliquã cauſam debeat procedere per omnes

vt ibidem etiam num. 5. adnotauimus. Rursus propter connexionem, quam cæteræ causæ habent cum his duabus, vt declarauimus, debent poni ipsæ quoque, connexio enim illa, quæ est inter causas physicas, est physica; inter metaphysicas est metaphysica; ergo si in metaphysica conceditur aliquod genus causæ, per quod procedat, debent etiam concedi reliqua genera.

Secunda conclusio quo mathematica procedat per sua causas.

III. Secundo dicendum est, Mathematicam procedere per suas causas ostensiuas à priori, in quibus suo modo designari possunt omnia quatuor genera causarum intra ordinem mathematicum, saltem virtuali modo, & præsertim causa materialis, & formalis. Atque hanc existimo esse sententiam Aristotelis nam 6. metaph. tex. 1. ita inquit, *Mathematicorum quoque principia, elementa, & causæ sunt, & simpliciter omnis intellectualis scientia, siue aliquo modo intellectu participans, & principia, aut certiora, aut simpliciora est*. Vbi manifestè docet, quod omnis scientia intellectualis, aut quæ cum intellectuali participat, debet procedere per causas, principia, atque elementa, & 1. poster. cap. 2. declarans, quænam sint causæ, per quas procedit scientia, docet esse illas, per quas passio inest subiecto, dicens, quod tunc cognoscimus conclusionem, quando cognouimus causam, per quam passio inest subiecto. Causa autem per quam passio inest subiecto, quamuis principaliter sit in ordine efficientis, interueniunt tamen etiam cœteræ causæ propter connexionem, quã omnia genera causarum habent adinnicem; neque Arist. intellexit de causa physicè accepta, prout dicit distinctionẽ, nam huiusmodi causæ, non interueniũt in qualibet scientia, neque respectu omnium passionum, sed solum physicarum, & tamen Arist. docet omnem scientiam procedere ex causis, & omnis etiam passio metaphysica est à priori demonstrabilis de suo subiecto, vnde oportet, quod intelligat de qualibet causa, etiam quæ virtuali modo causet, quæ tàm intra abstractionem metaphysicam, quàm mathematicam reperitur. Præterea etiam 2. phys. tex. 68. idem docet de Mathematica, ait enim *Nam ipsum propter quid, aut ad ipsum quid est reducitur vltimũ in immobilibus, seu in mathematicis, ad recti enim, aut immensurabilis, aut ad cœterorum similiũ alicuius vltimò definitionẽ reducitur*. Vbi vides, quod hic quoque docet mathematicam doctrinam resolui in aliqua principia, atque causas.

Aristot.

Fundamentũ conclusionis.

IV. Atque ratio eadem est pro cõclusione, quam pro præcedenti attulimus proportionaliter accepta; in rebus enim mathematicis possunt etiam illa quatuor genera causarum distingui, nam imprimis adsunt passiones, quæ de suo subiecto demonstrari possunt; in his autem oportet, quod omnia quatuor genera causarum interueniant, quia sicuti interueniũt physico modo in passionibus physicis, ita debent mathematico, & virtuali modo interuenire in passionibus mathematicis; debet enim assignari radix illarum, & subiectum, in quo sint, & de quo demonstrantur, respectu cuius se habent tanquam formæ quædam; & etiam interueniẽt suo modo causa finalis, quia passiones sunt propter perfectionẽ subiecti. Præterea etiã in rebus mathematicis dantur genera, atq; differentiæ. Cum ergo in rebus mathematicis reperiantur modo proportionato omnia quatuor genera causarum, poterunt ex ijs confici demonstrationes, quibus effectus demonstrentur, qui suo modo ab ijs procedũt, non secus, ac contingit in alijs scientijs. Preterea in figuris potest distingui, vt supra etiam adnotauimus, ratio formalis, atque materialis, quæ se habent tanquam causa materialis, & formalis; vnde etiam ex his causis potest mathematica procedere.

Quo in vnaqua q; scientia dentur causæ conclusionum.

V. Confir. in mathematica, sicuti etiam in qualibet alia scientia, reperiuntur principia certa, & euidentia, quæ demonstrant conclusiones à priori: rursus etiam interueniunt definitiones, quæ assumuntur tanquam medium demonstrationis, ergo etiam in mathematica, sicuti etiam in qualibet alia scientia, dantur causæ, per quas procedat, si tamen causę proportionato modo sumantur, prout videlicet important illud, ex quo aliquid aliud secundum esse sequatur, prout debent sumi, vt sint causæ intra abstractionem tum physicam, tum mathematicam. Hæc autem consequentia declaratur; principia enim, atque deffinitiones demonstrat conclusiones à priori, vnde oportet, quod cum ipsis habeant necessariam connexionem secundum esse, quia in tantum causant cognitionem, in quantum secundum esse, vnum sequitur ex alio; cum ergo conclusiones, seu illud esse, quod per conclusiones explicatur, sequatur a priori ex

princi-

principijs, atque definitionibus, oportet, quod sequatur tanquam ex causis, causa enim est illa, à qua procedit aliquid secundum esse, quod hoc totum saluatur in hoc casu; principia enim, vt aliquid prius, continent esse, quod per conclusionem explicatur, & talem dependentiam dicit respectu ipsorum, vt ab ijs dependeat in esse, quemadmodum etiam dependet in cognitione, ita vt cognitio illarum virtualiter contineatur in cognitione principiorum; quod verò partes definitionis causent esse definiti dubium non est, cum se habeãt, vt intrinseca constitutiua illius.

Difficultas resoluitur. VI. Contra hanc tamen doctrinam adest non contemnenda difficultas; quomodo scilicet possit scientia procedere per causas extrinsecas; atque hæc difficultas, non solum procedit de Metaphysica, & Mathematica, sed etiam de Physica; ratio autem difficultatis est, quia scientia debet procedere ex necessarijs, causæ autem extrinsecæ non habent necessariam connexionem cum effectu, sed contingentem; vnde demonstrationes illæ, quæ procedent per hæc genera causarum, non erunt veræ demonstrationes, neque generabunt veram scientiam. Verum huiusmodi difficultas non vrget, neque metaphysicam, neque mathematicam, atque ratio est, quia licet procedat per causas extrinsecas, non sunt tamen extrinsecæ quasi sint realiter distinctæ, et contingenter connectantur cum effectu; sed cum sint causæ seruata tantum quadam formalitate causę, & solum virtuali modo causent, identificantur cum causis intrinsecis, & habent necessariam connexionẽ cum suis effectibus virtualibus, qua connexione stante, possunt commodè assumi ad veras demonstrationes, & generabunt verã scientiam, non secus ac causæ intrinsecæ. Quod verò spectat ad Physicam dicendum, quod causæ physicæ extrinsecę considerari possunt dupliciter, nimirum secundum esse præcisè, seu prout possunt causare; & prout actu exercent vim causatiuam, ponendo in esse suum effectum; hoc secundo modo aptæ non sunt ad demonstrationem, quia contingenter se habet, quod causent, cum earum effectus possit impediri, vel aliqua naturali virtute, vel saltem supernaturali: & etiam quia se habent in materia particulari; omnis autem scientia considerat in vniuersali suamet obiecta. Primò autem modo aptæ sunt ad generandam scientiam, tum quia in vniuersali considerari possunt; tum quia, quod possint talem, vel talem effectum causare, est quid necessarium, vt quod frigus condenset, calor verò rarefaciat, atque ex his potissimum causis procedit medicina, & si Physica aliquas assumit, tali pacto acceptis vtitur ad suas demonstrationes.

De ordine dignitatis, quem seruant inter se partes Philosophię speculatiuę Disput. XII.

Punctus difficultatis, & auctorum sententia.

SECTIO I.

I. EXplicata perfectione cognitionis, quæ in vnaquaque parte philosophiæ speculatiuæ acquiritur; & quomodo hæc perfectio habeatur ex eo, quod vnaquæque pars procedit per omnia genera causarum, nunc consequenter de ordine, quem hæ partes seruant inter se pertractandum est. Duplex autem ordo inter ipsas considerari potest; alius quidẽ dignitatis, & perfectionis; & alius doctrinæ. Ordo dignitatis, atque perfectionis attenditur penes euidentiam, & certitudinem cõclusionũ, quę in ipsa scientia demonstrantur; cum enim essentia scientiæ consistat in eo, quod sit certa, atque euidẽs cognitio; ita perfectio, & nobilitas ipsius consistit in perfectione, atq nobilitate certitudinis & euidentiæ. Ordo verò doctrinæ est ille, quem seruant hę partes inter se, habita ratione ad facilitatem in ijs tradendis, atq. addiscendis, quæ attendi debet penes cõmoditatem nostri captus, & modi cognoscendi, atque de hoc duplici ordine nũc agendum est; prius autem inquiremus de ordine dignitatis, quod in hac disputatione prælibabimus; deinde de ordine doctrinæ. Duplex ordo partium philosophię speculatiuę.

II. Vt autem melius punctus difficultatis intelligatur Supponendum est, Certum esse apud omnes, si dignitas attendatur penes obiectum; Metaphysicam antecedere alias scientias, Physicam verò antecedere Mathematicam. Ratio autem est, quia Metaphysica agit de ente maximè vniuersali, hoc est de ente, vt ens est, seu vt intelligibile est, & illud considerat sub nobiliori abstractione, quàm considerent cœteræ scientiæ, cum penitus abstrahat ab omni materia, quò magis autem aliquid abstrahit à materia, eò nobilius est; hinc intelligentiæ sunt nobilissimæ substantiæ, quia abstrahunt ab omni materia. Rursus Physiologia considerat corpora naturalia, Mathematica verò quantitatem, cum autem corpus naturale nobilius sit, quàm quantitas, etiam scientia, quæ de ipso est, nobilior est, si in ordine ad obiectum consideretur; & proinde solum difficultas procedit de dignitate, quę consistit in sola certitudine, & euidentia intrinseca.

Certitudo sciētiæ Extensiua, & Intensiua.

III. Quia autem hæc certitudo, atque euidentia intrinseca duplici modo considerari potest: nimirum Extensiuè, hoc est prout se ad plures, vel pauciores conclusiones demonstratiuè cognitas extendit; & Intensiuè, qua cognitio, seu conclusio quælibet intrinsecè perfectiori modo cognoscitur, & maiori quadam euidentia innotescit. Ideò sciendum est, quod questio non procedit de certitudine extensiuè sumpta, sed de certitudine accepta intensiuè, quænam videlicet cognitio sit certior, & euidentior, comparando conclusiones vnius scientiæ cum conclusionibus alterius scientiæ. Si enim loquamur de certitudine extensiua, certũ est, quod mathematica superat omnes alias duas partes philosophiæ; habet enim plures demonstrationes, cum ferè quicquid probat, per demonstrationem ostendat, e contra verò Metaphysica, & Physica, vt plurimum ex probabilibus procedũt, paucas verò demonstrationes habēt.

Perer. Conim.

IV. His igitur, ad declarandum punctum difficultatis, adnotatis. Prima opinio est Pererij lib. 1. suæ philosophiæ cap. 16. Conimb. in proemio ad lib. phys. qui volunt quò ad demonstrandi certitudinem, & euidentiam, Mathematicam antecedere alias scientias. Atque hanc sententiam videntur tenuisse Aegidius in prologo phys. Linconienses cap. 23. posterior. Imò hæc est opinio D Thomæ

Ægid. Linconiens. D.Tho.

opusc. 70. quęst. vltima, artic. 1. ad secundam quæstionem. Fundamentum affert D. Thom. ibid. Quoniam Physica versatur circa res mobiles, quæ cum non se habeant vniformiter, earum cognitio est minus forma; tum quia in cognosci dependent à pluribus, & proindè non est adeò certa. Mathematica autem considerat res, quę stabiles sunt, atque absolutę à motu, & ideò eius cognitio, est magis certa, & euidens. Rursus metaphysica considerat res, quę sunt à sensibus valde remotę, & ideò de ijs exiguam certitudinem, atque euidentiam habere potest, cũ nostra cognitio dependeat à sensibus; mathematica verò considerat res, quę cadũt sub sensum, & ideò earum cognitio est magis certa, & euidens.

Secũda sententia Aristot.

V. Opposita autem sententia est Arist. pręcipue 1. metaph. c. 2. vbi docet, quod illa scientia est magis certa, atq. euidens, quę magis versatur circa prima, atq. vniuersalissima; huiusmodi autē est metaphysica, & proinde ex hoc probat, quod sit propriè Sapientia, quia non solum secundum alias rationes, sed etiam secundum certitudinem, atque euidentiam est omnium scientiarum dignissima. Quam sententiam tenent communiter interpretes ibidem presertim D. Thom. & Alexan. Albert. Magn. tract. 2. cap. 5. Suarez in Metaphysic. disput. 1. sectione 5. num. 23. & sequentibus, & alij complures, qui putant Metaphysicam esse rigorosè sapientiam, vt infra suo loco trademus, & proinde excedere omnes alias in certitudine, & euidentia.

D.Tho. Alexan. Albert. Magn. Suarez

Prefertur secunda sententia.

SECTIO II.

Prima Conclusio.

I. Ex his sententijs secunda sine vlla hęsitatione est amplectenda, nõ solum enim nititur auctoritati Aris. sed etiā rationi: vnde, Dicendum est primò, Metaphysicam excedere Mathematicā, & Physicam in præstantia, & excellentia certitudinis, & euidentiæ suarum conclusionum. Vt autem veram rationem, atque à priori afferamus, sciendum est, quod tota certitudo, & euidentia conclusionũ, quę per demonstrationem colliguntur, dependet à principijs, à quibus deducuntur: sunt enim principia, veluti causæ influentes certitudinem, & euidentiam conclusioni, quam in se virtualiter continet;

vnde

vnde qualia sunt principia, ex quibus conclusiones deducuntur, tales etiam sunt conclusiones, & si aliqua præmissa est tantum probabilis; conclusio quoq. probabilis est: nec aliam maiorem certitudinem habet, quod si principia sunt omnium certissima, oportet etiam, quod conclusio sit omnium certissima, quia tota certitudo, & euidentia conclusionum habetur à principiis, à quibus deducitur. Itaque cum tota scientia consistat in conclusionibus, sequitur, quod eius certitudo, & euidentia debeat com mensurari principijs, ex quibus procedit, & consequenter illa scientia excedet alias in perfectione certitudinis, & euidentię, quæ excedit in certitudine, & euidentia principiorum à quibus procedit.

Conclusiones cõmẽsurantur princip. in certitudine, & euidẽtia.

II. Inter principia autem, ex quibus scientię procedunt, ea sunt magis certa, & euidentia, quę magis vniuersalia sunt sic principiũ illud. *Quodlibet est, vel non est.* cum sit maxime vniuersale, est etiam maximè notum, & semper quò aliquod principium vniuersalius, eò plus participat de euidentia; cuius rei ratio esse potest, quia principia, quò sunt vniuersaliora, eò in pluribus indiuiduis ex ijs, quę sensui subiiciuntur, verificantur: & hinc fit, quod sensus ministret intellectui vberiorem materiam, ex qua colligat propositionem vniuersalem; vnde cum intellectus percipiat verificari in pluribus, habet quandam maiorem euidẽtiam de ipsis. Accedit, quod magis vniuersalia sunt ex natura sua magis nota, quàm minus vniuersalia Et ex his autem cõstituitur ratio pro nostra conclusione. Illa scientia est cæteris certior, & euidentior; quæ habet principia, ex quibus procedit, magis vniuersalia, & prima, quia tunc sunt etiam magis certa, atque euidentia, & proinde Arist. citato cap. 2. lib. 1. Metaph. inquit *Scientiarum autem illa certiores sunt, quæ maximè primorum sunt, nam quæ sunt ex paucioribus* (scilicet principiis) *certiores sunt, quæ ex additione dicuntur*. Metaphysica autem habet principia vniuersaliora, & magis prima, quàm habeant cæteræ scientiæ ex eo, quod habet obiectum vniuersalius; vnde oportet etiam, quod sit magis certa, atque euidens.

Cur principia vniuersaliora etiam euidentiora.

Sciẽtia minus certa quò magis ad singularia accedit.

III. Quod etiam confir. potest ex doctrina desumpta ex D. Thom. opus supra citato, vbi habet *Quanto aliqua scientia magis appropinquat ad singularia, sicut scientia operatiua, vt medicina, alchimia, & moralis, minus possunt habere de certitudine propter multitudinem eorum, quæ consideranda sunt in talibus scientijs.* Quo stante sic possumus argumentari. Metaphysica minimè omnium appropinquat ad singularia, cum habeat obiectũ, ς longatum à singularibus ergo ex opposito si scientia, quæ appropinquat ad singularia habet minorem certitudinem, metaphysica, quia maximè recedit à singularibus, habebit maximam certitudinem. Rursus mathematica ex D. Thom. ibid. versatur circa sensibilia, ait enim. *Mathematica autem ipsa sub sensu cadunt, & imaginationi subiacent*. Vnde cum sensibilia sint singularia, & si abstrahantur, maiorem vniuersalitatem habeant, quàm ea, quæ à metaphysica considerantur, concludendum est etiam secundum doctrinam D. Tgom. quod metaphysica sit magis certa, & euidens, quàm sit mathematica.

IV. Secundo dicendum est. Physicam esse magis certam, atque euidentem, quàm sit mathematica Ratio huius conclusionis est eadem, ac præcedentis, quia scilicet physica procedit ex principijs magis certis, & euidentibus, & vniuersalioribus, quàm sint principia mathematica; principia enim mathematica sunt tantum intra latitudinem quantitatis; principia verò physica sunt intra latitudinem corporis naturalis; corpus autem naturale magis patet, & in pluribus speciebus multiplicatur, quàm multiplicetur quantitas, & ideo licet non sit corpus naturale sine quantitate; si tamen quantitas pręscindatur à corpore naturali, & seorsim consideretur tunc habet minorem vniuersalitatem, quàm corpus naturale.

II. conclo. physica euidentior mathematica.

V. Confir. ratio facta. corpus naturale est prius natura, quàm sit quantitas, non solũ quia est substantia, sed etiã, quia quantitas est affectio illius. Quæ autem sunt priora natura, sunt etiam notiora, vt indubitatum est apud omnes; hinc causa est notior, quàm effectus, quia est prior natura, cum ergo principia, ex quibus procedit physica formentur circa corpus naturale, quod natura sua est magis notum, quàm quantitas, oportet quoque, quod ipsa habeant maiorem certitudinẽ & euidentiam, quam habeant principia, quę formantur circa quantitatem. Rursus. Illa scientia superat alias in certitu-

Principia physica euidẽtiora mathematicis.

dine,

dinc, & euidentia, quæ procedit ex paucioribus principijs, vt etiam docet Aristot. supracitatus; si quidem tunc tota veritas scientificæ cognitionis ad paucio ra principia reducitur; ibi autem est maior certitudo, & euidentius conspicitur, quomodo ex principijs deducantur conclusiones, & quomodo in paucioribus radicentur; ex quo fit, quod intellectus maiori vi cogatur ad assentiendum his conclusionibus, & proindè maiori quadam certitudine, atque euidentia illas teneat. Si autem Physica comparetur ad mathematicam, procul dubio habet pauciora principia, ex quibus conclusiones suas deducat, quàm mathematica; & idcircò etiā maiorem euidentiam habebit.

Aristot.

Fundamenta opposita sententiæ, & nonnulla alia difficultates dissoluuntur.

SECTIO III.

I. Restat nunc, vt rationibus in oppositum satisfaciamus, & nonnullas alias difficultates dissoluamus. Ad id igitur, quod ex D. Thom. attulimus primo loco pro opposita sententia, dicendū est, res mobiles, siue physicas non se habere vniformiter, quatenus subsunt corruptioni; verum hæc variabilitas nihil obest certitudini, & euidentiæ scientificæ: nam res physicæ variationi tantum subsunt, prout in indiuiduo considerātur; quando verò abstrahuntur ab esse indiuiduali, tunc separantur etiam ab omni variabilitate, quia considerantur in vniuersali, secundum quem statum omninò inuariabiles sunt, & dicunt solum id, quod sēper vniformiter se habet in inferioribus, siue indiuiduis; vndè licet physica consideret res mobiles in vniuersali, considerat eas tamen prout stabiles, & vniformes sunt, & proindè potest esse certa, atque euidens. Deinde quicquid sit de variabilitate, & mutabilitate obiecti, certitudo, & euidentia conclusionum mensuratur ex certitudine, & euidentia principiorum, ex quibus deducuntur: vnde si principia, quibus vtitur Physica sunt magis certa, quàm illa, quibus vtitur mathematica, vt probatum est, etiam conclusiones erunt euidentiores, atque certiores. Atque hinc negandum est, quod cognitio physica dependeat à pluribus, quā dependeat mathematica, si quidem, vt dictum est Sectione præcedenti, deducit suas Conclusiones ex paucioribus principijs, vndè si loquimur de ijs, ex quibus immediatè dependet, & à quibus accipit suam certitudinem, dependet à paucioribus. Quod verò Physica indigeat experientia plurium, quæ per sensus fiat ad colligenda sua principia, hoc nihil minuit de certitudine scientiæ, quia hæc causatur tantum à principijs, ex quibus conclusiones eliciuntur.

D.Tho.

Quō variabilitas rerū physicarū non obstat scientiæ.

II. Ad alterum verò fundamentum, quod est contra certitudinem, & euidentiam Metaphysicæ, respondendum est, quantum abest, vt ex eo, quod consideratres à sensibus valdè remotas, aliquid minuatur de eius certitudine, & euidentia; vt etiam ex hoc ipso capite crescat; pro cuius intelligentia sciendum est, quod duplex datur processus in philosophia, quo veritatem indagamur; alter scilicet, quo à posteriori procedimus ex ijs, quæ sensu percipimus ad alia superiora, quæ per discursum colligimus, atque per hunc processum verum quidem est, quod res eò difficilius cognoscimus, quò remotiores sunt à sensibus, quia per plura procedendum est, & difficilioris indagationis, vt percipiamus rei veritatem. Cœterum huiusmodi processus non est propriè scientificus, & ideò penes ipsum non attenditur certitudo, & euidentia scientiæ. Alter verò Processus est demonstratiuus à priori, & Procedit à causa ad effectum, & ex principijs, quibus innititur illa scientia, & hic est propriè scientificus, & penes ipsum attenditur certitudo, & euidentia scientiæ, atque in hoc quò res sunt magis elongatæ à sensu, eò euidentior est ipsarum cognitio: Cuius rei ratio est, quia tunc dependet à principijs magis vniuersalibus, ex quibus colligatur, & quò magis principia sunt vniuersalia, eò certior, & euidentior est cognitio, quæ ex ipsis colligitur, vt dictum est Sectione præcedenti.

Quō certitudini metaph. ex eo, q̄ cōsiderat res à sensib. remotas

III. Verum obijci potest Vis, & efficacia demonstrationum mathematicarū est maior, quàm demonstrationum physicarum, aut metaphysicarum, & quandā maiorem euidentiam præ se fert, ergo etiam conclusiones, cum sequantur naturam demonstrationum; quod verò demonstrationes mathematicæ habeāt hanc maiorem efficaciam, & euidentiam, experiētia constat, nā facilius assentimur demon-

Obiectio.

ſtrationibus mathematicis, quam phyſicis, aut metaphyſicis, quod fieri non poſſet, niſi haberent maiorem euidentiam, cum euidentia ſit illa, quæ facit intellectum aſſentiri; vnde facilius principijs aſſentimur, quam cœteris propoſitionibus, non alia ratione, niſi quia principia habent maiorem euidentiam. Reſpondetur tamen, quod ex duplici capite poteſt prouenire facilitas in aſſentiendo demonſtrationibus, ſcilicet vel ex connexione, quam prædicatum habet cum ſubiecto in præmiſſis; & ex deductione conclusionis, vel ex apprehenſione terminorum, quibus propoſitiones conſtant Demonſtrationes mathematicæ nobis faciliores, & euidentiores videntur, quia earum termini ſunt faeilioris apprehenſionis, quia ſunt ſenſibus viciniores; ſicuti autem facilius percipimus ſenſibilia, quàm inſenſibilia; ita etiam facilius percipiuntur, quæ ſunt ſenſibus propinquiora, quã quæ ſunt remota: cum ergo res mathematicæ ſint res ſenſibiles, facilius apprehenduntur, quam Phyſicæ, aut Metaphyſicæ, & ideò demonſtrationes mathematicę ex hoc capite faciliores ſunt. Cœterum, ſi loquamur de connexione terminorum, ex quibus propoſitiones demonſtrationum mathematicarum conſtãt, hæc proculdubio minus euidens eſt, quàm ſit connexio principiorum phyſicorum, & metaphyſicorum, & cum ab hac connexione depẽdeat veritas concluſionis, atque eius certitudo, & euidentia, ideò demonſtrationes phyſicæ, & metaphyſicę euidentiores ſunt euidentia propriè dicta.

Quo demonſtrationes mathematicæ ſint faciliores.

IV. Sed rurſus ex alio capite obijci poteſt, atque ſimul vrgeri inſtantia facta. Cum enim, vt dictum eſt, certitudo, & euidentia ſcientiæ commẽſuretur principijs, ex quibus procedit; hinc etiam ſequitur, quod mathematica ſit certior cœteris, & euidentior; habet enim principia, ex quibus procedit certiſſima, & euidentiſſima, & quæ ſuperent etiam principia metaphyſica, vt *Si ab æqualibus æqualia demas, remanent æqualia*, & *Si æqualibus æqualia addas remanent æqualia*, & alia huiuſmodi, quæ habentur in lib. I. Euclidis, quæ habent tantam euidentiam, vt maiorem habere non poſſent. Reſpondetur, Huiuſmodi principia formaliter ſumpta non eſſe propria Mathematicæ, ſed cuiuslibet ſcientiæ, & ſolum coarctari ad mathematicam, quatenus intelliguntur immerſa in quantitate; præſcindendo verò, quod in tali, vel tali materia verificentur, applicari poſſunt materiæ cuiuslibet ſcientiæ. Cum enim dicitur. *Si ab æqualibus æqualia demas remanent æqualia*, poteſt applicari gradibus qualitatis, & pertinebit ad phyſicam; poteſt intelligi de perfectione rerum abſtrahentiũ ab omni materia, & tunc ſpectabit ad metaphyſicam; ex quo fit, quod ſint principia omnium vniuerſaliſſima, & ideò nihil mirum eſt, quod etiam ſint omnium euidentiſſima, & ideò poſſunt hæc principia applicari etiam mathematicis rebus.

Alia obiectio.

Principia quædam cõmunia cuiuſcunque ſcientiæ.

V. Quia tamen, quando mathematica deducit ſuas concluſiones ex his principijs, non ea accipit ſecundum omnem ſui vniuerſalitatem, ſed veluti determinata, & coarctata ad quantitatem, per quam coarctationem fiunt minus vniuerſalia, quàm ſint, quando adhibentur à metaphyſica, ideò non habent tantam certitudinem, quam habent coarctata ad metaphyſicam, aut etiam phyſicã materiã, & conſequenter, neq. cõcluſiones mathematicę ſunt adeò certę, & euidentes, quemadmodum ſunt metaphyſicæ, aut phyſicæ. Quare iſta principia ſolum præciſa, & ſecundum ſuum eſſe formale conſiderata ſunt omnium euidentiſſima, non vero prout appropriata ſunt mathematicæ. Verum tamen eſt, quod ſi iſta principia conſiderentur, prout coarctata ſunt ad materiam mathematicam, adhuc quantum eſt ex parte terminorum, habẽt quandam maiorem facilitatem, quò ad apprehenſionem, cum ſint immerſa rebus ſenſibilibus, cuiuſmodi eſt quantitas, quàm habeant principia phyſica, aut metaphyſica, non tamen euidentiora ſunt quòad connexionem terminorum, ſi ſecundũ ſe conſiderentur. Quòad nos vero, quia verſantur circa res, quæ ſenſibus propinquæ ſunt, & cognitio noſtra incipit à ſenſibus, ideò etiam quòad nos habent quamdam maiorem euidentiam, quàm habeant phyſica, aut metaphaſica, licet ſecundum ſe minus euidentia ſint; & hinc prouenit, quod facilius principiis mathematicis aſſentiamur, quàm cæteris.

Principia vniuerſaliſſima, quò ad nos ſint de euidentia.

VI. Denique obijci poteſt ex Ariſt. qui 8. Phiſ. tex 22. ait In ijs, quæ ſenſu percipiuntur rationem quærere, & ſenſum relinquere, eſſe imbecillitatem mentis, & lib. 3. de Gener. animal. cap. 10. credendum eſſe magis ſenſui, quàm rationi; cum ergo mathematica procedat per res magis ſenſibiles, ipſa erit certior, &

Tertia obiectio Ariſt.

euiden

euidentior, cum nulla alia ratione sensus præferendus sit rationi, nisi quia eius cognitio est certior, & euidentior. Non video tamen, quod hæc obiectio contra nostram sententiam concludat, nam si aliquid concluderet, ad summum probaret quod mathematica esset certior, & euidentior aliis scientiis non secundum se, sed quòad nos, quia sensus, & ea, quæ sunt sensibus propinquiora, sunt magis nota tantum quòad nos, non autem spectata rerum natura. Sed nihil concludit. Nam Arist. loquitur de iis, quæ sensu immediatè percipiuntur, cuiusmodi est motus, de quo loquebatur, hæc autem intellectus cognoscit cognitione intuitiua, & per propriam speciem; quæ cognitio ex genere suo euidentior, & certior est qualibet cognitione discursiua, quia scilicet rem attingit in seipsa, & modo quodam experimentali;& in hac cognitione, inquiebat Arist. non debet sensus relinqui propter rationem, quia tunc relinqueretur cognitio intuitiua, & euidentior propter cognitionem discursiuam,& minus euidentem. Ex hoc autem nihil sequitur contra nostram sententiam,quia licet mathematica versetur circa res,quæ possunt subiici sensui, procedit tamen discursiuo modo, vnde tota euidentia,atque certitudo est ex vi discursus; & cū procedat ex principiis minoris euidentiæ, est etiam minus euidens, quàm cæteræ scientiæ, quæ habent principia magis euidentia.

Quomodo non sit relinquēdus sensus propter rationē illustratur Ari.

Quem ordinem doctrinæ seruent inter se partes Philosophiæ. Disp. XIII.

Non eadem esse nota nobis, & natura.

SECTIO I.

I. Post ordinem perfectionis, quem partes philosophiæ, vt modo explicauimus, seruant inter se, sequitur ordo doctrinæ, de quo modo agendum est; Est autem ordo doctrinæ, vt supra diximus, ille, quem seruare debemus in assecutione cognitionis philosophiæ, itavt prius vna pars, quàm alia cognoscenda sit. Duplicem autem ordinem doctrinæ solent distinguere Philosophi, alterum, quem seruant hæ partes philosophiæ inter se ex natura sua, nempè prout ex natura sua peterent apprehendi;alterum, quem seruant,prout magis promptę sunt & faciles ad apphehendendum, & de vtroque difficultas est. Verum difficultatem facit distinctio ipsa huius duplicis ordinis; supponit enim eadem non esse nota nobis, & natura sua, seu quod nos ea facilius cognoscamus stante nost.o imperfecto modo cognoscendi, quædifficilius cognoscuntur, quàm ea, quæ ex se facilius cognosci possent, stante eodem nostro modo imperfecto cognoscendi, nam res de se sunt omnes æquè facilè cognoscibiles; vt supra disp. 4. sect. 3. declarauimus; verum stante nostro modo imperfecto concipiendi,quædam facilius cognoscuntur; & potest dici, quod,supposito hoc modo cognoscendi,quædam ex se habeant, quod facilius cognoscantur propter proportionem, quam habent cum nostro intellectu sic affecto,quædam vero difficilius.

Duplex ordo doctrinæ.

Quædā facilius cognoscuntur, quædam difficilius.

II. Quod autem non eadem sint nota nobis, & natura, tradit Arist. 1. Phys. tex. 2. vbi hoc supponens inquit, *Hæc autem insita nobis natura est via, vt è notioribus nobis,magis que manifestis ad notioribus natura, magisque manifesta proficiscamur. Non enim sunt eadem nobis atque simpliciter nota. Quapropter hoc modo ex hisce, quæ natura quidem minus sunt manifesta, nobis autem notiora, ad ea, quæ dilucidiora sunt, magisque nota natura proficiscamur necesse est* Distinguit ergo inter ea, quæ sunt nota nobis,& inter ea,quæ natura sua nota sunt, non aūt nota nobis. Atq. ita docent cōmuniter omnes Auer. circa loco lib. 1. Phys. Simpl.Themis. Philoph. Vicomercat. D. Thom. Albert. Magn. tract. 1. cap.

Nō eadē esse nota nobis, & natura.

Auer. Simpl. Themis. Philop. Vicom. D. Thō. Albert. Magn.

Iandun. Iauel. Thien. Bruxell. Burid. Saxon. Tolet. Ruuius Perez. Zabar. Piccol.

c.6. Iandun. q.4. Iauel. q.3. Thienen. ibid. Bruxellens. quæst. 5. Buridan. quæst. 6. Saxon. quæst. 4. Tolet. q. 6. Ruuius quæst. 4. Perer. lib. 3. suæ philosophiæ, cap. 8. & 9. Zabarel. & Piccolomin. citato text. atque alij expositores ibid. Ratio autem est quoniam causæ, quæ natura sua sunt notissimæ, nobis tamen parum notæ, aut ignotæ sunt. E contra autem aliqui effectus sunt nobis notissimi, cum tamen ex natura sua non sint tales.

Quo aliqua sint, quæ quo ad nos nota sunt.

III. Sed hic insurgit difficultas, quomodo aliqua possint, esse nota quò ad nos & aliqua quò ad naturam suam; & ratio dubitandi est, quoniam quantum est ex natura sua, res omnes sunt æquè facilè cognoscibiles, nec vna magis, quàm alia, vt supra citata Disputat. 4. docuimus, ergo fieri non potest, quod secundum naturam aliqua sint nota, aliqua verò non: quod si secundum se aliqua sunt nota, aliqua verò secundum nos, sequitur, quòd quædam ex sua natura sunt nobis nota, quædam verò non. Pro solutione huius difficultatis recolendum est, quod supra diximus citata illa Sectione tertia Disputat. 4. quod quamuis simpliciter loquendo res omnes sint æquè facilè cognoscibiles; stante tamen imperfecto nostro modo cognoscendi, qui procedit per discursum, & dependenter à sensibus, quædam possunt dici facilè cognoscibiles; quædam verò difficilè cognoscibiles. Sic etiam, stante eodem nostro modo imperfecto cognoscendi, quædam possunt dici nota secundum se, quædam verò nota secundum nos. Atque ea erunt nota secundum se, quæ stāte nostro modo cognoscendi, habent, quòd facilius cognoscantur quantum est de se, quamuis, quantum spectat ad nos, difficilius cognoscuntur; E contra verò, illa erunt nota quòad nos, quæ nobis ita sunt obuia, vt immediatè percipiantur, quamuis de se non sint immediatè perceptibilia.

Explicatur difficultas.

IV. Verum, quia non videtur sibi satis congruere, quod, stante nostro modo imperfecto cognoscendi, quæ nota sunt quò ad nos, non sint etiam nota secundum se, cum esse notum, vel non esse notum, tantum in ordine ad nos attendatur, ideò obseruandum est, quod res quæ alioquin sunt omnes de se æquè facilè cognoscibiles redduntur difficiles quò ad nos ex duplici capite; quorum primum est, quia nostra cognitio dependet à sensibus, qui obiecta subministrent; alterum verò est, quia procedit modo discursiuo, vnde constituitur cognitio scientifica, quæ habet duplicem progressum: alterum, quo à notis per sensum procedit ad ignota, inueniendo causas; & alterum quo à causis procedit ad effectum, qui progressibus dicitur à priori. In his ergo progressibus Esse notum, vel non esse notum, nihil aliud dicit, nisi quod sit aptum, vt immediatè secundum se cognoscatur, absque eo, quod eius cognitio ex alio prius cognito deducatur. Quo stante sequitur, quod quædam sint nota secundum se, stante hoc nostro modo imperfecto cognoscendi; quia scilicet iuxta ipsum habent ex natura sua, quod immediatè per se cognoscantur, nec indigerent alio prius cognito, ex qua eorum cognitio deducatur; quod contingit in ordine ad discursum: quia scilicet in progressu à priori ex se sunt cognoscibilia, & non quia ex alio prius cognito cognoscãtur: quia tamen nostra cognitio incipit à sensibus, ideò quædam sunt nota secundum nos, quæ non sunt nota natura sua, quia nobis immediatè objiciuntur, vt ex se immediatè possint percipi, & ex natura sua in progressu scientifico peterent ex aliorum cognitione cognosci.

Quid sit esse notum quò ad nos, & esse notum natura.

SECTIO II.

Quid sit esse notum quò ad nos.

I. CVm non eadem sint nota nobis, & natura, sequitur declarandũ, quid sit Esse notum quò ad nos, & esse notum natura. Et quidem, quod spectat ad primum. Illud est notum, quò ad nos, quod nobis statim objicitur ex vi nostræ conceptionis, & cognitionis, quam auspicamur à sensibus; vnde sensibilia sunt nota quò ad nos, quia statim, ac objiciuntur, illa cognoscimus, nec opus est, quod eorum cognitionem ex aliquo alio deducamus. Atque ita tradidit Arist. 1. Poster. cap. 2. vbi inquit *At nobis quidem illa priora, & notiona appello, quæ nostris sensibus magis obuia sunt, quia nostra cognitio incipit à sensibus*. Atque in hoc communiter conueniunt, presertim auctores supra citati. Dicuntur autẽ nota quò ad nos, quia, vt illa cognoscamus, non est opus, quod eorum cognitionem ex alijs deducamus, sed statim, ac

obijciuntur immediatè in seipsis cognoscimus; vnde, quia ex natura nostri modi cognoscendi fit, quod immediatè ea percipiamus, ideò dicuntur nota quò ad nos: Sunt enim nota quò ad nostrum modum percipiendi per sensus.

Explicatur Aristot.

II. Atque stante hac communi explicatione colligitur, cur dixerit Arist. initio t. physicor. quod ex ijs, quæ nota sunt nobis, debemus procedere ad ea, quæ nota sunt secundum se, seu secundum naturam. Cum enim scientiæ, atque artes originem duxerint ab experientia, vt suprà declaratum fuit, oportet, quod primus progressus philosophicus factus sit ab ijs, quæ nota sunt nobis, hoc est à sensibilibus, ad ea, quæ naturæ nota sunt, experientia enim primò incipit circa res sensibiles, sicuti etiam ab ijs incipit omnis nostra cognitio, quæ postea ab experientia assurgit in cognitionem scientificam. Quomodo autem id fiat, nō est opus explicare, cum abūdè supra disp. 3. declaratum fuerit, quomodo experientia ad scientiam concurrat, & respectu, quorum sit necessaria.

Quid sit esse notum naturæ.

III. Quod autem spectat ad secundū, Quid scilicet sit, esse notum natura, variè opinantur auctores. Sed supponendum est tanquam certum, quod aliquid esse notius natura, non in eo consistit, quòd Deus magis illa cognoscat, vt volebat Aueroes, qui asserebat, Deum esse naturam, & proinde, quæ ipsi magis nota sunt, esse natura notiora, quod videtur habere fundamentum in Aristot. qui dicit textu illo 2. lib. 1. physicor. *Hac autem insita nobis natura est via, vt è notioribus nobis, magisque manifestis ad notiora natura proficiscamur*. Sed hoc est falsum, quia Deus æque omnia cognoscit, nec vnum magis, quàm alterum aptum est, vt ab ipso cognoscatur; & in textu illo ly *Naturæ*, in genitiuo accipiendum est, vt sensus sit, proficiscendum esse ad notiora ipsius naturæ, hoc est, quæ intra naturam notiora sunt; vel ex græco vertendum, Natura in ablatiuo. Similiter etiam non rectè dicitur, ea esse natura notiora, quæ prius à natura perciperentur, si esset capax cognitionis, vt videtur sentire Iauel. nam esse notius, cum sit aliquid respectiuum, debet esse tale respectu alicuius cognoscentis; quia cum de facto sit tale, oportet, quòd de facto sit tale per ordinem ad terminum proportionatum; natura autem, cum de facto non sit cognoscitiua, nec etiam potest esse terminus, respectu cuius aliqua dicantur magis, vel minus nota; & quando terminus secundum rationem terminandi impossibilis est, etiam impossibilis est ordo ad ipsum; quomodo ergo erit aliquid notius natura respectu termini impossibilis? quod enim natura sit cognoscitiua, est impossibile, & esse notius solum respectu cognoscitiui dici potest.

Aueroes.

Arist.

Quæ magis apta sunt, vt natura sua cognoscantur.

IV. Itaque ea dicenda notiora secundum naturam, quæ magis apta sunt, vt ex natura sua cognoscantur, stante tamen nostro modo imperfecto cognoscendi; sed quænam sint ista, quæ secundum naturam magis apta sunt, vt à nobis cognoscantur non conueniunt auctores. D. Thom. 1. par. quæst. 85. art. 3. ad 1. & citato loco 1. physicor. quem sequuntur omnes Thomistæ, præsertim Soto 1. phys. q. 2. concl. 1. volunt, ea secundū naturam suā esse magis apta, vt cognoscantur, quæ habent plus perfectionis. Fundāt suam sententiam in eo, quod Arist. 2. metaph. c. 2. docet intelligentias, & cæteras res abstractas à materia esse natura sua clarissimas. Deinde cum perfectiora sint viciniora intellectui, ideò facilius percipiuntur; sunt autem viciniora, quia participant plus de actualitate, & minus de potentialitate, & proinde sunt etiam magis entia, atque magis de intelligibilitate participant.

D. Thō.

Soto.

Aristot.

Reijcit illa. ex. ositio.

V. Verum hæc expositio non est adprobanda, nam inquirimus ea, quę sunt notiora natura in ordine ad nostrum modū in perfectum cognoscendi, si autem vera esset explicatio allata procederet de simpliciter notioribus. & nō respectu nostri modi imperfecti cognoscendi. Sed etiam falsum est, quod ea, quæ sunt magis perfecta, sint magis cognoscibilia, quia esse cognoscibile, cum sit formalitas quędam metaphysica consistit in indiuisibili, nec suscipit magis, & minus; de quo abunde egimus supra disputat. 4. sectio. 2. & 3. vbi ostendimus non esse magis cognoscibilia, quæ perfectiora sunt. Et Aris. citato illo loco solùm ait, nostrum intellectum se habere, vt oculi vespertilionum ad lumen, respectu eorum, quę manifestissima sunt, neque explicat, ꝙ intelligat de perfectioribus; & ꝙ intellectus noster se habeat tali pacto, prouenit ex imperfecto modo cognoscendi ipsius, quia res omnes secundum se simpliciter consideratæ

mani-

manifestissimæ sunt. Et nos quærimus no tiora secundum naturam, stante hoc nostro modo imperfecto cognoscendi. Et rursus, quæ nota sunt secundum se in progressu scientifico, quod est valdè notandum; vndè reijcienda sunt indiuidua, siue perfecta, siue imperfecta; quia non sunt intra obiectum scientiarum. Atque manifestissimè constat, quod in progressu scientifico proceden do per ea, quæ notiora sunt natura, quò aliquid est perfectius, difficilius cognoscitur, vt contingit in Deo, & intelligentijs. Quare nullo pacto hæc expositio potest esse vera, & illam inter alios impugnat Vallef. Controuet. 3. ad Tyrones.

Vallef.

Alia expositio. Ven. 1. Iauel. Iandun.

VI. Alij verò, vt Venet. 1. physic. cap. 1. Iauel. quæst. 3. Iandun. quæst. 4. & nonnulli alij asserunt, quòd aliquid esse notius secundum suam naturam, nihil aliud est, quàm esse prius natura. Esse autem prius natura contingere quatuor modis, nimirum, Nobilitate, & perfectione; & hoc pacto, quæ nobiliora sunt, & perfectiora, etiam sunt notiora. Secundò, Institutione, seu Intentione; & hoc modo finis est notior, & species notiores sunt indiuiduis; quia natura intendit indiuidua propter conseruationem speciei. Tertiò, dicuntur Priora, quæ possent cognosci sine alio, & non è contra; vel priora generatione, sic animal prius est homine, & notius; substantia accidente. Denique dicuntur priora causalitate, ea nimirum, quæ sunt causa aliorum. Atque cum hac explicatione ferè coincidit Piccolomin. citato text. 2. 1. physicor. in cap. dubitation. dubitatione quarta.

Piccolomin.

Reijcitur.

VII. Sed neque hic modus nobis satisfacere potest; nam in primis ponit esse notiora natura sua, quæ perfectiora sunt, quod tamen falsum esse ostendimus, nedum loquendo supposito nostro modo im perfecto cognoscendi, sed etiam simpliciter. Deinde, quod aliquid possit cogno sci sine alio, & non è contra, hoc sine illo, non facit, quod sit notius natura præsertim, supposito nostro modo imperfecto cognoscendi, nam Deus potest, quantum est de se, cognosci sine creatura, non autē creatura sine Deo, & tamen stante nostro modo imperfecto cognoscendi Deus non est notior. Deinde, quod aliquid non possit cognosci, non video, cur illud reddat natura sua minus notum, cum non tollat aliquid de eius cognoscibilitate; imò non percipio, quomodo hic modus cum alijs cohæreat, si enim id, quod non potest cognosci sine alio aliquid perfectius esset, quàm id, quod independenter ab ipso cognosci potest, vt contingit in obiectis, vt colore, & potentijs, vt est visus; visus enim perfectius esse habet, quam color, & non potest cognosci sine ipso; vnde tunc idem erit notius natura, & non notius respectu eiusdem. Rursus etiam causa æquiuoca non potest cognosci sine effectu, cū per ordinem ad ipsum constituatur; potest tamen effectus cognosci saltem sine illa causa, cum possit esse à causa vniuoca, & tamen causa perfectior est, quàm effectus æquiuocus; hi ergo modi se adinuicem destruunt. Præterea, quod est prius generatione, & intentione coincidunt cum eo, quod est prius causalitate, nam finis causat intentionem sui, & generatio quoque est quædam causalitas.

Quid sit esse notū natura sm Zabar. Peter.

VIII. Denique alij, vt Zabarel. citato text. 2. 1. physicor. docet, Esse notum natura idem esse, ac esse causam. Cum quo ferè coincidit Perer. lib. 3. suæ philosophiæ cap. 7. qui vult, ea esse notiora natura, à quibus alia pendent in cognosci; quod debet intelligi de cognitione vera scientifica, quæ est à priori, & quia ea, à quibus cœtera dependent secundum talem modum cognitionis, sunt causæ, ideò esse notum natura, est esse causam. Sed quamuis huiusmodi explicatio ferè veritatem attingat; deficit tamen in eo, quod explicat formale, per materiale, dum ait, esse notum natura dicere, esse causam, quamuis enim causæ notiores sint natura, ratio tamen formalis causæ formaliter non est ratio, qua aliquid fit notum natura, & fortasse etiam esse notum natura est aliquid vniuersalius, quàm esse causam; nam ratio entis est notissima natura sua, & tamen non dicit rationem causæ, cum causa sit aliquid valde inferius ente, quamuis secundum totam suam latitudinem accipiatur, pro ut etiam causam virtualem complectitur.

Conclusio.

IX. Dicendum ergo est, Esse notum natura respectu nostri intellectus, prout habet talem modum imperfectum cognoscendi, nihil aliud esse formaliter, nisi esse

Conclusio. ex se cognoscibile, ita vt non pendeat in cognosci ab alio, quasi eius cognitio ex alio prius cognito colligenda sit à priori, sed ipsum sit causa à priori cognitionis aliorum. Quod autem ita explicandum sit, declaratur, nam esse notum natura, dicit aliquid intrinsecũ ex parte obiecti; non autem dicit præcisam cognoscibilitatem, quia hæc est quid commune omnibus; sed debet importare aliquid, quod sit proprium illius, quod est notius natura, quo aptum reddatur, vt respectu nostri modi imperfecti cognoscendi habeat quamdam maiorem cognoscibilitatem; hoc autem non aliud esse potest, quàm vt ex se innotescat, quod enim solum sit causa cognitionis aliorum non dicit aliquod, quo ipsum sit notius in se. Sic etiam ea, quæ sensibus obijciuntur, quia intellectus immediatè intelligit in seipsis, nec eorum cognitionem ex aliorum cognitione deducit, dicuntur esse notiora secundum nos, vnde seruata proportione ea erunt nota secundum naturam, quæ ex se habent, quod præsentata intellectui statim, ex se cognoscantur, nec debeat eorum cognitio ex aliorum cognitione deduci. Sic principia sunt notiora natura, quàm conclusiones, quia principia ex se statim, cognoscuntur, & intellectus non debet aliundè, quàm ab ipsis moneri, vt præbeat assensum.

X. Verùm, quia quoties aliquid assumitur ad aliud probandum à priori, & præcipuè tanquam causa illius, id, quod per ipsum probatur, non cognoscitur ex se, sed ex vi illius, quod assumitur; cuius cognitio, & assensus facit, quod conclusionem cognoscamus; atque intellectus cognoscit id, quod assumitur saltem quando ad aliud probandum assumitur ex seipso, & non per aliud, hinc fit, quod dicitur notius natura ex eo, quod ipsum non verò conclusio immediatè cognoscitur, quamuis ipsum quoque possit esse conclusio, & ex alterius cognitione cognosci, vt quando conclusiones scientiæ subalternantis fiunt principia subalternatæ. Ex quo fit, quod dentur diuersi ordines eorum, quæ sunt nota natura, quædam enim vt prima principia sunt nota secundum naturam; quædam vero sunt tantum notiora quatenus sunt notiora respectu alterius, & illa immediatè ex se cognoscimus, quatenus assumuntur ad aliud probandum. Et quod dicitur de Complexis, potest intelligi etiam de Incomplexis, vt infra sect. sequenti declarabimus.

Deducuntur nonnulla Corollaria.

SECTIO III.

Eadẽ notiora, quò ad nos, & sim se. I. EX his, quę hucusque dicta sunt, possunt quædam Corollaria deduci, quæ magis præsentem materiam illustrabunt. Et primò quidem colligitur, contingere posse, quod eadem sint simul notiora natura, & quò ad nos. Et primò, id contingit in rebus mathematicis, vt complures docent, præsertim Iauel. 1. phys. Iauel. quæst. 3. conclus. 2. & Ruuius cap. 1. q. 4. Ruuius. Nam huiusmodi principium *Si ab æqualibus æqualia demas, remanent æqualia*, est notissimum secundum naturam, quia tamen elicitur ex ijs, quæ immediatè subijciuntur sensui, est etiam notum secundum nos: fieri enim potest, quod in materia sensibili sensus illud experiatur, & dum sensus experitur, immediatè illud intellectus ex se percipiet, & proinde erit notius etiam quò ad nos. Neque valet obiectio, quam Perer. lib. 3 Perer. suæ philosophiæ cap. 9. affert. Quia scilicet media demonstrationum mathematicarum non sunt veræ causæ, neque habent connexionem per se cum conclusione, & eadem conclusio potest demonstrari per plura media, & multoties ex medio fit conclusio, & e contra ex conclusione medium demonstrationis. Sic quando demonstratur Triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, & assumitur pro medio, quia angulus externus, qui fit ex latere eiusdem trianguli producto, æqualis sit duobus angulis internis sibi oppositis, non fit per medium, quod sit prius secundum naturam; vnde media Mathematica non sunt priora, & notiora natura. Nec etiam sunt notiora secundum nos, quia non sunt magis propinqua sensibus, sed solum vna propositio dicitur notior altera, ob dispositionem ordinis doctrinæ, quam instituit Euclides, & quia vna propositio demonstratur per aliam, & ideò debet prius cognosci.

Instatur contra obiectionem. II. Sed antequam obiectioni satisfaciamus, libenter interrogarem Perer. quo modo conficiantur demonstrationes in mathematica, si ea, quæ assumuntur

pro

pro medijs neque natura, neque secundum nos sunt notiora, cum demonstratio, & quilibet syllogismus etiam Topicus debeat procedere ex notioribus? Quod si dicat procedere ex ijs, quæ prius cognoscuntur, non autem, quæ notiora sint. Rursus quæro, an id, quod prius cognoscitur sit magis ex se notum, quàm conclusio, vel non. Si primum admittitur, ergo est notius natura, quàm conclusio; si secundum, ergo non potest fieri, quod certò assentiamur conclusioni, quàm si conclusio se sola, & non vt deducta ex præmissis proponeretur. Præterea vel hoc medium, quod assumitur, habet ex natura sua, quòd possit causare assensum conclusionis, vel non. Si primum, oportet, quòd habeat aliquam connexione m cum ipsa, quòd virtualiter ipsam contineat, quòd sit ordinatum ad causandam eius cognitionem, quæ velnari non possunt, nisi sit ex notioribus natura sua. Si verò non habet, quod possit ex natura sua causare talem cognitionem, frustra assumerentur; Quod tamen constat esse falsum, cum ex vi ipsius assentiamur conclusioni. Denique in mathematica quoque conclusiones deducuntur ex principijs; principia autem ab intrinseco suo ordinantur, vt causent conclusiones, & ideo sunt ipsis notiores, & impossibile est, quòd vero discursu, pręsertim demõstratiuo, aliquod concludatur, nisi procedat ex notioribus, vel secundum nos, vel natura sua: quod etiam verum est, si procedat ex ijs, quę prius cognoscimus, quia ea prius cognoscimus, vel quia secundum se, vel secundum nos notiora sunt.

Satisfit obiectioni. III. Hinc ad obiectionem respondemus; falsum assumi, nam supra disp. 11. ostendimus, quomodo etiam mathematica procedat per omnia causarum genera, vnde demonstrationes mathematicæ sunt verè à priori, & per causas. Sed quicquid de hoc sit, non hinc sequitur, quòd non procedat ex notioribus secundum naturam; nam procedit ex principijs, quæ natura sua sunt notiora conclusionibus ex ijs, quæ & assumũtur ad conclusiones probandas, quibus cum immediatè assentiamur, sequitur, quòd sint notiora ex natura sua, nec debeant ex alterius cognitione deduci. Rursus falsum est, quòd media demonstrationum mathematicarum non habeant connexionem per se cum conclusione; inferunt enim necessaria sequella ipsam conclusionem, quod fieri non posset, nisi intercederet necessaria connexio, vnde videmus quod in syllogismis probabilibus cõclusio non est necessaria, nec adeo certa, & euidens, sicuti conclusiones mathematicæ, quia scilicet deducitur ex medio, quod non habet necessariam connexionem cum ipsa. Quod si per plura media eadem conclusio demonstrari potest, ideo est, quia cum pluribus habet necessariam connexionem, quia vnumquodque habebit talem correspondentiam respectu ipsius, vt possit illam à priori inferre. Et quemadmodum etiam in naturalibus contingit, quod aliquæ causæ sunt sibi inuicem causæ, ita etiam in mathematicis fieri potest, quod ex conclusione fiat medium, & contra ex medio conclusio, prout secundum diuersas formalitates accipiuntur; quamuis tunc contingere possit, quòd quando conclusio fit medium, sit progressus à posteriori, vt etiam contingit in alijs scientijs, quando ab effectu progredimur ad causam.

IV. Neque vrget exemplum illud de triangulo, nam tunc quoque progressus est à priori, & per causam: cum demonstramus triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, & assumimus pro medio, quia si producatur latus eiusdem trianguli, angulus externus, qui fit, sit æqualis duobus internis sibi oppositis; hoc medium inuoluit causam ipsius conclusionis. Quod manifestum fiet, si consideraбimus, quod in quantitate adest ratio molis, extensionis, & etiam quod duæ quantitates habent, quod inter se cõmensurari possint; atque hoc possint commensurari fundatur tanquam in radice in ipsa mole, & extensione, quæ à priori est causa commensurabilitatis, saltem virtualis. Ex quo fit, quod quando commensurabilitas colligitur ex mole, seu extensione, colligatur à priori, & per causam, & consequenter etiam quando aliquid spectans ad commensurabilitatem colligetur ex illis, quæ spectant ad extensionem, & molem colligetur à priori, & per causam, supposito, quòd inter ea sit necessaria connexio, alioquin sequella non erit demonstratiua. Ratio manifesta est; nam sicuti extensio est causa commensurabilitatis; ita etiam ea, quæ spectant ad extensionem, erunt causa eorũ, quę spectant ad commensurabilitatem supposito, quòd interueniat ipsa necessaria connexio; nam quę spectant ad extensionem

Quo mathemat. à priori procedat.

sionem, cum imbibantur in ipsa extensione, in virtute illius se habebunt à priori. Cum assumitur pro medio productio lateris trianguli, ex qua consurgit alter angulus, ad demonstrandum, triangulum habere tres angulos æquales, duobus rectis, assumitur aliquid spectans ad extensionem quantitatis, ad probandum aliquid, quod spectat ad commensurationē, nam triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, est aliqua commensuratio; quocirca huiusmodi demonstratio procedit à priori, atque per causam; quod etiam in alijs contingere reperiemus, si eas diligenter considerabimus.

Principia mathematica non notiora quò ad nos. V. Præterea etiam falsum est, quod illa principia mathematica non sint notiora secundum nos; experimur enim, quod ea statim ex vi cognitionis sensitiuæ percipimus; sunt enim in materia sensibili verificata, vt est quantitas, vnde sensus experitur ea in quantitate verificari, & dum experitur, immediatè intellectus ex vi cognitionis sensitiuæ illa percipit, vt est illud. *Si ab æqualibus æqualia demas, remanent æqualia*. Vnde cum sit ex ijs, quę sensibus obuia sunt, nō video, qua ratione Perer. negat esse nota quò ad nos. Similiter falsum est, quòd propositiones mathematicæ habeant tantum illum ordinem, quem illis tribuit Euclides; nam quæro, an si alium tribuisset, rectè dispositæ fuissent, an non. Si non rectè dispositæ fuissent, certum est, quòd ex natura sua exigunt illum ordinē, nec fuit ad libitum. Nec verò posset dici, quod rectè fuissent dispositæ, quia aliquæ propositiones sunt euidētiores cæteris, & vna per aliam potest demonstrari, & non è contra: quod signum est habere aliquem ordinem ex natura sua; quis enim dicat, pro principio disponi potuisse, quod triangulus habeat tres angulos æquales duobus rectis, & hoc principiū; *Si æqualibus æqualia addas, remanent æqualia*, potuisse pro conclusione poni? sed de hoc satis dictum est.

Ruu. Perer. Philop. Simpl. Piccolomin. Iauel. VI. Secundò ampliatur idem corollarium ad res Physicas; in quo conueniunt Ruu. citat, & Perer. quod etiam afferunt Philop. & Simpl. 2. de Anima tex. 23. & Piccolomin. in 1. physic. citato loco; discrepat tamen Iauel. concl. 3. Sed quòd etiam in rebus Physicis possint aliqua esse simul nota quò ad nos, & secundum naturam, euidenter conuincunt nonnulla exempla: nam in primis obiecta, præsertim potentiarum sensitiuarum, sunt nota secundum nos; quia sensibus obiiciuntur, & tamen etiam secundum natura notiorā sunt, nam se habent, vt specificatiua potentiarū, atq. vt causatiua cognitionis medijs speciebus; rursus calor est aliquid notissimum secundum nos, & etiam ex notioribus secundum naturam; nam cum plurimos effectus operetur, est causa demonstratiua illorum, & vt talis, est ex notioribus naturæ, & in alijs plurimis idem contingit, præsertim in medicina, vt discurrenti patebit. Non potest tamen hoc corollariū ampliari, ad res metaphysicas, vt optimè docet etiam Iauel. citata conclusione 3. Iauel. atque alij complures. Et ratio est, quia cum metaphysica versetur circa res omninò abstrahentes à materia, & consequenter ab omni sensibilitate, habet pro obiecto res valdè remotas à sensibus; quod autem est valdè remotum à sensibus, non potest esse notum secūdum nos. Aliam rationem assignat Iauel. sed quæ non conuincit; hæc verò est vera, & germana ratio.

VII. Verum obijcit Iauel. conclus. 1. Obiectio Iauel. quod in rebus physicis non possint eadē esse nota quò ad nos, & secundum naturam, atque desumit argumentum ex D. D.Tho Thom. in exposit. tex. 2. lib. 1. physic. Quæ sunt magis nota nobis, sunt minoris entitatis, eò quod sunt magis materialia, & potentialia; quæ verò sunt nota secundum naturam, sunt maioris entitatis eò, quod sunt magis actualia, & perfectiora, implicat autem, quod idem sit maioris, & minoris entitatis. Secundò obijcit, & arguit ex Auer. Ea sunt notiora natura, quę prius Natura cognosceret, si esset cognoscitiua, & ea sunt nota nobis, quę nos prius cognoscimus; nos autem prius cognoscimus effectus, natura autem prius cognosceret causas, alioquin produceret effectus casualiter; ex hoc autem sequitur, quod non possint eadem esse simul nota quò ad nos; & quò ad naturam suam.

VIII. Sed si huiusmodi obiectiones aliquid concluderent, probarent etiam, quod neque in rebus mathematicis possint eadem esse simul nota nobis, & natura, cuius tamen oppositum sentit quoque ipse Iauel. Vnde ad primum dicendū Ad primam. est, falsum assumere, quod videlicet nota nobis sint minoris entitatis, vt supra ostēdimus, & quod nota naturæ sint ea, quæ

sunt

sunt maioris entitatis, & perfectiora; materia enim prima est imperfecta, & tota potentialis, & tamen non est nota nobis. Sed, vt declarauimus, ea sunt nota nobis, quæ sunt sensibus propinqua, quia immediatè ex seipsis cognoscuntur, & non ex aliorum cognitione; ea verò sunt nota natura sua, quæ ex natura sua apta sunt, vt immediatè in seipsis cognoscantur. Similiter, neque secunda obiectio rectè procedit, nam, vt supra diximus, non ea sunt nota natura sua, quæ prius Natura cognosceret, si esset cognoscitiua, & etiam vniuersaliter non est verum, quòd effectus sint notiores quò ad nos, cum sint plurimi effectus, qui ignoti nobis prorsus sunt, sed siue effectus, siue causæ sint, ea sunt nota quò ad nos, quæ sensibus propinqua sunt.

Vniuersaliora esse natura notiora.

IX. Secundò colligitur; magis vniuersalia esse notiora natura. Sunt enim ex se apta, vt nos inducant in cognitionē alterius, atque assumuntur tanquam aliquid per se cognoscibile, & quia sunt partes metaphysicæ inferioris naturæ, deseruiunt ad definiendam naturam, vnde media definitione nos in eius cognitionem quidditatiuam ducunt; vnde etiam sunt priora minus vniuersalibus, & magis accedunt ad ea, quæ per se tantum innotescunt, nec per aliud possunt innotescere; & recedunt ab ijs, quæ solùm ex natura sua peterent ex alijs innotescere; & idcircò notiora sunt natura; & hoc est iuxta doctrinam Aristotel. qui 6. Topic. cap. 3. loco 1. docet, ea omnia, quæ sunt priora natura, esse etiam natura notiora: inquit enim, *Simpliciter igitur notius, quod prius est posteriore, vt punctum linea, & linea superficie, & superficies solido, quemadmodum, & vnitas numero; prius enim, & principium omnis numeri: Similiter autem, & elementum syllaba.* Si igitur magis vniuersalia sunt priora minus vniuersalibus, oportet etiam, quod natura notiora sint. (Aristot.)

Quō vniuersalia notiora nobis. Aristot.

X. Tertiò similiter colligitur, quomodo vniuersalia sint etiam notiora nobis, vt significat Arist. 1. physic. tex. 4. dum ait, ex vniuersalibus progrediendum esse ad singularia, cum prius dixisset, quod ab ijs, quæ nota sunt nobis progrediendū est ad ea, quæ natura notiora sunt. Vniuersale enim habet duplicem statum, alterum abstractionis, quando scilicet abstractum est per intellectum à singularibus; & tunc est quidem notius secundum naturam, non verò secundum nos; quia est valdè remotum à sensibus, quando præsertim reperitur in materia abstrahens ab esse sensibili. Alter verò status est ille, quo est immersum in singularibus; & secundū hunc statum vniuersale est notius quò ad nos: quia tamen est aliquid confusum, propter immersionem illam in singularibus, ideò non est secundum hunc statum ex natura sua ex notioribus, atque tota hæc doctrina est Aristot. loco citato: in quit enim tex. 3. *At confusa primò nota nobis sunt magis, ac manifesta. Elementa verò principiaque posterius ex hisce nota per ipsorum diuisionem fieri solent.* & id confirmat exemplo puerorum, dum prius, antequam discernant inter hominem, & hominem, omnes homines Patrē appellare solent, & omnes mulieres Matrem: Deinde paulatim incipiunt discernere: quod contingit etiam in adultis, dū à longè aliquid cernentes, prius percipiunt esse corpus, deinde tale corpus, nempè viuens, postremò hominem; quod manifestè conuincit, vniuersalia in statu cōfuso, & immersa in indiuiduis esse notiora nobis, quia noster sensus, & dependenter ab ipso intellectus, est magis aptus, vt moueatur ab vniuersalibus sic consideratis; & inde hoc prouenit, quia obiecta emittunt species vniformiter difformiter, quando igitur debiliores sunt species, vel minus organum dispositum, minus mouent potentiam; & dum minus potentia mouetur, imperfectò quodam modo exit in operationem, quæ propter suam imperfectionem nequit, distinctè repræsentare omnes differentias obiecti, sed repræsentat tantum rationes vniuersales, quia discrimina, quæ sunt in obiecto, ex se minus mouere possunt potentiam, quàm moueat totum obiectum. (Aristot.)

Totum notius quò ad nos, & quō Aristo

XI. Et ex hoc sequitur, vt ibidem etiam docet Arist. tex. 4. quod totum sit notius quò ad nos, quàm partes. Quia facilius sensum mouet, quàm moueant partes; & necesse est, quod prius totum percipiamus, deinde partes distinguamus. Sed debet intelligi de toto confusè sumpto, quia si consideretur secundum aliquam rationem peculiarem, qualis esset ratio finis, aut aliqua alia, posset esse, quod sit notius natura, non verò secundum nos; sic secūdum rationem finis, quia est prius natura, & mouet ad sui intentionem, ratione huius prioritatis naturæ, habet etiā quod sit notius natura, quàm partes. Partes

tes tamen, vt pote conſtitutiuæ totius, ſunt natura notiores, quàm totum, vnde etiam definitio, quæ traditur per partes, notior eſt definito; & aliquando etiam partes ſunt notæ quò ad nos, quando ſcilicet ſubiacent ſenſibus, imo ſi de cognitione diſtincta loquamur, notiores ſunt, quàm totum, quia ex cognitione illarum deuenimus in cognitionem totius, & ſicuti in ijs, quæ nota ſunt natura, partes notiores ſunt, quàm totum, quia nos ducunt in cognitionem illius; ita etiam in illis, quæ nota ſunt quo ad nos, partes erunt notiores toto, quia nos ducent in cognitionem illius. Et hoc fortaſſe voluit Soto 1. phyſ. quæſt. 2. art. 1. concluſ. 2. quando docuit partes eſſe notiores toto, tàm ſecundum nos, quàm ſecundum naturam.

Quomodo partes ſint notiores toto.

XII. Colligitur quarto, quomodo intelligendus ſit Ariſ. quando 1. phyſ. citato tex. docet, vniuerſalia eſſe notiora nobis, & poſtea 2. metaph. tex. 1. ait vniuerſalia difficilè cognoſci, quod etiam docuerat 1. Poſterior. tex. 5. Aliqui enim vt Ruu. 1. phyſ. cap. 1. quæſt. 4. inquiunt, quod cum Ariſt. ait, vniuerſalia eſſe difficilis cognitionis, intelligit de incorporeis; cum verò docet eſſe notiora nobis, loquitur de vniuerſalibus corporeis. D. autem Thomas 1. poſter. tex. 5. & 2. metaph. cap. 2. inquit, ſecundum cognitionem diſtinctam vniuerſalia difficilè cognoſci, ſecundum vero cognitionem confuſam, quam etiam complexam vocat, facilè cognoſci, & eſſe nota nobis. Vtraque tamen reſponſio difficultatem patitur, nam etiam vniuerſalia corporea, vt ratio corporis, ſunt ex notioribus natura, & non ſunt aliquid ſenſibile ex ſe, & ſolum ſunt ſenſibilia per accidens, quatenus accidentibus ſenſibilibus ſubſternuntur, quod tamen etiam competit vniuerſalibus quæ Ruu. incorporea vocat, vt eſt ens imbibitum in accidentibus ſenſibilibus. Nec expoſitio D. Thom. caret difficultate, quia; ſiue loquamur de cognitione confuſa, ſiue de diſtincta, ſemper, quæ remota ſunt à ſenſibus, ſunt nota ſecundum naturam, non verò ſecundum nos. Ariſt. autem inquit difficilè cognoſci, quia remota ſunt à ſenſibus. Vera igitur ſolutio deſumitur ex ipſis textibus, nam inquit, vniuerſalia difficillimè cognoſci, quia remota ſunt à ſenſibus, ex quibus manifeſtè patet, quod loquitur de vniuerſalibus ſecundum ſtatum abſtra-

Explicatur Ariſ.

Ruu.

D. Thō.

Difficultas contra aliam reſponſionem.

Vera explicatio.

ctionis, præſertim de illis, quæ ſunt intra abſtractionem metaphyſicam, & illa vocat maximè vniuerſalia, & inquit eſſe remota à ſenſibus, & ideo ſunt difficillimè cognoſcibilia quo ad nos, licet maximè nota quò ad ſe. Cum vero ait, eſſe nota quò ad nos, de vniuerſalibus intelligit, quæ non abſtahunt à materia ſenſibili, ſed ſunt intra obiectum ſenſus, & ſunt immerſa in indiuiduis; hæc enim quò ad nos nota ſunt, quod colligitur, quia ibi loquitur de vniuerſali, prout eſt quoddam totum confuſum in indiuiduis, quod vt declaret, affert exemplum de puero, qui omnes homines patres vocat, & quamuis cognoſcat hominem in confuſo non tamen diſcernit inter hunc, vel illum hominem, quod ſignum eſt, vt ſupra diximus, vniuerſalia eſſe notiora quò ad nos, quando ſunt immerſa in indiuiduis.

XIII. Denique colligitur. Vniuerſaliter ea omnia, quæ priora ſunt ſecundum naturam, eſſe etiam natura notiora: & proinde Ariſt. citato cap. 3. lib. 6. Topicor. inquit. *Notius eſſe ſimpliciter, ſeu natura id, quod natura prius eſt, vt punctum linea.* Vnde prius natura, & notius conuertuntur; & ratio eſt, quia ſtatim ac aliquid eſt prius natura, aptum eſt, vt aſſumatur ad aliquid probandum à priori, & proinde vt tanquam aliquid ex ſe magis notum aſſumatur, quod ex natura ſua ordinatum ſit ad cauſandam notitiam concluſionis. Sed non verificatur vniuerſaliter in ijs, quæ nota ſunt ſecundum nos; quamuis enim, vt plurimum, quæ nota ſunt ſecundum nos, ſint poſteriora natura, ſaltem vt talia ſunt, tamen non omne, quod poſterius natura eſt, notum eſt ſecundum nos, cum ſint multi effectus, qui non ſubiacent ſenſibus, & idcirco tum natura, tum quò ad nos ignoti ſunt. Sed neque ſemper ſunt poſteriora natura vt contingit in principijs mathematicis Vnde Ariſt. 7. metaph. tex. 10. inquit *Quæ autem ſingulis nota, & prima* (hoc eſt primò obiecta) *ſæpenumero parum nota ſunt*. Vbi aduerte, quod non dicit *Semper*, ſed ſolum *ſæpenumero*.

Priora ſecundū naturā etiā natura notiora.

Ariſt.

Ordo doctrinæ ſecundum naturam inter partes Philoſophiæ.

SECTIO VI.

I Explicatis ijs, quæ ſunt nota ſecundum naturam, quæ neceſſa-

rio

rio præmittenda fuerunt ad declarandum ordinem doctrinæ, qui est inter partes philosophiæ; nam ordo doctrinæ secundum naturam conformari debet ijs, quæ nota sunt secundum naturam; ordo verò doctrinæ secundum nostrum captum conformari debet iis, quæ quò ad nos nota sunt. Nunc facilè vtrumque ordinem expediemus. Et quòd spectat ad ordinem doctrinæ, quem ex natura sua seruant partes philosophiæ inter se metaphysica constituenda est prior cæteris, vt facilè omnes concedunt; agit namq. de rebus vniuersalissimis, nempè de prima ratione entis, & procedit ex principijs vniuersalissimis, res autem vniuersalissimæ sunt cæteris priores natura, & consequenter quò ad naturam notiores; sic prior est ratio entis, quàm ratio substantiæ; prior ratio substantiæ, quàm talis substantiæ; cum ergo scientiæ sint priores, vel posteriores natura, prout versantur circa magis, vel minus notiora, seu circa priora, vel posteriora secundum naturam in ordine ad cognitionem, sequitur, quòd metaphysica sit omnium, prima vnde dicitur etiam Prima philosophia. Remanet ergo solum difficultas de Physica, & Mathematica.

Metaphysica ordine doctrinæ prior cæteris scientiis.

II. In qua difficultate Prima sententia affirmat, quòd spectato ordine doctrinæ, quem hæ partes ex natura sua seruant inter se, Mathematica est Physica prior. Ita tenet Peter. lib. 1. suæ Philosoph. capit. 17. Atque primò in eo fundatur, quòd res mathematicæ magis abstrahunt à materia, quàm Physicæ, quod autem est magis abstractum, est etiam prius, & notius natura. Secundo, quia Aristotel. 1. Poster. text. 42. docet, illam scientiam esse priorem cuius obiectum est magis simplex, & cui altera scientia addit aliquid, obiectum autem mathematicæ est magis simplex, vt per se patet, quàm obiectum physicæ; rursus Physica addit quantitati aliquid supra id, quod in ipsa considerat mathematica, illam etiam considerat vt materialis est, & mobilis, vnde sequitur, quod prior sit mathematica, quàm Physica.

Prima opinio.

Mathematica ordine doctrinæ prior physica Peter.

Aristot.

III. Sed opposita sententia est Tolet. in Proem. ad lib. Physic. capit. 3. de Philosoph. in genere; vbi priorem locum tribuit Physiologiæ respectu Mathematicæ, atque hæc sententia est conformis communi doctrinæ, quæ cum Aristotel. pluribus in locis asserit, quòd substantia est prior accidenti. Quæ sanè vera est, & tenenda. Et prima ratio desumitur ex natura accidentis, & substantiæ; substantia enim est prior natura accidente, & consequenter iuxta communem doctrinam supra traditam ex Aristotel. est notior natura, quàm sit accidens: si ergo prioritas, & posterioritas partium philosophiæ attenditur penes prioritatem, & posterioritatem obiectorum, seu penes magis, vel minus nota secundum naturam, oportet, quòd physica sit prior mathematica, cum versetur circa obiectum, quod est substantia nimirum corpus naturale, alioquin partes philosophiæ non seruarent inter se illum ordinem, quem seruant partes obiectiuæ; & tamen cum ab obiecto sumant suam specificationẽ, debent seruare, & proportionalitet esse tales secundum ordinẽ, qualia similiter secundum ordinem sunt obiecta.

Opposita sententia. Tolet.

Prima ratio.

Substantia notior natura accidente.

IV. Præterea eadem ratio confirmari potest. Quantitas secundum se totam, etiam secundum rationem illam, qua est obiectum mathematicæ, est passio illius corporis naturalis, quod consideratur à physica, quamuis ratio obiecti mathematici materialiter se habeat ad rationem passionis; cum autem passio sit posterior natura subiecto, à quo fluit, sequitur quod obiectum mathematicæ sit posterius natura obiecto physicæ; & per consequens etiam ipsa mathematica. Confir. secundo Ideò physica est posterior natura metaphysica, quia considerat aliquem gradum entis, qui super additur obiecto metaphysicæ, tanquam quid posterius natura. Mathematica autem etiam considerat aliquid, quod superadditur obiecto physicæ, vt quid posterius natura, nimirum quantitatem, quę superadditur corpori naturali tanquam passio ipsius, cur ergo ipsa non erit posterior physica.

Physica considerat quantitatem vt passionem sui obiecti.

V. Secundò etiam possumus argumentari ex eo, quod pro opposita sententia assumitur. Nempè quod illa scientia sit posterior natura, quæ addit aliquid supra id, quod ab alia scientia consideratur, quia scilicet id, quod additur supra aliud, est semper posterius natura. At mathematica addit rationem dimensionũ supra rõnem essentialẽ quantitatis, quæ est habere partes extra partes; dimensio .n. conuenit quantitati ex eo, quòd habet par-

Secunda ratio.

Mathematica addit supra quantitatem prout cõsiderata à physica

partes extra partes, atque hæc est ratio, in qua, tanquam in radice, fundatur ratio dimensionis. Cum ergo physica consideret quantitatem secundum rationem essentialem, tanquam passionem sui obiecti, & mathematica superaddat rationem dimensionis, sequitur, quòd iuxta id, quod ab opposita sententia assumitur, mathematica sit posterior physica. Atque etiam ex alio capite efficax est ratio allata, scilicet quia ratio dimensionum consequitur ad rationem quantitatis, prout habet partes extra partes; vnde cum obiectum mathematicæ dicat quid posterius natura illa ratione quantitatis, quæ consideratur à physica, sequitur, quòd ex omni capite ipsa quoque sit posterior secundum ordinem doctrinæ naturalem.

Confir. ex Arist. VI. Atque hæc sententia non solum desumi potest pluribus in locis ex doctrina Aristotel. sed eam apertè tradit 6. Metaphys. tex. 3. vbi docet, quòd si non daretur metaphysica Naturalis philosophia esset prima; eius verba sunt. *Si igitur non est aliqua alia substantia, prater eas, quæ natura consistunt, Naturalis profectò prima scientia est. Quòd si est aliqua substantia immobilis, hæc prior, & philosophia prima, & vniuersalis, sic quod prima.* Si ergo naturalis, ablata metaphysica, esset philosophia prima, signum est, quòd vult esse priorem mathematica, alioquin mathematica ipsa esset prima. Sed occurrit primo Perer. Aristotel. non loqui de prioritate naturæ, sed de prioritate dignitatis, qua physica est prior mathematica, dum ipsa considerat obiectum substantiale. Verum non rectè; nam illam prioritatem haberet tunc physica iuxta mentem Arist. quam nunc habet metaphysica, sed metaphysica nedum habet prioritatem dignitatis, sed etiam naturæ; non enim alia ratione vocat metaphysicam philosophiam primam, nisi quia considerat obiectum, quod est prius natura obiectis cœterarū scientiarum. Resp. secundo Idem Perer. Tunc physicam futuram primam philosophiam, quia consideraret etiam substantiam, vt sic, neq; enim esset alia philosophia, à qua consideraretur. Verùm neq; melior est hæc responsio; nam, si non adesset metaphysica, neque adesset abstractio metaphysica, & consequenter neque physica consideraret substantiam, vt sic, substantia enim vt sic esset intra abstractionem metaphysicam. Deinde cur, quæso, esset prima philosophia ex eo, quod consideraret substantiam vt sic? certè non alia ratione, nisi quia substantia vt sic est prior natura quantitate, quam considerat mathematica, sed etiam corpus est natura prius quantitate; cur ergo etiam de facto physica non erit prior natura mathematica?

(Physica esset prima philosoph. ablata metaphysica)

(Excluditur responsio Perer.)

VII. Hinc facilè etiam ad rationes in oppositum respondemus. Quando enim in prima dicitur. Illud, quod est magis abstractum à materia, esse prius natura verum est, si tamen intelligatur de materia signata, quod enim per maiorem abstractionem magis elongatur à materia signata, accedit ad vniuersalitatem superiorem, & ideò prius est natura respectu eorum, quæ non adeò abstrahunt à materia; non autem id est verum de abstractione à materia sensibili, aut intelligibili, fieri enim potest, quòd aliquid omninò abstrahens à materia intelligibili, & sensibili sit posterius natura respectu alicuius, quod non abstrahat à materia: sic accidens spirituale abstrahit omninò à materia, & tamen est posterius corpore naturali, quod non abstrahit à materia. Modò si comparentur obiecta mathematicæ, & physicæ æquè abstrahunt à materia signata, & ideò ex hac ratione neutrum potest esse prius altero. Addo etiam, quòd, vt aliquid magis abstrahenti à materia signata sit prius illo, quod minus abstrahit, oportet, quòd comparetur ad aliquem gradum entis inferiorem, qui sibi vt contractiuum adneniat, non autem ad quamcumque aliam rem; quantitas verò non est contractiua corporis naturalis, neque econtra. Corpus verò naturale ex eo, quod est substantia, semper retinet suam prioritatem respectu quantitatis. At si loquamur de abstractione alia, neq. verum est, quod quantitas magis abstrahat à materia, nam quantitas abstrahit a materia sensibili, à qua non abstrahit corpus: at corpus econtra abstrahit à materia intelligibili, à qua non abstrahit quantitas; cum enim obiectum physicæ sit corpus naturale, vt tale est, in ipso non inuoluitur quantitas, sed tantum illi adhæret tanquam passio, vnde videtur seruari æquiualentia in abstractione.

(Ad rationes in oppositum.)

VIII. Ad secundam rationē responde tur, quòd Arist. in illo tex. 42. lib. 1 Poster (Ad secundam rationem.)

vult

Argumētū sententiæ Aristot.

vult ostendere, quomodo vna scientia fit prior, vel posterior altera; atque hoc declarat ex parte obiecti, quando scilicet obiectum vnius aliquid addit supra obiectum alterius, quod sit ipso posterius natura, tunc illa scientia est posterior altera ex natura sua, & hoc pacto contingit, Physicam posteriorem esse metaphysica. Verum mathematicæ obiectum non est aliquid prius natura obiecto physicæ, tanquam physica aliquid posterius naturæ superaddat; non enim, vt ibi supponitur, considerat quantitatem, sed corpus naturale; vnde habet pro obiecto aliquid prius natura obiecto mathematicæ. Quin addo, quod, etiam si consideraret quantitatem prout est affectio corporis naturalis, & dicens ordinem ad materiam sensibilem, adhuc consideraret aliquid prius obiecto mathematicæ, quoniam prius est, quantitatem esse passionem corporis naturalis, & consequenter simul dicere òrdinem ad ipsum, quàm esse quid dimensibile. Mathematica autem considerat quantitatem, vt quid dimensibile; Physica verò, vt est affectio corporis naturalis. Cum verò in eadem ratione dicitur, quòd obiectum mathematicæ est quid simplicius: intelligi debet de simplicitate intra eundem ordinem, ita vt illa scientia sit posterior, quæ habet obiectum magis compositum, addendo aliquid supra obiectum simplicius, quod non contingit inter mathematicam, & physicam: nam licet physica habeat corpus naturale pro obiecto, quod est quid compositum ex materia, & forma; mathematica verò quantitatem, quæ in se non inuoluit compositionem, tamen, quia ista simplicitas quantitatis est in alio ordine; non enim est intra ordinem substantialem, sed accidentalem; & quia corpus non addit aliquid supra quantitatem, ideò hæc maior compositio in obiecto physico non facit, quod sit posterius natura obiecto mathematicæ, sed semper, vtpotè substantia, retinet suam prioritatem naturæ respectu quantitatis quocunque modo consideratæ, vt etiam supra dicebamus, & consequenter etiam physica respectu mathematicæ.

Ordo doctrinæ quò ad nos inter partes Philosophiæ.

SECTIO V.

I. Alter ordo doctrinæ est ille, quem seruant partes Philosophiæ quò ad nos, prout scilicet nobis magis, vel minus faciles sunt quò ad earum acquisitionem, quem etiam diuersimodè statuunt Philosophi. Prima ergo sententia est antiquiorum, Plotini, Ammonij, & aliorum, quos sequitur Albertus Magn. 1. phys. tract. 1. cap. 1. Asserunt autem hi auctores, quod si spectetur ordo doctrinæ quò ad nos, prior est Physica, quàm Mathematica. Atque primò fundant suam sententiam in eo, quod res physicæ sunt propinquiores sensibus, vnde potius ab ijs incipiendum, quàm à mathematicis. Secundò abstractio mathematica media est inter abstractionem physicam, & metaphysicam; physicus enim considerat, quæ nec re, nec ratione abstrahunt à materia; metaphysicus verò ea, quæ re, & ratione abstrahunt; mathematicus verò ea considerat, quæ non re, sed ratione tantum à materia abstrahunt, vnde cum abstractio mediet inter Metaphysicam, & Physicam, etiam in tradendis his scientijs talis ordo seruandus erit. Prima sententia. Plotin. Ammo. Albert. Magn.

II. Altera autem sententia est Mirandulani lib. 2. singul. certaminis sect. 7. qui vult eundem ordinem doctrinæ seruare has partes philosophiæ inter se quò ad nos, quem seruant ex natura sua; vndè vult metaphysicam debere esse priorem quò ad nos; ex quò sequitur etiam, quod primo loco tradenda sit. Probat suam sententiam duplici fundamento; quorum primum est, quoniam considerat supremas causas; vnde cum impossibile sit sine ipsis obiecta aliarum scientiarum distinctè percipere, oportet, quod prius tradatur metaphysica, quàm cæteræ scientiæ; secundum fundamentum est, quia sibi subordinat alias scientias; impossibile autem est, prius percipere scientiam subordinatam, quam percipiatur subordinans. Secūda sētētia. Mirād.

III. Tertia verò sententia communis, tàm apud veteres, quàm apud recentiores, qui primo loco collocant Mathematicam, secundò Physicam, vltimò verò Metaphysicam. Desumitur hæc sententia ex Auicen. lib. 1. suæ metaphysicæ cap. 3. Cōis sententia Auicen.

D. Tho. Simpl. Aegid Gandauen. Hugon. Vict. landun. Sueffan. Tolet. Fonseca

D. Tho. 1. contra Gent. cap 4. Simpl. initio physic. Aegid. in proem. phys. Gandauen, in sum. art. 7. quæst. 7. Hugon. Vict. in prologo Cœlest. Hyerarch. Iandun. 1. Metaphys. quæst. 2. Sueffan. 6. metaph. Disp. 6. Tolet. 1. physic. quæst. 3. proem. Et Fonseca 2. Metaph cap. 3. quæst. 5. qui sect. 4. conclus. 1. vult ordine inuentionis physicam, & Mathematicam præcedere metaphysicam; & conclus. 3. esse ordine doctrinæ priores ipsa absolutè, quamuis conclus. 2. asserat, quod spectato ordine doctrinæ exquisitæ præcedat Metaphysica, Sectione verò quinta, conclusione 2. Mathematicam ordine doctrinæ præcedere Physicam, quamuis conclusione prima doceat, quod secundum ordinem exquisitum doctrinæ præcedat Physica. Quid autem intelligat, per exquisitum ordinem doctrinæ, non explicat: sed vt colligitur ex confirmatione suarum assertionum, intelligit ordinem doctrinæ, quem seruant partes inter se ex natura sua, vt nos etiam supra docuimus. Cum qua sententia conuenit etiam Perer. dum lib. 1. suæ philosophiæ cap. 17. docet tàm secundum se, quàm quò ad nos Mathematicam in ordine doctrinæ debere præcedere alias partes philosophiæ.

Perer.

Prima Conclusio.

IV. Atque huiusmodi sententia vera est, & tenenda: vnde pro eius explicatione Dico primo, quòd si spectetur facilitas in addiscendo has partes philosophiç, Metaphysica, vt potè difficilior, est posterior cœteris partibus, quamuis postea cœteræ partes, vt potè posteriores natura sua, non possint exactè apprehendi, nisi dependenter à metaphysica; vnde hinc factum est, quod in ipsis debeat aliquid de metaphysica admisceri, vt ea quæ spectant ad physicam, siue etiam mathematicam rectè tradi possint. Desumitur hoc dictum ex Aristot. qui 1. Metaphysic. cap. 2. Ita habet: *Ferè autem, & difficillima hominibus cognitu sunt ea, quæ maximè vniuersalia sunt, siquidem remotissima sunt à sensibus*. Et hoc dixit propter Metaphysicam, vt ostenderet eius difficultatem, siquidem agit de rebus vniuersalissimis, & remotissimis à sensibus, vt ibidem explicat, abstrahit enim ab omni materia, & proinde eius obiectum est valde remotum à sensibus. Vnde hinc etiam conficitur ratio valida. Quæ sunt notiora quò ad nos, maiori facilitate percipiuntur, quæ verò minus nota, cum maiori difficultate cognoscuntur; & proinde, vt seruetur facilitas in docendo, debent prius tradi, quæ sunt notiora quò ad nos, deinde minus nota; Metaphysica autem agit de rebus quò ad nos ignotis, cum enim ea nobis nota sint: quæ sensibus propinqua sunt, quæ remota sunt à sensibus, vt sunt res Metaphysicç, erunt consequenter ignota quò ad nos.

Aristot.

V. Secundo confirmari potest hæc conclusio ab experientia, quo argumento vtitur etiam Diuus Augustinus lib. 2. de ordine ad hanc nostram conclusionem probandam: experimur enim, quod cœteræ partes philosophiæ, præsertim Physicæ, veluti gradum sternunt ad metaphysicam, & aperiunt viam ad ea intelligenda, quæ in ipsa traduntur: vnde etiam prius doceri solet, quam Metaphysica: & certè hoc argumentum non est contemnendum, & mihi videtur euidenter probare, posteriorem esse metaphysicam, si attendatur facilitas addiscendi: quomodo enim per tot sçcula, priùs tradita semper fuisset Physica, quàm Metaphysica, nisi facilius ipsa perciperetur? Et in confirmationem huius rationis addi potest modus procedendi nostræ cognitionis: incipit enim à sensibus, cum intellectus natus sit ad intelligendum dependenter ab ipsis. Si ergo attenditur facilitas, illæ scientiæ nobis magis faciles, atque in promptu sunt, quæ agunt de rebus sensibus vicinioribus, & eæ minus faciles, atque in promptu, quæ agunt de rebus, quæ sensibus propinquæ non sunt: cum ergo metaphysica agat de rebus à sensibus remotis, sequitur quod minus nobis sit facilis, atque in promptu, quàm sint cœteræ partes philosophiæ.

Cœteræ partes philosophiæ velut gradus ad metaph.

Secunda Conclusio.

VI. Ex his autem dicendum est secundo, quò ad facilitatem in modo procedendi posteriorem esse Physicam Mathematica, quç, vt potè facilior captu, primo loco constituenda est. Atque ita docuit Arist. 6. Eth. c. 8. vbi hæc habet: *Nam & hoc quispiam considerauerit, cur puer mathematicus quidem fieri potest, sapiens autem, aut naturalis non potest? an quia mathematica quidem per abstractionem; horum verò principia experientia innotescunt, & hæc quidem absentes non credunt, sed dicunt; illorum autem defini-*

Aristot.

finitiones non sunt obscura. Atque ratio pro hac conclusione eadem est illa quam pro præcedenti attulimus, quia nimirum res mathematicę facilius percipiuntur. cum sint magis obuiæ sensibus, quam res physicæ; obiectum enim physicæ, cum sit corpus naturale, non est aliquid per se sensibile, sed solum per accidens ratione accidentium sensibilium, quibus afficitur; at mathematica, cum quantitatem consideret, eius obiectum est aliquid per se sensibile, & ideo etiam magis obuium sensibus. Accedit etiam, quod principia, ex quibus procedit, vt plurimum sunt nota, nedum secundum naturam, sed etiam quò ad nos, & hinc fit, quod facilius ijs vtamur ad deducendas conclusiones. Tertiò quoniam, quę in mathematica docentur, exemplificari possunt in materia particulari, quæ immediatè sub sensum cadat; vnde de ijs, prout sunt in materia particulari, habemus cognitionem intuitiuam, & facilè postea possumus vniuersalem abstractiuam acquirere; quæ cum ita sint, sequitur, quod maxima cum facilitate ea, quæ traduntur in mathæmatica, percipiamus.

Res mathemat. magis obuiæ sensibus

VII. Hinc facilè soluere possumus rationes in oppositum; ad primam enim negandum est, quod res physicæ sint propinquiores sensibus; quis enim non videat propinquiores esse sensibus sensibilia per se, quàm sensibilia per accidens? corpus autem naturale, quod est obiectum physicæ, est tantum sensibile per accidens; quantitas verò, quæ est obiectum mathematicæ, est per se sensibilis. Ad secundam; abstractionem mathematicam, propriè loquendo, non esse mediam inter Physicam, & Metaphysicam; nam metaphysica quidem abstrahit ab omni materia, mathematica vero abstrahit à materia sensibili; econtra vero physica abstrahit à materia intelligibili, seu quantitatiua mole, vnde non adest aliquis ordo, quo abstractio mathematica media constituatur inter metaphysicam, & physicam. Sed quicquid de hoc sit; ordo doctrinę secundum facilitatem non est attendendus penes abstractionem, sed penes id quod res magis, vel minus nobis notæ sint.

Ad rões primæ senten.

VIII. Ad rationes autem pro secunda sententia, & ad primam, quamuis verum sit, quòd scientiæ posteriores natura, quales sunt physica, & mathematica respectu metaphysicæ non possint exactè cognosci, nisi cum aliqua dependentia à metaphysica, seu scientia priori secundum naturam; non hinc tamen fit, quòd debeat statui prior metaphysica secundũ ordinem doctrinę, quo ad nos, quia hoc non confert scientię, ita vt facilior prior constituatur; quod si nequit exactè doceri sine ijs, quæ traduntur in scientia priori natura, & ab ipsa mutuanda sunt, & in illa scientia declaranda. Altera autem ratio tangit difficultatem, an metaphysica subalternet sibi alias partes philosophiæ speculatiuæ, quam tractabimus infra. nũc dico, quicquid sit de hac subalternatione, si scientia sit alteri sub alternata, si modo facilius percipi potest priori loco addiscenda est, & ea quæ ex subalternante propter ipsius intelligentiam, necessaria sunt, debent ab eadem mutuari, atque ibi declarari. Quod de facto fit, vt in medicina, & quibusdam partibus mathematicæ.

Ad rões secundę senten.

Corollaria ex dictis. Disp. XIV.

Corollaria quò ad modum procedendi, & ordinem doctrinæ. Sect. I.
Corollaria quò ad vtilitatem, & necessitatem philosophiæ. Sect. II.

Corollaria quò ad modum procedendi & ordinem doctrinæ.

SECTIO I.

I Anteqnam his disputationibus, quas de philosophia in vniuersum, atque eius partibus instituimus, finem imponamus, hæc altera disputatio adnectenda est in qua nõnulla corollaria ex ijs, quæ hucusq; diximus, deducamus. Et, quod spectat ad modum procedendi in doctrina philosophica, colligitur primò, non esse idem, loqui de ordine doctrinæ, & de via doctrinę, quamuis enim videantur coincidere; re vera tamen diuersa sunt; Via enim doctrinę est ratio, seu methodus, qua aliqua demonstrantur, vt cum per passiones; aut causas deuenimus in cognitionem alicuius essentiæ. Ordo vero doctrinæ est illa congrua dispositio singularum partium cuiuscunq; disci-

Aliud ordo doctrinæ, & aliud via doctrinæ.

disciplinæ, quæ sit accommodata faciliori cognitioni. Ex quo fit, quod methodus, seu via doctrinæ sit quid naturale, se tenens ex parte ipsarum rerum, prout vna est apta nos inducere in cognitionẽ alterius, vnde determinat nostrum modum procedendi circa inquisitionem veritatis; Ordo verò doctrinæ est quid artificiosum, quamuis habeat fundamentum in rerum natura.

Quid in methodo, & q̃d in ordine doctrinæ seruãdũ

II. Ex quo fit; quod via doctrinæ, seu methodus correspondeat ordini naturæ, ita vt prius tradantur, quę sint priora secundum naturam, & proinde secundum viam doctrinæ, & methodum partes philosophiæ disponi debeant, iuxta illum ordinem, quem seruant ex natura sua. In ordine vero doctrinę, hic ordo naturæ non est necessariò seruandus, sed debet talis ordo institui, in quo non rerum natura attendatur, sed facilitati consulatur, atque partes disciplinæ ita ordinatim ponātur vt discenti confusionem non generent, in doctrinis enim, vt Arist. docet non ex primo principio inchoandum est, sed vnde prius facilius discitur, vnde illa præmitti debent, à quibus cœtera in cognitione dependent; & hinc, loquendo de partibus philosophiæ, illa primum tradenda est, quæ nobis notior est; quemadmodum etiam in qualibet scientia illa prius tradenda sunt quę notiora sunt, si discentium facilitati consulere velimus. Verum circa hoc aduertendum est, quod, in hoc ordine instituendo, ita debent partes disciplinæ discentium captui accommodari, vt tamen ordo congruus etiam rebus, quæ pertractantur in ipsis seruetur.

Aristot.

In scientijs ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia progrediendum est

III. Secundò colligitur. Quod cum in tradendis doctrinis à notioribus semper incipiendum sit, tum quò ad partes philosophiæ disponendas, tum quò ad naturas rerum explicandas, oportet, quòd semper ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia progrediamur. Atque in hoc debemus imitari naturam, quæ dum nos in rerum cognitionem incipit ducere, prius vniuersaliora manifestat, deinde minus vniuersalia; & antequam inter res doceat discernere, prius ea sub quadam confusa, & communi ratione manifestat. Quod aduertens Arist. 1. physic. tex. 5. inquit. *Pueri quoque primum quidem viros omnes patres, mulieres quasuis matres appellant, posterius autem horum vtrumque discernētes distinguere quoque videtur.* Quod non alia ratione contingit, nisi quia natura illis prius manifestat res sub quadam communi ratione, deinde sub peculiari cuiuscunque. Sic contigit, quod in obiecto cuiuscunque scientiæ prius ratio eius in communi declaranda sit, deinde aliæ rationes magis peculiares. Cuius rei ratio est, quia facilius est, de quacunque re, quantumuis à sensibus remotissima, acquirere quandam cognitionem vniuersalem, & veluti confusam, quam cognitionem repræsentantem distinctè omnes rationes, & quicquid de ipsa à tali scientia cognosci potest. Hinc docet Arist. 1. phys. tex. 4. Quod semper ab vniuersalibus incipiendum est, & postea ad minus vniuersalia progrediendum & etiam sicuti in sensu facilius res innotescunt secundum rationes communes particularizatas, vt experientia constat, ita etiam in intellectu intra quãcunque abstractionem facilius innotescunt res magis vniuersales, quàm minus vniuersales.

Arist.

Duplex via doctrinę Arist.

IV. Colligitur tertiò. Duplicem esse viam doctrinæ, vt etiã desumitur ex Aristot. 1. Ethic. cap. 4. prima est à principiis ad ea, quę sunt ab ipsis; altera autem à principiatis ad principia. Seu vna, quæ procedit per demonstrationes à priori; altera autem per demonstrationes à posteriori. Prima dicitur via compositiua, nam ex partibus, & principijs progreditur ad compositum. Altera vero est resolutiua, nam constitutum resoluitur in sua principia, & elementa. Vtraque autem via vtitur philosophia naturalis, vt docet Arist. 1. physic. cap. 1. Verum tamen est, vt aduertunt etiam Conimb. ibid. quod, si propriè loqui velimus; via resolutiua tunc debet adhiberi, quando philosophia propria inuentione acquiritur; nostra enim cognitio à sensibus incipit, & ideo à posteriori progreditur, & percipiens prius, quæ composita sunt, incipit resoluere in sua principia, & elementa, donec quidditatem rei penetret. Via autem compositiua accommodatior est, quando aliis philosophia traditur. Possumus tamen indifferenter vti vtraque via, siue philosophia de nouo acquiratur, siue aliis tradatur, prout commoditas fert; quod etiam præstitit Aris. qui modo via compositiua, modo resolutiua procedit. Et hæc quod spectat ad modum procedendi, & ordinem doctrinæ.

Conimb.

Coro-

Corollaria quò ad vtilitatem, & necessitatem philosophiæ.

SECTIO II.

I. Philosophiam non esse simpliciter necessariam necessitate absoluta, si loquamur de quocunque in particulari, magis euidens est, quàm aliqua ratione confirmari possit. An autem in vniuersum necessaria sit simpliciter, ita vt saltem hominum vniuersitati necessaria sit, dubitari potest. Et quidem non esse ita simpliciter necessariã. vt sine ipsa Vniuersum consistere non possit, omninò hoc mihi euidens videtur; quid enim impedit, ne vniuersum sistat, si Deus à singulis hominibus tolleret philosophiam; est enim philosophia quid posterius rebus, quæ constituunt vniuersum, & ideo non dependet ab ea in conseruari. Verùm quia possumus considerare vniuersum secundum quamdam pulchritudinem, & speciositatem, quæ præcipuè consistit in ordine quodam, quo res debitè ordinantur, & modo congruo earumdem naturis; tunc ad hanc pulchritudinem seruandam necessaria est philosophia, præsertim in statu hoc naturę lapsæ. Et quidem id euidenter patet de philosophia morali, cum enim actiones humanæ vitientur ab appetitu, quomodo haberent pulchritudinem sibi debitum, & ordinem congruum, nisi adesset philosophia moralis, quæ ostenderet, quomodo ordinandæ essent, & dirigendæ? Rursus quomodo sine ipsa institueretur ciuilis ordo, atque gubernatio? quomodo societas humana consisteret? Itaque ad rectam rationem viuendi, stante præsertim lapsu naturæ, est simpliciter necessaria philosophia moralis. Sed etiam naturalis necessaria est, Medicina enim necessaria est, propter sanitatem tuendam & deperditam acquirendam in ordine enim, & corporis humani temperamento magnam confusionem pariunt morbi; vndè cum homo sit nobilior pars vniuersi, ad seruandam debitam pulchritudinem necessaria est medicina, quæ est pars naturalis philosophiæ, & consequenter etiam physica, à qua de pendet medicina. Sed etiam necessaria est metaphysica, quia homo, oportet, quòd se attollat ad considerandum suum vltimum finem, ad quem dirigat suas actiones; quòd fieri non potest, nisi habeat aliquam contemplationem, qua se attollat supra res abstrahentes à materia, & consideret ordinem rerum, atq. alia huiusmodi, quæ intra abstractionem metaphysicam reperiuntur. Denique necessaria est etiam mathematica, à qua regulantur, & dependent multa, quæ spectant ad humanum vsum, & sunt ad ipsum necessaria, quæ congruè, & debito modo effici non possent, nisi adesset mathematica, vt consideranti palam fiet. Et postremò cum communiter Theologi doceant, quòd Theologia necessaria est saltem toti Ecclesiæ, atque ad Theologiam necessaria sit etiam philosophia, consequenter philosophia necessaria est toti Ecclesię eo pacto, quo est necessaria theologia.

Philosophia necessaria ad pulchritudinẽ vniuersi.

II. Colligitur secundò, philosophiã esse necessariam propter quandam satietatem nostri appetitus, & pulchritudinem intellectus. Supra enim disp. 1. ostẽdimus, quomodo omnes homines, nedum appetitu innato, sed etiam elicito appetant scire; ne ergo huiusmodi appetitus frustretur bono, quod desiderat, necessaria est philosophia. Similiter etiam intellectus noster, cum sit potentia cognoscitiua, valde imperfectus est, dum caret illa cognitione, qua naturaliter perfici potest, quæ est cognitio scientifica; non enim potest res intuitiuè, atque in seipsis cognoscere, sed oportet, quòd per discursum, atque demonstratiuum processum colligat sibi certam, & euidentem cognitionem, qua perficiatur eo meliori modo, quo potest. Ex quo etiam fit, quòd necessaria sit ob perfectionem vniuersi; cum enim vniuersum constare debeat diuersis gradibus, atque iam de facto existat gradus cognoscitiuus, nisi adesset philosophia, qua huiusmodi gradus cognoscitiuus compleretur valde imperfectus esset tum gradus, tum vniuersum ratione gradus, & ideò ad eius perfectionem oportet ponere philosophiam.

Philosophia necessaria propter satietatem nostri appetitus.

III. Tertio colligitur, necessariam esse philosophiam ad assequendam cognitionem Dei naturalem tanquam vltimi finis iuxta illud D. Pauli ad Roman. 1. *Inuisibilia ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*, & Sapient. 13. *A magnitudine speciei, & creaturæ poterit cognoscibiliter illorum creator videri*. Deus enim naturali mo-

Philosophia necessaria ad assequendã cognitionem Dei naturalem

Rom. 1.

Sap. 13.

do cognosci non potest, nisi per has creaturas, tanquam per effectus ipsius, ad eiusdem cognitionem ascendamus; atque cum necessarium homini sit, Deum, tanquam finem vltimum, cognoscere, vt rectè viuat secundum naturam; hinc constat philosophiam necessariam esse etiam ex hoc capite; & quamuis adsit fides, adhuc tamen est necessaria philosophia, quoniam fides philosophiam supponit, quæ enim nobis reuelata sunt, supponunt ea, quæ naturaliter cognosci possunt. quia fides eleuat ad cognoscendum plura naturalia secundum terminos supernaturales.

Philosophia necessaria Christianæ pietati.

IV. Quartò colligitur, philosophiam maximè necessariam esse christianæ pietati, atque ad fidem, & Theologiam fouendam, & maximam vtilitatem inde trahi; si tamen loquamur de vera philosophia, & non de illa, quæ erroribus plena est, quod non minus rectè, quàm concinnè explicat D. August. lib. 1. de Christiana Doctrina capit. 40. vbi inquit. D. Aug. *Philosophi autem, qui vocantur, si qua forte vera, & fidei nostra accommoda dixerunt, maximè Platonici, non solum formidanda non sunt, etenim Aegyptij non solum Idola habebant, & onera grauia, quæ populus Israel detestaretur, & fugeret; sed etiam vasa, atque ornamenta de auro, & argento, & vestem, quæ ille populus exiens de Aegypto sibi potius, tanquam ad vsum meliorem clanculò vindicauit, non auctoritate propria, sed praecepto Dei, ipsis Aegyptijs nescienter commodantibus ea, quibus non benè vtebantur. Sic doctrinæ omnes gentilium, non solum simulata, & superstitiosa figmenta graues sarcinas superuacanei laboris habent, quæ vnusquisque nostrum duce Christo de societate gentilium exiens, debet abominari; sed etiam liberales disciplinas vsui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta vtilissima continent, deque ipso Deo colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos; quod eorum tanquam aurum, & argentum, quod non ipsi instituerunt; sed quibusdam quasi metallis diuinæ prouidentiæ, quæ vbique infusa est, eruerunt; & quæ peruersè, & iniuriosè ad obsequia dæmonum abutuntur. Cum ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre christianus ad vsum istum prædicandi euangelij. Vestem quoque illorum, idest hominum quidem instituta, sed tamen accommodata humanæ societati, quæ in hac vita carere non possumus, accipere, atque habere licuerit in vsum conuertenda christianum.* Ita D. Aug. quibus non solum docet, quomodo philosophia conferat ad christianam vitam, sed etiam quomodo desumenda sit ab Ethnicis philosophis, ipsorum erroribus relictis, & his conformia pluribus in locis habet, & ipse passim ad confirmanda ea, quæ fidei sunt, philosophia vtitur.

D. Hieronym.

V Sed hanc etiam vtilitatem luculenter explicauit D. Hieronim. in epist. ad magnum vrbis Romæ oratorem dum de DD. Basyl. Gregor. & alijs inquit *Qui omnes in tantum philosophorum doctrinis, atque sententijs suos referserunt libros, vt nescias, quid in eis primum mirari debeas vtrum eruditionem sæculi, vel scientiam scripturarum.* Et pulchrius in epist. ad Pamach. de dormit. Paulæ. *Si adamaueris mulierem captiuam (idest sapientiam sæcularem, & pulchritudine eius captus fueris, decalua eam, & illecebras crinium, atque ornamenta verborum cum tenacibus vnguibus seca: laua eam prophetali vitro, & requiescens cum illa dicito. Sinistra eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, & multos tibi captiua fructus dabit, ac de Mohabitide efficietur tibi Israelites.* Et alia multa apud PP. eamdem vtilitatem, & necessitatem declarantia reperiuntur.

Multiplex vtilitas.

VI. Est autem ex multiplici capite vtilis, & necessaria: primò quidem, quia Philosophia confert ea Theologiæ, quibus mysteria fidei declarentur, & confirmentur, & manuducit intellectum ad ipsa credenda, atque defendit aduersus impugnantes ea, quæ in fide traduntur; quomodo enim quis ageret contra philosophos, qui careret philosophia? aut quomodo eorum argumenta dissoluere t? Secundò. Sicuti cognitio naturalis, quam habemus de Deo, est veluti quoddam fundamentum, cui innititur fides; quis enim Deo crederet, nisi sciret Deum esse? ita etiam philosophia est quoddam fundamentum Theologiæ, sine qua impossibile esset, quod existeret, cum etiam Theologia procedat ex ijs, quæ lumine naturæ nota sunt, & plurima in naturali philosophia probata supponit, vt in eius processu patet. Sed præsertim moralis necessaria est ad Theologiam moralem; quomodo enim Theologia moralis ageret de actibus virtuosis ad finem supernaturalem ordinatis, nisi cognosceret ea, quæ spe-

spectant ad rectificandas actiones secundum naturalem virtutem? sed hæc necessitas, & vtilitas melius percipitur ab iis, qui gustant studia Theologiæ, quàm congruè explicari possit. Qui plura desiderat, consulat D. Thom. opus. 70. quod est super Boet. de Trinit. quæst. 2. art. 3. & Cano De locis Theologicis lib. 9. præsertim cap. 4. 5. & 6 qui egregiè hanc materiam tractat. nobis sufficit ostendisse, quomodo vtilis, & necessaria sit.

D. Tho.

Cano.

Rō cur philosophia pe cessaria ad Theologiam.

VII. Sed si quis huius rei rationem desiderat, eam breuiter afferemus. Vt enim supra docuimus, philosophia est necessaria propter quamdam perfectionem humanæ naturæ, & præsertim moralis, quæ necessaria est ad rectè instituendam vitam iuxta dictamen rectæ rationis, sine qua impossibile esset, actiones nostras habere suam debitam pulchritudinem, & conformitatem ad rectamrationem; vnde saltem hæc philosophia est necessaria aliquibus, qui cœteros doceant, quomodo debeant vitam instituere, & suas operationes conformare rectæ rationi. Cum autem gratia, & fides, quæ est ex gratia non destruat, sed perficiat naturam, & consequenter ea, quæ spectant ad perfectionem naturæ; sicuti ad naturam est necessaria philosophia, ita etiam ad fidem, & religionem christianam; & quemadmodum, nisi adesset natura, quæ à gratia perficeretur, neque etiam adesset gratia; ita nisi adessent perfectiones illæ, quæ spectant ad naturam, quæ complerentur à perfectionibus, quas confert gratia; neque possent adesse perfectiones gratiæ supra perfectiones naturales, quę per gratiam complerentur; sic rectę actiones naturales perficiuntur à gratia, dum ordinantur ad finem supernaturalem.

Error Lutheri


VIII. Ex quo patet, quàm insanus fuerit error Lutheri, & aliorum, qui planè inutilem, imo ablegandam esse asserebat philosophiam, quod ideò Lutherus asserebat, vt probitatem morum reiiceret, quam philosophia moralis inducit, & rationis imperium supra cupiditates excuteret, quo reiecto, etiam ruit christiana religio, quomodo enim stabit christiana religio, nisi mores per philosophiā moralem ad virtutem efformentur. Et si quando scriptura, & Patres philosophiā reprehendunt, intelligendi sunt de captiosa, & erroribus plena, & de superstitiosa Ethnicorum; non autem de illa, quę veram cognitionem continet, siue ea speculatiua sit, siue practica. Et quod fides debeat prçferri philosophię, quia cum ipsi contraria non sit, oportet, quod philosophia erret, quandocunque aliquid fidei contrarium docet, & ideò fidei debet postponi tanquam falsa. Sic intelligendum illud 1. Corint. 1. *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? vbi scriba? vbi inquisitor huius sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi.* Quamuis fortasse iuxta sensum magis litteralem intelligi debeat de mysterio incarnationis, & conuersione Gentium. Sic illud 1. ad Timoth. 6. *Si quis non acquiescit sanis sermonibus, & ei, quæ secundum pietatem est, sana doctrina, superbus est nihil sciens, sed languens circa quæstiones.* Sic intelligendi Nazianzenus, Clemens Alexandrinus, Ambrosius atque alij, dum videntur philosophiam reprobare, nam veram philosophiam omnes Patres acceptauerunt. Et hæc quò ad philosophiam in vniuersum, & eius partes.

1. Corinth. 1.

1. Timoth. 1.



DE NATVRA, ET OBIECTO METAPHYSICÆ.





Absolutis ijs, quę ad philosophiam in communi, atque eius partes spectabant, Primam eius partem, nempè Metaphysicā, explicandam aggredimur. Et licet ultimo loco hæc tradi soleat; vnde Auer. 1. Metaph. com. 4. Philop. initio volunt dici metaphysicam, quasi post physicam, quia post physicas scientias tradi soleat, & vt supra diximus disp. 12. sect. 5. si spectetur ordo doctrinæ quò ad nos, vltimo loco collocanda sit, vt potè quia agit de rebus à sensibus remotissimis; quia tamen hic non ordinem doctrinæ quò ad nos, sed ordinem doctrinæ, quem ex natura sua seruant inter se partes philosophiæ, intendimus sequi; ideò priori loco metaphysicam pertractamus, tanquam primam philosophiam: dicitur enim Metaphysica, vt vult Albert. Magn. cap. primo suæ Metaphys. hoc est supra physicam, quia supra res physicas se eleuat, & natura, atque dignitate physicas scientias antecedit, cum attingat ens sub nobiliori abstractione, & consideratione; vnde etiam ab Arist. 6. Metaphys. cap. 3. dicitur prima phylosophia.

A ue. Philo. Albert. Magn. Arist.

Quod si quis quærat, cur prius metaphysicam pertractandam susceperimus, & ordinem potius, quem partes philosophiæ seruant inter se sequendum proposuerimus, & non illum, quem seruant quò ad nos, cum hic videatur magis accommodatus discentium captui. Respondemus, inde factum esse, quia exactam philosophiæ doctrinā quò ad fieri potest, tradere intendimus; vnde cum perfectior sit ordo doctrinæ, quem ex natura sua seruant partes inter se, quàm ille, quem seruat quò ad nos, hunc sequendum duximus; cum enim scientia sit quædam cognitio repræsentatiua rerum, vt sunt, quis non videat, futuram perfectiorem si etiam repræsentet ordinem, quem res seruant inter se ex natura sua, quàm si alio modo repræsentent? Præterea in tradendis scientiis procedendum est à priori, quantum fieri potest, quod commodè fieri non potest, nisi ab iis, quæ natura sua priora sunt incipiamus. Sic in vnaquaque scientia hunc ipsum ordinem seruari videmus, vt prius de vniuersalioribus agat, & de iis, quæ natura priora sunt, postea de minus vniuersalibus; sic prius agunt de obiecto, & iis, quæ ad ipsum spectant, postea de passionibus; quòd si obiectum habeat sub se plures species, prius ipsum consideratur in communi, deinde secundum species: sic physica prius considerat corpus naturale in communi, deinde tale, vel tale corpus, cur ergo non seruabimus eumdem ordinem etiam inter partes philosophiæ? aut si, inter partes cuiuscumque scientiæ ordo naturæ commodior, cur non erit etiam commodior inter partes philosophiæ? Accedit etiam, quod rationes superiores entis, quæ considerantur in metaphysica sunt veluti fundamentum, in quo cœteræ rationes entis, quæ ab aliis considerantur, fundantur; vnde earum cognitio necesse est, quòd fundetur in cognitione rationum magis vniuersalium, cum res ita se habeant ad cognosci, sicuti ad esse; Vnde faciliori modo post metaphysicam tradentur cœteræ scientiæ, vt potè quia earum cognitio à metaphysica cognitione adiuuabitur; & metaphysica, quamuis ex eo capite, quod tractat de rebus valdè remotis à sensibus, difficilior sit, tamen hæc maior difficultas compensabitur, tum ab vniuersalitate, tum quia natura sua notiora sunt, vt supra explicauimus; vniuersalitas enim, quia ponit rem in pluribus, reddit etiam notiorem. Quod præsertim verum est, quia

Cur metaphysica aliis partib. philosophiæ sit ponēda

meta-

metaphysica considerat aliquid abstractum etiam ab ijs rebus, quæ sub sensum cadunt; ratio enim entis, accidentis, atque aliæ huiusmodi nedum à rebus insensibilibus, sed etiam à sensibilibus præscinditur; vnde hic ratione agit etiam metaphysica de rebus, quæ aliquo pacto sensibus vicina sunt, quoniam sunt rationes imbibitæ in rebus sensibilibus. Quòd si de alijs rebus difficilioribus tractat, potest intellectus ad ipsas faciè manu duci ex ijs, quæ nota sunt. Cui rei fauet etiam, quòd metaphysica procedit ex principijs adeo vniuersalissimis, & notissimis, vt maiori facilitate intellectus ipsis assentiatur, quàm principijs cœteris, vt sunt physica. Exhibito autem assensu principiorum, non adeò difficile est, ex ipsis conclusiones deducere, imò quò euidentior est sequela, eò facilius deducuntur.

Quādo à notioribus ad nos incipiendum. Atque quod maximè aduertendum est, & valde ad propositum facit: tunc debemus à notioribus quò ad nos procedere, quando inquirenda est existentia aliquarum rerum. Cum enim nostra cognitio incipiat à sensibus, ea primò tantùm intelligimus, quæ nobis per sensus objiciuntur; deindè oportet, quòd intellectus per discursum procedat ad inuestigandas alias rationes entis, & in hoc consistit difficultas cognoscendi res, quæ à sensibus sunt valdè remotæ; quia difficilè intellectus ad eas peruenit, cum non solùm per plura progrediendum sit, sed etiam propter occultam connexionem, sit difficile, eas inuestigare; at his rationibus adinuentis, facilius est ab vniuersalioribus incipere, & ab ijs, quæ natura sua priora, & notiora sunt, & deindè ad cœtera progredi, quia tunc progredimur ab ijs, quæ natura sua apta sunt ad generandam in nobis cognitionem eorum, quæ ex se minus nota sunt, & ideò facilior est progressus iste; & hac ratione, quia vnaquæque scientia supponit suum obiectum, ideò in inuestiganda exactè eius natura progreditur ab ijs, quæ natura sua priora sunt. Quare cum etiam partes philosophiæ iam innotuerint, & facilè quædam proemij loco præmitti possint, quæ earum naturam in communi declarent, nec sint de nouo veritates, saltem vt plurimum, inueniendę, faciliori methodo ab ea parte incipiemus, quæ natura sua prior est; nec nobis necessarius erit ille progressus, quo ab ijs, quæ sensu percipimus, ad vniuersaliora progrediamur. Et hoc pacto philosophia erit imitatio rerum etiam secundum distributionem partium, & seruabimus regulam, quam tradit Aristot. 1. Phys. tex 57. vbi docet, quòd est secundum naturam, vt communia primò dicamus; & in progressu philosophiæ ordinem vniuscuiusque partis imitabimur. Aristot. Vt ergo metaphysicę naturam inuestigemus, prius de obiecto inquirendum est, quia cum scientiæ ab obiecto specificentur, ab ipso earum natura desumenda est, quod, vt commodè fiat, prius statuendum est, quod nam illud sit.

Quodnam sit obiectum adæquatum Metaphysicæ. Disp. XV.

Variæ sententiæ.

SECTIO I.

I. Cum obiecta sint quædam veluti mensuræ, quibus habitus, & potentię mensurantur, vt etiam ex Arif. colligitur pluribus in locis, hinc fit, quòd earũ natura inquirenda sit ex obiecto tanquã ex eo, quod vt extrinsecũ specificatiuum, & mẽsurans illã manifestat; consistit Aristot.

Obiecto mensura scientiarum

enim natura scientiæ in illa coadaptatione, quam habet cum suo obiecto. Vt ergo in præsenti naturam, & qualitatem metaphysicæ explicare aggrediamur, ab eius obiecto incipiendum est, & prius inquirendum, quodnam illud sit, & quam latè se extendat, loquendo tamen de adęquato; quo determinato, facilius reliqua, quæ spectant tum ad obiectum, tum ad naturam metaphysicę expediemus; quia tamē in hac difficultate sunt plures sententiæ; ideò suo ordine recensebimus.

Prima opinio.

Ens abstrahēs a reali & rōe esse obiectum metaphysicę.

II. Prima ergo sententia asserit, quòd pro obiecto adęquato metaphysicæ constituendum est Ens, quàm potest vniuersalissimè sumptum; ita vt non solum complectatur omnia entia realia: sed etiam entia rationis. Pro hac sententia nullum certum auctorem ex veteribus reperi, qui eam ex professo traderet; recitatur tamen à Suarez. disp. 1. Metaphysic. sect. 1. num. primo atque conformis est eorum opinioni qui volunt Ens rationis conuenire vniuocè cum ente reali; si enim entia realia in ratione entis spectant ad obiectum metaphysicę, etiam spectabit ens rationis, quia ratione talis vniuocationis erit species obiecti Metaphysicæ. Imo etiam, qui sentiunt analogicè conuenire, & putant ad vnitatem obiecti scientifici sufficere vnitatem analogiæ, idem fortasse opinabuntur. Hos autem modo non recensemus, quia iterum de ipsis redibit sermo, cum disp. 27. sect. 2. eorum opiniones ex professo impugnabimus. Ex recentioribus autem eam tenet Hurtad disp. 1. metaph. sect. 1. subsect. 2.

Hurtad.

Eius fūdamēta

III. Atque huiusmodi opinio non videtur carere fundamento, nam ens sic vniuersalissimè sumptum, prout sub se comprehendit ens reale, & rationis, est obiectum cognoscibile; debet ergo spectare ad aliquam scientiam; at ad quam spectabit, nisi spectet ad metaphysicam, quæ est omnium vniuersalissima; obiectum enim vniuersalissimum debet spectare ad scientiam vniuersalissimam: quod autem sit obiectum cognoscibile, inde colligitur, quia est obiectum intellectus: quicquid autem est intra obiectum nostri intellectus, est obiectum speculabile. Et potest hæc ratio confirmari, quoniam ens rationis participat proprietates, quas de suo obiecto demonstrat metaphysica, nimirum veritatem, vnitatem, bonitatē; proprietates autē nequeunt ab eo participari, quod non participat rationem subiecti, in qua proprietates fundantur. Secundo: Ens rationis habet aliquam conuenientiam cum ente reali ergo metaphysica, quę cōsiderat ens reale, debet considerare etiam hanc rationem, secundum quam conuenit cum ente rationis, & consequenter debet eamdem rationem considerare etiam prout est in ente rationis, alioquin non consideraret illam secūdum totam suam latitudinem. Rursus est superior ad omnes scientias, & debet distinguere, & separare ea, quæ conueniunt, ergo intra suam latitudinē claudet etiam ens rationis, cum propter conuenientiam, quam habet cum ente reali, tum vt ipsum ab ente reali distinguat. Atque hoc totum confirmari potest ex Arist. nam 4. Metaphys. tex. 4. docet quod ad eamdem scientam spectat speculari etiam negationes. *Cæterum* inquit, *cum vnius sit opposita speculari, vni verò opponitur pluralitas, negationem quoque, & priuationem vnius est speculari; propterea quod vtroque modo vnum speculatur id, cuius est negatio, aut priuatio, &c.* Quod si negationes pertinent ad eamdem scientiam; multò magis pertinebit ens rationis.

Aristot.

Secūda sententia

Solum ens per se esse obiectum

IV. Altera sententia coarctat obiectum metaphysicæ; excludit enim ab ipso Ens rationis, & vult tantùm ad metaphysicam indirectè pertinere; habere autem pro obiecto ens reale in tota sua latitudine, prout scilicet complectitur, tum ens per se, tum etiam ens per accidens: v de iuxta hanc opinionem entia artificata spectant per se ad obiectum metaphysicæ. Recitat hanc quoque sententiam Suarez. loco supracitato num. 3, Atque pro ipsa applicari possunt rationes pro pręcedenti allatæ; quod scilicet entia per accidens verè participent rationem entis realis, & in communi ratione conueniunt cum ente per se; & participant passiones entis, & habent suum proprium esse cognoscibile, & positinè contradistinguuntur ab ente per se; vnde oportet, quòd habeant suam propriam differentiam positiuam; ad quam ergo scientiam spectabit hæc ratio entis per accidens, si non spectat ad metaphysicam?

Tertia opinio. Sola substantia est obiectum.

V. Alij autem, & est tertia sententia, adhuc nimis coarctant obiectum metaphysicæ; non solum enim ab ipso excludunt entia rationis, & entia per accidens,

sed etiam aliquod ens reale per se, nimirum accidens; vnde pro obiecto adæquato statuunt solam substantiam abstrahentem à materiali, & immateriali. Hæc sententia tribui solet Buridano, Et eam defendit Pauesius disp. 1. Metaph. cap. 9. & 15. & Iulius Syrenus disp. de subiect. Phil. sect. 2. cap. 15. & 16. Videtur etiam habere fundamentum in Arist. nam 7. Metaph. tex. 5. cum dixisset, quod substantia est sola maximè ens, & quod sola videtur esse simpliciter ens, illam constituit pro obiecto metaphysicæ, inquit enim, *Quare nobis quoque maximè, & primum, & solum, vt ita dicam, de en te hoc pacto, quidnam sit, speculandum est.* Et ratione quoque confirmari potest; nam certum est, quod proprietates non possunt esse obiectum, sed de obiecto demonstrantur à scientia; accidens autem est quædam affectio, & proprietas substantiæ, vnde debet à metaphysica tanquam passio considerari, non tanquam obiectum. Et hinc etiam excluditur, quòd obiectum non possit esse ens, prout est quid commune substantiæ, & accidēti, quoniam nulla scientia habet pro obiecto aliquid, quod sit commune subiecto, & proprietati; ens autem est quid commune substantiæ, quæ est subiectum, & accidenti; quò ad est proprietas.

Burid.
Pauef.
Iulius Syrenus
Aristo

VI. Quarta sententia adhuc magis obiectum metaphysicæ restringit, & asserit, quod Deus sit eius obiectum adæquatum, simul cum intelligentijs, vnde ratio communis obiecti erit substantia sola immaterialis. tribuitur hæc opinio Auer. 1. Phys. com. vltimo; sed reuera id non docet, & solum vult, quod substantiæ immateriales pertineant, ad metaphysicam: non tamen tanquam obiectum adæquatum; imo significat habere pro obiecto ipsum ens; ait enim *Considerare autem de primo principio formali, vtrum sit vnum, aut plura, & quæ est substantia eius, est proprium primæ philosophiæ; formarum enim alia sunt in materijs, alia non in materijs, vt declaratum est duarum scientiarum, quarum vna scilicet Naturalis considerat de formis materialibus; secunda autem de formis simplicibus abstractis à materia; & est illa scientia, quæ considerat de ente simpliciter.* Ecce ergo quomodo constituit ens pro obiecto metaphysicæ; cuius verba ideò retuli, vt manifestum fiat immeritò tàm improbabilem opinionem ipsi tribui.

Quarta opinio ponens substan. immaterialem pro obiecto.
Auer.

VII. Potest nihilominus hæc sententia suaderi, & primò quidem ex Arist. qui 6. Metaph. tex. 3. docet, quòd si non essent substantiæ separatæ, non esset Metaphysica, sed naturalis, siue physica esset prima philosophia; cum ergo scientia solum tollatur per ablationem obiecti adæquati, signum est, quòd substantia separata, siue immaterialis est adæquatum obiectum metaphysicæ. Atque rursus potest hoc ipsum ex eodem Arist. confir. qui 4. Metaph. tex. 4. distinguit duplicem partem philosophiæ, iuxta duplex genus substantiæ, scilicet materiale, & abstrahens à materia, ergo signum est, quòd vult ad metaphysicam tantum pertinere substantiam immaterialem. Et etiam huic sententiæ ratio suffragatur, supra enim disp. 7. sect. 2. ostendimus, philosophiam speculatiuam diuidi in suas partes, iuxta diuersas abstractiones à materia, atque abstractionem, secundum quam constituitur metaphysica, esse illam, quæ est ab omni materia; ergo cum substantia materialis non abstrahat ab omni materia, sed illam inuoluat, non potest contineri intra obiectum metaphysicæ, sed eius obiectum adæquabitur per solam immaterialem.

Eius fundamenta Aristot.

VIII. Quinta sententia adhuc amplius obiectum metaphysicæ limitat, & ab ipso excludit, non solum accidentia, & substantias materiales, sed etiam omnem substantiam creatam, & pro obiecto adæquato constituit solum Deum Hanc quoque sententiam Suarez tribuit Auerroi loco supracitato ex 1. phys. vbi ait, quod nulla scientia demonstrat suum obiectum esse, & proindè neque metaphysica potest demonstrare primum principium esse; sed non ex hoc colligitur, quòd sit obiectum adæquatum, sed solùm quòd sit obiectum, & vt supra citauimus, Auer. ibi docet, quòd metaphysica agit de ente; eam tamen recitat Albert. Magn. 1. Metaph tract. 1. cap. 2. & tribui solet Alpharabio. Vult autem Deum considerari à metaphysica, tanquam primam causam. Et suaderi potest hæc opinio, quoniam hæc scientia est de primis fundamentis existentium, primum autem fundamentum rerum existentium est Deus, vt potè prima causa. Secundò. Metaphysica superat in dignitate cæteras scientias, cum ergo dignitas, & perfectio scientiæ desumatur ab obiecto, debet

Quinta sententia Solum Deum esse obiectum adæquatum
Suarez.
Albert. Magn.
Alphar.

etiam

etiam habere nobilissimum obiectum; huiusmodi autem est Deus; & proinde dici solet naturalis Theologia. Quod etiam confirmari potest. Deus enim est naturaliter cognoscibilis, & ideo oportet, quòd constituatur obiectum alicuius scientiæ, hæc autem scientia erit illa, quæ in dignitate excedit alias omnes. Tertiò: perfectior est cognitio, quæ tendit in solum Deum, quàm quæ etiam tendit in aliud; sicuti etiam perfectior est, amor, qui tendit in solum Deum, ergo, cum metaphysica sit præ omnibus cognitionibus scientificis perfectior, debet habere pro obiecto solum Deum. Quartò si aliquid considera et tanquam obiectũ præter Deum, hoc esset aliquid finitum, & ex hoc capite esset cognitio imperfectior, non potest autem eadem cognitio esse perfectissima, & imperfecta. Neq; potest dici, quod sit obiectum principale, quoniam tunc sequeretur, quod si non haberet pro obiecto adæquato Deum, non haberet obiectum nobilissimum, neque esset nobilissima scientia.

Vt opinio Ens reale prædicamentale esse obiectum. IX. Sexta vero sententia alio modo restringit obiectum metaphysicæ; docet enim, quòd non est ens reale secundum suam latitudinem, sed solum ens reale prædicamentale, illud nimirum, quod diuiditur in decem prædicamenta; & consequenter ab obiecto metaphysicæ excludit Deum, vt potè quia nũ ponitur in aliquo prædicamento. Hæc opinio est Flan- Flandria. driæ 1. Metaph. quæst. 1. quam contendit etiam esse D.Thom fundatur in Arist. D.Tho. Arist. qui cum in libro 4. Metaph. constituisset obiectum metaphysicæ esse ens, hoc deinde ens lib. 5. diuidit in decem prædicamenta. Deus ergo non cõprehenditur ab ente, quod est obiectum metaphysicæ. Vnde concludit, quòd Deus solum spectat ad metaphysicam tanquam primum principium, & prima causa, non autem tanquam obiectum, aut pars obiecti.

VII. sententia. Ens reale per se esse obiectum. X. Septima demum sententia communis est, & constituit pro obiecto adæquato metaphysicæ ens reale, vt ens est; ita vt cõplectatur sub se omnia entia realia, siue ea prædicamentalia sint, siue non, dummodo tamen sint entia per se, excludit enim hæc opinio non solùm ens rationis, sed etiam omnia entia per accidens. Desumitur ex Arist. 4. metaphys. Arist. tex. 1. vbi ita habet. *Est scientia quædã, quæ speculatur ens, prout ens est, & quæ ei per se insunt. Hæc autem nulli earum quæ in parte dicuntur, eadem est: nulla namque cæterarum vniuersaliter de ente, prout ens est, considerant, sed eius aliquam partem abscindentes, quod ei accidit speculantur*; atque ita docent communiter interpretes, ibid. D. Thom. Alexander Aphrodis. Auer. Alens. Scot. Auicen. lib. 1. suæ metaph. cap. 1. Albertus Magnus 4. metaphys. tract. 1. cap. 5. Aegid. 1. metaphys. quæst. 5. Iandun. quæst. 10. Soncin. 4. metaph. quæst. 10. Iauel. 1. metaph. quæst. 1. Suessan. disp. 1. cap. 4. Fonseca 4. metaph. cap. 1 quæst. 1. sect. 2. Suarez in metaph. disp. 1. sect. 1. n. 24. D.Th. Alexan. Auer. Alens. Scot. Auicen. Albert. Magn. Aegid. Iandun. Soncin. Iauel. Suessan. Fonseca Suarez

Excluduntur ab obiecto Metaphysicæ Entia rationis.

SECTIO II.

I. Quamuis Hurtadus, quem supra pro prima sententia retulimus, enixè contendat, intra obiectum communissimum, & adæquatum metaphysicæ contineri ens rationis, nihilominus, cum cæteris sententijs ab adæquato obiecto metaphysicæ reijciendum esse existimo; ita vt si consideretur à metaphysica, non consideretur tãquam obiectum, sed aliquo alio modo: atque hęc conclusio sequitur ex ijs, quæ infra sumus dicturi disp. 27. sect. 2. vbi ostendemus, quòd non datur aliqua ratio entis, siue vniuoca, siue analoga communis entis reali, & rationis, sed ratio entis realis est omnium prima, & communissima ex ijs, quæ considerari possunt; ex quo fit, quòd non possit dari aliquod obiectum metaphysicæ, quod vniuersalius sit ente reali, obiectum enim cuiuslibet scientiæ debet importare aliquid commune, quod conueniat omnibus ijs, quæ continentur sub obiecto; oportet enim, quòd obiectum cuiuslibet scientiæ secundum suam rationem communissimam consideratum, sit aliquo modo vnum; quomodo enim si non est aliquo modo vnum, potest spectare ad vnicam scientiam? quòd si non requireretur vnitas in obiecto adequato, & communissimo, non possent distingui scientiæ; quia hæ distinguntur ex diuersitate obiectorum, si non formaliter, ne hic nouam quæstionem instituamus, saltem consequutiuè, ita vt vnumquodque dicat aliquid vnum, per quod à cæteris contra distinguatur, & à quo scientia Entia rationis nõ continentur sub obiecto metaph. Scientiæ requirũt vnitatẽ in obiecto.

sumat

sumat suam vnitatem. Cum ergo ens reale, & rationis non habeanr aliquid com mune, dicens aliquam rationem superiorem sequitur quod non possint conuenire in vnum obiectum adequatum, fine communissimum metaphysicæ.

Respon sio Hurtadi.

II. Occurrit tamen Hurtad. citata disp. 1. sect. 2. subsect. 2. §. 59 Obiectum esse duplex attributionis, & communissimum. Ad obiectum communissimum non requiri aliquam rationem communem, & miratur quomodo hoc assumatur ad impugnationem suę sententiæ, alioquin, inquit ipse, si requireretur ratio communis obiecti, quomodo eadem facultas ageret de oppositis contradictoriè, vt physica de forma, & priuatione? Deinde inquit, metaphysicam non esse vnicam scientiam, sed plurimes. Cæterum non video, quomodo hæc doctrina saluari possit, dum adeò constanter tam impossibilia, atque absurda congerit;

Reiicitur

Et, quòd spectat ad illud, quod metaphysica non sit vnica, sed multiplex scientia, dato quod sit multiplex secundum speciem, erit tamen vna secundum genus, ergo necesse est ponere vnicum obiectum genericum, & consequenter omnia, quæ sub ipso continentur, debent habere vnam aliquam rationem genericam, ratione cuius constituantur sub obiecto talis scientiæ. Deinde inquiro, si esset vna scientia, an deberet habere vnicam rationem communem obiecti; certè cum neget esse vnam, ne vnam rationem obiecti concedat, oporret, quòd concedat ad vnitatem scientiæ requiri aliquam vnitatem; At metaphysica est saltem aliquo modo vna, nam est pars philosophiæ vt sic speculatiuæ: vnde si philosophia speculatiua vt sic est aliquo modo vna, multò magis erit vna metaphysica, præsertim quia metaphysica addit suam propriam differentiam, per quam à cæteris omnibus contradistinguitur; oportet autem, quod hæc differentia sit vna, alioquin quomodo esset proprium constitutiuum metaphysicę, si non esset aliquo modo vna? quod enim est contradistinctum à quocunque alio, est etiam indiuisum in se. Deinde si est multiplex scientia, non illi debet assignari vnicum obiectum, sed multiplex tàm communissimum, quàm attributionis, cum vnaquæque scientia habeat suum proprium obiectum comunissimum, seu adęquatum, vt inductione constat in alijs scienrijs,

Metaphysica quomodo vna

cur ergo illi assignat obiectum communissimum comprehendens ens reale, & rationis, & inquit Ens rationis esse obiectum partiale metaphysicæ?

III. Quòd vero spectat ad secundum, quod asserit, nimirum ad obiectum communisimum non requiri aliqnid com mune, nescio, quo pacto id dicar, si enim ex multiplicatione obiectorum saltem consecutiuè multiplicantur etiam scientiæ, quomodo fieri potest, quòd vna scientia nō habeat vnum obiectum? cum enim inter vnnm, & multa non detur medium; si non est vnum, oportet, quòd sit multiplex, quòd si est mulriplex, quomodo non erit multiplex etiam scientia, cum multiplicitas obiecti illam multiplicet? Si vero est vnum, quomodo potestesse vnum, nisi per aliquid commune? oportet enim concedere aliquam rationem formalem vnitatis, dum conceditur effectus formalis. Et confir. nam physica habet tantum pro obiecto ea, quę participant intrinsecè rationem corporis, & si de alijs agit, vt præsertim de priuatione, non de ijs agit, tanquàm de obiecto; vnde licet metaphysica agat de ente rationis, non tamen de illo agit tanquam de obiecto partiali; neque enim de quocunque agit scientia, agit tanquam de obiecto, alioquin cum agat de ijs, quæ contradictoriè opponunrur, in eius obiecto inueniretur contradictio; quod quàm absurdum sit, satis ex eo liquet, quod scientia est talis per ordinem ad obiectum; atque quale est obiectum, talis quoq; est ordo; si ergo in obiecto inueniūtur contradictoria, etiam contradictio reperietur in ordine illo, & cū vera contradictoria se inuicem destruant, etiam scientia se inuicem destruet; vnde cum sit vna, idem destruet seipsum, quo nihil absurdius dici potest.

Vnitas in obiecto necessaria

IV. Secundo impugnatur. Obiectum metaphysicæ adæquatum, & communissimè sumptum, vel contradistinguitur ab obiectis aliarum scientiarum, vel non. Hoc secundum certè dici non potest, nam sequeretur, quod metaphysica consideraret obiecta aliarum scientiarum; vnde nec ipsa ab alijs scientijs esset contradistincta, quod quàm absurdè dicatur vnusquisque videt. Si ergo contradistinguitur, oportet concedere aliquod formale contradistinctiuum, quo conrradistinguatur, atq; huiusmodi contradistinctiuum debet participari à toto

Propriū contradistinctiuū obiecti metaphysici concedendū.

adæquato obiecto metaphysicæ, cum secundum se totum, etiam communi simè sumptum, contradistinguatur, ergo in toto commmunissimo obiecto debet poni aliqua ratio contradistinctiua, quæ sit vna, & consequenter per quam oīa, quæ sunt intra obiectum metaphysicum, cōtinuantur vnumquodq; n. prout spectat ad obiectum metaphysicæ, habet proprium constitutiuum, quo in esse talis obiecti constituitur; quomodo ergo obiectum totale non dicet vnam rationem communissimam, quæ claudat sub se, quæcunque intra obiectum communissimum continentur?

V. Et potest confirmari: Vel omnia obiecta partialia, quæcunque intra latitudinem obiecti communissimi continētur, participant rationem obiecti, vel non participant. Hoc secundum non potest dici, quomodo enim erunt obiecta, & cadent sub considerationem scientiæ, nisi participent rationem obiecti, oportet enim, quòd obiecta scientiarum habeant aliquid intrinsecum, per quod possint cadere sub considerationem scientiæ, & per quod ab intrinseco suo sint speculabilia. Si ergo debent participare intrinsecè rationem obiecti, ergo iam ratio obiecti speculabilis est quid commune omnibus obiectis partialibus, cur ergo negat Hurtad. non necessariò habere hanc rationem communem? Rursus obiecta partialia, quæ pertinet ad vnam aliquam scientiam non solum debent habere rationem obiecti communis vt sic, quia tunc non esset maior ratio, cur potius ad hanc, quam ad illam scientiam pertinerent, sed debent habere talem rationem obiecti, per quam coarctentur ad talem potius, quàm ad talem scientiam, & correspondeant modo proprio procedendi illius, alioquin non posset assignari ratio, cur potius hoc obiectum partiale pertineat ad hanc scientiam, quàm ad illam. Vnde non solum debet concedi ratio obiecti, quæ communis sit omnibus partialibus obiectis, quæ sub communissimo, & totali continentur. Neque valet si dicatur, spectare ad talem scientiam propter ordinem, quem dicunt ad obiectum attributionis, quia si spectant tanquam obiecta, oportet, quòd participent rationem obiecti; si autem participant rationem obiecti, nōn spectabunt ad eamdem scientiam propter ordinem, quem dicant ad obiectum attribntionis, sed quia intrinsecè sunt obiecta.

Vna ratio obiecti omnibus obiectis partialibus.

VI Tertiò impugnatur eadem responsio. Scientia est quædam imitatio obiecti, quatenus scilicet est repræsentatiua illius, & facit ipsum innotescere; cum enim ex genere suo sit cognitio, oportet, quòd seruet proportionem ad genus suum, & cum cognitio sit repræsentatio obiecti, etiam ipsa sit aliqua imago, & manifestatio obiecti. Vnaquæque autem scientia habet suum proprium modum procedendi, qui est vnus, atque cum totum suum esse habeat in ordine ad obiectum, quatenus tanquam cuidam sui ipsius repræsentationi correspondet, ita vt in ordine ad ipsum totum suum esse desumat; oportet concedere ex parte obiecti aliquam peculiarem rationem, quæ communissimum obiectum adæquet, à qua desumatur hic vnicus modus procedendi. Cum enim modus procedendi adæquet totam scientiam; atque illum obtineat in ordine ad oīa obiecta, oportet quod ab omnibus desumatur, & proinde in omnibus obiectis partialibus sit vna quædam ratio communis, quæ ipsi correspondeat. Possent alia plura in confutationem huius responsionis afferri, sed hæc sufficienter eius absurditatem ostendunt. Solùm addemus arguendo ad hominem, Ens rationis, vt ipse eadem subsect. §. 57. docet, habet suo modo passiones entis realis, bonitatem, veritatem, & vnitatem; si ergo habet communes passiones, quomodo non habebit rationem obiecti, quę est radix passionis, & quomodo non erit necesse, omnia obiecta partialia habere aliquid commune, dum debent habere easdem passiones, quæ necessariò coexigunt eamdem rationem obiecti, in qua radicentur.

Scientia vna sequitur vnitatē in omnibus obiectis partialibus quia est quædā imitatio obiecti.

VII. Secundò principaliter prob. metaphysica est scientia realis, non secus ac sunt cœteræ scientiæ, ergo habet tantum obiectum reale; cum autem ens rationis non sit aliquid reale, sed aliquid fictum, non poterit esse obiectum ipsius. De antecedente non puto, aliquem dubitare posse; scientia enim, cum sit certa, & euidens cognitio, habet ex genere suo, quòd sit quid reale, & consequenter omnis eius species; quis enim dicat, quòd scientia, quæ est perfectio intellectus, non sit aliquid reale? Consequentia etiam est euidens, si attendatur quomodo con-

Secūda ratio.

Metaphysica, vt scientia realis habet tātum reale obiectum.

stitua-

stituatur in suo esse per ordinem ad obiectum, ita vt quale est obiectum, talis etiam sit scientia ipsius. nam secundum se totam respicit obiectum tanquam suum terminum, in quem tendit; vnde si terminus non est realis, neq; scientia poterit esse realis; nulla enim relatio, quæ habeat pro termino ens rationis, est realis, si ergo scientia haberet pro termino, ens rationis, quia supponit semper obiectum, sicuti obiectum non haberet esse, nisi dependenter à fictione intellectus, ita neq; scientia; quomodo ergo erit realis, si non habet esse nisi dependenter à fictione intellectus? Et ne dicat Hurtadus sufficere, si aliquod partiale obiectum nempè attributionis sit reale; aduertendum est, quòd metaphysica secundum se totam, & adæquatè sumpta est realis, & ideò etiam obiectum totale, & adæquatum debet esse reale, alioquin scientia non esset secundum se totam realis, sed secundum partem.

Instantia reiicitur.

VIII. Dices nonnè quando metaphysica agit de ente rationis est realis? certè, cum adhuc sit quædam cognitio, debet esse realis; & tamen non habet obiectum reale, ergo non est necessè, quòd obiectum sit reale, vt scientia sit realis. Sed respondetur esse diuersam rationem de cognitione entis rationis, atque de scientia. Intellectus enim in cognitione entis rationis vtitur speciebus repræsentatiuis entis realis, vnde cum cognitio repræsentet id, quod per species repræsentatur, sic, quòd illa cognitio, quantum est de se, repræsentet ens reale, intellectus verò applicat ad repræsentandum non ens, ita vt tribuat non enti id quod de ente repræsentat cognitio illa, & ideò cognitio de ente rationis potest esse realis. Quomodo autem id contingat, explicabimus vberius infra suo loco, quando tractabimus de Ente rationis. At non hoc pacto se habent scientia, & obiectū non sciētia dicit ordinē ad obiectum, atq; huiusmodi ordo terminatur ad obiectū, vt in se est; si ergo obiectū non est reale, neq; ordo poterit esse realis, & cōsequenter, neq; scientia; nam intrinsecè constituitur per talem ordinem, & hoc pacto sequeretur, quòd metaphysica, quatenus haberet pro obiecto partiali ens rationis, non esset realis.

Tertia ratio.

IX. Atque hinc tertiò possumus argumentari. Non potest aliquid esse obiectum scientiç, nisi intrinsecè participet rationem obiecti, atque intrinsecè sit scibile, sed ens rationis neque participat rationem obiecti, neque est scibile, ergo nullo pacto potest esse obiectum metaphysicç. Quod ens rationis non participet rationem formalem obiecti metaphysici, neque sit intrinsecè scibile, mihi videtur euidens, nam ratio obiecti est quid reale, quoniam est aliquid independens à fictione intellectus, atque hæc ratio obiecti debet intrinsecè participari ab ipso; ens autem rationis, cum in se sit nihil, non participat hanc rationem obiectiuam; neque etiam est intrinsecè scibile, quia esse ab intrinseco scibile supponit habere esse, quod possit sciri per suas causas, ens autem rationis non habet aliquod esse, sed solum intellectus concipit habere, re vera tamen non habet. Atque hoc est verum, non solum de obiecto attributionis, sed de quocunque obiecto partiali, & adæquato totali, quia totale obiectum, & quodcunque obiectum partiale, non possunt verè esse obiectum, nisi participent rationem formalem obiecti, qua constituantur talia, & nisi intrinsecè sint scibilia; statim enim ac ab eo, ratio formalis remouetur, remouetur etiam effectus formalis; vnde si ab aliquo obiecto partiali remouetur intrinseca scibilitas, & ratio formalis obiecti, statim desinet esse obiectum. Alioquin inquiram ipse, cur nihil non sit obiectum metaphysicæ, & similiter etiam corpus naturale vt tale est, aut aliquid aliud? certè non aliud responderi potest, nisi quia non participat rationem formalem obiecti metaphysici, ergo remotio huius rationis obiectiuæ facit, quòd illud, à quo remouetur, non sit obiectum.

Nihilsolest esse obiectū sine ratione formali obiecti.

Confirmatio.

X Et vrgeri potest adhuc hæc ratio. Ratio obiectiua metaphysicæ est realis, non solùm, quia constituit scientiam, sed etiam quia reperitur in ente reali, quod est obiectum metaphysicæ. Hæc autem ratio, certum est, quòd non potest reperiri in ente rationis, cum in ipso nihil reale reperiatur, ergo ens rationis non potest aliquo pacto esse obiectum partiale metaphysicæ. Conseq. hæc declaratur, quoniam obiecta partialia alicuius scientiæ, sicuti coalescunt in vnum obiectum totale, ita etiam debent participare aliquam vnam rationem obiectiuam totalem, ratione cuius in vnum obiectum coalescant, & habeant inter se aliquam conuenientiam, atque vnionem. Sed in-

In ente rationis non reperitur rō formalis obiecti metaphysici.

ter reale, & non reale non poteſt eſſe aliqua conuenientia, vt per ſe patet, quia contradictorio modo ſe habent, & quod ponit vnum, deſtruit alterum; cum igitur ratio obiectiua metaphyſicę ſit quid reale poſitiuum, & ens rationis ſit quid non reale, ſequitur, quòd non poſſit habere aliquam conuenientiam cum ente reali, nec cum ipſo conuenire in vnicum obiectum totale; imo deſtruat, & tollat rationem obiectiuam, qua ens correſpondet metaphyſicæ.

Excluditur reſponſio.

XI. Nec valet, ſi dicatur, ſuo modo participare rationem obiecti metaphyſici, quia reuera intrinſecè illam non participat, cum nihil intrinſecum reale habeat, & ſolùm per fictionem intellectus illam habet, quatenus illi attribuit aliquam rationem entis, quam non habet; quæ tamen fictio non ſufficit, vt conſtituatur obiectum partiale metaphyſicæ, nam fictio intellectus nihil reuera ponit in ente rationis: obiectum autem ſcientiæ, qodcunque illud ſit, debet ex ſe intrinſecè, & independenter ab intellectu participare rationem obiectiuam. Ceſſet enim fictio intellectus, certè tunc non adeſt amplius ens rationis, nec participat aliquam rationem obiecti; quis autem tunc dicat deſtrui eſſentiam metaphyſicæ, & variari eius obiectum? nec ſufficit, quòd ens rationis poſſit fingi ab intellectu, quia antequam fingatur, nullum eſſe habet in ſe, quo conſtituatur in eſſe obiecti, in hoc enim ens reale differt ab ente rationis, quòd ipſum etiam poſſibile habet in ſe ſuum eſſe, quod exhibet cognoſcendum intellectui, non verò ab intellectu accipit, & ideò poteſt eſſe obiectum ſcientiæ, cum ſufficiat ipſi ſua poſsibilitas. at ens rationis nunquam habet in ſe aliquod eſſe, & ſolùm ſuo modo eſt, quando fingitur, quamuis neque tunc accipiat aliquod eſſe intrinſecum; vnde non poteſt eſſe obiectum ſcientiæ, & ſi eſſet ratione illius eſſe, quod fingitur habere, ceſſante fictione, ceſſaret eſſe obiectum, & eſſentia ſcientię iuxta fictionem intellectus variaretur.

Ens rationis neq; participando rationem obiecti neq; per attributionem poteſt eſſe partiale obiectū

XII. Quod poteſt rurſus declarari. Vt aliquid ſe habeat tanquam obiectum partiale alicuius ſcientiæ, vel debet participare intrinſecè vnam, atque eamdem rationem cum cœteris obiectis partialibus; vel ſaltem debet dicere attributionē ad aliquod obiectum, quod ſit in totali ſcientia principale, atque attributionis, vt vocant, & fortaſſe etiam hæc attributio non ſufficit. Sed quicquid de hoc ſit, neutro modo poteſt ens rationis eſſe obiectum partiale metaphyſicæ; non quia cum cœteris obiectis partialibus participet vnam, atque eamdem rationem formalem obiecti; ratio enim formalis, quam participant cœtera obiecta partialia, eſt realis poſitiua, ens autem rationis non participat intrinſecè aliquid reale, alioquin eſſet reale. Sed neque ſecundo modo, quia ſcilicet dicat attributionem ad obiectum principale; quæro enim an huiuſmodi attributio, quam dicit, ſit realis, an non. Non poteſt dici, quòd ſit realis, quia tunc non ſolùm ipſa, vt quid reale, eſſet in ente rationis, ſed etiam deberet concedi in ipſo fundamentum reale huius attributionis. Si verò attributio non eſt realis, ergo reuera non eſt, atque ens rationis, cum non dicat hanc attributionem, non erit partiale obiectum Metaphiſicæ.

Quarta ratio.

XIII. Quarto principaliter argumentor. Quodlibet obiectum partiale alicuius ſcientiæ debet habere ſuam propriam rationem obiecti contradiſtinctam à rationibus obiectiuis cœterorum obiectorum partialium; ens autem rationis non habet, ergo non poteſt eſſe obiectum partiale metaphyſicæ. Maior eſt certa, quia ſi multiplicantur obiecta partialia, oportet etiam, quòd multiplicetur eſſe cognoſcibile obiectorum. Minor ergo confir. Ens enim rationis totum illud eſſe, quod habet, mutuatur ab ente reali, quia in ſe reuera nihil eſt; cum ſit non ens conceptum ad modum entis, vnde in tantum ſuo modo habet aliquod eſſe, in quantum illi tribuitur aliqua ratio entis realis; ſi ergo eſſe, quod habet, mutuatur ab ente reali, ſequitur, quòd nihil dicat, quod non ſit intra latitudinem entis realis, & proinde quod ſit contradiſtinctum ab ente reali; ſi enim diceret aliquid contradiſtinctum ab ente reali, non deſumeret ab ipſo ſuum eſſe quemadmodum, quia ſubſtantia eſt obiectum partiale metaphyſicæ dicens ſuum eſſe contra diſtinctū ab accidente, non deſumit ab ipſo ſuum eſſe, ſed eſt aliquid extra latitudinem accidentis. Atq; hinc confir. etiam poteſt; quoniam eo modo, quo ens rationis pertinere poteſt ad obiectū metaphyſicæ, non pertinet ex ſe, quia habeat ab intrinſeco, quod pertineat, ſed ratione entis

Ens rationis non habet rationem obiecti partialis contradiſtincti ab ente reale.

tis realis, quia, quicquid de ipso cognoscitur, ad modum entis realis cognoscitur, & aliquo modo participat passiones obiecti, quia passiones entis realis ipsi attribuuntur. ex quo fit, quòd nihil intellectus in ipso cognoscat, quod prius non cognouerit intra latitudinem entis realis, præsertim cum quicquid cognoscit in ipso, ad modum entis realis cognoscat, ipsi attribuendo talem rationem entis, ergo non potest ens rationis esse obiectum partiale metaphysicæ, quia non dicit aliquid cognoscibile, quod non sit intra latitudinem entis realis.

Quinta ratio.

XIV Et ex hoc addi potest quinta ratio principalis. Supponendo, quòd non potest aliquid esse obiectum alicuius scientiæ, quod non habet propriam rationem cognoscibilitatis; quomodo enim afferet propriam rationem obiecti speculabilis, nisi habeat propriam cognoscibilitatem. hoc ergo supposito sic formatur ratio. Intelligibilitas, seu cognoscibilitas adæquatur cum ente reali, ita vt extra ipsum non sit aliqua ratio cognoscibilitatis, ergo vniuersalius obiectum, quod possit esse alicuius scientiæ est ens, cum non possit esse vniuersalius, quàm sit cognoscibilitas, vt per se euidens est. Antecedens autem probatur; nam imprimis cognoscibilitas fundatur in esse rei, tanquam passio ipsius, cũ nihil aliud sit, quàm esse rei, prout est manifestabile intellectui; cum ergo ens rationis nullum esse habeat in se, alioquin esset quid reale, neque etiam potest habere cognoscibilitatem, & cum extra ens reale non sit aliquid, neque etiam potest esse cognoscibilitas; Deinde ens rationis non potest cognosci, nisi per cognoscibilitatem entis realis, quæ ipsi applicetur, & quicquid cognoscitur, quod non sit reale, necesse est, quòd per applicationem cognoscibilitatis entis realis intelligatur, ergo signum est, quòd extra ens reale non reperitur aliqua ratio cognoscibilitatis, & consequenter non potest constitui vniuersalius obiectum alicuius scientiæ, quàm sit ens reale.

Non datur vniuersalius obiectũ scientiæ eo ipso ente.

Reijcitur responsio.

XV. Quòd si dicas, Ens rationis esse cognoscibile, postquam illi applicata est talis cognoscibilitas, atq; esse alio modo cognoscibile, quàm ens reale. Contra, quoniam quicquid in ipso intellectus speculatur, & considerat, oportet, quòd ad modum entis realis consideret, & illi attribuat cognoscibilitatem entis realis, quocunq; modo illud cõsideret, ergo verum est, quod cognoscibilitas non excedit latitudinem entis realis. Quod si non excedit latitudinem entis realis, iam firmũ manet, quòd præter ens reale non potest aliquid aliud esse obiectum scientiæ, cũ præter ipsum nihil aliud sit, quod cognoscibile sit. Atq; hinc colligitur, quam efficaciam habeat tertia ratio, quam pro sua sententia affert Hurtad. citat. subsect. 1. dũ inquit, quòd ens rationis nedum secundũ extrema realia, ex quibus constat, vt esset hyrcus, & ceruus, sed etiam secũdum rationem chymericam est cognoscibile; quia dum concipimus Deum corporeum, nedum concipimus Deum, & corpus, sed etiam vnionem, quę tamen est ficta. Inquiro enim, an ratio illa chymerica, seu vnio cognoscatur ad modum entis realis, an non. Si non cognoscitur ad modum entis realis, iam non est ens rationis, quia ipsum est essentialiter non ens conceptum ad modum entis; si verò concipitur ad modum entis realis, iam cognoscitur per cognoscibilitatem entis realis, & proinde extra ens reale nulla alia reperitur cognoscibilitas, & sic verum est, quòd extra ens reale non adest aliquid, quod possit esse obiectum alicuius scientiæ; quicquid enim in ente rationis cognoscitur, siue sit eius quidditas, siue aliquid aliud, reale est, licet non enti applicatum, quod est valde aduertẽdum, Et quemadmodum si ratio corporis naturalis applicaretur quantitati, aut alteri enti, non per hoc quantitas cõstitueretur obiectũ philosophię; ita neq; dum ens applicatur non enti, sequitur, quòd non ens, seu ens rationis sit obiectũ metaphysicę.

Sexta ratio.

XVI. Sexto prob. nostra sententia. Ens rationis non potest esse specificatiuũ metaphysicę, ergo neq. potest esse obiectum partiale illius contentũ sub obiecto totali communissimo, atq; adæquato Anteced. admittitur etiam ab Hurtad. neq; enim quod reale non est, potest esse specificatiuum illius, quod est reale, qualis est quælibet scientia talc, enim est specificatũ, quale est specificatiuũ cũ sibi mutuo correspondeant, atq; proportionẽtur; quę autẽ correspondentia est inter reale, & nõ reale? Negat tamen consequentiam, quia, inquit ipse, solum obiectũ attributionis, non autem communissimum est specificatiuum scientiæ; vnde non sequitur, quòd ex eo, quod ens rationis non sit obiectum specificatiuum, nõ contineatur tanquam obiectum partiale sub communissimo.

Quod non specificat scientiã non est eius obiectum.

Reiicitur responsio Hurtadi

XVII. Cœterum hæc responsio est cõtra veram, & cõmunem philosophiam, & argumentum eludit; nam obiectum specificatiuum coincidit cũ adæquato, nõ solum respectu scientiarum, sed etiam potentiarum; extra obiectum autem adæquatum nihil aliud de obiecto talis scientiæ, vel potentiæ reperitur. Vt autem hoc declaremus, sciendum est, quod specificatio, qua potentiæ, vel scientię specificantur à suis obiectis in nullo alio cõsistit, quàm in quadam commensuratione, qua ita obiectum, & scientia, siue potentia ad inuicem commensurantur, vt sibi inuicem correspondeant in ratione attingibilis, atque attingentis; atq; ex vi huius correspondentiæ formaliter consurgit in scientia, siue potentia ordo quidam trascendentalis, quo scientia in suo esse constituitur, & ordinatur ad obiectum. Ex hoc ergo sic argumentor. Scientia ex vi suæ specificationis ordinatur ad obiectum in ratione attingentis, ita vt hic ordo sit ipsamet specificatio, & essentia scientiæ, & ex vi huius ordinis ordinatur ad obiectum adæquatum, dicit enim ordinem trascendentalem ad omne id, quod considerat, & tanquam obiectum attingit, ergo specificatur ab obiecto adæquato. Hæc autem consequentia deducitur; quia, si huiusmodi ordo est ad obiectum adæquatum, atque est tantum ad illud obiectum, à quo desumitur; ita cum ipso commensuretur, & adæquetur oportet, vt sit tantum ad obiectum specificatiuum. Confir. iste ordo nihil aliud dicit, nisi illam correspondentiam scientiæ, & commensurationem cum obiecto, qua obiecto ita coaptatur, vt fiat propria illius; si ergo hic ordo est ad aliud, quam ad obiectum specificatiuum, sequitur, quòd sit ad illud, cum quo non dicit talem correspondentiam; cum autem hic ordo non sit aliud, quàm ipsa correspondentia, quomodo fieri potest, quòd sit ad aliud, quàm ad specificatiuum? nam cum ipso solo habet hanc correspondentiam, & commensurationem; est enim eadem cum specificatio. Quòd si non est ad aliud, quàm ad obiectum specificatiuum, ergo cum sit ad obiectum adæquatum, sequitur, quòd specificatiuum sit etiam adæquatum.

In quo consistit specificatio sciẽtiæ ab obiecto

Quomodo obiectum adæquatum & specificatiuo coincidant.

XVIII. Secundo hoc ipsum declaratur. Quælibet scientia habet quamdam commensurationem, & proportionem cum suo obiecto adæquato, ita vt in ipsum totum possit ferri, non vero extra ipsum quocunque pacto: sic metaphysica nullo pacto potest ferri in obiectum physicæ, vt tale est, aut econtra physica in obiectum metaphysicæ, & eadem inductio fieri potest in cœteris scientijs. Hoc autem ex nulla alia radice oritur, quàm ex illa commensuratione, quæ est inter obiectum, & scientiam, quia propter proportionem, quam habent inter se scientia limitatur, vt tendere tantum possit in tale obiectum. Quid autem est aliud ista commensuratio, atque proportio, quàm specificatio, cum specificari nihil aliud sit, quàm constitui in suo esse, & per hanc correspondentiam, qua determinatur, vt tendat in tale obiectum adæquatum, constituatur in suo esse? ex vi enim suæ differentię propriæ constitutiuę scientia determinatur, vt tendat tantum in tale obiectum adæquatum, quæ determinatio consistit formaliter in illa commensuratione, quam habet cum obiecto, quæ, cum desumatur ab ipso obiecto adæquato, etiam differentia scientiæ ab eodem desumetur; quid autem est differentiam ab aliquo obiecto desumi, quàm ab ipso specificari?

Ex vi suę specificationis nequit scientia ferri extra obiectũ adæquatum

XIX. Tertio declaratur. Sciẽtia quælibet, prout respicit suum obiectum adæquatum, contradistinguitur ab omnibus alijs, & habet suam peculiarem differentiam, qua constituitur in suo esse, & constituitur in esse in ordine ad obiectum, atque ex vi suæ differentiæ determinatur, vt tendat tantum in tale obiectum & tali modo tendendi, & non in aliud, nec alio modo tendendi; atque etiam ex parte obiecti adæquati debet concedi aliqua ratio, qua determinetur, vt sit obiectum talis scientiæ potius, & non alterius, & qua cœtera excludantur, quæ non sunt de obiecto adæquato, ergo obiectum adæquatum est illud, à quo specificatur scientia. Vis illationis in eo consistit, imprimis quòd scientia, prout ab alijs contradistinguitur talis est in ordine ad obiectum adæquatum, & non ad partiale; specificatum autem est tantum tale in ordine ad id, à quo specificatur. Rursus quòd scientia sit talis, & determinetur circa tale obiectum adæquatum, habet per commensurationem quamdam cum illa ratione, qua obiectum adæquatum ab obiectis aliarum scientiarum contradistinguitur, ergo hæc ipsa ratio est specificatiua. Denique scientia semper seruat eumdem

modum

modum tendendi, dum circa totum suum obiectum adequatum versatur, cum ergo ex vi suæ specificationis seruet talem modum tendendi, oportet, quòd similiter habeat eumdem modū tendendi respectu obiecti adequati, & cum commensuratione ad ipsum; & etiam respectu ipsius & cum commensuratione ad ipsum habeat suam specificationem, atque adeò ab ipso adæquatè sumpto desumatur; quod præsertim verum est, quoniam eam dem commensurationem seruat, dum versatur circa quodlibet obiectum partiale, prout sub totali continetur, quam tamen potest seruare tantum cum suo specificatiuo. Hæc fusius fortasse, quàm par erat, prosecuti sumus, verùm absurditas sententię nos coegit, vt eam detegeremus.

Entia per accidens non esse partiale obiectum Metaphysicæ.

SECTIO III.

Entia per accidens non sp. stant ad obiectum metaphysicæ.

I. Adhuc amplius restringendum est obiectum metaphysicæ, & non solùm entia rationis ab ipso excludēda, sed etiam entia per accidens, siue artificiata, siue quæcunque alia sint, vt sentit communis sententia, à qua tamen discedit Hurtad. citata disp. 1. metaphys. sect. 2. subsect. 4. qui etiam existimat secum stare Arist. ex eo, quòd 7. metaphys. cap. 11. docet; Ad eamdem scientiam spectare formam, & priuationem, non videns, quòd nihil ipsum iuuat, neque enim omnia, quæ spectant ad aliquā scientiam, se habent vt obiectum; an passiones sunt obiectum, quia spectant ad eamdem scientiam? Sed nobiscum re vera Arist. sentit. nam 6. metaphys. tex. 5. & 6 docet, quòd de ente per accidens non est scientia. Respondet tamen ipse Hurtadus, Aristot. quando inquit, de ente per accidens non dari scientiam, intelligere de euentu accidentario, quia hoc non habet certas causas, & hoc colligitur, inquit ipse, quia ibidem docet, de eo, quod plurimum fit, posse, dari scientiam.

II. Verùm hæc expositio non est ad mentem Aristot. nam distinguit tex. 4. ens per accidens ab ente per se, & de illo inquit, quòd non datur scientia. Referam eius verba, vt magis mens ipsius manifesta fiat. *Cum itaque ens multipliciter aiatur, primo de eo, quod secundum accidens inest dicendum, quod nulla circa illud speculatio est* & tex. sequenti. *Attamen dicen lum est amplius de accidente, quò ad possibile est, quænam eius natura sit, & ob quam causam est, simul autem patebit, & cur eius scientia non est.* Et postea declarat, quodnam sit hoc ens per accidens; & in eodem tex. subdit enumerans non solùm, quæ per accidens contingunt, sed etiam quæ sunt quid accidentaliter aggregatum, & inquit *Hominem quoq; album esse accidit, nec enim semper, nec vt plurimum; animal vero* (esse) *non secundum accidens*. Ecce ergo, quomodo distinguit ens per accidens in tota sua latitudine ab ente per se, & de hoc docet, quòd non datur scientia; deinde de eadem ratio est de eo, quod contingenter fit, & de omni ente per accidens, nimirum quia non est quid necessarium.

III. Præterea Arist. docet scientiam esse de necessarijs, & de ijs, quæ impossibile est, aliter se habere: ait enim 1. poster. tex. 5. *Scire autem opinamur vnumquod que simpliciter, sed non sophistico modo, qui est secundum accidens, cum causam arbitramur cognoscere, propter quam res est, quoniam illius causa est, & non est contingere hoc aliter se habere. Manifestum igitur est, quoniam huiusmodi aliquid scire sit, & namque non scientes, & scientes quidem opinantur ipsi sie se habere scientes autem etiam habent scientiam. Quare cuius simpliciter est scientia, hoc est impossibile aliter se habere.* Quomodo ergo, cum omnia entia per accidens non sint necessaria, sed possint aliter se habere, non excludet omnia Arist. ab obiecto scientię? Quod adeò verum est, vt sæpe in illo libro doceat, demonstrationem, quæ parit veram scientiam, debere procedere ex necessarijs, & præcipuè tex. 7. inquit. *Quoniam autem impossibile est, aliter se habere id, cuius est scientia simpliciter, necessarium vtique erit, id esse scibile, quod est secundum demonstratiuam scientiam. Demonstratiua autem est, quam habemus in habendo demonstrationem: ex necessarijs itaque syllogismis est demonstratio.* Et idem sępius in illo libro, & alibi repetit. Scientia solū de necessarijs.

IV. Atque hinc potest formari prima ratio, supponendo, quod certum, atque euidens est, nimirum non posse illud esse obiectum scientię siue totale, siue partiale, quod ab intrinseco suo non 1. ratio.

habet

habet, quod sit scientifico modo cognoscibile, cum enim scientia scientifico modo manifestet suum obiectum secundum esse intrinsecum, quod habet, oportet, quòd secundum illud idem esse, sit manifestabile tali pacto. Hoc ergo suppositoſic rō formari potest. Scientia est certa, atq. euidens cognitio de suo obiecto, ita vt siue certitudo desit, siue euidentia, non sit amplius scientifica cognitio, atque certitudo debet esse talis, vt excludat omnem formidinem; alioquin si aliquam formidinem inuolueret, non esset scientia, sed opinio; ex hoc verò fit, quod obiectum scientiæ debeat esse cognoscibile euidenti cognitione, atque certa omnem formidinem excludente. Hoc autem non potest competere enti per accidens; hoc enim genus entis non est necessarium secundum id, quod est, sed potest aliter se habere; vnde cum cognitio debeat conformari cum obiecto, repræsentabit obiectum non tanquam aliquid ita necessariò se habens, sed potens aliter se habere & proinde etiam cognitio poterit aliter se habere; sequitur enim obiectum: Quis autem nō videt, quod cognitio de re, quæ potest aliter se habere, & quæ ipsa quoque potest aliter se habere, non est ita certa, vt excludat omnem formidinem, cum non procedere possit ex necessarijs? Hinc Aristot. 1. Poster. cap. 24. tex. 43. ait. *Omnis syllogismus, aut per necessarias, aut per eas, quæ sunt tanquam frequenter propositiones: & siquidem propositiones necessariæ sunt, & conclusio erit necessaria; si vero sint sicut frequenter, & conclusio huiusmodi.* Ex quibus constat, quòd vt conclusio sit necessaria, oportet, quod procedat, ex necessarijs, & consequenter vt etiam sit certa, quia nisi sit necessaria, neque est omnino certa.

Ens per accidēs non est cognoscibile certa & euidēti cognitione.

Aristot.

V. Secundo Ens per accidens non habet veram essentiam, neque veras passiones, ergo neque est verè, & propriè scientia scibile, & consequenter non potest esse obiectum alicuius scientiæ; Hæc illatio est certa, & euidens, obiectum enim, quod propriè est scibile, debet habere suam veram essentiam; quam scientia consideret, atque veras passiones, quas de ipso demonstret, alioquin de ipso quid cognosceretur, si non habet veram, & propriam essentiam, atque passiones, quæ à scientia attingantur? Rursus si non habet veram essentiam, neque est definibile, & consequenter non potest haberi proportionatum medium ad demonstrationem. Quòd vero non habeat veram essentiam, & consequenter veras passiones, quoniam hę in essentia fundātur, satis inde patet, quia vera essentia est quid vnum per se consistens in indiuisibili; vnde opponitur cum ente per accidens. Et conuinci potest ex connexione, quam habet vera definitio, cum vera essentia; statim enim ac deficit vera essentia, deficiunt veræ causæ, siue physicæ, siue metaphysicę, aut virtuales, si autem deficiunt veræ causæ, deficit etiam vera definitio, quæ ex veris causis saltem metaphysicis, atque intrinsecis debet procedere. Si ergo, quæ habent veram essentiam, atque definitionem, possunt cognosci scientia propriè dicta ex eo, quòd talia sunt, consequenter quæ non habent veram essentiam, atque definitionem, non possunt cognosci scientia propriè dicta.

Illatio.

Ens per accidēs non habet verā essentiā

VI. Occurrit Hurtad. asserens, quod etiam entia artificiata, & per accidens definiri possunt. Sic potest definiri domus, si dicatur, *Domus est effectus resultans ex lapide, lignis, & calce cum apto situ ad habitandum*; Video hæc non mereri impugnationem, quis enim mediocriter Dialecticis initiatus, has huiusmodi definitiones esse dicat? ne tamen hominis confidentia alicui imponat, aduertimus, quòd omnes philosophi asserunt entia definibilia esse tantum entia per se, quam doctrinam desumpserunt ab Arist. 7. metaph. tex. 42. vbi ita inquit. *Oportet autem vnum esse, quæcunque in definitione sunt definitio namque ratio quædam vna, & substantia est; quare vnius cuiuspiam oportet ipsam esse rationem; etenim substantia vnum quiddam, & quod quid, vt dicimus, significat.* Et ne quis existimet loqui de quacunque vnitate in tex. 43. subdit, quòd in definitione nihil aliud est præter genera, & differentias, ita enim inquit. *Nihil enim aliud in definitione est, nisi quod primum dicitur genus, & differentia cætera verò genera sunt, & ipsum primum post hoc, quæ comprehenduntur differentia* Deinde 8. Metaph. tex. 15. quęrit, quomodo definitum sit vnum cum habeat plures partes, quæ per definitionem explicantur, & soluit dubitationem dicens, quòd definitum vnum est, quia partes ipsius se habent tanquam actus & potentia Quis autem non videt, quod actus, & potentia constituunt vnum per se? Neque

Responsio Hurtadi improbabilis.

Aristot.

Sola entia per se sūt definibilia.

Arist.

etiam deficit ratio, quoniam definitio est ratio quædam explicatiua essentiæ, & proinde debet importare gradus rei essentiales, atque, si sit de ijs, quæ sunt intra obiectum metaphysicæ, debet abstrahere ab omni materia, & quicquid explicat, debet in recto tribui definito, cum explicet tantum essentiam, & omnia essentialia possint in recto de eo prædicari, cui essentialia sunt, vnde etiam Arist. citato lib. 7. metaph. tex. 43. inquit. *Quare manifestium est, quòd definitio est ratio, quæ ex differentijs est & ex harum vltima secundum rectum*. At in definitionibus entium per accidens, neque explicantur aliqui gradus essentiales, sed solùm illa coaceruatio entium per se, neque abstrahi possunt ab omni materia, cum semper res, ex quibus entia per accidens constant, debeant venire in definitionem, atque semper, quando tali pacto entia artificialia describuntur, multa in obliquo tribuuntur ipsis, quæ satis indicant, quòd non possunt vera diffinitione definiri.

Tertia ratio.

VII. Tertio argumentor Ens per accidens nullam addit rationem entis supra ens per se, seu supra illa entia per se, ex quibus constat, sed solùm dicit coagmentationem, & coaceruationem illorum, ergo neque dicit aliquid proprium, quod possit esse obiectum speculabile ab aliqua scientia, & idcirco reijciendum est ab obiecto cuiuscunq. scientiæ. Quod non dicat aliquam rationem entis, sed solùm illam coagmentationem, non solùm id communiter concedunt, sed etiã mihi euidens videtur: & optima ratione conuinci potest, nam si diceret aliquam rationem entis superadditam, debe ret importare suam propriam essentiam contradistinctam ab essentia entis per se hoc autem implicat, quia si haberet hanc essentiam contradistinctam ab essentia entis per se, hæc quoque essentia deberet consistere in indiuisibili, quicquid autem consistit in indiuisibili, est vnum per se; rursus cum sit ens, haberet suam propriã vnitatem, quæ ab ipsa tanquam passio consequeretur, hæc autem vnitas esset quid simplex, & consequenter redderet illam essentiam vnum per se. Rursus daretur essentia entis artificiati vt sic, deinde talis entis; vnde concedendum esset intra latitudinem talis essentiæ genus, & differentia, quæ autem constant ex genere, & differentia, sunt vnum per se. Denique vel illa essentia inuolueret intrinsecè, & formaliter entia per se, ex quibus entia per accidens coagmentantur; vel non inuolueret. Si inuolueret, ergo non dicit aliquid contradistinctum, & superadditum entibus per se, alioquin posset illud superadditum semper saltem per intellectum præscindi, & concipi sine entibus per se. Si verò non inuoluit, hoc est contra naturam entis per accidens, quod formaliter nihil aliud dicit, nisi coadunationem entium per se, & proinde statim, ac tolluntur entia per se, quæ coadunentur, tollitur etiam ratio entis per accidens, in illo autem superaddito non esset formaliter ista coadunatio, & ideo non diceret ens per accidens. Cui etiam in confirmationem addi potest, quod ens per accidens dicit solam coadunationem entium per se, absque aliquo nexu, quo per se connectantur. Si autem ens per accidens aliquid superadderet entibus per se coadunatis, quoniã illud, quod superadderetur, afficeret tanquam forma quædam entia illa coadunata, sequeretur, quòd illa vniret, & constitueretur aliquod vnum per se, sicuti in mistione, quando elementa vniuntur per formam misti, constituitur vnum per se, illud enim, quod superadderetur, esset quid vnum simplex, atque indiuisibile ordinatũ ad vniendum illa entia in vnum, & ideò redderet vnum per se.

Ens per accidẽs nõ dicit nouam rationẽ entis supra entia per se quib' constat.

VIII. Ex hoc autem declarari potest etiam consequentia principalis argumenti: nimirum, sequi, quòd ens per accidens, non dicat aliquid proprium, quo constituatur obiectum speculabile contradistinctum ab obiecto, quod est ens per se. Speculabilitas enim supponit aliquod esse, secundum quod res speculabilis sit; quid enim speculabitur intellectus, nisi obijciatur aliquod esse, quod speculabile sit? non enim intellectus potest ferri extra suum proprium obiectum, quod est ens reale, in quo solo reperit suam propriam rationem obiectiuam, nempè veritatem, seu cognoscibilitatem, quę est passio propria entis, Si ergo ens per accidens nullam addit rationem entis supra entia per se, ex quibus coalescit, neque etiam potest secundum aliquid sibi proprium esse speculabile. Atque hoc etiam manifestum fiet, si attendamus ad nostrum conceptum, quo entia per accidens concipimus, experiemur enim, quòd nihil aliud

Ens per accidẽs nõ dicit aliquã propriã speculabilitatẽ

conci-

concipimus, quàm entia per fe, aut earumdem affectiones. quod exemplo domus poteft declarari: quando enim intellectus concipit domum, concipit aliquid, quod fe tenet ex parte materiæ, & aliquid ex parte formæ; ex parte materiæ fe tenent lapides, ligna, & alia entia per fe, quæ materialiter concurrunt, nec aliud concurrit ex parte materiæ, quàm hæc entia per fe, ex parte verò formæ concurrit figura, difpofitio, & fitus partium, quibus totum effe domus abfoluitur: hęc autem funt affectiones entium per fe, & tunc quoque cadunt fupra entia per fe, vt confideranti patet. Ecce ergo quomodo in ente per accidens fola entia per fe concipiuntur, & eadem inductio fieri poteft in cœteris entibus per accidens. Si ergo concipiuntur tantum entia per fe, fignum eft, quòd nil fuperaddunt, & confequenter non poffunt effe obiectum fcientiæ.

Neque Deum folum, neq; folam fubftantiam immaterialem adæquare obiectum metaphyficæ.

SECTIO IV.

I. conclufio. I. HVcufq; coarctauimus obiectum metaphyficæ, nunc magis dilatandum eft, quàm cœteræ fententiæ dilatent; vnde contra quattam dicendum eft, folum Deum non effe obiectum adæquatum metaphyficæ; an autem intra ipfum includatur, difputabimus infra.

Deus nõ eft adæquatum obiectũ metaphyfic. Quod ergo Deus non fit obiectum adæquatum metaphyficæ, mihi videtur euidenter conuinci ex eo, quòd fcientia non poteft ferri extra fuum obiectum adæquatum; in hoc enim fcientia imitatur potentias, quę nequeunt vllo pacto ferri extra proprium obiectum; fic vifus, impoffibile eft, quòd feratur extra colorem, auditus extra fonum, olfactus extra odorem, & ratio eft illa, quam fupra tetigimus, quia nulla potentia poteft ferri in obiectum, cum quo non habet fuam commenfurationem, atque cum folùm commenfuretur obiecto adæquato, & non alteri, fequitur, quòd folùm in ipfum tendere poffit. Sciẽtia non poteft ferri extra fuũ obiectũ adęquatum. Hoc ipfum autem contingit in fcientijs, quarum cum vnaquæque ex fuo peculiari modo tendendi commenfuretur cum fuo obiecto, fequitur, quod limitetur, atque coarctetur; vt tendat tantum in ipfum, & non in aliud, quod experientia etiam compertum eft, nam metaphyfica non poteft tendere in obiectum phyficæ, aut alterius fcientiæ, fed folùm in illud, cum quo habet commenfurationem, & cum quo adæquatur. Metaphyfica autem, fuppofito quòd tendat in Deum, tendit etiam in aliud tanquam in obiectum, cuius paffiones, & principia confiderat, ergo Deus folus non eft adæquatum obiectum metaphyficæ.

II. Secundo argumentor. Si Deus eft obiectum metaphyficæ, oportet affignare aliquam rationem formalem, per quam formaliter conftituatur in effe obiecti, & qua fcientiam fpecificet; hoc enim eft proprium cuiufcunque obiecti. Inquiro autem de hac ratione, an fit aliqua ex illis, quæ importat perfectionem, quæ in creaturis reperta attribuatur Deo, dẽptis tamen imperfectionibus, vel fit aliqua ratio propria ipfius Dei, quæ in nullo alio reperiatur. Neutrum autem ex his dici poteft, quia fi eft aliqua ratio, quę à creaturis defumpta tribuatur Deo; iam illa ratio, latius patet, quàm Deus, quia reperitur etiam in creaturis, & ideo Deus folus non erit obiectum adæquatum metaphyficæ, fed totum illud, in quo reperitur talis ratio obiectiua. Si autem eft aliqua ratio propria illius, tunc præter metaphyficam concedenda erit alia fcientia diftincta à Phyfiologia, & Mathematica. quæ tractet de rebus, quæ abftrahunt ab omni materia, & funt extra Deũ. Rurfus neque Deus fecundum omnes fuas perfectiones, quas de ipfo naturaliter cognofcimus, cadet fub iftã fcientiam Quod fi dicas cœteras rationes fubfterni rationi illi, quæ eft propria Dei, tanquam materiale obiectum obiecto formali, hoc falfum effe conuincetur, quia obiectum materiale, vt materiale, non debet latius patere, quàm formale, fed ambo debent inuicem commenfurari, tunc autem obiectum materiale latius pateret, quàm formale, quoniam illæ perfectiones effent nedum in Deo, fed etiam in creaturis. II. ratio

III. Tertio. Quæcunque de obiecto tractantur in aliqua fcientia, oportet, quòd probentur per principium intrinfecum, quod fit in obiecto adæquato, fic quæcunque de obiecto phyficæ, quod eft corpus naturale, tractantur à phyfico, demonftrantur per naturam, quæ eft in obiecto adæquato, nempe corpore naturali, fic etiam contingit in medicina, III. ratio. Quę tractantur in aliqua fciẽtia demõftrantur per principium intrinfecũ obiecto.

quæ

quæ omnia quæcunque tractat de suo obiecto, per sanabilitatem ostendit, quod est principium existens in suo obiecto adæquato, nempè corpore sanabili, & eadem inductio fieri potest in cœteris scientiis. Verùm si considerentur ea omnia, quæ tractantur in metaphysica, certè non reperiemus, quòd probentur per principium aliquod, quod in solo Deo existat, vt sunt ea, quæ dicuntur de æqualitate, & inæqualitate; de vnitate, & multitudine; de substantia, & alia plura, quæ cum ex natura sua conueniant alijs, quàm ipsi Deo, nequeunt probari per aliquod principium, quod sit in solo Deo.

Quarta ratio.

IV. Atq; hinc addere possumus quartam rationem, & est huiusmodi. Principia, ex quibus aliqua scientia procedit, deducendo suas conclusiones, debent correspondere cum obiecto adæquato illius scientiæ, ita vt si sint propria illius scientiæ, neque habeāt maiorem, neq; minorem vniuersalitatem ipso obiecto adęquato, & consequenter neque sint minus vniuersalia, quàm sint conclusiones, quæ de suo obiecto scientia demonstrat, ergo cum conclusiones, quas demonstrat metaphysica, sint vniuersales, quæ dicant aliquid pluribus commune, oportet etiam, quòd deducantur à principijs vniuersalibus, quæ saltem habeant eamdem vniuersalitatem, quam habent conclusiones, & consequenter verificari possint in pluribus inferioribus, & similiter obiectum quoque erit aliquid commune vniuersale vt correspondeat principijs, & ideò non adæquabitur per solum Deum. Conseq. est euidens, quia si debent principia, & obiectum adæquari ad inuicem, oportet, quòd si vnum est vniuersale, alterum quoque tale sit. Tota ergo difficultas consistit in probatione antecedentis. Quòd ergo, spectat ad primam partem ipsius, quòd nimirum principia non possint esse minus vniuersalia, quàm obiectum adæquatum, ex illo colligitur, quòd debent esse apta ad demonstrandas conclusiones de ipso obiecto adæquato, quæ adæquent ipsum obiectum, cum ergo conclusio certa, & euidens, qualis est scientifica, non possit esse à principijs minus vniuersalibus, quā sit ipsa; imo nulla conclusio, quia non valet arguere à minus vniuersali ad magis vniuersale, oportet, quòd, principia non sint minus vniuersalia obiecto adæquato, alioquin non essent apta ad inferendas conclusiones de ipso.

Principia sciētiæ debēt adæquari cū obiecto adæquato.

V. Quòd verò spectat ad alteram partem antecedentis, quòd scilicet non possint esse magis vniuersalia, quàm obiectum adæquatum, si tamē sint propria illius scientię, etiam facilè ostenditur; nam principia propria alicuius scientiæ fundātur in obiecto illius, à quo desumuntur, vnde debent illi proportionari, neque possunt habere maiorem vniuersalitatem, quàm sit in obiecto; sunt enim ex terminis desumptis ab ijs rationibus, quę sunt in obiecto, vt constabit, si inductio fiat in qualibet scientia; Cum ergo principia, ex quibus procedit metaphysicą, sint vniuersalia, & pluribus communia, oportet etiam, quòd eius obiectum adęquatum sit tale, vnde non poterit esse Deus, qui est singularis, sed erit aliqua ratio communis, quæ in creaturis reperiatur. Atque hæc ratio, si diligenter perpendatur, efficacissima est, & rem à priori declarat, vnde eam existimo esse demonstratiuam; fundatur enim in his duobus principijs, quòd principia, ex quibus concluſiones demonstrantur, sint vniuersalia, & quòd principia propria cuiuscunque scientiæ, ex quibus suas conclusiones deducit, fundentur in obiecto illius.

Quinta ratio.

VI. Denique argumentari possumus ex conditione obiecti adęquati cuiuscūq; scientiæ. Oportet enim, quòd obiectum adęquatum ex natura sua sit tale in quacunque scientia, vt omnia, quę tractantur ab illa per se, reducantur ad ipsum, vel tanquam principia, vel tanquam partes, vel tanquam passiones, nec sufficit quęcunque attributio finis, aut principij, à quo dependeant, vt inductione constat in alijs scientijs; & deinde quia, si omnis attributio sufficeret, cum omnia per talem attributionem reducantur ad Deum, solùm ponenda esset vnica scientia, quæ haberet Deum pro obiecto, & omnia alia tanquam ad ipsum dicentia attributionem. Dixi autem, quæ per se tractantur, vt excluderem illa, quę con sequutiuè, & veluti per accidens considerantur, vt sunt priuationes, & alia huiusmodi, quòd est valde adnotandum. Atque si huius rei rationem inquiramus est, quia finis scientiæ est manifestare perfectè naturam sui obiecti, vt autem hoc præstet, debet considerare

Quæ in scientia tractantur debent omnia reduci ad obiectum adæquatum.

ea omnia, quæ per se faciunt ad suum obiectum: hæc autem sunt tantum, vel principia, vel partes, seu species, vel passiones, cœtera verò non per se pertinent ad naturam illius. Modò manifestum est, quod non omnia, quæ tractantur in metaphysica reduci possunt ad Deum, vel tanquam principia, vel tanquam partes, vel tanquam attributa; multa enim tractat de ente finito, vt tale est, quæ nullo modo, vt per se euidens est, possunt per se concernere ad Deum, siue tanquam principia, siue tanquam causæ, siue partes, siue attributa.

II. conclusio.

VII. Secundò dicendum est, neque substatiam immaterialem prout complectitur Deum, atque intelligentias esse obiectum adæquatum metaphysicæ; possumus pro hac conclusione applicare proportionaliter omnes rationes, quas pro præcedenti attulimus; Nimirum, quòd scientia non potest ferri extra suum obiectum adæquatum, metaphysica autem fertur in aliud, quod non est substantia immaterialis, considerat enim substantiam vt sic, atque alia multa. Deinde quia deberet assignari ratio formalis obiectiua, qua specificaretur, quæ si esset communis cum alijs, & cum substantia immateriali, iam immaterialis substantia non esset obiectum adæquatum; si verò esset propria illius, cum dentur aliæ rationes, quæ abstrahant ab omni materia, oporteret concedere aliam scientiam. Rursus quia non omnia, quæ tractat metaphysica, probantur per principium, quod sit in substantia immateriali. Præterea quia principia, ex quibus procedit vniuersaliora sunt, quàm substantia immaterialis. Denique quia non omnia reducuntur ad ipsam, vel tanquam principia, vel partes, vel passiones.

Substantia immaterialis non est obiectum adæquatum.

VIII. Deinde peculiariter prob. Passiones, quas de suo obiecto considerat, & demonstrat metaphysicus, non adæquantur cum substantia immateriali, ergo non potest substantia immaterialis esse adæquatum obiectum metaphysicæ. Anteced. est certum, nam passiones, quasde suo obiecto metaphysica demonstrat, sunt vnitas, veritas, & bonitas, vt omnes concedunt: hæ autem passiones non adæquantur cum substantia immateriali, sed vniuersaliores sunt. Consequentia etiã declaratur, nam cum passiones cuiuscumque obiecti, fundentur in obiecto, oportet, quòd vbicunque sunt passiones, sit etiam obiectum, propter inseparabilem connexionem, quam cum ipso habent, cum ergo extra substantiam immaterialem reperiantur passiones obiecti, & consequenter etiam obiectum, non adæquabitur obiectũ per solam substantiam immaterialem.

Passiones debét adæquari cũ obiecto.

XI. Secundò principaliter argumentor, & sumo intelligentias, quæ essent obiectum partiale metaphysicæ, si substantia immaterialis esset obiectum adæquatum, tunc autem si arguo. Intelligentiæ secundum omnes suas rationes excepto proprio constitutiuo gradus angelici conueniunt cum cęteris rebus creatis, & etiam substantia immaterialis excepta immaterialitate conuenit cum alijs rebus secundum omnes suas rationes; imò etiam secundum immaterialitatem, nam anima rationalis immaterialis est. Vel ergo metaphysica illas considerat secundum rationes communes, vel secundum rationes proprias. Si considerat secundum rationes communes, ergo considerabit etiam res cœteras, quæ easdem rationes participant, cum ratio obiectiua metaphysicæ in ijs etiam reperiatur, nec substantia immaterialis erit obiectum adæquatum. Si verò considerat secundum rationes proprias; tunc sequeretur, quòd rationes communes non cõsiderarentur à metaphysica, & ideò ponenda esset alia scientia, quæ ipsas consideraret, nec posse considerare Deum, vt Deus est, quia vt talis nihil habet commune cum cœteris. Quod si conceditur aliqua ratio cõmunis Deo, & intelligentijs, quæ sit ratio obiectiua constituens obiectum adæquatum, imprimis difficile est hanc rationem inuenire, quæ non sit communis etiam cœteris; nam si ponitur ratio substantiæ, hęc quoque in alijs reperitur; si immaterialitas, hæc non solum conuenit animæ rationali; sed etiam accidentibus spiritualibus. Deinde nihil est commune Deo, & creaturis, vt infra ostendimus.

II. ratio

X. Neque valet, si dicatur, rationes illas, quas cũ substantia immateriali, siue solis intelligentijs habent communes cœteræ res, non pertinere ad metaphysicam, vtpotè quia sunt immersæ in materia, nec ab illa abstrahunt, obiectum autem metaphysicè abstrahere debet à materia. Non inquam valet, quia licet à parte rei immersæ sint in materia,

Exclusio responsio.

potest

potest tamen intellectus illas omnino præscindere a materia, ita vt omninò ab ipsa abstrahant; ad obiectum autem scientiarum nulla maior abstractio, quàm ea, quæ fit per intellectum, requiritur: quod satis liquet ex eo, quod obiectum cuiuscumque scientiæ abstrahere debet à materia signata, & tamen hæc abstractio fit tantum per intellectum. Imo contra argumentor. Substantia immaterialis secundum aliquas rationes, vt est ratio substantiæ vt sic, vniuocè conuenit cum rebus materialibus, ergo cum vniuocatio consistat in vna, atque eadem ratione, quæ sit in pluribus, oportet, quòd tàm in substantia materiali, quàm in immateriali sit eadem ratio; quomodo ergo metaphysica considerabit talem rationem, quæ est in substantia immateriali, & non considerabit eamdem, prout est in substantia materiali, cum eo ipso, quòd considerat illam, quæ est in vna, consideret etiam, quæ est in altera.

Neque substantiam vt sic esse adæquatum obiectum.

SECTIO V.

I. Quamuis sententia asserens substantiam, vt sic prout abstrahit à materiali, & immateriali, esse obiectum adæquatum metaphysicę, minus improbabilis videatur, reuera tamen non minus cœteris falsa est. vnde Dicendum est, obiectum metaphysicæ adæquatum non esse solam substantiam in communi consideratam sed aliquid aliud magis vniuersale, Probo autem primo, quoniam si sumatur accidens secundum suam communem rationem est aliquid speculatiuo modo cognoscibile, & habet suam essentiam, secundum quam est definibile non minus, quàm substantia, & possunt intra latitudinem ipsius designari genera, atq; species; & consequenter etiam differentiæ; vnde si substantia est obiectum speculabile, accidens quoque erit tale, cum sit eadem ratio. Rursus accidens potest secundum aliquas rationes, & præsertim secundum rationem accidentis vt sic abstrahere ab omni materia, cum enim sit quid commune materiali, & spirituali, qui fieri potest, vt non præscindat ab omni materia? Cum igitur sit intra abstractionem metaphysicam, cur non spectabit ad eius obiectum? quòd si spectat, ergo substantia in communi non est adæquatum obiectũ.

Sola substantia non est obiect. adæquatum.

Accidens speculatiuo modo cognoscibile.

II. Neque potest dici, quod spectet ad metaphysicam tanquam passio eius obiecti adæquati; nam quamuis accidens ordinetur ad substantiam perficiendam, & quodammodo possit dici passio ipsius, reuera tamen non est proprietas eius; quod satis ex eo colligitur, quòd proprietas nõ est species opposita suomet subiecto, neq. constituitur per differentiam ex opposito se habentem cum differentia constitutiua sui subiecti, & simul cum ipsa adæquatè diuidentem, & immediatè aliquam rationem communem, vt contingit in accidente, & substantia, quæ tanquam differentiæ immediatè oppositæ diuidunt ens secundum totam suam latitudinem, & cõstituunt diuersas species entis: vnde accidens est speculabile ex seipso tanquã species entis cõtradistĩcta à substãtia, & ideò debet esse obiectũ partiale metaphysicę;

Præcluditur effugium.

III. Secundò confirmatur conclusio, obiectum cuiuscunq; scientię habet, quòd se extendat ad ea omnia, quæ participant rõem propriã ipsius sic quicquid participat rõem coloris, spectat ad obiectum visus quicquid participat rationem boni, spectat ad obiectum volũtatis, ratio enim obiectiua est illa, quæ coadunat res, & trahit illas, vt sint obiectum illius potentiæ, aut scentiæ, cui correspondet huiusmodi ratio obiectiua, per ipsam enim res constituitur in esse obiecti formaliter, vnde quicquid participat rationem corporis, est obiectum physicę; quoniam ratio corporis est ratio obiectiua illius. Accidens autem participat rationem obiectiuam correspondentem metaphysicæ; est enim aliquid cognoscibile ex ijsdem principijs, ex quibus procedit metaphysica, & est intra eamdem abstractionem, quod est signum habere in se rationem obiectiuam correspondentem metaphysicę; alioquin principia, ex quibus metaphysica procedit, non fundarentur in ipso, & ideò non essent apta ad inferendas conclusiones circa ipsum. Rursus statim ac aliquid ponitur secundum suum esse intra aliquã abstractionem, acquirit rationem obiectiuam, quæ consurgit ex tali abstractione, vt enim ingrediatur talem abstractionẽ opus est, quod habeat esse aptum, secundum quod abstrahatur, quòd si habet tale esse, etiã habebit rõem obiectiuã quæ cõsequitur ad talem abstractionem,

2. ratio

Ratio obiectiua coadunat res in vnum obiectũ.

IV. Tertiò Quando metaphysica cõsiderat substãtiam, nedũ illam considerat secundum rationem propriam substantię

Tertia ratio.

sed etiam secundùm rationem entis communissimam; ex quo fit, quòd ratio entis communissima debeat esse intra obiectũ metaphysicæ; alioquin cum nulla scientia possit se extẽdere vltra suum obiectũ non posset ferri in ipsum, nisi vel esset obiectum, vel aliquid per se spectans ad obiectum. Si ergo vel est obiectum, vel aliquid per se spectans ad obiectum, oportet quòd vbicunque reperitur ens, reperiatur etiam obiectum metaphysicæ; vnde cum accidens quoque participet rationem entis, oportet, quòd ipsum quoque claudatur intra obiectum metaphysicæ adæquatum. Quod etiam confir. metaphysica considerat substantiam nedum secundùm rationem substantię, sed etiam secundum rationem entis, cur ergo non poterit eandem rationem entis considerare in accidente? imò de facto considerabit, dum considerat in substantia, cum sit vna, atque eadem, quòd si considerat rationem entis in accidente, quomodo accidens non continebitur intra obiectum metaphysicæ. Deinde metaphysica tractat de accidente; non posset autem de ipso tractare, nisi contineretur intra suũ met obiectum adæquatum, extra quod nullo pacto potest ferri.

Si ergo accidẽs ex eo. q est ens claudit intra obiectum metaphysicæ

V. Præterea confirmari potest; In assignandis obiectis proprijs vnicuique scientiæ, oportet assignare rationem magis vniuersalem, quæ intra illud genus, in quo est obiectum, reperitur, vt complecti possit omnia, quæcunque sunt intra talem abstractionem, & correspondere principijs in vniuersalitate, ex quibus illa scientia procedit, alioquin si non assignetur ratio magis vniuersalis, reperietur aliquid, quod re vera erit obiectum, & tamen intra obiectum assignatum non continebitur. Hoc autem continget metaphysicæ; si assignemus pro obiecto substantiam, ratio enim substantiæ non adæquabit ea omnia, quæ sunt intra abstractionem metaphysicam, vt est præcipuè accidens, de quo, vt etiam supra dictum fuit, formare possumus conceptus omninò ab omni materia abstrahentes.

Statuitur obiectum Metaphysicæ.

SECTIO VI.

I. Itaq; cũ communi sententia statuendum est, obiectum metaphysicæ esse ipsum ens reale. Quid autem nomine entis intelligi debeat, & quomodo assignanda sit ratio formalis, & materialis obiecti, infra declarabimus; non enim hoc commodè exponi potest, nisi prius declaremus, quàm latè pateat, & ad quæ se extendat obiectum metaphysicæ, quod disp. sequenti præstabimus, deinde coarctato obiecto intra suos limites, facilè declarabimus, quid nomine entis importetur, quando dicitur esse obiectum metaphysicæ, & in ipso rationem materialem, atque formalem distinguemus. Quod autem ens reale sit obiectum metaphysicæ, sequitur ex ijs, quæ supra diximus; nam ostensum fuit, quòd nihil excedens ens reale, potest esse obiectum metaphysicæ, rursus debet esse quid excedens substantiam, vt complectatur etiam accidens. Hoc autem non aliud potest esse, quàm ens, quomodo autem, si non esset suprema ratio entis, complectatur tàm accidens, quàm substantiam, dicto loco explicabimus.

Ens reale obiectũ metaphysicæ.

II. Prob. autem primo hęc sententia ex eius vniuersalitate. Metaphysica enim est scientiarum omnium vniuersalissima, quod satis patet tum ex conclusionibus; quas demonstrat; tum ex principijs ex quibus eas deducit, quæ sunt principia omnium vniuersalissima. Quocirca ad seruandam proportionem cum suis principijs, oportet, quòd ipsa quoque sit omnium scientiarum vniuersalissima. Verùm quia scientia quicquid habet, illud in ordine ad suum obiectum adæquatum habet, non potest habere vniuersalitatem maiorem cœteris, & quæ sit omnium viuersalissima, nisi etiam habeat obiectum proportionatum, quod sit omnium vniuersalissimum; hoc antem nullum aliud esse potest præter ens. quocunque enim alio assignato, siue illud substantia sit, siue quodcunque aliud, adhuc potest assignari obiectum vniuersalius, & si illud metaphysica nõ cõsideraret, nõ esset scientiarum omnium vniuersalissima, sed alia magis vniuersalis ponenda esset, quę haberet pro obiecto adæquato ens.

I. ratio.

Metaphysica hẽt obiectũ omniũ vniuersalissimum.

III. Verùm quia posset aliquis dicere, quòd ens non est obiectum speculabile, & proinde non officere vniuersalitati metaphysicę, quòd habeat pro obiecto adæquato aliquid minus vniuersale ente. Ideo secundò argumentor. Ens, quantum est de se, speculabile est, & non pertinet ad aliquam aliam scientiam, non ad phy-

Secũda ratio.

Ens obiectum speculabile.

sicam, quia non est aliquid immersum materiæ physicę; non ad mathematicam, quia non importat aliquam quãtitatem, extra quam mathematica non potest ferri, ergo spectabit ad metaphysicam tanquam proprium obiectum illius, & adæquatum; quod præsertim verum est, quoniam ens conuenit cum abstractione metaphysica: abstrahit enim ab omni materia tùm sensibili, tum intelligibili: vnde cum constitutum sit intra abstractionem propriam metaphysicę, atque adæquet quicquid est intra ipsã, erit consequenter obiectum adæquatum ipsius. Quod autem sit aliquid speculabile ex eo patet, quòd habet suum proprium esse, circa quod ex principijs metaphysicis confici possunt diuersæ demonstrationes. Video nonnulla obijci posse contra speculabilitatem entis; sed quia non posſunt commodè solui, nisi constituatur, quid importet hoc ens, quod est obiectum metaphysicæ, ideò infra ea remittimus.

Tertia ratio.

IV. Tertiò hoc ipsum confirmare possumus ex condicione obiecti cuiuscumque scientię, duo enim quodlibet obiectum inter alia præcipuè requirit; alterum, quòd omnia, quæ tractantur in sua scientia per se, vt etiam supra docuimus, reducantur ad ipsum, vel tanquam principia sui ipsius, vel tanquam partes, vel tanquam passiones; hæc enim sunt illa, quæ per se ab aliqua scientia tractantur.

Omnia quæ tractantur in [illegible] physica reducũtur ad ens.

Alterum verò est, quod passiones, etiam quas demonstrat adęquentur cum ipso, neq; magis aut minus pateant, quæ omnia conueniunt enti, nãque tractãtur per se in metaphysica reducuntur ad ipsum, vel tanquam partes, vel tanquam principia, vel tanquam passiones; quod palam fiet, si per omnia fiat inductio, quæ, quoniam facilis est, eam omittimus, sic inhęrentia, seu esse in alio; & esse per se, non possunt reduci ad aliud tanquam partes, quàm ad ens, cum sint differentię contractinæ illius. Similiter etiam passiones, quas de obiecto demonstrat, vt sunt vnũ, verum, & bonum solùm cum ente connertuntur, & cum ipso adæquantur; quæ omnia ostendunt, ipsum ens esse adæquatum obiectum metaphysicæ.

Quarta ratio

V. Quartò. In quacunque scientia possunt tales conclusiones deduci ex principijs, ex quibus procedit, quæ sint æquè vniuersales, ac ipsa principia, quia nihil obstat, quin concurrant secundum totam suam vniuersalitatem, quam habent, & consequenter inferant cõclusiones æquè vniuersales; Modò obiectum cuiuscunque scientiæ non habet minorem vniuersalitatem, quàm habeant conclusiones, quas scientia demonstat; quomodo enim essent de ipso, si minus vniuersales essent? quis enim dicat, omnem hominem esse risibilem, posse demonstrari de Petro? aut omne animal esse sensitiuum, posse demonstrari de homine? certè nunquam magis vniuersale potest demonstrari de minus vniuersali, aut de singulari. Hinc ergo fit, si obiectum debet in vniuersalitate adęquari cum conclusionibus quæ de ipso demonstrantur, atque conclusiones possunt esse æquè vniuersales, ac principia, ex quibus deducuntur, metaphysicam debere habere pro obiecto ipsum ens, quoniam, cum principia, ex quibus deducit suas conclusiones, sint omnium vniuersalissima, & consequenter etiam conclusiones sint tales, oportet etiam, quòd obiectum sit tale, & consequenter sit ens, quòd inter obiecta est omnium vniuersalissimum; quod etiam manifestum fiet, si consideremus conclusiones, quas metaphysica deducit, reperiemus enim, quòd aliquæ de solo ente verificari possunt.

Conclusiones æquæ vniuersales ac principia, atq; obiectũ

Fundamenta trium priorum sententiarum dissoluuntur.

SECTIO. VII.

Ad rões primę sententiæ.

I. EX dictis in præcedentibus sect. ferè soluta manent fundamenta aliarum sententiarum; nequid tamen aliquid desiderari possit, ad singulas rationes in oppositum singillatim respondebimus. Ad primam ergo primæ sententiæ negandum est, dari aliquem conceptum entis abstractum ab ente reali, & ente rationis, tanquam aliquid magis vniuersale. Quod infrà fusius suo locò ostendimus. nunc sufficit ad id demonstrandum, quod suprà quoque innuimus, nimirum non habere aliam cognoscibilitatem præter illam, quam ab ente reali mutuatur, quę proinde est cognoscibilitas entis realis, vt reale est. Quòd si daretur aliqua ratio superior entis ad ens reale, & rationis; oporteret, quòd præter cognoscibilitatem entis realis, & ipsam rationem entis daretur aliqua ratio superior, & etiam illa, qua superior contraheretur ad ens rationis, & consequenter etiam aliqua alia cognoscibilitas; quod

Nulla alia cognoscibilitas præter cognoscibilitatẽ ẽtis realis.

quàm falsum sit, inde patet, quòd non esset necesse, nos concipere ens rationis ad modum entis realis.

Proprietates entis rationis sunt propriet. entis realis illi applicatę.

II. Hinc etiam patet ad confirmationem, & rationem sequentem. Quòd enim spectat ad confirmationem, dicendum est, quòd ens rationis non participat proprietates, quas de ente reali demonstrat metaphysica, quantum ex se est, quasi sint proprietates contradistinctæ à proprietatibus entis realis; sed sunt illæ ipsæ, quæ conueniunt enti reali, quia sicuti ens reale applicatur non enti, vt fiat ens rationis; sic etiam applicantur proprietates. Ex quo non sequitur, quòd ens rationis habeat aliquas passiones demonstrabiles, quia iam ipsæ sunt demonstratæ de ente reali; nec dicunt aliquid contradistinctum ab ente reali, vt fusè dictum est in confutatione illius sententię. Et propter eandem rationem negandum est, quòd ens rationis habeat aliquam veram conuenientiam cum ente reali, vt in secunda ratione assumebatur, quia ad veram conuenientiam requiruntur extrema, quæ sint inter se contradistincta, & quæ habeant aliquam rationem communem, in qua conueniant; at ens rationis neque habet hanc rationem, in qua cum ente reali conueniat, neque habet aliquod esse ab ipso contra distinctum, sed quicquid habet, est de ente reali ipsi applicatum; vnde sicuti esse, quod habet est fictum, ita etiam conuenientia, scientia autem realis solùm pro obiecto habet res reales & non figmenta. Hinc metaphysica non considerat aliquid, quod tanquam commune sit in ente reali, atque rationis; nec opus est, quòd distinguat, & separet inter ens reale, & rationis, cum non habeant aliquam veram conuenientiam, vt dictum fuit.

Obiect. Hurtadi diluitur.

III. Atque idem iudicium ferendum est de illo motiuo, quod adducit Hurtadus citat sect. 2. disp. 1. metaphysic. subsect. 1. §. 52. dum inquit, quod hic actus *Ens rationis habet esse metaphysicum in intellectu*, est actus metaphysicus:

Quomodo ens rationis habeat esse metaphysicum.

concedimus enim, esse actum metaphysicum, si loquamur de actu formali, seu intellectus, & consequenter habere etiam pro obiecto, quod sequatur aliquid metaphysicum; quale est, *Habere esse obiectiuum in intellectu*, verùm non hinc sequitur, ens rationis habere aliquod esse metaphysicum, sed tantum, quod, sicuti illi applicantur, quæ conueniunt reali; ita etiam hoc esse metaphysicum, nempe *Habere esse in intellectu*, quod est aliquid propium entis realis applicatur enti rationis; quicquid enim habet ens rationis, illud mutuatur ab ente reali; vnde consequenter reale est, & nihil habet, quod non sit intra latitudinem entis realis, licet non enti applicatum; ex quo fit, quod nullum aliud sit esse metaphysicum, quàm entis realis, & consequenter, neque debeant multiplicari obiecta partialia metaphysicæ.

IV. Ad confir. vero tex. 4. lib. 4. metaph. concedimus, etiam ad eandem scientiam spectare agere de negationibus, ad quam spectat agere de forma; & à fortiori sequi, quod scientia, quæ agit de ente, agere debeat de Ente rationis, quod nos quoque præstabimus. Cæterum considerare oportet, quòd quælibet scientia non omnia eodem modo considerat, quædam enim considerat per se, & hæc sunt illa, quæ vel sunt obiectum, vel aliquid per se concernens ad obiectum vt diximus, esse principia, partes, atque passiones; quędam verò considerat consecutiuè, & veluti per accidens, & hæc neque sunt obiectum, neque per se concernunt ad obiectum, & huiusmodi sunt negationes, quas manifestum est, non posse esse obiectum, ens rationis, atque alia huiusmodi. Cum ergo Aristot. docet ad eandem scientiam spectare negationes, & formas, intelligi debet, formas spectare primo modo, negationes verò posteriori modo.

Quomodo negationes spectent ad scientiā quę agit de formis.

V. Et eodem modo dissoluenda sunt, quæ tanguntur in fundamento secundæ sententiæ pro entibus per accidens; hoc enim genus entis, vt ostendimus in confutatione illius sententiæ, nullam addit rationem entis supra illa entia per se, ex quorum coagmentatione consurgit; vnde negandum est, quòd vt tale est, importet aliquam rationem entis, per quam conueniat cum ente per se, sed solùm participat rationem entis tantùm materialiter accepti, quæ tamen est ratio entis per se, & consequenter neque etiam habeat aliquas passiones, quę ipsi conueniant formaliter, vt ens per accidens est hinc neque habet proprium esse speculabile, quo positiuè contradistinguitur ab ente per se per aliquam propriam differentiam, quæ omnia clara sunt ex ijs, quæ supradiximus.

Ad rationes 2.ę sententię.

Ad rationes 3.ę sententię.

VI. Ad fundamenta autem tertiæ sententiæ

Explicatur Arist.

tentiæ, ad auctoritatem Arist. solutio desumitur ex verbis ipsius, quæ ita se habent *Quare nobis quoque maximè, & primùm, & solùm, vt ita dicam, de ente hoc pacto, quidnam sit, speculandum est.* Vbi notanda sunt verba illa *Vt ita dicam*, quę satis indicant, quòd non solùm de substantia intendat tractare, sed etiam de aliquo alio, quamuis, vt plurimum, & principaliter agere proponat de substantia, cuius tractatio, cum principalior sit, & quasi totam scientiam sibi vendicet, quodammodo dici potest, quòd Metaphysica de sola substantia agat, quamuis non simpliciter: & hoc indicant illa verba, *Vt ita dicam*, hoc est quodammodo solùm de substantia speculandum est; hæc enim intra latitudinem entis ratione suæ differentiæ maximam perfectionem importat, quæ facit, quòd propter excellentiam dicatur simpliciter ens. Ad rationem vero, quæ pro eadem sententia adducitur, patet, quid dicendum sit ex dictis sect. 5. neque enim verum est, quòd accidens sit in rigore proprietas substantiæ, neque à metaphysica consideratur tanquam proprietas substantiæ, sed tanquam species entis ab ipsa substantia cōtradistincta; & hoc pacto habet, quòd sit speculabile tanquam obiectum partiale, vt ibidem probatum fuit.

Satisfit fundamentis aliarum sententiarum.

SECTIO VIII.

Ad rationes 4. sententiæ

Tromb.

Francis. Meliten.

Suarez.

I HAec fundamenta seorsim dissoluemus, quoniam maiorem difficultatem continent; Ad primum igitur quartæ sententiæ respondent Trombet. Francis. Melitens. apud Zimar. theorem. 3. Suarez. in Metaph. disp. 1 sect. 1 num. 14. Quòd si auferrentur substantiæ separatæ, auferretur etiam metaphysica, quia auferretur ens, quod ex natura sua abstrahit ab omni materia: vnde omnes rationes essent immersæ in materia, & non esset necessaria, alia scientia, quæ consideraret substantiam pręter physiologiam. Hæc tamen responsio non placet.

Reijcitur alia respōsio.

Nam pręter substantias separatas adhuc remanet aliquid, quod participat rationem entis, si ergo ens ex natura sua abstrahit à materia, adhuc remaneret aliquid, quod abstraheret à materia, & consequenter q̃ esset obiectum metaphysicæ.

Quomodo ablatis intelligen. remanet obiectū metaph

II. Secundo reijcitur eadem responsio, vel ablatis intelligentijs seu substantijs separatis, aufertur obiectum adæquatum, vel non aufertur. Si aufertur, sequitur, quòd solæ intelligentiæ sint obiectum adæquatum, non autem ens; vel si est ens, quod res aliæ, quæ non sunt substantia sæparata, non sint entia, quod quàm sit absurdum, nemo est, qui non videat, Si autem non aufertur obiectum adæquatum, quomodo aufertur metaphysica? cum enim remaneat aliquid de eius obiecto, consequenter remaneret metaphysica, quæ illud consideraret, & tunc ipsum esset obiectum adæquatum. Quod confir. potest, etiam si auferantur intelligentię, adhuc remanet ratio obiectiua correspondens metaphysicæ, ergo remanet proprium specificatiuum ipsius; posito autem specificatiuo, ponitur etiam consequenter specificatum propter necessariam connexionem, quam habent ad inuicem: vnde impossibile est, quòd adsit obiectum speculabile, & non sit scientia. Quod rursus potest confirmari. Quia ablatis intelligentijs remanent in alijs rebus rationes illæ, secundùm quas conueniunt cum intelligentijs, & quæ claudebantur in obiecto metaphysicæ, quæ possunt per intellectum abstrahi ab omni materia; Metaphysica autem has ipsas rationes considerat tanquam quam partem sui obiecti, & si loquamur de ente tanquam obiectum adæquatum, nec in ijs requirit maiorem abstractionem à materia, quàm illam, quæ fit per intellectum; si ergo remanet obiectum adæquatum, quamuis non se extendat ad tot entia, cur quæso non remanet etiam metaphysica? aut quomodo non remanet aliquid, quòd abstrahat à materia, vt dicebant auctores illi? quod enim non abstrahat secundum rem, parum refert ad obiectum metaphysicæ.

III. Denique contra hanc responsionem argumentari possumus, inquirendo, an si auferrentur intelligentiæ posset physica assurgere ad speculandas illas rationes, quas modò metaphysica considerat in rebus physicis, an verò non posset. Si primum dicatur; sequitur, quòd etiam de facto possit illas considerare, & consequenter, quod possit easdem rationes attingere in substantijs separatis, quia sunt eædem, ac in rebus physicis: vnde non est maior ratio, quòd eas possit attingere in rebus physicis, &

non

non in fubftantijs feparatis, quòd fi poteft has ipfas rationes etiam in fubftantijs feparatis attingere, fruftra ponitur metaphyfica, quæ illas confideret; imò poterit etiam fubftantias feparatas, vt tales funt confiderare, nifi aliquid aliud obftet, quæ tamen abfurdiffima funt. Sequel. autem huiufmodi mihi videtur euidens, quoniam phyfica effet tunc eiufdem rationis, ac nunc eft, quia haberet idem obiectum fpecificatiuum, vnde fi tunc poffet illas rationes attingere, etiam de facto poterit. Si verò fecundum mem brum eligatur, à quanam ergo fcientia illæ rationes confiderabuntur? certè debe ret remanere metaphyfica, quæ ipfas con fideraret.

cinda fpòfio IV. Alij ergo refpondent. Quod dupliciter poteft fieri, quòd auferatur metaphyfica, & eius obiectum. videlicet formaliter, & occafionaliter, feu confequutiuè; inquiunt ergo, quòd fublatis fubftantijs feparatis, obiectum metaphyficæ non tolleretur quidē formaliter, quia adhuc remaneret ratio entis, atque cæteræ rationes, quæ ab ipfa confiderantur, vnde nec formaliter auferretur meta phyfica. Auferretur tamen obiectum metaphyficæ occafionaliter, & confequutiuè; Cum enim non effet ens ex natura fua abftrahens; & fecundum rem ab omni materia, intellectus non haberet motiuum, quo poffet abftrahere in cæteris rebus, quę fecundum rem non abftrahunt à materia, ita vt omnino illas à materia fepararet, quare deficiente abftractione, confequenter deficeret obiectum; & fcientia fimul metaphyfica, atque phyfica effet prima philofophia.

eij ci- tu. V. Hæc tamen refponfio nihilò melior eft præcedente. Ratio enim entis, ratio fubftantiæ, atque alię huiufmodi, quæ fublatis fubftātijs abftractis remanerent, funt rationes notiffimæ; vnde inficiari non poteft, quin tunc intellectus illas confideraret; cum ergo fint fpeculabiles, cur non poffet circa eas fpeculatiuo modo procedere? Quod enim afferrur de motiuo nullam fubfiftentiam habet; nam quid reperitur, quod à parte rei abftrahat à materia fignata, feu indiuiduatione, cum res omnes, quæ exiftunt, indiuiduę fint? & tamen intellectus abftrahit à materia fignata; Cur ergo fublatis fubftantijs, quæ fecundum rem abftraherent ab omni materia, non poterit intellectus à rebus materialibus abftrahere aliquas rationes, quæ excludant omnem materiam? quòd fi poteft abftrahere genera, & fpecies, cur non poterit abftrahere has quoque rationes? Adde quòd non deficit motiuum, fed adeft fufficiens ad efficiendam hanc abftractionem. quòd enim aliqua ratio reperiatur in pluribus, quę aliquo modo inter fe diuerfa fint, præbet intellectui fufficiens motiuum, vt illam folam concipiat, & confequenter abftrahat: poteft enim folùm concipere illud, in quo conueniunt, non concipiendo, in quo differant, fic ex hoc folo motiuo abftrahit ab indiuiduis rationes fpecificas, à fpeciebus genericas, & eo vfque abftrahendo progreditur, quoufque perueniat ad primam rationem conuenientiæ, quæ fola manet, & eft ratio entis; cum ergo remaneat motiuum fufficiens ad abftrahendas rationes communes, quę ab omni materia præfcindant, non folùm ablatis fubftantijs abftractis tolletur obiectum metaphyficæ formaliter, fed neque occafionaliter.

VI. Ego autem non video tantam difficultatem in ifto tex. Arift. quæ folet ab Auctoribus fingi; quod vt planum fiat, & explicetur, quid fibi velit Arift. fupponendum eft, quòd mens ipfius eft, oftendere, quomodo metaphyfica fit prima philofophia; deinde fecundo loco po nenda fit phyfiologia, feu naturalis, quod vt declaret, inquit, quòd fi non effet metaphyfica, prima philofophia effet naturalis; ergo metaphyfica, cum fit prior phyfica, eft prima philofopia; hoc autem declarat ex parte obiecti; atque argumē tatur per locum intrinfecum, & ex fuppofitione alicuius impoffibilis, nimirum fi reperiretur tantum obiectum phyficæ, quod eft fubftantia naturalis, nec reperiretur aliquod aliud obiectum, quod abftraheret à materia, tunc profectò philofophia naturalis effet prima. Vides ergo, quomodo non arguit ex ablatione folarum fubftantiarum feparatarum, fed ex ablatione cuiufcunque, quod abftrahat à materia, ita vt remaneat fola fubftantia naturalis, quòd quamuis impoffibile fit, nihil refert, quia arguit, vt diximus, ex fuppofitione impoffibili. Referam eius verba, vt magis eius mens manifefta fiat. *Si igitur non eft aliqua alia fubftantia præter eas, quæ natura confiftunt, Naturalis profectò prima fcientia eft. Quòd fi eft aliqua alia fubftantia immobilis, hæc prior, & philofophia prima, &* Illuftra. tex Arift.

vniuersalis sit, quæ prima. Vbi aduertas oportet, quòd loquitur de sola substantia, vt potè de obiecto principaliori metaphysicę, & quia ex ablatione, & positione substantiæ, consequenter auferuntur, & ponuntur accidentia illi intra eamdem abstractionem correspondentia. Vocat autem substantias abstractas etiam, quæ à materialibus abstrahuntur, quia cum abstrahant à materia, & natura, non habent in se principium motus, & ideò immobiles sunt.

Alia responsio.

VII. Vel si hæc responsio alicui minus placet, quam tamen veram esse existimo, & ad mentem Aristotelis, alio modo responderi potest; ita vt sensus Aristotelis sit, quòd ablatis solis substantijs separatis, quæ secundùm rem abstrahunt, non adesset Metaphysica, sed Naturalis esset prima philosophia; pro cuius intelligentia, oportet scire, quòd abstractiones, quæ fiunt à materia, vt constituantur diuersa obiecta speculabilia, fiunt, vt dicemus infra, propter nostram maiorem commoditatem ad indagandam veritatem, vt distinctis obiectis, atque abstractionibus facilius procedere possimus. Quo posito, si auferrentur substantiæ separatæ, & remanerent tantum substantiæ naturales, tunc quidem remanerent ratio entis, atque aliæ rationes, quas nunc metaphysica in substantijs naturalibus speculatur, verum haberent hoc discrimen, quòd tunc ex natura sua non latius paterent, quàm substantia naturalis; ex hoc autem fieret, quòd non opus esset ponere aliam abstractionem, qua obiectum nouæ scientiæ constitueretur, sed illæ rationes, quoniam substernerentur rationi formali obiectiuæ; secundum quam Physica considerat suum obiectum, nec latius ipsa paterent, possent tanqnam obiectum materiale attingi commodè à Physica; omnia enim, quæ rationi formali obiectiuæ substernuntur, se habent tanquam obiectum materiale illius, dummodò non latiùs pateant, quam ratio formalis, & hoc modo, ratio entis, atque cœtera, quæ modo considerantur à Metaphysica, possent considerari tunc à Physica; non enim consideraret illas, vt abstrahentes à materia, sed vt ordinatas ad eius materiale, tanquam rationes fundamentales, & aliquid per se concernens ad substantiā naturalē, nunc verò necesse est ponere abstractionem, quia cum latius pateant, quàm ratio formalis obiectiua physicæ, non possunt considerari tanquā obiectum materiale, quod non debet latius patere, quàm formale.

Quo ex dupl. genere substan colligat Aris dup. par. Philosoph.

VIII. Ad confir. desumptam ex tex. 4. lib. 4. metaph. dicendum est, q̄ Aris. quādo distinguit duplicem partem Philosophiæ, iuxta duplex genus substātię, per illud duplex genus substātię, intelligit substantiā abstrahentem à materia, & substantiā immersam materiæ, atque adeò ex diuersa abstractione distinguit scientias; Per substantiam autem abstrahentem à materia, non intelligit illam, quæ secundum rem abstrahit, sed rationem substantiæ communissimam, quæ per intellectum abstrahitur, siue in inferioribus immersa sit in materia, siue non. Loquitur autem de sola substantia, quamuis sola non sit obiectum adæquatum, quia sufficiebat, quod tanquam ex principaliori obiecto colligeret propriam abstractionem metaphysicæ, secundum quam distingueretur à Physiologia.

Quo metaph. se extēdat ad res materiales.

IV. Ad rationem, quæ pro eadem sententia affertur, respondetur. Quod in substantia materiali possunr considerari diuersæ rationes formales, nimirū ratio entis, ratio substantiæ, ratio materialitatis, atque aliæ huiusmodi; quia ergo, si intellectus cōcipiat seorsim has rationes, quæ dā sunt superiores, quæ abstrahunt ab omni materia; ideò hę rationes, quousq. deueniatur ad materialitatē, pertinent ad metaphysicam; sunt enim immunes ab omni materia; quando verò deuentum est ad materialitatem, tunc sistit metaphysica, & incipit alia scientia, nempè Physica, & hoc pacto obiectum metaphysicæ non adæquatur per solam substantiam immaterialem, sed se extendit etiam ad materialem, sed non, vt materialis est. Quòd autem abstrahant tantùm secundum rationem à materia, parum refert, quia, vt diximus supra, hæc abstractio sufficit, nec maior requiritur.

Ad rōnes 5 sētentiæ.

X. Ad rationes verò quintæ sententię, & ad prim ādicendum est, quòd metaphysica inter alia considerat etiam prima fundamenta rerum existentium, hęc tamē non sunt adæquatum obiectum illius; sed etiam aliquid aliud considerat, deindè per prima fundamenta non est intelligenda prima causa; quia causa efficiens non est fundamentum, sed rationes illæ, quæ intrinsecę sunt rebus existentibus, et in quibus fundatur. Ad secundam

metaphysicam quidē superare alias scientias in dignitate, & consequenter etiam in obiecto, à quo desumitur dignitas. Verùm non hinc fit, quòd eius obiectum debeat esse Deus. Pro quo sciendum est, quod obiectum potest cōsiderari materialiter, hoc est secundum esse; & formaliter, nempè secundum rationem scibilis; dignitas autem scientiæ non attenditur penes obiectum materialiter consideratum: sed formaliter, prout scibile est. Et ratio est, quia vt scientia est, respicit obiectum secundū rationem scibilis, atque ipsi, vt tale est cōmensuratur. Si ergò obiectum considere-tur secundum rationem scibilis, non illud est nobilius, quod habet nobilius esse, sed quod habet nobiliorem rationem scibilitatis; illa autem habent nobiliorem rationem scibilitatis, quæ magis vniuersalia sunt, quia hæc sunt priora, atque notiora secundùm naturam, quæ autem notiora sunt secundum naturam, ea habent nobiliorem rationem scibilitatis. Dicitur autem Metaphysica Theologia naturalis, quia aliquo modo differit de Deo, saltem, vt de primo principio, quod sufficit ad denominationem, quamuis non ageret de ipso tanquam de obiecto. Ad confir. verò, an Deus sit obiectum metaphysicæ, examinabimus infrà, vbi de hac re peculiarem disputationem instituemus; nunc etiam supposito, quod ex eo, quòd est naturaliter cognoscibilis, sit obiectum metaphysicę; non tamen sequitur, quod sit adæquatum, sed solùm partiale.

Dignitas scientię ex dignitate scibilitatis in obiecto.

XI. Ad tertiam, si loquamur de cognitione abstractiua, & discursiua, quæ tendit in Deum, non est dicenda simpliciter perfectior quacūque alia cognitione, sed solùm ratione obiecti materialis, ex eo, quod eius obiectum materiale est nobilius. Verùm, quando metaphysica dicitur cognitio omnium cognitionum scientificarum perfectissima, non consideratur materialiter, neque ratione obiecti materialis; sed formaliter, vt scientifica est, vndè attenditur perfectio penes modū illum, quo scienificè obiectum manifestat. hanc autē perfectionem habet non ex obiecto materialiter accepto, sed consideratur secundum rationem scibilitatis, & etiam ex principijs, ex quibus suas cōclusiones deducit; & hoc pacto cū metaphysica habeat obiectum nobilioris scibilitatis, atque procedat ex principijs omnium vniuersalissimis, atque euidentissimis, sequitur etiā, quod sit secundū rationē scientiæ perfectissima cognitio, quamuis non tenderet in Deū.

Cognitio metaph. est perfectiss. ex modo tendendi.

XII. Atque ex his constat, quid respondendum sit ad quartam rationem. Si enim nullo modo consideraret Deum, tanquam obiectum, adhuc erit secundum rationem scientiæ omnium perfectissima cognitio, quia nimirum, vt diximus, cōsiderat obiectum, quod in nobilitate scibilitatis, superat obiecta aliarū scientiarum. Si verò cōsideraret etiam Deum, tunc habebit, pro obiecto aliquid commune Deo, atque creaturis; & penes hanc rationem attendenda erit perfectio scientiæ formaliter sumptæ: vndè cum sit vna, atq. eadem ratio obiectiua adæquans totam scientiam, nō sequitur, quòd scientia sit perfectior, & imperfectior formaliter; sed tota erit æqualiter perfecta, & solùm pars illa, quæ versabitur circa Deum, tanquam obiectum partiale, perfectior erit ratione obiecti materialiter sumpti; quòd autem vnum obiectum partiale sit perfectius altero, non est contra rationem scientiæ.

Metaph. scientia perfectiss. etsi nō consideraret Deum.

XIII. Quòd verò spectat ad sextā sententiam, an vera sit, colligetur infrà ex ijs, quæ sumus dicturi, quando disputabimus, an Deus contineatur intra obiectum metaphysicę; si enim non continetur, iam obiectum metaphysicæ erit solum ens prædicamentale; supposita vera sententia, quòd intelligentiæ quoque contineantur sub prædicamento, quamuis fortasse non sub obiecto metaphysicæ, prout secundùm earum propriam rationem considerantur. Interim solum adnotamus, leue esse, & nullius ponderis fundamētum, quod pro hac sententia affertur, nimirum, quòd Aris. in vno loco dicat, Ens esse obiectum metaphysicæ, & deinde in alio diuidat ens in decem prædicamenta; quis enim scit, aut vnde colligitur, quòd, quando diuidit ens in decem prędicamenta, illud accipiat secundùm totam illam latitudinem, secundum quam accepit, quando dixit esse obiectum metaphysicæ?

An ens, quod est obiectum Metaphysicæ, includat inferiora. Disp. XVI.

Rationes in oppositum explicantur. Sect. III

Ratio dubitandi, & Auctorum sententia.

SECTIO I.

Ratio difficultatis.

I. QVæstio hæc sub alio etiam titulo agitari solet, nimirum, an Metaphysica consideret quidditates rerum omnium in particulari, seu secundum proprias rationes; & sensus est, an hoc ens, quod est obiectum metaphysicæ, vt dictum fuit, ita se extendat, vt res omnes secundum proprias ipsarum rationes sub se complectatur; an verò ad quasdam tantũ rationes determinetur; de quo prius determinandum fuit, antequam exponeremus, quid importet hoc ens, quod est obiectum metaphysicæ. Ratio autem dubitandi est, quia, si dicimus, Ens, quod est obiectum metaphysicæ, non includere inferiora, iam non aget de substantia, & accidenti. Præterea inferiora, etiam vt inferiora sunt, important rationem entis; debent ergo cõtineri sub obiecto metaphysicæ. E contra verò, si dicamus, considerare etiam inferiora, tunc res omnes spectabunt ad obiectum metaphysicæ, etiam ipsa corpora naturalia, nec multiplicandę erunt diuersæ scientiæ. Nec potest dici, quod solum includat aliqua inferiora, & non omnia; quia ens, vel æquè abstrahit ab inferioribus omnibus, vel æquè illa includit in confuso, nec est maior ratio, cur potius vnum, quàm alterum ex vi entis, vt sic metaphysica consideret.

Prima ratio. Aegid. Mirandulan.

II. In hac difficultate prima sententia ex Aegid. 1. Metaph. quæst. 2. & initio lib. 1. poster. & Mirandulan. lib. 13. sing. certam. sect. 6. & 7. qui volunt metaphysicam considerare omnia inferiora, secundum proprias eorum rationes; atque ex hoc inferunt, esse vnicam tantum scientiam rerum omnium. Probant primò hanc suam sententiam ex Aris. 4 Metaph. tex. 2. Vbi inquit, quod sicuti vnus sensus est vnius obiecti, & eorum, quæ sub ipso continentur, ita quoque vna scientia est entis, atque eiusdem specierum. *Quare entis quoque, quot species sunt, & species specierum speculari vnius scientiæ genere est*. Et confirmari potest etiam ratione, nam, vt ibidem docet Arist. ita se habet ens ad omnia entia, sicuti sanum ad omnia sana; omnia autem sana pertinent ad vnã scientiam; vnde infert Arist. quòd etiam omnia entia debent pertinere ad vnam scientiam. Secundò arguunt, quia si aliquid obstaret, quo minus omnia considerentur à metaphysica, maximè esset, quia non omnia abstrahunt à materia; verum cum concedendum sit, metaphysicam considerare quædam, quæ non abstrahunt à materia, cur non poterit etiam omnia considerare? Tertiò, & vrgetur amplius eadem ratio. Metaphysica ita prorsus se habet ad inferiora, sicuti sensus internus ad obiecta sensuum externorum, ergo sicut sensus internus attingit omnia obiecta sensuum externorum ita etiam metaphysica attinget omnia inferiora entis. Quòd potest cõfirmari ex eo, quòd spectat ad ipsam præscribere obiecta aliarum scientiarum, & ipsa demonstrare, ergò debet illa cognoscere, alioquin quomodo poterit illa demonstrare? cum enim scientiæ præsupponant sua obiecta, oportet, quod ab aliqua superiori demonstrentur, alioqui quomodo de eorum existentia certi erimus? Quartò, Ad saluandam dignitatem, & perfectionem metaphysicæ necessariũ videtur, quòd res omnes consideret, etiam in particulari; alioquin, quomodo erit scientia perfectissima, nisi perfectissimè manifestet obiecta? aut quomodo illa manifestabit perfectissimo modo, nisi declaret totam ipsorum quidditatem distinctè secundùm omnes rationes, & formalitates, in particulari singulas attingendo? Secũda opinio.

III. Secunda sententia est in oppositum, & communis est, & Peripatetica, atque asserit, quod metaphysica non considerat res omnes, secundùm suas particulares quidditates, sed tantùm secundùm illas, quæ dum concipiuntur ab intellectu, abstrahunt ab omni materia. Ita tenet Auer. 4. Metaph. com. 9. & 2. phys. com. 22. D. Tho. in prologo sentent. art. 2. & opusc. 70. super Boet. de Trinit. quæst. 5. de diuisione scient. art. 3. ad 4 & 4. metaph. lect. 1. in fine, Scot. in prolog q. 1. artic. 3. Iandun. 1. Metaph. q. 22. Iauel. quęst. 9. Nyphus disp. 10. cap. 4. Albert. 1. Metaph. tractat. 1. cap. 2. Soncin. 4. metaph. quæst. 11. Zimara in adnotat. in Iandun. Fonseca in metaphys. cap. 2. quęstio. 1. Suarez in metaphys. disp. 1 sect. 2. & omnes communiter, tàm Veteres, quàm Recentiores. Auer. D. Tho. Scot. Iandun Iauel. Nyphus Albert. Soncin. Zimara Fonseca Suarez.

Vera sententia.

SECTIO II.

Metaph considerat aliquas res in particulari, non tamē omnes.

I. VT sententiam, quam secundo loco proposuimus, declaremus, quam veram veram esse existimo, quædam prius adnotanda sunt, quæ ad eius explicationem conferent. Supposito igitur, quod cum quærimus, an metaphysica consideret res omnes in particulari, intelligimus de particularibus rationibus essentialibus, non autem de indiuidualibus, quæ non sunt cognoscibiles scientifico modo. Statuendum est tanquam certum, quod metaphysica considerat aliquas rationes inferiores, tractat enim de ratione substantiæ, atque accidentis, & alijs huiusmodi, nec sistit in sola consideratione entis vniuersalissimè sumpti, & propterea ex hoc fit, quòd debeant circumscribi aliqui termini, quos non excedat. Econtra etiam certum esse debet, vt constat ex su pradictis, quòd non potest metaphysica rationes omnes quidditatiuas inferiorũ considerare; neque enim tendere potest in rationes formales obiectiuas aliarum scientiarum, quas necesse est distinguere, vt supra suo loco probatum fuit. Cæterum metaphysicæ concedendum est, quòd res omnes consideret in confuso, non quidem quia confusè illas cognoscat, sed quia illas attingat solum secundum quas dam rationes in vniuersali, vt sunt rationes entis, substantiæ, accidentis, atque aliæ huiusmodi, & dicitur considerare in confuso, quia non percipit earum proprias rationes differentiales, secundum quas distinguũtur inter se, sed solum prout veluti in rationibus communibus confunduntur, relictis quò ad considerationem rationibus particularibus, & de terminatis.

Diuersæ abstractiones à materia.

II. Vt autem certi limites pro obiecto metaphysicæ constituantur, supponendum est, dari diuersas abstractiones à materia, vt supra etiam tradidimus. Ex eo enim, quod intellectus noster per suam vim præcisiuam potest in eadem entitate diuersas rationes formales distinguere, sequitur, quod faciat diuersas præcisiones, dum concipit vnam rationem formalem sine altera. Sic, si relinquit indiuiduationem abstrahit à materia signata, quæ præcisio necessaria est, vt obiectum constituatur in esse speculabili. Verum quia obiectum sic abstractum propter diuersas rationes formales, quas con tinet, potest fundare diuersum modum procedendi in speculatione, ideo oportet, quòd propter maiorem distinctionem cognitionis speculatiuę, atque pro maiore facilitate procedendi in inquisitione veritatis, adhuc intellectus diuidat, atque separet, & constituat diuersas alias abstractiones; hinc si non concepit aliquid corporeum, aut quantum, dicitur abstrahere ab omni materia, quia nihil materiale in eo, quod conside rat, reperitur; si verò consideret solas dimensiones quantitatiuas, tunc abstrahit à materia sensibili, nempe à corporea substantia: inuoluit tamen materiam intelligibilem, nempe quantitatem; si verò consideret corpoream substantiam, solum à materia signata dicitur abstrahere.

III. Hæ igitur abstractiones assignantur scientijs vnicuique sua peculiaris, & licèt non sint rationes formales specificatiuæ scientiarum, sunt tamen aptę, vt coarctent, & circumscribant ea, quæ ab aliqua scientia considerantur, non enim quęlibet ratio obiectiua formalis contineri potest intra quamlibet abstractionem: non enim ratio corporis substantialis potest contineri intra abstractionem ab omni materia, quia in se inuoluit materiam, est enim ratio quædam formalis, quæ fundatur in esse materiali substantiali, & proinde neque contineri potest intra abstractionem à materia sensibili. Similiter neque ratio molis, seu dimensionis contineri potest intra abstractionem ab omni materia, vt per se patet, & eadem inductio fieri potest in cœteris. Ex quo sequitur, quod abstractio ista, quæ fit ab intellectu, coarctet, atque limitet rationes obiectiuas, quæ scientijs correspondent, & prout aliqua res claudi tur intra vnam abstractionem, obtinet vnam formalitatem, prout verò clauditur intra aliam, obtinet aliam formalitatem. Hinc cum nulla scientia possit indifferenter ferri in quācunque rationem formalem obiectiuam, sed solùm in illam à qua specificatur, efficitur, quòd hæ abstractiones, dum determinant rationes formales obiectiuas scientiarum, cir cumscribant etiam terminos, extra quos scientiæ in sua speculatione non egrediantur, & veluti quibusdam terminis

Abstractiones circumscribunt terminos scientijs.

clau-

claudant res omnes,quæ ab illa scientia considerari possunt.

Conclusio. Metaph non cōsiderat o'a inferiora.

IV. Supposito ergo, quod supra docuimus, Metaphysicę correspondere abstractionem ab omni materia. Dicendum est.Metaphysicam non considerare omnes inferiores rationes quidditatiuas rerum,sed illas tantùm,quæ continentur intra abstractionem metaphysicam,seu quæ nihil materiale inuoluunt. Vndè non cōsiderat omnia inferiora entis secundùm quamcumque rationem, sed solùm secundum aliquas. Hæc conclusio certa est ex dictis. Si enim istæ abstractiones à materia faciunt, quòd scientiæ distinguendæ sint, atque earumdem obiectis terminos præscribant,sequitur,quòd nulla scientia considerare possit ea, quæ sunt extrà suā propriam abstractionem, quòd abstractio determinet quousque se extendere possit seruato proprio modo procedendi. Atq. hæc sententia desumitur ex Arist. 4. metaph tex 1. vbi ita habet: *Est scientia quadam, quæ speculatur ens, prout ens est, & quæ ei per se insunt. Hæc autem nulli earum, quæ in parte dicuntur eadē est; nulla namque cæterarum vniuersaliter de ente, prout ens est,considerant,sed eius aliquam partem abscindentes,quod ei accidit speculantur*. Eccè ergò, quomodò non solam rationem entis speculandā concedit metaphysicæ,sed etiam alias rationes;& quomodò non omnes rationes quidditatiuas inferiorum illi assignat; sed relinquit aliquas cœteris scientijs. Quod etiam docuit distinctius tex. 6. eiusdem libri,dum ait. *Quòd igitur vnius scientiæ est ens,prout ens est, & quæ ei prout enti insunt speculari, manifestum est. Et quòd non solum substantiarum; verùm etiam eorum,quæ substantijs insunt,eadem speculatiua est; ac illorum,quæ dicta sunt,& de priori, & posteriori,& genere, & specie, & toto, & parte, cœterisque huiusce modi*. Tribuit ergò metaphysicæ aliquas rationes inferiores speculandas, atque lib. 6. tex. 2. ex abstractionibus diuersis constituit limites obiecti vniuscuiusque scientię.

Aristot.

Prima ratio.

V. Atque potest etiam ratione specialiter probari. Supponendo,quòd omninò certum est, scientias in hoc imitari potentias præsertim cognoscitiuas, quòd nulla possit ferri extra suum obiectum adæquatum, à quo sumit propriam specificationem, & potest in totum id ferri, quod sub ipso continetur, vt potè, quia cum toto illo habet debitam commensurationem. Metaphysica autem oportet quòd habeat suum obiectum specificatiuum intrà abstractionem ab omni materia, ità vt consurgat ratio obiectiua propria ex vi huius abstractionis,cum hęc sit abstractio propria metaphysicę; ex hoc autem fit,quòd nō possit ferri in aliquid aliud, quod non sit intrà talem abstractionem, alioquin, cum ratio obiectiua adæquata non sit extrà ipsam,ferretur extrà suum obiectum adęquatum. Sed etiā potest ferri in totum id, quod est intra talem abstractionem, quia sicuti abstractio appropriat obiectum metaphysicè, ita etiam debet facere,vt quicquid est intrà talem abstractionem, cadat in considerationem metaphysicam, vel tanquam obiectum,vel tanquam principia, aut partes obiecti,vel tanquam passiones,quia iam habet hęc abstractio ex natura sua, quòd appropriet res considerationi metaphysicę, & reddat illas speculabiles metaphysico modo.

Rō specificatiuæ sciētię non excedit abstractionem.

Secūda ratio.

VI. Secundò probatur, ex analogia, quam scientię seruant ad potentias.Experimur,quòd,quandò potentiæ sunt subordinatę, quamuis superiores attingant obiecta inferiorum, vt contingit in sensibus internis respectu externorum, & in tellectu respectu omnium sensuum, non attingunt obiecta secundum illam rationem formalem,secundum quam attingun tur à potentia inferiori, sed secundum aliam magis vniuersalem, quę necessaria est ad proportionandum obiectum cum potentia superiori; ergò similiter dicendum est, quòd quando scientia superior, atque inferior, videutur respicere idem obiectum, non illud attingant, secundū eamdem rationem, sed secundum diuersam, atque prout est intrà diuersam abstractionem. Cum enim abstractio proportionatum faciat obiectum pro scientia,cui talis abstractio correspondet, ꝙ non erit intrà talem abstractionem, tanquam improportionatum nō poterit attingi à scientia; & rursus,quod in tali abstractione claudetur, tanquam proportionatum poterit attingi.

Abstrac. reddit obiectum pport. scientiæ

Tertia ratio. Abstra. determinat obiectum.

VII. Tertiò declaratur, quoniam,vt diximus,quamuis istæ abstractiones,vt tales sunt,non specificent formaliter scientias,vt docet communior opinio,sed specificentur à diuersis rationibus formalibus obiectiuis,tamen,vt diximus, vnaquęque determinat res, quas in se claudit ad

diuer-

Ex diuerſitate abſtractionũ oriũtur diuerſæ rationes formales.

diuerſam rationem formalem obiectiuã, ita vt ſtatim, ac res ponitur in diuerſa abſtractione, ſortiatur etiam diuerſam rationem formalem obiectiuam, atque ratio obiectiua, quæ habetur ex vi vnius abſtractionis, non poſſit reperiri intra aliam abſtractionem. Cuius rei ratio eſt, quoniam in abſtractione ſeparantur, & conſiderantur diuerſæ formalitates obiecti, quæ cauſant diuerſas rationes formales obiectiuas. Cum ergò metaphyſica ſibi vindicet abſtractionem ab omni materia, habebit intra talem abſtractionem ſuam rationem obiectiuam, à qua ſpecificatur; & cum non poſſit ferri extrà obiectum adæquatum, à quo ſpecificatur, neque tendet in res alterius abſtractionis, nec conſiderabit omnia inferiora entis, ſed ſolùm illa, quæ ſunt intrà propriam abſtractionem.

Quarta ratio.

VIII. Denique argumentari poſſumus modo quodam experimentali deſumpto ex phyſica, & mathematica. Videmus enim, quod iſtę ſcientię, dum ſiſtunt intra propriam abſtractionem, non pertingunt ad ea, quæ ſunt intra abſtractionem metaphyſicam. Inſuper quod habent principia ſufficientia, atque media, ex quibus deducunt concluſiones, quæ ſint de obiecto intrà abſtractionem propriam; habent etiam paſſiones, quas de eodem obiecto demonſtrent, vt omne corpus eſſe mobile, atque alias huiuſmodi; vnde dubitari non poteſt, quin ſint veræ ſcientiæ, & ſcientifico modo procedant. Rurſus habent diuerſum modum procedendi à metaphyſica, qui oritur ex illa diuerſa abſtractione, & conſequenter etiam diuerſa ſunt principia, ex quibus vnaquæque deducit ſuas concluſiones, vt conſideranti patet. Atque ex vi huius peculiaris modi tendendi, quem habet vnaquæque, fit, quòd immiſceri non poſſit circa ea, quæ ſunt intrà abſtractionem metaphyſicam. Hoc autem manifeſtè indicat, quod ſunt ſcientiæ diuerſæ, à metaphyſica, ſi enim eſſent vna, atque eadem ſcientia cum metaphyſica, cur nõ attingerẽt ea, quę abſtrahunt ab omni materia? aut quomodo haberent diuerſum modum procedendi? quod ſi ſunt diuerſæ ſcientiæ, iam metaphyſica non ſpeculabitur omnia inferiora, ſed ea tantum, quæ ſunt intrà propriam abſtractionem. Accedit etiam, quod ſicuti phyſica, & mathematica ex vi ſui proprij modi tendendi, qui eſt diuerſus à modo tendendi metaphyſicæ, nequeunt attingere ea, quæ abſtrahunt ab omni materia, ita neque metaphyſica ex vi ſui proprij modi tendendi poterit attingere, quæ ſunt immerſa in materia.

Scientia rõne ſui modi tẽdedi nequit attingere, quę sũt intra abſtractionẽ alterius.

Rationes in oppoſitum explicantur.

SECTIO III.

Satiſfit rõni dubitandi

I. QVod ſpectat ad rationem dubitandi, patet ex dictis ſect. præcedenti, quid reſpondendum ſit. Metaphyſica enim non conſiderat ſolam, & puram rationem entis communiſſimè ſumpti, ſed etiam deſcendit ad inferiora, non autem ad omnia; ſed ad aliqua tantum. Cur autem potius ad hæc, quàm ad illa deſcendat, & non ad omnia, prouenit ex abſtractione, quæ, vt diximus, limitat quodcunque obiectum, & præſcribit terminos cuicunq; ſcientiæ, quos nequit vllo pacto trãſgredi, & ita abſtractio metaphyſica limitat obiectum huius ſcientiæ ad eas tantum rationes, quæ à ſe excludunt omnem materialitatem; & idcirco nõ cõſiderat inferiora ſecundum omnes rationes, & formalitates, ſed ſolum ſecundum aliquas.

Ad rationes oppoſitæ ſenten.

II. Ad primum autem fundamentum deſumptum ex auctoritate Ariſt. ex tex. 2. lib. 4. metaph. *R*eſp. metaphyſicam ſpeculari ens, & ſpecies entis, & ſpecies ſpecierum; quia conſiderat inferiora entis, non quocunque modo, ſed prout continẽtur intrà abſtractionem metaphyſicam, quemadmodum etiam ſenſus attingit omnia, quæ ſunt intra ſuum obiectum, ſed quatenus clauduntur intra talem rationem obiectiuam; quia autem non omnia inferiora, ſeu potius non omnes rationes quidditatiuæ inferiorum clauduntur intra abſtractionem metaphyſicam, ideò neque metaphyſica illas omnes conſiderat. Atque hæc eſt vera expoſitio illius textus, nec oportet aliam verſionem, aut conſtructionem verborum quærere, vt Fonſeca, & Suarez, hæc enim commodiſſima eſt, & conformis ijs, quæ in cæteris textibus habentur, præſertim in tex. 6. vbi docet, quod ad vnam ſcientiam ſpectat non ſolum ſpeculari ens, ſed etiam ſubſtantiam, & ea, quæ ſubſtantijs inſunt, quid autem eſt aliud ſpeculari ſubſtantiã, & quæ ei inſunt, niſi ſpeculari ſpecies entis, & ſpecies ſpecierum?

Quomodo metaph conſideret ſpecies entis.

Explicatur Ariſt.

In

III. Instari tamen potest contra hanc solutionem, nam Arist. lib. 3. metaphys. tex. 2. proponit quæstionem, an detur vna scientia, quæ agat de omnibus obiectis, & nullo alio loco illam soluit, quàm in illo tex. 2. lib. 4. vndè colligitur, quòd elegerit partem affirmatiuam; dum vult vnam scientiam nedum considerare ens, sed etiam species entis, atq; species specierum. Præterea affert exemplum de Grammatica, quæ considerat omnes voces, & tex. 3. & 4. ait, Vnius scientiæ, quæ dicitur philosophia, multas esse partes, ex quibus colligitur, quòd verè vnica tantum scientia sit, quæ tamen habeat suas partes versantes circa obiecta partialia eiusdem scientiæ. Sed resp. Arist. soluere illam quæstionem in tex. 1. eiusdem lib. 4. Metaphys. Vbi ita habet. *Est quædam scientia, quæ speculatur ens, prout ens est, & quæ ei per se insunt; hæc autem nulli earum, quæ in parte dicitur, eadem est; nulla namque cæterarum vniuersaliter de ente, prout ens est, considerant, sed aliquam eius partem abscindentes, quod ei accidit, speculantur, vt Mathematica scientia.* Ecce ergò non vnam, sed plures scientias constituit, quæ diuersa obiecta speculantur; atque postea vt assignet obiectum metaphysicæ, docet, quod intra eius obiectum continetur ens & species entis, & species specierum. Verùm cum aliquam aliam partem entis assignauerit cæteris scientijs, non potest intelligere de omnibus speciebus entis, sed de ijs tantum intelliget, quæ sunt intra abstractionem metaphysicam;

Occurritur instantiæ.

IV. Et exemplum de Grammatica pro nobis facit, sicuti enim grammatica considerat omnes voces non quomodocunque; sed solùm prout conferunt ad rectum, & elegantem sermonem, & relinquit illas considerandas secundum quantitatem à poetica, & prout conferunt ad ornatam elocutionem à Rhetorica; ita similiter contingit in metaphysica, quæ considerat species entis, quatenus abstrahunt ab omni materia, quatenus verò inuoluunt materiam intelligibilem relinquit mathematicæ; & quatenus inuoluunt materiam sensibilem relinquit Physiologiæ. Ad id verò, quod vltimo loco affertur, dicimus, quòd nos quoque cum Arist. asserimus, quòd sit vna philosophia, quæ habeat diuersas partes, vt supra suo loco explicatum est, cum ageremus de diuisione philosophiæ; quia tamen hæ partes inter se essentialiter differunt, ideò constituunt diuersas species scientiæ, quæ sub vno genere scientiæ speculatiuæ continentur. Quod enim non sint partes vnius scientiæ, quæ versentur circa diuersa obiecta partialia eiusdem obiecti totalis adæquati, satis patet ex supradictis, quoniam multiplicantur diuersæ rationes formales obiectiuæ, & diuersi modi tendendi; qui nequeunt in vnicum totalem coalescere. Neque potest obijci; quod physiologia, & mathematica non sint veræ scientiæ, nam à priori procedunt ex veris principijs, & generant certas, atque euidentes conclusiones; quid ergo ijs deest ad veram rationem scientiæ? Atque ex his etiam patet ad confir, desumptam ex Arist. ibid. Omnia enim sana pertinent ad vnam scientiam, quatenus coadunantur in vnam, atque eamdem abstractionem à materia.

V. Ad secundum respondendum est, Illud ipsum maximè obstare, quòd non consideret metaphysica omnia entia, nimirum quia non omnia abstrahunt à materia. Cum autem instatur, quòd consideraat aliqua entia, quæ non abstrahunt à materia Quidam respondent, Quod metaphysica potest dupliciter considerari, vt scilicet est scientia particularis, & sic non attingere aliquo pacto materialia. Potest autem etiam considerari, vt est quædam scientia vniuersalis, & hoc modo illa posse attingere. Sed hæc responsio falsa est. Primò quia metaphysica in suo esse particulari inuoluit, quod sit sciẽtia vniuersalis, vndè non est distinguendum inter scientiam vniuersalem, & scientiam particularem, præsertim quia sequeretur, quod non esset vna, sed multiplex scientia, vel, enim vt scientia particularis habet diuersum obiectum formale ab eo, quod habet, prout est scientia vniuersalis, vel non; si primum dicatur, ergo, cum scientiæ specificentur à suis obiectis formalibus, non erit vna, sed diuersæ scientiæ specie; nos autem modo loquimur de metaphysica prout est vnica scientia specie saltem subalterna, & prout habet vnicum tantum obiectum formale. Si vero habet idem obiectum, habet etiã vnicam tantum specificationem, & proinde non est distinguenda in scientiam vniuersalem, & particularem, & quod semel non poterit, vt dicitur scientia particularis, neque poterit, vt dicitur scientia vniuersalis, cum semper habeat idem

An metaphysica consideret aliquo pacto materialia.

Reijcit aliquorum responsio.

obie-

obiectum; Et poteſt hoc ipſum confirmari. Vel materialia continentur ſub obiecto formali metaphyficæ, vel non. Primum non poteſt dici, quoniam ex vi ſui obiecti formalis abſtrahit ab omni materia; eſt enim obiectum formale intra abſtractionem metaphyficam, quæ eſt ab omni materia. Si verò non continentur ſub obiecto formali, quomodo metaphyſica poteſt ferri in materialia, cum nulla ſcientia poſſit ferri extra ſuum proprium obiectum adæquatum formale?

Quomodo metaphyſica attingat aliqua in materialibus.

VI Reſpondendum ergo eſt. Quod ficuti rationes, quæ abſtrahere poſſunt ab omni materia, reperiuntur in rebus materialibus, quia tranſcendunt per omnia obiecta; ita metaphyſica proſequendo ſuum proprium obiectum, vagatur per res omnes, etiam materiales, confiderando in iis ea, quæ ſpectant ad proprium obiectum,& hoc pacto poteſt agere de materialibus; Verùm ſi materialia conſiderentur,vt talia ſunt, nullo modo poteſt ea metaphyſica ſpeculari, alioquin ferretur extra proprium obiectum, quod impoſſibile eſt. Quod ſi aliquando contingit de quibuſdam materialibus nō nihil pertractare, id non eſt,quia ſcientia ex natura ſua ad ea ordinetur, ſed ſolum ex inſtituto docentis, quæ pertractat, vel quia conferunt ad intelligentiam eorum, quæ propriè metaphyſica ſunt, ea obiter declarando; vel ſi ea tanquam obiecta conſiderat, confundit obiecta ſcientiarum, neq; ea ſpeculari poteſt ex propriis principiis metaphyſicis,neq;ſeruato modo tendendi proprio metaphyſico,ſed ex alienis principiis, & cum alio modo tendendi.

Aliud conſiderare aliquid tāquā obiectū aliud illud pro obiecto alteri ſcientię aſſignare.

VII. Ad tertium quid dicendum ſit, colligitur ex dictis ſectio. præcedenti,ex eo enim deducitur confirmatio noſtræ ſententiæ; non enim ſenſus internus attingit obiecta externorum ſecundum eamdem rationem formalem obiecti, ſed ſecundum diuerſam; & eodem pacto metaphyſica attingit obiecta aliarum ſcientiarum tanquam ſcientia ſuperior, atque vniuerſalior, ſed ſecundum diuerſam rationem formalem obiecti. Ad confirmationem reſpondeo, quod aliud eſt conſiderare aliquid tāquam obiectum, & aliud illud aſſignare pro obiecto. alteri ſcientiæ, & colligere eiuſdem exiſtentiam à priori. Primo modo oportet, quod ſcientia circa illud verſetur, eius naturam declarando ex principijs proprijs ipſius, atq;cum modo tendendi proportionato. Vt verò aliquid aſſignet pro obiecto aliarum ſcientiarum, non eſt neceſsè, quòd eius naturam ſpeculetur,ſed ſufficit, quòd cognoſcat habere aliam rationem formalem; quòd facilè colligere poteſt procedendo ex proprijs principijs,& ex ijs,quę ſunt intra propriam abſtractionem, quia quæ ſunt intra vnam abſtractionem, poſſunt eſſe cauſa virtualis alicuius, quod ſit intra aliam abſtractionem; & præſertim cum ea, quæ ſunt intra abſtractionem mathematicam, vel metaphyſicam, ſint rationes contractiuæ illarum, quæ ſunt intra abſtractionem metaphyſicam, poteſt metaphyſica attingendo proprias rationes, vt contrahibiles, cognoſcere etiam exiſtentiam rationum contrahentium; arguendo ex eo, quòd tali contrahibilitati debet correſpondere tale contractiuum, atque hoc ſufficit, vt colligat exiſtentiam obiectorum aliarum ſcientiarum, & ſingulis ſcientijs ea præſcribat, nec opus eſt, quòd ea conſideret quatenus materialia ſunt; quamuis fieri poſſit, quòd ea cognoſcat prout connectuntur cum rebus, quæ abſtrahunt à materia, nam hoc modo non conſiderantur modo differenti ab eo, quo procedit metaphyſica.

Quid requiratur ad ſaluandā pfectionē ſcientię.

VIII. Denique ad vltimum dico, quod ād ſaluandam dignitatem, & perfectionem metaphyſicæ non eſt neceſsè, quod attingat omnia inferiora ſecundum oēs rōnes,quia nulla ſcientia exigit ad ſui perſectionem, quòd attingat obiectum alterius, cum hoc ſit omninò impoſsibile: ſed oportet, quòd circa ſuum obiectū verſetur perfectiori modo, & colligat concluſiones eminentioris euidentiæ, & certitudinis; quod habet metaphyſica, quia verſatur circa obiectum nobilioris ſcibilitatis, quàm ſint obiecta aliarum ſcientiarum, vt ſupra etiam diximus. & quia ex principijs nobilioris,& excellentioris certitudinis, & euidentiæ ſuas concluſiones deducit;quod ſufficit, vt perfectiſſimo modo manifeſtet ea, quæ ſpectant ad proprium obiectum. Et cum non omnes rationes quidditatiuæ inferiorum ſpectent ad ipſum, nec etiam neceſsè eſt,vt omnes manifeſtet, præſertim cum non poſſit duci in omnium cognitionem per rationem formalem ſui obiecti.

Quodnam ens sit obiectum metaphysicę: vbi de ratione formali, & materiali obiectiua. Disp. XVII.

Ens communissimè sumptum non esse illud, quod est obiectum Metaphysicæ.

SECTIO I.

I. CVm præcedenti disputatione statutum sit de terminis, quibus obiectum metaphysicæ continetur, quantum est ex vi suæ abstractionis; nunc consequẽs est, vt declaremus, quid importet hoc ens, quod pro obiecto metaphysicæ communiter ponitur, an rationem vniuersalissimam entis, an verò aliquid aliud; & simul etiã exponamus, quænam sit ratio materialis, & quænã formalis obiecti metaphysicę. Pro quo supponendũ est, quòd in obiecto cuiuslibet scientiæ oportet assignare tùm rationem formalem, tùm materialem, quod conuincitur ex sola declaratione terminorum. Ratio enim materialis obiecti est id, quod à qualibet scientia consideratur; ratio verò formalis est ratio illa formalis, per quam res, hẽt qcõ sideretur, & est ratio specificatiua illius, & quæ facit, quòd res, quæ considerãtur habeant quamdã commensurationem, & proportionem cum scientia. Ex hoc ergo patet, in qualibet scientia concedendam esse hanc duplicem rationem; certum est enim, quòd debet concedi aliquid, quod consideretur à scientia, cum vnaquæque habeat suum peculiarem obiectum, circa quod feratur. Verùm cum qualibet res, quæ consideratur, sit peculiari modo considerabilis à tali scientia, & habeat cum ipsa talem commensurationem, vt petat ab ipsa tali modo attingi, necesse est ponere aliquam rationem, quæ ponat hanc commensurationẽ, qua obiectum ad talem scientiam determinetur, & in qua fundetur huiusmodi exigentia; hæc autem erit ratio formalis obiectiua; & sic omne obiectum ex hac duplici ratione constare debet.

Rõ formalis & materialis obiecti necessaria in qualibet sciẽtia.

II. Quod ergo spectat ad præcipuã difficultatem, quid videlicet importet ens, quod pro obiecto metaphysicæ constituitur; communiter omnes, quos supra disp. 15. sect. 1. pro hac sententia retulimus, sentiunt, quòd importet communissimam rationem entis transcendẽtalem; & nos aliquando in hac sententia fuimus, ducti communi omnium sensu; & quamuis difficultatibus, quæ illam vrgebant conaremur satisfacere, nunquam tamen solutionibus animus acquiescebat, & videbantur potius difficultates elusæ, quàm solutæ. Denique rem accuratius examinantes, coacti sumus in aliam sententiam descendere, & eò magis persuasi sumus, quòd communem explicationem non existimamus esse ad mentem Aristor. nam 6. metaphys. tex. 8. explicans, quodnam ens considerari debeat à metaphysico, docet, quòd ens per accidens relinquendum est, & illud considerandum, quod habet principia, & causas. Eius verba sunt, *Propter quod hæc quidem prætereantur, considerandæ autem sunt ipsius entis causæ, & principia prout ens est.* Ecce ergò, quomodo enti, vt ens est, tribuit causas, principia, & loquitur de illo ente, quod est obiectum metaphysicæ; ens autem secundum suam abstractissimam rationem non habet causas, & principia saltem intrinseca, quæ necessaria sunt ad obiectum scientificum, vt mox ostendemus. Atque ex iis, quæ infra afferemus ex Arist. hoc magis manifestũ fiet.

Cõmuñ sententia.

III. Itaq; dicendum est. Ens communissimè, & abstractissimè sumptum, prout est prima ratio trãscendentalis, & fundamentum totius realitatis, non esse illud ens, quod constituendum est pro obiecto metaphysicæ. Atq; vt validam rationem, quam demonstratiuam existimo pro præsenti, materia afferamus. Præmittendum est, quòd obiectum cuiuscunque scientię debet habere suas causas, atque principia intrinseca, quibus tanquam ex elementis coalescat, atque quale est obiectum, talia etiam debẽt esse principia sic obiectũ physicũ debet habere principia physica, obiectum verò metaphysicum, sufficit, si habeat principia metaphysica, quæ nos secundum rationem in ipso distinguamus. Radix autem huius necessitatis est, quoniam, vt aliquid possit esse obiectum alicuius scientiæ, oporl

Obiectũ metaph non est ens vniuersalissimum.

Obiectũ scientiæ debet habere principia intrinseca.

oportet, quòd sit cognoscibile scientifico modo hoc est cognitione certa, & euidenti; omnis autem cognitio certa, & euidens, seu scientifica, vel demonstratiua, vel definitiua debet esse per principia intrinseca, nempè genus, & differentiam; demonstratiua etiam debet esse per medium necessarium, quod habeat necessariam connexionem cum conclusione; quod fieri non potest, nisi sit aliquod principium intrinsecum spectans ad constitutionem illius rei, de qua est conclusio, nam extrinseca habent tantum connexionem, cum ipsa vel quò ad existētiam, vel quò ad possibilitatem tantùm adæquatè sumptam; vndè per ipsa potest tantùm concludi, quòd res sit, vel possit esse, non verò quòd dicat hoc, vel illud in sua essentia. Cum ergò obiectum scientiæ debeat esse cognoscibile certa, & euidenti cognitione, oportet, quòd eius cognitio sit ex principiis intrinsecis ipsius, quæ tanquam causæ, & rationes aliquid à priori de ipso inferant, alioquin non erit aptum, vt speculatiuo modo, & tanquam obiectum scientificum cognoscatur.

Duplex cognitio qddi tatiua obiecti.

IV. Quod amplius declarari potest ex eo, quòd cognitio obiecti scientifici debet esse quidditatiua, ita vt manifestet quidditatem obiecti; duplici, autem modo manifestare potest quidditatem illius, vel totam, & adæquatè; & tunc necesse est, quòd huiusmodi manifestatio fiat per definitionem, & cōsequenter per principia intrinseca, ex quibus constare debet definitio. Vel potest manifestare tantùm quidditatē obiecti secundùm partem, & secundùm prędicatum aliquod quidditatiuum; & tunc iam supponitur, quòd quidditas obiecti habeat partes intrinsecas; quid autem aliud sunt partes, quam principia intrinseca? Rursus hęc manifestatio quidditatis secundùm partē de obiecto cum fiat per demonstrationē; demonstratio autē debeat procedere ex aliquo priori; hoc non potest esse extrinsecum simpliciter, quia si assumitur extrinsecū, oportet etiā assumere aliquid intrinsecum, ratione cuius medium extrinsecum connectatur cū prædicato, quod de obiecto demonstratur; hinc in qualibet demonstratione debet interuenire medius terminus, & maior, & minor extremitas, & proindè aliquid concurrere, quod intrinsecum sit obiecto ratione cuius, id, quod ab extrinseco assumitur connectatur cum prædicato conclusionis, & plures rationes distingui debent in obiecto tanquam principia.

Qualis d beat esse cognitio scienti- fica demonstratiua.

V. Et præterea, quod valdè rem declarat, certum est, quòd cognitio scientifica, collecta per demonstrationem, debet esse conclusio aliqua, in qua ex parte subiecti, & prædicati interueniant diuersæ formalitates, ita vt aliquo modo diuersum sit illud, quod se tenet ex parte subiecti ab eo, quod se tenet ex parte prædicati, alioquin esset propositio identica, & nugatoria, quæ nullam cognitionem scientificam generaret. Vel ergò de obiecto scientifico habetur cognitio scientifica definitiua, & tunc habet necessariò principia intrinseca, per quæ tradatur definitio, vel est cognitio demonstratiua; & tunc oportet ponere obiectum tanquam subiectum, & prædicatum aliquo modo diuersum ab ipso, quod demonstretur, & sic iam in obiecto distinguentur diuersæ rationes formales, quæ erunt principia illius. Quod etiam confirmatur. Nàm necesse est, quòd quælibet scientia possit demonstrare primam passionem de obiecto suo, atque, cum ad illam demonstrandam necesse sit assumere principium intrinsecum in obiecto, recurrendum est necessariò ad definitionem obiecti, per quam prima passio demonstretur: nec alio modo demostrari potest. Ex hoc ergò fit, quòd obiectum cuiuscunquę scientię possit definiri, ita vt, si non posset definiri, nec etiam esset aptum pro obiecto scientię, vndè etiam ex hac radice oritur, quòd debeat obiectum scientificum habere principia intrinseca.

Modus cognoscēdi scientifi cè obiectum.

VI. Quòd si à posteriori etiam argumētari volumus, videmus, quòd cæteræ scientiæ acquirunt cognitionem quidditatiuam de suo obiecto per principia intrinseca, in quæ etiam illud resoluunt, ea ex quibus constat, singillatim considerando, & hoc modo acquirunt cognitionem quidditatiuam de suo obiecto. ex hoc autē colligitur, ꝙ propter cognoscendā quidditatē obiecti scientifici, oportet, illud in principia intrinseca resoluere, atq; ꝙ hic solum sit modus assequendi scietifico modo eius cognitionē quidditatiuā, nam si adesset aliqs alius modus, cur nō possent hæ scientiæ illo vti? si ergo obiectum debet esse cognoscibile scietifico modo, oportet, ꝙ cōstet ex principijs intrinsecis, in quæ resoluatur, alioquin cū nō possit

fun-

fundare scientificum modum procedendi circa suam ipsius quidditatem, neque po terit esse obiectum scientiæ. Quod si obiectum alicuius scientię posset sciẽtifico modo cognosci absq; eo, quòd in sua principia resolueretur, per quæ innotesceret, cur non possent etiam obiecta, quæ habent principia hoc pacto innotescere, quòd tamen contingere non potest, experimur enim, quòd principia intrinseca sũt medium vnicũ cognoscendi quidditatiuè & sciẽtificè obiecta scientiarũ; si ergo tollatur hoc mediũ, iam nõ poterit amplius de obiecto haberi cognitio scientifica.

VII. Maneat ergo certum, obiectum scientiæ debere habere principia, & causas intrinsecas, vt possit scientifico modo cognosci, atque communiter etiam id solet admitti, vndè solet dici, quòd ea, quæ considerantur in aliqua scientia, vel sunt principia, vel partes obiecti, vel passiones, vel ipsum obiectum, neque de hoc credo esse aliquam difficultatem, non solùm quia adeò euidenter probatum est, sed etiam quia omnes id concedunt, & hoc supposito conantur soluere dubitationes, quæ oriuntur contra suam sententiam, quòd ens vniuersalissimè sumptum sit obiectum metaphysicæ. Ex hoc principio certo conficitur prima ratio pro nostra sententia. 1. ratio. Obiectum scientiæ debet habere principia intrinseca, & causas saltem metaphysicas, & virtuales: sed ens non habet neque causas, neque principia, si vniuersalissimè sumatur; ergò non est aptum, vt constituatur pro obiecto alicuius scientiæ. Restat nunc probanda minor, quæ potius mihi videtur per se nota, quàm indigeat probatione; vndè eum sit ex propositionibus primis, melius ostenditur deducendo ad impossibile. Si ens haberet principia intrinseca, non esset prima ratio entis, & conceptus simplex, sed compositus ex diuersis rationibus, vndè non deberet esse diuersa ab alia, si ergo vna esset formalis ratio entis, altera non esset ratio formalis entis, sed quid diuersum, & proindè quia esset quid reale, esset tale ens, ergo ens vt sic, non esset totũ ens, vt sic, sed tale ens; Insuper ratio communis constitueretur per suimet contrarium, quæ omnia impossibilia sunt, & absurda.

VIII. Conantur auctores oppositæ sententiæ effugere difficultatem, atque explicare, quomodo ens habeat principia; vndè diuersas adhibent responsiones, vt præsertim satisfaciant Arist. qui 1. poster. docet, quodlibet obiectũ habere principia, & causas, per quas demonstrantur, quæ de ipso demonstranda sunt, & 6. metaph. tex. 1. inquit, *Principia, & causæ entium quæruntur, & patet, quòd prout entia sunt. Est enim aliqua sanitatis, bonæque habitudinis causa, mathematicorum quoque principia elementa, & causæ sunt, & simpliciter omnis intellectualis scientia, siue aliquo modo intellectu participans circa causas, & principia aut certiora, aut simpliciora est.* Loquitur autem non solùm de principiis complexis, sed etiam de incomplexis, quia contradistinguit causas à principiis, & nominat etiam elementa, quæ sunt principia intrinseca, atq; docet, quòd in metaphysica quærenda sunt principia entis, vt ens est, & vt est obiectum illius. Prima ergo reponsio est Iauel. 6. metaph. quest. 1. qui ait ens, vt ens est, non habere aliquam causam propriè dictam, sed tantùm aliquid, quod stat loco causæ, & est medium demonstrationis ad probandas passiones de ipso, in processu. verò quęstionis, loquens de Deo concedit, quod istæ causæ, & principia sunt media, quibus à posteriori aliquid probamus.

IX. Cæterum huiusmodi responsio non tollit vim argumenti facti. Quamuis enim non opus sit, quòd obiectum scientiæ habeat causas reales physicas, oportet tamen, quòd habeat aliquas rationes, quę possint esse media demonstrationis à priori, nec sufficit à posteriori, quia ille processus non est verè scientificus. Si ergo obiectum metaphysicæ, sit ens cõmune Deo, & creaturis, nullas potest habere causas; aut principia, quoniã non habet aliquid prius se, neq; realiter, neq; secundùm intellectum. Neq; potest habere principia intrinseca, quoniã, vt diximus, est vnica simplicissima rõ formalis, & omnium prima, quę est fundamentum cuiuscunq; alterius rationis realis, & ideò in se non potest includere cõpositionem aliquã principiorum intrinsecorũ, vt in prima ratione nu 7. ostendimus, vndè excluduntur omnia principia, tàm intrinseca, quàm extrinseca. Quòd si intelligatur de vniuersali ente creato, neque hoc habet principia intrinseca, quæ tamẽ necessaria sunt ad obiectũ scientificũ, cum adhuc sit simplicissima ratio, quæ nõ est resolubilis in plures conceptus, neq; se solo præcisè considerato habet principium extrin-

Omne obiectũ habere sua principia Aristot.

1. resp. Iauel.

Reijcit.

Quò ab ente excludũtur omnia principia.

secum, quia solum est à Deo coniunctum cũ cœteris rationibus inferioribus, cum quibus identificatur, & implicat, quòd alio modo sit. Deinde hæc principia extrinseca non sufficiunt ad scientiam, vt diximus supra, cum solum respiciant existentiam rei, aut possibilitatem, non autem manifestent essentiam. Rursus si ens habet rationes quasdam, per quas demonstrantur passiones de ipso, cum prima passio debeat demonstrari per definitionem subiecti, oportet, quòd ens, si est obiectum metaphysicæ, sit definibile, & consequenter constet diuersis conceptibus obiectiuis intrinsecis, in quos resolui possit, quod tamen dici non potest, vt supra probatum fuit. Vndè concludendum est, non posse ens habere principia demonstrationis, siue aliquid de ipso demonstrandum sit tanquam essentiale constitutiuum, siue alqua eius passio.

Secunda respon. Suessan. X. Secunda responsio est Suessani. 1. metaphys. disp. 1. cap. 5. dub. 2. qui inquit, quod ens communissimè sumptum, & abstractum non habet causas, aut principia, tamen contenta sub ente habent causas, & principia etiam quatenus entia sunt, quia sunt entia ex vi entis, vt sic, & habet principia, quibus passiones de ipsis demonstrantur. Sed neque melior est hæc responsio, nam quamuis verum sit, quòd inferiora sint entia, quia participant rationem entis vt sic, & quòd habeant principia, per quæ eorum passiones demonstrentur; tamen hoc non facit ad propositum; hoc enim tantùm saluat, quòd inferiora habeant principia, quia constituuntur in esse entis per ens vt sic, non autem saluat, quòd ens, vt ens est, habeat principia, & causas, vt debet habere, si est obiectum metaphysicæ. Deinde ens vt sic abstractè sumptum non habet principia, & causas, ergo non potest, vt tale, esse obiectum metaphysicæ: obiectum enim scientiæ secundum illud esse, quo est obiectum, debet habere sua principia intrinseca, vt probatum fuit, quæ tamen, vt patet, in ente saluari non possunt. Et sicuti per hanc responsionem solùm ens habet principia in suis inferioribus, hoc est, sola inferiora entis habent principia, ita etiam sola inferiora entis poterunt esse obiectum sciẽtiæ, non autem ens vt sic.

Tertia resp. Soncin. D. Tho. XI. Tertia responsio est Soncin. 4. Metaph. quæst. 8. conclus. 2. quam referr ex D. Th. in prologo Metaphys. & inquit, quòd, cum dicitur obiectum scientiæ debere habere principia, non debet intelligi de principiis extrinsecis, quæ sint extra eius obiectum, sed de principiis, quæ contineantur in suo obiecto. Sic ergo ens non habet principium extrinsecum, quia omne ens continetur intra ipsum; habet tamen principium contentum sub obiecto, nempe Deum, qui est principium entis, in quantum ens est, quia cœtera creata, vt entia sunt, respiciunt Deũ, vt principium, quia ab ipso habent, quod sint entia. Verum neq; hæc responsio quicquam oppositæ sententiæ prodest; Reiic it nam solum ostendit, quomodo entia creata etiam secundum rationem entis habeant principium extrinsecum effectiuum; hoc autem non saluat, quomodo ens vt sic possit esse obiectum metaphysicæ; quoniam obiectum scientię, vt diximus, debet habere principia intrinseca, quæ includat in suo esse tanquam propria constitutiua, quo est obiectum, & oportet, quòd obiectum, secundum totam suam latitudinem, & illam rationem communem, qua complectitur omnia obiecta partialia, habeat huiusmodi principia, quia de ipso, vt tale est, debet haberi cognitio scientifica, & statim ac ex parte alicuius obiecti desinunt huiusmodi principia, ipsum quoq; desinit posse esse obiectum scientificum; hæc autem responsio neque procedit de principijs intrinsecis, neque de totali obiecto, sed tantum de partiali, nempè de ente creata, & malè interpretatur illud, quod docet Arist. & communiter recipitur. Quod obiectum scientiæ debeat habere principia, dum ait sufficere, quòd sint principia, quæ contineantur sub obiecto, cum reuera debeant esse principia constitutiua obiecti, vt constat ex ijs, quæ supra diximus; hinc Arist. ea appellat elementa.

Quarta respon. D. Tho. XII. Et fortasse propter insufficientiam huius responsionis, aliam adhibet idem auctor loco citato, quam etiam desumit ex D. Thom. 6. metaphys. lect. 1. & inquit, quòd vnumquodq; habet, quod sit ens per suam propriam quidditatem, quæ est veluti causa formalis ipsius; hoc ergo pacto ens etiam cõmunissimè sumptum, habet, quòd sit ens per suammet quidditatem, quæ est veluti causa formalis ipsius, & in hunc modum saluatur, quomodo ens, quatenus est obiectum metaphysicæ, habeat causas, & principia, cum

con-

conſtet ex parte materiali, & formali, ſeu quidditate, & cum hac coincidit reſponſio aliorum recentiorum, qui aſſerunt, quòd ens eſt aliquod concretũ; cõcretũ aũt ſignificat aliquã in compoſitionem ex ratione abſtracti, & ex eo, quod ad eſſe concretum contrahitur; hæ autem rationes ſe habent tanquam principia entis, quibus conſtituitur. Et huc etiam ſpectat, quod ait idem Soncin. citato lib. 4. Metaphyſ. queſt. 10. in reſp. ad 2, quòd videlicet conceptus entis eſt principium entis, quia eo poſſumus vti ad demonſtrandas à priori paſſiones de ente. Quam reſponſionem etiam amplectitur Suarez in metaphyſ. diſp. 1. ſect. 1. num. 27. & eſt communis apud recentiores, & nos aliquando ea vſi ſumus.

Reiicit.

Ens ſimpliciſſimus cõceptus nõ reſolubilis in plures.

XIII. Et certè hæc reſponſio probabilis videtur, ſi tamen attentè conſideretur impoſſibilis eſt, nec, vllo pacto tollit efficaciam argumenti. Ens enim eſt ſimpliciſſimus conceptus obiectiuus non reſolubilis in plures conceptus, ergo nullo pacto poteſt habere principia intrinſeca, ſiue ea per modum abſtracti, & concreti explicentur, ſiue per modum formæ, aut quocunque alio modo. Conſequentia iſta probatur, nam ſi haberet principia intrinſeca, vel eſſent entia, vel non. non poteſt dici, quod ſint, quia idem eſſet principium, & principiatum, & rurſus illa principia, cum ſint entia deberent, habere principia entis, de quibus rurſus quæri poſſet, an ſint entia, vel non; & ſic aut progrediendum eſſet in infinitum, aut ſiſtendum in aliquo conceptu entis, qui non ſit amplius reſolubilis in plures conceptus; ſi verò non ſunt entia, quomodo, quod eſt nihil, poteſt eſſe principium reale entis? Secundò; hæc forma entis, ſiue ratio abſtracta, vel dicit rationem formalem entis, vel non. Hoc ſecundum non poteſt eſſe, alioquin non eſſet quid reale, nam ſine ratione formali entis nihil reale habetur, ſi verò dicit rationem formalem entis, cum quælibet ratio formalis metaphyſica cõſiſtat in indiuiſibili, & dicat completè conceptum obiectiuum entis, & nihil aliud vltra, iam ratio abſtracti, ſiue formæ dicet totum id, quod dicit concretum, & non erit principium conſtitutiuum entis, principium enim debet dicere aliquid minus, quàm dicat principiatum, ſi ſit principium intrinſecum. Et rurſus ſi ratio abſtracti dicit aliquid minus, quàm concretum, oportet, quòd concretum aliquid addat ſupra id, quod dicit abſtractum; Hoc igitur, quod ſuperadditur, vel eſt ens, vel non. Quod non ſit ens, non poteſt dici, neque quòd ſit tale ens, quia tunc ens contraheretur, & diuideretur, nec ſiſteret in ſua latitudine. Si verò eſt ens, iam, cum etiam abſtractum ſit ens, duplex ratio entis concurret ad conſtituendum ens, quo nihil abſurdius dici poteſt.

Ens non definit.

XIV. Vndè pro intelligentia aduertendum eſt, quod quamuis quaſi modo definitiuo explicare videamur naturam entis, vt cum dicimus, Ens eſſe id, quod habet eſſentiam, reuera tamen non reſoluimus ens in plures conceptus, ſed ſimpliciſſimum illius conceptum circumſcribimus, quaſi in partes illum diuideremus, idq; ſit ob commoditatem noſtri captus, vt facilius intellectus in eius cognitionem aſcendat, non quòd reuera hæ partes in ipſo ſint; eſt enim ſimpliciſſimus conceptus, nec reſolubilis in plures, vt enim diximus, cum ſit prima ratio entis, oportet etiam, quòd ſit ſimpliciſſima; & ſi eſſet reſolubilis in plures conceptus, oporteret, quòd hi cõceptus eſſent inter ſe diuerſi, atque adeò ſi vnus eſſet formalis ratio entis, alter, quia eſſet diuerſus, non eſſet ratio formalis entis, & conſequenter conceptus entis non eſſet purè ens, vt ſic, ſed aliquid aliud, nos autem modo agimus de pura ratione entis vt ſic. Et hinc etiam elicitur, quomodo conceptus entis, quamuis aliquo modo ſit radix ſuarum paſſionum, non poſſit tamen definiri, & ſic definitum aſſumi ad probandas ſuas paſſiones: & proinde neque ſaluat, quomodo poſſit eſſe obiectum cognoſcibile ſcientifico modo, quia huiuſmodi obiectum, vt fusè probatum eſt ſupra tùm ratione, tùm auctoritate Ariſtotelis, requirit principia intrinſeca, quibus cõſtituatur, & per quæ propria definitione definiri poſſit. Si n. eſt vera ſciẽtia, oportet etiam, quòd obiectum ſit verè, & propriè definibile, & ſi de ipſo non poteſt haberi rigoroſa definitio, neque etiam poterit haberi rigoroſa ſcientia. Conſtat ergo, quòd ens communiſsimè ſumptum nequeat eſſe obiectum metaphyſicæ,

Aliæ probationes eiusdem conclusionis.

SECTIO II.

1. Quamuis, quæ dicta sunt sect. præcedenti, sufficienter conuincant, Ens communissimè sumptum non posse esse obiectum scientificum, non desunt tamen aliæ efficaces rationes, quibus id persuadeatur. Vndè

II. ratio secundò argumentari possumus ex eo, quòd quælibet scientia debet habere sua principia complexa, ex quibus conclusiones deducat, & per quæ præcipuè demonstret passiones de suo obiecto, & sine ijs impossibile est haberi scientiam. Hinc Arist. 1. poster. tex. 5. cum docuisset, quòd scire est rem per causam cognoscere, & esse tantum circa ea, quæ necessaria sunt, subdit postea, *Si itaque est ipsum scire, quale posuimus, necesse, & demonstratiuam scientiam, ex verisque esse, & primis, & immediatis, & notioribus, & potioribus, & causis conclusionis*. Quod nihil aliud est, quàm esse ex primis principijs. Verùm huiusmodi principia, cum præsupponãtur à scientia, tanquam ea, quibus tota innitur, atque cum non possint esse extranea, necessè est, quòd sint intrà abstractionem, quæ illi scientiæ correspondet, cuius principia sunt, & proinde debent fundari in obiecto scientiæ, alioquin non est aliud intrà eius abstractionem, in quo fundari possint; & præsertim id verum est, cum debeant deseruire pro demonstrandis passionibus de obiecto, quæ necessariò debent probari per aliquid intrinsecum obiecto. Imò cum finis scientiæ sit inuestigare naturam obiecti, & eius passiones, atq; de his acquirere scientiam demonstratiuam, debet procedere ex ijs, quæ intrinsecè conueniunt obiecto, cum ergò procedat ex principijs complexis, oportet, quòd huiusmodi principia complexa habeant fundamentum in obiecto, quod consideratur à scientia.

Scientia est ex principijs cõplexis.

II. Hoc autem stante, quod certissimum est, sequitur, quòd ens non possit esse obiectum metaphysicæ, nec alterius scientiæ: non enim secundum suum communissimum conceptum, præsertim præcisis passionibus eo modo, quo præscindi possunt, sufficiens est, vt fundet principia complexa, ex quibus conclusiones deducantur; & ratio euidentissima est, nam ad constituenda huiusmodi principia requiritur ad vnumquodque prædicatum, & subiectum, & prædicatum secundum formale esse, quod importat, debet esse, aliquo modo diuersum à subiecto, ne propositio sit identica, & constituatur primum principium, in quo prædicatum immediatè per se ipsum conueniat subiecto, quòd necessariò requiritur ad rationem principij, at quomodo huiusmodi principia complexa fundari poterunt in ente, quod dicit vnam simplicissimam formalitatem, & irresolubilem in plures conceptus? aut quomodò continebit prædicatum, & subiectum, quæ sint aliquo modo diuersa? Et quamuis illud vniuersalissimum principium. *Quodlibet est, vel non est* videatur fundari in ipso ente, reuera tamen non fundatur in ipso solo, sed etiam in inferioribus entis; subiectum enim illius principij, nempè *quodlibet* distribuit pro quocunque inferiore entis, de quo valet dicere, quòd est, vndè habet etiam hoc modo fundamentum in obiecto ipso metaphysicæ, quod dicemus esse aliquid dicens non puram rationem entis, sed insuper aliquid aliud.

Ens nõ fundat principia complexa.

III Tertia quoque ratio, & efficacissima, desumitur etiam ex ratione obiecti scientifici vt sic; oportet enim in obiecto, quod à qualibet scientia consideratur, assignare duplicem rationem obiecti, vt initio sect. præcedentis explicatum fuit, alteram materialem, quæ dicat id, quod consideratur à scientia, & quæ tanquam aliquid commune, & superius complectatur omnia obiecta partialia, quæ à tali scientia considerantur, & alteram, quæ sit ratio formalis obiecti, secundum quam omnia à tali scientia attingantur, seu quæ sit ratio, cur obiectum materiale à tali scientia attingatur, vt potè quia ponit proportionem, & commensurationem inter ipsum, & scientiam, atque modum procedendi ipsius. Verùm hæc duplex ratio formalis, & materialis nequit assignari in ipso ente; ratio enim materialis debet esse diuersa à formali, at in ente implicat, vt diximus, quòd sit hæc diuersitas formalitatum, quia eo ipso, quòd est primus coneptus entis, non potest resolui in diuersas rationes obiectiuas, necessariò enim altera ipsarum non esset conceptus entis. Nec potest dici, quòd ens sit ratio materialis obiecti, quia deberet postea assignari ratio formalis, cui substerneretur. Nec di-

III. rõ.

Ens nõ habet duplicẽ rõnẽ obiecti materialẽ, & formalem.

ci poteſt, quod ſit ratio formalis, quia tunc aſſignanda eſſet ratio materialis, non poteſt autem aſſignari aliqua alia ratio, quæ non ſit differentia contractiua entis; differentia autem contractiua rationis ſuperioris, non eſt apta, vt ſit ratio materialis obiecti, quia reſpectu illius ſe habet tanquam actus, ratio autē materialis obiecti reſpectu rationis formalis ſe habere debet tanquam quid potentiale.

Præcluditur effugium.

IV. Sed poſſet aliquis occurrere, quòd ràtio communiſſima entis eſt ratio formalis obiecti, ratio verò materialis ſunt quidditates inferiorum, quatenus abſtrahunt à materia. Non tamen hæc reſponſio eneruat argumentum factum: nam rationes inferiores entis non habent aliquid commune, in quo conueniant pręter ipſam rationem entis, vndè ex hoc fit, quòd non poſſint eſſe ratio materialis obiecti, niſi ſecundum propriam rationem, quam vnaquæque dicit, & non ſecundùm aliquam rationem communem; at inferiora ſecundùm proprias rationes non poſſunt eſſe ratio materialis obiecti, ita vt ens ſit ratio formalis, quia reſpectu illius ſe habent tanquam actus contractiui, & determinatiui ipſius entis, & ens ſe habet vt quid determinabile; vndè habet rationem oppoſitam rationi formali obiectiuæ, quæ eſt actus rationis materialis, & etiam inferiora reſpectu entis habent rationem oppoſitam obiecti materialis, vt potè quia ratio materialis obiecti ſe habet tanquam quid actuabile.

Inferiora non poſſunt eſſe rō materialis obiecti, & ens rō formalis.

Atque hinc elicitur valida confirmatio præcedentis rationis, Ratio materialis obiecti, & ratio formalis debent inuicem coæquari, ita vt non latius pateat vna, quàm altera; ſed vtraque habeat eamdem vniuerſalitatem, ita vt ratio materialis ſit vna, atque eadem, quæ ſuſcipiat in ſe rationem formalem, atque illam adæquet, ſic corpus, quod eſt obiectum phyſicæ materiale, habet eamdem latitudinem, quā habet natura, quæ eſt ratio formalis, nec alicubi eſt natura, vbi nō ſit corpus; nec alicubi corpus, vbi non ſit natura. Verùm nulla alia ratio ſublatis paſſionibus entis, quæ non poſſunt eſſe neque formale, neque materiale obiectum, vt per ſe euidens eſt, reperitur, quæ ſit eiuſdem vniuerſalitatis cum ente, & tàm latè pateat, ſicuti ens; ſed quælibet alia ratio, quæ aſſignetur, eſt minus vniuerſalis, & eſt contractiua entis, ergo, cum non poſsit aſsignari aliqua alia ratio, quæ adęquet latitudinem entis, & poſsit eſſe ratio materialis, aut formalis, nec etiam ens poterit eſſe ratio obiectiua ſiue materialis, ſiue formalis metaphyſicæ; atq; hæc ratio ſi rectè perpēdatur, validiſsima eſt, cum euidentiſsimè deducat concluſionem ex duobus principijs certis, quorum alterum eſt, quòd non datur alia ratio æquè vniuerſalis, ac ens; & alterum, quòd in obiecto ſcientifico debet interuenire duplex ratio materialis, & formalis, quæ inuicem adæquentur.

V. Quartò principaliter argumentor. Si ens communiſsimè ſumptum, quatenus ens eſt, vt communiter docent, eſſet obiectum formale metaphyſicę, ſequeretur, quòd res omnes, tàm quæ abſtrahunt à materia, quàm illæ, quæ non abſtrahunt, clauderentur in obiecto adæquato metaphyſicæ: vndè metaphyſica conſideraret etiam rationem corporis, rationem quantitatis dimenſibilis, nec darentur aliæ partes Philoſophiæ; hoc autem nōn poteſt dici, quia cum metaphyſica habeat commenſurationem cum obiecto, quod abſtrahit à materia, non poteſt ferri extra ea, quæ abſtrahunt à materia, vt eſt omninò certùm. Principalis ſequella declaratur; nam ratio formalis obiecti, cum ſit illa, ſecundùm quām obiectum attingitur à ſcientia, & quæ ſpecificando ſcientiam ponit debitam commenſurationem, & correſpondentiam inter ipſam, & obiectum, ſequitur, quòd ſcientia poſsit ferri in ea omnia, quæ participant talem rationem formalem, cum per ipſam reddantur proportionata, vt attingantur à tali ſcientia: vndè ratio formalis eſt illa, quæ trahit omnia, quę ipſi ſubſternuntur, in conſiderationem talis ſcientiæ; ſic quia natura eſt ratio formalis obiectiua phyſicæ, quicquid participat naturam, eſt obiectum phyſicæ, & quia ratio dimenſionis eſt obiectum mathematicæ, quicquid illam participat, pertinet eſt ad obiectum mathematicæ: & eadem inductio fieri poteſt in cœteris. Cum ergo ratio entis vt ſic, intrinſecè imbibatur in qualibet re, ſiue abſtrahat, ſiue non abſtrahat à mteria, ſi eſt ratio formalis obiectiua, à qua ſpecificatur metaphyſica, oportet, quòd omnia ſpectent ad obiectum ipſius, quia ex vi illius habebunt debitam proporionem, etiam ſi quælibet formalitas præciſè accipiatur.

Quarta ratio.

Q̄ō res oēs eſſent obiectū metaphyſ. cū ſi ens eſſet rō formalis obiecti.

VI. Deniq; argumentor. Metaphy

Quinta ratio.

quia

fica est specialis scientia habens specialem modum tendendi diuersum à cæteris, ergò oportet etiam, quòd habeat diuersum obiectum, dicens specialem modum scibilitatis, & quod speciali modo tendentiæ petat attingi, quantum est ex vi suæ rationis formalis; scientiæ enim specificantur ab obiecto, & in ordine ad ipsum habent, quòd tali modo, vel tali procedant, quia nimirum habet talem determinatam scibilitatem, quæ ab omnibus alijs contradistinguitur, vndè etiam obiectum metaphysicæ propter eamdem rationem habet modum peculiarem scibilitatis. Hinc autem deducitur, quòd non possit esse ens, prout dicit communissimam rationem entis; vt enim tale est, nullam aliam scibilitatem habet præter communissimam, atque transcendentalem, quæ in qualibet alia determinata scibilitate imbibitur, & sicuti ens non constituit speciale modum essendi, sed solum dicit primum fundamentum realitatis; ita neque scibilitas, quæ consequitur ens, potest dicere aliquem determinatum modum scibilitatis, sed dicet fundamentum totius scibilitatis, & proindè non poterit esse specificatiuum peculiaris scientię, quæ petit specificari à peculiari modo scibilitatis, & consequenter, cum ens non dicat hunc peculiarem modum scibilitatis, qua specificet metaphysicam, non poterit esse eius obiectum.

Ens vt sic non dicit peculiarē modum scibilitatis.

VII. Hinc supra disp. 8. sect. 3. diximus, quòd ens prout est obiectum metaphysicæ, non dicit rationem communem scibilitatis, sed aliquem peculiarem modum, alioquin non posset esse species obiecti scientifici, quia non haberet supra se aliquam aliam rationem scibilitatis, quæ staret loco generis. Verùm, quia cognosci sequitur esse, non potest peculiaris modus scibilitatis fundari in alio, quàm in peculiari modo essendi, & ideò ens, cum non dicat hunc peculiarem momodum essendi, quo fundet huiusmodi scibilitatem, nec etiam poterit esse obiectum metaphysicæ; quod etiam potest cōfirmari. Cognoscibilitas illa, quam dicit ens, quia est transcendentalis, imbibitur intrinsecè in quolibet alio peculiari modo cognoscibilitatis, & consequenter etiam in qualibet alia scibilitate specificatiua aliarum scientiarum, quomodo autem ratio scibilitatis specificatiua vnius scientiæ potest imbibi in ratione specificatiua alterius, cum debeant ad inuicem contradistingui, alioquin neque scientiæ contradistinguerentur? Rursus si hæc ratio scibilitatis in communi est sufficiens, & apta, vt specificet metaphysicam, vbicunque reperiatur, illam specificabit, atque constituet in suo esse; & consequenter, cum reperiatur etiam in scibilitate specificatiua aliarum scientiarum, vt quid intrinsecè imbibitum, specificabit simul metaphysicam, atque aliam scientiam; quod quam absurdum sit, satis patet ex eo, quod metaphysica est scientia ab alijs contradistincta, & cum ipsis non potest conuenire in vnam scientiam.

Statuitur propria sententia.

SECTIO III.

I. VT tandem declaremus, quodnam sit hoc ens, quod est obiectum metaphysicæ, & simul rationem materialem, & formalem obiectiuam exponamus. Dicendum est primo ad obiectum materiale pertinere totum illud esse rerum, quod abstrahit à materia, ita vt in obiecto adæquato claudatur siue tanquā partes, & principia obiecti, siue vt obiectum, siue tanquam passiones. Quòd si præcisè materiale obiectum inquirimus, prout dicit præcisam rationem materialem obiecti, illam esse statuendum est, quę importat quidditatem rei præscindentis à materia. Hæc conclusio mihi videtur omninò certa. Et quod spectat ad primam partem facilè declaratur: nam certum est; quòd omnia, quæ abstrahunt ab omni materia, continentur sub obiecto metaphysicæ, & ab illa per se considerantur, se habent tanquam obiectum, vt quod; cum etiam principia obiecti, atque passiones ipsius per se considerentur à scientia; vndè cum solum metaphysica consideret per se, quæ abstrahunt à materia, oportet, quòd in his includatur nedum obiectum, sed etiam principia, atque passionenes ipsius.

Prima conclusio.

Quicquid abstrahit ab materia est obiectū materiale metaphysicę.

II. Quòd verò spectat ad alteram partem: quòd nimirum ratio materialis obiecti sit quidditas abstrahens ab omni materia, facilè etiam declaratur si aduertamus, quòd aliud est loqui de obiecto materiali completè sumpto, & quòd vt quod consideratur, & aliud loqui de ratione materiali obiecti. Obiectum enim non adæquat, vt diximus, totum id, quod per se consideratur ab aliqua scientia,

vt sunt passiones, & principia obiecti, quæ per se considerantur; ratio verò materialis obiecti, quia veluti se habet, vt quo, & incompleto modo, proportionaliter, & suo modo adæquat totum id, quod per se consideratur à scientia, & cum quadam proportione reperitur in omnibus. Quod potest declarari exemplo obiecti physici, quod ponitur esse corpus, & consequẽter ratio materialis obiecti est corporeitas; huiusmodi autem corporeitas nedũ conuenit corpori, sed etiam suo modo principijs ipsius, & cũ quadã proportione, atq; etiam eius passionibus; nam materia, & forma sunt principia corporea, cum enim concurrant, vt quo, ad constituendũ corpus, & tanquã elementa, oportet, ꝙ vnũquodq; participet aliquam rationẽ partialem corporis, quæ sit principium constitutiuum illius, & hoc modo etiã principia participant aliquam rationẽ corporeitatis. Simili etiã modo passiones corporis aliquo modo participãt rõnem corporis, nã ex natura sua habent, quòd consequãtur corpus, & proindè intrinsecè dicunt quamdam commensurationem cum corpore, quæ facit eas esse aliquo modo corporeas. Vt ergo ad propositum nostrũ redeamus. Quidditas, rei abstrahẽs omninò à materia, est ratio materialis obiecti metaphysici, quia hæc, est ratio quædam, quæ conuenit vnicuiq; quod omninò abstrahat à materia, & per se consideretur à metaphysica, & non alteri, ꝙ sit extra talẽ abstractionem, & proindè est ratio quædam communissima, quę complectitur omnia, quæ ꝑ se ad metaphysicam spectant, & est apta, vt substernatur rationi formali obiectiuę, quia hæc suo modo conuenit omnibus, quæ per se ab aliqua scientia considerãtur, vt de ratione obiectiua metaphysicæ infra declarabimus. Ex eo autẽ, quòd hæc quidditas abstrahit à materia, habet peculiarem modum essẽdi, quo à cæteris entibus contradistinguitur; & ideò est apta vt constituat obiectum metaphysicæ.

II. cõcl. Quidditas cõpleta abstrahẽs à materia obiectũ materiale vt quod

III Secundò dicendum est; obiectum metaphysicę materiale, quod, vt quod cõsideratur, esse quidditatem completã abstrahentẽ à materia. Nomine aũt quidditatis cõpletæ, non intelligitur quidditas, quæ sit cõpleta omninò, sed q̃ se habeat tanquã aliq totũ coalescens ex suis principijs quidditatiuis, quę tanquã intrinseca elementa concurrant, per modũ actus, & potentiæ metaphysicæ ad constituendam aliquã naturam se habentẽ per modum totius, & per se stantis. Et quamuis hæc conclusio noua videatur, existimo tamen necessariam esse ad rectè declarandum obiectum metaphysicę, & constituendum conformiter ad ea, quæ ex vi obiecti vt sic necessaria sunt, & insuper esse iuxta mentem Arist. & ex eius doctrina desumi, quod vt plaunm fiat, nonnulli textus considerandi sunt.

IV Imprimis autem 4. metaph. tex. 1. docet; quod metaphysica habet pro obiecto ens, inquiens. *Est scientia quadã, quæ speculatur ens, prout ens est*. Deinde in tex. sequentibus cõsiderat quotupliciter aliquid dicatur ens, & alia multa disputans, etiam in libris sequentibus, quæ ad propositum nostrũ non faciunt, in lib. 5. tex. 13. diuidit ens in per se, & per accidens, & tex. 8. lib. 6. excludit ab obiecto metaphysicæ ens per accidens, de quo non potest esse scientia, & deindè inquit, quod illud ens considerari debet, quod habet principia, & causas. Eius verba, quę supra retulimus, sunt *Propter quod hæc quidem* (hoc est entia per accidens) *prætereantur, consideranda aũt sunt ipsius entis causa, & principia, prout ens est*. Ex quib. cõstat, ꝙ cõstituit pro obiecto metaphysicę ens, ꝙ coalescit ex principijs intrinsecis, ꝙ nullum aliud esse potest, quàm quidditas cõpleta, quæ se hẽat ꝑ modũ totius

Aristot. mẽt. circa obiectũ metaphysicæ.

V. Verùm hoc clarius ex sequẽtibus desumitur, nam lib. 7. tex. 1. docet, quem admodũ ens per se multipliciter dicatur, & præcipuè ait significare. Quod quid est & hoc ꝙ quid significare substantiã, & esse præcipuè ens, nã tex 2. ita habet. *Cum aũt ens toties dicatur, patet primũ horum ens esse ipsum quid est, quãdoq; substantiã significat* Et tex. 4. subdit *Quare quod primò est ens, & nõ aliquid ens, sed simpliciter ens, substantia*. Atq; hinc infert, quòd ad metaphysicum spectat agere de hoc solo, tanquã de obiecto; quia enim hoc solum considerat tanquã obiectũ, potest dici, ꝙ de solo agat metaphysicus, quamuis alia consideret, vel tanquam principia; vel tãquam passiones obiecti. Et hic est legitimus sensus illius tex. 5. eiusdem lib. 7 quẽ paulo aliter supra expofuimus, vbi loquens de hoc esse, quod dixit esse substantiam, inquit. *Quare nobis quoq; maximè & primum, & solum, vt ita dicam de ente hoc pacto, quidnam sit, speculandum est*. Constat ergò, quòd hoc ens, quod est substãtia, cõstituit pro obiecto metaphysicę.

VI. Quia tamen opinari quis posset,

quod per substantiam illam intelligeret, quæ contradistinguitur ab accidenti, atque adeò excluderet accidens ab obiecto metaphysicæ. Ideò vt declaret de quanam substantia intelligat, tex. 7. eiusdem libri docet, quomodo pluribus modis substantia accipiatur, inter quos enumerat quidditatem, quæ nomine substantiæ significatur. Et per hoc *Quid est* intelligit definitionem, quæ per principia intrinseca explicet essentiam rei; vt colligitur ex tex. 11. vbi ait *At primo quædam de eo logicè dicamus, quod illud est, quod quid erat esse vnumquodque, quod secundum se dicitur* & tex. 13. *Quare quod quid erat esse illorum, & quorumcunq; ratio est definitio*. Quod etiam confir. tex. 20. dum inquir. *Nam & vnumquodq; non videtur aliud à sua substantia, & ipsum quid erat esse dicitur esse vniuscuiusq; substantia* Imò tex. 18. antecedenti dixerat *Patet igitur, quòd solius substantiæ definitio est*. Per substantiam ergò intelligit rei quidditatem definibilem; & consequenter, quæ constet suis principijs intrinsecis, & cū hanc seu, ipsum quid est dicat esse obiectum metaphysicæ, iam obiectum metaphysicæ ex mente ipsius erit quidditas se habens per modū totius, cōstās ex suis partib. intrinsecis essētialibus

Rō formalis obiecti metaphysici.

VII. Atq; hinc etiam facilè explicari potest ratio formalis obiectiua, cū enim quidditas abstrahens ab omni materia acquirat peculiarem modū essendi, acquirit etiam peculiarem modū scibilitatis, etenim scibilitas consequitur ad esse rei, atq; illi proportionatur. Hęc igitur scibilitas est ratio formalis obiectiua metaphysicę, quæ principaliter reperitur in quidditate cōpleta, quā diximus esse obiectū metaphysicæ, & suo modo, atq; cū quadā proportione in principijs, & passionib. talis quidditatis cōpletę, quatenus scilicet passiones habent cōmensurationem cū q̄ddi tate cōmpleta, atq; principia concurrūt, vt quo ad eius constitutionē. *Si aūt* quæratur, quidnam sit hęc rō formalis; quę importat talē scibilitatē. Respōdendum est. Esse peculiarem illum modū essendi, quē habet res ex eo, q̄ abstrahit ab omni materia; sicuti enim res cōpleta immersa in materia ex vi sui modi essēdi habet rōnē naturæ, ita quidditas abstrahēs à materia habet suum peculiarē modū essendi, quo mediante est tali pacto speculabilis; qui nomine entis solet explicari, vtpotè quia est primus modus secundū naturā habēdi esse. & proindè cum quadā antonomasia dicitur ens, hoc est habens esse, intelligendo tamen de esse completo, quod se haber per modum cuiusdā totius, & per se stantis: principia verò, quib intrinsecè constituuntur, participant hanc rationem formalē obiectiuam, quatenus ipsa quoq; sunt intra eādē abstractionē, & cōstituūt, se exhibēdo, hūc peculiarē modū essendi. Passiones verò, quia cōmensurāur cū hoc mō essendi, & sūt intra eādē abstractionē.

Explicatur alia doctrina.

VIII. Quod autem tali pacto rectè explicetur obiectū metaphysicæ satis ex eo colligitur, quòd cessant difficultates oēs, quæ oppugnant cōmunem sententiā, constituentē pro obiecto ens communissimè sumptum. Debet enim pro obiecto constitui aliquid, quod sit intra abstractionē metaphysicam; & hoc non potest esse aliquid ita simplex, quod non sit resolubile in plures conceptus, vt probatum est supra: ergò erit aliquid compositum, cū nihil aliud remaneat; partes autē metaphysicæ erūt essentiales, & se habētes per modum actus, & potentiæ, vt cōstituant vnū p̄ se metaphysicū. Et hoc pacto saluatur, qūo obiectū habeat sua principia intrinseca; quæ necessaria sunt ad obiectū sciētificum, & qūo possit fundare principia cōplexa, ex quibus deducantur conclusiones; quomodo item assignari possit tùm ratio formalis, tùm materialis obiecti; & quomodo omnia, quæ tractantur in metaphysica, ad ipsum reduci possint, vel tanquam species, vel tanquam principia, vel tanquā passiones: vndè rationes omnes, quā pro impugnatione oppositæ sententię attulimus, possunt pro huius nostrę confirmatione proportionaliter accipi.

Proportio inter physicā & metaphysicā.

IX. Atq; hinc etiam, patet quomodo, metaphysica seruet proportionē ad physicam; quemadmodum enim physica non considerat materiam pro obiecto, neq; formam neq; aliquid aliud incōpletum, sed naturam completam in rōne corporis, & entis materialis, ita etiam metaphysica debet habere pro obiecto aliquid cōpletū intra suā abstractionē; obiectū n. scientiæ ex natura sua debet esse aliquod totum, vt possit rerū cognitionē acquirere. Accedit etiam, quod scientię considerant diuersos gradus, seu modos essendi, intra illam abstractionē, quę vnicuiq; correspōdet, cur ergò nō habebit pro obiecto illud quod est completum intra talem modum essendi, sed habebit aliquid incompletum? Cum enim scibilitas sequatur

esse

esse, completa scibilitas, quæ constituit rationem obiectiuam, cōsequentur com. pletum esse, vndè completa. & perfecta scibilitas intra talem modum essendi, & gradum abstractionis, consequetur tantum illud esse, quod intra eandem abstractionem habet esse completum; & consequenter, cum ratio obiecti dicat completam rationem scibilitatis, quę est intra talem abstractionem, oportet etiam, quòd fundetur in aliquo esse completo illius abstractionis. Rursus quidditas completa habet nobilius esse, & pro inde conuenientius statuitur pro obiecto metaphysicæ, quàm ratio simplex, & incompleta. Denique confir. Tale obiectum metaphysicæ est tale compositum metaphysicum, vt sunt omnes species particulares, quæ abstrahunt à materia; sunt enim singulæ obiecta partialia metaphysicę ergo oportet quòd obiectū totale, & vt sic in comune sumptum, sit cōpositum metaphysicū vt sic, nec poterit esse aliqua rō simplex, qm̄ tale obiectū debeat seruare proportionem ad obiectū vt sic, & econtra obiectum vt sic ad tale obiectum; & huiusmodi Proportio est omnino necessaria; consistit autem in hoc, quòd illud, quod dicit in communi obiectum, vt sic, dicat secundum gradū determinatum tale obiectum; & econtra quod dicit tale obiectum secundum gradum determinatum, dicat obiectum vt sic secundum gradum communem. Si ergo tale obiectū dicit tale quidditatē cōpletā ex talibus principiis metaphysicis, debet obiectum vt sic dicere quidditatē cōpletam vt sic ex principiis metaphysicis, in communi consideratis; atque hæc consequentia ducta ex proportione euidens est, & omnino necessaria.

Resoluuntur quædam difficultates

SECTIO. IV.

I. Restat, vt ad maiorem facilitatem nonnullas difficultates explicemus. Et prima est, quòd ens debet considerari per se à metaphysica, cum sit intra eius abstractionem; si autem non consideratur tanquam obiectum, nō apparet, quonam alio modo considerari possit. Non enim considerari potest tanquam species obiecti, quia non habet aliquid supra se respectu cuius sit species: non potest per se considerari tanquā passio, quoniam, cum sit omnium prima ratio, nō potest esse aliquo posterius, respectu cuius sit passio, & multò minus respectu quidditatis completæ: sed neque tanquam principium obiecti, quia principia obiecti debent ad inuicem contradistingui, ita vt vnum sit extra aliud, & aliquid conferat vnum, quod nō conferat aliud, ens autem cum sit transcendens, imbiberetur vt intrinsecum constitutiuum in suo comprincipio. Deinde, & augetur difficultas, quoniam ideò illa quidditas completa est obiectum, quia fundat talē scibilitatem, ens verò solam cognoscibilitatem trascendentalem dicit; & ideò fundat talem scibilitatem, quia habet talem abstractionem, & talem modū essendi ex vi talis abstractionis, ergo cum etiam ens sit intra talem abstractionem, habebit eundem modum essendi, & fundabit peculiarem scibilitatem, quā constituatur in esse obiecti;

Prima difficultas.

II. Hæc quidem difficultas alicuius est momenti. Certum est enim, quòd ratio entis communissima debet per se considerari à metaphysica, & quòd nullo ex illis modis enumeratis considerari potest, vt rationes tactæ in difficultate conuincunt; vndè aperiendum est, quomodo aliquo alio modo considerari possit, quē non erit difficile inuenire, si consideremus, quòd ens non dicit aliquem determinatum modum essendi, sed tantum primum quo vnūquodq; cōstituitur in esse reali; cum igitur vnumquoque considerari debeat à scientijs, sicuti est, oportet, quòd ens quoque consideretur eo pacto, quo se habet ad res metaphysicas, intra quarum abstractionem reperitur. Itaque considerabitur tanquā ratio vniuersalissima, in qua non solum realitas obiecti fundetur, sed etiam principiorum, atque passionum, & omnis alia realitas. Et licet, nedum sit fundamentum realitatis, quam habet obiectum metaphysicæ, sed etiam illius, quam habent obiecta cœterarum scientiarum, debet tamen vt tale fundamentum considerari à metaphysica, quia est intra eius abstractionem.

Qōp ens communissimè 'a nptū à metaphysica considerctur.

III. Ad aliam aūt partē difficultatis dicendum est, verū quidē esse, quòd ex abstractione ab omni materia oritur talis modus scibilitatis, quo specificatur verùm quia illa scibilitas non fundatur in abstractione formaliter sumpta, sed in esse, quod abstrahitur; ideò requi-

quare, & vnde propria scibilitas obiecti metaphysici

requiritur etiam esse proportionatum ad illum fundandum; hoc autem esse est quidditas completa, & se habēs per modum totius; cœtera verò, quæ sunt intrà eamdem abstractionem, proportionaliter ad suum esse fundant eumdem modum scibilitatis. Quemadmodum etiam in rebus physicis, ratio naturæ, quæ fundat peculiarem modum scibilitatis, quã dicit obiectum physicæ, vt talis est, fundatur in corpore physico, proportionaliter verò in principijs constitutiuis illius; ita etiam ille modus scibilitatis, quem dicit obiectum metaphysicæ, etiam suo modo fundatur in principijs constitutiuis illius; imò in ente communissimè sumpto, verùm sicuti ens est primum fundamentum illius realitatis, quam dicit obiectum metaphysicæ, ita etiam ratione intelligibilitatis transcendentalis fundat tantum, non autem formaliter dicit proprium modum scibilitatis obiecti metaphysici, quia ingreditur, vt diximus, abstractionem metaphysicam solùm tanquam fundamentum tùm realitatis, tùm cognoscibilitatis.

II. difficultas. IV. Secunda quoque difficultas se tenet ex parte ipsius entis. Ens enim communissimè sumptum habet suas passiones de seipso demonstrabiles; Licet enim quicquid assignetur pro passione sit ens, tamen saltem secundùm conceptum explicitum inadæquatum dicunt aliquid amplius, quàm dicat ens secundũ suum conceptum inadæquatum explicitum, & præcisum; nec necessarium est, quòd sint realiter distinctæ, quia ad passiones metaphysicas sufficit fundamentalis distinctio, & virtualis consequutio à subiecto, vt possint de ipso demonstrari; quemadmodum etiam in Deo attributa demonstrantur de ipso, quamuis realiter non distinguantur, quia ad scientiam sufficit causa virtualis, & quæ solùm sit aliqua ratio prior illa alia, quæ demonstratur. Cum ergo ens habeat passiones de seipso demonstrabiles, erit obiectum metaphysicæ.

Quid requiratur ad obiectũ scientiæ, & an sufficiat q̃ hẽat passiones. V. Sed hęc quoq; difficultas ex eodem principio soluenda est, quo superiorem soluimus. Dicimus ergo, quòd ad obiectum scientiæ non sufficit habere passiones, alioquin materia, & forma essent obiectum physicæ; quod tamẽ est falsum, cum sint principia obiecti. Oportet ergo, quòd obiectum se habeat tanquam, vt quod, & per modum totius coalescentis ex suis principijs intrinsecis; & quòd participet completè rationem formalem obiectiuam, qua cõstituitur talis peculiaris modus scibilitatis, quam principia constitutiua obiecti non participant, nisi tantũ inchoatiuè, quẽ modum etiam sunt tantùm inchoamenta illius modi essendi, quem dicit obiectum. Insuper requiritur, quòd obiectum habeat passiones, quæ consequantur ex vi rationis formalis obiectiuę. Hęc autem non reperiuntur in ente. Nam, cum ens non dicat peculiarem modum essendi, aut scibilitatis, sed tãtum fundamẽtũ realitatis, & scibilitatis, vt in respõsione ad pcedentẽ difficultatẽ explicatũ est, sit quod non habeat passiones, quæ consequantur ex ui alicuius rationis formalis obiectiuæ; neque quæ comensurentur cum aliquo determinato gradu entis, sed solùm quędam vniuersalia inchoamenta passionum proportionata ipsi principio; non enim passiones possunt esse magis determinatæ, quàm sit radix; & idcircò, quamuis suo modo sint de ente demonstrabiles, non sufficiunt tamen, vt constituant illud in esse obiecti, prę sertim cum potius debeant declarari, quomodo ipsi conueniant, quàm demostratione propria demonstrari, cum non adsit definitio, per quam demõstrentur, sed solùm conceptus entis assignetur pro radice ipsarum.

VI. Tertia difficultas nedum vrget nostram sententiam, sed etiam communem; non enim apparet, quomodo ens, III. difficultas. aut quidditas completa abstrahẽs à materia possit constitui pro obiecto metaphysicæ, quoniam vtrumque inuoluitur in inferioribus, quæ ab alijs scientijs considerantur tamquam intrinsecum constitutiuum illorum; dum autem cœteræ, explicant, & manifestãt naturas inferiorum, explicabunt etiam has rationes superiores tanquam constitutiua partialia suorum obiectorum; cum ergo cognoscantur per aliquam scientiam, non possunt constitui pro obiecto alterius; quod enim per se spectat ad vnam scientiam, vel tamquam obiectum, vel tamquam pincipium obiecti, vel tamquam passio, non potest cõstitui pro obiecto alterius scientiæ, præsertim cum in priori sit perfectè cognitum. Atque hæc difficultas fieri potest etiam cõtra existentiam metaphysicæ; quia si hæc duo non possunt esse obiecta, nec etiam adest aliud, quod

abla-

pro obiecto constituatur, & proinde ablato obiecto, tolletur quoque ipsa scientia.

Modus quo intellectus nostri cognitionē assequitur. VII. Huic difficultati facilè occurritur, si attendamus modum procedendi nostri intellectus in acquirenda rerum cognitione; cum enim imperfecto modo cognoscat, nec res attingat intrinsecè, vt sunt in seipsis, sed per plures conceptus distinguendo, earum cognitionem assequatur; hinc fit quòd modò secundùm vnam rationem illas speculetur, modò secundùm aliam; & dum secundùm vnam rationem attingit, non attingat secundū aliam, atque ex vi huius diuisionis, qua in plures formalitates partimur res ipsas, sequuntur etiam diuersæ abstractiones, vt supra explicatum fuit, atque consequenter, dum intellectus attingit rem, prout est intra vnam abstractionem, non attingit prout est intra aliam. Ex hoc ergo fit, quòd quidditas completa possit constitui pro obiecto metaphysicæ, nam quamuis imbibatur in obiectis aliarum scientiarum, non tamen attingitur ab ijs, quia habet diuersam rationē formalem, atque abstractionem; vndè restat, quòd possit constitui pro obiecto metaphysicæ, tāquam scientiæ superioris. Physica enim, & Mathematica, quando contemplantur proprium obiectum, non egrediuntur illam precisam rationem, quam considerant, quæ non dicit totū esse rei, sed aliquam formalitatem, & proinde Arist. 4. Metaph. tex. 1. de his scientijs inquit, *Sed eius* (hoc est entis) *aliquam partem abscindentes, quod ei accidit, speculantur, vt mathematicæ scientiæ* atque solùm huius gradus entis, quem speculantur, vt tale est, principia considerant; sic physica solùm considerat principia corporis, vt corpus est, non autem omnia principia illius entitatis. (Arist.)

Alia difficultas expeditur. VIII. Atque hinc etiam solui potest alia difficultas, quæ fieri solet contra obiectum metaphysicæ. Quòd nimirum ens non præscindit à conceptu inferiorum, sed in illis includitur; & per consequens nō habet passiones à passionibus inferiorum distinctas; & ideò neque potest esse obiectum ab inferioribus contradistinctum. Hec enim difficultas non procedit contra nostram sententiam, qui ponimus pro obiecto metaphysicæ quidditatem completam præscindentem à materia, sed contra illos, qui statuunt pro obiecto ens communissimè sumptum. Sed neque contra ipsam aliquid concludit, nā falsum est, quòd ens nō præscindat ab inferioribus, vt suo loco ostendemus; atq; si non præscinderet omninò, saltem præscinderet aliquo pacto secūdū conceptum suum explicitū, ad quem consequentur propriæ passiones transcendentales, quod sufficeret, vt posset esse obiectum, nisi aliquid aliud obstaret. Maneat ergo, Ens abstrahens ab omni materia esse obiectum metaphysicæ, & per ens non intelligi cōmunissimam rationem entis, sed quidditatem completam, quæ cōstat ex suis principijs intrinsecis, & se habet per modum cuiusdam totius: ita vt ratio materialis obiecti sit tale esse, ratio verò formalis ille modus essendi, quem habet ex vi talis abstractionis; ens verò vniuersalissimè sumptum spectare ad metaphysicam tanquam fundamentum sui obiecti, atque omnis realitatis.

An Deus contineatur sub obiecto Metaphysicæ. Disp. XVIII.

Quid sentiant Auctores.

I. DEum non esse obiectum adæquatum metaphysicæ, ostendimus supra disp. 15. sect. 4. nunc inquirimus, an cōtineatur sub obiecto, metaphysicę. Et quidem communiter asserunt contineri, quia Deus quoq; abstrahit ab omni materia, & metaphysica considerat etiam Deum, atque de illo agit Aristot. 12. metaph. tanquam de primo principio, & vltimo fine. Et fundamentum huius sententiæ est, quia Deus saltem analogicè participat rationē entis, quæ est ratio obiectiua metaphysicæ, & est intra eamdem abstractionem. Aliqui verò addunt, quòd Deus est obiectum attributionis in metaphysica, atque cætera obiecta partialia, quæ à tali scientia considerātur, considerari in ordine ad Deū (Cōis sententia.) (Aristot.) (Deū esse obiectū attributionis simul cū substantia.)

tan-

tamquam ad primum, & principale ob obiectum.

II. Atque hanc sententiam sequitur Hurtad. præcipuè Hurtad. disp. 1. Metaph. sect. 3. subsect. 1; & sequentibus: addit tamē obiectum attributionis non esse solum Prob. primò. Deum, sed etiam intelligentias, atque ita explicat illam sententiam, quam supra disp. 15. sect. 1. retulimus constituentem pro obiecto metaphysicæ substantiam immaterialem. Fundat autem suam sententiam primo in eo, quod ens, & substantia in compositione metaphysica sunt partes per se respectu Dei, & Angelorum, vnde cum partes cognoscãtur in ordine ad totum, vt partes hominis in ordine ad ipsum hominem; vnaquæque enim res ita debet cognosci, sicuti habet esse, sequitur, quod ens quoque, & substantia tanquam partes debeant cognosci in ordine ad Deum, & Angelos. Secūdò. Secundò, dum metaphysicus agit de Deo, & Angelis, conatur assequi perfectam cognitionem illorum, quod signum est, metaphysicam ordinari ad habendam talem cognitionem perfectam; hęc autem perfecta cognitio non potest haberi, nisi cognoscantur omnia prędicata quidditatiua illorum, & consequenter etiam ens, & substantia tamquam partes illorū, vndè quando considerantur à metaphysica, considerantur in ordine ad Deum, & Angelos. Quod si quis dicat, etiam physicam tendere ad perfectam cognitionem de homine, non tamen considerare ens, aut substantiam, quamuis sint prædicata quidditatiua illius. Respondet, quòd physica est scientia particularis, considerans ens corporeum, non autem ens vniuersale: & ideò considerat tantum prędicata, quæ illi conueniunt, vt corporeum Tertiò. est. Deinde tertiò arguit, quòd substantia immaterialis est omnium perfectissima, & ideò omnia, quæ tractantur in metaphysica debent reduci ad ipsam.

III. Cæterum sect. 4. eiusdem disp. uidetur aliam sententiam tenere, nam ibi ponit secundam conclusionē, in qua statuit, quòd *Deus* solum sit obiectum adæquatum attributionis in metaphysica, vnde non satis percipio mentem huius auctoris, nec quomodo sibi constet. quod autem solus Deus sit obiectum adę quatum attributionis confirmat in primis auctoritate *D.* Th. qui 3. contra Gent. cap. 25. docet, Metaphysicam ordinari totam ad *Dei* cognitionem tanquam ad vltimum finem, & 1. 2 quęst. 66. art. 5. in corpore docet, quòd obiectum metaphysicę pręcellit inter obiecta omnium virtutum intellectualiū, cum consideret causam altissimam, nempe Deū, & in respon. ad 4. docet Ens, & quæ ad ipsum consequuntur pertinere ad metaphysicam, quia ens communissimè sumptum est proprius effectus causę altissimę nempè Dei. Deū esse obiectū adæquatū attributionis.

IV. Hinc etiam vtitur ratione, quia nimirum illud est obiectum adæquatum attributionis in quacumq; scientia, ad cuius cognitionem refertur cognitio eorum, quæ in illa scientia tractantur. Si enim propter eius cognitionem cœtera disputantur, quomodo non erit finis aliorum obiectorum? Huiusmodi autem est Deus in metaphysica; nam sicuti cognitio Dei est noster vltimus finis naturalis, ita etiam operationes omnes debent ad talem cognitionem ordinari. Neque hinc sequitur, inquit ipse, quamuis cognitio cœterarum facultatum ad Dei cognitionem ordinetur, quòd Deus sit obiectum attributiones aliarum scientiarum, quia non consideratur tamquam obiectum ab illis scientijs, sed à sola metaphysica. Confr. in Theologia cognitio Angeli refertur ad cognitionē Dei, quia agitur de ipso, vt de effectu *Dei*, respiciente Deum vt vltimum finem, ergo eodem modo etiam in Metaph. *Deus* erit obiectum attributionis, quia agitur de coeteris, prout respiciunt Deum tanquam vltimum finem.

V. Coeterum quamuis D. Th. pluribus in locis asserat, quòd *Deus* contineatur sub obiecto metaphysicæ, tamen alibi etiam docet, non contineri: in proemio enim Metaphysicæ habet, *Vndè oportet, quòd ad eamdem scientiam pertineat considerare substantias separata, & ens commune, quod est genus, cuius sunt prædicta substantia communes, & vniuersales causa. Ex quo apparet, quòd quamuis ista scientia prædicta tria consideret, non tamen considerat quodlibet horum vt subiectum, sed ipsum solum ens commune. Hoc est enim subiectum in scientia, cuius causas, & passiones quærimus, non autem ipsa causa alicuius generis quæsiti.* Et hoc ipsum euidentissimè habet in opusc. 70. sup Boet. de Trinit. vbi docet, quod Deus, & intelligentiæ non considerantur à metaphysica, tanquam obiectum, sed solum tanquam principia Alens D. Tho.

extrin-

extrinseca, cuius verba libet hic referre, vt eius mens manifestior fiat, ibi enim in quæst. de diuisione speculatiuæ scientiæ ar. 4. in corpore ait *Huiusmodi ergò res diuinæ, quia sunt principia omnium entium, vt sunt nihilominus in se naturæ completæ, dupliciter tractari possunt. Vno modo prout sunt principia communia omnium entium; alio modo prout sunt in se res quædam. Quia autem huiusmodi prima principia, quamuis in se sint maximè nota, tamen intellectus se habet ad ea sicut oculus noctuæ ad lumen solis, vt dicitur 2. Metaph. Per lumen naturalis rationis peruenire non possumus in ea, nisi secundum quod in ea per effectus ducimur & hoc modo Philosophi in ea peruenerunt, sicut dicitur Rom. 1. Inuisibilia Dei, &c. Vnde, & huiusmodi res diuinæ non tractantur à philosophis nisi prout sunt rerum omnium principia, Et ideò pertractantur in illa doctrina. in qua ponitur, quæ sunt communia omnibus entibus, quæ habet subiectum ens, in quantum est ens, & hæc scientia apud ipsos scientia diuina dicitur*. Hæc D. Thom.

VI. Et paucis interiectis statim subdit. *Sic igitur Theologia, siue scientia diuina est duplex; vna, in qua considerantur res diuinæ non tanquam subiectum scientiæ, sed tanquam principium subiecti, & talis, est Theologia, quam Philosophi prosequuntur, quæ alio nomine metaphysica dicitur. Alia verò, quæ ipsas res diuinas considerat propter seipsas, vt subiectum scientiæ, & hæc est Theologia, quæ sacra scriptura dicitur. Vtraque autem est de his, quæ separata sunt à materia, & motu secundum esse; sed diuersimodè secundum quod dupliciter potest aliquid à materia esse separatum, & motu secundum esse. Vno modo sic, quod de ratione rei, quæ separata dicitur, sit. quòd nullo modo in materia, & motu esse possit. Et hoc modo Deus, & Angeli dicuntur esse à materia, & motu separati. Alio modo sic, quòd non sit de ratione eius, quòd sit in materia, & motu, sed possit esse sine materia, & motu, quamuis quandoq; inueniatur in materia: & sic ens, & substantia, & potentia, & actus sunt separata à materia, & motu, quia secundum esse à materia, & motu non dependent, sicut mathematica dependent, quæ nunquam sine materia esse possunt, quamuis sine materia sensibili possint intelligi. Theologia ergo Philosophica determinat de separatis secundo modo, sicut de principijs subiecti. Theologia verò sacræ scripturæ tractat de separatis primo modo, sicut de subiectis, quamuis in ea tractentur aliqua, quæ sunt in materia, & motu, secundum quod requirit rerum diuinarum manifestatio*. Hæc D. Thom. quæ ideò retuli, vt constet, quomodo concordet cum ijs, quæ dicturi sumus, quæ nunc mihi magis certa videntur, quàm cum ea alias tradidi, nondum hac D. Thom. auctoritate reperta. Et propter hæc etiam Flandria 1. Metaph. quæst. 1. docuit obiectum Metaph. esse solum ens, quod diuiditur in decem prædicamenta, vt supra disp. 15. sect. 5. num. 9. retulimus. Flādria

Quædam adnotationes pro vera sententia.

SECTIO II.

I. VT veram sententiam aperiamus, iacienda sunt quædam fundamenta, quibus ea, quæ dicturi sumus innitantur. Vt ergo ab ijs, quæ certa sunt incipiamus. Sciendum est, supposito, quòd ad vnitatem obiecti scientifici sufficiat attributio, ita vt constituatur vnum principale obiectum, ad quod cætera dicant attributionem, & ideò ab eadem scientia considerentur; non sufficere quamcunq; attributionem, alioquin, quia oīa dicunt attributionem ad Deum tanquam ad vltimum finem, constituenda tantum esset vnica scientia, quæ res omnes secundum quamcunque rationem acceptas haberet pro obiecto, & obiectum principale attributionis esset Deus. Sed si sufficit attributio, oportet, quòd sit intra eamdem abstractionem, hoc est inter res, quæ sint intra eamdem abstractionem; & secundum eamdem rationem formalem obiecti. Atque hæc attributio ad nihil aliud deseruit, nisi ad constituendam vnitatem obiecti, & proindè non facit, quòd alia obiecta partialia considerarentur tanquam partes obiecti attributionis, sed adhuc per se considerantur tanquam obiecta; & eorum quoque principia, & causæ inquiruntur: non secus ac in obiecto principalis attributionis. Imò obiectum principale attributionis, quamuis dignitate excedat alia obiecta, se habet tamen tanquam partiale obiectum, quod sub obiecto totali continetur; vndè debet concedi ratio com-

Quid requirat ad attributionē, si modo ea sufficiet ad vnitatem obiecti scientifici.

munis

munis obiectiua, quæ in se complectatur tùm obiectum attributionis, tùm cœtera obiecta partialia. Hinc colligitur, non rectè Hurtadum procedere, dum asserit, quòd metaphysica considerat tantum per se Deum, cœtera verò, quatenus solùm ad Deum ordinantur: ex hoc enim sequeretur, quòd cœtera non considerarer tanquam obiecta, sed solùm, vt quid ordinatum ad obiectum.

Reiicit doctrina Hurtadi.

II. Atque hinc argumentor contra Hurtadum, & inquiro de ratione obiectiua formali metaphysicæ, quæ nam illa sit, an aliquid commune Deo, & cœteris entibus creatis, an verò aliquid proprium solius Dei, quod conueniat tantum Deo, vt Deus est. Si primum admittit, ergo omnia quæcunque participant illam rationem obiectiuam communem, per se primò à metaphysica considerantur, nam per se primò tendit in suum obiectum formale secundùm totam suam latitudinem: vndè cœtera creata non considerabit, quia ordinentur ad Deum tanquam vltimum finē, aut quia sint effectus illius; sed quia participāt rationem formalem obiectiuam metaphysicæ; est enim hæc ratio obiectiua illa, quæ, vt quo, facit, quòd vnumquodque à sua scientia consideretur. Si verò admittat secuudum, & asserat, quòd ratio formalis obiectiua est quid proprium ipsius Dei, ex hoc sequeretur, quòd posset metaphysica solum Deum considerare, quia nulla scientia aur porentia potest ferri extra suum obiectum adæquatum, & quemadmodum metaphysica non potest considerare corpus ex eo, quod habet diuersam rationem obiectiuam ab ea, quam ipsa habet, sic etiam, quia Deus haberet diuersam rationem obiectiuam ab ea, quàm habent creata, non posset ferri in res creatas. Deinde ratio formalis obiectiua oritur ex vi abstractionis, vndè debet adæquare ea omnia, quæ sunt intra eamdem abstractionem.

Ordo creaturarū ad Deū tanquā causā, aut finē nō facit, q res ptineāt ad sciētiā, quæ agit de Deo.

III. Præterea iam ordo ille, quem creata habent ad Deum tanquam causam vel tanquam vltimum finem, quantum est ex natura sua non facit, quòd res spectent ad eamdem scientiam, ad quam spectat Deus, nam videmus, quòd etiam res corporeæ habent eumdem ordinem, nec tamen spectant ad metaphysicam; ex quo manifestè colligitur, quòd iste ordo non est ratio, quæ res trahat ad eamdem scientiam, alioquin posito ordine, necessarium esset, quòd traherentur ad considerationem eiusdem scientiæ, sicuti trahuntur, quæ participant eamdem rationem formalem obiecti, vndè quæ considerātur à metaphysica simul cum ipso, supposito, quod ipse Deus consideraretur, deberent trahi ad ralem considerationem per aliquid aliud, hoc autem non potest esse abstractio, quia se tenet ex parte intellectus formaliter loquendo, sed erit aliqua ratio intrinseca ipsis rebus, quæ erit ratio formalis obiecti, vndè non considerabuntur in ordine ad Deum, vt volebat Hurtadus, sed per se primò, quia intrinsecè participant rationem obiecti.

IV. Verùm, vt ad propositum nostrum redeamus, secundò aduertendnm est. Certum esse, quòd distinctio obiectorum respectu scientiarum habet quidem fundamentum in ipsis rebus, formaliter tamen vltimatè fi ab intellectu nostro, ratione sui modi imperfecti cognoscendi; cum enim non cognoscat res intuitiuè, sed per discursum earum cognitionem assequatur, oportet, quòd res per plures conceptus concipiat; non autem eas vnico conceptu attingit, quemadmodum contingit in cognitione intuitiua, qualis est cognitio Angelorum, qua res in seipsis absque vlla distiuctione attinguntur. Cum ergò intellectus noster res percipiat per plures conceptus, hinc factum est, quòd distributæ sunt in plures ordines secundùm diuersas rationes formales, secundùm quas à diuersis scientiis attingerentur, & hoc modo distinctio obiectorum scienriarum prouenit à nostro intellectu cum fundamento tamen in ipsis rebus.

Distinctio obiectorū in scientiis partim ab intellectu, partim in ipsis rebus.

V. Atq; ex hoc sequitur, quòd quæcunque considerantur ab aliqua scientia, debeāt coalescere in vnum obiectum totale, & adæquatum, non solùm quià ponuntur sub eodem ordine, sed etiam quia debent habere commensurationem cum scientia, à qua attinguntur, ita vt assignari possit ratio, cur potius ad illam pertineant, quàm ad aliam. Hoc autem fit beneficio rationis formalis obiectiuæ, qua scientia specificatur; cum enim ex vi huius specificationis scientia acquirat debitam commensurationem cum obiecto proprio, hæc ratio vnit omnia, quæ illa scientia speculatur secundum vnam rationem obiecti adæquantis ipsam scientiam, ita vt quantum est ex vi suę specifi-

Rō formalis obiectiua determinat rea adralē, vel alia lē scientiam.

cationis

cationis in aliud obiectum tendere non possit, quod illi rationi formali non substernatur; & cum solùm scientia possit ferri tanquam in obiectum, in suum specificatiuum, sequitur, quòd ea, quæ non habent hanc rationem formalem, non possint attingi a scientia, vt potè quia non habent cum ipsa nececessariā pportionē; tūc non alia ratio, quam modo allata, reddi potest, cur metaphysica non possit tēdere in obiectum physicæ. Atque hęc doctrina certa omnino est apud eos, qui admittunt distinctionem scientiarum, quibus diuersa obiecta correspondeant.

Propria Sententia.

SECTIO III.

Cōclus. Deus nō continetur sub obiecto metaph. I. HIs adnotatis, statuimus, Deum non contineri sub obiecto metaphysicæ, tanquam obiectum partiale, siue attributionis, siue quocunq. alio modo Quod enim non sit obiectum totale, iam supra ostensum fuit. Sed ad summum con siderari posse à metaphysica tanquam cau sam, & principium extrinsecum sui obiecti; & tanquam vltimum finem: verùm de facto, quia adest Theologia, melius ab ipsa considerari etiam secundùm rationē primæ causæ, & vltimi finis; quia meliori modo hæc cognitio potest haberi in theologia, quam in metaphysica; & deinde quia etiam ratio primæ causæ, & vltimi finis spectant ad obiectum proprium theologiæ. Philosophi autem, quia carebant theologia, & naturaliter attingebāt Deum tanquam primam causam, & vltimum finem de ipso secundum has rationes egerunt in metaphysica, tanquam in loco magis proportionato, vt desumitur ex D. Thom. in citat. lect.

Explicatur Arist. II. Quod si quis statim obijciat Aristot; qui sæpe, docet metaphysicam considerare Deum, atque cœteras intelligentias, de quibus etiam præcipue in libro 12. metaphysic. ne nos auctoritate Arist. vrgeāt respondendū est, q̃ nunquā Arist. docet metaphysicam considerare Deum, tāquam obiectū; Et cū de ipso agat, solū prout est prima causa, & vltimus finis, colligitur, quod solum docuerit metaphysicam considerare Deum, secundùm has ipsas rationes, quas de Deo ipse considerat, si enim metaphysica consideraret Deum tanquam obiectum, oporteret, quòd declararet naturam ipsius, quod tamen non præstat, neque Arist. præstitit. Et quemadmodum etiam physica considerat Deum, vt primum motorem, neq; hinc sequitur, quòd illum consideret tanquam obiectum partiale, ita etiam ex eo, quòd metaphysica ipsum consideret tanquam primam causam, & vltimum finem, non sequitur, quòd sit eius obiectum partiale. Et similiter quoque Arist. egit de Deo in metaphysica, tanquam de prima causa, & vltimo fine, quia nondum aderat theologia, ad quam huiusmo di tractatio reduceretur meliori ordine, & maiori commoditate; imò ita rei natura exigente, nam quòd Deus sit prima causa, & vltimus omnium finis, spectat ad naturam ipsius, quæ autem spectant ad naturam obiecti, ita exigente natura obiecti debent tractari ab illa facultate, quæ agit de tali obiecto.

III. Atq; hoc verum esse existimo nō solùm iuxta nostra principia, qui posuimus obiectū metaphysicæ esse quidditatē completā abstrahentem à materia, sed etiam iuxta communē opinionē, quæ asserit, ens cōmunissimè sumptū esse obiectū. Vndè argumentor primò. Deus nō participat rōnē obiectiuā formalē obiecti metaphysici, ergò nō est obiectū partiale metaphysicæ. Consequentiā euidentē existimo, quia rō formalis obiecti, vt diximus sect. præcedenti, est illa, quæ adunat res in vnū obiectū, & facit, q̃ possint attingi ab illa sciētia, & sicuti est illa, quę proportionat obiectū cū scientia, ita similiter sine ipsa res non potest habere proportionem obiectiuam, et consequenter non potest à scientia attingi. Rursus ratio obiectiua formalis est quid commune, & adæquatum cum scientia, vnde debet participari ab obiectis partialibus, & quæ ipsam non participant, neque possunt esse obiecta partialia. 1. Ratio. Deus nō participat rōnē formalē obiecti metaphisic.

IV. Quòd verò spectat ad antecedens: clarum fiet infra vbi disp. 29. sect. 6. ostendemus, quòd Deus non est ens; sed aliquid supereminentius, & consequenter omnes illas rationes, in quibus videtur cum creaturis saltem analogicè cōuenire non esse tales, sed aliquid aliud supereminentialius, & alterius omninò rationis, ita vt nullam habeat cōuenientiam, cum creaturis. Interim dicimus rationem entis, quæ est in Deo, & nos nomine entis appellamus esse formalissime ipsum esse per essentiam, rationem verò entis, quæ est in creatura formalissime sumptā

S vt

vt ratio entis est, esse quid participatum, nam quicquid habet creatura, etiam quod sit ens, à Deo participat, cum ex se nihil omninò habeat; vndè non potest admitti aliqua ratio communis entis præscindens à Deo, & creatura, quia hæc ratio, quantùm esset ex vi suæ formalitatis, esset quid imparticipatum, alioqin si esset quid participatum; nec posset esse in Deo, & deberet concedi aliquid superius, à quo participaretur. Si ergò est aliquid imparticipatum, non potest esse in creatura, quia tunc haberet aliquid in se, quo esset independens; atque cum ratio entis sit quid transcendens, & imbibitum in qualibet alia formalitate, atque sit ratio formalis communicans, vt quo, ipsum esse cuicunque, quod illam participet. sequeretur, quòd totum esse creaturæ esset imparticipatum, vt potè quia talis ratio toti superfunderetur, & in ipso imbiberetur, & proinde toti etiam communicaret suum effectum formalem, atque hæc ratio, si reĉtè perpendatur, validissima est, ac euidentissimè concludit, quòd Deus non sit ens, nec in ratione entis habeat aliquam conuenientiam cum creatura, cum inter participatum, & imparticipatum, seu quod est tale per essentiam formaliter consideratum, nulla sit differentia, sed omnimoda diuersitas.

V. Atq; hoc etiam auctoritate confirmari potest, nam imprimis Boet. de Trinit. ante medium ait *Substantia in illo non est verè substantia, sed vltra substantiam*, & paulò post. *Deus verò hoc ipsum, quod est, Deus est*. vndè ponit quod ipsum esse ens sit constitutiuū Dei, quis autem non videt, quòd inter constitutiuum Dei, vt Deus est, & constitutiuum creaturæ, vt talis est, nulla est conuenientia; at creatura per id, quòd formaliter est ens, etiam creatura est formaliter, cum ex se nō habeat aliquid, sed quicquid habet to tum participet. Præterea D. Damascen. lib. 1. de Fide cap. 4. inquit. *De Deo tamen quid est secundum substantiam dicere impossibile. Conuenientiusq; de Deo longè est per OMNIVM ablationem facere sermonem; nam nihil eorum, quæ sunt, est; sed vt omnia entia supereminens, & super ipsum ESSE ENS* Accedit D. Dyonys. cap. 1. de diuin. Nominib. qui ita fatur de Deo, & eius essentia. *Hæc sanè iuxta nullum existentium est, causa quidem omnium, vt sint, ipse verò non est, tanquam omni essentia superior*. Quibus nihil dilucidius ad hanc rem confirmandam desiderari poterat.

Boetio

D. Damascen.

D. Dionys.

VI. Insuper etiam, ex eodem D. Dionys. hoc totum egregiè declarat Elias Cretensis in orat. 24. Nazianzeni vbi ita inquit *Deus, vt Sanctus Dionysius ait. est quidem causa ijs, quæ sunt, vt sint; ipse autem non est, vt qui nihil horum, quæ sunt, sed supra omnia sit. Quamuis enim Deus ens dicitur iuxta illud, Ego sum, qui sum; at ens tamen non est, vt ea, quæ sunt (Quomodo enim opifex vt opera esset?) neque certo modo ens, sed simpliciter, ac peculiari modo, aut velut eximiè, & præcellenter quemadmodum ipse solus nouit*. Et in tract. 1. Apologet cum plura Deo tribuisset addit, *Hæc igitur omnia dicitur, & tamen super hæc omnia est*. Et post pauca *Deus enim, & supra mentem mens est. supra vitam vita, & denique supra omnia*. Ex quibus constat quòd non conueniat in ratione entis cum creaturis; sed alio modo longè diuerso habeat esse. Et hinc quoque elicitur confirmatio. Deus cognoscitur ex effectibus, qui ab ipso procedunt, & dicitur misericors quia ab ipso procedit misericordia; dicitur iustus, quia ab ipso procedit iustitia; dicitur amans, quia ab ipso procedit bonum: sic etiam dicitur ens, quia entia creata, quatenus entia sunt, procedunt ab ipso. Verùm quando Deus se habet tanquam principium, à quo aliquid procedit, se habet æquiuoco modo, hoc est tanquam causa æquiuoca, de cuius ratione est, quòd sit diuersæ rationis ab effectu, quem producit, ergò cum Deus sit ens, quatenus producit ens creatum, atque sit causa æquiuoca illius, oportet, quòd secundum rationem entis sit omninò diuersæ rationis ab ente creato, quòd quomodo verum sit, & adhuc liceat ex creaturis ad Deum argumentari, loco citato explicabimus.

Elias Creten

Quo Deus denominet ab effectibus.

VII. Ex hoc ergò constat veritas antecedentis principalis argumenti, quòd scilicet Deus non participet rationem obiecti metaphysici, nempè entis, quia re vera non est ens, ita vt participet conceptum obiectiuum entis, qui constituit rationem obiectiuam formalem metaphisicæ, & consequenter nec potest esse obiectum partiale metaphysicæ; quod etiam confirmari potest, si comparentur ad inuicem ratio

obiectiua physicæ, & ratio obiectiua metaphysicæ, & rursus ratio obiectiua metaphysicæ comparetur cum illa ratione entis, quæ tribuitur Deo, seu qua Deus est ens, minus differunt ratio obiectiua physica, & metaphysica; quàm differant ratio obiectiua metaphysicæ, & quæcunque alia ratio, quæ sit in Deo, ergo si metaphysicæ propter diuersitatem rationis obiectiuæ, non potest tendere in obiectum physicæ, à fortiori sequitur, quòd neque possit tendere in Deum, cum inter ipsum, & rationem obiectiuam metaphysicæ interueniat maior diuersitas. Quòd autem interueniat maior diuersitas probatur nam ratio obiectiua physicę; & metaphysicæ conueniunt in aliqua ratione generica, & solùm specificè differunt, & est inter ipsas solùm quædam determinata distantia. inter Deum secundum quamcumque rationem consideratum, quæ in ipso concipi possit, & rationem obiectiuam metaphysicæ est infinita distantia positiua, qualis est inter finitum, & infinitum; infinitas enim est ratio quædam, quæ intrinsecè imbibitur in quacunque ratione, quæ fit in Deo, etiam ipsius entis; vndè si tribueretur Deo ratio entis sine hac infinitate, ita vt hæc ratio entis conueniret Deo, tunc illa ratio entis, quantum est ex vi sui esse, seu conceptus obiectiui, esset in se quid finitum, quia haberet aliquod esse, & hoc esse non inuolueret infinitatem, & proinde intrinsecè clauderetur certo termino, & sic aliquid finitum tribueretur Deo. Hinc autem fit, quòd sit etiam infinita diuersitas, quia infinita distantia positiua arguit infinitam diuersitatem.

Infinita distan. inter Deum, & creaturā.

VIII. Confirmatur principaliter hęc ratio. Quę conueniunt in aliqua ratione communi, quamuis iuxta quorumdam sententiam possit esse in ea ordo maioris, & minoris perfectionis, vt censent ij, qui admittunt aliquam rationem communem per prius, & posterius, hoc est cum inęqualitate participatam: nunquam tamen fieri potest, quòd secundum eam ipsam rationem, in qua conueniunt, oppositio modo se habeant, oppositio enim ex natura sua tollit conuenientiam, ita vt oppositio & conuenientia se inuicem destruant; modò creatura, & Deus si considerentur secundum rationem entis, secundum hanc ipsam rationem opponuntur; nam Deus secùdum rationem entis, quia non est ens quomodocunq; sed per essentiam, est quid imparticipatum, creatura verò est ens dependens, & participatum, ita vt secundum primam rationem entis, qua ens est, dependeat à Deo, quia secundum se totam creatura simpliciter, nulla exclusa ratione, aut formalitate, est quid participatum, participatum aūt, & in participatum opponuntur ad inuicem; vnde cum creatura, & Deus in ratione entis se habeant vt participatum, tantum abest, quòd secundum hanc rationem conueniant, vt etiam opponantur. Quòd si opponuntur, quomodo ratio entis, quæ est ratio obiectiua metaphysicæ, erit etiam in Deo.

Oppositio & conuenientia se inuicē destruunt.

IX. Et eadem ratio maiorem quoque efficaciam habet supposita sententia nostra, in qua statuimus, quòd obiectum metaphysicæ non sit ens communissimè sumptum, sed quidditas abstrahens à materia se habens per modum totius, & constans ex suis principijs intrinsecis, quæ se habeant per modum actus, & potentiæ metaphysicæ. Et quamuis in ente realiter simplici non repugnet distingui secundum rationem huiusmodi actum, & potentiam metaphysicam, in Deo tamen repugnat. Quamuis enim in ipso distinguantur attributa, ea tamen ratione non potest distingui actus, & potentia, quia nihil debet poni in Deo, quod ipsi repugnet: ratio autem actus, & potentiæ repugnat non solùm quia potentia est quid perfectibile, & consequenter quid imperfectum; Sed etiam, quia istæ rationes ex natura sua sunt limitatæ, nam potentia dicit aliquid, quod possit recipere vlteriorem perfectionem, quod autem potest recipere vlteriorem perfectionem, finitum est, atque limitatum, rursus actus debet esse proportionatus capacitati potentiæ, & cum potentia sit finita, actus quoque erit finitę perfectionis, quod enim finitum est, sola perfectione finita perfici potest; præterea actus perficiens potentiam, præsertim tanquam differentia, illam trahit ad esse determinatum, & limitatum, atque coarctatum, & consequenter illi confert gradum essendi finitū, & limitatū, & ideò has rationes ponere in Deo est oīō contra naturā ipsius, vndè etiā iuxta nostra principia nequit Deus esse partiale obiectū metaphysicæ

In Deo non sunt principia intrinseca metaph.

Secūda ratio.

X. Sed quia posset aliquis occurrere, dicens, Deum esse intra eamdem abstractionem, in qua sunt cœtera, quæ considerantur tanquam obiecta à metaphysica, siue obiectum sit ens, siue quidditas complera, & proindè non apparere tantum discrimen inter Deum, & ens creatum, quantum fingitur, sed ex vi einsdem abstractionis posse quoque Deum à metaphysica attingi, ideò addenda est secunda ratio principalis, quę ostendat ex parte quoque abstractionis non posse Deum à metaphysica considerari. Sed prius debet firmum manere adesse, totam illam diuersitatem secundum rationem obiectiuam, quam modo ostendimus; non enim hæc responsio soluit rationes adductas, sed solùm conatur aperire quomodo ex alio capite, nimirum ex parte abstractionis, adsit conuenientia, inquiens, Deum esse intra eamdem abstractionem cum cœteris, quę tanquam obiecta à metaphysica considerantur. Sed cum nos firmissimis rationibus ostenderimus, illam diuersitatem rationis obiectiuæ, possemus arguere. Ratio obiectiua metaphysicę habet infinitam diuersitatem respectu cuiuscunque rationis, quæ sit in Deo, ergo etiam habet abstractionem infinitè diuersam, quoniam sicuti diuersitas rationum formalium obiectiuarum importat diuersitatem abstractionis, quia abstractio, & ratio formalis sibi inuicem correspondent, ita etiam infinita diuersitas rationum formalium inferet infinitam diuersitatem abstractionum;

Diuersa abstractio Dei atque obiecti metaphysici.

XI. Sed hoc omisso, probatur, diuersam esse abstractionem obiecti metaphysici ab abstractione a materia, qua Deus abstrahit, si modo potest dici, quod Deus abstrahat a materia. Vt autem hoc intelligatur, sciendum est, quòd abstractio à materia, qua constituitur obiectum metaphysicę siue hoc sit ens, siue quidditas cōpleta, est abstractio facta per intellectū; intellectus .n. est ille, qui separat à materia, nō tamen illi repugnat, quòd sit in materia, vt sunt ens, & quidditas materialis. Si autem potest dici, quòd Deus abstrahat à materia, non potest dici, quod abstrahat tali modo, sed omninò diuerso: nam in primis non abstrahit per intellectum, sed ex natura sua; non abstrahit tanquam quid vniuersale, sed vt quid singulare, non ita abstrahit, vt possit esse in materia, sed abstrahit vt actus purissimus, ergo diuersissima est abstractio à materia obiecti metaphysicæ ab ea, qua Deus abstrahit; vnde neque ratione abstractionis eiusdem spectare potest ad eamdem scientiam;

Abstractio obiecti metaphysicæ à materia secūdum intellectum.

XII. Et potest hoc totum confirmari, Ex diuersitate abstractionum oriuntur diuersi modi essendi; & consequenter diuersi modi scibilitatis specificatiui diuersarum scientiarum, vt constat ex diuersitate physicæ, & metaphysicæ, quæ solùm diuersificantur ex diuerso modo scibilitatis, quem habent eorum obiecta, atque hæc diuersitas facit, quòd nullo modo vna possit tendere in obiectum alterius, ergò cum diuersa quoque sit abstractio Dei, & obiecti metaphysici, & ex ea oriatur modus essendi longè diuersus, qualis est esse per modum actus puri, habebit etiam diuersum modum scibilitatis ab obiecto metaphysicæ, & proinde scientia, quæ tendit in vnum, non poterit tendere in alterum. Quod rursus confirmari potest. Ideò Physica est diuersa scientia à mathematica, quia obiectum mathematicæ non inuoluit materiam sensibilem, quemadmodum inuoluit obiectum physicæ; similiter etiam metaphysica est diuersa à physica, quia eius obiectum abstrahit a materia sensibili, a qua non abstrahit obiectum physicum: & est diuersa a mathematica, quia eius obiectum abstrahit a materia intelligibili, a qua non abstrahit obiectum mathematicæ. Modò Deus abstrahit ab omni potentialitate, a qua nō abstrahit obiectum metaphysicæ, atque hæc abstractio causat maiorem diuersitatem, quàm causet diuersitas aliarum abstractionum, imò causat in obiecto infinitam diuersitatem, quomodo ergo metaphysica poterit habere Deum pro obiecto, si non potest habere ea, quæ sunt abstractionis minùs diuersæ, & quę non distāt infinitè à propria abstractione?

Diuersa abstractio ponit diuersam scibilitatem.

XIII. Quod rursus potest declarari. Identitas abstractionis ponit eumdem modum essendi, seu saltem illum habet annexum, ne in aliquam nonam quæstionem incidamus; & quæ habent diuersam abstractionem, habent etiam diuersum modum essendi, sic obiectum physicæ, & metaphysicæ ob diuersitatem abstractionis habent diuersum modum essendi, rursus omnia corpora, quæ sunt obiecta partialia physicæ, quia sunt intrà eamdem abstractionem, habent etiam eumdem modum essendi. Cum igitur Deus habeat

Diuersus modus essendi arguit diuersā abstractionē.

beat

beat longè diuersum modum essendi ab obiecto physicæ, habebit etiam diuersam abstractionem; si quidem sicuti ex diuersa abstractione arguitur diuersus modus essendi, ita etiam ex diuerso modo essendi inferri potest diuersa abstractio, & ideò etiam propter diuersitatem abstractionis Deus non spectabit ad obiectum metaphysicæ. Cæterum ex diuersitate abstractionis, & modi essendi, quem habet obiectum vniuscuiusque scientiæ oritur diuersus modus tendendi ipsius scientiæ, ita vt illa, quæ versatur circa vnum obiectum, nequeat versari circa alterum; ita neque metaphysica ex vi sui proprij modi tendendi versari poterit circa Deum ex eo, quod habet modum essendi adeò diuersum.

III. rō. XIV. Tertiò, principaliter probatur nostra sententia. Quando Deus est obiectum facultatis speculatiuæ, quæ circa ipsum veritatem inquirat, non potest abstrahere à singularitate, nam singularitas est de essentia ipsius, ita vt non possit Deus concipi, nisi simul singularis concipiatur, quia eò ipso, quòd Deus est, singularis est, vndè scientia, quæ speculatur eius naturam, speculari debet simul etiã singularitatem tanquam quid intimè inclusum in natura; Metaphysicum verò obiectum necesse est, quòd abstrahat à materia signata, hoc est à singularitate, sicuti etiam obiectum cuiuslibet alterius scientiæ, ergò Deus cum debeat considerari tanquam singularis, ita vt singularitas intrinsecè afficiat totam naturam Diuinam, oportet, quòd habeat modum scibilitatis longè diuersum, imò infinitè, à modo speculabilitatis, quem habet obiectum metaphysicæ: & proinde non poterit ad ipsam pertinere tanquam obiectum partiale. Quod etiam confir. obiectum partiale debet seruare proportionem ad commune, & totale, ita vt seruata proportione eodem modo se habeat, ac totale, hoc est, quod sicuti totale habet talem modum essendi in communi, partiale habeat eundem modum essẽdi determinatum, & dicat determinato modo, quod totale dicit secundum rationem communissimam illius obiecti. Cum ergò obiectum metaphysicæ dicat aliquid in vniuersali, nempè rationem entis, vel quidditatis completæ vniuersaliter sumptam, debet obiectum partiale, vt seruet debitam proportionem cum toto dicere talẽ vel talem quidditatem completam, sed vniuersaliter sumptam; vndè cum Deus non possit sine singularitate considerari, nec etiam poterit esse obiectum metaphysicæ partiale. Atque eodem modo confirmari potest præcedens ratio desumpta ex abstractione. Obiectum totale metaphysicæ dicit aliquid in communi, ita abstrahens a materia, vt illi non repugnet esse in ipsa, ergò partiale debet dicere talem rem, ita abstrahentem a materia, vt non repugnet esse in illa; alioqnin non seruabit debitam proportionem ad obiectum totale; nec dicet determinato modo, quod dicet totale in communi. Deo autem omninò repugnat esse in materia, & ideò non potest esse obiectum partiale metaphysicæ, cum non seruet proportionem ad obiectum in communi.

XV. Quartò argumentari possumus ex principijs, quibus aliquid de Deo ostendimus; hæc enim, vel sunt propositiones naturali lumine notæ, & euidentes; vel propositiones per fidẽ reuelatæ; & ex hoc duplici genere principiorum procedimus ad assequendam cognitionem de Deo, qua eius natura, quoad fieri potest, nobis manifestatur. Cum autem principia, ex quibus cognitionem de obiecto aliquo assequimur, fundentur in eodem obiecto, sequitur, quod ad eamdem scientiam pertineat obiectum, ad quam pertinent etiam principia tanquam propria, ex quibus assequimur cognitionem obiecti, propter necessariam connexionem, quam habent inter se principia, & obiectum secundùm esse scibile. Sic corpus naturale, & principia, quæ in ipso fundantur pertinent ad eamdem scientiam physicam; quantitas, & principia fundata in dimensionibus, ad mathematicam; quidditas completa abstrahens à materia, & principia in ipsa fundata, seu etiam in ente, (nam ensvt diximus pertinet ad metaphysicã tanquam fundamentũ quidditatis,) spectãt ad metaphysicam: vndè etiam Deus, & principia, ex quibus ipsius cognitionem assequimur, vtpotè fundata in ipso Deo, ad eamdem facultatem spectabunt. Et potest huius rei ratio à priori assignari, quoniam, vt etiam supra diximus, quælibet scientia debet ostendere conclusiones de suo obiecto per principium ipsi intrinsecum, & proinde debet formare quasdam propositiones de obiecto ab ipso desumptas, quę ex ipsis terminis euidentes, sint aliqui

Singularitas Dei dat speculatiõ scientiã quæ agit de ipso.

Obiectũ partiale debet dicere, vel, pportionaliter, q̃ dicit totale.

4. ratio.

Principia, & obiectũ ptineat ad eãdẽ scientiã

de ipso spectans ad eamdem scientiam, Applicando autem hanc doctrinam ad nostrum propositum. Principia, ex quibus diuina natura inuestigatur, sunt quędam propositiones de Deo, vt diximus modò, naturæ lumine cognitæ, & quędam reuelatæ per fidem, atq. spectant ad theologiam, quę sola ex reuelatis, & ex cognitis lumine naturæ procedit, ergo si principia spectanr ad theologiam, etiam obiectum, nempe Deus ad cuius cognitionem ordinantur, spectabit ad Theologiam.

Princip. quę valent de obiecto totali, verificā tur etiā de quolibet partiali.

XVI. Atque hinc elici etiam potest confirmatio non contemnenda. Principia, quibus ranquam certissimis, & euidentissimis vtitur metaphysica, in Deo non habent locum, vt est illud: quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, vndè oportet adhibere diuersas limitationes, & tollere vniuersalitatem ab ijs, quā ex natura sua habent, vt verificentur etiā in Deo, Hoc autem manifestè indicat, q. Deus non sit obiectum metaphysicæ partiale, ea .n. principia, quæ valent de obiecto totali, valēt ēt de partiali, valet .n. generalis regula, quòd quicquid cōuenit superiori, conuenit etiam omnibus contentis sub illo, vndè cum obiectum partiale debeat contineri sub totali, oportet, quòd principia, quę verificantur de totali obiecto, verificentur in eodem sensu etiam de quolibet partiali.

Præcluditur effugium.

XVII. Quòd si quis diceret, Metaphysicam posse agere de Deo, vtendo tātum priucipijs naturali lumine cognitis, & relinquendo propositiones de fide, & sic solum Deum considerare, vt naturaliter cognoscibilem, Theologiam verò versari circa Deum vt supernaturaliter cognoscibilem; non ideo soluit difficultatem, Imo hinc quinto possumus arguere.

V. ratio.

Deus secundum suam naturam non est naturaliter cognoscibilis, sed opus est reuelatione, qua adiuuemur ad eius naturam cognoscendam, ergo Deus non est obiectū partiale metaphysicæ, aut alicuius alterius scientiæ, quæ merè lumine naturali acquiratur. Consequentia mihi videtur euidens, quoniam metaphysica est scientia naturalis, quæ soli lumini naturali innitur, atque cum quælibet scientia debeat habere talem proportionem cum obiecto, vt possit eius naturam adæquatè manifestare, sequitur euidentissimè, quòd Deus nequit esse obiectum metaphysicæ, quia ex ijs, quæ solo naturali lumine cognoscuntur, non potest metaphysica manifestare naturam diuinam, quæ solùm adequatè manifestari potest interueniente reuelatione.

Essentia diuina non est manifestabilis ex solis naturali lumine cognitis.

XVIII. Confir. quamnis aliqua naturali lumine de Deo cognoscantur, non tamen, ex ijs solis procedendo, possumus acquirere eorum cognitionem, quę habemus per reuelationem, & eorum etiam, quorum cognitionem assequimur procedendo ex reuelatis simul, & lumine naturali cognitis, vt experientia patet: multò enim plura cognoscimus in theologia de Deo, quàm cognosceremus, si non procederemus ex reuelatis, ex quo euidentissimè colligitur, quòd ex principijs naturaliter cognitis non possumus consequi cognitionem talem, quę adæquatè manifestet naturam diuinam; quod etiam per responsionem adductam constat; nam ibi dicitur, quòd procedendo ex naturaliter cognitis, potest tantum cognosci Deus, vt est naturaliter cognoscibilis: verùm quæ supernaturaliter de Deo cognoscuntur ad naturam diuinam spectant; quid enim magis spectat ad cognoscendam naturam Dei, quàm communicari tribus personis? ergo etiam per allatam responsionem, non potest ex naturaliter cognitis natura diuina manifestari. Ergo neq; statuendus est Deus pro obiecto metaphysicę. Cum enim scientię sint cognitiones rerum, prout sunt, hoc est secundum eorum naturam, & tradant cognitionem quidditatiuam de suo obiecto; oportet, quòd adæquate cognoscant ipsius naturam, aut saltem, quòd possint cognoscere, quod contingit in metaphysica respectu Dei.

Eadem cōmen rationē habet scientia cū obiecto totali & cū partiali.

XIX. Rursus confirmatur hoc ipsum Cum scientia specificetur ex suo obiecto adæquato, & totali, ex vi huius specificationis habet debitam commensurationem cum obiecto, qua mediante redditur proportionata, vt possit attingere adequatè naturam ipsius, prout subijcitur tali rationi specificatiuæ, atque cum obiecta partialia constituantur sub tota li participando rationem specificatiuam communem, ex vi eiusdem specificationis habet scientia eamdem commensurationem, & proportionem cum obiectis partialibus, quam habet cum totali. *Si* ergo scientia est proportionata, vt possit tendere in naturam sui obiecti, quatenus illi subijcitur; sequeretur, quòd si Deus, vt Deus est, esset partiale obie

ctum

ctum metaphysicæ, posset tendere in ipsum manifestando adæquatè eius naturam, nec opus esset aliqua reuelatione simpliciter loquendo, quia metaphysica esset ex natura sua proportionata ad assequendam illius cognitionem, quod tamen falsissimum est, atque hæreticum, cum necesse sit ex reuelatis procedere.

XX. Tertiò etiam confirmatur eadem ratio; Deus vt cognoscibilis naturaliter, non dicit rationem formalem obiectiuam diuersam ab ea, quam dicit, vt cognoscibilis supernaturaliter; cum, siue cognoscatur naturaliter, siue supernaturaliter, secundùm eamdem rationem, nempè Dei, semper cognoscatur, atque etiam semper secundùm eamdem abstractionem, si modò aliqua abstractio potest tribui Deo; semper enim per modū actus puri attingitur. Deindè, si debet considerari speculatiuo modo, oportet, quòd eius peculiaris natura consideretur, quæ non potest variare rationem formalem naturæ, cum enim semper sit eadem, semper etiam habebit eamdem rationem formalem obiecti, siue supernaturaliter, siue naturaliter attingatur: quemadmodum si contingeret naturam corporis physici supernaturaliter manifestari, haberet eamdem rationem formalem obiectiuam, quam de facto habet, dum illud naturaliter speculamur. Quod etiam confirmat id, quòd tàm veritates, quas de Deo attingimus naturaliter quàm illę, quas ex reuelatione, aut ex reuelatis procedendo habemus, conducunt simul omnes ad manifestandam naturam diuinam, & proindè ad eamdem rationem formalem obiecti reducuntur. Ex hoc ergo fit, quod cum eadem ratio obiectiua possit spectare ad vnicam tantùm facultatem, & Deus vt dicit rationem obiectiuam, qua est supernaturaliter cognoscibilis, spectet ad Theologiam, simpliciter non spectet ad metaphysicam, sed ad Theologiam. Accedit etiam, quod Theologia verè contemplatur Deum secundùm rationem obiectiuam propriam, nempè Dei; vndè fit, quòd quantum est ex vi propriç rationis obiectiuç sit speculabilis eo modo, quo procedit Theologia, & consequenter, quòd non sit speculabilis eò modo, quo tendit metaphysica. quia eadem ratio obiectiua non potest esse diuersis modis speculabilis, vnum enim tantum modum tendendi specificat, sic corpus naturale non est metaphysico modo speculabile, sed solum physico. Ex his ergò satis constat Deum nullo pacto esse obiectum metaphysicæ.

Eadem rō obiectiua Dei siue naturaliter siue supernaturaliter cognoscatur.

Rationes in oppositum explicantur.

SECTIO. IV.

I. Hoc pacto nostra sententia explicata eam parum, imò nihil rationes in oppositum vrgent. Quòd enim spectat ad Arist. diximus iam, quòd egit de Deo, non tanquam de obiecto, sed tanquam de vltimo fine, & prima causa, quam tractationem inseruit metaphysicæ, quia nondum aderat Theologia, ad quam deberet reduci. Quod verò spectat ad abstractionem à materia, quod est vnicum fundamentum oppositæ sententiæ, satis constat ex dictis, si velimus aliquam abstractionem Deo tribuere, quòd longè diuersa est ab abstractione obiecti metaphysicæ, & ideò falsò arguitur ex identitate abstractionis. Similiter etiam, si quis vrgeat, quòd Deus participat rationem obiecti metaphysici, quia scilicet est ens, hoc etiam negari debet, quia ostendimus, quomodo Deus non sit ens, sed aliquid eminentius ente, de quo plura infra suo loco dicturi sumus; vndè neque aliquam aliam rationem obiectiuam participat, quæ sit eadem cum obiecto metaphysicæ, cum consequenter tollatur omnis alia conuenientia.

II. Quòd verò spectat ad argumenta Hurtad. quę primo loco attulimus, & ad primum dico, verùm quidem esse, quod partes habent esse in ordine ad totum, & proindè in ordine ad ipsum debent cognosci; verum hoc intelligi debet de iis, quæ se habent, vt puræ partes, & nullo modo induunt rationem totius, quod constet ex suis partibus, & principiis intrinsecis, quia si se habeant per modum totius, sicuti tunc habent esse à se, ita etiam siue ordine ad aliud cognosci possunt. Verum ex hoc corroboratur nostra sententia, quòd scilicet nullum ens, quod sit purè pars metaphysica, possit esse obiectum metaphysicæ, sed quidditas completa, quæ constet ex suis principiis intrinsecis, quia tunc est secundùm se considerabilis, & ideò ens in ordine ad hanc quidditatem considerari debet. Non tamen sequitur, quòd in ordine ad Deum, & Angelos debeat considerari, quia imprimis quidditas ista con-

Ad rōes Hurtadi

Quō partes consid erēt à scientia.

stans

ſtans ex principijs intrinſecis eſt vniuerſalior ſubſtantia immateriali, cum conueniat etiam accidentibus. Denique quia Deus non eſt ens, aut ſubſtantia, nec vllo modo obiectum metaphyſicæ & ideo non poſſunt partes metaphyſicæ in ordine ad ſubſtantiam immaterialem, ſed in ordine ad adæquatum obiectum, quod conſtituunt conſiderari.

Metaph. nõ põt aſſequi cognitionem Dei.

III. Ad ſecundum dicendum eſt, metaphyſicam, quamuis nonnulla tractet de Deo, & Angelis, vt diximus, non tamen obſeruata natura ſcientiæ, poſſe aſſequi perfectam cognitionem de Deo, & Angelis, quia, vt oſtendimus ſectione præcedenti, metaphyſica, quantum eſt ex vi ſui modi tendendi, non habet talem commenſurationem cum ijs obiectis, vt poſſit adæquatè eorum naturam manifeſtare, quæ ſolum per reuelationem diuinam perfectè manifeſtabilis eſt; vndè ſi quis metaphyſicus procedens metaphyſico modo conaretur aſſequi perfectam cognitionem de Deo, eſſet omnino fruſtratorius huiuſmodi conatus, & contra naturam ſcientiæ non ſecus, ac ſi phyſica procedens ex proprijs principijs, & cum proprio modo tendendi conaretur aſſequi perfectam cognitionem de obiecto metaphyſicæ, quia ſcientia ex ſe non eſt ſufficiens, vt talem perfectam cognitionem aſſequatur.

Nõ omnia in metaph. debẽt reduci ad ſubſtantiã immaterialem.

IV. Denique ad tertium dicendum, quòd licet ſubſtantia immaterialis ſit omnium perfectiſſima; non ſequi, quod omnia, quæ tractantur in metaphyſica, ſint reducenda ad ipſam, nam imprimis non datur iſta ſubſtantia immaterialis communis Deo, & creaturis ſpiritualibus, ſed tantum datur ſubſtantia immaterialis creata, quæ neque includitur in obiecto metaphyſicæ, vt dicemus diſp. ſequenti Sed etiam ſi includeretur, non deberent omnia reduci ad ipſam; quia quæcunque per ſe tractantur à qualibet ſcientia, vel ſunt obiecta, vel principia obiecti, vel paſsiones. Vnum autẽ obiectum partiale nõ reducitur ad aliud, ſed vnumquodq. per ſe primò conſideratur, vt potè participans rationem formalem obiectiuam talis ſcientiæ; & potius obiecta partialia in ordine ad totale conſiderantur; vnde, quantum eſt ex hoc capite, ſi Angeli conſiderarentur à metaphyſica, ipſi potius in ordine ad obiectũ totale cõſiderarentur quã totale in ordine ad ipſos. Paſsiones vero, & principia, ſi ſint obiecti totalis in ordine obiectũ totale cõſiderantur, at ſi ſint obiecti partialis, in ordine ad ipſum conſiderari debent, quia paſsiones ſemper conſiderantur in ordine ad proprium principium.

Cognitio alicuius ordinatur ad aliud dupliciter.

V. Ad alteram vero rationẽ, quam ſecundo loco ex Hurtado attulimus. Reſpondetur, quòd cognitio alicuius poteſt ordinari ad aliud, ſeu ad cognitionem illius duplici modo. Primo quidem, vt ſolum ordinetur tanquam ad finem, non quidem quidditatiuè cognoſcendum, ſed ſecundùm exiſtentiam, & hoc pacto cognitio omnium ordinatur ad Deum cognoſcendum, vt potè quia omnia ſunt effectus Dei, & ex ijs, quæ facta ſunt, deuenimus in cognitionem creatoris iuxta illud Rom 1. *Inuiſibilia enim ipſius a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.* Rom. 1. Hæc tamen cognitio, & huiuſmodi ordo non ſufficit vt Deus conſtituatur obiectum metaphyſicæ, quicquid ſit, an cognitio Dei naturalis ſit noſter vltimus finis naturalis, quod fortaſſe non caret difficultate, nam hic ordo eſt communis omnibus cognitionibus, & ideò non poteſt præſtare aliquid, quod ſit peculiare in metaphyſica, quale eſt, quod Deus ex vi huius ordinis conſtituatur obiectum in metaphyſica, & quod omnia, quæ tractantur in ipſa, reducantur ad Deum tanquam ad obiectum. Accedit etiam, quod hæc ratio procedit ex falſo præſuppoſito, quòd ſcilicet metaphyſica tractet de Deo tanquam de obiecto. Altero autem modo poteſt cognitio vnius ordinari ad aſſequendam cognitionem alterius tanquam cauſa, & principium illius cognitionis, ita vt ex natura ſua habeat parere cognitionem quidditatiuam illius & quando hoc modo cognitio vnius ordinatur ad cognitionem alterius, etiam illud ordinatur ad ipſum tanquam obiectum; & hoc pacto cognitio principiorum, tàm complexorum, ex quibus ſcientia deducit ſuas concluſiones, quàm incomplexorum, quæ conſtituunt obiectũ, ordinatur ad cognitionem obiecti, & ideo ſcientia tractat de ipſis, vt poſſit cognoſcere naturam ſui obiecti, niſi enim principia cognoſceret, ex quibus conſtituitur, neque poſſet naturam obiecti percipere; & de his ſolùm in ſcientia diſputatur propter cognitionem obiecti. Verùm eſt aduertendum, quòd ea de quibus hoc

Principia in ſcientia debent cognoſci propter cognitionẽ obiecti.

pacto in quacunque scientia disputatur, non ordinantur ad cognitionem alicuius obiecti partialis, sed ad cognitionem obiecti totalis, neq; hoc pacto de aliquo obiecto partiali disputatur, quia vnumquodque per se primò consideratur, nec vnum ad alterius cognitionem nos ducit; oportet enim, quòd ea, quę scientifico modo ad alterius cognitionem ordinantur, nos ducāt in cognitionem illius a priori; debēt enim nos in illius cognitionem ducere processu scientifico, qui necessariò est à priori, & per causam; vnum autem obiectum partiale non potest nos ducere à priori in cognitionē alterius. Quemadmodum, si Deus esset obiectū metaphysicæ, neq; possent cœtera obiecta partialia nos ducere in cognitionē Dei, cū ex creaturis tm̄ à posteriori Deus cognoscatur.

VI. Ad cōfirmationem eiusdē rationis; quicquid sit in Theologia de cognitione, quam habemus de Angelo, an referatur ad Deum tanquam ad obiectum attributionis, quod sua difficultate non caret respondendum est, quod hæc, quoq; confirmatio ex falso supposito procedit, quod scilicet metaphysica possit agere de Deo tanquam de obiecto, quod nos disp. præcedenti falsum esse ostendimus, & ideò nihil illa confirmatio concludit. Deinde in Theologia adest quædam ratio entis reuelati, per quam videtur fieri posse, vt Angelus in ordine ad Deum reuelantē consideretur, quæ non adest in metaphysica. Et si Deus esset obiectum metaphysicę simul cum alijs rebus creatis, oporteret, ꝙ esset simul cum ipsis intra eamdem abstranem, & quod participaret eamdem rationem obiectiuam, quod tamen falsum est, vt manifestè ostensum fuit. Quòd si participaret eamdem rationem obiecti, tunc cœtera non considerentur propter attributionem, quam haberent ad Deum, sed propter seipsa, & propter rationē formalem obiectiuam, quā participarent. Quod etiam inde colligitur, quia in scientiis speculatiuis obiectum consideratur propter seipsum, ita vt scientia sistat in cognitione ipsius, nec illud cōsideret in ordine ad aliud; ex generali autem illa regula, quod ea, quæ conueniunt superiori, conueniunt inferioribus, etiam secundum rationem illam, qua inferiora sunt, si tamen seruetur debita proportio, sequitur, quòd etiā obiecta partialia debeant per se considerari, ita vt scientia sistat in cognitione eorum, vt seruetur debita proportio ad obiectum totale, sub quo ponuntur quia sicut totale secundum esse commune, quod dicit, consideratur propter se, ita etiam tale, & tale partiale debet considerari propter se secundùm esse determinatum, quod dicit.

Obiecti partialia propter se considerantur

An Intelligentiæ contineantur sub obiecto metaphysicę; vbi etiam quā latè pateat abstractio metaphysica. Disp. XIX.

Intelligentias non claudi in obiecto Metaphysicæ.

SECTIO I.

I. VT magis in particulari decernamus de obiecto metaphysicæ inquirendum est; ad quanā se extendat abstractio metaphysica, & præcipua difficultas est; an cōplectatur non solum ea, quæ ratione abstrahūt a materia, sed etiam ea, quæ re ipsa à materia sunt immunia, & cum Deus exclusus sit ab obiecto metaphysicæ, restat solum difficultas de intelligentijs. Et quidem cōmunis sententia tenet, ꝙ intelligentiæ sint obiectū partiale metaphysicæ, & ij præcipuè, quos supra disp. 15. sect. 1. pro vnaquaq; illarum opinionum citauimus, ita censent; quia putant, non interesse, quod obiectum metaphysicæ abstrahat a materia, siue re, siue ratione; & volunt, quòd abstractio ab omni materia in cōmuni sumpta præscindēs ab ea, quæ est secundū rem, & secundū rationem, adęquet obiectū metaphysicę. Cuius rei fundamētum esse potest; quod intelligētiæ sunt naturaliter cognoscibiles: vndè debēt esse obiectū alicuius sciētię: nō possunt aūt ad aliquam aliam præterquam ad metaphysicā pertinere. nam cœteræ habent obiectum immersum in materia, & solius metaphysicæ obiectum abstrahit ab omni materia. Cōis opinio.

II. Atq. tradunt hanc sententiam tanquam Arist. & quidem pluribus in locis ita docuisse videtur. Sed præcipuè 4. Metaphys. tex. 4. vbi distinguit dupli- Arist. ot

 cem

cem partem philosophiæ, nempè metaphysicam, & physicam penes duplex genus substantiæ, alterum, quod abstrahit à materia; & alterum, quod immersum est in materia. Atque lib. 6. tex. 3. distinguit illam triplicem partem philosophię speculatiuę, nimirum metaphysicam & physicam, & mathematicam, atq; metaphysicæ assignat pro obiecto substantias separatas, atque immobiles, quæ sunt intelligentiæ, ait enim, *Quare tres vtique erunt speculatiuæ philosophiæ, mathematica, naturalis, theologia. Manifestum est enim, quòd sicubi diuinum existit, in tali natura existit, & honorabilissimum, oportet, circa honorabilissimum genus esse; speculatiuæ itaque alijs scientijs preponendæ sunt, hac verò* (nempè metaphysica) *speculatiuis*, quia scilicet habet honorabilissimum obiectum, nempè substantias separatas. Et in confirmationem huius rei accedit, quod Arist. agit de ipsis intelligentiis.

III. Verùm, vt quid mihi probetur, aperiam. Certum imprimis esse existimo, si intelligentiæ considerentur secundùm quasdam rationes communes, quibus cum cœteris rebus conueniunt, pertinere ad metaphysicam; quia reuera illæ rationes sunt intra eius obiectum, cum etiam cõsiderentur ab ipsa in aliis rebus, vt est ratio substãtię, quatenùs sunt quidditates quædam compositæ ex intrinsecis principiis, & secundùm alias huiusmodi rationes. Verum non in hoc consistit præsens difficultas, quæ procedit de intelligentiis, quatemus tales sunt, nempè

Cõclus. Intelligẽtiæ vt tales sũt partiale obiectũ metaphysicę.

substantiæ quędam spirituales per se subsistentes, & completę, ita vt non veniant in compositionem alterius, & quatenus secundùm rem abstrahunt ab omni materia. Et sic hoc pacto considerentur existimo dicendum esse, non pertinere ad metaphysicam tanquam obiectum partiale.

1. ratio.

IV. Et possumus argumentari primò pro hac nostra sententia ratione illa, qua etiam disp. præcedenti vsi sumus, vt excluderemus Deum ab obiecto metaphysicæ. Obiectum metaphysicæ, siue ponatur ens, siue quidditas completa constãs suis principiis intrinsecis, si cõsideretur vt totale, & adæquatũ est, ita abstrahit à materia, vt illi nõ repugnet esse in materia secundũ illud esse, quo abstrahit, ergò quodlibet obiectum partiale illius debet

Obiectũ metaphysicæ abstrahit in rõne à materia

ita abstrahere ab omni materia, vt illi non repugnet esse in materia, substantiis autẽ spiritualibus, quales sunt Angeli, omninò repugnat esse in materia, ergò nequeunt esse obiectum partiale metaphysicæ. Cõseq. principalis tenet ex proportione, quam ratio inferior seruare debet ad superiorem, nempè quòd dicat secundùm gradum determinatum, quod secundum communem dicit superior, & quòd ratio inferior non tollat, quod dicit superior, seu non afferat secum aliquid repugnans, nisi variet modum essendi. Cum ergò obiectum totale metaphysicæ dicat aliquid, ita abstrahens ab omni materia, vt tñ non illi repugnet secundũ illud esse cõmune immergi in ipsa, debet obiectũ partiale ad obseruandã proportionẽ cũ totali, ita abstrahere à materia, vt secundùm illud esse determinatum, quod importat, non habeat repugnantiã ad essendũ in materia, ne mutetur modus essẽdi

Occurritur responsioni.

V. Posset tamenquis dicere; substantiam vt sic, quantum est ex se, posse esse in materia, & non posse; vnde sequitur, quòd possit contrahi per spiritualitatem, ratione cuius postea illi repugnet esse in materia & sic affert secum ratio contractiua aliquid, quod repugnet cum eo, quod dicit ratio cõmunis. Sic ergò potest contingere in obiecto metaphysicę, quod quamuis secundùm esse commune illi non repugnet esse in materia, possit tamen contrahi per aliquid, ratione cuius id illi repugnet, ita tamen vt de se abstrahat ab esse in materia, & nõ esse. Verùm hæc responsio non subsistit, neque paritas tenet, nàm licet verum sit, quòd substantia, quantum est de se, possit esse in materia, & tamen etiam possit ita contrahi, vt habeat repugnantiam ad essendum in ipsa, quia est capax huius repugnantiæ; tamen verum est etiam, quòd non seruat eumdem modum essendi, quando ita consideratur, vt illi non repugnet esse in materia, ac quando est iam contracta, vt illi repugnet, sed acquirit modum essendi diuersum; acquirit enim esse spirituale, quod dicit suum peculiarem modum essendi ab omnibus alijs diuersum. Hoc autem non potest dici de obiectis partialibus respectu totalis: nam partialia debẽt seruare eundem modum essendi cum totali, & ideò non possunt importare aliquid, quod repugnet cum eo, quod dicit obiectum totale: vnde, si obiectum totale dicit, posse esse in materia debet etiam id ipsum dicere partiale, vt seruet

Obiecta partialia non dicunt aliquid repugnãs cũ totali.

eum-

eundem modum essendi, quod dedita opera apposuimus in probatione allata.

VI. Confir. Obiectum partiale debet seruare eundem modum scibilitatis cum totali; partiale enim in tantum attingitur ab eadem scientia, in quantum partici pat eundem modum scibilitatis, quem dicit totale; cum verò scibilitas sequatur esse, quia res ita se habet ad sciri, sicuti ad esse, vt seruet eundem modum scibilitatis, oportet, vt seruet etiam eundem modum essendi, quem non potest seruare, nisi dicat secundùm esse determinatum id, quod dicit obiectum totale, si enim diceret aliquid contrarium ipsi, certum est, vt modo diximus, quod acquireret diuersum modum essendi. Præterea ille peculiaris modus scibilitatis, quem dicit obiectum totale, & formale metaphysicæ fundatur in eo esse, quod ita abstrahit à materia, vt possit esse in ipsa, ergo si obiecta partialia debent seruare eundem modum scibilitatis cum obiecto totali, oportet, quòd ita abstrahāt à materia, vt possint esse in illa, alioquin variato fundamento, variabitur etiam modus scibilitatis.

Modus essendi, scibilitatis inuicem proportionantur.

VII. Hinc verò potest formari altera ratio valde efficax. Abstrahere a materia, ita vt adsit etiam repugnantia ad essendum in ipsa, & abstrahere a materia vt adsit etiam possibilitas ad essendum in ipsa; seu abstrahere a materia secundùm rationem tantùm, & abstrahere à materia secundùm rem dicunt in rebus abstrahentibus modum essendi omninò diuersum, & fundatum in contradictione, nempè posse esse in materia, & non posse esse, vndè dubitum non est, quin adsit magna diuersitas in modo essendi. Sed diuersitas modi essendi fundat diuersas rationes formales; vndè non alia ratione obiectum physicæ importat diuersam rationem formalem obiectiuam ab ea, quam importat obiectum metaphysicæ, nisi quia habent diuersum modum essendi. Cum igitur diuersę rationes formales obiectiuæ spectare non possint ad eamdem scientiam, sequitur, quòd ea, quæ abstrahunt à materia ratione tantum, & ea, quæ abstrahunt etiam secundùm rem propter diuersitatem rationum obiectiuarum, non possint tanquam obiecta ad eamdem sciētiam pertinere.

XI. ratio.

Diuersitas modi essendi fundat diuersas rationes formales obiecti.

VIII. Et potest hæc ratio etiam confirmari, supposito illo principio, quod ab omnibus qui, distinguunt diuersas scientias, recipitur: nimirum, quòd ea, quæ non sunt eiusdem abstractionis, sed diuersæ, non possunt ad eamdem scientiam spectare; & scientias multiplicari, saltem consequutiuè, ex diuersitate abstractionum. Sic non alia ratione physica diuersa est à metaphysica, nisi quia habent diuersam abstractionem. Si autem quæ abstrahunt à materia ratione tantum, & quæ abstrahunt secundùm rem adinuicem comparentur, certè habent maius discrimen, quàm si abstractio à materia secundum rationem tantùm comparetur cum abstractione physica; quod enim abstrahit ex natura sua à materia, habet oppositionem cum eo, quod ex natura sua immersum est in materia, quod verò abstrahit secundum rationem tantùm, non habet oppositionem; quis autem non videt, quòd ea, quæ habent oppositionē cū aliquo, valde diuersa sunt ab ijs, quæ non hēnt oppositionē cū ipso; habere enim, & non habere oppositionē cū aliquo, magnam diuersitatē infert. Cum ergò abstractio à materia secundū rem, & secundùm ratione m differant inter se neque spectare possunt ad eamdem scientiam, neq; importare idem obiectum.

IX. Respondebit fortasse aliquis. Verum quidem esse, quòd hæ duæ abstractiones valde inter se differunt; verùm dari abstractionem, vt sic à materia, quæ præscindat ab eo, quòd sit secundum rem, vel secundùm rationem, & hanc correspondere metaphysicę, quæ sicuti habet sub se diuersas abstractiones speciè, nempè abstractionem secundùm rem à materia, & secundùm rationem tātum; ita etiam metaphysicam esse vnam scientiam genere, & habere sub se diuersas species, quibus illæ diuersæ abstractiones correspondeant. Cœterum hæc responsio nihil proficit, nam imprimis difficile est intelligere hanc abstractionem ab omni materia, præscindentem ab eo, quòd sit secundum rem, vel secundum rationem, imò impossibile est, talem haberi abstractionem, vt enim concipiamus abstractionem, oportet, quòd simul concipiamus aliquid, quod abstrahat à materia. Vel ergò hoc, quod abstrahit, est spirituale, & tunc abstrahet, ex natura sua, & secundum rem; si verò est indifferens ad esse spirituale, & materiale, tunc non abstrahet ex natura sua, sed secundū rationem, quia erit aliquid obiectiuum, à ra-

Reijcitur Responsio.

Omnis abstractio à materia necessariò vel secūdū rē, vel secūdū ration

à ratione præcisum. Quare cum semper ad concipiendam abstractionem necessè sit aliquid concipere, quod à materia abstrahat, & hoc quod abstrahit, necessariò sit aliquid ex natura sua immateriale, vel aliquid, quod neque est immateriale, neque materiale: sed potest esse vtrumque, sequitur, quòd non possit concipi ista abstractio à materia in communi, sed necessariò, vel debeat esse secundum rationem, vel secundum rem. Deindè quamuis daretur hæc abstractio in communi, non posset correspondere metaphysicæ, quia oportet, quòd abstractio, quæ correspondet alicui scientiæ importet aliquam rationem obiecti determinatam, quam non importat talis abstractio in communi accepta, quia rursus redit ratio, quòd deberet importare, vel aliquid immateriale, vel aliquid præscindens ab esse materiali, & immateriali; neutrum autem horum potest importare, quandoquidem ambo dicunt determinatam abstractionẽ à materia, vt iam diximus, nec aliud esse præter hoc potest assignari, quod abstrahat à materia. Tertiò obiectum totale metaphysicæ, siue hoc sit ens, siue quidditas completa, abstrahit à materia determinato modo, nempè secundum rationem, quomodo ergò metaphysicæ, potest correspondere abstractio à materia in communi sumpta præscindens ab eo, quòd sit secundum rationem, vel secundum rem?

Tertia ratio. X. Sed vt hæc nostra sententia magis declaretur, possumus tertiam rationem formare, quomodo neque Angeli abstrahant à materia, & proindè, cum sub obiecto metaphysicæ tantum ea contineantur, quæ abstrahunt à materia non posse Angelos esse partiale obiectum illius. Quòd ergò Angeli non abstrahant à materia, sic declaratur. Abstrahere a materia nihil aliud est, quàm ab illa esse separatum, vnde hæc abstractio fit per quamdam separationem, qua aliquid à materia separatur. Verùm non potest dici, quod aliquid ab alio separetur, nisi sit vnibile cum ipso, sicuti enim separatio est ablatio vnionis, ita posse separari, supponit posse vniri, sic Angelus non potest dici separari à corpore humano, quia non potest tanquam forma cum ipso vniri, & solùm dicetur posse separari secundum, quod tantum potest vniri; sed quod est ex natura sua immateriale, vt Angelus, nullo modo potest esse in materia, et

Angelus nõ abstrahit à materia vt ab ea abstractione.

go neq. poterit ab illa separari; si ergo nõ potest à materia separari, quomodo ab illa abstrahet? Quòd si ex eo, quòd immateriale est, dicitur abstrahere à materia, iam erit æquiuocè tantum abstractio, & non seruabit veram rationem abstractionis, & proinde neque importabit eamdem rationem formalem obiectiuam cum ijs, quæ verè abstrahunt a materia.

XI. Confir. ratio facta. Abstractio à materia fit per intellectum, & ideò debet interuenire operatio intellectus, quæ separet a materia; Angeli verò excludunt a se omnem penitus materiam ex natura sua absq; aliqua operatione intellectus, ergò verè angeli non abstrahunt à materia ea abstractione, quæ confert ad obiectum metaphysicæ. Antecedens declaratur. Ad constituendum obiectum scientificum in debita abstractione, oportet, quòd intellectus separet naturam ab indiuidnatione, & singularitate, atque hæc abstractio est simpliciter necessaria cuicunque obiecto scientifico, quare opus est simpliciter intellectu ad faciendam primam abstractionem obiecti scientifici. Huiusmodi autem prima abstractio aliquibus obiectis sufficit, vt sint scibilia, vt sunt corpora naturalia, quæ sunt obiecta physiologię: verùm ad alias scientias non sufficit, præsertim respectu metaphysicæ, sed opus est aliqua alia maiori abstractione, quæ fundetur in prima; abstractio autem maior, quæ fundetur in abstractione a singularitate, non potest esse ex natura rei, sed debet esse per intellectum; quia postquam intellectus abstrahit a singularitate, oportet, quòd in re abstracta adhuc magis abstrahat, & ponat alias separationes, quibus scientiarum obiecta diuersificẽtur, ergo abstractio metaphysicæ ab oĩ materia, cũ sit posterior abstractione à materia signata, debet fieri ꝑ intellectũ, & debet esse propria naturæ alicuius vniuersalis, quemadmodum etiam propria est obiecti scientifici, quod necessariò est natura quædam vniuersalis; at abstractio à materia, secundùm rem, si modo abstractio dici potest, non est propria naturæ vniuersalis; sed conuenit etiam cuicunque indiuiduo immateriali. Atque hoc retinendum est, quòd abstractiones, quę proprię sunt obiectorum scientificorum, non debent esse à parte rei præcedẽtes operationem intellectus; sed debent ab ipso intellectu fieri, vtpotè, quia ad intellectum spectat distinguere obiecta scientiarum

Prima abstractio obiecti scientifici a b intellectu.

tiarum, neque enim ex natura sua distin guuntur.

Quarta ratio.

XII. Quartò, argumentor. Quando obiectum metaphysicæ, quod est ens, siue, vt nos docuimus, completa quidditas, contrahitur ad esse corporeum, siue materiale, statim desinit esse obiectum metaphysicæ, & fit obiectum physiologiæ, & hoc non alia ratione contingit, nisi, quia acquirit nouam rationem formalem obiectiuam; ergo etiam, quando contrahitur ad esse immateriale, seu spirituale, constituetur obiectū alterius sciētiæ. Consequentia tenet à paritate rationis, cum enim materiale, & spirituale sint differentiæ ex opposito diuidentes id, quod est intra obiectum metaphysicæ, si vna trahit ad esse diuersi obiecti, cur nō trahet etiam altera, cum oppositorum sit eadem ratio? Præterea non minus diuersam rationem formalem, dicit esse incorporeum respectu rationis, quam contrahit, nec minus diuersum modum essendi, quàm dicat esse corporeum; ergo si propter hanc diuersitatem esse corporeum constituit diuersum obiectum, debet etiam cōstituere esse incorporeum. Atque hoc pacto optimè saluatur, quomodo obiectum metaphysicæ sit maximè vniuersale; nedum enim debet esse maximè vniuersale secundùm suam totalitatem; sed etiam in vniuersalitate debet excedere obiecta aliarum scientiarum secundùm sua obiecta partialia: si autem considerat intelligentias descenderet metaphysica ad species infimas, vnde haberet obiecta partialia minus vniuersalia, quàm sint obiecta aliarum scientiarum, & non esset scientia simpliciter superior, & vniuersalior.

Materiale, & spirituale adueniētia obiecto, efficiūt metaphysicæ constituunt diuersa obiecta.

Quinta ratio.

XIII. Quintam quoque rationem desumere possumus ex eo, quòd in Theologia quoque agitur de angelis, & multò plura in ipsa cognoscuntur, procedendo ex reuelatis simul, & ex cognitis lumine naturæ, quàm cognosci possunt ex principijs metaphysicis, ergo intelligentiæ non spectant tanquam obiectum partiale ad metaphysicam: Et consequentia hæc tenet; quia, quando aliquod obiectum nō potest secūdùm suam naturam adæquatè cognosci ab aliqua facultate, & ab aliqua alia cognosci potest, ad hanc potius spectat tanquam obiectum, quàm ad illam; obiectum enim à sua scientia exigit adæquatè cognosci, & scientia ex natura sua est talis, vt possit adæquatè manifestare naturam sui obiecti. Et hoc confirmari potest, quia nostra cognitio pendet à sensibus, & ea spectant tanquam obiecta ad scientias naturales, quæ medijs sensibus deuenire possunt in nostram cognitionē; hoc est, quę possumus attingere procedēdo ex rebus sensibilibus per discursum. Cum verò intelligentiæ non subijciantur rebus sensibilibus, neq; habeant cum illis aliquam connexionem per se, & necessariam, quemadmodum habet substantia cum accidentibus, sed solùm contingentem, quatenus scilicet sunt causa alicuius operationis, vt est motus cœli, ex quo Philosophi colligerunt existentiam intelligentiarum; sequitur, quòd stante nostro modo cognoscendi possit tantùm procedendo per discursum merè naturalem indagari earum existentia; imò neq; necessariò potest indagari, sed tantùm probabiliter, quia fieri posset, quòd ille motus esset à Deo, vnde procedendo ex rebus sensibilibus vix existentia intelligētiarum potest colligi. Ex quo sequitur quòd ad summū spectent ad nostras sciētias naturales, quæ habent originem à cognitione sensitiua, tanquam principia extrinseca alicuius operationis, non autem tanquam obiectum, vt etiam spectat ad physicam primus motor; non enim procedendo ex iis, quæ sensu percipimus possumus ascendere ad cognoscendam adæquatè naturam intelligentiarum.

Angeli non possunt adæquatè cognosci à metaphysica.

Ad fūdamentum oppositæ sententiæ.

XIV. Atque ex his, quæ diximus, corruit fundamentum oppositæ sententiæ: constat enim, quòd intelligentiæ habent diuersum modū scibilitatis, & diuersam rationem formalem obiecti ab ea, quàm habet obiectum totale; vnde non possunt pertinere ad eamdem scientiam, accedit, quòd si volumus illis tribuere abstractionem à materia habent longè diuersam, & quæ ex natura sua apta est constituere aliam scientiam. Quòd verò spectat ad Arist. facilè posset responderi, quod egit in metaphysica de intelligentiis, quia cum pauca admodum de ipsis cognosci possint, non erat constituenda noua scientia de ipsis, & cum non adesset Theologia, cui assignarentur pro obiecto, reduxit earum tractationem ad metaphysicam, tanquam ad scientiam, cum qua saltem ratione nobilitatis obiecti magis congruerent. Quod si adfuisset Theologia, certè non constituisset pro obiecto metaphysicæ; vndè hinc etiam arguere possumus

Explicatur mēs Aristot.

ſumus. Intelligentię ſunt partiale obiectum theologiæ, quæ earum naturam ſpeculatur, ergo non poſſunt eſſe obiectum metaphyſicæ, ita vt debeant ab ipſa ſecundùm ſuam naturam conſiderari. Nec ſufficit, ſi dicatur, à metaphyſica conſiderari ſecundum rationem reuelati, quia quicquid de hoc ſit, ſufficit nobis, quòd ſecundum eamdem rationem materialiter ſumptam conſiderari deberent, eſt enim ſecundùm hanc etiam impoſſibile ab eadem ſcientia conſiderari; cum enim eadem ratio materialis ſubſterni poſſit ſolum vni rationi formali, & vna ratio formalis ſpectet ad vnam tantùm ſcientiam, ſequitur, quòd eadem ratio materialis ad vnam tantum ſcientiam pertinere poſſit; ad quid enim; ſi rectè tractatur ab vna, & adæquatè, tractabitur etiam ab alia?

Intelligentiæ obiectũ theologiæ.

XV. Verùm etiam alio modo reſpõderi poteſt, & hanc reſponſionem exiſtimo eſſe magis conformem menti Ariſt. Quòd nimirum Ariſtot. agat tantum de intelligentijs, vt de cauſis, & principijs extrinſecis huius vniuerſi, non verò tanquam de obiecto; quod ſatis indicat, quia nullibi conſiderat earum naturam, ſed ad ſummum, quòd ſint immobiles, & quòd immobiles moueant; & alia huiuſmodi, quæ ſpectant potius ad operationem, quàm ad eſſentiam. Quòd ſi diuidit ſcientiam ſpeculatiuam ſecundum diuerſa genera ſubſtantiarum, & metaphyſicæ aſſignat ſubſtantias abſtractas, & immobiles. Dicendum eſt, per ſubſtantias ſeparatas, & immobiles, vt ſupra etiam innuimus, non intelligere intelligentias, ſed ſubſtantiam vt ſic, antequam contrahatur ad eſſe corporeum, vel incorporeum; & quæ abſtrahit à materia ſecundum rationem, quam tanquã principalius obiectum aſſignat pro metaphyſica; Vel etiam pro obiecto totali, intelligens pro ſubſtantia quidditatem rei, vt ſupra diſp. 17. ſect. 3. num. 6. declarauimus. Et ne hæc reſponſio voluntaria videatur, Ariſt. ipſe eam indicat, nam imprimis tex. illo 3. lib. 6. metaph. inquit. *Si igitur non eſt aliqua alia ſubſtantia præter eas, quæ natura conſiſtunt, naturalis profectò prima ſcientia eſt.* Ex quibus colligitur, quòd Ariſ. aſſignat pro obiecto metaphyſicæ ſubſtantias illas, quæ non inuoluunt in ſuo eſſe naturam; & quæ faciunt, quòd metaphyſica ſit prima philoſophia. Subſtantia autem in communi non inuoluit naturam, & cum ſola ſit prior natura ſubſtantia naturali, ſola poteſt facere, quòd metaphyſica ſit prior naturâ phyſica. Subſtantia vero ſpiritualis, vt talis eſt, non eſt prior natura materiali; tàm enim ſpirituale, quàm materiale ſunt differentiæ immediatè diuidentes ſubſtantiam vt ſic: differentiæ autem immediatè oppoſitæ ita ſe habent, vt vna non ſit prior natura altera; & idcirco non poteſt ſubſtantia ſpiritualis eſſe obiectum metaphyſicæ, non enim illam faceret priorem phyſica.

Alia reſponſio.

XVI. Conſtat igitur, quod ex auctoritate illa Ariſ. potius noſtra ſententia confirmatur; ſed attendendus eſt etiam alter tex. ex quo & pręcedens reſponſio elicitur, & noſtra ſententia corroboratur; in textu enim 4. lib. 4. Metaph. ita habet. *Atque tot philoſophia partes ſunt, quot ſubſtantia; quare neceſſe eſt, vt aliqua earum prima, & alia ſequens ſit; ſunt autem ſubinde habentia genera ipſum vnum, & enti; quare etiam ſcientia ſequentur iſta.* In quo textu hoc aduertere oportet, quòd diſtinguit partes philoſophiæ iuxta diuerſa genera ſubſtantiæ; atque ait, quòd partes ſubſtantiæ ſunt ſub eodem genere; nempe entis, atque vnius, & ſimiliter etiam ſcientię. Verùm ſcientias ita ſe habere, vt alia prior ſit, alia poſterior; & cum ſint ſub eodem genere, oportet, quòd ſub illo ſit hæc etiam prioritas, & poſterioritas: & cum ſcientiæ ſequantur obiecta, neceſſe eſt, quòd hæc prioritas, & poſterioritas ſit etiam in obiectis; quod fieri non poteſt, niſi vnum importet rationem ſuperiorem, & alterum rationem inferiorem; non enim alia prioritas, & poſterioritas ſub eodem genere reperiri poteſt præter illam, quam dicunt gradus ſubordinati, præſertim, cum debeat eſſe ſecundùm diuerſas rationes formales; quare ex teſtibus, qui pro oppoſita ſententia adducuntur, noſtra confirmatur, ſi vera explicatio attendatur. Illuſtratus Ariſ.

Explicatur latitudo abſtractionis Metaphyſica.

SECTIO II.

I. Ex dictis facilè erit declarare, quàm latè pateat abſtractio metaphyſica, & ad quę ſe extendat. Probatum enim fuit, quòd non ſe extendit ad Deum

neque

neque ad intelligentias; vnde fit vt se extendat tantum ad quasdam rationes entis vniuersaliores. Vt autem rem totam enucleatius declaremus. Notandum est primo, quòd duplici modo potest intellectus abstractionem formare. Primo quidem abstrahendo naturas à conditionibus indiuidualibus, & eam denudando ab omni singularitate, & hæc est prima omnium abstractio, & fundamentum cæterarum abstractionum, & ex qua primùm, vt etiam supra diximus, obiectum constituitur in statu, vt possit esse obiectum scientiæ. Altero autem modo abstrahit, si circa naturas iam abstractas versetur, formando nouas abstractiones, & rationes, iam factas vniuersales per primam abstractionem, inter se separando.

Duplex modus abstractionis.

II. Quòd spectat ad primum modum abstractionis, ex dictis sequitur, quòd metaphysica non possit versari circa naturas primo modo abstractas, prout dicunt esse tali modo præcisè abstractum, hoc enim esse vel necessario inuoluit materiam, vel est quid spirituale. Si materiam inuoluit, iam non est aptum, vt consideretur à metaphysica, si verò est quid spirituale, neque, vt sect. præcedenti probatum est, ingreditur obiectum metaphysicæ: vnde oportet, quòd pro obiecto metaphysicæ adhibeantur aliæ abstractiones, quæ circa naturam iam primo abstractam versentur. Relinquendo ergo indiuiduationes tanquam ineptas pro obiecto scientifico, & sumendo naturam sic primò abstractam, adhuc duplici modo potest intellectus circa ipsam abstrahere; vel enim potest eam in suas partes diuidere assumendo esse genericum, & relinquendo esse differentiale; Vel potest considerare aliquam rationem, quæ desumatur tum ab esse generico, tum ab esse differentiali.

Duplex modus abstrahendi circa naturas specificas.

III. Quod ad primum modum abstractionis spectat, certum est ex dictis, quòd relinquenda est differentia tanquā aliquid, quod nō est intra obiectū metaphysicę. Ratio verò generica fieri potest, quòd adhuc sit extra obiectum metaphysicæ, quod continget, si participabit easdem conditiones, quas participat ratio differentialis, si nimirum vel sit materialis, vel adhuc inuoluat aliquam rationem, quæ ex natura sua abstrahat à materia; vnde adhuc abstrahendum erit relinquendo rationes inferiores, & progrediendo ad superiores, quoad vsque ad eas deueniatur, quę abstrahant ab omni materia, & quæ non sint spirituales: & consequenter ratione tantum abstrahant & tunc habebimus obiectum proportionatum pro metaphysica. At si altero modo fiat abstractio, vt videlicet consideretur aliqua ratio, quæ fundetur in vtraq; ratione defferentiali, & generica; si huiusmodi ratio excludat omnem materiam & ratione tantùm ab ea præscindat, vt esset ratio compositionis metaphysicæ, tunc certè illa rō talis est, vt ingrediatur obiectum metaphysicæ, sin autem deficit aliqua ex his conditionibus, adhuc circa ipsam abstrahendum est, quoad vsq; rationes abstractæ adæquantur debitas conditiones, vt constitui possint pro obiecto metaphysicæ.

Vbi incipiat abstractio metaph.

IV. Ex his ergo sequitur, quòd detur duplex genus rationum abstractarum; & vniuersalium. Aliud, quod abstrahit tantùm à materia signata, & in quo saluatur completa ratio alicuius naturę; in telligendo per completam naturam illā, quæ inuoluit omnes illos gradus essentiales, & prædicata quidditatiua, quæ necessaria sunt ad constituendam, si non vnam naturam omnino completam, saltem vnam aliquam entitatem integram.; & hoc genus, vt diximus non est aptum pro obiecto metaphysicæ. Alterum verò genus est rationum incompletarum, & est earum, que non dicunt omnia necessaria prædicata ad vnam aliquam entitatem constituendam; & hoc genus rursus subdiuidi potest, videlicet in eas rationes, quę sunt puræ à materia, & ex natura sua ab illa non abstrahunt; sed solùm secundum rationem; & in eas, quæ vel inuolunt materiam, vel ex natura sua tanquam quid spirituale ab illa abstrahunt, & ex his duobus generibus solùm primū adæquat obiectum metaphysicę, & ad illud tantùm abstractio metaphysica se extendit, quo adnotato, facile erit separare ea, quę pertinent propriè ad metaphysicam, & quæ per se considerari debent, vel tanquā obiecta, vel tanquā principia, & passiones ab iis, quæ spectant ad alias scientias, & quæ solùm vel ex instituto docentis, vel ob aliquam commoditatē pertractari solent in metaphysica, & non quia id exigat natura scientiæ.

Duplex genus rerū abstractarum.

Deducuntur nonnullæ Corollaria.

SECTIO III.

QũoDeꝰ non sit partiale obiectũ metaph.

I. EX his autem, quæ diximus, tum in hac, tùm in præcedentibus disputationibus possumus nonnulla corollaria deducere, quæ valdè prosunt ad magis declarandum ea, quæ diximus de obiecto metaphysicæ, & Primò quidem colligitur, quòd quando arguitur, posse nos multa cognoscere de Deo naturaliter, quæ spectant non solùm ad existentiam ipsius, sed etiam ad naturam, vt quod sit æternus, quòd immutabilis, & naturali lumine procedentes posse diuina attributa demonstrare de ipso; vnde videtur sequi, dari aliquam scientiam naturalem de ipso, quæ nulla alia esse videtur, quàm metaphysica. Non rectè procedit argumentatio; quia, licèt verum sit, posse nos naturali lumine multa de Deo cognoscere, non possumus tamen adæquatè eius naturam assequi, vnde est quædam scientia deficiens, quæ accedentibus ijs, quæ reuelata sunt perficitur, & ideò coniungenda sunt, ita natura obiecti postulante ea, quæ naturali lumine cognoscimus, atque ea, quæ nobis reuelata sunt, vt ex vtrisque procedentes perfectiorem scientiam de Deo assequamur, & consequenter Deus statuendus est obiectum huius scientiæ, & non metaphysicæ. Et deinde dato, quòd scientia de ipso esset purè naturalis, certè cum habeat adeò diuersum modum essendi, & diuersam rationem formalem obiecti ab obiecto totali metaphysicæ, non potest esse partiale obiectum illius. Et si quis eodem modo arguat de Angelis, eodem etiam modo respondendum est, vt supra etiam innuimus.

Auersa.

II. Colligitur secundò, vt verè etiam adnotauit Auersa tom. 1. suæ Philosophiæ quæst. prima, sect. 7. in ratione prima pro conclusione tertia. Quòd si ens in sua communitate esset obiectum metaphysicæ, & præcisum ab omnibus, tunc ex vi huius obiecti totalis non clauderetur intra obiectum metaphysicæ ens immateriale, siue secundùm rem abstraheret à materia, siue secundum rationem, modò diceret aliquem modum essendi determinatum. Ens enim præcisè sumptum in tota sua latitudine non potest ad aliquid inferius extendi, nisi quia est quædam ratio communis ab inferioribus participata; verùm quantum est ex hoc capite, non magis extenditur ad immateriale, quàm ad materiale, quia nonminus ab vno, quàm ab alio participatur. Quòd si non sumatur cum præcisione, sed vt immersum in inferioribus, tunc etiam neque est maior ratio, cur potius importet materialia, quàm immaterialia, cum in omnibus sit immersum. Quòd si intelligatur de ente abstrahente à materia, tunc malè reduplicatur ratio entis, vt ens est, quia vt supra diximus, ratio formalis obiecti trahit secum pro materiali omne id, in quo reperitur, & cum ens reperiatur in omnibus rebus tàm immaterialibus, quàm materialibus, omnia trahet ad obiectum metaphysicę, & non solùm, quæ abstrahunt à materia.

Qũo ens vniuer salissimè sumptũ nõ possit constitui obiectũ metaphys.

Flandr.

III. Tertiò colligitur. Non esse verum, quòd asserit Flandria 1. Metaphys. q. 1. Quòd obiectum Metaphysicæ sit ens prędicamentale includens prædicamenta. Quamuis enim verũ sit, quòd obiectum Metaphysicę est tantum ens creatũ, ita vt non excedat prædicamenta, non tamen hinc sequitur, quòd illa adæquet, & omnia includat; sunt enim plura, quæ nequeunt considerari à metaphysica, vtpotè, quia non abstrahunt à materia; Quantitas enim non abstrahit à materia mathematica, si consideretur secundùm dimensiones; si verò consideretur secundùm aliam rationem essentialem, qua est ratio partium extra partes, tunc continetur intra abstractionem physicam tanquam passio corporis physici naturalis. Similiter Actio, Passio, Vbi, Situs, Habitus, vel sunt affectiones corporis naturalis, & consequenter intra abstractionem Physicam, vel saltem consequuntur ad naturas completas, & idcircò earum condicionem sequuntur, vt videlicet pertineant ad illam scientiam, ad quam spectant ea, ad quæ consequuntur. Quare huiusmodi prædicamenta secundùm proprias rationes acceptas, non sunt intra obiectum metaphysicæ, quamuis possint ad ipsum spectare, secundùm aliquas alias rationes.

Non oĩa quæ sunt in prædica mentis clauduntur in obiecto metaph

IV. Denique quartò colligitur, quid dicendum de causis. An videlicet spectent ad considerationem metaphysicæ; Suarez enim in Metaphysic. disput. 1. sect. 2. num. 15. affirmatiuam

partem

An tractatus de cauſis ſpectet ad metaph.

partem amplectitur, & ita ferè communiter docent, ſed non ita abſolutè loquendum eſſe, & diſtinctionem adhibendam facilè ex dictis infertur. Cauſæ enim, vt etiam ſupra adnotauimus, poſſunt conſiderari, vt ſunt intra abſtractionem metaphyſicam, & hoc pacto dubium non eſt, quin ſpectent ad metaphyſicam, prout verò ſunt intra abſtractionem phyſicam debent ad Phyſiologiam pertinere. Et ex regula tradita de extenſione, & amplitudine abſtractionis metaphyſicæ, poteſt facilè dignoſci, quando ſint intra abſtractionem metaphyſicam, & quando intra abſtractionem phyſicam. Si enim accipiantur ſecundum communes rationes cauſæ præſcindentes ſecundum rationem ab omni materia, & non dicentem integram naturam entitatiuam, tunc ſunt intra abſtractionem metaphyſicam. Rurſus etiam ſecundum peculiarem modum vniuſcuiuſque generis cauſæ metaphyſico modo cauſantis, hoc eſt ſecundum rationem cauſæ virtualis, importantis quatuor modos cauſandi virtuali modo, dummodo tamen inter res metaphyſicas, & metaphyſico modo exerceantur, pertinent ad metaphyſicam.

V. Verùm, ſi conſiderentur prout reali modo cauſant, & à parte rei; tunc nullum genus ſpectat ad metaphyſicam. Et quidem de materiali, & formali euidens eſt, quia non abſtrahunt à materia; quemadmodum debent abſtrahere, quæ conſiderantur per ſe a metaphyſica. Verùm generalis ratio, pro omnibus generibus cauſarum eſt, quoniam ratio cauſatiua reali modo non reperitur niſi in natura completa, determinata ad vltimum eſſe ſpecificum, ſine quo impoſſibile eſt; quòd poſſit dari cauſa, quæ a parte rei cauſare poſſit; huiuſmodi autem naturæ completæ, vt diximus, iam non ſpectant ad metaphyſicam. Verùm hic aduertendum eſt, quòd non eſt opus inſtituere tractatum ſpecialem de cauſis virtualibus, declarando earum ſingula genera, & ſingulos modos cauſandi, cum enim, quæ conueniunt cauſis formalibus, & realibus conueniant etiam virtualibus proportione ſeruata, quæ in eo conſiſtit, quòd illud, quod cauſa realis formali modo dicit, cauſa virtualis dicat virtuali modo, vt ſi cauſa materialis realis dicit recipere, & ſubſtentare formali modo, virtualis materialis idem dicat virtuali modo: & ſic de reliquis generibus; hinc fit, quòd otioſus eſſet huiuſmodi ſpecialis tractatus, cum enim ex iis, quæ dicuntur de cauſis realibus, facilè, quæ cauſis virtualibus conueniant ſeruata proportione, deduci poſſint, ideò tractatus de cauſis ad phyſicam remittendus eſt; & ibi etiam commodius explicantur rationes communes cauſæ, vt potè quia deducunt ad intelligentiam cauſarum, & principiorum in particulari. Et hæc de obiecto metaphyſice.

Qualiſnam ſcientia ſit metaphyſica. Diſp. XX.

Metaphyſicam eſſe propriè ſapientiam.

SECTIO I.

I. EXplicato obiecto metaphyſicæ facile erit eius eſſentiam declarare; deſumitur enim ab obiecto tanquã à ſuo proprio ſpecificatiuo. Et quidem, quòd metaphyſica ſit ſcientia, dubium eſſe non poteſt, præſertim ſi ad ea attendamus, quæ ſupra diximus de diuiſione philoſophiæ in ſuas ſpecies, & breuiter etiam hic declarari poteſt ex ipſo obiecto, quod diximus eſſe quidditatem completam, & conſtantem ex ſuis principijs intrinſecis; de hac autem quidditate multa ſcientifico modo cognoſci poſſunt; poſſumus enim circa ipſam formare diuiſiones, & definitiones; & habet etiam ſuas cauſas, ſaltem virtuales, quas aſſumere poſſumus ad conficiendas demonſtrationes; fundat etiam hoc obiectum principia complexa, ex quibus concluſiones deducantur à priori; quæ omnia indicãt, ſcientifico modo circa ipſum procedi poſſe. Præterea intimiori modo, quã aliæ ſcientiæ, rerum eſſentias conſiderat, & vſque ad earum primos gradus aſcẽdit, ſeu rationes magis vniuerſales; & idcircò ſi ipſa non eſſet ſcientia, multò minus cœteræ rationem ſciẽtiæ propriè dictæ participarẽt, vt sũt Phyſica, atq. Mathematica

Metaph verè ſcientia ſpeculatiua

II. Cœterum non solùm metaphysicam esse scientiam, certum est, sed etiam esse purè speculatiuam, ità vt non sit simul speculatiua, & practica: quòd non solùm docet Arist. 1. Metaphys. cap. 2. sed etiam sequitur ex ijs, quæ supra diximus de diuisione philosophiæ speculatiuæ in Metaphysicam, Physicam, & Mathematicam. Et breuiter ratio reddi potest ex fine cognitionis metaphysicę, penes quem attenditur ratio Practici, atque Speculatiui; sistit enim in sola contemplatione, & ex se neque ordinatur ad opus physicum, sicuti medicina, neque ad opus morale, vt contingit in philosophia morali, quòd enim opus physicum erit istud, ad quod ordinatur? aut quod opus morale, cum contradistinguatur à morali philosophia? Deinde si Metaphysica esset aliquo modo practica, oporteret, quòd aliquo pacto ageret de rebus à nobis operabilibus, quemadmodum cõtingit in Theologia, quæ considerat operationes nostras tanquam ordinabiles in vltimum finem, & versatur circa Deum acquirendum. Cœterum id non pręstat metaphysica, si quidem agit de primis rerum causis, de primis essentiis, & sistit in sola cognitione quidditatum, quę abstrahunt ab omni materia, quare concludendum est, esse purè speculatiuam, & nihil de praxi inuoluere.

Aristot.

III. Ex his verò colligitur, Quęnam sit essentia metaphysicæ, vt talis est, quę explicari potest per definitionem Esse videlicet scientiam speculatiuam quidditatis completæ abstrahentis à materia, intelligendo per quidditatem completam, vt supra explicauimus, non quidditatem omnimodè perfectam, & integram quò ad omnes gradus, sed illam, quę constat ex intrinsecis partibus metaphysicis, quibus tanquam ex principijs coalescit. Scientia autem speculatiua stat loco generis proximi, cœtera verò loco differentiæ, quæ per ordinem ad proprium obiectum explicatur. Verùm quod in præsenti loco difficultatem facit, est; An metaphysica sit verè sapientia? Nomine autem sapientiæ hic non intelligimus sapientiam largè sumptam, de qua Arist. lib. 6. Eth. ca. 7. inquit *Sapientiam autem in artibus ijs tribuimus, qui in ipsis sunt exactissimi, Phydiam enim sapientem sculptorem lapidum dicimus.* Certum enim est, quòd si sapientia hoc modo accipiatur; nimirum pro exacta

Definit. tio metaphysicæ.

An metaphysica sit sapientia. Aristot.

cognitione, quod applicari potest cuicunque facultati; hæc enim eximia, & perfecta cognitio transcendit per quemlibet habitum cognoscitiuum; vnde est sapientia vniuersalis, quæ de qualibet scientia verificatur, quatenus procedit per primas causas intra suum genus, vt etiam notauit Diu. Thom. 2. 2. quæst. 45. artic. 1. Sed hic sumimus sapientiam cum omni rigore pro particulari habitu intellectuali ab omnibus alijs contradistincto, qui habet obiectum proprium, atque etiam modum tendendi peculiarem.

D. Tho.

IV. Sequendo ergo doctrinam peripateticam. Dicendum est metaphysicam esse propriè sapientiam, & cum omni rigore. Quam conclusionem tradit etiam Arist. 1. metaph cap. 2. initio, & lib. 3. cap. item 2. & sequuntur communiter omnes Philosophi. Hęc conclusio, quamuis certa sit, duplici tamen modo ostendi potest declarando rationem sapientiæ esse in ipsa metaphysica. primus esse potest per rationem generalem, alter verò, atque efficacior ostendendo, quomodo ratio formalis sapientiæ explicata per quasdam conditiones, metaphysicæ insit, quod etiam præstat Aristot. locis citatis. Nunc autem primum modum prosequemur, alterum verò in sectione sequenti, quoniam requirit longiorem discursum. Ratio ergo generalis desumitur ex necessitate huius habitus, qui sit sapientia; oportet enim dare aliquam scientiam, quæ sit omnium eminentissima, quemadmodum etiam dantur res speculabiles, quæ cœteris omnibus supereminent; videmus enim hunc ordinem seruari in rebus omnibus; quodcunq; enim genus entium consideretur, semper intra ipsum clauditur vnum aliquod, quod præ cœteris excellit; & hoc secum affert pluralitas rerum, quæ, cum essentialiter distinguantur, & sint diuersæ perfectiones, sicuti etiam sunt diuersæ essentiæ, oportet etiam, quòd vna habeat maiorem perfectionem, quàm habeat altera, & hinc fit, quòd intra quodcunque genus adsit vnum, quod cœteris in perfectione excellat, & idcircò hoc ipsum etiam intra genus scientiarum concedendum est.

Cõclus. Metaph verè sapientia.

Aristo.

Fundamẽtum conclusionis.

V. Hoc ergo habitu scientifico, qui cœteris supereminet, ex necessitatẽ admisso, & qui consequenter sit sapientia, sequitur, quòd nullus alius sit

Metaph nobilissima omnium scientiarum.

quam

quam Metaphyſica. Ipſa enim ſecundùm rationem ſcientiæ excedit omnes alias. Si enim conſideretur ex parte obiecti; habet nobiliſſimum obiectum, eſt enim vniuerſalius obiectis aliarum ſcientiarum; & quemadmodum docet Ariſtot. 4. Metaphyſ. initio, ſi aliæ ſcientiæ conſiderant determinatam partem entis, metaphyſica conſiderat ens vt ſic; intelligendo nomine entis quidditatem completam, vt ſupra ex mente Ariſtotel. diſput. 17. ſect. 3. explicauimus. Rurſus obiectum metaphyſicæ præſcindit ab omni materia, & proindè, quantum fieri poteſt, depuratur, quod non contingit in obiectis aliarum ſcientiarum, quæ ſemper aliquam materiam inuoluunt. Prçterea etiam ex parte principiorum, ex quibus ſuas concluſiones deducit ſupereminet aliis ſcientiis, ſunt enim magis vniuerſalia, & euidentia. Ex quo ſequitur, quòd intra rationem ſcientiæ habeat concluſiones perfectiores, hoc eſt magis certas, & euidentes; quod maximam præſtantiam confert ſcientiæ; Si ergo illa ſcientia propriè eſt ſapientia, quæ intra genus ſcientiæ cœteris præſtat, hçc procul dubio erit metaphyſica, vt iam patet ex dictis, & magis manifeſtum fiet ſectio ſequenti.

Ariſtot.

Conditiones Sapientia propriè dicta ineſſe Metaphyſica.

SECTIO II.

I. **A**Ltera via propoſita oſtendendi quomodo metaphiſica ſit ſapientia propriè dicta, erat declarare, quomodo participet concluſiones intrinſecas, quibus eſſentia ſapientiæ coaleſcit. Eas autem, atque plures aſſignat Ariſtot. 1. Metaphyſ. cap. 2. Quarum prima eſt, quod ſapientia ſit ſcientia vniuerſalis, quę quantum fieri poteſt, circa omnia verſetur, ait enim. *Primò igitur opinantur, ſapientiam maximè omnia, vt poſſibilè eſt, ſcire.* Quod ita accipi debet, non quaſi ſapientia conſideret obiecta aliarum ſcientiarum ſecundum ipſorum proprias rationes; ſic enim coincideremus cum iis, qui ponebant vnicam tantum ſcientiam; ſed quod intra ſuum obiectum formale includat aliquo modo tanquam aliquid materiale etiam obiecta aliarum ſcientiarum; & hoc pacto quantum fieri poteſt, hoc eſt, prout eidem obiecto formali ſubſterni poſſunt, omnia conſideret, quod tunc contingit, quando ratio formalis obiecti eſt valdè vniuerſalis.

Condi- tiones ſapiẽtię Ariſtot.

Sapiẽtia ſcientia maximè vniuerſalis.

II. Secunda condicio ſapientiæ, quam aſſignat Ariſtot. eſt, Quòd verſetur circa res difficiles, & à ſenſibus valdè remotas; ſubdit enim. *Deindè illum, qui difficiliora, neque ſcitu facilia cognoſcere poſſit, ſapientem exiſtimamus.* Scientiam enim, quę difficillima attingit, atque ita explicat, vt euidentiora fiant, quàm quæ in cœteris ſcientiis traduntur, oportet, quòd excellentiſſima ſit, & ideò hæc prærogatiua ſoli ſapientiæ competere poteſt, tanquam ſcientiarum omnium præſtantiſſimę. Tertiam condicionem ſapientiæ aſſignat, nimirum quòd ſit certa cognitio. Cœterum hæc certitudo debet eſſe quodam modo eminens, & aliquem peculiarem gradum certitudinis importare; alioquin cum omnis ſcientia ſit certa cognitio, nihil peculiare haberet, quo à cœteris contradiſtingueretur, & conſequenter non eſſet propria condicio, quæ concurreret ad conſtituendam ſapientiam propriè dictam.

Sapiẽtia eſt circa res difficiles.

Quo ſap. etiã ſit eminenter certa cognitio.

III. Pergit autem Ariſt alias condiciones aſſignare. vndè quartam ſubdit inquiens. *Item, illum, qui certior ac, magis docere valens.* hoc eſt ſapientem exiſtimamus. Debet ergò ſapientia eſſe apta ad docendum, ita vt conferat poſſidenti quamdam peculiarem aptitudinem, qua alios edocere poſſit. Hoc enim eſt de ratione ſcientiæ; quòd tanquam bonum aliquod ſit ſui ipſius communicatiua, quod fit mediante doctrina, quæ à ſcientificis traditur. Hinc autem fit, quòd ſcientia illa, quæ eſt ſapientia, hanc vim communicatiuam debeat excellentiori modo participare, quia ſi alias ſcientias excedit intra genus ſcientiæ, etiam debet excedere in hac vi, qua poteſt ſe aliis communicare, & ideò debet eſſe magis apta ad docendum, quàm ſint cœteræ ſcientiæ. Quinta verò condicio eſt, vt ſit gratia ſui, & non ordinetur ad aliud, de qua pariter Ariſtotel. ait *Scientiarum atque illam, quæ gratia ſuiipſius, & propter ipſum ſcire, quàm illam, quæ aliorum gratia eligenda ſit.*

Sapiẽtia apta ad docendum.

hoc est sapientiam existimamus, quæ similiter conditio ita accipi debet, vt peculiari modo conueniat sapientię, esse gratia sui, nam simpliciter omnes scientię speculatiuæ sunt gratia sui. Denique vltima conditio est, quòd alteri non subministret; sed potius cœteris præsit, vndè concludit Arif. *Et principaliorem, quã ei subministrantem potius sapientiam esse* Atque hę sunt intrinsecæ conditiones, seu potius formalitates, quibus sapientia in suo esse constituitur.

Sapientia peculiari modo gratia sui, nullius ministrans.

IV. Vt igitur ostendamus, quomodo metaphysica sit verè sapientia, declarare oportet, quomodo vnaquęque ex his conditionibus ipsi conueniat. Et quod spectat ad primam. Metaphysica circa omnia, quantum fieri potest, versatur, quia, vt inquit Arif. est scientia maximè vniuersalis; habet enim obiectum magis vniuersale, quàm sint obiecta aliarum scientiarum. Sed adhuc restat explicare, quomodo ex hac vniuersalitate sequatur, quòd circa omnia versetur; non enim obiectum ita vniuersale videtur, vt omnia sub se complectatur. Quare dicendum est, vt supra etiam innuimus, quòd ratione sui obiecti, præsertim formalis, circa omnia versatur, quatenus in omnibus reperit aliquid, quòd intra ipsius abstractionem, & considerationem cadere potest; considerat enim tanquam obiectum quidditatem completam abstrahentem ab omni materia, hæc autem ratio obiectiua in qualibet entitate physica reperitur, à qua abstrahi potest, & trahi ad considerationem metaphysicã; & hoc pacto metaphysica versatur, quantũ fieri potest, circa oĩa, hoc est quatenus possunt sub ipsius obiecto includi. Deinde metaphysica considerat fundamentũ totius realitatis, nempè Ens, quod cum in qualibet re imbibatur, etiam ex hoc capite fit, quòd versetur circa omnia, considerando etiam passiones, quæ in ente fundãtur, & alias rationes vniuersales. Atque rursus, cum procedat ex principijs vniuersalissimis, hinc fit, quòd ex ipsis deducere possit conclusiones de rebus omnibus, quod non potest conuenire cœteris scientijs, quæ habent principia coarctata ad certam materiam, atque determinatam.

Quomodo metaph. circa omnia versetur.

V. Vrget tamen nostram sententiam difficultas non contemnenda. Cum enim docuerimus, quòd Deus non contineatur sub obiecto metaphysicę, videtur sequi, quòd hæc conditio non possit de ipsa verificari, quomodo enim versabitur circa omnia, si non versatur circa Deum? Imò augetur difficultas, quia ita sapientia debet versari circa omnia, vt attingat præcipuè res altissimas; quomodo autem metaphysica attinget res altissimas, si non attingit Deum? Posset facilè hæc difficultas expediri, si admitteremus Deum esse ens sicuti sunt creata, tunc enim possemus dicere, quòd metaphysica consideret Deum secundũ rationem entis, & secundum alias huiusmodi rationes, quemadmodum dicimus de intelligentijs, quę licet non cadant sub obiecto metaphysicæ, secundum proprias rationes, considerantur tamen ab illa, secundũ aliàs rationes cõmunes. Verùm, quia, vt dicemus infra, Deus non est ens, sed aliquid supereminentius, alio modo respondendum est. Quod ergo spectat ad primam partem difficultatis dicimus, quòd sapientia debet versari circa omnia, quantum fieri potest; vndè non debet extendi extra suam spherã, hoc enim est impossibile; extenderetur autem si consideraret Deum tanquam obiectum, cum enim sit scientia naturalis, ea tantùm potest attingere, quæ naturaliter cognoscibilia sunt; Deus autem tantum ex reuelatione potest secundùm suam naturam cognosci, quòd præsertim patet de Trinitate; nec sufficit, quòd aliqua attributa naturaliter de ipso cognoscantur, vt sit obiectum scientię, quæ putè lumini naturæ innitatur, vt supra suo loco ostendimus. Ad alteram verò partem difficultatis eodem modo respondendum est, scilicet, quòd sapientia debet versari circa res altissimas, quatenus tamen intra suam spheram includuntur, quòd obtinet metaphysica, quatenus versatur circa primas causas, & prima principia, ita vt vsque ad primum fundamentum totius realitatis perueniat. Accedit etiam, quòd potest aliquo pacto considerare Deum, licet non tanquã obiectum, sed tanquam primam causam, & vltimum finem; quod valdè confert ad excellentiam scientiæ. Quòd si hinc inferas, metaphysicam non esse sapientiam, sed theologiam, tanquam illam quæ habet Deum pro obiecto, quod est obiectum omnium altissimum. Respondetur, non esse bonam illationem, quia sapientia ex genere suo est intra ordinem naturalem, seu intra latitudinem

Difficultas contra allatam doctrinã.

Satisfit difficultati.

Sapientia scientia naturalis.

illa.

illarum ſcientiarum, quę per ſolum naturale lumen acquiri poſſunt; quòd indè colligitur, quia de ratione ſapientiæ eſt, quòd ſit ſcientia præſtantiſſima, in comparatione aliarum, vt autem rectè comparatio fiat, oportet, quòd ſit intra eũdem ordinẽ ſcientiarũ merè naturaliũ, Quòd ſi reperitur aliqua, quæ ita cœteris emineat; vt cõditiones ſapientiæ debito modo explicatas habeat, cur nõ eſt admittenda tanquã ſapientia propriè dicta? huiuſmodi autem eſſe metaphyſicam quò ad primam conditionem congruenter explicatum eſt; & mox idem de reliquis conditionibus oſtendemus.

Q̃o metaphyſica de rebus difficilibus.

VI. Secunda quoq; conditio, quàm ex Ariſ. ſapientiæ adſcripſimus, conuenit metaphyſicæ, nempè, quòd ſit de rebus difficilibus. Si quis autem quærat, quomodo metaphyſica ſit de rebus difficilis cognitionis; Reſpondet Ariſ. ipſe, & aſſignat rationem, quia ſcilicet eſt de rebus maximè vniuerſalibus, quæ ſunt difficillimę cognitionis, & quòd ſint difficillimæ cognitionis, indè habent, quia ſunt à ſenſibus valdè remotæ. Sed hic ſtatim difficultas oritur, quomodo verum ſit, quòd vniuerſalia ſint difficillimæ cognitionis cum 1. Phyſ. initio idem met doceat, vniuerſalia eſſe maximè nota.

Quomodo vniuerſalia ſint difficillimę cognitionis. D. Thõ.

Cui difficultati reſpondet D. Th. 1. metaphyſ. lect. 2. Ariſ. in 1. phyſ. locutum fuiſſe tantum de ſimplici apprehenſione, atque de cognitione confuſa; cum vero citato loco metaphyſ. docet difficilè cognoſci, loqui de cognitione ſcientifica, & diſtincta, quam reſponſionem etiam

Suar.

amplectitur Suarez in metaphyſ. diſp. 1. ſect. 5. num. 21. Verùm non omninò ſatisfacit hæc reſponſio; neque enim video, quomodo vniuerſalia cognitione ſcientifica magis difficilè cognoſcantur; nam cum omnis cognitio ſcientifica ſit de vniuerſalibus, atque, ſi verè ſcientifica eſt, à priori procedat, ſequitur, quòd eo facilior ſit, quo ex notioribus natura procedit, vndè cum magis vniuerſalia ſint etiam magis nota ſecundum naturam, etiam facilior erit cognitio eorumdem ſcientifica, non autem difficilior, vt docebat Ariſ.

Alia reſpon. reijcitur.

VII. Alij verò difficultati ſatisfaciũt dicendo, quòd Ariſ. in metaphyſica locutus eſt non de vniuerſalibus in prædicando, ſed de cauſis vniuerſalibus, quæ ſunt difficilioris cognitionis. Verùm non rectè difficultatem expediunt, quoniam Ariſ. loquitur de ijs vniuerſalibus, de quibus metaphyſica tractat, tanquam de obiecto; huiuſmodi autem ſunt vniuerſalia in prædicando, ſunt enim quidditates quædam, quæ abſtrahuntur à ſingularibus; ita vt ſeparentur ab omni materia. Præterea ratio, quàm ſubdit Ariſt. propter quam vniuerſalia ſunt difficillimæ cognitionis, æque militat de cauſis vniuerſalibus, ac de vniuerſalibus in dicendo, ſeu prædicando, nam hæc quoq; ſunt valdè remota à ſenſibus, ex quo, inquit Ariſ. habent, quòd ſint difficilis cognitionis. Præterea eamdem difficultatem ex genere ſuo facit, quòd res ſint ſecundùm naturam magis notæ, ſiue ſint cauſæ, ſiuè vniuerſalia in prædicando, vndè ſemper quæri poteſt, quomodo ſint difficillimæ cognitionis, cum eo ipſo, quòd aliquid magis vniuerſale eſt, magis etiam ſecundum ſe notum ſit, & ſcientia procedat ex notioribus ſecundùm ſe, ad ignotiora.

Vniuerſalia ſecũdũ ſe nota ſecundum nos ignota.

VIII. Itaque reſpondendum exiſtimo, verum quidem eſſe, quod vniuerſalia ſunt nota ſecundum ſe, vt etiam docet Ariſt. Verùm ſecundum nos eſſe valdè ignota, vndè quò aliquid eſt magis vniuerſale, eò etiam magis notum eſt ſecundum ſe, verùm magis ignotum ſecundùm nos. Et hic recolendus eſt duplex ille proceſſus, quem diximus in ſcientijs interuenire, ſcilicet à priori, & poſteriori, in quo à ſingularibus ad vniuerſalia procedimus, & à minus vniuerſalibus ad magis vniuerſalia; & cum omnis noſtra cognitio à ſenſibus incipiat, & poſtea ad inſenſibilia perducatur, ſequitur, quòd quò aliquid magis à ſenſu remotum eſt, eò longiori proceſſu ad ipſius inueſtigationem opus ſit, & conſequenter, quia magis vniuerſalia, magis etiam remota ſunt à ſenſibus, idcirco ad ipſorum inueſtigationem longo proceſſu opus eſt, in quo plurimum difficultatis inuoluitur, cum plura inquirenda ſint, antequam eorum cognitionem aſſequamur, & hoc pacto maximè vniuerſalia ſunt maximè difficilia cognitu; vt docet Ariſt. illo citato loco. Quia ergo in ſcientijs, quantum eſt ex natura rerum, quæ cognoſcuntur, requiritur hic proceſſus à poſteriori, quia debemus ſcientiam, & cognitionem à ſenſibus accipere; hinc fit, quòd attendendo hunc proceſſum, metaphyſica ſit de rebus difficilibus, quia eſt de rebus valdè remotis à ſenſibus.

Quomodo vniuerſalia ſint difficilis cognitionis.

Quod

Metaph. eminentialiter certa.

IX. Quòd verò spectat ad tertiam conditionem ipsa quoque conuenit metaphysicæ. Diximus enim supra num. 2. quòd cum dicitur, sapientiam esse certam cognitionem, intelligi debet de qua dam eminentiali certitudine, quæ pro culdubio conuenit metaphysicæ ratione principiorum, ex quibus procedit; cum enim conclusio commensuretur principijs, ex quibus deducitur, sequitur, quòd conclusiones metaphysicę habeant quãdam eminentialem certitudinem, siquidem etiam principia, ex quibus deducuntur, eminentiali quodam modo certa sunt; sunt enim omnium vniuersalissima atque certissima propter maximam vniuersalitatem, quãm habent. Vndè si comparentur ad pleraque principia, tàm mathematica, quàm physica, hęc quodam modo in sua certitudine dependẽt à principijs metaphysicis, quia quamuis intra genus physicum, vel mathematicum sint prima, tamen simpliciter eorum veritas consideretur præscindendo, quòd sit in tali, vel tali subiecto, hauritur ab ipsis principijs metaphysicis, vt in pluribus per inductionem factam patere potest. Quare etiam si metaphysica compararetur ad mathematicam, dummodo tamen principia metaphysica comparentur ad principia mathematica, & conclusiones metaphysicæ, ad conclusiones mathematicas, certior erit metaphysica, quàm mathematica, & proindè eminentiali modo participabit conditionem scientiæ, nempè certitudinem.

Reijcitur Suar.

X. Neque placet, quòd ad hoc propositum docet Suarez. in metaphysicã disp. 1. sect. 5. num. 31. Nimirum, quòd comparando conclusiones metaphysicas cum principijs aliarum scientiarum adhuc certiores sint tales conclusiones, quàm ipsa principia. Huic. n. doctrinæ obstat commune axioma, quòd scilicet infimum superioris nobilius, atque perfectius est supremo inferioris, sic quęlibet substantia spiritualis, quantumuis infima intra suum genus, excedit tamen quamlibet substantiam nobilissimam corpoream, quia ex genere suo habet, quòd sit superioris ordinis, & excellentioris perfectionis, ad quam numquam inferius genus pertingere potest. Sic etiam quodlibet infimum viuens perfectius est quolibet perfectissimo non viuente, quia ex genere suo supra ipsum eleuatur, Vndè si principia comparentur cum conclusionibus certum est, quòd sunt eminentioris certitudinis, idque habent ex genere suo, & idcirco quælibet conclusio, quantumuis certissima, non pertinget ad certitudinem cuius principij, cum hoc ex genere suo supra quamlibet conclusionẽ eleuetur. Et potest id etiam optimè declarari ratione desumpta ex natura conclusionum, & principiorum. Etenim principia ex seipsis habent certitudinem & ex sola notitia terminorum ijs assentimur: vndè habent certitudinem sibi essentialem. Conclusiones verò habent certitudinem non ex se; sed à principijs participatam, à quibus tota earum certitudo; & euidentia deriuat; ita vt impossibile sit ijs assentiri, nisi assensus ex vi principiorum mediante discursu causetur. Ex quo sequitur, quòd cum participent suam certitudinem à principijs non participent cum tota illa perfectione, quæ est in ipsis principijs, sed cum quadam diminutione, ita vt varietur genus certitudinis, & fiat ignobilius; quòd satis illud indicat, quòd non statim ex sola notitia terminorum ijs assentimur, quemadmodum assentimur principijs. Sic etiam videmus in creaturis, quę quoniam habent esse participatum longè distant ab ente per essẽtiã, quia hoc ex natura rei habetur, quòd valdè diuersa sint ea, quæ sunt talia per essentiam, & illa, quæ sunt talia per participationem; ita tamen, vt quæ sunt talia per participationem longè inferiora sint. Et propterea Suarez nu. 23. videns insufficientiam huius doctrinę, aliam responsionem, quam meliorem vocat, adhibet. Et quidem ad saluandam excellentiã certitudinis in metaphysica, sufficit, si principia ipsius sint certiora principiis aliarum scientiarum, & conclusiones conclusionibus, quia sic tota scientia supereminet alijs, & obtinet illam dignitatem, quæ necessaria est ad soluendam rationẽ sapientiæ. Et hæc quòd spectat ad tertiam conditionem.

Infimũ supremi nobilius supremo infimi.

Principia essẽtialiter certa.

Quomodo metaph. sit magis apta ad docen.

XI. Quarta quoque conditio, nempè, quòd sit aptior ad docendum verificatur de metaphysica, vt enim docet Arist. citato loco; Metaphysica speculatur causas rerum, & ideo magis apta est ad docendum, quàm cœteræ scientię. Cũ. n. scire sit rẽ per causas cognoscere, illa scientia melius scientifico modo docet, quæ circa rerũ causas versatur: vnde ait ibid. Arist. *At verò illa magis docet, quæ causas*

sas speculatur: ij enim docent, qui causam singulorum dicunt. Verùm cum cœteræ quoque scientiæ per causas procedant illas speculando, insurgit difficultas, quomodo fieri possit, quod metaphysica sit magis apta ad docendum ex eo, quod causas speculetur. Suar. Suarez citata disp. 1. nu. 36. sect. 5. ait Metaphysicam procedere per causas primas, & independentes: cœteras verò scientias per causas aliquo pacto dependentes ab ipsa metaphysica, & idcirco metaphysicam ratione huius independentiæ habere quamdam maiorem aptitudinem ad docendum, quàm habeant aliæ scientiæ.

Reijcit respon. Suar. XII. Hęc tamen responsio non satisfacit. Causa enim ducit in cognitionem effectus, non per ordinem, quem habet ad aliam causam sibi superiorem, sed per ordinem, quem habet ad suum effectum; hinc causa, quatenus ducit in cognitionē effectus, præscindit ab eo, quòd ab alia causa dependeat, vel non dependeat, & quemadmodum solum secundùm rationē formalem causæ habet, quod ducat in cognitionem effectus, secundùm quam tamen rationem præcisè à nulla alia causa dependet, ita etiam ex eo, quòd ab alia causa dependeat non minuitur aptitudo, quam habet ad generandam cognitionē sui effectus, sed quantum est ex hoc capire eodem pacto se habet, ac si non dependeret cum, vt dictum est, dependentia nō cadat supra rationē causæ. Præterea quælibet scientia habet causas, quæ intra suū genus sunt omnino independentes, & cō consequenter cum debeant solùm causare cognitionem effectus intra illud genus, habent respectu huius scientiæ totam illam aptitudinem, quam possunt habere, quantum est ex hoc, quod attendatur independentia. Itaque alio modo explicandum est, quomodo hęc condicio de maiori aptitudine ad docendum saluetur in metaphysica.

XIII. Eam autem facilè saluari posse existimo, si eodem modo philosophemur de ipsa aptitudine ad docendum, ac sumus philosophati de certitudine. Quòd, scilicet quemadmodum metaphysica habet eminentiorem certitudinem in suis conclusionibus, quia eas deducit ex principijs vniuersalioribus; ita etiam habet maiorem aptitudinem ad docendum, quàm habeant cœteræ scientiæ, quia procedit per causas magis vniuersales: quod obtinet ratione sui obiecti; quod cum omniū vniuersalissimum sit, etiam habet causas, & principia, quæ in vniuersalitate excedunt causas, & principia aliarum scientiarum. Causæ autem, quæ magis vniuersales sunt, eò etiam notiores sunt secundū naturam, & ideò, quantum est de se possunt faciliori modo causare cognitionem suorum effectuum. Præterea ex hoc, quod metaphysica habet obiectum maximè vniuersale, sequitur, quòd possit de omni re per causas discurrere, quia omnia saltem secundùm rationes communes, & vniuersales sub eius obiecto comprehenduntur, quod pręstare non possunt aliæ scientiæ, vtpotè, quia determinatū genus entis cō siderāt; dū aūt metaphysica poteſt de qualibet re per causas discurrere, est cōsequēter apta ad docendum de vnoquoque, & proinde magis apta, quàm sint cœteræ scientiæ, quæ solùm de determinato genere entis docere possunt. Rursus metaphysica modo quodam magis præcisiuo procedit, & res in plurimas formalitates partitur; atque hinc fit, quòd cuiuscunq. etiam formalitatis causam virtualem assignet, quod valdè deseruit ad rerum naturas cognoscendas, & ad quandam comprehensionem, eò modo, quo illam habere possumus, quidditatis ipsarum; quod cum non ita conueniat alijs scientijs, etiā ex hoc capite habet metaphysica, quod sit magis apta ad docendum. Denique metaphysica propter eminentiam suæ doctrinę, & vniuersalitatem habet, quod possit reflectere supra sua principia, & ea declarare manifestando eorum euidentiam, & etiam confirmare deducendo ad impossibile: vnde etiam circa ipsa apta est docere, & ideò etiam in hoc alias scientias excedit, quò ad aptitudinem docendi. Ex his ergo omnibus capitibus fit, quòd metaphysica sit magis apta ad docendum, & consequenter illi conueniat hæc quoque condicio sapientiæ.

Metaph magis apta ad docen. q; procedit per causas magis vniuersales.

XIV. De quinta condicione Sapientiæ, quòd scilicet, sit gratia sui, solùm declarandum est, quomodo peculiari modo id conueniat metaphysicæ, ex quo obtineat dignitatem sapientiæ etiam ex hoc capite; quod enim sit gratia sui, insinuat Arist. citato illo cap. 2. lib. 1. metaphys. inquiens, *Intelligere autem, & scire eorum ipsorum gratia illi præcipuè scientiæ inest, quæ eius est, quod maximè scibile est.* Ex quo patet, quòd ratione obiecti habet metaphysica, seu sapientia, quòd sit maximè gratia sui, quia scilicet habet obiectum Metaph peculiari modo gratia sui.

ctum, quòd est maximè scibile, hoc est speculatiuè cognoscibile, seu propter se cognoscibile, aut vndè id habeat. Respondet eodem loco Arist. vbi ita habet. *Qui enim scire eius ipsius gratia eligit, eã, quæ maximè scientia est, præcipuè eliget. Talis autem est eius, quòd maximè scibile; maximè autem scibilia sunt ipsa prima, & causæ, propter hæc enim, & ex ijs cætera cognoscuntur*. Est ergo obiectum metaphysicę maximè propter se cognoscibile, quia est maximè primum, & vniuersale,& continet sub se primas causas. Hæc autem sunt propter se maximè speculabilia,quia vt insinuat allatus Aris. Quæ prima sunt, ita se habent, vt fundent cognitionem cœterorum, sunt enim notiora secundum naturam prima cognoscibilia; atque cum magis nota sint, fit, quòd maximè propter se cognoscibilia sint, siquidem esse propter se cognoscibile, commensuratur scibilitati obiecti, & si excedit in scibilitate, magis etiam est, propter se cognoscibile cum propter se cognosci sit modus intrinsecè imbibitus in ipsa scibilitate. Deinde quæ prima sunt, dicunt tantùm primas rerum naturas, quæ sunt tantùm quoddam inchoamentum entitatis integræ, & perfectæ; & proindè valde remota sunt, vt possint ordinari ad praxim, solùm enim, quę completa sunt in suo esse essentiali ordinabilia sunt ad praxim; vnde debent esse constituta in vltima specie. Res autem, quę à Metaphysica considerantur non sunt completæ intra vltimam speciem, & proindè valde remotæ, vt ordinentur ad praxim, vndè quando à metaphysica considerantur, maximè propter se considerari debent, cum habeant repugnantiam, vt considerentur in ordine ad aliquod opus, & ex hoc capite habet metaphysica, quòd sit maximè propter se;

Quo metaphysica cæteris scientijs præsit. XV. Denique restat vltima condicio sapientiæ, quòd scilicet non ministret alijs scientijs, sed potius præsit, quæ vt videamus, an de metaphysica verificetur, difficultas illa discutienda esset, an metaphysica subalternet sibi alias scientias, de quo infra disputabimus. Interim dicimus, quòd etiam si non subalternet sibi alias scientias, adhuc tamen ijs præest, quod habet ratione suæ dignitatis; vt enim habet ibidem Arist. primas rerum causas considerat, &, vt vidimus,aptior est ad docendum, & maximè propter se, & eminentiali modo certa; & circa omnia versatur, vnde si attendatur ordo dignitatis,habet quamdam superioritatem supra alias scientias, qua ijs supereminet propter quamdam excellentiam, quam in se habet ratione sui modi tendendi & cognitionis, quam habet. Vndè hic est aduertendum, quòd cum dicitur sapientiam, & metaphysicam præsidere alijs scientiis, non debet intelligi de quadam superioritate practica, & quę aliquo modo ordinetur ad opus, quia hæc esset contra rationem sapientiæ,quæ, vt diximus, est maximè propter se. Sed intelligi debet de superioritate quadam speculatiuo modo se habente, quæ,vt diximus, nulla alia est, nisi dignitas illa, quam supra alias scientias habet intra tamen rationem scientiæ speculatiuę; Præterea metaphysica tùm ratione suæ dignitatis, & excellentiæ, tùm ratione obiecti maximè vniuersalis, quod habet, & quia ex natura sua est quid prius, & superius ad obiecta aliarum scientiarum, potest quodammodo supra alias scientias reflectere tùm declarando principia ipsarum, quęmadmodum facit circa propria; tùm etiam expendendo ipsarum modum procedendi, & corrigendo, si in aliquo deficiat;rursus distribuendo ipsis obiecta, & eorumdem existentiam confirmando; quæ omnia important quamdam præsidentiam supra cœteras scientias,per quã quodammodo alias scientias sibi ipsi subdit; & hoc modo etiam hæc vltima condicio de metaphysica verificatur. Constat ergo, quòd metaphysica propriè sit sapientia, vt potè quia cum omni rigore participat condiciones, quibus sapientia in suo esse constituitur.

An Metaphysica sit vna scientia Disp. XXI.

Opposita sententia.

SECTIO I.

I. Haec quæstio locum habet in eorum sententia, qui distinguunt meta-

Titulus quęstionis.

metaphysicam ab alijs scientijs speculatiuis; vnde cum statutũ sit, qualisnã scientia sit, cõsequenter quæritur, an sit vna; vel multiplex scientia. Pro cuius intelligẽtia sciendũ est, ꝙ quęstio non procedit de vnitate, vel multiplicitate habitus. non .n. hæc difficultas ꝓpria est metaphysicæ, sed cuiuscunq; scientiæ, & alio loco discutienda est, sed procedit de illa vnitate, quã habent scientiæ in ordine ad suũ obiectũ, à quo essentiã, & specificationem sumunt, & consequenter etiã vnitatem, sm̃ quã inter se essentialiter vel genere, vel specie distinguũtur. Atq. certũ est, sm̃ hãc sẽtenciã metaphysicam habere aliquã vnitatẽ, debet .n. illi assignari aliquod obiectũ formale, ꝙ terminet eiusdẽ ordinẽ transcendentalem, & illi tanquã specificatiuũ tribuat essentiã determinatã; sed dubitatur, quãtanã sit huiũsi vnitas, & an sit diuisibils in ▪▪ alias species infimas. Ex hac .n. quęstione depẽderet resolutio alterius, supposito, ꝙ scientia esset vnus simplex habitus, an videlicet metaphysica sit vnus simplex habitus, quia si esset vna tm̃ genere diuisibilis in plures species, nõ posset saluari per vnicum habitum, sed tot multiplicãdi essent, quot essent species infimę, quę diuiderent tale genus; at verò si est vnica specie, vnicus tantum simplex habitus sufficiet.

Prima sẽtẽtia. Esse vnã genere.

II. Prima ergo opinio est quorundam, qui considerãtes, quam diuersas res metaphysica consideret, existimarunt, non posse esse vnam vnitate specifica, sed esse vnam genere, & specie multiplicẽ, vnde illam distinxerunt in varias species, prout varia obiecta considerat. Hanc sententiã refert Suarez in Metaph. disp. 1. sect. 3. num. 7. nec ex grauibus auctoribus quemquã certũ vidi, qui eam ex professo traderet. Solet aũt pro fundamẽto afferri, quia. s. tractat de Deo, Intelligentijs, & alijs rebus creatis; in hac aũt tota latitudine adest duplex abstractio; altera obiecti, ꝙ ex intrinseca sua natura abstrahat à materia, quẽadmodũ Deus, & intelligẽtiæ; altera verò obiecti, ꝙ à materia abstrahat tm̃ ꝑ intellectum, vndè sm̃ hanc duplicẽ abstractionẽ duplex saltẽ metaphysica erit distinguẽda. Et quidẽ hoc fundamentum rationabiliter procederet, si metaphysica clauderet intra suum obiectũ Deum, & intelligentias, quia reuera huiusmodi abstractiones adeò diuersę sũt, vt nequeãt vniri atq; eidem scientiæ conuenire. Verùm quia, vt supra docuimus, neq. Deus, neq. intelligentiæ spectant ad obiectum metaphysicæ, vt potè non solum, quia habent diuersum modum cognoscibilitatis, sed etiam quia naturalibus viribus non potest intellectus perfectam cognitionem assequi, ideò hoc fundamentum apud nos non est alicuius momenti.

Fundamẽtaliũ illius sententiæ.

III. Potest nihilominus etiam secundũ nostra principia hæc sententia fundari. In primis, quia quamuis non consideret intelligentias, vt tales sunt, cõsiderat tamẽ secundum rationes communes, vt sunt, ratio entis, ratio substantiæ, atq; aliæ huiusmodi; hæ autem rationes, quando sunt in intelligentijs, adhuc ex natura sua abstrahunt à materia, & proinde habent diuersam abstractionem, quæ sufficit ad constituendã diuersam scientiam specie. Præterea sub ente vt sic adsunt diuersæ species entis, nimirum substantia, & accidẽs, quas metaphysica considerat, nec habent aliquid commune, ratione cuius conueniant in vnicum obiectum specie, solùm enim conueniũt in ratione entis, quę propriè non est quid genericum, & multò minus aliquid specificum. Si ergò scientię sumunt suam vnitatem ab obiecto, cur metaphysica non erit multiplex specie, cum consideret diuersa obiecta specie?

Cõis sẽtentia

Metaphysicã esse vnã specie.

VI. Communis tamen sententia est in oppositum, & asserit, quod metaphysica sit vna specie, nec diuisibilis in alias plures species. Atq; hæc sententia colligitur ex pluribus locis Arist. sed præsertim ex cap. 1. & 2. lib. 1. Metaph. vbi de ipsa discurrit tanquam de vna scientia perfectissima, quæ secundum suam rationem vniuersalem, qua cõplectitur omnia, quæ ab ipsa pertractantur est propriè sapientia, atq. hanc rationem sapientiæ illi assignat, tanquam vltimam differentiam, si autem esset vna tantum genere, & diuideretur in plures species, non posset ratio sapientiæ illi conuenire tanquam vltima differentia. Deinde lib. 4. initio ponit etiã metaphysicã tanquã vnã specie, dum inquit, quod cõsiderat ens in tota sua latitudine, prout ens est: vnde illi assignat vnicã tm̃ rationem formalem obiecti, & consequẽter oportet, quòd illam ponat vnicam specie, neque enim potest esse multiplex specie, nisi habeat plures rationes formales. Eam autem inter alios tradit Suarez in metaph. disp. 1. sect. 4.

Suar.

Metaphysicam esse vnicam specie.

SECTIO II.

Cõcl. Metaphysica vna est specie.

I. HAec sanè secunda sententia tenenda est, quæ statuit metaphysicam esse vnicam specie, quam puto esse verissimam, & euidenter conuinci posse. Cum enim hic agamus de illa vnitate, quæ de-

ſumitur ex obiecto, tanta debet eſſe vnitas ſcientiæ, quanta eſt vnitas obiecti, à quo deſumitur, & cui omninò commenſuratur. Vnde ſi vnitas obiecti eſt generica, etiam vnitas ſcientiæ talis erit. Vnitas autem obiecti metaphyſici eſt vnitas ſpecifica, vndè conſequenter etiam metaphyſica erit vna ſpecie. Minor explicatur, & confirmatur. Vnitas obiecti non tam cuiuſcunque ſcientiæ, quàm cuiuſcunque potentiæ non attenditur penes eſſe materiale ipſius, ſed penes rationem aliquam formalem, ſecundum quam obiectum ſpecificat ſcientiam, aut potentiam; ſic vnitas obiecti viſibilis attenditur tantùm penes rationem formalem coloris, non autem penes talem, vel talem ſpeciem coloris; ſed talis, vel talis ratio obiecti materialis ſubſternitur rationi obiectiuæ formali, à qua omnes coadunantur in vnicum obiectum; & proinde cum ratio formalis obiectiua, quæ coadunat, ſit tantum vnica, & non multiplex, oportet, quòd etiam ſcientia, ſeu potentia ſit vna ſimiliter. Applicando autem hanc doctrinam, quæ certiſſima eſt, ad præſentem materiam; metaphyſica attingit omnia ſua obiecta, quæ conſiderat, prout coadunantur in vnicam tantum rationem formalem, nempè ſecundùm rationem entis, intelligendo nomine entis, vt ſupra diſputat. 17. ſectione tertia num. 7. explicauimus, illum peculiarem modum ſcibilitatis, quẽ importat quidditas completa abſtrahens ab omni materia ex eo, quod dicit talem modum eſſendi; qui quidem modus eſſendi per quamdam antonomaſiam dicitur ens. vt enim ibidem oſtendimus, hæc eſt ratio adæquata formalis obiecti, ſub qua continentur omnia, quæ tractantur in metaphyſica, & omnia obiecta partialia huic rationi ſubſternuntur, à qua trahuntur ad conſiderationem metaphyſicã

Vnitas ſcientię vnitati obiecti formalis correſpondet

II. Quod etiã cõfirmari poteſt, quoniã ratio omnis formalis, quę correſpõdet metaphyſicę dẽt eſſe intra abſtractionem ſui obiecti, alioquin impoſſibile erit, ꝙ attingatur à metaphyſica, ſi ergo ponitur intra abſtractionem metaphyſicã, nulla alia eſſe põt, niſi illa ratio entis, quã modo explicauimus, quia talis ratio formalis ſequitur ex vi talis abſtractionis; eo ipſo.n.ꝙ obiectũ tali pacto abſtrahit à materia, habet talẽ modũ ſcibilitatis, qui nomine entis explicatur, & cõſtituit rationẽ formalẽ obiectiuã metaphyſicæ, & cõſequenter cũ hic modus ſcibilitatis habeatur ex vi talis abſtractionis, ſequitur, ꝙ adæquetur cũ obiecto materiali, ꝙ eſt intra talẽ abſtractionẽ. Hinc illa rõobiectiua coadunat oẽs res, quæ à metaphyſica cõſiderantur in vnicã rationẽ formalẽ obiectiuã, & ſic metaphyſica habet vnicũ tm̃ obiectũ formale, ſub quo oĩa cõſiderat; ꝙ magis euidẽs eſt in noſtra ſentẽtia, qui ſolũ vnicã abſtractionẽ à materia metaphyſicæ tribuimus, illã ſcilicet, quę ſeparat à materia tm̃ ſecundũ rationẽ, vnde cũ ſit vna, atq; eadẽ abſtractio eorũ omniũ, quæ a metaphyſica cõſiderãtur, qũo poſsũt multiplicari diuerſæ ſciẽtiæ ſpecie, quę habeãt diuerſas rõnes formales obiectiuas, q̃ ſequãtur ex vi abſtractionis?

Vna tm̃ ratio formalis ex vi abſtractiones metaph.

III. Poſſet tñ aliquis reſpõdere, ꝙ hęc ratio formalis obiectiua eſt quidẽ vna, ſed genere, quę poſtea diuidatur in diuerſas ſpecies, & ſic metaphyſica proportionaliter ad obiectũ eſt vna genere; & diuiditur in plures ſpecies. Verũ hoc nõ põt dici; & ſi ratio facta diligẽter cõſideretur, cõuincit etiam de vnitate ſpecifica infima; ꝙ ſic declarari põt. Si illa eſſet ratio formalis obiectiua generica, deberet cõtrahi per alias rationes formales obiectiuas, quę ſe haberẽt tãquã differẽtia; hoc aũt verã nõ eſt, nõ ſolũ, quia nõ poſſumus aſsignare has rationes, per quas cõtrahatur, quænã illæ ſint, ſed etiã quia tunc hmõi rationes ſpecificarẽt, & tribuerẽt propriũ modũ tendẽdi ſciẽtiæ ſibi correſpõdentẽ, & cõſequenter metaphyſica nõ haberet vnũ, atq. eũdem modũ tendendi circa omnia ſua obiecta; qui correſponderet illi ſcibilitati, quam habent ex vi talis abſtractionis, ſed diuerſum; cuius tamen oppoſitum experimur, cũ tàm, circa vnũ quã circa alterum obiectum eodem modo tendat, atq; illo qui correſpondet abſtractioni à materia.

Reſponſio.

Reiectus.

IV. Deinde etiã ſequeretur, ꝙ illa ratio formalis, quæ ponitur generica non eſſet, ratio formalis, ſed materialis; nõ .n. illa, quę alteri rationi ſubſternitur, poſſet eſſe ratio formalis, ſed neceſſariò materialis eſſet, quia nõ faceret, ꝙ obiectũ ſm̃ ſeipſum conſideraretur, ſed ipſa attingeretur à ſcientia ſm̃ aliam rationem, illã videlicet, cui ſubſternitur; quis aũt non videt, tali pacto induere rationẽ obiecti materialis, non aũt formalis? Præterea ratio formalis eſt illa, quæ formalizat ſcientiam, illi tribuendo debitã commenſurationẽ cũ obiecto; hoc .n. eſt ſcientiã ſpecificari ab obiecto ex vi rationis obiectiuæ, nimirũ acquirere ex vi talis rationis debitam commenſurationẽ cũ obiecto in rõne attingẽtis, & attingibilis ſtatim aũt ac ſcientia hẽt debitã commenſurationẽ cũ ſuo obiecto, põt tendere in ipſũ: nã per hanc cõmenſurationẽ formaliter

Quid ſpecificari ab obiecto

con-

conſtituitur potens ad tendendū. Ex hoc autem fit, ꝙ illa tantum poteſt eſſe ratio formalis obiectiua, quæ vltimo ſpecificat ſcientiam, nam ſolum, vt vltimatè perfecta, & ſpecificata, poteſt tendere in obiectū: ſi ergo ratio illa, quæ dicebatur in reſpōſione allata, eſſe generica, eſt ratio formalis obiectiua, oportet, ꝙ vltimatè ſpecificet metaphyſicam, & proinde nō erit vlterius cōtrahibiles per alias rationes formales, quę ſe habeāt ad modū differētiarū.

V. Hinc autem dici poteſt alia valida confirmatio pro noſtra ſententia, quando aliqua ratio formalis adunat plura obiecta materialia in vnicum obiectum formale, tribuit omnibus illis obiectis materialibus vnū aliquem peculiarem modum ſcibilitatis, ſecundum quem ſpeculari poſsūt; cū enim omnia illi rationi ſubſternātur, ita ab illa formalizātur, & modificātur, vt aliter ex vi illius cognoſcibilia ſint, quā ſi alteri rationi ſubſternerētur; ꝙ patet inductione facta in obiectis cuiuſcūq. ſcientiæ, ꝙ .n. tali pacto ab hac, vel illa ſcientia ſpeculētur habent ſolū ex diuerſa ratione formali, ſm̄ quā attinguntur. Et hoc ipſum etiā cōtingit in obiectis potentiarū, ex ſola .n. variatione rationis formalis, ſm̄ quā attinguntur, ſpectant ad diuerſas potentias; Et facilè eſt rationē à priori aſſignare. Quia variata ratione formali, variatur etiā modus eſſendi ipſus obiecti; & cū cognoſci ſequatur eſſe, eſt etiā cōſequenter diuerſo modo cognoſcibile; & proindè ad diuerſā ſciētiā pertinet, ſeu potentiā. Hoc aūt poſito, ſequitur, ꝙ illa ratio formalis, quā diximus adęquari cū ijs oībus obiectis, quæ à metaphyſica cōſiderātur, debeat cōſtituere vnā ſciētiam, quæ habeat ſuū peculiarē modū tendendi ab oībus alijs contradiſtinctū, quo proximè cōſtituatur apta ad attingendū ſuū obiectū, ſiquidē correſpōdet illi peculiaris ratio formalis, quæ confert obiecto peculiarē modū cognoſcibilitatis. Et hęc ſcientia, cū ſit proximè potens ad tendendū in ſuū obiectū, nō poterit cōmiſceri cū alio modo tendendi, quia ſicuti obiectū ſm̄ talem rōnem ſeorſim ab omni alia, quę ſe habeat vt obiectū formale, eſt proximè ſciētifico modo attingibile, ita etiā ſcientia, ex vi illius ſolius ſpecificationis ſeorſim ab omni alia, quā ab alia rōne formali recipiat, pōt ꝓximè tēdere in obiectū. Quòd ſi proximè pōt tēdere in obiectū ex vi talis ſpecificationis, oportet, ꝙ ſit cōſtituta in ſpecie infima, quia ſolum, quæ ſunt ſm̄ ſpeciem infimā cōpleta, operari poſſunt.

Quid prouētu ratio formalis obiecto obiectis materialibus.

VI. Secundò principaliter argumentor. Quodlibet ens ſiue obiectū ſm̄ vnāquaq. rationē formalē, quā in ſeipſo includit, eſt attingibile ab intellectu, ita vt poſſit intellectus illā ſolā rōnem cōcipere omni alia ſecluſa. Ex quo manifeſtū reſtat, ꝙ quælibet ratio formalis, quæ ſit in obiecto proximè etiā ſit apta, vt moueat intellectū ad cognitionē; atq. illū cognoſcentem terminet. Rurſus hinc infero, ꝙ ſi huiuſmodi ratio mouet, atq. terminat intellectū, oportet, ꝙ in ratione obiecti intelligibilis ſit conſtituta in vltima ſpecie, quamuis alioquin in obiecto, in quo reperitur, reſpectu entis, ꝙ conſtituit, ſe habeant tanquā aliquid genericū. Et ratio eſt, quia actio non poteſt ſequi niſi inter ea, quę cōpleta ſunt intra vltimam ſpeciem. Si ergo ratio illa obiectiua mouere poteſt intellectum, & intellectus circa ipſam operari, oportet, quòd in ratione obiecti ſit in vltima ſpecie, quòd enim non habet completam rationem obiecti, non poteſt mouere potentiam, neque potentia ferri in ipſum.

Secunda ratio.

Omnis ratio formalis vltimo cōpleta in ratione obiecti.

VII. Hoc autem ſtante ſic poſſumus argumētari. Si aliqua ex his rationibus, quę ſunt in obiectis ſe habeat tāquā ratio formalis, quæ, cū à pluribus participetur, illa coadunet in vnicum obiectū, plures alias rationes, tāquā materiales ſibi ſubſternendo tunc certè illa ratio tanquā vltimo cōpleta in eſſe obiecti, & ſm̄ hanc formalitatē cōſtitura in vltima ſpecie ſpecificabit ſcientiā cōpletè, ita vt ex vi huius ſpecificationis conſtituatur in infima ſpecie, vt proportionetur cū obiecto ſpecificatiuo, & in ratione ſpecificati habeat illud complementum, quòd habet obiectum in ratione ſpecificatiui. Sed ratio illa formalis, quæ adæquatur cum omni eo, quòd à metaphyſica conſideretur, ſe habet tanquam ratio formalis coadunans plura obiecta materialia in vnum formale, ergo poterit vltimatè ſpecificare metaphyſicam, quemadmodum etiam poteſt vltimatè mouere intellectum, & nequaquam erit ratio ſpecificatiua generica, ſed ſpecifica, & per conſequens metaphyſica erit vna ſpecie. Quòd valde aduertēdū eſt; quia in huiuſmodi ſpecificatione non debet attendi, quòd latitudo illius rationis ſpecificantis ſit vel generica, vel ſpecifica in ordine ad illud eſſe, quòd in obiecto, conſtituit; ſed ſtatim ac euadit ratio ſpecificatiua in ratione ſpecificatiui conſtituitur in infima ſpecie

quia habet ex se præcisè, quòd moueat & terminet intellectũ, & ponat inter sciẽtiam, atque obiectum debitam commensurationem, ita vt quæcunque attingũtur à tali scientia eatenus attingantur, quatenus huiusmodi rationi formali substernuntur, & quemadmodum se sola præcisè est ratio, secundum quam attinguntur, ita etiam sola habet, quòd specificet scientiam.

Ratio formalis obiecti metaph. fundat omnes condicion. sapientiæ.

VIII. Confirmatur principaliter ratio modo facta. Ex ratione illa formali obiecti metaphysicæ, quę cum ipso adæquatur & quę oritur ex vi talis abstractionis à materia desumuntur omnes condiciones, quæ necessariæ sunt ad constituendam sapientiam, vt quòd sit scientia maximè vniuersalis, quòd sit de rebus valdè difficilibus, & remotis à sensibus, quòd sit certa cognitio, & apta ad docendum, quòd sit maximè gratia sui, & præsit alijs scientijs. Quod si ratio illa diuideretur per alias rationes specificas, non possent ab his rationibus specificis desumi huiusmodi condiciones, vt potè quia non haberent illam vniuersalitatem, quam habet ratio generica, & quæ necessaria est ad fundandas has condiciones sapientiæ, quæ ex sola vniuersalitate obiecti originantur; quomodo enim versaretur circa omnia, si haberet obiectum adeo coarctatum? Præterea hæ rationes diuidentes rationem illam genericam, deberent esse oppositæ inter se, & ideo si ab vna desumerentur condiciones sapientiæ non possent desumi ab alia. Ex hoc autem sequitur, quòd metaphysica non esset sapientia secundum suam vltimam differentiam, sed solum secundum rationem genericam, quòd planè falsum est, quia tunc sequeretur nullum habitum dari, qui præcisè esset sapientia, imò si sapientia esset ratio generica, perfectibilis esset per alias differentias: quomodo autem potest ratio sapientię perfici, cũ sit omnium perfectissima, & absolutissima, quæ intra genus scientiæ reperiuntur?

Vnica tantũ ratio formalis ponit debitam cõmensurationẽ inter potentiam & obiectum.

IX. Rursus possumus hoc ipsum confirmare ex proportione, quæ est inter scientias, & potentias; quotiescunque enim contingit, quòd aliqua ratio commensuret potentiam cum obiecto, ita etiam illam specificat, vt constituat in vltima specie completa: cuius rei ratio esse potest, quia per nihil aliud constituitur in suo esse, quàm per hanc commensurationem; atque hæc commensuratio ab vnica tantùm ratione obiectiua haberi potest, quia si essent plures rationes, à quibus desumeretur talis commensuratio, sicuti hæ rationes essent inter se diuersæ, ita etiam ponerent diuersam commensurationem, & proindè constituerent diuersas potentias, non autem vnã. Et quamuis essent illę rationes subordinatę, quia tamen adhuc obtinerent suam formalem diuersitatem, ideò adhuc ponerent diuersam commensurationem, & ad minus constituerent, diuersas potentias subordinatas. Quòd etiam vrgeri potest, quoniam obiectum cuiuscunque potentiæ, quamuis materialiter sit multiplex, formaliter tamen est vnum, & consequenter per vnicam tantùm rationem formalem constituitur in esse obiecti; & cum commensuratio potentiæ cum ipso desumatur à tali ratione formali, ab illa sola consequenter potest specificari potentia, atque in suo vltimo esse compleri; quòd patet inductione facta in potentia intellectiua, quamuis enim hęc potentia se extendat ad omnia entia, & versatur obiecto vniuersalissimo, tamen ab vnica tantũ simplici ratione nẽpè veritate, seu intelligibilitate specificatur vltimatè, & completè, quia, vt modo diximus, vnica tantum ratio debet esse illa, quę ponit debitam commensurationem inter obiectum, & potentiam. Seruata igitur proportione, quam scientię habent ad potentias cognoscitiuas, nam ipsę quoque ab obiecto specificantur, neque scientię specificari possunt à pluribus rationibus formalibus, siue subordinatis, siue non subordinatis, militat enim eadem ratio de commensuratione, quę ponitur inter scientiam, & obiectum, quòd per vnicã tantùm rationem formalem commensuratur, & ideo illa ratio, secundùm quam commensuratur, sola specificat potentiam. Quare hoc ipsum quoque dicendum est de metaphysica, quòd ab vnica tantùm ratione formali obiecti specificetur, quę sit illa, per quam cum suo obiecto commensuratur. ratio autem per quam metaphysica cum suo obiecto commensuratur, est illa, quæ nomine entis explicatur, & quæ habetur ex vi talis abstractionis à materia, quæ adæquatur cum omnibus obiectis, quæ à metaphysica considerantur. Vnde, cum hęc ratio sit vna, & simplex specificans completè metaphysicam, sequitur metaphysicam esse vnicam specie

infima, nec esse diuisibilem in plures species, quemadmodum nec est diuisibilis ratio specificatiua. Hinc etiam fit, quòd metaphysica, prout versatur circa omnia sua obiecta partialia, habeat vnicum, atque eundem modũ tendendi, quia scilicet modus tendendi proportionatur rationi specificatiuæ, quæ cum sit vna, substernens sibi omnia obiecta partialia, vnus quoque erit modus tendendi.

Ad responsiones opposita sententiæ.

X. Atque ex dictis facilè est respondere ad rationes, quas pro opposita sententia sectione præcedenti adduximus, ad primam enim negandum est, quod rationes illæ, quas intelligentiæ habent cõmunes cum cœteris rebus, vt est ratio entis, ratio substantiæ, & aliæ huiusmodi abstrahant à materia ex natura sua, sed ex se præcisè consideratæ abstrahunt tantum ratione, quia quantum est de se, ita non sunt immersæ, in materia, vt tamen possint esse, quod est abstrahere tantùm ratione; quæ enim abstrahunt ex natura sua, implicat posse esse in materia; quod, si quando sunt in intelligentiis, non possunt esse in materia, id non habent ex se, sed ratione modi essendi proprii intelligentiarum, & hoc proinde non obest, quin ex se præcisè consideratæ non abstrahant tantùm ratione à materia, Vnde adhuc stant intra abstractionem metaphysicam, & optimè possunt ab ipsa considerari.

Quõ metaph cõsideret, quę continent sub ente.

XI. Ad secundam rationem respondetur, quod metaphysica considerat illa omnia, quæ continentur sub ente, tanquam aliquod materiale. Diximus enim, quod obiectum metaphysicæ est quidditas completa, constans ex suis principiis intrinsecis, quatenus ex vi abstractionis à materia acquirit illum peculiarem modum scibilitatis. Hinc ipsum ens communissimè sumptum spectat, vt aliquid materiale, ad hoc obiectum, nimirũ, vt fundamentum realitatis; accidens verò, & substantia tanquam partes obiecti, & quia vnaquæque scientia considerat ea, quæ spectant ad suum proprium obiectum secundùm propriam rationem ipsorum, ideò metaphysica quoque considerat hæc entia secundùm proprias rationes, tanquam aliquid materiale contentum intra latitudinem sui obiecti; falsum enim est, quòd scientia considerans plura, & diuersa secundùm proprias rationes ipsorum, debeat diuidi in diuersas species, cum solùm diuidatur ad multiplicationem rationis formalis; sic videmus, quòd quælibet scientia, quæ sit vna, considerat diuersa obiecta partialia, nec tamen multiplicatur, quia materialimodo se habent. Maneat ergo Metaphysicam esse vnicam scientiam specie athoma propter vnicam rationem obiecti formalis, quæ coadunat omnia, quæ ab ipsa considerantur in vnicum obiectum specie, formaliter loquendo, à quo suam vnitatem desumit. Et hæc de metaphysica secundum suam naturam considerata; nunc cõsiderandum est, quomodo se habeat respectu aliarum scientiarum, in quo occurrunt nonnullæ difficultates, quas disputationibus sequentibus discutiemus.

Quomodo Metaphysica se habeat circa obiecta aliarum scientiarum. Disp. XXII.

Quædam adnotantur pro vera sententia.

SECTIO I.

I. Prima difficultas, quæ comparando metaphysicam ad alias scientias, se offert, est, quomodo versetur circa obiecta aliarum scientiarum. Solet enim cõmuniter ipsi tribui, quod præscribat obiectum cuicunque scientiæ. Addit Auerr. 3. de Cœlo, commen. 4. Metaphysicam confirmare, & defendere obiecta aliarum scientiarum. Quod videtur sequi ex primo eius munere modo assignato; si enim præscribit obiecta cœteris scientiis, congruum omninò est, quòd ea etiam stabiliat, atque defendat; alioquin parum prodesset, obiecta distribuere, si dum distribuit, non posset etiam conseruare, si quis ea è medio tolleret; & hoc valde confert, vt supra etiam diximus, ad præsidentiam, quam habet supra alias scientias; videtur enim quodammodo iis dominari, dum earum obiecta non solum di- Metaph. confirmat & distribuit obiecta aliarum scientiarum

stri-

tribuit, ſed etiam conſeruat, atque confirmat. Hinc tamen oritur difficultas, quomodo id præſtet; an à priori; an vero à poſteriori. Pro cuius explicatione.

Scientia ſupponat obiectū

II. Primò adnotandum eſt. Quòd quandocunque aliqua ſcientia accedit ad ſpeculandum ſuum obiectum, illud ſupponit ſecundum illam rationem obiecti, quam in ipſo conſiderat, vndè illud ſupponit, non tantum ſecundum eſſentiam, quando ſcilicet illud ſecundum ſolam eſſentiam conſiderat; ſed etiam ſecundum exiſtentiam, vt contingit in theologia, quæ in Deo exiſtentiam conſiderat tanquam aliquid neceſſariò conueniens ſuo obiecto. Cum enim ſcientia conſiſtat tota in ſpeculatione ſuimet obiecti, oportet, quòd ſtatim ab illo incipiat, & conſequenter ipſum ſupponat. Hinc verò fit, quòd nulla ſcientia ex proprijs procedendo poſſit ſuum obiectum probare. Et ratio à priori eſt, quia ad aliquid probandum requiritur medium cognitionis inferens notitiam illius rei, quę inueſtigatur; cum autem quęlibet ſcientia incipiat à ſuo obiecto, non poteſt ex proprijs aliquod medium cognitionis habere, niſi deſumptum ex proprio obiecto; à quocunque enim alio deſumatur non erit ex proprijs: Quare ablato obiecto tollitur conſequenter quodcunque medium, per quod ex proprijs poſſit procedere; quando vero proceditur ad probandum obiectum, tunc nondum habetur alioquin ad quid ipſius exiſtentia confirmaretur? ſed eodem pacto ſe habet, ac ſi ablatum fuiſſet, & idcirco non ſuppetit ſcientiæ medium aliquod cognitionis, quo ex proprijs ad eius probationem procedat, ſed recurrendum eſt ad ſcientiam aliquam ſuperiorem, à qua illud accipiat.

Metaph. tranſcēdit per obiecta aliarum ſcientiarum, & quō.

III. Secundò etiam adnotare oportet, quòd metaphyſica ex vi ſuæ vniuerſalitatis habet, quòd tranſcendat per obiecta aliarum ſcientiarum. Quòd ita intelligi debet, non quòd illa tanquam obiecta conſideret, ſed quia in ipſis conſiderat totum id, quòd præſcindit à materia Pro quo ſciendum eſt, quòd aliud eſt conſiderare obiecta aliarum ſcientiarum ſecundum eſſe completum, & aliud conſiderare rationes quaſdam incompletas ipſorum, & quatenus ſunt principia metaphyſica componētia illud totum, quòd eſt completum obiectum alterius ſcientiæ. Si primo modo accipiantur, non poſſunt cadere ſub conſiderationem metaphyſicam; ſecundo autem modo poſſunt ex proprijs à metaphyſica attingi, quia, ad ipſam ſpectat conſiderare gradus entis, ex quibus integra eſſentia conflatur, & proindè poteſt per illos omnes vſque ad indiuiduationem percurrere; & ſimul etiam agnoſcere dependentiam eſſentialem vnius ab alio, & illam connexionem, quam habent inter ſe; & quomodo vna poſita, neceſſe ſit aliam quoque ponere, atque ablata auferri, & ex hoc colligit modū ex cognitione vnius deueniendi in cognitionem alterius. Sic poſita ſubſtantia, quia de ſe eſt aliquid completum, infert debere dari aliquid complementum differentiale, à quo tanquam genus contrahatur, & conſequenter hoc complementum debere importare differentias oppoſitas, per quas genus diuidatur, quæ non alię eſſe poſſunt, quàm ratio corporei, & hoc pacto per cœteras quoque rationes diſcurrit.

Metaph res omnes diuidit atque diſtinguit.

IV. Denique hoc quoque præmittere oportet, quòd ad metaphyſicam ſpectat, res omnes diuidere, atque diſtinguere in omnes ſuos gradus, nimirum genera, ſpecies, atque differentias, & conſequenter recognoſcere, quinam gradus conſurgere poſſint ex eſſentijs diuiſis, quod eſt maximè adnotandum. Cum enim metaphyſica habeat pro obiecto quidditatem completam vt ſic, quæ conſtat ex ſuis principijs intrinſecis metaphyſicis, conſequenter omnis eſſentia completa, vt talis eſt tanquam pars materialis ſui obiecti ad ipſam ſpectat, & proindè debet metaphyſica circa illam uerſari recognoſcendo gradus, ex quibus conſtat tanquam principia metaphyſica, quibus intrinſecè componitur. Et hoc conuenit metaphyſicę ex genere ſuo, quia quælibet ſcientia debet, poſſe diuidere proprium obiectum in ſua principia & omnia partialia obiecta, quæ ſub illo continentur.

Vera Sententia.

SECTIO. II.

Metaph. nō poteſt obiecta aliorum ſcien. à priori probare aliorum opinio. Suar.

I. HIs prænotatis facilè erit veram ſententiam circa præſentem difficultatem aperire. Suarez enim in metaphyſica diſp. 1. ſect. 4. num. 7. exiſtimat quod non poſſit metaphyſica obiecta aliarum ſcientiarum probare, ſed tantum ex ſignis, & effectibus declarare.

Quia

Quia, inquit ipse, nullum est medium, quo demonstretur, sicuti neq; de subiecto scientiæ demonstrari potest, quid sit, cum nullum adsit medium, quo vnicuique rei propria essentia conueniat. Deinde metaphysica non potest descendere ad particularia obiecta aliarum scientiarum, cum sint extra ipsius abstractionem. Rursus aliæ scientiæ ante metaphysicam addiscuntur, quod fieri non posset, si indigerent ope ipsius ad proprium obiectum comprobandum. Vnde concludit, quod non ex se & à priori, sed solùm quò ad nos ex signis, & effectibus potest obiecta aliarum scientiarum probare.

Reijcit præcedens opinio.

II. Verùm hoc non videtur conuenienter dictum, quia cum metaphysica sit prior natura alijs scientijs, & procedat ex vniuersalioribus, vt pote quia habet obiectum magis vniuersale; Si obiecta aliarum scientiarum confirmat, non potest ex signis, & effectibus ad ea comprobanda procedere, hęc enim posteriora sunt ipso obiecto, & consequenter etiam ijs, ex quibus metaphysica procedit, vnde potius ad vnamquamque sciẽtiam spectat proprium obiectum ex signis & effectibus comprobare, quàm recurrere ad metaphysicam, vt hoc ipsum pręstet, id enim frustatorium esset, cum non excedat limites cuiuscunque scientiæ. Itaque Dicendum existimo, metaphysicã posse à priori confirmare obiecta aliarum scientiarum, quòd ita verum existimo, vt saltem possit exhibere medium, quo demonstretur obiectum, quà obiectum est, quod ab vnaquaq; scientia consideretur.

Metaph. confirmat à priori obiecta aliarum scientiarum.

III. Et possumus hoc imprimis confirmare; metaphysica versatur circa quasdam rationes quidditatiuas respectu illarum superiores, quas cœterę scientiæ cõsiderant, atque hę rationes superiores habent necessariam connexionem cum inferioribus, superiores enim ab inferioribus coarctantur, & perficientur, & proinde intrinsecè dicunt habitudinem ad suum perfectiuum, & ex vi huius habitudinis habęnt connexionem cum rationibus inferioribus, vnde penetrata earum natura, penetratur etiam talis connexio; quo stante possunt assumi tanquam causę virtuales ad inferendas rationes inferiores. quis enim non videt, quòd posito ente vt sic, debet poni determinatiuum, & completiuum ip. us? inuestigamus autem completiuum, atque determinatiuum tum. per membra contradictoria,

Rationes superiores connexæ cum inferioribus.

quorum necesse semper est alterum inesse, tum etiam ex cognitione exigentiæ, quam habet determinabile. Deinde, quòd valdè præsentem discursum confirmat. Intellectus medijs sensibus ducitur in cognitionem rerum completarum, atq; ie ijs sic cognitis, postea illas partitur in diuersos gradus, metaphysica autem statim agnoscit suos, atque ex ijs inuestigat, qui nam alij assignandi sint, vt res habeat suum debitum complementum, & cognita natura tum superiores, tum inferioris gradus, colligit, quinam alij intermedij statuendi sint; & hoc pacto à priori inquirit diuersos gradus, quos postea distribuit pro obiectis aliarum scientiarum, cum videat esse extra propriam abstractionem. Neque hinc sequitur, quòd extra propriam abstractionem feratur, vt declarabimus in responsione ad rationes in oppositum.

IV. Præterea metaphysica habet vniuersalissima principia, ex quibus procedit; ea autem fundantur in rationibus, & gradibus entis vniuersalissimis; & propterea apta sunt ad cõuincenda obiecta aliarum scientiarum tanquam illa, quę dicunt gradus entis inferiores. Superiores .n. substernunt sibi gradus inferiores, à quibus hi in esse dependent, & consequenter etiam in cognosci, vnde Ari 1. Metaph. cap 2. docet, eum maximè scire omnia, qui res vniuersales cognoscit; inquiens *Horum autem hoc quidem omnia inquam scire, qui maximè vniuersalem scientiam habeat, necesse est inesse*. Et reddit rationem, quia scilicet, qui cognoscit superiora, cuiusmodi sunt vniuersalia, cognoscit etiam quodammodo subiecta, seu inferiora, inquit enim *Hic enim quodammodo omnia subiecta scit* quod etiam experientia ipsa docet, cum enim inter inferius, atque superius adsit huiusmodi dependentia secundum esse, atque cognosci, potest superius nos ducere in cognitionem inferioris. Sic etiam experimur, quod in eadem scientia principia quędam fundãtur in esse vniuersali obiecti, quæ postea deseruiunt ad insetendum aliquid magis peculiare, & quod sit gradus inferior de obiecto; & hic est optimus modus procedendi à priori. Metaphysica igitur, cum habeat principia vniuersalissima, sub quibus omnia continẽtur, optimè poterit ex ijs colligere obiecta cœterarum scientiarum, tanquam ex quibusdam radicibus, à quibus om-

Cognoscẽs superiora cognoscit quodammodo inferiora.

nia

nia saltē mediatè depēdent in cognosci.

V. Quòd rursus confirmari, potest, atque declarari. Metaphysica cognoscit gradus omnes, in quos quælibet entitas diuidi potest, cum enim ad ipsam pertineat; quidditates rerum omniū in suos gradus distribuere, quomodo poterit id præstare, nisi saltem, quò ad an sit cognoscat, illos dari? Præterea omnes isti gradus, in quos diuidi possunt essentiæ, sunt principia quædam compositi metaphysici; vndè, quamuis non omnes spectent ad metaphysicam vt quidditatiuè speculandi, spectant tamen ad ipsam tanquam principia componentia metaphysicum compositum, & proindè metaphysico modo se habentia in rerum essentijs; vndè saltem, vt diximus, quo ad an sit, debēt à metaphysica attingi, & secundum illam rationem principii intrinseci metaphysici quo stante, quis non videt, optimè posse à priori metaphysicam conuincere existentiam illius cōpositi quod ex his principijs coalescit? atque hoc compositum erit obiectum alterius scientiæ; sic cognito gradu substantiæ, & gradu corporei, inferet tanquam effectum ex causis intrinsicis, dari corpus, quòd est obiectum physicæ. Rursus aliquando contingit, gradum illum entis, qui est obiectū alicuius scientiæ, contineri sub obiecto metaphysicæ; & ideo hinc fit, quòd, cum ad quālibet scientiā spectet cognoscere de proprio obiecto, quicquid est cognoscibile, debeat metaphysica cognoscere, de illa quidditate, quòd exigit illum gradum tanquam sibi connaturaliter debitum, & cum quo possit venire in compositionem ad aliquam tertiā naturam, constituendam, & ex hoc inferet existētiam alterius gradus, qui sit extra suum propriū obiectum, & consequenter etiam compositum metaphysicum, quòd indè potest consurgere: sic cum metaphysica speculetur substantiam, cognoscit consequenter, illi debitam esse corporeitatem, cum qua venire possit in cōpositionem ad constituendum corpus, quòd est obiectum physicæ vndè hoc etiam pacto contingit, conuinci à metaphysica obiecta cæterarum scentiarum.

Omnes gradus essentiarum spectant ad metaph vt principia cōponētia metaph

VI. Hinc ad rationes in oppositum responderi potest, negando nullum adesse medium, quo metaphysica demonstret obiecta aliarum scientiarum, vt iam patet ex iis, quę diximus, si quidem gradus ille essendi habet necessitatem essendi propter necessariam connexionem, quam habet cum superiori, quo posito necesse est, & ipsum poni, quæcunque autem sunt necessariò connexa, quod est prius, natura altero, se habet vt medium proportionatum ad illud à priori demonstrādū; vnde cùm metaphysica ex vi sui obiecti, atque suæ abstractionis attingat aliquem gradum essentię, quod habet necessariam connexionē cum alio gradu, quòd constituit obiectum alterius scientiæ, sufficenter illi suppetūt media, quibus obiecta aliarum scientiarum demōstret. Quòd autem ibi dicitur de subiecto sciētiæ, non posse demonstrari, quòd sit; valde mihi difficile videtur; cum demonstrare nihil aliud sit, nisi rem per suam causam ostendere, ita, vt generetur scientifica cognitio quæ attingit rem per suas causas. Cum ergo obiecta scientiarum habeant principia, & causas intrinsecas, quibus eorumdem essentia coalescit, cur non poterit de ipsis demonstrari, quid sint, cum ex vi causarum intrinsecarum saltem virtualiū talia sint? sic quòd corpus sit talis substantia quamuis habeat immediatè ex vi suæ essentiæ adæquatè sumptæ, quòd tamen sit talis essentiæ habet à principijs intrinsecis constitutiuis, quibus componitur. Imo etiā adest causa idealis, quam vnaquæque res necessariò imitatur, vndè etiā ex vi ipsius potest de obiecto sciētiæ demonstrari, quid sit. Deinde libenter quęrerem, an scientia attingat certa, & euidenti cognitione, quid sit proprium obiectum. Certè debet attingere, cum in hoc præcipuè consistat, quod naturam proprij obiecti speculetur, & præcipuè sit cognitio de ipso, non enim solùm cognoscit passiones de obiecto, sed etiam essentiam ipsius. Huiusmodi autem cognitio certa, & euidens non est cognitio immediata ex terminis, qualis est illa, qua cognoscimus principia; non enim circa obiectum scientia specularetur, si illud immediatè, ac proponitur, attingeret; erit ergo cognitio scientifica, & proinde per causam, quatenus scientia per ipsas procedendo, ostendit, quid sit proprium obiectum.

Ad rationes in oppositum.

De obiecta sciētiarum demonstrari potest quid sint.

VII. Ad secundam rationem dicendum est, quòd quando dicitur, metaphysicam non posse descendere ad obiecta aliarum scientiarum, intelligi debet, quòd non ita potest descendere, vt eorum naturam speculetur, quia non poterit efficere circa illa obiecta, quòd efficiunt

Quamodo metaphysica non possit versari circa obiecta aliarum scientiarum.

proprię scientiæ ipsorum propter diuersum modum tendendi, quem habent, & diuersam commensurationem cum obiecto. Et hoc est descendere ad obiecta aliarum scientiarum, illa scilicet secundùm eamdem rationem speculari; secundùm quam à propriis scientiis considerantur. Non hinc tamen excluditur, quòd non possit demonstrare obiecta aliarum sciẽtiarum, saltem exhibendo medium sufficiens ad talem demonstrationem; hoc enim scientiæ non possunt præstare circa proprium obiectum, vnde remanet, quòd aliqua alia superior hoc ipsum efficiat, quod metaphysicæ concedendum est tanquã scientiæ vniuersalissimæ, & sub cuius obiecto cœtera obiecta tanquam gradus quidem inferiores continentur. Neque hinc sequitur, quòd egrediatur propriam abstractionem, nam vel non complete demonstrat obiectũ aliarum scientiarum, sed tantùm exhibet mediũ ad demonstrãdum; vel si demonstrat, vtitur proprio modo tendendi, & de ipso discurrit tanquam de aliquo spectante ad proprium obiectum, propter aliquam connexionẽ, quam cum ipso habet.

VIII. Neq; etiã obest tertia ratio; Quòd enim aliæ sciẽtiæ ante metaphysicam addiscantur, ad summum conuincit, quòd non dependeant ab ipsa in cognitione suorum obiectorum. Quò ad quid est; quamuis neque hoc conuincit, quia fieri potest, quòd dependeant secundũ aliqua, & quòd doceãt, & declarent desumẽdo à metaphysica ea, à quibus dependent; non autem conuincit, quod non dependeant in suis obiectis, quò ad An sit, ipsæ enim supponunt obiecta vt diximus, non autem demonstrant, & ideò nõ est necesse, quòd in hoc dependeant à metaphysica dependerent autem si vellent dẽmonstrare. Quòd autem prius tradantur alię scientiæ, fit ob maiorem commoditatem addiscentis; re vera tamen metaphysica est prior natura cœteris scientiis vt supra disp. 13. sect. 4. ostendimus, & hoc ordine seruato prius tradenda est. Quod valde confert etiam ad alias scientias, quoniam habet principia vniuersalissima quæ cœteris quoq; scientiis deseruire possunt, præsertim si huiusmodi principia proprię materię cuiusq. sciẽtiæ applicentur: hinc videmus, quòd in processu aliarum scientiarum sæpe recurrimus ad illa principia metaphysica, vt aliquid concludamus, quod ex propriis illius sciẽtiæ concludere non possumus. Quare si metaphysica primo loco traditur, facilius id præstare possumus, cum ea teneamus, quæ ex ipsa desumenda sunt; qui tamẽ cœterę sciẽtiæ versãtur circa notiora quò ad nos, ideò priori loco tradũtur.

Tractatur difficultas de obiecto Metaphysicæ.

SECTIO III.

I. HIC statim se se offert difficultas de obiecto metaphysicę. Si enim scientia supponit suum obiectum, atq; metaphysica versatur circa obiecta aliarum scientiarum, ea à priori confirmando, quænam scientia poterit obiectũ metaphysicæ confirmare, cum nullam habeat superiorem? aut si à priori confirmari non potest, sequitur, quòd sit inferioris conditionis, quàm sint cœteræ scientiæ, cum non habeat, vnde proprium obiectum confirmet, si ab aliquo negetur, quod nullo pacto est admittendum, cum sit scientia longè perfectior, atque nobilior. Quòd si quis dicat, existentiam obiecti metaphysici esse adeò euidentem, vt negari non possit, non per hoc effugit difficultatem, nam etiam obiecta aliarum scientiarum euidentia sunt, quid enim euidentius corpore, aut quantitate, quæ etiam sensibus subiicitur? & tamen eorum existentia confirmari potest à metaphysica, vnde quamuis euidens sit dari obiectum metaphysicę, debet adhuc posse confirmari, quemadmodum & obiecta cœterarum scientiarum. Quid enim si proteruus aliquis illud negaret? an non debet metaphysica illum conuincere? alioquin ipsa conuinceretur, quòd non haberet certam, & euidentem cognitionem de suo obiecto.

Quæ scientia confirmet obiectum metaphysicæ

II. In hac difficultate diuerso modo procedẽdũ existimo iis, qui statuũt pro obiecto metaphysicæ ens vniuersalissimè sũptum, ac nobis, qui ponimus pro obiecto quidditatẽ cõpletã abstrahentẽ à materia, ipsi, nisi recurrãt ad primam causam nequeũt à priori existẽtiã sui obiecti demõstrare, quia cũ ens vniuersalissimè sũptum sit omnium prima ratio, & fundamentum primum totius realitatis, nequit habere causam etiam virtualẽ sui met esse. Potest tamen metaphysica à posteriori, eius existentiam conuincere, & deducendo ad impossibile. Certum est enim

Existẽtia cõuincitur à posteriori & à priori.

& id euidentissimè apparet, quòd dantur entia realia, ex hoc autem colligitur, quòd debet dari aliqua ratio formalis, per quam realia sint, & per quam sint entia, quæ non erit alia, quàm ens, & sic, cõuincitur existentia obiecti metaphysici. Deinde argumentari possumus etiam ex abstractione, possumus enim rationes communes, in qua aliqua conueniũt, ab ipsis præscindere; cum ergo omnia conueniant in eo, quod realia sint, possumus rationem istam realitatis, seu entis præscindere, & sic habebimus obiectum metaphysicæ. Si autem fiat recursus ad primam causam, tunc etiam à priori ostendi potest possibilitas huius obiecti, seu quòd detur eius esse essentiale, secundum quod à metaphysica consideratur; possumus enim argumentari ab ente per essentiam ad ens participatum, prima enim causa necessariò est ens per essentiam, cùm sit ens simpliciter necessarium, ex ente autem per essentiam, tanquam ex causa, & primo fonte sequitur possibilitas entis participati, quia scilicet ens per essentiã est communicatiuum sui ipsius, quod fieri non potest, nisi aliquod esse cõmunicet, & hoc modo colligitur à priori existẽtia obiecti metaphysici.

Metaphysica potest attingere Deũ vt principium entis.

III. Atque cũ naturaliter sit cognoscibile, Deum esse Ens per essentiam, & esse communicatiuum suipsius, quamuis metaphysica non consideret Deum tanquam obiectum, potest tamen se eleuare ad attingendum, vt primam causam, & tanquam ens per essentiam, & consequẽter vt principium sui obiecti. Cum enim proprium obiectum quidditatiuè percipiat, cognoscit etiam non habere esse à se, sed illud participare ab alio; & proinde à posteriori arguit debere cõcludi aliquod principium, à quo illud participet; & cũ non possit progredi in infinitum, sistendum esse in aliquo, quod habeat esse a se & consequenter sit illud, quod cæteris communicat esse; quæ omnia naturali discursu attingi possunt, & qui non excedat facultatem metaphysicæ. Hoc autem est priuilegium particulare metaphysicæ, vt possit etiam à priori confirmare suum obiectum. Id autem obtinet, quia est scientia omnium prima, atque vniuersalissima, quæ absque eo, quòd egrediatur proprios terminos, potest attingere causas sui obiecti, vt contingit in hoc progressu, quẽ ostendimus, posse metaphysicam adhibere ad confirmandum suum obiectum, quod non contingit in aliis scientiis, quę intrà proprios terminos non reperiunt medium ad confirmandum existentiam sui obiecti, cum ab ipsomet primo incipiant. Metaphysica autem, quamuis incipiat ipsa quoque à suo obiecto, tamen propter suam perfectionem reflectit supra obiectum, & cognoscit eius principia, & dependentias, & ex his, vt vidimus, potest colligere causam ipsius, atque ex illa arguere eius necessitatem.

Metaphysica demonstrat necessitatẽ sui obiecti.

IV. Rursus etiã si ponatur pro obiecto metaphysicę essẽtia completa ex suis principiis intrinsecis abstrahens ab omni materia, adhuc à priori demonstrare potest necessitatem sui obiecti; adhuc .n. gaudet eodem priuilegio propter suam vniuersalitatem; imò facilius id pręstare potest, vt potè quia intra latitudinem proprii obiecti retinet medium huius cognitionis; non solùm enim intrà latitudinem proprij obiecti reperit principia, & causas intrinsecas illius, sed etiam medium, quod conuincit, ponenda esse huiusmodi principia. Nam considerat etiam ens tanquã fundamentum realitatis suimet obiecti, vt toties diximus, & attingit, quod ens vt sic, communissimè sumptum, est quid valdè indeterminatum, & proinde indiget aliqua vlteriori perfectione, qua determinetur ad certum modum essendi. Rursus cognoscit, quod modus ille essendi, quo ens coarctatur, non potest esse ita determinatus, & perfectus, quin non indigeat adhuc vlteriori perfectione, vt vna aliqua natura completa cõstituatur; attingit enim metaphysica, quod rerum essentiæ constat ex pluribus gradibus essentialibus, quorum vnus perficit alterum. Et hoc modo procedens colligit dari principia essentiæ completæ, nempè rationem perfectibilem per modum potentiæ metaphysicæ, & rationem perficientem per modum actus, & consequenter etiam propriũ obiectũ, hoc est essẽtiã coalescẽtẽ ex principiis intrinsecis metaphysicis. Id autem habet, quia ratione suæ vniuersalitatis claudit intra propriũ obiectũ radicem necessitatis ratione principiorum, ex quibus coalescit.

Ens ex se notũ.

V. Quòd si quis de ente quærat, quod est radix, vt diximus, huius necessitatis, quomodo possit demonstrari, si negetur. Respondetur, ens esse ex iis, quæ per se, & immediatè nota sunt, quemadmodũ cõtingit etiã in primis prĩcipiis, imo supe-

rat omnia,quæ ex se nota sunt,& ideò nõ habet medium intrinsecum,per quod probetur. Et si quis negaret ens, consequenter negaret omnia,etiam scientias,discursum, & quæcunq; alia; vndè non posset cum ipso institui disputatio, quia hanc quoq; negaret; nec posset aliquo pacto conuinci, quia negaret omnia, per quæ posset conuinci. Si quis tamen non negaret absolutè ens, sed solùm quæreret, quòd sibi ostẽderetur,dari hoc ens;id nõ aliter fieri posset,quàm vt supra diximus per causam extrinsecam,nempe primam, aut deducendo ad impossibile, & ex impossibilibus,quæ sequerentur,manifestissimè conuincere, quòd debeat dari ens. Deniq;hoc etiam facit pro metaphysica, quòd habet principia euidentissima, quę nullo pacto negari possunt negato obiecto, quamuis in eodem obiecto fundentur;habent enim euidentiam tàm manifestam, vt statim proposita cogant intellectum ad assensum;quod non contingit in alijs scientijs,quia cum principia nõ sint adeò euidentia, negato obiecto, ipsa quoque tolluntur, vtpotè in ipso fundata. Potest igitur metaphysica ijs principijs vti ad confirmandum proprium obiectum, & ab ipsis eius necessitatem deducere. Et hoc discrimen est valdè aduotandum inter metaphysicam,& alias sciẽtias; quòd quamuis cœteræ scientiæ habeant intra latitudinem proprij obiecti principia ipsius, ex quibus coalescit, & ex ipsius inferri possit necessitas obiecti, id tamen non sufficit,quia negato obiecto tolluntur quoque eius principia, sed requiritur medium, ex quo deducatur necessitas principiorum, quòd non habent intrà latitudinem proprij obiecti. Metaphysica verò nedum habet intrà latitudinem proprij obiecti principia ipsius, sed etiam medium neccessitatis eorumdem,& ideò potest à priori proprium obiectum confirmare.

Quomodo Metaphysica versetur circa prima principia. Disp. XXIII.

Metaphysicam confirmare prima principia, & ratio dubitandi quomodo id præstet.

SECTIO I.

I. Cvm visum sit, posse metaphysicã obiecta aliarum scientiarum cõfirmare à priori, atque etiam proprium; nunc videndum est, quomodo se habeat circa prima principia cuiusq; scientiæ, quæ in eisdem obiecto fundentur;an sci licet possit ea confirmare,atq;declarare: Hoc enim munus ipsi tribuit Arist.vt colligitur ex 1. phys. tex. 8. vbi ita habet. *Vt enim, & Geometra non amplius est ratio ad eum, qui destruit principia, sed aut alterius est scientia, aut omnium communis.* (idest metaphysicæ, quæ habet obiectum communissimum) *sic neque qui de principijs &c.* Atq; id ipsum ex professo docet 4. Metaphys. tex. 7. vbi etiam assignat rationem, quia scilicet prima philosophia non considerat particulariter aliquod genus entis, sed ens in communi; & proindè debet etiam speculari de primis principijs, & illorum veritatem ostendere, cum prima principia vniuersalissima sint, & solum aliquo modo particularizentur,quatenus applicantur determinatæ materię,de qua demonstrationes fiunt. Inquit enim *At eatenus vtuntur* (hoc est cœteræ scientiæ) *quatenus ijs satis est. Hoc autem est,quã tum illud continet genus,de quo demonstrationes afferunt.* Et cum ostendisset, ad metaphysicam spectare, confirmare prima principia,tex. 8.concludit. *Quòd igitur philosophi,& eius,qui de tota substantia,quoad natura fert,speculatur, etiã de principijs syllogisticis est considerare, manifestum est.* Metaph. munus confirmare prima principia. Arist.

II. Verùm difficultas est,& nõ leuis, quomodo id præstet. Cùm enim prima principia habeant intrinsecam euidentiã, per quam immediatè innotescunt intellectui,non videtur,quomodo possit metaphysica ea confirmare,aut facere,quòd intellectus noster ijs assentiatur. Inquiro enim,an principia habeant sufficientem euidentiam, vt ipsis intellectus ex vi terminorum assentiatur;an verò non habeãt Si primum dicatur, ergo frustra requiritur auxilium metaphysicę,quo mediante confirmentur, & innotescant intellectui. Si verò non habeant sufficientem euidentiam, neq;proderit metaphysica, quoniã Ratio dubitandi quo. metaph. confirmet prima principia.

non potest eorum euidentiam augere, euidentia enim principiorum, vt principia sunt, habetur ex cognitione terminorum, vndè debet desumi ex intrinseca ratione ipsorum, non autem ab aliquo medio extrinseco; & ideircò si ex se non habent euidentiam, neque à metaphysica potest tribui, quia tunc recurretur ad medium extrinsecum, quòd est contra rationem principii, & proinde, si principia non habent ex se euidentiam, ne que aliunde possunt illam acquirere. Adde etiam, quòd si non habent ex se sufficientem euidentiam, qua ex vi terminorum innotescant intellectui, non forēt principia, per hoc enim constituitur principiū in suo esse, quòd illi ex vi terminorum præbeamus assensum.

III. Sed augetur etiam difficultas, nam alter modus etiam præcluditur, quo metaphysica adiuuare posset intellectum ad assentiendum primis principiis. Cùm enim non possit adiuuare augendo obiectiuam euidentiam ipsorum, vt modò vidimus, & indubitatum esse debet, quia non immutat intrinsecè ipsa principia; solùm relinquitur, quòd huiusmodi auxilium se teneat ex parte intellectus, quasi intellectus ex vi habitus metaphysici prō ptus reddatur ad prębēdum assensum; ita vt huiusmodi habitus quodam maiori lumine illustret intellectum, vt faciliùs percipiat veritatem principiorum. Verùm neque hoc dici potest, quoniam principia ex natura sua petunt attingi, & per assēsum cognosci ex sola notitia terminorum; habitus autem metaphysicę, non habet hunc modum tendendi, quia, cum sit sciētificus, ex proprio suo modo tēdēdi procedit per discursū; vndè nō potest coadiuuare intellectùm ad assensum principiorum & cum intellectus sit lōgè diuersus ab habitu sciētifico, quomodo iste poterit circa principia versari?

IV. Atque hinc sequitur, quòd cùm metaphysica discursiuo modo procedat, si aliquo modo circa prima prīcipia versatur, debeat hoc ipso modo procedere, & mediantè discursu illa confirmare. Sed hinc noua difficultas insurgit, quia principia, si modò verè principia sunt, atque prima, non habent medium, per quod à priori probentur; vndè non possunt per discursum confirmari, quasi eorumdem veritas ostendatur. Sed neque etiam à posteriori confirmari possunt, nam tunc adhuc se haberent tanquam aliquid illatum, & inducerent rationem cōclusionis, quæ in sui cognitione ab alio dependeret, nempè ab illo, quod metaphysica assumeret ad eorum veritatem confirmandam atque demonstrandam; quod destruit rationem principii; imò tunc metaphysica, & habitus principiorum confunderē tur, quoniam principia euaderent conclusiones metaphysicę, siquidem ipsi correspønderent tanquam aliquid ex alio deductum.

V. Nihilominus tamen conueniunt omnes cum Arist. locis citatis præsertim interpretes, quòd metaphysica versetur circa principia ea cōfirmando, atque declarando; atque id latè tradit *Suarez* in Metaph. disp. 1. Sect. 4. num. 12. & se quentibus, à quo si quæras, quomodo id præstet, respondet num. 16. id efficere augendo eorum euidentiam, non quidem intensiuè, quia tali pacto augeri non potest, neque per habitum principiorum, & semper certior est assensus, qui habetur ex habitu principiorum, sed solùm auget extensiuè præbendo nouum motiuum assentiendi. Quòd si rursus quæras, quibus modis id præstet, respondet id primò efficere declarando terminos, deindè posse quædam principia à priori demonstrare, non quidem per causam intrinsecam suę veritatis, quia illam non habent, sed per extrinsecam, nempè finalem, efficientem, & exemplarem, quamuis, vt inquit ipse, id raro contingat. Denique deducēdo ad impossibile, hoc enim modo manifestat necessitatē talis veritatis, & ideò facilitat assensum intellectus circa ipsa. Communis sententia Arist. Suarez.

Modus, quo metaphysica confirmat prima principia.

SECTIO II.

I. VT verùm modum exponamus, quo metaphysica vtitur in confirmandis primis principijs, paulatim procedendum est, atque à facilioribus incipiendum: Hoc igitur imprimis statuimus, quòd principia habent se sufficientem euidentiam, qua moueant intellectū ad assēsū præbendum sine vlla difficultate, & hæsitatione, & si intellectus elicit assensum conclusionum propter principia, ex quibus deducuntur, multò magis debet sine vlla difficultate assentiri principijs, quæ sunt causa, vt conclusionibus sine hæsitatione assentiatur. Vnde Principia habent se sufficientem euidentiam.

oblato

oblato aliquo principio, intellectu, vel per ſuum connaturale lumen, quo mediante ipſi veritates manifeſtantur, vel per aliquem alium habitũ ſuperadditum ſi modò datur de quo non eſt hic diſputandum, ſtatim ſine vlla difficultate aſſentietur, dummodo ita proponatur, vt eius euidentia appareat. Et procul dubio, ſi principium cum debita euidentia, quæ appareat, proponitur intellectui, non eſt neceſſarium aliquod auxilium metaphyſicę, quo principium confirmetur, vel explicetur: ſed ſtatim intellectus eliciet aſſenſum circa ipſum.

Metaphyſica manifeſtat cui dentiam principiorum.

II. Hinc igitur colligitur, quòd totum id, quod metaphyſica præſtare poteſt circa cõfirmationem principiorum, in eo cõſiſtit, quòd intellectui manifeſtet propriam euidentiam eorumdem, quæ ex ſe habent, vt ſtatim percipiãtur, ſi non eſt debitè propoſita. Et ex hoc ſequitur, quòd metaphyſica non elicit aſſenſum circa principia, vt principia, quia hoc impoſſibile eſt, cùm ſpectet ad habitum principiorum, vt optimè in ratione dubitandi conuincitur; ſed ſolùm debeat cõgruenter proponere ipſorum euidẽtiam. Quia autem in ſingulis principiis duo conſiderari poſſunt, termini videlicèt, & eorumdem connexio adinuicem, circa hæc duo verſari poteſt metaphyſica, vt prima principia confirmet. Verùm cum terminorum connexio ſit immediata, & ſequatur ab intrinſeco ipſorum, ita vt ſtatim ex terminis cognoſcatur etiam connexio & propterea ſolet dici, quòd principia cognoſcuntur ex ſola terminorum notitia, non erit neceſſe, quòd metaphyſica manifeſtet immediatè illam terminorum connexionem, ſed ſufficiet, quòd ipſos terminos faciat innoteſcere intellectui, quia ſtatim etiam connexionem ipſorum percipiet, vtpotè imbibitam in iiſdem terminis.

Conclu. Metaph declarat omnia princi pia, & quomodo.

III. Hinc dicendum eſt. Metaphyſicam confirmare prima principia declarando terminos, ex quibus cõſtant, & hoc pacto verſari tam circa principia nõ adeò vniuerſalia, quàm illa, quæ ſupra diximus, quòd ſcilicet probari non poſſunt per medium intrinſecum, ſed habent ſufficientem euidentiam intrinſecam, quæ eſt medium, & motiuum, quo intellectus mouetur ad aſſentiandum principiis: imo non ex alio motiuo poteſt iis aſſentiri, tãquam principijs. ſufficit ergo, quòd metaphyſica proponat intellectui huiuſmodi motiuum, quod præſtat declarando terminos, & manifeſtando eorum naturam; & quemadmodum termini ſeipſis connectantur, ita enim, ſi eorum euidentia appateat, ſtatim etiam apparet euidentia connexionis, vt quid ab ipſis fluens, vt contigit in hoc *Omne totũ eſt maius ſua parte.* Si enim alicui hoc principium videretur difficile, ſatis eſt, quòd perciperet, quid ſit totum, & quid pars, & ſtatim etiã connexio euidens fieret, quòd videlicet totum ſit maius ſua parte.

Quomodo metaphyſica termi-nos principiorũ declarat.

IV. Quòd ſi quis quærat, quomodo metaphyſica terminos declaret, & eorum ſignificationem manifeſtet. Dicendum eſt; id diuerſimodè præſtare, prout exigit natura terminorum; nam id aliquando facit definiendo, quando ſcilicet terminus eſt capax definitionis, vt præſtare poſſet in allato principio, *Omne totum eſt maius ſua parte.* tunc enim, ſi quis de hoc principio dubitaret, poſſet definiri, quid ſit totum, quid pars, & hoc pacto terminos explicaret. Aliquando verò, quando termini non ſunt capaces definitionis, vtitur ſaltẽ aliqua deſcriptione, ita vt per ipſam explicet, quid ex vi talis termini concipiendum ſit; vnde per talem deſcriptionem, quæcunque illa ſit, manuducit intellectum ad formandum verum conceptum tali termino ex natura ſua correſpondentem, vt cũ dicimus, *Ens eſſe illud, quod habet eſſe*, ducitur intellectus ad rectè concipiendum, quid ens ſignificet; Aliquando etiam vtitur aliis terminis etiam ſynonimis, vt quod intellectus, per vnum terminum attingere non poteſt, attingat per alterum; atque his modis, & ſimilibus procedit metaphyſica in explicandis terminis, qu.bus principia coaleſcunt. Hoc autem totum præſtat diſcurſiuo modo, ſeu ſcientifico modo; non quidem, quia ſemper procedat vtendo formali diſcurſu; ſed quia in explicandis his terminis eo modo procedit, quo procedit in deducendis concluſionibus, hoc eſt, diuidendo, & aliquando perfectè diſcurrendo. Et hoc munus maximè congruit metaphyſicæ, non ſolùm quia eſt ſcientia vniuerſaliſſima, ſed quia vtitur magnis præciſionibus, vndè circa terminos principiorum poteſt formare diuerſas præciſiones, quæ valdè deſeruiunt ad eorum naturam explicandam.

V. Cæterum obiiciet aliquis. Multoties termini principiorum ſunt abſtra-

abstractionem metaphysicam, vt contingit in illis principijs, quę propria sunt aliarum scientiarum, & quæ constant terminis, qui inuoluunt aliquam materiam; tunc enim metaphysica, cum non possit egredi hanc abstractionem, neque hos terminos explicare potest: quomodo enim illos definiet, si definiendi sunt; aut diuidet in diuersas formalitates, aut denique circa ipsos scientifico modo versabitur, cum proprius modus tendendi coarctetur ad ea, quæ sunt intra propriam ipsius abstractionem. Huic difficultati respondet Suarez citata disp. prim. metaph. Sect. 4. num. 17. Metaphysicam non ita proximè, & immediatè descendere ad hæc principia particularia singularium scientiarum, sed solùm quatenus in eis generales rationes, & præsertim transcendentales reperit, vel ad summum quatenus illi deseruiunt ad proprias definitiones tradendas, & proprios terminos explicandos.

Responsio Suarez.

VI. Hęc tamen responsio non planè satisfacit nam quòd ait, considerare illos terminos secundùm rationes communes transcendentales, hoc nō facit, quòd consideret quatenus termini sint principiorum; nam ratiò illa principij, & illa immediata connexio; quam habent adinuicem, non fundatur in rationibus transcendentalibus, atque communibus, sed in illa peculiari ratione, quàm dicunt prout sunt tales termini, vnde si metaphysica debet illos explicare, prout sunt termini principiorum, oportet, quòd explicet secundum proprias rationes. Alterum vero, quod affert in eadem responsione, nimirum metaphysicam descendere ad illos terminos, quatenus illi deseruiunt ad proprias definitiones tradendas, & proprios terminos explicādos, non vi. eo, quod modo subsistere possit; nam vel sūt intra propriā abstractionē metaphysicam, vel extra ipsam. Si primum admittitur, poterit ad illos immediatè descendere, & congruo modo explicare, at si sunt extra propriam abstractionem metaphysicam, quomodo poterit ijs vti ad tradendas proprias definitiones, & proprios terminos explicandos, cum non possit egredi propriam abstractionem? Itaque melius dicendum existimo, quòd principia illa, quæ propria sunt cœterarū scientiarum: vel sunt propria, quia appropriata sunt tali materiæ, & non ex natura sua, vt ferè in omnibus contingit, & tunc potest metaphysica rationem formalē principij à tali materia præscidere, illam explicando per terminos metaphysicis; & tunc poterit confirmare principia explicando ipsos terminos modo supra explicato, quia tunc principium denudatur ab illa materia, cui immergitur ex eo, quod applicatur obiecto proprio huius, vel illius scientię, vt contigit in hoc *Omne corpus dicit aliquid amplius, quam forma*; denudari enim potest ab hac materia, cui immergitur ex eo, quòd applicatur obiecto physicæ & reduci ad suā vniuersalitatem, nempè *Omne totum est maius sua parte*. Vel principia ista sunt propria talis scientiæ, non quia applicata sint proprio obiecto; sed quia habent solam veritatem intra tale obiectum, ex eo, quòd ex proprio esse ipsius pullulent & primo oriantur, ita vt impossibile sit, per alios terminos explicari, qui abstrahant à propria materia talis obiecti; & in tali casu metaphysica non explicat terminos principiorum, quia cum de ipsa dicitur, quòd confirmet prima principia, non debet intelligi vniuersaliter de omnibus, sed solùm de ijs ad quæ ex vi sui proprij modi tendendi, se potest extendere. Huiusmodi autem principia poterunt à propria scientia confirmari, tanquam ab ea, intra cuius latitudinem termini comprehenduntur; si enim metaphysica confirmat propria principia explicando terminos, cur non poterunt cœteræ propria explicare, cùm similiter possint circa proprios terminos tum diuidere, tum definire, tum præscindere, & alia præstare, quæ præstat metaphysica?

Reiicitur.

Metap. non explicat terminos omnium principiorū.

VIII. Secundò dicendum est. Metaphysicam posse confirmare prima principia per deductionem ad impossibile; atq; hic modus confirmandi prima principia optimus est, & maximè accommodatus ad ipsorum euidentiam demonstrandam, ita enim proceditur, vt si tollatur veritas principii, aliquod manifestissimum absurdum sequi conuincatur; Aut enim illud principium verum esse necesse est, aut falsum; & proinde verum ipsius contradictorium, quòd enim alterum ex contradictorijs necessè sit verificari, est ex illis principijs de quibus Arist. l. 4. Metap. tex. 8. docet, impossibile esse mentiri, & proinde certissima esse, & quibus vniuscuiusque intellectus etiam rudis accommodatur. Ex verificatione autem contradictorii illius principii, quòd confirmatur

Secunda conclus.

Metaph confirmat principia per deductionem ad impossibile.

matur; colligitur aliquod manifestissimū absurdum, & proindè concluditur; quòd huiusmodi contradictorium falsum sit, & verum illud principium, quod assumitur confirmandum. Et hic modus procedendi valet pro quocunque principio etiam proprio scientiæ alicuius particularis. Verùm aduertere oportet, quòd cum; vt modo dictum fuit, pertineat ad scientias particulares hæc principia confirmare, vt vnaquæque possit hoc modo procedendi vti, & deducere ad impossibile, oportet, quòd dependeant à metaphysica, & ab illa desumāt media conuenientia, & præcipuè illud principium. Ex contradictorijs alterum necessariò verum esse, sine cuius auxilio impossibile est, deducere ad impossibile. Illud autem necessariò adnotandum esse existimo, quòd non rectè Fonseca lib. 4. metaph. cap. 3. quęst. 1. sect. 3. docet circa hunc modum procedendi, seu deducendi ad impossibile, præsertim per illud principium. *Impossibile est, idem simul esse, & non esse*. Prima principia confirmari à priori. Omnis enim probatio, quæ fit à priori, oportet, quòd sit per causam, neque de hoc dubium aliquod oriri potest; huiusmodi autem principia, ex quorum vi deducitur ad impossibile, non sunt causę illius principij, vt per se manifestum est; nam causas intrinsecas habere non potest, alioquin non esset primum principium, sed neque sunt causæ extrinsecæ, vt per se patet. Deindè quandocunque aliquid demonstratur à priori, illud directè, & positiuè ostenditur; non autem aliquid impossibile deducitur, ex cuius postea destructione sequatur veritas alterius, vt in pręsenti casu contingit, & proindè dicendum non est, hanc esse demonstrationem illius principij deductam per cōparationem factam cum aliquo absurdo, & impossibile.

III. conclusio. metaph. nō potest à priori cō firmare p. principia per causas extrinsecas.

VIII. Dicendum etiam est tertio metaphysicam, non posse à priori confirmare prima principia per causas extrinsecas, vt volebat Suarez. Hoc autem ita intelligi debet, non quòd re vera prima principia non possint per causas extrinsecas à priori confirmari, quasi huiusmodi causæ aptæ non sint, quia re vera, cum sint causæ, se habent à priori, & quò ad possibilitatem habent necessariam connexionem cum effectu, sic enim omnipotentia Dei potest à priori ostendere hunc, vel illum effectum possibilē, prout est causatiua illius, cognita enim hac vi causatiua in Dei omnipotentia, statim necessaria sequela colligitur possibilitas effectus; quia omninò implicat, quòd posita vi causatiua, effectus non sit possibilis; quòd proindè docent Theologi, possibilia habere ęqualem necessitatem essendi cum Deo. Cum autem huiusmodi cognitio, quæ acquireretur de effectu possibili, sit per causam, necessariam, erit sanè demonstratiua, atque, à priori. Et idem dicendum est etiam de causa exemplari, seu diuinis ideis; atq. etiam de causa finali, cum eadem sit ratio. Sed ideò dicimus, metaphysicam non posse per has causas confirmare prima principia, quia illas non habet, neque, si haberet, posset vti.

IX. Hoc autem probatur. Et quò ad causam efficientem. Principia enim vniuersalissima nullam aliam causam efficientem necessariam, possunt habere, præter primam, qua mediante in aliquo singulari, verificari possunt, & si habent aliquam aliam causam creatam, hæc non est necessaria, nisi quoad possibilitatem, quæ tamen ex eo, quòd sit possibilis in seipsa, non potest colligi, uisi possibilitas alicuius effectus, seu entis incomplexi, non verò alicuius principij. Quòd autem spectat ad causam primam, cum non cognoscamus eam intuitiuè, sed tantum arguitiuè à posteriori, non possumus aliquid ex ipsa probare esse possibile, si negatur esse possibile, quia ex effectu colligimus potentiam in Deo. Et ideò non possumus ex hac causa colligere veritatem principiorum, quia ijs negatis non est, vndè nobis appareat vis effectiua illorum in Deo. Addo etiam causam efficientem vt sic, non esse aptam ad demonstranda principia, quia causa efficiens ex vi sui ordinis essentialis respicit tantùm effectus particulares, principia verò sunt quid complexum secundùm rationes abstractas, & multoties oriuntur ex quadam combinatione, & habitudine, quam res habent inter se, & quæ non dependent immediatè ab aliqua causa efficiente, sed consequitur ad res ipsas, vt est hoc principium. *Omne totum est maius sua parte*, quod non fundatur in re aliqua præcisè, sed in habitudine illa, quæ est inter partem, & totum. Atque hoc habet locum in causis particularibus, quia istæ tendunt tantùm ad effectus particulares, non autem ad illam com-

causa efficiens nō est apta ad demōstrāda principia.

ple-

plexionem, quam habent ad inuicem; In Deo verò, quia est causa vniuersalis, adest peculiaris ratio, causa enim vniuersalis, vt potè quia ab ipsa dependent omnes effectus secundum illam seriem, quam habent inter se, non solùm dat esse, sed etiam ordinem, & idcirco ex vi ipsius in ferri possunt, quantum est de se, omnia principia, etiàm quæ fundātur in illa rerum complexione; quam habent ad inuicem.

Quomodo causa idealis non deseruiat nobis ad demonstrando principia.

X. Quod verò spectat etiam ad causam idealē, eadē quoq. est ratio; Nam quamuis res omnes non solùm incōplexæ, sed etiā complexæ habeant ideam propriam in Deo, & ex ideis possint Ideata necessaria sequela inferri, tamen iis non possumus vti; quia quamuis euidenter conuinci possit in Deo debere poni ideas rerum omnium in confuso, non descendendo in particulari ad res determinatas, tamen loquendo de hac, vel illa, conuinci nequit, adesse in Deo ideam, nisi à posteriori, quia scilicet scimus talem rem esse possibilem, vel existere; quare in tantum scimus, adesse in Deo ideam hominis, in quantum videmus hominem existere, & posito homine, colligimus ideam. Hinc fit quòd si non appareat aliquid possibile, aut existens, aut negetur esse possibile, consequenter non habebimus cognitionem aliquam de tali idea in particulari, & negabitur etiam adesse ideam; & propterea non possumus ex ideis procedere ad confirmanda prima principia, quia si principium ab aliquo negaretur, neque in Deo poneretur illius idea, & hæc non aliunde naturaliter loquendo nobis innotescere potest. Idem quoque dicendum de causa finali, cum sit eadem ratio. Quia solùm in confuso cognoscimus Deum esse finem rerum omnium, non autem huius, vel illius rei, nisi sciamus talem rem dari.

Quomodo metaphysica superet in dignitate prima principia.

XI. Atque ex his vnum colligitur, quod valdè confert ad dignitatem metaphysicæ nimirum, quòd licet metaphysica, quatenus scientia est, non superet in euidentia prima principia; superat tamen in quadam excellentia, ex vi cuius habet, quòd prima principia ab ipsa dependeant. Hæc autem excellentia in eo sita est, quòd declaret terminos, ex quibus constāt, ostendendo ipsorum euidentiā, quemadmodum etiam deducendo ad impossibile; ex quo colligitur, quòd habeat reflectere supra ipsa prima principia, & ob hoc obtinet supra ipsa quādam præsidentiā, qua illa sibi subdit. Quod indicauit Arist. 1. Poster. tex. 23. vbi ait *Si vero manifestum est hoc; manifestum & quod non est vniuscuiusq. propria princi ta demonstrare: erunt enim illa omnium principia, & scientia illorū domina omnium.* Atque. 6 Eth. cap. 7. docet, sapientem non solùm ea scire, quæ ex principiis cognoscuntur, sed etiam oportere quòd circa principia vera dicat quod non alio modo facit, nisi confirmādo, & declarando. Hinc D. Th. 1. 2. ar. 2. ad 2. inquit *Scientia pendet ab intellectu sicut à principaliori; & vtrumq. pēdet à sapientia sicut à principalissimo, quod sub se continet intellectum, & scientiam.* Vnde licet sapientia in fieri, & in acquiri pendeat ab intellectu, seu habitu principiorum quibus innititur, tamen eminentiori quodam modo reflectit supra sua principia, atque eorum certitudinem, & euidentiam manifestat, vt diximus. Hinc non rectè Suarez in metaph. disp. 1. Sect. 5. num. 30. id tantùm limitauit ad principia aliarum scientiarum, cùm hoc ipsū præstet etiam respectu suorum; & quemadmodum per ipsum quoq. potest proprium obiectum comprobare, ita etiam poterit propria principia declarare, & consequenter erit superior respectu ipsorum.

Metaphysica alio modo ac intellectus versatur circa prima principia

XII. Constat ergo, metaphysicam versari circa prima principia, sed alio modo, quàm versetur intellectus, seu habitus principiorum. Hic enim versatur circa ipsa, tanquam elicitiuus assensus; metaphysica verò tanquam explicatiua ipsorum, & præparans ea, vt possint congruo modo præsētari intellectui, vt possit ipsis sine difficultate assentiri. Et vt constat ex modis, quibus diximus modò, hęc principia explicare, procedit discursiuo modo; ex quo fit, quod meritò possumus dubitare, an prout explicat principia eadem sit, ac prout est scientia, an verò distinguendæ sint diuersæ partes. Quòd eni prout est specificata ab obiectō, quod ipsi assignauimus sit vna, atque eadem scientia, non potest in dubium venire, siue enim explicet principia, siue deducat conclusiones, semper circa idem obiectum tendit, aut circa ea, quæ ad ipsū spectant, & nunquam de propria abstractione egreditur; quod eò magis verum est, quoniā etiam habitus principiorum,

An metaphysica prout explicat principia & deducit conclusiones sit eadem

quæ in ipsius obiecto fundantur ad hanc vnitatem, & integritatem scientiæ spectat; vnde solùm dubium potest esse de diuersitate partium, vt quemadmodum distinguitur vna pars, quę côtinet principia, & altera quæ côplectitur conclusiones, ita etiã poni debeat altera pars, quæ explicet principia. Et quidem ita dicendum probabilius existimo, nam pars illa, quę côclusiones deducit, vtitur ipsis principiis, tanquã euidentibus, & certis, vnde dependet quodã modo ab illis, & inde primo incipit; pars verò illa, quę explicat, & confirmat principia nõ directè procedit ex ipsis principiis, sed est reflexiua, & tendit ad eorum euidentiam manifestandam, vt inde possint conclusiones deduci; in quo apparet maxima differentia; aliud enim est conclusiones deducere, & aliud principiorũ euidentiam manifestare; primum enim directè generat scientiam, atq. immediatè; secundum verò nequaquam, sed solùm quodammodo, mediatè concurrit ad generandam scientiam, & potius spectat ad illam partem scientiæ, quæ complectitur principia, quàm ad illam, quæ deducit conclusiones; adiuuat enim habitum principiorum, seu assensum illorum, vt in superioribus explicatum est.

An Metaphysica subalternet sibi alias scientias. Disp. XXIV.

Ratio dubitandi, & communis sententia

SECTIO I.

I. Quomodo Metaphysica cõfirmet obiecta aliarũ sciẽtiarum, ea à priori probãdo, atq. explicet earũdẽ principia, ea congruẽter intellectui proponẽdo, & declarãdo euidẽtiã, quã habẽt, superius explicatum est; & ex hoc deduximus, quod habeat quãdam præsidẽtiã, & superioritatẽ supra alias sciẽtias. Ex hoc autẽ sequi videtur, quòd debeat illas sibi subalternare, quod in præsẽti disputatione examinãdũ est. Hæc autẽ satis cõuincunt, vt dicamus, Metaphysicã subalternare sibi alias scientias saltẽ subalternatione impropria, & quæ vocari solet extrinseca, habent enim aliqualem dependẽtiam ab ipsa, quæ sufficit, vt etiam statuatur aliqualis subalternatio. verùm in præsenti de hac non quærimus, sed de propria subalternatione, & quæ vocari solet intrinseca, quia oritur ab intrinseco scientiæ; & est illi essentialis, quatenus talis scientia est.

II Quod autem cœterę subalternẽtur propriè metaphysicę, videtur colligi ex Arist. 1. Physicor. text. 8. vbi docet, quòd ad scientiam vniuersalem, nẽpe metaphysicam pertinet confirmare principia cœterarũ scientiarũ. Ex quo ita possumus arguere, principia, ex quibus cœteræ scientię procedunt, indigent cõfirmatione, quæ à metaphysica exhibeatur, ergo non habent euidentiã in suis principijs, sed tantũ in metaphysica, à qua talia principia confirmãtur. Hoc autem causat subalternationem in scientiis; quãdo enim vna non habet euideutiam in suis principiis, oportet, quòd essentialiter ab illa dependeat, in qua principia habent euidentiam, & consequenter ipsi subalternetur. Deinde idem Arist. 4. Metaph. tex. 4. ita ait *Atq. tot philosophiæ partes sunt, quot substantiæ, quare necesse est, vt aliqua earum prima, & alia sequens sit* Quibus satis manifestè indicat, alias sciẽtias subalternari metaphysicæ, dum ipsam tanquam primam vocat, & alias tanquã sequentes, hoc est suppositas metaphysicæ, & quasi ab ipsa deductas.

Ratio dubitã-di.

Arist.

III. Nihilominus tamen communis sententia tenet, quod metaphysica non subalternet sibi propriè alias scientias subalternatione intrinseca. Ita docent inter alios Soto 1. phys. quęst. 11. Iauel 1. metaph. quæst. 9. Fonseca ibid cap. 1. quæst. 2. Sect. 3. Perer. lib. 1. suæ Philosop. cap 14. Suarez in metaph. disp. 1. Sect. 6. n. 45. Atque hæc proculdubio est sententia Arist. qui 6. Metaph. tex. 2. diuidit scientiam speculatiuam in Metaphysicam, Physicam, atq. Mathematicã, tanquã in species non solùm essentialiter diuersas, sed etiam contradistinctas, & oppositas, alioquin non possent diuidere genus; sola enim oppositio est illa, quæ facit, quòd differentiæ diuidant; si verò sunt subalternæ nequeunt genus diuidere; & alibi sæpe meminit Aristot. de Physica, & Metaphysica tanquam de scientiis, quæ seorsim spectatæ veræ sint scientiæ,

Communis sententia Metaph. non sub alterna sibi alias sciẽtias

Soto. Iauel. Soncin. Fonseca Perer. Suarez.

Arist.

Z quod

quod non contingeret, si alteri subalternarentur.

Metaphysicam non subalternare sibi alias scientias.

SECTIO II.

I. ET sanè communis sententia verissima est, si subalternatio accipiatur, quemadmodum accipi debet. Quare sciendum est, ne in dubio laboremus, quòd subalternatio, qua vna scientia alteri subalternatur, non est aliud, quàm dependentia quædam, qua essentialiter vna scientia dependet ab alia secundùm rationem scientiæ, ita vt ex vi huius dependentiæ habeat, quòd sit scientia. Cum autem scientia in eo formaliter consistat, quòd sit certa, atque euidens cognitio per causam; si ex vi dependentiæ, qua subalternata dependet à subalternāte habet, quòd sit scientia, necesse est, quòd per illam habeat certitudinem, atque euidentiam, quod non aliter contingere potest, nisi subalternata accipiat à subalternāte tanquam à radice certitudinem, & euidentiam suarum conclusionum. Verùm hæc dependentia secundùm rationem scientiæ, seu certitudinis, & euidentiæ, vt saluet veram subalternationem, non sufficit, quòd sit secundùm aliquas conclusiones, sed debet esse secundùm scientiam totalem, & secundùm omnes conclusiones; ita vt subalternata scientia non habeat ex propriis, per quæ independenter generet certam, & euidentem cognitionem per causam, alioquin esset ex se scientia, & indepēdenter, & proinde nō subalternetur. Quod docuit Arist. 1. poster. initio tex. 43. vbi ait, quòd, vt scientia non subalternetur, oportet, quod in eodem genere, hoc est intra idem obiectum, intra quod conclusiones sunt, habeat etiam principia, per quæ demonstret, quę sint indemonstrabilia. Ita enim habet. *Oportet enim ipsa* (hoc est principia) *in eodem genere esse cum his, quæ demonstrantur; Signum autem, & huius, eum ea, quæ monstrantur per ipsa in eodem genere sunt, & cognata.* Quod autem subalternatio consistat in hac dependentia secundùm rationem scientiæ, satis euidenter inde conuincitur, quòd subalternatio ponit subiectionem alteri, ratione cuius illi subiiciatur quò ad esse, quod fieri non potest, nisi secundum esse dependeat; atque hoc importat communis conceptus subalternationis, nimirum dependentiam quandam; neque enim aliter subalternationem possumus concipere; quod etiam ex opposito declaratur; nam statim ac concipimus scientiam subalternātem, eam concipimus esse scientiam ex se, atque independentem à quacumque alia, vnde debet subalternata esse dependens. Et quia subalternatio est secundùm rationem scientiæ, ideo in esse scientiæ debet à subalternante dependere, atque adeò secundùm certitudinem, & euidentiam, quàm à subalternante accipiat.

Quid subalternatio.

Arist.

II. Duobus autem modis potest fieri, quod scientia subalternata accipiat certitudinem, & euidentiam à subalternante. Quorum primus se tenet ex parte principiorum, si videlicet subalternata non habeat propria principia, ex quibus deducat suas conclusiones, sed dependeat à superiori subalternante, quod fiet hoc pacto, si subalternata vtatur conclusionibus, quas subalternans demonstrauit, quæ licet non habeāt euidentiam in seipsis, habent tamen in principiis subalternantis, & ideò deseruire possunt pro principiis ad alias conclusiones demonstrandas, & facere, quòd scientia, quæ iis vtitur, dependeat in esse scientiæ ab ea, quæ tales conclusiones demonstrat. Atque hunc modum subalternationis tradidit Arist. 1. poster. tex. 43. vbi ita inquit *Vna autem scientia est, quæ est vnius generis, quæcumque ex primis componuntur, & partes sunt, aut passiones horum per se. Altera verò scientia est ab altera,* (hoc est habens ab altera, quòd sit scientia) *quarumcumque principia, neque ex ijsdem, neque altera ex alteris sunt.* Distinguit ergo Arist. duplex genus sciētię; alterum, quòd est per se scientia, & independenter à quocunque alio, habens propria principia, & conclusiones; alterum verò, quod cum non habeat propria principia, sed dependeat à principiis alterius, mutuatur rationem scientiæ ab alio, nempè ab illo, à quo, vt dictum est, accipit certitudinem, & euidentiam.

Duplex modus subalternationis

III. Alter verò modus subalternationis, quo vna scientia dependet ab alia secundùm rationem scientiæ in eo consistit, quòd vna scientia attingat aliquid secundùm esse, seu attingat, quod aliquid verè sit, quantum est de se, non autem suam causam, propter quam sit, sed ab alia accipiat causam illius, quod cognoscit; tunc enim, sic et habeat

Secundus modus subalternationis.

cogni-

cognitionem de obiecto, non tamen est scientifica, quia non est propter causam: vt igitur euadat scientifica indiget auxilio superioris scientiæ, à qua accipiet causam illius, quod cognoscit, & ideò secundùm rationem scientiæ ab ipsa dependet; sic medicina scit, quod vulnus circulare difficilius sanatur, non tamen dicit causã propter quam difficilè sanetur, sed eam desumit à mathematica, quia scilicet in figura circulari partes maximè distant, cum non habeat angulos. In hoc verò modo subalternationis subalternata sciẽtia dicitur cognoscere Quod, hoc est, quòd res sit, subalternans verò propter quid; hoc est causam, propter quam res ita se habet; atq; hæc subalternatio se tenet ex parte conclusionum.

Arist. IV. Atq; hic etiam modus subalternationis desumitur ex Arist. 1. Poster. tex. 13. vbi hæc habet de scientia subalternata, *Differunt verò, ipsum enim Quod alterius scientiæ, subiectum namq. genus alterum, ipsum verò propter quid, superioris; cuius per se passiones sunt*. Ex quibus patet, quòd distinguit scientiam subalternatam à subalternante penes id, quòd illa considerat ipsum Quod, hoc est, quod res ita se habeat; subalternans verò tanquam scientia superior considerat ipsum Propter quid, hoc est causam, propter quam res ita se habeat. Similiter etiã tex. 30. eiusdem lib. 1. Poster. inquit. *Secundùm quidem igitur eamdem scientiã & secundùm mediorum dispositiones ista differentiæ sunt eius, qui est ipsius quod ad eum, qui est ipsius propter quid, syllogismum. Alio autem modo differt ipsum propter quod ab ipso Quod eo, quod per aliam scientiam vtrumq; speculatur, talia autem sunt, quæcunq. sic se habent ad inuicem, vt sit alterum sub altero, vt perspectiua ad Geometriam, & Mechanica ad Stereometriam, & Harmonica ad Arithmeticam, & Apparentia ad Astrologicam*. Et post pauca statim subdit *Se habet autem & ad perspectiuam, vt hæc ad Geometriam, alia ad hanc; vt quod est de Iride; ipsum enim Quod naturalis est scire; verùm propter quid perspectiui, aut simpliciter, aut secundùm mathema*. Ecce ergo quomodo distinguit scientias, quæ considerat ipsum Quod, & scientias, quæ considerãt ipsum propter quid, quas tanquam superiores ponit, & alias sibi subalternantes.

V. Cæterum quoniam scientiæ habent totum suum esse in ordine, ad obiectum, à quo specificanrur, oportet etiam, quòd in ordine ad ipsum habeant hanc subalternationem secundum vtrumque modum, & proinde necesse est explicare, quid dicat ex parte obiecti. Non potest autem aliud dicere ex parte obiecti, quàm aliquid superadditum, ratione cuius obiectum subalternatæ scientiæ subiiciatur obiecto subalternantis; nam cum principia subalternantis deseruiant pro deducendis cõclusionibus subalternatæ ita vt tota accidentia & certitudo scientifica subalternatæ resoluatur vltimo in principia subalternãtis, siuè cõmodet cõclusiones pro principiis subalternatæ, siue reddat causã conclusionũ eiusdem subalternatę, necesse, est quòd veritates, quas colligit subalternata subiiciantur principiis subalternantis, à quibus in euidẽtia, & certitudine depẽdeant, & consequenter cũ principia, & conclusiones in obiecto fundentur, debet obiectum subalternatę subiici obiecto subalternantis vt seruetur debita proportio inter obiecta, & conclusiones, atque principia Hoc autem, quod superaddit obiectum subalternatæ obiecto subalternantis, dupliciter excogitari potest, quòd se habeat; vel tanquam quid Essentiale, vel tamquam aliquid accidentale. Voco autem nunc Essentiale, non illud, quòd est intrinsecum constitutiuum, quia tunc illud spectaret ad scientiam subalternantem, tanquam aliquid de proprio obiecto, sed intelligo id, quòd se habet tanquam nouus gradus essentialis additus superiori gradu, vt differentialis generico, quo cõpleatur natura essentialiter, quæ in illo gradu, qui est obiectum subalternantis, inchoata fuit. Rursus per aliquid accidẽtale, quòd obiectum subalternatę addat obiecto subalternantis, debet intelligi etiam id, quod est quocunq. modo extra essentiam obiecti subalternantis, nec illi aduenit tanquàm gradus inferior essentialis. An autem debeat esse per se connexum essentialiter, quemadmodum sunt passiones cum subiecto, an verò sufficiat, quòd merè accidentaliter se habeat, & faciat cũ illo vnum merè per accidens, disputabimus alibi, nõ enim est huius loci. Quid dicat subalternatio ex parte obiecti.

VI. Verùm si illud, quod superadditur obiecto sciẽtiæ subalternãtis, sit gradus essẽtialis, nõ est aptũ ad cõstituẽdũ obiectũ sciẽtiæ subalternatæ, & cõsequẽter oportet, quòd sit quid accidẽtale. Huius autẽ

Obiecto ſcientię ſubalternatæ debet addi quid accidentale.

rei ratio eſt, quia licet gradus inferior ſubiiciatur ſuperiori in prædicando; non ſubiicitur tamen quò ad cognoſci; ſuppoſito enim, quod gradus ſuperior completè cõſtituat obiectum alicuius ſciẽtiæ, ita vt dicat totum id, quod requiritur ad rationem obiecti, nec intra ſuam latitudinem includet gradum inferiorem, quod neceſſarium eſt, vt adueniat tanquam quid ſuperadditum obiecto, tunc gradus inferior conſtituet nouum obiectum ex ſe ſpeculabile ſundans propria principia, ex quibus ſcientia circa ipſum procedat, quemadmodum etiam fundat gradus ſuperior, quòd ſufficienter inde conuincitur, quia non maior ratio eſt de gradu ſuperiori, quòd ſundet propria principia, quàm de inferiori, cum ſint ambo in eadem ſerie; deinde non minus eſt definibilis eſſentia, quæ conſtat ex gradu inferiori atq. ſicuti dicit nouam eſſentiam, ita etiam definiri poteſt noua definitione; vbi autẽ reperitur definitio reperiũtur principia, & ideò eſſentia quæcũq. quæ definiri poteſt diuerſa definitione ab alia poteſt etiã propria principia fundare, & eſſe obiectũ ſpeculabile indepẽdenter à principiis, quæ in alio obiecto fundetur. Quod etiam confirmari poteſt inquirendo, an gradus inferior ſit intra eamdem abſtractionem cum gradu ſuperiori, an verò intra diuerſam. ſi primum dicatur, tunc non conſtituit diuerſum obiectum ab eo, quod conſtituitur per gradum ſuperiorẽ, ſed erit pars illius, ſeu principium intrinſecum; ſi autem eſt intra diuerſam abſtractionem, tunc fundat diuerſum modum ſcibilitatis, atque adeo proprium modum tendendi, atque propria principia; Itaque non poteſt gradus eſſentialis, qui obiecto alterius ſcientiæ ſuperadditur, conſtituere obiectum ſcientiæ ſubalternæ; ſed oportet, quòd ſit aliquid accidentale, ſaltem metaphyſicè, vt tale obiectum conſtituatur.

Scientia ſubalterna non omnino diſtĩcta à ſubalternãte.

VII. Atque hinc ſequitur, quod valde adnotare oportet, ſcientiam ſubalternam non eſſe penitus diſtinctam à ſubalternante; quia licet conſideret nouum obiectum, & nouas concluſiones deducat circa ipſum, non eſt tamen ſimpliciter nouum, nam ſolùm aliquid addit ſupra obiectum ſubalternantis, quod tamen non dicit ſcientificam cognoſcibilitatem, cum non poſſit fundare propria principia ex quibus ſcientia procedat; quocirca ſcientia ſubalterna conſideretur ſecundùm rationem ſcientiæ propriè dictæ, non eſt ſimpliciter diuerſa à ſubalternante, quia vtriuſque concluſiones, nimirum ſubalternantis, & ſubalternatæ dependent ab iiſdem principiis, in quę vltimò reſoluitur tota certitudo, & euidentia concluſionum vtriuſque; vnde principia ſunt medium eſſentialiter connectens vtramq; ſcientiam, & reddens vnam eſſentialiter dependentem ab alia. Atq; ideò, cum ad totalitatem ſcientiæ requirantur principia, & concluſiones, & ſubalterna non habeat propria, atque etiam ſecundùm concluſiones dependeat à ſubalternante, ſequitur, quòd non ſit omnino diuerſa ab ipſa. Quod etiam indicauit Ariſt. lib. 1. Poſter. dum tex. 42. inquit *Scientia autem eſt certior, & prior ſcientia, quæ ipſius quod, & propter quid eſt eadem, ſed non ea, quæ ſeorſim ipſius quod ab ea, quæ propter quid* hoc eſt illam ſcientiam eſſe certiorem, atque priorem, quæ ſimul attingit rem eſſe & cauſam, per quam res ita ſe habet, non autem eam eſſe certiorem, quæ ſolùm attingit, Quod res ſit. Ex quo elicitur iſte diſcurſus, Ariſ. vocat eamdem ſcientiam illam, quę ſimul attingit ipſum quod, & propter quid. ſubalterna verò ex ſe attingit ſolùm ipſũ purum, Quod, & ipſum propter quid attingit tantum in virtute ſubalternantis, cum igitur non ſit verè ſcientia, niſi quatenus attingit etiam ipſum propter quod & hoc habeat à ſubalternante, ſequitur, quòd prout attingit ſimul propter quid, cõcurrat etiam ſubalternans, atque adeo non ſit omnino ab ipſa diuerſa.

Ariſt.

VIII. Denique aduertere oportet pro plena intelligentia huius ſubalternationis, quod aliquando contingit in aliqua ſcientia reperiri cõcluſiones aliquas, quarum cauſam, ſeu propter quid, ſi inquiramus, ad diuerſas ſcientias recurrendum eſt, vt contigit in medicina. Cauſas enim plurimarum concluſionum phyſica aſſignat; aliquarum vero aliæ ſcientiæ, vt quod vulnus circulare difficilius ſanetur docet medicina; verùm ſi cauſam inquiras, eam non poteſt phyſica aſſignare, ſed recurrendum ad mathematicam, quæ docet, ideo difficilius ſanari, quia in figura circulari partes plurimum diſtant, cum non faciãt angulum. Hoc ergo ſtante, aduertere oportet, quòd non ſemper, quando aliqua ſcientia aſſignat cauſam illius, quod altera docet, quod ita ſe habeat, ſubalternat ſibi talem

Subalternans vt plurimũ debet reddere cauſas cõcluſionum ſubalternatæ.

ſcien-

scientiam; non enim mathematica subalternat sibi medicinam, & tamen causam assignat aliquarum conclusionum, quas docet medicina. Sed requiritur, quòd saltē vt plurimū subalternet sibi id, quod alia scientia tradit, & quod ferè omnium cōclusionū causam reddere possit; Cuius rei ratio est, quia ad subalternationem requiritur, quòd obiectum vnius ita subiiciatur obiecto alterius, vt dependeat in scientifica cognitione ab ipso, atque adeo quod conclusiones sciētiæ subalternatæ dependeant à scientia subalternante, saltem vt plurimum. Quod etiam indicauit Arist. lib. 1. poster. tex. 30. circa finem, dum de iride docet, *Ipsum enim Quòd naturalis est scire, ipsum vero propter quid perspectiui*. Deinde subdit *Multa autem, & non sub se inuicem scitiarum, ita se habent* (hoc est vna tradit ipsum Quod, altera verò ipsum. Propter quid) *vt medicina ad Geometriam. Quod enim vlcera orbicularia tardius sanantur medici est scire, propter quid verò Geometræ*. & tamen docet non subalternari, ait enim non esse vnam sub alia.

Arist.

Rationes pro eadem sententia; & solutio oppositarum.

SECTIO III.

I. EX iis, quæ in communi diximus de subalternatione scientiarum, possumus nonnullas rationes colligere, quibus specialiter probemus cæteras scientias non subalternari metaphysicæ. Et prima quidem ratio desumi potest ex parte principiorum; diximus enim, quòd scientia subalterna non habet propria principia, ex quibus conclusiones deducat, sed eius conclusiones resoluendæ sunt in principia scientię subalternantis, à quibus fluit euidentia, & certitudo; cæteræ verò scientiæ vt physica, & mathematica non resoluunt suas conclusiones in principia metaphysicæ, sed habent propria, quæ prima sunt, & certissima, quod de mathematicis præsertim constat quæ habent magnam euidentiam, vt est illud *Si ab æqualibus æqualia demas, remanent æqualia* & alia huiusmodi, quæ fundantur in proprio obiecto mathematicæ: & idem etiam dici debet de physica; si igitur habent propria principia, ex quibus suas conclusiones demonstrare possunt, dicendum est, quòd ex se sint scientiæ, & independenter à metaphysica, & consequenter quòd illi non subalternentur.

Prima ratio.

physica & metaphysica habent propria principia.

II. Atque hæc ratio confirmari potest ex eo, quod tradit Arist. 1. de anima tex. 11. vbi docet, quod definitio est demonstrationis principium, & sic in scientiis definitio obiecti, quod speculatur, est principium, ex quo deducuntur plurimæ conclusiones de obiecto. Eius verba sunt *Videtur autem non solùm ipsū Quid est cognoscere vtile esse ad cognoscendas causas accidentium substantiis, sicuti in Mathematicis, quid rectum & quid obliquum, aut quid linea, & planum ad cognoscēdū, quot rectis triāguli anguli sunt æquales, sed & e contrario accidentia conferunt secundum magnam partem ad cognoscendum ipsum quid est*. Et post pauca concludit *Omnis demonstrationis principium est ipsum quid est* Ex quo ita argumentari possumus. Vbi est definitio, adest principium demonstrationis, & consequenter obiecta illa scientiarum, quæ propria definitione independēter à quocunque alio obiecto definiri possunt, fundare possunt scientiam ab omni alia independentem, & consequenter non subalternam, quia ad scientiam generandam, non aliud requiritur, quàm sufficiens prīcipium demonstrationis, sed obiecta aliarum scientiarum, nempe physicæ, atque Mathematicæ definiri possunt propria definitione independenter ab obiecto metaphysicæ, vt constat de corpore naturali, ac de quantitate, ergo etiam obtinebūt rationem scientiæ independenter ab ipsa, & proinde non erunt scientiæ subalternæ.

Arist.

Obiecti scientiæ debet posse definiri & definitio est primum principium illius scientiæ.

III. Secunda quoque ratio efficax est, & desumitur ex illo duplici modo subalternationis, quem diximus inter scientias posse interuenire, excludendo videlicet vtrumque ab alijs scientiis speculatiuis respectu metaphysicæ. Et quòd spectat ad illum, quo ita vna scientia subalternatur alteri, vt non reddat causam suę conclusionis, sed pro ipsa recurrendum sit ad scientiam superiorem; hunc manifestum est, non interuenire, nā tàm in Physica, quàm in Mathematica plures conclusiones per causas demonstrantur, & causas non requirunt extra latitudinē proprii obiecti; sic de corpore demonstratur, quod sit mobile motu successiuo & redditur causa, quæ est intra eamdem abstractionem, intra quam est corpus,

Secūda ratio.

Physica & metaph. physica reddant causas suarum conclusionum.

quia scilicet est quantum, & diuisibile, & eadem inductio fieri potest per alias plures conclusiones tàm physicas, quàm Mathematicas, vnde nullo pacto interuenire potest iste modus subalternationis, neque de hoc est aliqua difficultas. Sed neque alter modus subalternationis potest interuenire; ille videlicet, qui se tenet ex parte principiorum, cùm videlicet cõclusiones subalternãtis sunt principia subalternatæ; neque enim conclusiones metaphysicæ sunt principia physicæ, aut mathematicæ, vt per se patet; habet enim vtraque scientia principia prima, & immediata sibi propria, & quę à priori nequeunt demonstrari. Vnde hinc excluditur, quod initio sect. 1. dicebatur, debere scilicet alias scientias subalternari metaphysicæ, quia scilicet earum principia confirmat. Non enim cõfirmat ea demonstrando à priori, ita vt euadant conclusiones metaphysicæ sed tantum confirmat, terminos explicando, & per deductionem ad impossibile; ad ponendam autem subalternationem necesse est, vt principia scientiæ subalternę sint conclusiones subalternantis, & quòd nõ sint prima, neque immediata. Atq; hinc etiam elicitur confirmatio. Cum enim principia subalternæ sint conclusiones subalternantis, oportet, quòd sint intra eamdem abstractionem, intra quam est obiectum subalternantis, vt principia, ex quibus procedunt tum Physica, tum Mathematica, sunt intra diuersam abstractionem ab ea, quam dicit obiectum metaphysicæ; non enim abstrahunt ab omni materia, sed inuoluunt physica quidem materiam sensibilem, & mathematica intelligibilem. Ex quo etiam elicitur, quòd sint propria illarum scientiarum, si quidem incipiũt intra eamdem abstractionem, quæ complectitur obiectum earumdem scientiarum, ita vt antequam deueniatur ad talem abstractionem, nequeant haberi huiusmodi principia.

Tertia ratio.

IV. Tertiò declarari potest ex parte etiam obiectorum. Vt enim saluetur subalternatio inter scientias, debet quoque saluari inter earumdem obiecta; quoniam scientiæ sequuntur obiecta, atq; illis omnino proportionantur. Obiectũ autem siue physicæ, siue mathematicæ non subalternatur obiecto metaphysicæ; nam obiectum physicæ dicit alium gradũ essendi inferiorem; hi autem gradus non sunt apti, vt subalternentur, quò ad cognosci, gradui superiori, vt iam sect. præcedenti declaratum fuit, sed ex se sunt scientificè cognoscibiles, quod præsertim patet in obiecto physicæ, quod importat lõgè diuersã abstractionẽ à metaphysica, atque adeo alium modum scientificæ cognoscibilitatis. Obiectum autem mathematicæ, quod est quantitas, non est aliquid superadditum obiecto metaphysicæ, sed physicæ, quia est passio illius; non hinc tamen sequitur, quòd mathematica subalternetur physicæ, quia quamuis sit quid superadditum, adhuc tamen de se præcisè est scientifico modo cognoscibile, nam est propria definitione definibile, & dicit aliam nouam abstractionem, quæ importat nouum modum scientificæ cognoscibilitatis, & ideò eius cognitio in ratione scientiæ non dependet ab alia scientia, quæcunque illa sit.

Obiectũ physicæ & mathematicę non subalternatur metaph.

V. Quod magis etiam confirmatur, si attendamus finem metaphysicæ, & finem aliarum scientiarum; finis enim sciẽtiarum proportionatur earumdem obiectis; vnde si scientiæ considerant obiecta operabilia, finis quoque earum est operatio; si verò obiecta sunt merè speculabilia, etiam finis scientiarum est sola cõtemplatio, & scientiæ sunt merè speculatiuæ: hinc si obiecta scientiarum ad inuicem subalternantur, etiam earum fines debent inter se subalternari. Ad constituendam autem subalternationem inter fines scientiarum, necesse est, quòd finis vnius subdatur fini alterius; quod tunc contingit, quando finis vnius scientiæ tendit aliquo modo ad finem alterius, aut vnius finis non est acquisibilis, nisi depẽdenter à fine alterius; quemadmodum contingit in fine medicinæ, qui in eo cõsistit, quòd medicina manifestet, quemadmodum corpus sit sanabile, non possumus autẽ habere hanc cognitionẽ, nisi dependenter à cognitione quidditatiua corporis, quæ est finis subalternãtis sciẽtiæ nempe physicæ & ideo medicina illi subalternatur; at si considerentur fines cæterarum scientiarum speculatiuarum, non sunt hoc pacto dependentes à fine metaphysicę neque sunt propter ipsum, sed solos obtinere illos possumus; vnde sine metaphysica possumus addiscere physicam, aut mathematicam; & idcirco nequit inter ipsas interuenire subalternatio.

Finis scientiæ proportionatur obiecto.

VI. Et ex hoc deduci potest altera confirmatio. Nam, vt diximus, scientia

sub-

Scientia subalternata dependet in esse sciẽ. à subalternante. subalternata dependet essentialiter in esse scientiæ à subalternante, & consequenter si auferretur subalternans, neque amplius adesset subalternata, propter illam essentialem connexionem, quæ est inter vtramque, & quia non haberet amplius subalternata, vnde acciperet certitudinem, & euidentiam, & idcircò licet adesset cognitio de eodẽ obiecto, non esset tamen scientifica, sed solùm simplex quædam cognitio. Huiusmodi autem connexio, atque dependẽtia non interuenit inter metaphysicam, atq; cœteras scientias; sed optimè possumus habere aut physicam, aut mathematicam absq. metaphysica, quod satis experiẽtia comprobatum est. Hinc Arist. *Arist.* lib. 6. Metaph. tex. 3. docet, quòd si non adesset metaphysica, quæ consideraret primam substantiam, naturalis, seu physica esset prima philosophia; vnde supponit, quòd non interueniat huiusmodi essentialis connexio; ait enim. *Si igitur non est alia substantia prater eas, quæ natura consistunt, Naturalis professio prima scientia est.* Ex his ergo satis constat, quòd metaphysica propriè loquendo non subalternat sibi alias scientias.

Ad rationes in oppositum. VII. Neque rationes dubitandi in Sect. 1. allatæ oppositum conuincunt, nàm quòd metaphysica confirmet principia aliarum scientiarum explicando terminos ipsorum, aut per deductionem ad impossibile non saluat verã, & propriam subalternationem, vt iam diximus; sed oporteret, quòd à priori illa ostenderet, quòd fieri non potest, cum sint prima, atque immediata, & hoc tantum vult *Arist. illustratur.* Arist. 1. Phys. tex. 8. ibid. citatis; vnde non licet inferre, quòd principia, ex quibus procedunt cœteræ scientiæ, non habeant euidentiam, sed solùm quòd quando ob ignorantiam terminorum nobis non apparet, vt supra explicatum fuit, opus sit, terminos explicare; neque hoc ponit essentialem dependentiam in ratione scientiæ, quia statim ac termini sunt explicati, possunt principia independenter à quocunque alio causare scientiam. In tex. autem 4 lib. 4. Metaph. ita Arist. intelligi debet, vt inter scientias speculatiuas vna aliqua ipsarum sit prima, nempè metaphysica, & alia sequens, non propter subalternationem, sed propter ordinem naturę, quem seruant inter se, vt supra suo loco explicauimus. atque hęc expositio colligitur ex ipsomet textu, nam docet, vnam scientiam sequi alteram, quia eius obiectum ponitur sub obiecto alterius, tanquam species sub suo genere; & cum genus sit prius natura speciebus, hæc quoque prioritas redundat in scientias.

Dignitas Metaphysicæ. VIII. Et ex his, quæ de obiecto, & natura metaphysicæ diximus, atque eius muneribus, colligitur, quãta sit dignitas, & vtilitas ipsius. Non solùm enim quia, vt diximus, sapientia est cum omni rigore, & cœteris scientiis præeminet, sed etiam, quia ipsis propria obiecta præscribit, atque tuetur, & principia ipsarum explicat, & confirmat: ex quo fit, quòd tanquam ad superiorem scientiam recurrere debeant, quotiescunque in aliquo circa suam euidentiam, & certitudinem, periclitantur, à qua adiuuentur ad eã conseruanda, quæ in ipsis certa sunt, atq, euidentia. Et ex hoc emanat etiam magna vtilitas ad alias scientias percipiendas; præsidet enim ipsis, atque illas ordinat, & cum intellectui faciat principia ipsarum congruo modo repræsentari, plurimũ facilitat acquisitionem earumdem, & reddit intellectum promptiorem ad conclusiones deducendas & causas inuestigandas; & simul ea declarat, quæ à propria scientia declarari non possunt. Quo stante constat, quàm congruè cœteris scientiis præmittatur, non solum ita exigente natura ipsius, sed etiam commoditate, & vtilitate, quæ inde percipitur ad alias scientias assequendas. Atque hęc de natura metaphysicę sufficiant.



DE

DE NOTIONE ENTIS.



Iximus supra, Ens vniuersalissimè sumptum considerari à metaphysica, non quidē tanquam obiectum, sed tāquā illud, quod, cum sit fundamentum omnis realitatis, est etiam fundamentum sui met obiecti, atq; intra eiusdem abstractionem continetur. Quare cum sufficienter explicata fuerint, quæ pertinent ad naturam metaphysicæ, prout est quędam scientia, nunc ab iis incipiendum est, quæ spectant ad naturam obiecti, vt ipsam scientiam metaphysicam tradamus. Primum autem, quod nobis speculandum proponitur, est ipsum ens, tanquam illud, quod cum sit fundamentum obiecti metaphysici, oportet prius diligenter considerare, vt ex ipsius cognitione facilius progrediamur ad cetera, plurimum enim interest, quòd ea teneamus, quæ spectant ad naturam entis, antequam ad alia accedamus. Itaque nunc notionem ipsius; atque diuisiones explicare aggrediemur, vtrumque enim confert ad ipsius naturam intelligendam.

Duplex acceptio entis.

Quid nomine Entis importetur. Disp. XXV.

Entis nomen, & variæ ipsius acceptiones.

SECTIO I.

I. VT omnis ęquiuocatio tollatur, antequam ad naturam entis explicandam accedamus, nonnulla circa ipsum nomen, & varias acceptiones, quibus vsurpari potest, explicanda sunt. Deducitur autem hoc nomen Ens à verbo substantiuo *sum*, quod significat, *Esse*, Hinc autē fit, quòd dupliciter sumi possit, nimirum *Participialiter*, hoc est tanquam participium ab ipso verbo deductum, & *Nominaliter*, hoc est tanquam nomen substantiuum ab eodem verbo deriuatum. Si ergo Participialiter sumatur, significat exercitium existentiæ; fundatur enim hęc acceptio in significatione ipsius verbi *esse*, quod existere significat: illud etenim dicitur *Esse*, quod existit. Et ratio mihi euidens videtur, quoniam non possumus concipere aliquid *Esse*, nisi simul concipiamus aliquam differentiam temporis; vbi autem est differentia temporis, ibi necesse est, quòd interueniat aliqua existentia. Vnde hæc propositio *Petrus est*, æquiualet huic *Petrus est existens*. seu *Petrus est ens*, sumendo ens Participialiter. *Si* autem ens sumatur Nominaliter, significat ipsum esse rei, quo est aliquid in se ipsa; Vnde D.Th. quodlib. 2. ar. 3. ait *Verum est, quòd hoc nomen Ens, secundùm quod importat rem, cui competit huiusmodi esse, sic significat essentiam rei, & diuiditur per decem genera.* Atque eamdem etiam significationem obtinet apud Arist. 1. Phys. tex. 13. dum ait *quoniam multipliciter dicitur id, quod est, quomodo dicunt dicentes, vnum esse omnia.* Atque hæc duplex acceptio entis colligitur ex Arist. lib. 3. de anima text. 9. vbi distinguit inter Esse magnitudinis, & magnitudinem esse, dum ait *Quoniam autem aliud est magnitudo, & magnitudini esse, & aqua, & aquæ esse, & in multis alijs*: quod clarius desumitur ex alia interpretatione, quæ habet *Aliud est Magnitudinem esse, & aliud magnitudini esse.*

D. Th.

Arist.

II. Verùm huiusmodi Ens Nominaliter consideratum, habere potest diuersas acceptiones; vnde contingit, quòd multipliciter aliquid dicatur Ens. Hos autem varios modos, quibus contingit aliquid ens nominari, recenset Arist. 4. Metaph. text. 2. Et primus modus est eorum

Varii modi, quibus aliquid dicitur ens.

Arist.

rum, quæ maximè entia sunt, vt substantię, hæc enim, quemadmodum inquit Arist. entia dicuntur. Alia autem dicuntur entia, quoniam sunt passiones substantiæ, & hic est secundus modus, quem ibi assignat Arist. Tertius modus est eorum, quæ tendunt ad substantiam, quæ ideò dicuntur entia, quoniam ordinantur ad ipsum ens principale, nempè substantiam, sunt autem ea, quæ efficiunt substantiam, ut generationes ipsius substantiæ. Quartus autem modus complectitur ea entia, quę ideò sunt entia, quia afficiunt ipsam substantiam, vt sunt qualitates, & alia huiusmodi accidentia. Denique, & est quintus modus, quo aliqua denominantur entia, ea videlicet, quæ tollunt substantiam quocunq; modo siue vt corruptio, siue vt negatio, siue vt priuatio entia similiter dicuntur. quos omnes modos Aris. enumerat dum ibidem inquit. *Ita & ens multipliciter quidem dicitur, sed totum ad vnum principium. Quædam enim, quoniam substantia, entia dicuntur: quædam quoniam passiones substantiæ: quædam quoniam via ad substantiam, aut corruptiones, aut priuationes, aut qualitates, aut effectiua, aut generatiua substantiæ, siue eorum, quæ ad substantiam dicuntur, aut ad aliquorum ex his negationes, aut substantias.*

Quatuor modi quibus aliquid dicitur ens. D. Tho. III. Hos autem omnes modos, quibus aliquid posse dici ens, docet Arist. ad quatuor reducit D. Tho. ibid. lect. 1. vt nimirum, Primus sit eorum, quæ habent esse debilissimum, quia habent tantùm esse obiectiuè in intellectu, vt inquit ipse, & huiusmodi sunt priuationes, atq; negationes, de quibus tanquam de quibusdam entibus intellectus agit. Secundus verò eorum, quæ habent aliquid admistũ de priuatione, & complectuntur omnes fitiones, ac desitiones rerum; dicuntur autem habere aliquid admixtum de priuatione, quia sunt actus imperfecti; quòd debet intelligi cum quadam moderatione, certum est enim, quòd nullum ens reale habet quicquam de priuatione intrinsecè admixtum; vndè solùm propter quamdam accommodationem ad nostrum captum huiusmodi entia dicuntur habere aliquid de priuatione admixtum, quia nimirum, cum consistant in fluxu, priuatio quoque, quæ opponitur formis, debet concipi in fluxu, siue recessionis, siue aduentationis, prout formæ, vel corrumpuntur, vel producuntur; & ratio est, quoniam eo pacto debet concipi priuatio, quo concipitur forma, & proindè si forma concipitur in fieri, & in fluxu, seu tanquam actus imperfectus, priuatio quoque debet concipi similiter in fluxu, dum autem est in fluxu, non est perfectè expulsa, aut acquisita, & idcirco entia, quę sunt in fieri, habent adiunctum aliquid de priuatione, & hoc modo dicuntur habere admixtum aliquid de ipsa. Tertius autem modus entis, quem ponit D. Th. ibid. est eorũ, quæ nihil habent de nõ ente admixtum, non tamen est adeò perfectum, quòd per se possit existere, sed indiget substentante, & hic modus entis communis est accidentibus. Quartus denique est omnium perfectissimus, qui nedum excludit omnem priuationem, sed etiam dat quandam subsistentiam, seu esse per se, quem admodum contingit in substantiis. Atque hi sunt quatuor illi modi, quibus contingit, aliquid ens esse, quos recenset D. Th. supracit.

IV. Cæterùm quamuis hi modi cadant supra ens nominaliter sumptum, non tamen illud relinquunt in sua vniuersalitate, nam vnusquisque dicit quemdam specialem modum, quo fit ens, & idcirco ratione huius particularitatis determinatur ens communissimè sumptum; & veluti contrahitur per quamdam contractionem largè sumptam. neque mens Arist. fuit illos modos recensere, tanquam qui caderent supra ens communissimè, sed tanquam quosdam modos particulares, & diuersos, quibus ens assignari solet. Et hoc est adnotandum; quòd quando Arist. docet, quòd ens tot modis dicitur, non intelligit, quòd tot modis dicatur, tanquam aliquid superius participatum ab inferioribus; sed solùm tanquam aliquid vnum, respectu cuius cætera dicantur entia. Quòd satis declarat, dum ait. *Ens autem multipliciter dicitur; verùm ad vnum, vnamq; quamdam naturam, & non æquiuocè, sed quemadmodum omne salubre ad sanitatem.* Certum autem est, quòd sanum, siue sanitas non est quid superius cõmune ad omnia salubria. Imò pro hoc principio, seu hoc vno respectu cuius cæteradicũtur entia non assignat ens communissimè sumptum, sed perfectissimum ens, nempè substan- Hi modi determinatiui entis. Arist.

tiam, vt patet dum ait. *Ita, & ens multipliciter quidem dicitur, sed totum ad vnum principium*. Deinde dicit, quòd quædam dicuntur entia, quoniam substantiæ, & cœtera omnia, quæ entia dicuntur, docet, talia dici in ordine ad substantiam, vt constat ex supracitato textu. Rursus etiam aduertere oportet, quando docet, negationes, & priuationes dici entia, non velle, talia dici, quia aliquid de ente participent, vt fusiùs dicemus infra suo loco, sed solùm, quia, vt etiam adnotauit Diuus Thomas citatus, de ipsis intellectus discurrit, tanquã si essent entia, quod contingit, quia intellectus illa imaginatur ad modum entis veri, quod indicat ipsemet Arist. tex. illo citato, dum ait: *Quare, & ipsum non ens, esse non ens dicimus*. Ex quo similiter colligitur, quòd Negationes possunt dici entia, non quia sint intrinsecè entia, sed in ordine ad intellectum, qui potest cum ipsis conformari, concipiendo non esse entia, & ratione huius conformitatis, possunt dici entia, & tunc ens cadet supra negationes non præcisè consideratas; sed supra hanc conformitatem; sed de hoc alibi dicemus.

D. Tho.

V. Licèt autem hi modi importent ens veluti particularizatum, vt modò dictum fuit, non tamen est extra rem, illos adnotasse, nam valdè deseruiunt ad intelligendum ipsum nomen entis, & explanandum proprium conceptum ipsius; cum enim visum sit, tot modis posse aliquid dici ens; ex hoc colligi poterit, quid significet hoc nomen entis communissimè sumpti. Sed cautè in hoc procedendum est, neque existimandum, quòd hoc nomen entis eodem modo conueniat omnibus illis modis, esset enim grauis error, quoniam, cum contingat aliquid dici ens, quia tollit id, quod est ens, quemadmodum contingit in negationibus, quomodo fieri potest, quòd nomen entis eodem modo iis conueniat, cum excludant, & destruant id, ratione cuius aliud dicitur ens? Sed de hoc commodius tractabimus infra, inquirendo, an detur ens abstrahens à positiuo, & negatiuo. Interim ex his modis, quibus aliquid dicitur ens, colligemus quàm latè se extẽdat hoc nomen entis, cum conueniat omnibus, quæcumque aliquo modo sunt.

Auctorum sententia.

SECTIO II.

I. Explicatis iis, quæ pertinebant ad nomen entis, accedendum est ad declarandum eius conceptum, & rationem quidditatiuam, seu explicandum, quid significet, seu quid ex parte rei significatæ correspondeat huic nomini. Circa quod illud imprimis est supponendum, tanquam certum, quòd non potest eius significatio per definitionem explicari; cum enim definitio constet ex genere, & differentia, aut saltem aliquo æquiualenti, quo quidditas rei veluti per partes explicetur, non potest definitio aliqua enti communissimè sumpto conuenire, cum non habeat diuersos cõceptus, qui loco generis, atque differentiæ assignentur, sed sit simplicissima, atque vniuersalissima ratio; alioquin si per diuersos conceptus explicatur, non esset ratio entis omnium prima, siquidem ex tali, & tali ratione constaret, quæ tanquam partes quidditatis ipsius assignarentur, & proinde esset tale ens; non enim ex tali, & tali ratione potest quicquam aliud cõsurgere, quàm tale ens. Solùm ergo potest declarari manifestãdo, quid nam, ex vi talis nominis, intellectus concipiat, & quenam sit, seu quid in se dicat illa ratio, per quam res formaliter habent, quòd sint entia. Ens nõ põt definiri.

II. Circa hanc verò explicationẽ variè opinantur Doctores: nã Auic. Alpharab & alii Arabes apud Alber. Mag. in inposte prædicam. c. 9. & D. Th. 4. metaph. c. 9 volũt nomine entis, significari accidẽs quoddam rebus omnibus existentibus superaddedum, atque cõmune, ex vi cuius habent exercitiũ existentiæ, & illud vocant accidens, quia contingenter se habet ad res ipsas exercitium existentiæ, siue existentia sit accidẽs superadditum, siue aliquid aliud. Atque hanc sententiã videtur sequi Caiet. c. 4. de ente, & essent. com. 4. dum ait in resp. ad a. g. Ens declinare à prædicatione quidditatiua, quia nõ importat Quid, sed an sit. Similiter Soto in antepræ dicam. q. 1. ad 3. dum asserit, Ens de formali importare participium verbi sum. Quamquã fortassè hi auctores non negarent aliam entis significationẽ, qua videlicet importetur essentia, queadmodũ colligitur ex doctrina, quam alibi tradunt. Nullum aliud fundamentum habet hæc Prima exposi- tio. Auic. n. Alphar. Alb. et. D. Tho. Caiet. Soto.

sen-

sententia, nisi, quia sumunt hi auctores Ens Participaliter; dicunt enim, quod eodem pacto se habet Ens in significando, quemadmodum viuens, sicuti ergo viuens significat exercitium vitæ, ita & ens significare debet exercitium existentiæ. Verum hoc fundamentum prorsus corruit, si dicatur ens vniuersalissime sumptum non sumi participialiter; sed nominaliter. Quod ex eo conuincitur, quia si ponunt hoc accidens superadditum rebus importans exercitium existentiæ, oportet, quòd aliquid præsupponat, cui superadueniat; quid ergo erit hoc, quod præsupponitur? certè debet esse aliquid, atque adeò ens. Ecce ergo quomodo præter ens participiale, debet aliquod aliud ens concedi, quod certè non erit aliud, quàm ens nominale.

Alia expositio.

III. Itaque alij Auctores diuerso modo explicant. Aliqui enim, & est secunda opinio, negant importare exercitium existentiæ, sed importare id, quod habet existentiam præscindendo ab eo, quod huiusmodi existentia sit actualis, vel possibilis. Vnde in hoc differt hæc opinio à præcedenti, quòd præcedens, vult tantum ea, quæ actu existunt, nomine entis significari; posterior verò nedum vult significare ea, quæ habent actualem existentiam, sed etiam possibilia. Atque ita existimat adæquatè, & congruè explicare rationem entis, atque eius conceptum, quia nimirum ens non potest excedere limites entis actu existentis, aut possibilis. Verùm contra ipsam

Reijcitur.

obijci posset; quòd non explicet propriũ conceptum entis. quamuis enim verum sit, quòd ens non excedat limites actualis, & possibilis, non tamen esse actuale, & possibile dicunt propriam rationem formalem entis, nam hæ sunt diuersæ rationes formales, vnde si ens importat vnam ex his, non poterit importare aliã, cum importet tantùm vnam simplicem rationem formalem. Deinde si ens complectitur sub se tùm possibilia, tùm existentia, oportet, quòd id habeat propter aliquam rationem communem vtrisque, quænam igitur erit hæc ratio? ipsa enim est explicanda; neque enim dicere, quòd significat tùm possibilia, tùm existentia, est explicare, in quo eius ratio formalis consistat; hoc enim potest dici de quocunque ente in particulari, nam etiam homo significat homines, tàm actuales, quàm possibiles; non tamen per hoc explicatur ratio formalis hominis, sed per id, quòd sit animal rationale, sed solùm est explicare latitudinem entis.

Tertia expositio.

IV. Tertiò igitur alij volunt, Nomen entis de suo formali importare id, cui nõ repugnat esse, atq. hanc esse rationem formalem ipsius, seu proprium conceptum obiectiuum. Ita autem tradunt

Duran. Hispal.

Durand. in 1. dist. 8. quæst. 2. ad 6. Hispalens. ibid. quæst. 2. Quæ sanè explicatio verisimilis est: nam quemadmodũ tale ens dicit, non habere repugnantiam ad essendum secundùm tale esse; ita ens vt sic dicet simpliciter non repugnantiã

Reijcitur.

ad essẽdũ. Verũ hoc est quędã negatio annexa ipsimet enti; vnde debet præsupponere aliquod fundamentũ, in quo radicetur, respectu cuius se habebit tãquã quid extrinsecum, & consequenter non explicabit rationem formalem, & intrinsecam entis, & quemadmodum, quòd aliquid existat, dicit de formali aliquid positiuum, ita etiã quòd possit existere, seu quod illi non repugnet esse, dicet aliquid positiuum in eo, in quo talis non repugnantia reperitur.

IV. Expositio.

Suar. Fonseca Auersa

V. Itaque magis ad rem accedit quarta sententia, quam communiter tradunt Recentiores, & præsertim Suarez in Metaph. disp. 2. sect. 4. num. 4. Fonseca 4. Metaph. cap. 2. quæst. 3. sect. 2. Auersa in sua Philosoph. quæst. 3. sect. 1. Volunt autem hi auctores, quòd Ens de suo formali importet essentiam, seu id, quod habet essentiam. Atque hæc explicatio est de mente Arist. & desumitur ex

Auer. D.Tho.

Auer. 4. Metaph. com. 3. & lib. 7. com. item 3. atque etiam ex D. Th. ijsdem locis, imò communiter Philosophi tàm veteres, quàm recentiores ferè in hoc sensu tantùm nomen entis vsurpant, vt scilicet importet essentiam, non verò existentiam. Neque videtur, ait Suarez, conceptum entis posse alio modo explicari. Verùm, quia nos distinctè hanc rationem formalem entis inquirimus, ideò nostram sententiam sectione sequenti explicabimus.

Exponitur vera sententia.

SECTIO III.

Prima conclus.

I. HOc pro declaratione veræ sententiæ primò statuendum est, quòd ens vniuersalissimè sumptum non importet de suo formali exercitium existentiæ, atque adeò non debeat sumi participialiter, quod mihi euidentissimum videtur. Nam vel per exercitium existentiæ intelligitur ratio, qua res formaliter existunt, qęcunque illa sit, vel res ipsa, quæ existit; neque enim aliud excogitari potest, quod importet hoc exercitium existentiæ. Vtrumque autem est omnino impossibile. Quòd enim spectat ad rationem formalem existentiæ, hæc ex propria sua ratione supponit essentias rerum iam constitutas in suo esse, quis autem neget, eas intrinsecè importare rationem entis, cum de ipsis intrinsecè prædicetur. non ergo exercitium existentię hoc modo acceptum erit ens illud vniuersalissimè acceptum, de quo modò rationem formalem inquirimus. Deinde hæc ratio formalis existentiæ est talis actus saltem metaphysicus, constituens res formaliter in actu, & correspondet determinatę potentiæ saltem metaphysicæ, nimirum essentiæ, quatenus potest existere, quis ergo non videt, importare rationem aliquam determinatam cum tanquam actus correspondeat determinatæ potentiæ? quomodo ergo erit ratio formalis, quam importat ens vniuersalissimum?

Ens nō importet exercitium existentiæ.

Neque ens importat rem quę existit

II. Quòd si alterum membrum eligatur, quòd nimirum importet rem cum exercitio existentiæ, adhuc id impossibile est. Ens enim vniuersalissimè sumptum est illud ens, quod complectitur omnia entia, quæ contradistinguntur à nihilo, & idcircò ratio formalis ipsius debet in omnibus reperiri. Quamuis autem ens participialiter sumptum contradistinguatur à nihilo, non tamen solum: possibilia enim, quamuis actu non existant, contradistinguuntur tamen à nihilo. Hoc.n. interest inter possibilia, q̃ ipsa fundant ordinem ad existendum, non autem Nihil. Rursus hoc Nihil non habet aliquid in se, quo possit per se terminare cognitionem nostram, sed necessè est, vt concipiatur ad modum entis realis; possibilia verò habent sufficientem rationem obiectiuã, quæ terminet cognitionem. Hinc fit, quòd illud ipsum ens, quod de rebus existentibus prædicatur, etiam de possibilibus prædicetur, vt per se clarum est. Quod etiam potest ampliùs declarari. Quando res ponitur extra causas, & acquirit actualem existentiam, debet coniũgi saltem secundùm nostrum modum cõcipiendi cum actuali existentia; ergo prę supponitur, quòd huiusmodi res habeat aliquod esse, seu aliquam entitatem, secũdùm quam vniatur cum existentia, neq; enim ratio nihili potest coniungi cum existentia, cum sit contradictorium ipsius.

III. Posset tamẽ aliquis respondere. Possibilia præcisè accepta esse quidem nihil, fieri tamen aliquid per existentiam, quia scilicet dum ponuntur in actu à sua causa, accipiunt etiam esse ab eadem, & consequenter fiunt entia; vndè sola existentia participare rationem entis, nõ autem possibilia. Verùm huiusmodi responsio facilè reiicitur; nam existentia est aliquid essentialiter connotatiuum, connotat enim id, quod facit existere, vndè debet habere suum terminum; atq; cum huiusmodi connotatio sit realis, debet etiam habere terminum realem. Hic autem terminus non potest esse nihil, sed necessariò erit aliquid; nihil enim dicit implicantiam ad existendum, quia in hoc possibilia contradistinguuntur à nihilo, quòd possunt existere; vndè adhuc pręcisa existentia sunt aliquid, cum dicant ordinem ad existendum. Præterea si possibilia fierent aliquid per existentiã id prę staret existẽtia per suum effectũ formalẽ; hic antè effectus formalis existentiæ non est facere aliquid, sed facere existens id, quod potest existere; vndè necessariò supponit aliquid, quod per ipsam existat, atque hoc erit res secundùm suã essentiam consideratа. Rursus existentia non est formaliter res, quę existit, non enim dicit prædicata quidditatiua ipsius, sed simplicem rationem, quæ facit rem in actu; sic existentia hominis non est homo, prędicata enim quidditatiua hominis verificantur de ipso præcisa quacunq. existentia; quomodo ergo secundùm suum esse possibile non erit aliquid? Quod etiam ex eo confirmari potest, quoniam res, quæ existit, ità existit, vt habeat potentiam ad existendum, hanc verò potẽtiam non accipit ab existentia. Denique inquiro, quomodo possibilia possint fieri

Respō. sio reiicitur.

Existentia est aliquid cō notatiuum.

Existentia non est formaliter res quæ existit.

aliquid

aliquid per existẽtiam, & an hoc aliquid, quod ab existentia accipiunt, sit quid ipsis extrinsecum, an verò in ipsis imbibitum. Hoc secundùm dici non potest, quia tunc possibilia non fierent aliquid formaliter; & in se, sed solùm existentia esset aliquid; vnde oportet, quòd in se sint aliquid, quod saltem formaliter sit extra existentiam, & ipsi adiunctum: vnde oportet concedere aliquam aliam rationem entis, præter id, quod formaliter dicit existentia. Deinde non possent possibilia fieri aliquid ratione existentiæ, nisi in genere causæ formalis, tunc autem possibilia non essent aliquid præter existentiam, quod est omninò falsum.

Secũda rõ principalis.

IV. Vnde secundò argumentor principaliter. Possibile, prout abstrahit ab existentia, est formaliter, & intrinsecè aliquid ideatum ex idea diuina, & dicit ordinem ad diuinam omnipotentiam, tanquam aliquid factibile per ipsam; ergo participat rationem entis formalem, & consequenter ens se extendit etiam ad possibilia, & non existentia, nec in sua ampla significatione sumendum est participialiter, prout scilicet dicit communem conceptum entis. Consequentia hæc declaratur; quoniam ideæ diuinæ sunt rationes quædam repræsentatiuæ eorum, quæ prouenire possunt à Deo, per participationem ab ente per essentiam: vnde repræsentant illas participationes, quibus mediantibus creaturæ participant aliquo modo esse Dei, quod potest illis communicare, hinc quicquid est factibile à Deo, ideò est factibile, quia potest ipsi aliquod esse communicare; si igitur possibilia sunt factibilia à Deo, & sunt quid repræsentatum per ideas diuinas, oportet, quòd dicant aliquam rationem entis, illam scilicet, quam possunt actualiter à Deo participare, seu secundũ quam possunt à Deo poni in actu, quam, prout possibilia sunt, dicent secundùm statum possibilitatis.

Possibilia hẽt ꝓpriam intelligibilitatem.

V. Atque hinc fit, quòd possibilia habeant suam propriam intelligibilitatẽ, atque adeò veritatem, quæ est ratio formalis obiectiua intellectus, quę cum sit passio entis, necessariò supponit in ipsis possibilibus rationem formalem entis, quam modò inquirimus. Rursus etiam, quòd opponantur contradictoriè impossibilibus; possibile enim, atque impossibile seinuicem negatiuo modo destruũt; vnde se habent tanquam contradictoria, quorum alterum debet esse negatiuum; alterum verò positiuum, quare si impossibile est contradictorium negatiuum, & est purè nihil, possibile erit contradictorium positiuum, & erit aliquid, atque adeò ens. Præterea cum scientię considerent sua obiecta præscindẽdo ab eorumdem existentia, aut dicendum est, quòd scientiæ non considerent obiecta realia, & quæ verè sint entia, quod nequaquam fieri potest; aut concedendum, quòd præter id, quòd dicit actuale exercitium existentiæ, reperiatur aliquid aliud, quod dicat veram rationem entis; Quod insuper conuincitur, quoniam ex opposita sententia sequeretur etiam, quòd naturæ vniuersales præcisæ à suis inferioribus non essent entia, quia præscindunt etiã ab existentia, quod quàm absurdè diceretur, nemo est, qui non videat. Neque plura in huius rei confirmationẽ adducenda sunt, cum etiam ex sola terminorum cognitione euidentissima sit.

Secũdo Concl.

Ens nõ dicit id ꝙ habet existentiã

VI. Secundum, quod in hac re etiam certum mihi videtur, est. Quòd ens vniuersalissimè sumptum non significet de suo formali id, quod habet existentiam, etiam si existentia sumatur, prout pręscindit ab actuali, & possibili; seu ens existẽs, vel possibiliter, vel actualiter. Quod ita intelligi volumus, non quasi asseramus ens de suo formali importare aliquid, quod excedat ens actuale, & possibile simul sumptum; sed quia non explicatur hoc pacto ratio formalis entis, quã præcisè dicit, nec proprius conceptus obiectiuus entis in hoc consistit, quòd dicat ens existens, siue possibiliter, siue actualiter, ꝙ facilè probari potest. Nam pręter existentiam certum est, debere dari etiam essentiam, quę existentię substernatur, & sit id, ꝙ per existentiam ponitur in actu; certũ autem est, ꝙ comparando essentiam actualem cum existentia, non quidem reduplicatiuè, vt actualis est, sed specificatiuè, nimirum quę actualis est, distinguuntur inter se saltem ratione cũ fundamento in re, atque essentia actualis, vt contradistincta ab existentia actuali est aliquod ens; dicit enim proprium suum esse, quod fundat propria pędicata: quod est in actu per existentiam, ergo cum ita se habeat essentia possibilis ad existentiam possibilem, quemadmodum se habet essentia actualis ad existentiam actualem, etiam essentia possibilis saltem secundùm rationem cum funda-

men-

mento in re distinguetur ab existentia possibili; debet enim servari etiam in distinctione eadem proportio. Hinc autem fit, quod praecisa existentia, tum actuali, tum possibili, detur aliquid, nimirum essentia, in quo reperitur vera ratio entis, & proinde conceptus proprius obiectiuus entis non rectè explicatur per id, quod dicat id, quod existit, siue actualiter, siue possibiliter; si enim tali pacto rectè explicaretur, extra existentiam actualem, & possibilem non reperiretur ratio entis.

Responsio. VII. Aliquis tamen occurret. Quòd existentia possibilis non est aliquid superadditum essentiae possibili, sed ipsa nuda essentia, quae potest fieri in actu, & dum à sua causa ponitur in actu, acquirit existentiam actualem. Quod inde videtur confirmari; quoniam formalitas existentiae in eo consistit, quòd sit ratio ponens rem in actu: & ideò non potest concipi in rebus possibilibus, quia deberet eas ponere in actu, quod est contra rationem nudae possibilitatis; deberet enim illis communicare suum effectum formalem, vnde essent, in actu, quia haberent rationem formalem existentiae, & non essent in actu, quia essent merè possibiles.

Reiicit. Haec responsio subtilis quidem est, non tamen subsistere potest; nam certum est, Actuale supponit possibile. quòd nihil potest esse actuale, quod prius non fuerit possibile secundùm illam ipsam rationem, secundùm quam est actuale, actualitas enim essentialiter supponit rei possibilitatem; & impossibile est, quicquam concipi in actu, quod non potuerit concipi tanquam possibile antequam existeret, quod enim est actuale, supponit efficientem causam, quae illi communicauit esse, qua posita statim sequitur possibilitas rei; vnde si concedimus actualem existentiam, oportet etiam concedere causam ipsius, & consequenter etiam possibilitatem eiusdem. Praeterea sumo essentiam aliquam possibilem, nempe hominem; certum autem est, quod homo possibilis dicit omnia sua praedicata quidditatiua, quòd sit animal, quòd sit rationalis; rursus etiam dicit, quòd possit existere, atque posse existere est praedicatum quoddam, quod cadit supra omnia alia praedicata quidditatiua hominis, seu supra totam quidditatem ipsius; Essentia possibilis formaliter distinguitur vnde concedi debet hoc praedicatum existentiae, & etiã caetera, atq. haec simul sumpta distinguuntur ab ipsa existentia, cũ dicant diuersas rationes formales, ergo praeter existentiam possibilem concedi debet etiam essentia possibilis, quae sit aliquid aliud saltem formaliter ab existentia. Rursus existentia ex vi suae rationis formalis est actus quidam vltimò adueniens rei, & dicens vnam simplicem rationem formalem, quae sit ratio faciens rem in actu, & consequenter supponit essentiam completam in ratione essentiae, atque illi aduenit; cum autem res tàm secundùm esse actuale, quàm secundùm esse possibile seruent suas proprias rationes formales, cur existentia secundum esse possibile nõ seruabit suam propriam rationem formalem? quod si seruat, vt verè seruare debet, oportet dicere, quòd sit actus quidam superadditus essentiae, atque adeò ab ipsa saltem ratione distinctus & sic praeter existentiam possibilem concedenda est etiam essentia possibilis, vt in principali ratione argumentabamur. Adde, quod admissa hac responsione, ad huc vera est nostra conclusio, nam saltem in rebus existentibus praeter existentiam concedenda est etiam essentia, & ad huc datur aliquod ens, quod non sit neque existentia possibilis, aut actualis.

ab existentia possibili

Existentia actus essentiae

VIII. Aliter etiam posset responderi. Alia responsio reiicit. Quòd, quando dicitur, Ens significare id, quod existit; aut actualiter, aut possibiliter, non debet intelligi de nuda existentia, sed de concreto illo, quod constat ex essentia, atq. existentia; & tunc verũ est, q̃ id, q̃ existit, aut possibiliter, aut actualiter adaequat totam rationẽ entis. Et hunc sensum magis videntur intelligere auctores huius sententiae. Sed licet verum sit, Existens actualiter, siue possib. non dicit rationem formalem entis. vt etiam in praecedenti sect. dicebamus, quòd possibile, & existẽs prout sunt quid concretum ex essentia, & existentia, adaequent totam rationem entis; non tamen verum est, quòd existens praescindendo ab actuali & possibili dicat rationem formalem entis, & conceptum proprium obiectiuum ipsius; si enim in hoc concreto distinguimus essentiam, atq. existentiam, tunc certè vtraque seorsim sumpta habet in se rationem formalem entis, ergo alia est ab assignata, siquidem est quid commune essentiae, & existentiae, existens verò siue actualiter, siue possibiliter est id, quod consurgit ex concretione essentiae, & existentiae, non verò aliquid ab vtraque praescindens, vt est ratio propria entis. Deinde huiusmodi concretum coalescit ex essentia, atque exi-

sten-

stentia: vnde in se inuoluit plures, & diuersas rationes formales, quomodo ergo potest esse ratio formalis entis, quæ est vna simplicissima, & vniuersalissima ratio. quin addo, quòd concretum istud debet inuoluere omnia prędicata, quæ necessaria sunt ad componendam vnam integram essentiam, si quidem, vt diximus, existentia est vltimus actus rei, qui antequam cum ipsa coniungi posit, supponit essentiam completè constitutam in suo esse, & idcircò ad hoc concretum ex essentia, & existentia constituendum, debent concurrere omnia prędicata, quæ integrant essentiam; vndè hoc concretũ inuoluet diuersas rationes formales, quarum vnaquæq. dicit veram rationem entis, quomodo ergo in ipso consistet vera ratio formalis entis? Quòd si in sola essentia saluatur ratio entis, ad quid recurritur ad concretum ex essentia, & existentia.

Præcluditur aliud effugium.

IX. Posset etiam adhuc aliud subterfugium excogitari; si nimirum dicatur, quòd existentia est ratio quædam afficiēs essentiam totalem, ita vt cadat etiam supra quamlibet rationem formalem ipsius præcise consideratam; vndè ab his omnibus rationibes præscindi potest aliqua ratio communis, quæ non dicat hāc, aut illam rationem formalem ingredientem constitutionem essentiæ totalis, sed rationem essentiæ vt sic, præscindendo à partiali, & totali; hanc autem rationem communem, quatenus potest existere, seu quatenus illi non repugnat existentia, importare proprium conceptum entis, quia est quid vniuersalissimum, & vnicuique rationi formali conueniens. Verùm neque hæc responsio satisfacit, neque minuit vim argumenti facti, sed iisdem ferè mediis, quibus hucusque argumentati sumus, reiici potest; sed præcipuè insto. Eodem prorsus modo, quò ad distinctionem, se habet existētia totalis, quo se habet existentia cuiuscunque rationis formalis ad ipsam, quia eadem prorsus est ratio; & proportionem, quam seruat pars ad partem, seruat etiam totum ad totum, quod ex iisdem partibus coalescit; si ergo existentia cadens supra essentiam totalem, non est omninò eadem cum ipsa, sed saltem secundùm rationem distinguitur, oportet, idem etiam dicere de illa existentia, veluti partiali, quæ cadit supra quālibet rationem formalem. Quod

Semper existentia formaliter distinguitur ab essentia.

potest confirmari, illa enim existentia partialis, per hoc solùm adęquatur, quòd faciat in actu rationem illam, supra quam cadit, ergo non adæquat totum id, quod dicit illa essentia possibilis, quamuis dicat quālibet pręcisionem ab inferioribus, sed adhuc supponit aliquid, quod posit per talem existentiam existere, in quo reperiatur ratio entis, & proinde illa non erit vera ratio formalis entis. Quòd si recurratur ad concretum, militat eadem ratio, quæ supra, & frustra ad ipsum recurritur, cum etiam in sola essentia, quæ subiicitur illi partiali existentiæ, saluetur vera ratio entis.

Secunda ratio.

X. Secundò argumentari possumus conformiter ad ea, quæ diximus in confirmationem præcedentis conclusionis. Si sumamus essentiam præscindentem à possibili, atque actuali, & ab ipsa etiam separemus existentiam, ita vt nihil de ipsa cogitemus, sed solùm concipiamus prædicata quidditatiua illius rei, puta, hominis, non cogitando, an posit existere, vel non possit existere, quod optimè fieri potest; quia alia est ratio formalis, quam dicit existentia, & alia est ratio, quam dicit vnumquodq. prædicatum quidditatiuum hominis, aut alterius rei; quando.n. habemus diuersa prędicatã quidditatiua, potest vnum sine altero cõcipi; tunc inquam, si concipiatur essentia, præscindendo ab existentia, adhuc essentia est aliquid, quod contradistinguitur à nihilo, & proinde participat rationem entis, ergo saluatur ratio entis absq. eo, quòd recurramus ad existentiam: nec rectè per id explicatur, quòd conceptus entis consistat in eo, quòd potest existere siue in concreto sumatur, siue sola existentia in abstracto. Quòd autem essentia, etiam præcisa existentia quacunque, sit aliquid contradistinctum à nihilo, manifestissimum est, nam per ipsam formaliter vnaquęque res habet suum propriũ esse, quo ab alia contradistinguitur. Atq. hinc elici potest confirmatio pro eadem ratione; nam verissimum est, quòd si ens vt sic, vniuersalissimè sumptum, comparetur ad substantiam, aut aliud ens determinatum, quod non sit substantia, est diuersum ab ipso, ergo est aliquid diuersum ab existentia, si enim esset omninò eadem ratio formalis existentiæ, atque entis, etiam esset omninò eadem ratio entis, & substantiæ, quia, & ens; vt ens est, dicit posse existere, & substantia etiam, vt

Essentia præcisa existentia contradistinguitur à nihilo.

Alia ratio formalis existentiæ alia entis.

substantia est, dicit similiter, quòd possit existere, ita vt posse existere cadat tàm supra rationem entis, quàm supra rationem substantiæ, quamuis non sit eadem formaliter, ac substantia. ex quo fit, quod quemadmodum in substantia consideretur tum ratio propria substantiæ, tùm etiam ordo ad existendum, ita etiam debeat concedi in ente vniuersalissimè sumpto, alioquin cogeremur dicere, quòd etiam substantia sit formaliter ordo ad existendnm, quia est formaliter ens, & qnemadmodum ens constitneretur in suo esse per ordinem ad existendum; ita per eumdem ordinem constitueretur etiam substantia, quia ratio inferior debet seruare proportionem ad superiorem, cum ergo tam substantia, quàm ens constituantur formaliter per ordinem ad existendum, sequeretur, quòd essent idem, quia per eumdem ordinem constituerentur.

Tertia ratio.

XI. Deniq; pro eadem conclusione arguitur. Ex eo, quod ens vt sic, communissimè sumptum, contrahitur per varios gradus, & varias differentias, ratione huius contractionis constituuntur diuersæ essentiæ, quæ sunt principium, & radix diuersarum passionum, vt patet inductione facta per singulas naturas. Huiusmodi autem contractio non fit secundùm rationem aliquam existentiæ, sed secundum essentiam, quæ substernitur existentiæ, atque gradus, qui superadduntur, non sunt gradus existentiales, sed essentiales, neque passiones, quæ rem aliquam consequuntur, radicantur in aliqua existentia, sed in essentia, prout ab existentia contradistinguitur, quare ens, quod est primum fundamentum huius contractionis, quæ fit secundùm gradus essentiales, & veluti prima ratio contrahibilis, oportet, quod sit intra eamdem seriem, & proinde aliqua ratio ex natura sua contradistincta ab existentia, vt possit proportionari cum gradibus superuenientibus; atque hoc ipsum simpliciter necessarium est: vt sit veluti prima radix omnium passionum; passiones enim, cum sint reales requirunt principium, quod sit ens, & ideo cœteri gradus, à quibus proueniunt, requirunt secum rationem entis, à qua passiones dependeant secundùm rationem entis, & à cœteris gradibus secundùm rationem talis, vel talis proprietatis.

Contractio entis fit secundum gradus essentiales non vero existentiales.

Responsio.

XII. Dices, verum quidem esse, quòd possibilia dicunt aliquid supra existentiã, sed dicere etiam existentiam, seu ordinẽ ad existendum, qui sit ipsis essentialis, & ideò necessarium esse, ad concipiendum aliquid possibile, hunc ordinem concipere, quia per ipsum formaliter constituitur in esse possibilis. Cœterùm hæc quoque responsio, vt insufficiens reiiciẽda est; nam quamuis verum sit, quòd ad concipiendum possibile adæquatè, & pro vt est in statu proximo ad existendum, necesse sit, concipere ordinem ad existendum, tamen etiam verum est, quòd ad concipiendam rem, quæ possibilis est secundùm essentiam precisè, atque secũdùm rationem entis, quo à nihilo, & impossibili contradistinguitur, non est necesse, concipere hunc ordinem; sed sufficit, concipere prædicata quidditatiua, quæ sunt propria constitutiua talis essentiæ, nam iste ordo ad existendũ communis est omnibus possibilibus, & veluti superuenit essentię tanquam radicatus in prædicatis quidditatiuis. vnde in possibilibus præter hunc ordinem, oportet etiam concedere aliquid aliud, secundùm quod inter se distinguantur, & quod sit vera essentia ipsius, quod sit contradistinctum ab hoc ordine; atque cum ens tanquam primum fundamẽtum huius essentiæ subalternetur propriæ essentię vniuscuiusque, oportet, vt diximus, quòd sit intra eumdem ordinem cũ illo gradu, quo propria essentia cuiuscunque rei cõstituitur, atque adeò etiam ipsum sit aliquid contradistinctum ab existentia. Ex hoc ergo fit, quod ordo ille ad existendum non sit formaliter ipsum esse rei possibilis, sed quid fundatum in ipso, vnde essentia rei, est id, quod potest existere, ille verò ordo est ratio formalis, per quam habet, quòd possit existere; & sic cum ordo ad existendum, & essentia differant saltem secundùm rationem, possunt concipi separatim, & cum præcisione vnius ab alio.

Res possibilis solã secũdum esse adæquatam dicitur ordinẽ ad existendum.

XIII. Vt ergo concludamus, quid de suo formali dicat ens. Dicendum est tertio; Ens de suo formali importare id, quod habet essentiam, seu habens essentiam; Atque id est congruentior modus, quo conceptus entis explicari possit; nam tali pacto explicatur aliquid communissimum; quod sub se complectitur tàm essentiam, quam existentiam; non enim essentia sumitur, quando dicimus, ens esse id, quod habet essentiam, prout contra-

Tertia conclus.

Ens formaliter dicit, quod habet essentiam.

tradistinguitur ab existentia, sed amplè prout dicit aliquid quidditatiuum, quo res in se cōstituitur, quæcunq. illa sit, atq; hoc pacto intellecta essentia, sumitur quā maximè potest vniuersaliter, & cum omni præcisione, ita vt præscindat ab omni determinatione. Quòd vt plenè intelligatur, sciendum est, quod Ens vniuersalissimè sumptum opponitur directè, & contradictoriè ipsi nihilo, & prorsus est quid commune rebus omnibus. Vt igitur inuestigetur, quid dicat de formali, inquirendum est, quęnam sit illa ratio, per quā formaliter res omnes id habēt commune, quòd à nihilo contradistinguantur, & illa procul dubio erit ratio formalis entis: cum enim ens sit illud, quod primò opponitur nihilo, etiam dum ab ipsis rebus participatur erit id, secundum quod res omnes opponentur eidem nihilo. Ratio autem prima, secundùm quam res omnes opponuntur nihilo, nulla alia esse potest, quàm ipsa realitas; hæc enim communis est omnibus; imò nulla alia concipi potest, quæ sit prior ipsa, & quę non fundetur in eadem realitate; non enim concipi potest tolli ipsum nihilum, nisi per aliquam realitatem tollatur, & statim, ac ponitur realitas excluditur ipsum nihilum, tanquam per terminum oppositum: vnde res omnes per id, quod reales sunt, opponuntur nihilo. Cum ergo ex eo, quòd ens sunt, opponantur nihilo, sequitur, quod ratio formalis entis sit ratio illa, secundùm quam res reales sunt. Ideò autem res reales sunt, quia habent essentiam, seu realitatem, nam essentia sic largè sumpta, vt modo sumimus, coincidit cum realitate; & proinde ratio formalis entis dicet Habere essentiam, seu realitatem.

D. Tho.

XIV. Cœterum aduertendum est, quod ens formaliter dicit Habens essentiam in concreto, non autem essentiam in abstracto. Differunt enim Abstractum entis, & concretum eiusdē, vt docet etiam Boet. in libello de Hebdom. dum ait *Diuersum est esse, & id, quod est; ipsum enim esse nondum est; at vero id quod est accepta essendi forma est, atque consistit in se.* Quibus verbis declarat discrimen, quod est inter essentiam, seu esse, & inter Ens, seu inter concretum, & abstractum, & insinuat optimam rationem, cur scilicet Ens dicat concretum, non autem abstractum.

Aliud abstractum entis, aliud concretum.

Boet.

Atque ratio discriminis est, quòd essentis, seu esse est veluti forma quædam, quæ, vt Quo, est constitutiua entis, ipsū vero ens est constitutum, per hanc formam, quemadmodum humanitas est constitutiua hominis, vt quo, seu tanquam forma adęquans ipsum totum, & homo est constitutus per hanc formam. hoc autem discrimen est inter abstracta totius, & concreta; quod ex vi abstractionis præcisè, seù formæ totius nondum habetur esse illius, quod per talem formam constituitur; sic ex vi humanitatis præcisè nondum habetur homo, quia scilicet huiusmodi abstracta veluti diminuto modo significant id, quod cōstituunt, non enim illud significant tanquam quid in se consistens, sed tanquam aliquid communicabile, & proinde non illud important tamquam aliquid in se ipso constitutum, vnde dicit Boet. citat quod *ipsum esse nondum est*, nimirum quia se habet, vt quid communicabile, & nondum in se consistens. Hoc autem totum inde prouenit, quòd concipimus huiusmodi abstracta, atque concreta ad similitudinem abstractorum, & concretorum physicorum; concreta autem physica præter formam dicunt etiam subiectum, ratione cuius sunt in se consistentia; formę verò horum concretorum, vt potè subiecto adiacentes, non consistunt in se, & ideò idem proportionaliter contingit etiam in his abstractis, de quibus modo loquimur. Ens ergo; cum sit id, quo res contradistinguntur à nihilo, & quid reale in se, oportet, quòd se habeat per modum concreti; abstractum enim, nimirum essentia, cum se habeat, vt quo, facit quidem esse, non autem est. Ens vero dicit aliquid, quod sit, & idcirco se debet habere per modū concreti. Atq. ex his satis explicata, & confirmata manet nostra sententia.

XV. Quod rursus etiā potest declarari. Quoniam ex vi ipsius entis nō cōcipimus ipsā formalē participationem ipsius esse, sed esse, quod participetur; concipimus enim aliquid, quod sit; formalis autem participatio ipsius esse facit quidem vt quo, quod aliquid sit, non tamen est id formaliter, quod est; ergo proprius conceptus entis non est essentia in abstracto, sed ens in concreto; essētia enim tanquam abstractum facit tantum esse, vt quo, non autem est id, quod est; & proinde quādo dicimus ens, statim

Ens importat aliquid, quod sit

intellectus noster format sibi conceptum alicuius, quod sit, seu quod habeat esse in se. Quod etiam confirmatur: nam Ens est primum fundamentum cuiuscunque essentiæ realis, & ideo debet esse proportionatum cum ipsa, vt possit illam fundare, tanquam primus gradus, & vniuersalissimus realitatis; modò essentiæ rerum; seu gradus essentiales, prout vnus fundatur in alio non se habent in abstracto, sed in concreto: sic ratio formalis hominis non est animalitas, & rationalitas, sed animal rationale; & semper definitio, quæ explicat quidditatem rei, explicat concretum ipsius. Quare etiam primus gradus realitatis, qui est ens, vt possit proportionato modo subserui cœteris gradibus, oportet, vt se habeat in concreto, quia solum concretum potest subserui concreto. Rursus quæmadmodum, quando aliquid definimus, illud in concreto definimus, nempe definimus hominem, non humanitatem, & sic de cœteris, Ita etiam, quando explicamus rationem formalem entis, licet non possimus illam explicare per definitionem, quia tamen explicamus, vt in se est, & proportione seruata per modum æquiualentem definitioni, ideò debemus ens in concreto explicare: quod eo magis verum est, quia explicamus completam rationem entis, prout dicit primam realitatem rebus communicatam. Et ratio mihi manifesta videtur, quia essentia, siue realitas est ratio essendi, atque huiusmodi ratio essendi non est, vt ita dicam in fieri, sed in facto esse, quia est per modum permanentis atque adeo est ratio essendi respectu alicuius; non possumus autem concipere esse rationem essendi respectu alicuius, nisi simul concipiamus aliquid habere esse, & ideo cum concipimus Ens, non concipimus essentiam, sed habens essentiam. Hinc patet, quid ens vniuersalissimè sumptum importet de suo formali, & quomodo debeat sumi, vt suum vniuersalitatem seruet, nimirum nominaliter, non autem participaliter.

Quid nomine essentia importetur.

SECTIO IV.

Ens non potest explicari per aliquid notius natura.

I. COeterum, ne videamur, Ens explicare per aliquid minùs notũ, aut ad summum æquè notum, cum dicimus Esse id, quod habet essentiam; inquirendum est, quid nomine essentiæ importetur. Sed illud imprimis supponendum est, Ens non posse explicari per aliquid notius secundùm naturam. Illud enim est notius secundùm naturam, quod est prius; verum ens cum sit omnium prima ratio, non habet aliquid prius se ipso, & consequenter nec magis notum secundùm naturam, sed ipsum est omniũ notissimum. Itaque frustra quis conaretur ipsum explicare per aliquid notius secundùm naturam; solùm ergo per alios terminos magis notos secundùm nos declarari potest, vt per ipsos facilius deueniamus ad proprium conceptum ipsius; quod factum est, dum diximus, ens esse id, quod habet essentiam; nunc ergo pro maiori declaratione inquirimus, Quid dicat huiusmodi essentia; ita vt ipsa quoq. per aliquid magis notum, quo ad nos explicetur.

Explicatio prima Suarez.

II. Suarez in Metaphysica disp. 2. sect. 4. num. 5. & 6. Docet essentiam posse considerari dupliciter, nimirum & prout est essentia, & prout est realis. Si primo modo accipiatur, de suo formali dicere radicale principium suarum operationum, siue passionum, quæ sibi conueniunt. Si verò consideretur prout realis est, nihil aliud formaliter importare, inquit ipse, nisi quòd sit radicale principium realium operationum. Verùm huiusmodi expositio non placet, nam potius explicat essentiam completam, quam essentiam illam, quam dicit ens vniuersalissimum. Vnde inquiro Quomodo in essentia distinguat esse essentiæ, & esse reale; dum ait, posse essentiam considerari, vt essentia est, & vt realis. vel enim sunt diuersæ formalitates, vel vna atque eadem. Primum non potest dici, quia essentia sicut & ipsum ens, est vna simplicissima ratio, nec inuoluit compositionem plurium. Si autem est idem esse essentiæ, & esse reale; ad quid distinguuntur, & diuersa iis attribuuntur? Præterea nescio, quomodo possit concipi essentia, quæ dicat verum esse essentiæ præscindendo ab esse reali, nam essentia, vt talis est, formaliter est ratio essendi, & quid contradistinctum à nihilo; at quomodo aliquid potest contradistingui à nihilo absque realitate, cum realitas sit pri-

Reiicit.

Realitas simplex & prima ratio contradistinguens a nihilo.

ma

ma ratio ab ipso contradistinguens. Tertiò, esse principium operationum, seu passionum, non potest explicare veram rationem essentiæ, nam etiam tali enti, vt tale est, conuenit esse principium suarum operationum, sic homo, vt homo, est principium suarum operationum, quòd autem cœteris entibus, vt talia sunt, conuenit, quomodo potest esse ratio propria essentiæ? Accedit & iā, quòd quamuis ens habeat quasdam passiones, respectu quarum constituatur principiū, tamen non potest esse principium illarū, nisi sumatur in concreto, in abstracto enim, nimirum ipsa essentia, non potest esse principium, sed solùm ratio principiandi; quia se habet ad modum formæ. quemadmodum etiam contingit in cœteris essentiis determinatis.

Alia expositio.

III. Alii autem, præsertim ex Recentioribus, asserunt, quòd essentia de suo formali importat non implicantiam, seu aliis verbis, quod in se ipso non implicat. Quia tamen ens quoque in concreto sumptum in se ipso non implicat, ideò distinguendum est id, quod non implicat in seipso, tanquam, vt quod; & quod nō implicat in seipso, tanquam vt quo, seu ratio non implicantiæ: alioquin non magis explicaretur abstractum entis, quàm concretum. Sed hoc non obstante, neque adhuc rectè explicatur ratio essentiæ, prout est abstractum entis vniuersalissimè sumpti. Nam, non implicare in seipso, importat quamdam cōplexionē diuersarum formalitatum, ex qua aliquid vnum per se coalescat, & quòd hoc in se ipso non implicet; nam non implicare dicit, non habere repugnantiam, & impossibilitatem; vndè in se ipso non implicare erit non habere intrinsecam repugnantiam in seipso, & incompossibilitatem, hoc autem supponit, quòd coniungantur diuersæ formalitates, quæ inter se non repugnent, aut impossibiles sint, sed optimè inter se proportionentur, atque congruant, vt constituant vnum tertium per se. Vndè per hanc non implicantiam in seipso, solùm explicari potest essentia completa, quæ coalescit ex pluribus prædicatis quidditatinis, non verò essentia illa, quam in se dicit ens vniuersalissimè sumptum. Atq. hinc elicitur alterum caput improbabilitatis huius explicationis, nam de essentia completa, quæ constat ex pluribus prædicatis, æquè potest dici, esse aliquid, quod non implicat in se ipso; quomodo ergo potest hæc esse ratio formalis essentiæ, quam dicit ens, cum etiam alteri ab ipsa conueniat?

Reiicitur.

IV. Itaque supponendo, quòd in præsenti sumimus essentiā pro illa quidditate vniuersalissima, quam dicit ens, quasi tanquam propriam formam, qua constituatur, non videtur mihi posse commodiùs explicari, quàm si dicatur, quòd sit ratio quædam, qua ens extrahitur à nihilo. Cum enim, vt dictum est, etiam sect. præcedenti, ens sit id, quod primò opponitur nihilo, tanquam terminus contradictoriè oppositus, ita vt ante ipsum nihil sit, quod nihilo opponatur, & per ipsum statim habeatur oppositio; atque huiusmodi essentia, de qua modo agimus, sit veluti formale constitutiuum entis, sequitur, quòd sit ratio constituens ens in tali oppositione, atque adeò sit ratio, per quam extrahatur à nihilo, tanquam termi nus oppositus. Et hæc explicatio mihi videtur congrua, & euidens, nam traditur per aliquid notius quò ad nos, siquidem datur per ordinem ad suum effectum formalem, & terminum oppositum; Quilibet enim facilè percipit eo modo, quo potest percipi, quid sit hoc nihil, & consequenter oppositionem, quæ est inter ipsum, & ens; qua intellecta, facilè etiam percipimus, quem conceptum debeamus formare de essentia, quando dicimus, Esse rationem extrahentem rem à nihilo, vt quid ipsi contradictoriè oppositum: & hoc pacto intellectus manuducitur ad formandum conceptum exprimentem propriam rationem formalem entis. quòd si quis rursus inquirat, quid sit contradistingui à nihilo. Respondetur, quod nihil aliud est, quàm ita se habere, vt oppositum ipsius importet, vndè cum nihil, non habeat aliquid, per quod in se sit, ita contradistingui ab ipso, erit habere aliquid in se; per quod sit, hoc est, per quod participet esse. Atque hinc obiter colligitur, quòd aliud est contradistingui à nihilo, & aliud esse supra ipsum nihilum. Contradistingui enim à nihilo, non dicit infinitatem essendi, seu secundùm esse, sed solùm aliquid, quod sit extra nihil, quod conuenit quoque rebus finitis etiam secundùm id, quo finitæ sunt. At esse supra nihil, importat quamdam

Quid significet essentia.

Aliud contradistingui à nihilo, aliud Esse supra ipsum nihilum

infinitatem secundum esse quę secundum quamdam præstantiam, & eminentiam in essendo extollatur supra ipsum. Quod ideò modo adnotauimus, quia deseruiet pro intelligentia eorum, quę infra dicturi sumus, quando disp. 29. sect. 6. ostendemus, Deum non esse ens, sed supra ens, atque adeò non contradistingui à nihilo, sed esse supra nihil.

Explicantur nonnullæ difficultates.

SECTIO V.

Prima difficultas.

I. CVm declaratum sit, in quo consistat ratio formalis entis, & quid dicat conceptus proprius ipsius, oportet quasdam difficultates resoluere, quæ premere videntur hanc doctrinam, quam exposuimus. Prima ergo difficultas oritur ex eo, quod diximus, Ens se habere per modum concreti; Si ergo se habet per modum concreti, oportet etiã concedere aliquid, quod se habeat per modum abstracti, vt iam diximus, nimirum essentiam. Vel ergo hoc, quod se habet per modum abstracti, est ens, vel non. Hoc secundum non potest dici, quia esset nihil, at quomodo si esset nihil, posset esse constitutiuum tanquam abstractũ concreti realis, quale est ens? Si ergo est ens, erit idem abstractum, atque concretum, quod dici non potest, aut ens erit compositum ex diuersis rationibus, quod neque possibile est, cum sit simplicissima, & vniuersalissima ratio. Deinde si tam abstractum, quàm concretum esset ens, deberet dari ens commune vtrique; atq; adeò illud ens, quod diximus, esse id, quod habet essentiam, non esset ens vniuersalissimum.

II. Hæc quidem difficultas valde perplexa est, & solum est alicuius considerationis propter difficultatem, quę est in explicando, quomodo differant hoc abstractum, & hoc concretum entis. Dicendum igitur est, quòd quando concipimus concretum entis, illud concipimus tanquam participans esse in se, seu tanquam aliquid, quod iam in se sit, ita tamen vt sit primus gradus & primum fundamentum totius realitatis; atque id propriè dicit ens. Abstractum verò entis, nimirum essentiam alio modo concipimus; nam non cõcipimus aliquid, quod, vt quod, participet iam esse in se, sed concipimus aliquid, quod sit ratio, per quam formaliter ens participet esse; atque hoc est proprium discrimen, quod interuenit inter abstractum entis, & concretum, vt supra etiam innuimus. Si autem inquiras, an huiusmodi ratio participandi esse sit ens, an vero non, Respõditur non esse ens, sed esse rationem formalem, per quam ens est ens, quemadmodum humanitas non est homo, sed est ratio formalis, per quam homo est homo, neque hic infertur, quòd sit nihil, quia adhuc contradistinguitur à nihilo non quidem vt quod, sed vt Quo, cum sit ratio, per quam formaliter ens contradistiuguitur à nihilo, & idcirco est etiam quid reale, vt quo, Atque hoc est, quod docuit Boet. supracit. opusc. de Hebdom. dum ait *Diuersum est esse, & id, quod est, ipsum enim esse nondum est, at vero id, quod est accepta essendi forma est, atque consistit in se*. Hoc est, quod essentia in hoc differt ab ente, quod ipsa quidem extracta est à nihilo, tantum vt quo, & proinde nondum est perfectè ens, sed veluti tendit ad ipsum; ens verò est perfectè in se. Ex quo fit, quòd ens non sit compositum ex diuersis rationibus, sed dicat vnam, atque eamdem simplicem rationem, quæ prout magis, aut minus completè concipitur se habet per modũ concretum, vel per modum abstracti; & consequenter, cum non sint diuersæ rationes formales, nec sequitur, quòd detur superior ratio entis ab iis abstrahens. Boet.

Secunda difficultas.

III. Secunda difficultas, quia cum dictum sit, Ens non esse id formaliter, quod existit, vel potest existere, videmur constituere aliquod medium inter possibile, & existens, quod importetur per ens; talium est autem, & impossibile, quod detur aliquod medium inter illa duo membra, nam possibile, & actuale adequant totam latitudinem entis. Sed facilis est responsio. Possibile enim, atq; actuale dupliciter considerari possunt; nimirum & secundùm rationem existentiæ actualis, siue possibilis, seu quod idem est, secundùm rationem illam, qua aliquid formaliter constituitur existens, vel potens existere, vel potest considerari etiam secundùm rationem illam, secundùm quam existit, vel potest existere, quæ vocari solet essentia; & est id, quod existentię substernitur. Si possibile, & existens primo modo accipiantur, falsum est, quod adæquent totam latitudinem

Dupliciter existens & possibile considerantur.

entis

entis, quia præter rationem illam, quæ formaliter res exiſtunt, vel poſſunt exiſtere, datur etiam ratio illa, ſecũdùm quam exiſtunt, quæ eſt proprium eſſe cuiuſcunque rei. Si autem ſecundo modo accipiatur; tunc quidem verum eſt, adæquari ens per poſsibile, & actuale; verùm, vt ſupra etiam diximus, ens formaliter non dicit id, quod exiſtit, vel poteſt exiſtere, quia in eo, quod exiſtit, vel poteſt exiſtere duo diſtinguenda ſunt, videlicet exiſtentia, & eſſentia, atque ratio formalis entis debet in vtraque reperiri, & ideò debet dicere aliquid ſuperius, nimirum habere eſſentiam, vel realitatem modo ſupra explicato.

Tertia difficultas.

IV. Tertia difficultas eſt circa illam eſſentiam, quam diximus dicere ens, dum explicatum fuit, eſſe id, quod habet eſſentiam. Inquiri enim poteſt de hac eſſentia: an præſcindat ab exiſtentia poſſibili, an verò non præſcindat, ſi præſcindit, ergo non poteſt eſſe, & conſequenter eſt impoſsibilis; quod enim non dicit exiſtentiam poſsibilem, neque etiam poteſt eſſe; ſi verò non præſcindit, ergo idẽ eſt eſſentia formaliter, ac potentia ad exiſtendum, ſeu exiſtentia in ſtatu poſsibilitatis. Ex dictis tamen facilè reſponderi poteſt. Quòd eſſentia illa, quam diximus eſſe rationẽ, per quam ens habet, quòd à nihilo contradiſtinguatur, eſt quid commune, tum exiſtentiæ, tum eſſentiæ prout eſſentia ſumitur pro illa quidditate, quæ exiſtentiæ ſubſternitur, & ab ipſa contradiſtinguitur; ex quo fit, quòd aliqua eſſentia pręciſa omni exiſtentia concedenda ſit, quæ ſit conſtitutiuum entis realis. Quòd ſi quæras de hac eſſentia, an poſſit exiſtere: reſpondendum eſt, quòd illud tantum poteſt ſimpliciter exiſtere, quod dicit aliquam naturam, ita ex diuerſis rationibus coaleſcentem, vt ex ipſa conſurgere poſſit vna aliqua entitas phyſica; cœteræ verò rationes formales, & purè metaphyſicæ nequeũt ſimpliciter exiſtere, ſed ſolùm prout imbibuntur in naturis phyſicis, ſeu entitatibus phyſicis. Illa ergo eſſentia, de qua modò procedit difficultas, non ſufficit ad conſtituendam vnam integram entitatem phyſicam; ſed eſt tantum quædam ratio metaphyſica: immò neque integra ratio metaphyſica, quia non dicit id, quod eſt, ſed eſt formalis participatio, qua aliquid eſt; rurſus eſt ratio conſtitutiua entis vniuerſaliſſimè ſumpti, & ideò de ſe præciſè non eſt apta ad exiſtendum, ſed oportet, quod conſtituat ens, & ratione huius entis poſtea fiet apta ad exiſtendum in inferioribus. Quia tamen exiſtentia cadit ſupra omnes formalitates, quæ ingrediuntur conſtitutionem cuiuſcunque entitatis, ita vt veluti partiali modo vnicuique correſpondeat, ideò adhuc addendum eſt, quòd quælibet formalitas præciſa exiſtentia, ſeu potentia ad exiſtendum, & conſequenter eſſentia illa, quam dicit ens, poteſt ſuo modo exiſtere, quia licet non ſit formaliter exiſtentia, eſt tamen fundamentum ipſius, nam diſtingui debet ratio formalis eſſentiæ, & ratio formalis exiſtentiæ, ita tamen vt eſſentia fundet exiſtentiam, atq. adeò vnaquæque eſſentia poſſit exiſtere per exiſtentiam, quæ illi ſuperueniat. Hinc concluditur, quòd tota latitudo poſſibilitatis non claudatur intra terminos exiſtentiæ poſſibilis formaliter loquendo, ſed includat etiam eſſentiam, quę poſſibilis eſt per ſuperuenientem exiſtentiam poſsibilitate adæquatam. Quin addo, quòd impoſſibilitas oritur ex repugnantia ad eſſendum, ſeu eſt ipſamet repugnantia; ſi autem conſideretur illa eſſentia, quam dicit ens, aut quęlibet alia præciſa eſſentia, formam caret ratione formali, per quam conſtituatur potens ad exiſtendum, & ex ſe dicit ordinem ad huiuſmodi rationem. Hinc non ſequitur, quod ſit impoſsibilis, quia copulata exiſtentiæ poteſt exiſtere, & ex ſe ordinatur ad huiuſmodi copulationem.

Quæ poſſint ſimpliciter exiſtere.

Eſſentia fundat exiſtentiam.

Ens, Aliquid, & Rem eſſe Idem.

SECTIO VI.

Ens, Res & Aliquid omninò idem.

I. AD plenam intelligentiam circa ſignificatum Entis, & eius rationem formalem, veluti corollariè ex dictis deducendum eſt, quòd Ens, Res, & Aliquid ſint omninò Idem. Pro cuius explicatione aduertendum eſt, quòd præter paſsiones entis alia tria tranſcendentia ſolent enumerari, nimirum Ens, Res, & Aliquid; quę ideò dicuntur tranſcendentia, quia de quacunque re efferri poſſunt, & de his quæritur, an idem omninò ſignificent, an verò obtineant aliquã diuerſitatem. Qui enim exiſtimant, Ens debere ſumi participialiter, vt Auicen.

tract.

Auicen. Soto. tract. 1. Metaph. cap. 6. & Soto in Anteprædicam. cap. 4, quæst. 1. in responf. ad 3. & alii, quos supra suo loco citauimus, consequenter volunt, Ens diuersimodè significare, ac significer Res, & Aliquid; nam Res, & Aliquid, inquiunt ipsi, significant essentialiter, hoc est, se habent, vt quid essentiale. Ens verò significat contingēter, quia significat rerum existentiam, quæ contingens est. Verùm hoc sequitur ex falso fundamento, quòd scilicet ens sumatur participialiter, ostendimus enim, debere sumi nominaliter, ita vt dicatur, nedum de rebus existentibus, sed etiam de possibilibus, & ideò etiam falsò diuersitas huiusmodi assignatur.

II. Communiter verò accipiunt pro eodem, Ens, Rem, & Aliquid. Quod præcipuè docent Fonseca 4. Metaph. cap. 2. quæst. 5. sect. 2. Suarez in metaph. disp. 3. sect. 2. num. 4. & sequen. Auersa in sua Philosophia quæst. 5. sect. 2 quamuis etiam afferat, posse inter hæc tria transcendentia aliquod discrimen reperiri. Et quidem omnia tria, idem importare, mihi certum videtur; debent tamen Res, & Aliquid, sumi in tota sua vniuersalitate, quemadmodum etiam sumitur ens. Hoc autem sic declaratur. Res enim, sumpta in tota sua vniuersalitate, nihil aliud importat, nisi realitatem aliquam vniuersalissimè sumptam, dicitur enim à realitate, ita vt realitas sit veluti formale constitutiuum rei, cum igitur ens sit illud, quod habet essentiam, seu realitatem, & res etiam sit illa quæ habet realitatem, certè ens, & Res erunt synonima. Et similiter cum ens sit prima ratio, seu primus gradus contradistinctus à nihilo, res quoq. sumpta in tota sua vniuersalitate, est prima ratio, quæ à nihilo contradistinguitur, siquidem tali pacto accepta importat primam, & vniuersalissimam rationē realitatis; prima autem, & vniuersalissima realitas est illa, quæ à nihilo primò contradistinguitur; & proinde etiam ex hoc capite constat, quomodo Ens, & Res sint Idem. Veruntamen est, quòd aliquando Res vsurpari solet secundùm alias significationes, vt pro entitate, dicimus enim, ea distingui realiter, quæ distinguuntur entitatiuè; sed tunc Res non sumitur vniuersalissimè.

III. Idem quoque possumus dicere de Aliquid. Nam etiam ipsum, secundùm suam totam vniuersalitatem acceptum, dicit primam rationem, quæ contradistinguitur à nihilo; quoadusque enim non intelligimus aliquid, nondum intelligimus terminum à nihilo contradistinctum; atque statim, ac ipsum percipimus; habemus etiam terminum oppositum nihilo; & ideò Aliquid cum ente coincidit. Quod etiam confirmari potest. Nam aliquid importat reale aliquid, ex vi enim huius termini intellectus noster statim concipit aliquid habens esse, atque illi præsentatur obiectum propriū, quod necessariò est ens. Rursum Aliquid, præsertim sumptum in tota sua vniuersalitate, importat hoc reale valdè confusè, & indeterminatè, ita vt intellectus non habeat obiectum magis determinatum ex vi huius termini, Aliquid, quàm ex vi alterius termini, nempè entis; ergò cum aliquid significet ens aliquod, sed ita indeterminatum, quemadmodum significatur per ens, vt sic, oportet concludere, quod Ens, & Aliquid synonima sint. Atque hinc etiam fit, quòd communiter putant idem efferri cum de aliquo dicitur Esse ens, ac cum dicitur esse aliquid. Verùm autem est, quòd D. Tho quæst. 1. de Veritat. ar. 1. videtur aliam significationem tribuere huic termino, Aliquid, nempè vt significet Aliud quid, hoc est aliquid distinctum; verùm hæc significatio non est semper necessaria, & ea, quæ coincidit cum significatione entis, frequentissima est apud Philosophos, & ideo tenenda. Quòd si velimus significare aliud Quid, tunc adhuc coincidet cum ente, sed quatenus dicit suam passionem vnitatis, per quam constituitur indiuisum in se, atque diuisum à quocunque alio, & dicet aliquid magis explicitè, quàm dicat Ens.

IV. Atque ex his colligitur, non rectè assignari hanc differentiam inter Ens & Rem, quòd Ens dicatur etiam de entibus rationis, non autem res, vt vult Auersa loco supracitato. Neque enim ens simpliciter dicitur de entibus rationis, sed cum addito, nimirum Ens rationis, cum hoc autem addito Res quoque dici potest de ipsis, cui enim non potest dici de chimera, quòd sit res ficta à ratione. Rursus entia rationis non sortiuntur nomen entis, nisi quatenus illis accommodatur ens reale; vnde ens rationis est non ens conceptum ad modum entis; si ergo ens reale, vt sic, & res, vt sic, sunt idem, non poterit ens reale accommodari non enti, nisi etiam illi coapte-

Marginal notes: Fonseca. Suarez. Auersa. — Res dicitur à realitate. — Quid dicit Aliquid. — D. Thō. — Ens nō dicitur simpliciter de ente rationis.

coaptetur Res, & ideò si ex eo capite dicuntur entia, cur non poterunt etiam dici Res? Nec video vllam aliquam differentiam inter hæc tria transcendentia assignari posse, nisi aliquod ipsorum cum aliqua pressa, & coarctata significatione accipiatur, quod continget, si ens accipiatur participialiter, aut Res pro entitate integra, vt supra etiam diximus; verū tunc non habent suam transcendentiam, & vniuersalitatem maximam, secundùm quam considerantur, quando dicuntur esse idem cum ente; tunc enim nullum potest assignari discrimen, sed sunt omninò synonima. Atque hæc de nomine Entis, & eius ratione formali, seu conceptu, qui huic termino correspondet. Antequàm autem explicemus quidditatem huius conceptus; priùs videndum est, ad quæ se extendat, vt eius vniuersalitas inquiratur, quod plurimum iuuat ad percipiendam naturam ipsius; hoc autem facilè præstabimus, si quasdam diuisiones examinemus, quæ solent tradi communiter de ente, & simul inuestigemus, an ens præscindat ab ijs membris diuidentibus, tanquam quid commune; quod circa omnes diuisiones præstabimus, quoadusque inueniamus primam rationem entis, aliquibus membris diuidentibus communē.



DE DIVISIONE ENTIS.





Xplicata notione entis secundùm se considerati, reliquum est, vt eius diuisiones declaremus. Solet autem primò diuidi in positiuum, & negatiuum. Deindè positiuum in ens reale, & ens rationis. Ens autem reale, in creatum, & increatum, quæ diuisio etiam alijs terminis explicari solet, videlicet, in ens participatum, & imparticipatum, seu in ens contingens, & necessarium. Vt autem videamus, qualesnam sint hæ diuisiones, videndum est, quale sit diuisum, & an detur ens, quòd per tales diuisiones diuidi possit; priùs autem inquiremus, an detur ens cõmune positiuo, & negatiuo.

An detur ens abstrahens à positiuo, & negatiuo. Disp. XXVI.

Opposita sententia.

SECTIO I.

1. opinio

I. PRæsentem disputationem instituimus, vt videamus, an ratio entis realis sit omnium prima ex ijs rationibus, quæ à nobis intelliguntur, an vero admittenda sit alia ratio entis, quę communis sit enti reali positiuo, & enti reali negatiuo, seu reali non enti, vt quidam loquuntur, & secundùm se considerata abstrahat ab vtroque, & sit aliquid superius. Quidam enim, qui asserunt dari in rebus huiusmodi realia non entia, seu entia negatiua, cuiusmodi, dicunt ipsi, sunt priuationes, & negationes, consequenter etiam existimant, dari ens, quòd abstrahat à negatiuo, & positiuo; quæ opinio desumitur ex Aegid. in 2. dist. 34. quæst. 1. art. 3. ad 4. Trombet 12. 12. Metaph. quæs. 6 Io. Canon. 1. phys. quæs. 10. art. 1. Connimb. eodem libro cap. 9. quæst. 7. artic. 1. Ruu. tract. 3. quæs 1. quam etiam, sed immeritò tribuit D. Thom. vt patebit ex infrà dicendis, imò ex ijs locis, quos Ruu. citat, oppositum colligitur.

Dari ens cõmune positiuo & negatiuo.

Aegid. Tromb. Io Can. Cõnimb. Ruuius.

II. Hanc etiam sententiam sequũtur plures ex Recentioribus. Et videtur habere fundamentum in Arist. 4. metaph. cap. & tex. 2. vbi docet, ens multipliciter dici, sed omnia ad vnum principium, vbi vult ens esse quid analogum, ad quòd plura dicant attributionem, inter hęc autem enumerat negationes, ait enim. *Quadam enim, quoniam substantiæ, entia dicuntur, quadam, quoniam passiones substantiæ, quadam, quoniam via ad substantiam, aut corruptiones, aut priuationes*; ergo cum priuationes, quæ sunt realia non entia; sint analogicè ens, debet ens esse cõmune, & enti reali negatiuo, & positiuo. Præterea ista realia nõ entia, vt sunt priuationes, verè sũt, nã verè cæcus est priuatus visus, forma verè nõ est in subiecto, ita vt non sit necessarium aliquod opus intellectus ad hoc, vt forma non sit in subiecto. Et confir. nam oppositio priuatiua, & contradictoria sunt reales oppositiones, & existentes in ipsis rebus, vndè debent etiam habere extrema realia, quorum alterum, cum non possit esse positiuum, erit negatiuũ,

Fundamẽta huius sententię.

Arist.

atq.

atque adeo aliquid reale negatiuum erit in rebus. Quare, cum non sit purum nihil, debet dari ens, præscindens à reali negatiuo, & à reali positiuo.

Opposita sententia.

II. Altera sententia negat, dari huiusmodi ens, abstrahens à reali positiuo, & reali negatiuo, quæ desumi potest ab iis auctoribus, qui negant, priuationes, & negationes esse in rebus antè operationem intellectus, tanquam aliquid reale negatiuum, quare cum non detur alterum extremum, neque etiam potest dari ens ab his duobus extremis præscin ens & cum ex hac sola necessitate hoc ens sic præscindens introductum sit, vt saluetur, negationes, & priuationes esse quid reale negatiuum, hac necessitate sublata, debet tolli etiam hoc ens præscindens à negatiuo. Desumitur autem hæc sententia

D. Th.

ex D. Th. opus 48. tract, 2, cap. 1. vbi de priuatione loquens. ait *Et si quæratur de tali ente, vbi sit subiectiuè, dicitur, quòd est nusquam, si enim esset in aliquo subiectiuè, esset accidens, & per consequens ens reale, sed solùm habet esse obiectiuè.* Atque etiam hoc ipsum aliis in locis docet, quos afferemus suo loco, cum de priuatione agemus. Præterea desumitur

Alexan. Auer. Caiet. Gabr. Soncin. Iauel. Soto. Gratia dei. Ferrar. Astudil. Perer. Achil.

ex Alex. 2. natural. quæs. cap. 11. Auer. 4. Metaph. com. 25. & lib. 5. cap. de priuat. Caiet. de ente & essentia in explicat. cap. 1. initio Gabr. in 1. dist. 24. quæs. 1. dub. 3. Soncin. 4. Metaph. quæs. 30. & lib. 10. quæs. 15. Iauell. ibid. quæs. 10. punct. 2. Soto. 1. Phys. quæst. 8. Gratiadei lect. 12, quæs. 3. Ferrar. ibid. quæs. 10. Astudillo ibid. Perer. lib. 5. cap. 24. Achil. de Elem. dub 27. Cum quibus conueniũt Theologi in 2. dist. 35. & 36.

Præfertur secunda sententia.

SECTIO II.

Conclusio. Non datur ens abstrahens à positiuo & negatiuo.

I. EX his duabus sentẽtiis, secũda procul dubio vera est, & opposita cõtinet magnam absurditatem; Vndè concludimus cum ipsa, non dari hoc ens abstrahens à positiuo, & negatiuo reale, imo hoc reale ens negatiuum, seu reale non ens, esse quid fictum, & absurdum, vt patet ex ipsis terminis, quid enim est esse reale non ens? satis palam fit implicantia, quòd aliquid sit reale, & sit non ens. Pro-

I. Ratio.

batur autem hæc sententia primò. Ratio ista entis, præscindens ab ente positiuo, & negatiuo, vel est aliquid, vel non, vnum enim ex iis debet illi cõpetere, quia sunt prima contradictoria; si est aliquid; ergo aliquid prædicatur de non ente, seu de negationibus, quòd tamen non potest esse, quia huiusmodi negationes sunt tantùm ablationes entis realis; si dicatur nõ est aliquid; ergo cum hæc ratio prædicetur de ente positiuo, non aliquid prædicabitur de ipso, vndè ens positiuum erit aliquid, & non aliquid, quo nihil absurdius excogitari potest.

Excluditur responsio.

II. Video subterfugium aduersariorum, dicent enim, quod ens illud, abstrahens à positiuo, & negatiuo, est quidem aliquid, sed hoc aliquid etiam abstrahere à positiuo & negatiuo, nam datur aliquid positiuum, & aliquid reale negatiuum; Sed licèt hæc responsio subtilis videatur, caret tamen soliditate veræ doctrinæ, & abutitur terminis, quia Aliquid de se significat aliquid positiuum, & statim ac intelligimus aliquid, intelligimus contradictorium ipsius nihil, aliquid enim, & nihil opponuntur contradictoriè, quocirca Aliquid debet esse quid positiuum, cum ex contradictoriis, alterum sit positiuum, alterum negatiuum, inter hæc autem duo, ipsum nihil est contradictorium negatiuum, vndè vrgetur ratio. Illud ens sic abstractum, vel erit nihil, vel

Nihil, & aliquid opponũtur contradictoriè.

contradictorium nihili positiuum: si dicatur esse nihil; ergo nihil prædicabitur de ente positiuo: Si contradictorium nihili positiuum; ergo aliquid positiuum prædicabitur de negationibus. Confir. In hoc differunt negatiuum, & positiuum, quòd negatiuum tollit aliquid, positiuum ponit, quod per negatiuum tollitur. Sed per Aliquid ponitur id, per quod intelligatur esse aliquid; ergo Aliquid est quid positiuum ex sua natura, nec abstrahit à positiuo, & negatiuo.

III. Secundò probatur, Si daretur ista ratio entis præscindens ab ente positiuo, & negatiuo, deberet vt ratio superior vniri cum quocunque inferiorum, sicuti etiam ratio entis vnitur cum substantia, & accidente; & in ipsis imbibitur; sed non posset vniri cum ente positiuo reali; ergo neque potest dari. Maior per se nota est, semper enim ratio superior debet imbibi in inferioribus, præsertim quandò est trascendens. Minor verò declaratur. quia quod non est positiuum, non potest vniri cum positiuo, præsertim quãdo secundùm se totum est positiuum, vt accidit in ente reali positiuo, tũc enim

II ratio

Ratio superior imbibitur in inferioribus.

illa ratio, quę vniretur secundùm suum esse intrinsecum non esset positiua, vndè fieret vnio inter positiuum, & negatiuum, & consequenter ens positiuum reale secundùm se totum non esset positiuum; sicuti neque homo secundùm se totum est rationalis, sed tantùm ratione differentiæ, imò, neque ratione differentiæ ens reale positiuum, esset totaliter positiuum, nam cum ratio entis sit transcendens, imbibitur etiam in vltimis differentijs.

IV. Confir. ratio facta. Ens reale positiuum constituitur nedum in esse entis, sed etiam in esse entis, vt sic abstractissimè sumpti, per esse participatum à Deo; ergò constituitur in esse entis per aliquid positiuum, & non per illam rationem entis abstrahentem à positiuo, & negatiuo. Consequentia prob. quia omnis participatio, quæ est à Deo, fit positiuo modo, & cum communicet Deus aliquid, quod contineat in suo esse, debet communicare aliquid positiuum. Rursus declaratur: non potest participari tale esse, nisi ex vi eiusdem participationis formaliter sumptæ participetur etiam esse vt sic, secundùm quamcumque abstractionem consideratum, nam tale esse formaliter, & intrinsecè imbibit esse vt sic; ergò si participetur tale esse positiuo modo, & tanquam aliquid positiuum, debet, ex vi eiusdem participationis, participare esse vt sic, atque adeò positiuum, cum sit nedum identificatum, sed etiam formaliter imbibitum in tali esse; nec potest excogitari ratio entis adeò abstractissima, quæ non sit identificata, & formaliter imbibita in tali esse; quomodo ergo negatiuum poterit formaliter imbibi, vt constitutiuum in esse positiuo? quæro enim, an per illam rationem entis haberet esse, vel nõ: si non habet esse; ad quid ergò deseruit, cum præter suũ esse nihil in ipso sit? si hẽt esse, quomodo potest positiuo modo habere esse per aliquid, q̃ nõ est positiuum?

Ens cõstituitur in esse entis p qd participatum à Deo.

V. Tertiò; si daretur ista ratio entis

III. 16. præscindens à positiuo, & negatiuo, aliquid, quod prædicaretur de ente positiuo, prædicaretur etiam de ente negatiuo, seu non ente, & econtra aliquid, quod prædicaretur de negationibus, prædicaretur etiam de ente positiuo, hoc autem non potest esse; nam negatiuum secundùm se totum est non ens, & secundùm se totum est quid negatiuum; ita vt nihil possit concipi in ipso, quod non sit negatio, imò cum hoc ens præscindens, à positiuo, at negatiuo imbibatur etiam in vltima differentia negationis, quia est transcendens, aut negatio, vt negatio est, non esset quid negatiuum, aut aliquod negatiuum prædicaretur de positiuo, aut non datur illud ens præscindens à negatiuo, & positiuo, quod nos intendimus. Præterea hinc sequeretur, quòd daretur medium inter ens, & non ens; quatenus non ens est, quod est dari medium inter contradictoria, ens enim, & non ens contradictoriè opponuntur, & quod vnum affirmat, alterum negat. ens autem positiuum dicit rationem entis, negatiuum autem, vt etiam Auctores oppositæ opinionis asserunt, est reale non ens, vnde inuoluit contradictorium entis, si igitur daretur ens præscindens à positiuo, & negatiuo, daretur medium secundùm illam rationem, secundùm quam sunt contradictoria, nẽpè secundũ rationẽ entis.

Quod p̃ dicitur de negatiuo nõ põt dici de positiuo.

VI. Nec valet effugium, quòd reale positiuum, & reale negatiuum sint contradictoria secundùm rationem negatiui, & positiui, non verò secundum rationem entis. Nam positiuum, quatenus est ens, opponitur negatiuo; quia positiuum ens ponit in esse, negatiuum verò, quatenus negatiuum est, remouet ab esse, Quis autem non videat habere esse, & nõ habere, esse contradictoria secundùm rationem entis? Præterea vel præter illam rationem entis abstrahentem à positiuo, vel negatiuo, adest aliqua alia ratio entis vt sit in ente positiuo, vel non; si primum asseratur: Contra, quia ratio formalis entis est vnica tantùm, supra quam quicquid additur, variat rationem entis vt sic, & constituit tale ens, quare præter illud ens abstrahens à positiuo, & negatiuo, non potest dari alia ratio entis. Quod confir. vel ratio positiui, vt tale est, dicit rationem entis, & tunc ens positiuum vt tale erit ens; nec supra positiuũ nõ dabitur alia ratio cõmunior entis, si autẽ vt positiuũ est, nõ dicit aliã rationem entis, ergò non datur alia entis præter illã, quæ præscindit à positiuo, & negatiuo. Quod si admittatur secundum, vt debet admitti excluso primo membro, tunc sequitur maius absurdum, quòd videlicet non magis sit ens illud, quod positiuum est, quàm sit negatio, quia vtrumque constituitur in esse entis per eamdem rationem entis abstrahentem à positiuo, & negatiuo.

Reijci quæda respon.

Positiuũ & negatiuũ opponũtur sm̃ rõnẽ entis.

VII. Quod rursus declaratur, & erit quarta ratio ad confirmandam hanc sen-

Quarta ratio.

tentiam. Quandocunq. aliquid ſuperadditur rationi communi, eſt perfectiuum illius,& conſtituit rationem communem in aliquo maiori eſſe, non verò minuit de ratione communi,alioquin eſſet implicantia, nempè quia per additionem tolleretur,ſic addita rationalitate animali, ponitur aliqua maior pfectio ſupra rationē viuentis, & in ente negatiuo nedum eſſe negatiuū addit ſupra rationē entis,abſtrahentis à negatiuo,& poſitiuo,perfectionē aliquā,ſed etiam tollit, nam negatiuū cōſtituitur formaliter per negationem,quæ, ſecundū ſuā vltimam differentiā, eſt purū nihil,& ablatio entis realis,ergo neq.etiā poteſt habere rationē entis cōmunē,quæ abſtrahat à poſitiuo, & negatiuo, ſi enim daretur iſta ratio entis, deberet,per contractionem ad reale negatiuum,acquirere aliquid amplius in ratione entis. Rurſus cum negatio,præciſa illa ratione entis realis,qua dicitur analogicè conuenire cum ente poſitiuo, ſit purum nihil; quomodo poteſt contrahere illam rationem, quod enim eſt nihil, neq. etiā poteſt eſſe contractiuum alicuius, ergo non datur iſta ratio entis deſcendens ad ens reale poſitiuum, & ens reale negatiuum. Deniq.ſumitur efficax confirmatio ex ipſa ratione entis, quid enim eſt eſſe ens, niſi habere eſſe,quid autem eſt habere eſſe,niſi habere eſſe poſitiuum?

Ratio inferior ſuperaddita ſuperiori auget illam in eſſe.

Quinta ratio.

VIII. Quinto etiam declaratur, & confirmatur hæc ſententia, Poſitiuum, & negatiuum contradictoriè opponuntur; ſiquidem quod negat vnum, ponit alterum, & negatio,ſecundùm totum ſuum eſſe eſt ſolum purum contradictorium rei quam negat; eſt enim merum non eſſe formę, quæ tollitur per negationem, ſic non homo eſt merum non eſſe hominis: quod etiam habet locum in priuatione, pręciſa aptitudine ſubiecti, quam connotat in obliquo, & conſiderata ſolùm ſecundùm eſſe negatiuum, quod dicit in recto,ergo non datur ratiò entis communis poſitiuo, & negatiuo, atque hęc ratio efficaciſſima eſt,ſi attentè conſideretur,pro cuius complemento reſtat probanda Cōſequentia, nam Anteced. ſatis notum eſt ex ipſius explicatione. Si daretur huiuſmodi ratio entis,præſcindens a poſitiuo, & negatiuo,imbiberetur in ente poſitiuo, tanquam formale conſtitutiuum realitatis ipſius, quia iſta ratio entis eſt realis, & omnis realitas habetur à ratione entis realis. modò negatiuum, contradictoriè oppoſitum enti poſitiuo, tollit totum id, quod dicit ens poſitiuum, & etiam realitatem ipſius, negatiuum enim contradictorium tollit poſitiuum, nedum quatenus poſitiuum: ſed etiam,vt quid reale, ergo etiam negat rationem illam entis, per quam conſtituitur in eſſe reali, atque adeò rationem illā communiſſimam,quomodo ergo ratio illa entis poteſt participari ab illo negatiuo,ſi p ipſum tollitur?

Poſitiuū & negatiuū cōtradictoriè opponuntur.

IX. Deniq. hæc ratio entis,præſcindentis ab ente poſitiuo,& reali negatiuo, ſi daretur, deberet eſſe obiectum intellectus,cū tendat in oīa, quatenus entia ſūt, & ipſa ratio entis vniuerſaliſsimè ſumpta claudatur in eius obiecto, quia ſi non eſſet intrà obiectum intellectus, iam daretur aliquid, quod non eſſet intelligibile, & tamen eſſet, deinde non poſſet intellectus angelicus cognoſcere comprehenſiuè aliquod ens poſitiuum, quia non attingeret illud ſecundùm iſtam rationem entis communiſsimam. Rurſus ſi non eſſet intelligibilis, quomodo ſciremus dari? quomodo à poſitiuo, & negatiuo præſcinderet? hæc igitur, & alia ſimilia abſurda ſequerentur, ſi ratio illa entis vniuerſaliſsima non eſſet intrà obiectum intellectus. Sed ſi dicatur eſſe obiectum intellectus, adhuc non rectè id dicitur, quoniam potentia poſitiua habet obiectū poſitiuum, per quod ſpecificetur,& cum quo commenſuretur & ſolum ens quatenus verum, eſt obiectum intellectus, veritas autem ex ſua formali ratione eſt aliquid poſitiuum. Deinde ſi iſta ratio entis ſic abſtracta eſſet intelligibilis, & deſcenderet ad ens illud reale negatiuum, certè hoc ens reale negatiuum eſſet in ſe ipſo intelligibile, nec neceſſe eſſet, quòd conciperetur ad modum entis poſitiui, quia haberet propriam rationem intelligibilitatis, & tamen experimur, non poſſe concipi, niſi ad modum entis poſitiui conciperetur, ex quo elicitur conuincēs argumentum, quòd ſolùm ens poſitiuum eſt obiectum intellectus,& per conſequēs ſolùm verè ens, iſta verò realia non entia eſſe omnino nihil in ſe, & tantùm,tanquā entia rationis,habere eſſe obiectiuum in intellectu, quod peculiariter oſtendemus de negationibus & priuationibus ſuo loco. Hæc latiùs proſequutus ſum, non quia neceſsitas ita exigeret, cum ſatis ex ipſis terminis notum ſit, ens non excedere rationem poſitiui, ſed propter importunitatem aliquorum Recentiorum, qui

Sexta Ratio.

Ratio entis cōmuniſſima debet eſſe obiectū intellectus.

non cessant obstinatè intrudere hęc sua realia non entia, non aduertentes quantum abusum nominum admittant.

Rationes in oppositum explicantur.

SECTIO III.

Ens dupliciter sumitur

I. AD solutionem rationum, quibus Auctores oppositæ sententiæ conantur suam opinionem confirmare, ne in vocibus contingat æquiuocatio, præmittendum est. Quod ens potest dupliciter sumi, seu aliquid duplici modo dicitur esse, nempè sumitur ens primò pro omni, eo, quod est in rebus ante operationem intellectus, & quod est aliquid in se, Et prout significat veritatem propositionis affirmatiuæ, licet in re non sit, quod egregiè explicauit D. Thom. cap. 1. de Ente, & essentia initio, vbi ex mente Arist. ait *Sciendum est, quod sicut in 5. metaph. tex. 14. Philosophus dicit, Ens per se dicitur dupliciter. Vno modo, quod diuiditur per decem genera; alio modo, quod significat propositionum veritatem. Horum autem differentia est, quia secundo modo potest dici ens omne illud, de quo affirmatiua propositio formari potest, etiamsi illud in re nihil ponat, quemadmodum priuationes, et negationes entia dicuntur; diximus enim quòd affirmatio est opposita negationi. & quod cæcitas est in oculo. Sed primo modo non potest dici aliquid, quod sit ens, nisi quod in re aliquid ponat.* Et ferè iisdē verbis idem confir. 1. par. quæst. 48. ar. 3. ad 2. *Dicendum quòd sicut dicitur in 5. metaph. Ens dupliciter dicitur: vno modo secundùm quod significat entitatem rei, prout diuiditur in decem prædicamenta; & sic conuertitur cum re, & hoc modo nulla priuatio est ens; vndè nec malum. Alio modo dicitur ens, quod significat veritatem propositionis, quæ in compositione consistit, cuius nota est hoc verbum, Est, quo respondetur adquæstionem an est, & sic cæcitatem dicimus esse in oculo, vel quamcumque aliam priuationem.*

II. Constat ergò ens nedum significare id, quod est à parte rei, sed etiam veritatē propositionis, quam format intellectus. Si quis autem quærat, quid sit hæc veritas propositionū. Resp. Caiet. loc. cit. de ente & essentia in expos. textus ita inquiens. *Veritas propositionis, quæ est entis secundo modo significati, nihil aliud est, quàm cōpositio facta in secūda operatione intellectus obiecto conformis, verbi g. Sortes est cæcus ly. Est, non significat inhærētiam cæcitatis in Sorte; eò quod, cæcitas omni inhærentia caret, cum inhærere realium accidentium sit, sed significat compositionem factam ab intellectu adæquante seipsum per illam obiecto, Sorte scilicet carente virtute visiua.* Hoc autē adnotato facilè erit singulas rationes in oppositum explicare.

Quid sit veritas propositionis. Caiet.

III. Vndè ad auctoritatum Arist. quæ ibi affertur, dicimus, quòd Arist. cit. loco enumerat tantùm modos, quibus aliqua appellari solent entia; qui quidem modi omnes sunt ad vnum principium, nempè ad vnam rationem entis realem, & hoc pacto etiam negationes dicuntur entia, vel terminatiuè, quatenus remouent ens reale, non quod in se sint entia; vel dicuntur entia, quatenus de ipsis possunt efferri aliquæ propositiones cum veritate ita vt ly, ens, significet veritatem propositionis, quod ibi videtur intellexisse Arist. nam cum dixisset, etiam negationes dici ens, subdit *Quare, & ipsum non ens esse non ens, dicimus*; innuens, quòd non ens, in tantùm ens dicitur, in quantum in intellectu est aliqua veritas de ipso, quia cùm veritate dicimus *Non ens esse non ens*, tunc enim per ly *Esse*, non importatur aliquid in ipso nō ente, sed tantùm veritas in intellectu, quæ consistit in conformitate ipsius ad obiectum, hæc autem conformitas dicit, quòd intellectus concipiat in non ente non esse aliquid, quare tunc esse illius non entis est quid ipsi extrinsecum, & est tantum compositio illa, quæ cum veritate est in intellectu.

Illustrat Arist.

IV. Pari modo ad secundam rationem resp. quando dicimus cœcitatem esse, & alias huiusmodi priuationes, ita vt videamur ipsis tribuere aliquam rationem entis tunc non tribuitur aliqua ratio entis, quę sit ipsis intrinseca, & quæ sit aliquid extra intellectum, sed vt notauit D. Thom. supracit. per ly Est, seu Ens significatur veritas, quæ est in compositione intellectus, vndè priuationes solùm sunt entia, quatenus circa ipsas existit in propositionibus aliqua veritas, qua intellectus adæquetur cū obiecto, sed hic dubiū insurgit, quō intellectus adęquetur cū obiecto, cū affirmat priuationē esse v.g. Petro, & re uera non sit, aut quomodo saluari possit, quod Petrus nemine cogitante sit cœcus, & tamen cœcitas in ipso non sit.

Quid tribuamus priuationibus & negationibus cum dicimus illas esse

D. Tho

V. Ad horum primum dicimus, quod cū dicitur Petrus est cœcus, licet hæc propo

sitio

sitio fiat modo cõpositiuo, est tamen propositio remotiua, quæ remouet à Petro potentiam visiuam, hæc autem remotio, tanquam forma quædam tribuitur ipsi Petro. Fundamentum autem huius propositionis est esse limitatum Petri, quo ita coarctatur, vt sit tale esse præcisum cum aptitudine quidem ad potentiam visiuam, sed sine ipsa. Hoc autem esse sine ipsa potentia, non dicit aliquid supra esse Petri, sed esse ipsius præcisum, cum sola aptitudine ad videndum, non verò cum potentia. Stante igitur hoc esse limitato subiecti, intellectus illud sic limitatum concipit, & concipiendo accedit ad iudicium, remouendo ab ipso totum id, quod in eius esse non percipit, atque tali pacto per secundam operationem adæquatur ipsimet obiecto cum veritate, quia pronuncians, Petrum non habere potentiam visiuam, dicit id, quod verè ita est, & in hoc consistit adæquatio intellectus cum obiecto. Verùm aliquando concipit ipsam remotionem prædicati per modum formæ, & tribuit subiecto per modum affirmationis, vt cum dicitur, Petrus est cœcus, & tunc negationes, & priuationes sunt entia, quatenus circa ipsa per modum affirmationis est aliqua veritas in intellectu, tunc enim, vt dictum fuit, Esse ens significat esse hanc veritatem in intellectu.

Caiet. Vndè rectè dicit Caietan. supracit. *Acquirunt autem esse, & fiunt entia priuationes & negationes ex hoc, quòd intellectus intelligens priuationes per habitus, & negationes per affirmationes, format in seipso rei carentis aliquo modo Idolum quoddam, verbi gratia, cum intellectus format in se Idolum quoddam nauis gubernatore carentis quod est ista propositio mētalis. Nauis est sine gubernatore.* Hæc Caiet.

Quò nullo intellectu cogitante subiectũ sit priuatum forma, & priuatio nihil in ipso sit. VI. Ad alteram partem dubij Resp. idem Caietanus loco citato, dum ait: *Licèt nullo intellectu considerante Sortes sit cœcus, & per considerationem intellectus non fiat magis, vel minus cœcus, tamē cœcitas nullo intellectu considerante nullū habet esse in Sorte; stant enim ista duo simul. Quod sic declaratur. Sortem esse cœcum, vt sic non est, Sortem habere aliquod esse substantiale, vt patet, nec accidentale, quia Sortes sit cœcus sola absentia visiuæ virtutis, quæ nihil supra Sortem addit, vndè cœcitas nullum esse omnino ponit in Sorte, ac per hoc, quòd absque omni consideratione intellectus, virtus visiua Sorti non inest, oportet, Sortem nullo intellectu considerante esse cœcum*, Quod idem est, ac si dixisset, quòd, Sortem esse cœcum, in re nihil aliud dicit, nisi illud fundamentũ, quod correspondet veritati propositionis, hoc autem fundamentum est, esse Sortis, vt diximus, ita limitatum, & contractum ad tale esse, vt possit recipere cum veritate denominationes remotiuas eorũ omnium, quæ in suo esse non includit, hoc autē posse recipere tales denominationes nihil dicit in re, præter ipsum esse subiecti, quatenus limitatum, hinc Sortē esse cœcũ nemine cogitante, nō est aliud in re, nisi esse Sortis ita limitatum, vt in se nō habeat potentiā visiuā, ita vt possit recipere denominationem remotiuā potentiæ visiuæ, quod fit, cum dicitur, esse cœcum, vt dictum fuit.

VII. Ad confirmatur secundæ rationis dicendum, quòd oppositio negatiua est inter duo extrema, quorum alterum est quid positiuum, alterum verò negatio: sic etiam priuatiua, sed insuper priuatiua dicit subiectum, quòd habeat aptitudinem ad formam, quam tollit negatio, ex hoc autem fit, quòd alterum extremũ sit tantùm extrà intellectum, nempè positiuum, & subiectum, cum esse tamen limitato, vt modo explicatum fuit, & apto ad recipiendam denominationem remotionis formæ; alterum verò extremum non habet esse, nisi per intellectum. Quocirca istæ oppositiones sunt tantum à parte rei fundamentaliter, non verò formaliter, quia formaliter oppositio contradictoria consistit in affirmatione, & negatione, vt docet Aris. cap. 5. Periher. cum ait; *affirmationem igitur, & negationem opponi contradictoriè quidem dico, cum vniuersaliter altera significat de eodem*; at etiam oppositio priuatiua consistit in affirmatione, & negatione, & solùm differt à contradictoria, quòd supponit aptitudinem in subiecto, & vtraque oppositio in negatione, & eo, quòd negatur, consistit; vndè cum dicuntur reales oppositiones, intelligi debet, quòd sint reales quò ad fundamentum, non autem quò ad formalitatem oppositionis, sicuti etiam de homine dicitur realiter prędicari rationalitatem, & hanc prædicationem esse in re nemine cogitante, seu hominem nemine cogitate esse rationalem, non quòd nemine cogitante adsit ista propositio, sed quia nemine cogitante adest fundamentum propositionis: scio non solùm hanc doctrinam,

Oppositio negatiua, & priuatiua est fundamentaliter à parte rei

Arist.

sed etiam cœtera, quę diximus de priuationibus, & negationibus, à quibusdam, vt noua respui, sed hæc, quæ diximus, desumpta sunt, ex D. Thom. Caiet. imò Arist. ipso, & passim in cœteris auctoritatibus reperiuntur.

VIII. Ex his ergo colligitur, quid sit dicendum de hac diuisione, qua ens diuiditur in positiuum, & negatiuum, non enim est diuisio alicuius analogi in sua analogata, & multò minùs vniuoci in sua vniuocata; Imò neque nominis æquiuoci in sua æquiuocata, nam æquiuocà, non solùm requirunt nomen commune, sed etiam quòd ratio substantiæ sit diuersa, at non ens negatiuum, & positiuum non habent rationem substantię diuersam, quia negatiuum, cum sit purum nihil, non habet aliquid, quo à positiuo diuersificetur. Itaque erit tantùm diuisio quædam secundùm abusionem nominis, qua abutimur nomine significatiuo entis ad significandum non ens, sicuti etiam, si diceremus non hominem. Et quamuis ex D.Tho. diximus, quòd ens potest sumi pro eo, quod significat veritatem propositionis, hoc tamen non importat ipsum non ens, sed ipsam veritatem propositionis, quatenus dicit conformitatē cum obiecto; & proinde importat tale ens reale determinatum, & aptū ad significandam aliquam remotionem formæ à subiecto; seu vt per ipsum intellectus deneniat in cognitionem subiecti limitati, & aliquid à proprio esse excludentis.

Quomodo se habeat ens, vt sic, ad reale, & rationis. Disp. XXVII.

Sententia affirmans esse analogum. Sect. I.
Ens, vt sic, non esse analogum ad reale, & rationis. Sect. II.
Soluuntur rationes in oppositū Sect. III.

Sententia affirmans esse analogum.

SECTIO I.

I. Altera diuisione Ens diuiditur in ens reale, & rationis: vt autem videamus, qualis sit ista diuisio, examinādū est quomodo se habeat ens vt sic, ad reale, & rationis, & an detur aliquid cōmune analogum; si enim non datur, neque etiam dabitur aliquid, quod per talia membra diuidatur. Non dari autem aliquid vniuocum inter ens reale, & ens rationis, licèt nonnulli ex Scotistis oppositum docuerint, adeò certum est, vt non possit aliquo pacto in dubium verti, nisi ignoratis terminis realitatis, & entis rationis. Supponimus ergo Ens reale esse illud, quod habet esse ex se, cum autem dicimus habere esse ex se, non sumimus ly, Ex se, tanquam excludat causam efficientem, à qua acceperit esse; sed per ly, Ex se, intelligimus, quod intrinsecè habeat esse, & in se, non verò tantùm in cognitione alicuius, quare, pręcisa quacunque cognitione, verum est dicere, quod habeat esse. Econtra verò ens rationis intrinsecè, & in se est nihil, & est tantùm non ens conceptum ad modū Entis, Ex quo clarè concluditur, quòd nihil vniuocum commune possit esse enti reali, & rationis, quia quidquid conuenit enti reali, est aliquid, quod in ipso verè est à parte rei, atque adeò est ratio, cui competit in aliqua entitate esse à parte rei, in ente autem rationis nihil potest esse, cui competere possit, esse à parte rei Præterea quicquid est in ente reali, est aliquid reale, & tota ipsamet ratio entis realis, adæquatissimè considerata, est realis, ita vt non sit aliquid in ipsa, quod possit præscindere ab esse reali, econtrà verò in ente rationis nihil potest esse, quod aliquo pacto reale sit; quomodo ergo potest esse vniuocatio in ratione entis inter ens reale, & rationis. Deniq. ens rationis nō est ens, nisi ratione entis realis, ad cuius similitudinem concipitur, & nisi daretur ens reale, neque etiam posset dari ens rationis, quia non adesset aliquid ad cuius similitudinem non ens conciperetur; At in vniuocis vnum non est tale dependenter ab alio, neque per aliquid illius. Quare opposita sententia, vt nimis absurda reiicienda est. Ens non est vniuocum ad reale & rationis. In ente rationis nihil reale est.

II. Alij asserunt. Ens vt sic dici analogicè de ente reali, & rationis Ita D.Th. quæst. 2. de verit. ar. 11. in resp. ad 5. & 4. Metaph. lect. 1. Caiet. de nominum analog. cap. 8. in resp. ad difficultatem. Capr. in 1 dist 2. quæst. 1. in resp. ad argum. contra vltimā conclusionem circa finem quæst. Aquar. 4. Metaph. quæst. 1. Fonsec. 2. Metaph. II. Sententia. Ens esse analogū ad reale & rōis. D.Th. Caiet. Capr. Aquar. Fonsec.

Suarez. Arist.

Metaph. cap. 2. quæst. 1. sect. 7. Suarez in metaph. disp. 54. sect. 1. nu. 9. & non nulli alii, Quam putant esse etiam sententiam Arist. 4. Metaph. cap. 2. Verùm non conueniunt hi Doctores in hac analogia explicanda, Quidam enim, vt præcipuè Capr. volunt esse analogiam proportionis, ita vt detur ratio entis cōis enti reali & rationis, quæ, si secundū se cōsideretur, neque sit realis, neque rationis, sed ab vtroque abstrahit. Alij verò dicunt esse analogiam attributionis, quia ens ratio nis est tale per analogiam ad ens reale.

Fundamenta huius sententiæ.

III. Quòd autem ens vt sic sit analogum ad ens reale, & rationis prob. quia non constat distantia, quæ est inter ipsa, nam magis distat creatura à Deo, & tamen inter ipsum, & creaturam est analogia. secundò, quia ens rationis pertinet ad considerationem Metaphysicæ, quæ habet pro obiecto ipsum ens: vndè aliquo pacto debet conuenire cum ente reali, cum consideretur à Metaphysica propter analogiam, quam habet ad ens reale; imò aliqui addunt considerari tanquam obiectum partiale, quòd nos supra suo loco reiecimus. Tertiò quia enti rationis conuenit analogicè intelligibilitas; est enim aliquo pacto intelligibile; cui autem aliquo pacto conuenit passio entis, debet etiam conuenire ens. Quartò quæ sunt obiectum vnius potentiæ, habēt etiam vnam rationem formalem, saltem analogam, quæ sit ratio obiectiua illius potentiæ, ens autem reale, & rationis sunt obiectum intellectus. Denique ens rationis est aliquo pacto ens, cum ens de ipso prædicetur, & est ens per ordinem, & attributionem ad ens reale; ergo ens vt sic dicitur de vtroque analogicè.

Ens vt sic non esse analogum ad reale, & rationis.

SECTIO II.

III. Sententia Nō esse analoga

I. Nihilominus opposita sententia asserit, Ens vt sic dici merè æquiuocè de ente reali, & rationis, ita vt non detur vllo pacto aliquid abstrahens ab vtroque, sed solum nomen entis significans ens reale conueniat enti rationis. Hanc

Soncin.

tradit Soncin. 4. Metaph. quæst. 5. vbi latè de hoc disputat. Pro cuius explicatione, & confir. aduertendum est, quod quādò ens rationis concipitur ad modum entis, tunc non tribuitur enti rationis aliqua similitudo entis realis, quæ sit intrinseca ipsimet enti rationis, quasi ens rationis non sit quidem in se ens reale, dicat tamen in se aliquam similitudinem entis realis. Sed cum dicitur concipi ad similitudinem entis realis, sensus est, quòd intellectus vtatur similitudine entis realis ad repræsentandū nō ens, seu id, quod nihil est in se; in quo sensu similitudo entis realis est in ipsomet intellectu, & est quid reale, non verò in ente rationis, quia ens rationis est illud, quod correspondet tali conceptui, quod dicitur concipi ad modum entis, quia dum intelligitur per similitudinem entis realis, concipitur tanquam si esset ens, & intellectus ex vi illius conceptionis putat esse ens, licet per alium actum cognitionis hunc conceptum corrigat. Quare pro resolutione quæstionis.

Ens rationis non habet intrinsecā similitudinē entis realis.

1. Conclusio. Ens reale, & rationis non habēt aliquid superius commune. 1. Ratio.

II. Prima conclusio Non datur aliquid commune superius enti reali, & rationis; quare ens vt sic in sua abstractissima ratione non est aliquid superius præcisum, etiam præcisione imperfecta, ab ente reali, & rationis. Ratio autem huius conclusionis est, quia hoc præscindēs ab esse reali, & rationis omnino implicat, nec est vllo pacto excogitabile, vel enim erit aliquid, vel nihil; hæc enim sunt immediata contradictoria, & vnum ex his debet inesse: si est aliquid; ergo iam est ens reale, & consequenter non abstrahet ab ipso, sed erit ipsum: si autem dicatur esse nihil, neque potest abstrahere ab ente reali, sed erit oppositum ipsius, quod enim præscindit ab aliquo potest de ipso prædicari; cum ergo impossibile sit ipsum nihil prædicari de ente reali, impossibile etiā erit, quod ab ipso abstrahat Et confir. potest hæc ratio ex maximo absurdo, quod sequeretur, nēpè quia corrueret veritas illius principii metaphysici omniū primi, scilicet Quodlibet est, vel nō est, quod debet verificari etiam de quacumque ratione abstracta; sumo enim illam rationem entis, quæ abstrahit ab ente reali, & rationis, & inquiro, an de illa verum sit dicere quòd sit, certè nō potest hoc affirmari, quia esse dicit aliquid reale, & extrà Deum dicit aliquid participatum ab ipso, in Deo autē ipsum ens per essentiam, illa autem ratio abstrahit ab esse reali, quare de ipso non potest dici quòd sit, seu quòd habeat esse, Neque etiam potest dici, quod non sit, quia non est nihil, sed ab ipso præscindit; ergo corrueret

De quolibet verum est dicere, quòd sit vel non sit.

ruet

ruet veritas illius principii vniuersaliter sumpti.

II. Rat. III. Secundò prob. Asserere, quòd detur ens præscindens ab esse reali, & rationis, est præuertere ipsum conceptum entis, neque enim potest concipi ens, nisi concipiatur habens esse; & statim ac concipitur habens esse, concipitur aliquid reale; ergo non potest dari ista ratio entis abstrahens ab esse reali. Assumptum prob. Cum enim concipio ens, debeo alterum ex his concipere, vel habens esse, vel non habens; non possum concipere non habens esse, quia sic ipsum nihil conciperem, quia ens reale tollitur tantùm per ipsum nihil, quare concipio habens esse, quòd autem habens esse sit quid reale, patet, nam hoc habens esse, vel habet ex se, & sic erit ens per essentiam; vel habebit esse ab alio, & erit ens participatū; omne autem ens participatum est aliquid reale.

Non datur aliquid abstrahens ab esse reali.

III. Ratio IV. Tertiò prob. eadem conclusio. Si daretur ens abstrahens ab ente reali, & rationis, deberet aliquid, quod de ente reali prædicatur, prædicari etiam de ente rationis, & è contrà aliquid, quod de ente rationis prædicaretur de ente reali, quod non potest aliquo pacto esse; ergo non debet admitti istud ens abstrahens ab esse reali; & rationis. Sequela maioris est euidens, quia quod abstrahit à pluribus, siue perfectè, siue imperfectè, est quid commune, & conueniens pluribus; vnde sumendo illam rationem entis vt sic abstrahentis ab esse reali, & rationis, posset enunciari, & de ente reali, & de ente rationis. Quòd autem non possit; prob. quicquid enim est in ente reali, est aliquid reale, ita vt etiam ipsa abstractissima ratio entis, qua in se est ens, sit aliquid reale, nam est ens per participationem, participat autem rationem entis realē, quare quicquid ab ipso abstrahitur est aliquid reale, vnde non potest prædicari de ente rationis, de quo nihil reale prædicari potest. Confir. ens reale secūdùm se totum, & secundùm quālibet rationem est quid reale; ergo implicat ab ipso abstrahi aliquid, quod non sit reale. Præterea etiam ab ente rationis nihil potest abstrahi, quod non sit ens rationis, cum etiam in ratione entis, quantumuis abstractissimè concepti, sit aliquid rationis; ergo non potest ab ipso aliqua ratio entis abstrahi, quæ prædicetur de ente reali.

Ratio communis prædicatur de omnibus illis à quibus abstrahit.

V. Confir. principaliter ratio facta. Essentia entis rationis in eo consistit, quod non ens concipiatur ad modum entis realis, vndè quòd ens rationis sit ens aliquo modo, habet ab ente reali, nempè, quia ad similitudinem illius concipitur; ergo non habet ab aliqua ratione entis superiori, quæ præscindat ab esse reali, & ab esse rationis, tunc enim esset ens ex vi illius rationis, non verò ex vi entis realis ad cuius similitudinem concipitur. Quod rursus declaratur: quando datur aliqua ratio communis pluribus, omnia illa inferiora, quæ sub ratione communi continentur, sunt talia per rationem communem, non verò vnum inferiorum est tale, quale deberet constitui per rationē cōmunē, quia cōstituatur tale per constitutiuū proprium alterius inferioris; sed ens rationis est ens ad similitudinē entis realis, & hac similitudine entis realis ipsi ablata non remanet amplius ens aliquo pacto; ergo cum sit ens per constitutiuum proprium entis realis, non potest esse ens per rationem communem abstrahentē ab esse reali, & rationis.

Ens rationis habet, quod sit ens ab ente reali.

Quarta Ratio VI. Denique quartò prob. potest. Non potest dari aliqua ratio entis, quæ nō dicat rationem formalem obiectiuam intellectus; ergo non potest dari aliqua ratio entis præscindens ab esse reali & rationis, & quæ sit magis communis, quam ens reale. Anteced. ostenditur imprimis, quia intellectus habet pro obiecto ipsum ens vniuersalissimè sumptum, deinde quia quælibet ratio præcisa ab inferioribus, debet esse præcisa per intellectum; vnde debet esse obiectiuè in ipso. Præterea quia intellectus intelligit quicquid est in inferioribus: atque adeò deberet etiam istam communem rationem percipere, quia esset imbibita in inferioribus. Conseq. vero prob. quia omnis potentia realis debet habere rationem obiectiuā realem, à qua specificetur, vndè sola ratio entis realis potest esse ratio obiectiua intellectus. Præterea quando intellectus intelligit, aliquid intelligit, & hoc positiuum: omne autem positiuum est aliquid reale. Rursus in ente reali ratio obiectiua intellectus est ipsamet entitas realis, quatenus vera, imò propriè veritas, quæ ex se est quid reale, est ratio obiectiua intellectus, vndè cum quælibet potentia habeat vnam tantùm rationem formalem obiectiuam, etiam respectu intellectus illud potest tantùm esse obiectū

Ratio entis nō est sine ratione formali obiectiua intellectus.

quod

quod participat talem rationem realem obiectiuam.

II. Conclusio. *Ens rationis non dicit analogiam proportionis ad ens reale.*

VII. Secunda conclusio. Neque inter ens reale, & rationis datur analogia aliqua proportionis, qua ens rationis sit tale per proportionem ad ens reale, siue hæc proportio sumatur propriè; quatenus dicat aliquam propriam participationem entis, siue sumatur impropriè, & metaphoricè, ita vt ens ratio nis sit tantùm metaphoricè ens, vndè neque est inter ens reale, & rationis analogia propria, neque metaphorica. vt mox

I. Ratio.

ostendemus. Prima pars, quod videlicet ens rationis non sit ens per proportionē propriam ad ens reale, facile prob. quia quando aliquid est tale cum proportione

Quid requiratur ad proportionem.

ad aliud, debet intrinsecè participare rationem illam, in qua fundatur proportio, ita vt forma importata per proportionē sit, tum in illo, à quo perfectè participatur, tum etiam intrinsecè in illo, quod est tale per proportionem ad aliud; hoc autem non potest contingere in ente rationis, quia cum in se sit nihil, neque potest aliquid participare de ente reali secundùm proportionem, hæc enim ratio proportionalis entis deberet esse aliquid de ipso ente reali. Confir. analogia pro portionis dicit, quòd ratio, quæ participatur ab vno, participetur etiam ab alio: vndè si ens rationis esset analogum proportionis ad ens reale, deberet cum proportione participare rationem entis realis, vnde non esset amplius ens rationis, sed cum proportione ens reale.

II. Rat.

VIII. Secundò prob. si ens rationis esset ens cū proportione ad ens reale, deberet intrinsecè dicere istam proportionem, seu aliquid, quod fundaret proportionem, hoc autem implicat, Quia cum

Ens rationis non potest fundare proportionem.

ens rationis, quatenus in se est, sit nihil, non potest intrinsecè dicere, aut proportionem, aut aliquid aliud, quod fundet proportionem. Confir. vel ista proportio est aliquid reale, vel non; si est aliquid reale; ergo non potest esse inter ens reale, & rationis, quoniam proportio realis requirit extrema realia; si verò non est aliquid reale; ergo non potest constituere analogiam realem. Præterea proportio ex natura sua constituit extrema in eodem genere essendi, quatenus proportionata sunt inter se, & ratio euidens est, quia ponit vnitatem proportionis, & dicit, quòd res, seu formalitas importata per nomen, participetur inæqualiter ab analogis, vnde ea, quæ sunt diuersi generis, quatenus diuersi generis sunt, non possunt habere proportionem inter se, sed ens reale, & ens rationis secundùm nullam rationem, neq. secundùm rationem entis, sunt in eodem genere essendi, nam vnum est reale, alterum fictum; ergo non potest inter ipsa esse analogia proportionis.

III. Ratio.

IX. Tertio. Ens reale ex intrinseco suo conceptu dicit aliquid, quod possit esse, seu possit existere, ens enim dicit habens esse, vel actuale, vel possibile:

Quod non est capax existentiæ non potest existere.

vnde etiam inuoluit ordinem ad existentiam, atque hic ordo est tali conceptui intrinsecus, & essentialis; ergo si aliquid cum proportione non potest participare hunc ordinem ad existendum, seu hoc posse existere, neque etiam potest esse cum proportione ens. Modò Ens rationis nedum cum proportione participat posse existere, sed omnino illi repugnat. Quòd si dicas, ens rationis nedum posse existere, sed etiam suo modo existere, nempe obiectiuè in intellectu, non soluit difficultatem; quia participare hoc posse existere, est aliquid intrinsecum in ipso participante; modò ens rationis, siue sit obiectiuè in intellectu, siue non sit, in se nihil est; vnde non potest participare aliquo pacto hoc posse existere, licet possit esse obiectiuè in intellectu, cum enim ens rationis dicitur obiectiuè existere in intellectu, significatur tantùm, quod intellectus habeat actum cognitionis, quo concipiendo ens, v.g. hircum, & ceruum cum vnione, putet aliquid esse, quod subset tali conceptui, cum nihil sit, quare existit obiectiuè in intellectu, quia intellectus putat obijci, licèt reuera non obijciatur. Denique id etiam sequitur ex eo, quòd non datur huiusmodi analogia, vt suo loco ostendemus.

II. Pars conclusionis.

X. Secunda autem pars conclusionis quòd videlicet neque intersit proportio, qua ens rationis metaphoricè sit ens, prob. Nam metaphorica proportio, supponit in eo, quod est tale metaphoricè, aliquam habitudinem ad id, quod est tale

Ens rationis non dicit habitudinem in qua fundetur metaphora.

propriè: sic pratum dicitur ridere, propter quandam habitudinem, quam habet ad vultum hominis ridentem, sic etiam pes scamni dicitur metaphoricè pes, propter habitudinem, quam habet ad pedem animalis, quia sicuti pes animalis est illud, quo animal substentatur, ita etiam pes scamni est illud, quod substentat scā-

 num

num. Ens autem rationis non potest habere huiusmodi habitudinem, aut proportionem, in qua fundetur metaphora, cum in se sit omnino nihil, hæc enim habitudo est aliquid reale in iis, in quibus fundat metaphoram; cum igitur nihil reale possit dici de ente rationis, nec etiam potest ipsi huiusmodi habitudo conuenire, in qua fundetur metaphorica analogia.

III. Conclusio. XI. Tertia conclusio. Neque ens rationis dicit analogiam attributionis ad ens reale. Hæc conclusio est contra communiorem sententiam eorum, qui

Ens rationis non dicit analogiam ad ens reale. ponunt analogiam inter ens reale, & rationis. Nihilominus efficaciter probat. Certum enim est, quòd hæc attributio non potest esse illa attributio, quam aliqui ponunt; in qua videlicet analogum, quod dicit attributionem, participet aliquid proportionale de termino attributionis, quia in ente rationis, vt iam ostensum est, nulla est proportio ad ens reale. Solùm ergo potest esse illa analogia attributionis, qua ea, quæ dicunt attributionẽ sunt tantum extrinsecè talia, sicuti medicina dicitur sana per sanitatem, quam causat in animali. Sed neque hæc attributio potest interuenire, si enim deberet poni analogia, deberet esse analogia proportionis quia enti rationis accommodatur similitudo formalis entis realis, vnde si diceret aliquam analogiam ad ens reale esset huiusmodi analogia cum aliqua formali similitudine entis realis in minus principali analogato, quare esset etiam aliqua proportio.

XII. Deinde neque potest esse pura analogia attributionis, quia in hac minora analogata debent dicere habitudinem ad principale analogatum, & ex vi huius habitudinis constituuntur in esse analogo respectu alicuius formæ, sic medicina est analogicè sana, quia dicit habitudinem ad sanitatem, cuius est causatiua, Vrina etiam dicitur sana, quia tanquam signum dicit habitudinem ad sanitatem; analogia

Ens rationis non dicit attributionẽ ad ens reale. ergo puræ attributionis consistit in hac habitudine, qua ablata tollitur etiam analogia; Modò in ente rationis non potest esse huiusmodi habitudo, tum quia ens rationis, cum in se sit nihil, non potest hanc habitudinem fundare, tum quia hæc habitudo est realis, at nihil reale potest conuenire enti rationis. Quod potest etiam confir. quia facta iuductione in analogis attributionis omnis habitudo ipsorum, aut est significationis vnius ab altero, aut est realis causalitatis, & productionis, at nulla ex his habitudinibus potest esse in ente rationis: ergo neque analogia.

XIII. Quòd autem Auctores oppositæ sententiæ posuerint analogiam inter ens reale, & rationis, indè factum est, quia non considerauerunt ens rationis, prout est in se, & quatenus est obiectum cognitionis, sed quatenus habet similitudinem entis realis, dum dicitur concipi ad modum entis realis. Sed non aduertetunt, quòd huiusmodi similitudo entis realis non est in ipso ente rationis, quatenus est aliquid contradistinctum à cognitione; nam vel esset similitudo realis, vel non; si realis similitudo, tunc aliquid reale esset in ente rationis, quod non potest dici: si verò non est realis, iam nihil est; sed hæc similitudo entis realis est tantùm in cognitione, quæ est ens reale, & quia cum de se sit repræsentatiua entis realis, applicatur non enti, ideò dicitur ens rationis habere similitudinem entis realis, quatenus per illam intellectus putat se cognoscere, quod est nihil, & putat habere illud esse, quod per illam similitudinem repræsentatur. Quare si ratione huius similitudinis ponenda esset aliqua analogia non esset inter ens rationis, & reale, sed inter vnum ens reale, & aliud, nempè inter illã similitudinem entis realis, quæ est in cognitione, & aliquod aliud ens reale. Motiuũ oppositæ sententiæ falsũ.

Soluuntur rationes in oppositum.

SECTIO III.

I. Licèt rationes in oppositum magnam difficultatem continere videantur, facilè tamen soluentur, si attendamus ad ea, quæ hucusque dicta sunt; & ad primam iuxta ea, quæ infra dicemus; Ad primum. negari posset inter Deum, & creaturam esse analogiam. in ratione entis, sed pro nunc admisso, quòd adsit huiusmodi analogia, est tamen dispar ratio; Quia licet sit infinita distantia inter Deum, & creaturam; est tamen distantia positiua, cu Cur inter ens reale & rationis repugnet analogia. ius extrema positiua sunt, quare quantum est ex parte extremorum, ex eo, quod positiua sunt, non iis repugnat analogia; cuius oppositum contingit inter ens rationis, & ens reale, quia distantia inter ipsa est negatiua; ens enim rationis, vt

dictum

dictum est, in se ipso consideratum, nihil est, vndè est extremum negatiuum, quod non potest fundare neque proportionem, neque habitudinem aliquam. Quare distantia ista inter ens rationis, & reale, non est propriè distantia quia distare supponit extrema, quæ distent; ens autem rationis, secundùm se consideratum, cum sit nihil, non distat ab ente reali; cum non habeat per quod distet. Hinc illa propositio, plus distat creatura à Deo, quàm ens rationis ab ente reali, non rectè vsurpatur, vt pote quia inter ens reale, & rationis, est distantia neq. etiam sunt similia in suo esse.

Ad secū dum II. Ad secundam rationem pro contraria sententia resp. Soncin. quæst. citat. Aliorū respōsio in resp. ad primū, quòd ad metaphysicam spectat considerare ens rationis consecutiuè, & secundariò, non autem per se, sed quatenus spectat ad ipsam considerare distinctionem proprii obiecti, nempè entis realis ab ente rationis. Verùm hæc responsio non satisfacit, nam non solùm spe-Reiicitur ctat ad metaphysicam considerare distinctionem entis rationis ab ente reali, sed etiam considerare ipsum ens rationis; ergo debet ad illā spectare ratione alicuius analogię, quam habeat ad ens reale, quod est obiectum proprium metaphysicæ. Pręterea siue ad metaphysicam spectat agere de ente rationis, siue non, certum est, quòd spectat ad aliquam scientiam, siue facultatem, cum multa de ipso tradantur; ergo vel debet esse obiectum alicuius sciētiæ, vel saltē habere analogiam ad ipsum: quocunque autem modo se habeat, debet esse analogicè ens, quia si constituit obiectum alicuius scientiæ, aut facultatis, debet participare aliquam rationem obiectiuam, quod non potest esse, nisi saltē sit analogicè ens, sic etiam, si spectat ad obiectum alicuius scientiæ, debet dicere aliam analogiam ad tale obiectum, quæ non potest illi conuenire, nisi etiam analogicè sit ens.

III. Igitur respondendum est. Spe-Vera responsio ctare quidem ad metaphysicam agere de ente rationis, non hinc tamen sequi, quòd analogicè sit ens. Ratio reddi potest, quia non spectat ens rationis ad Metaphysicā, tanquam aliquid in se cognoscibile, quia, cum nihil sit, neque etiam in se est cognoscibile; sed solum spectat ad ipsam, quatenus putatur cognoscibile ab intellectu; sicuti enim intellectus existimat esse Quomodo de ens rationis spectet ens; ita etiam existimat esse cognoscibile, cum non sit tale, hinc metaphysica sequitur modum concipiendi intellectus, & tractat de ente rationis, tanquam si esset ens reale, quia etiam si doceat, esse non ad metaphysicā ens conceptum ad modum entis, tamen dum docet esse non ens, format ens rationis, & hoc non ens, prout etiam subest similitudini entis realis, sub qua concipitur, adhuc concipit ad modum entis realis. Hinc etiam fit, quòd cum sit ens putatiuè, etiam ipsi tribuatur putatiua, & ficta analogia ad ens reale, non tamen veræ; Quare cum dicitur spectare ad metaphysicam ratione analogiæ, quam dicit ad ens reale, intelligi debet ratione analogiæ confictæ per intellectum, non autem veræ. Quia sicuti dum sit ens rationis, tribuitur ipsi ratio entis realis, ita etiam possunt tribui quæcunque conueniunt enti reali.

IV. Ad tertiam resp. eo pacto conuenire enti intelligibilitatem, quo conuenit Ad tertium ratio entis: vndè sicuti ratio entis conuenit enti rationis, non reuera in se, quasi sit ens in seipso intrinsecè, sed tantùm ex existimatione intellectus, qui putat esse ens, cum reuera non sit, sic etiam illi cōuenit intelligibilitas, existimatione videlicet intellectus, qui putat ens rationis habere intelligibilitatem, licèt non habeat. Pro quo, Aduertendum est, quòd quando intellectus intelligit ens rationis, Putatiuè enti rationis conuenit intelligibilitas. propriè non intelligit ens reale, quia id intelligit, quod ipsi per illam speciem, qua vtitur, repræsentatur, illa autem species est repræsentatiua entis realis; quia tamen tali repræsentationi putat intellectus subesse id, quod non est, dicitur intelligere non ens ad modum entis, in quo consistit ratio entis rationis; sic dum concipit tenebras ad modum cuiusdam nigredinis, verè concipit ipsam nigredinem, sed esse nigredinis conceptum, applicat tenebris, quæ non sunt nigredo: vndè ens rationis intelligitur, non intelligibilitate propria, quam habeat, prout est quid contradistinctū à cognitione, sed intelligibilitate entis realis, quæ relucet in cognitione, quare non sequitur, quòd analogicè participet rationem entis.

V. Hinc etiam patet ad quartam rationem, cum enim dicitur, ens rationis Ad quartum esse obiectum intellectus, non est obiectū ratione alicuius propriæ intelligibilitatis, aut rationis formalis obiectiuæ, quam habeat contradistinctam ab intelligibilitate, & ratione obiectiua entis realis, sed ea

ea intelligibilitate, vt diximus, quæ est entis realis, & relucet in cognitione, quod autem est analogicè tale, habet suum proprium esse analogum contradistinctū ab altero analogo, respectu cuius dicit attributionem, aut proportionem. Hinc etiam soluitur vltima ratio. Ens enim rationis in se nullo pacto est ens, sed tantū est ens ex deceptione intellectus, vnde, vt dictum fuit, tantùm putatiuè est ens; Hæc autem deceptio non facit, quòd aliquo pacto sit ens, neque dicit aliquam analogiam realem, sed tantum fictam; & sicuti, dum concipimus Angelum corporeum, non hinc sequitur, vt ratio corporis de ipso analogicè dicatur, ita dum nō ens concipitur ad modum entis, cum sit eadē ratio, non debet aliquo pacto de ipso analogicè dici. Cum autem Auctores oppositæ sententiæ afferunt Aris. cit. loco dictum est, quòd ibi non facit mentionem aliquam de ente rationis, vt patet legenti illum textum; quòd si aliquando videtur ex aliquo textu elici, ens rationis per ipsum esse analogum, explicādus est de analogia ficta per intellectū modo explicato.

Quomodò ens rationis sit obiectum intellectus.

VI. Quòd si quæras, an ens sit æquiuocum respectu entis rationis, & realis, breuiter respondendum est, quòd neque est æquiuocum, quia æquiuoca sunt illa, quorum nomen est commune, & secundū illud nomen ratio substantiæ est diuersa, at quam rationem substantiæ habet ens rationis, vt secundùm illam sit diuersum ab ente reali? quare in hoc non placet opinio Soncin. asserentis esse æquiuocū, Meliùs ergo dicendum est, quòd sicuti est tantùm ens per fictionem intellectus, ita etiam quicquid aliud ipsi conuenit, debet conuenire per figmentum intellectus: in hoc autem intellectus est liber, & potest fingere vniuocationem, & analogiam ad suum libitum. Quòd si quæras quid sequatur ex natura rei concepto solo ente rationis, & comparata illa ratione entis, quæ ipsi tribuitur ab intellectu, Resp. q̄ si attendatur habitudo illa, quā dicit illa ratio entis, quæ applicatur non enti, cum hæc ratio entis sit ratio entis realis, nōn potest esse nisi vniuoca, quia idem est vniuocum sibi ipsi, hęc tamen vniuocatio est vniuocatio ficta, quæ dicitur analogia, quia non habet in se fundamentum, seu obiectum correspondens.

Ens rōnis non est æquiuocè ēs

VII. Ex his ergo colligitur, quòd cū ens diuiditur in ens reale, & rationis, non est propriè vera diuisio, quia non adest aliqua ratio vniuoca, aut analoga, quæ diuidatur, sed solùm assignatur ens reale, sed diuerso modo nam in vno membro assignatur ens reale simpliciter sumptum, & in alio, applicatum non enti, & ideo non fit aliqua diuisio, quia id quod est in vno membro, est etiam in alio, sed diuerso modo, neque adsunt rationes diuidentes, vt iam ex dictis patet. Nunc de altera diuisione inquiremus, in qua diuiditur in ens increatum, & creatum; an videlicet sit vera diuisio, ita vt detur ratio aliqua communis, siue vniuoca, siue analoga, quæ ab vtroque membro participetur; an verò eodem pacto proportionaliter se habeat, sicuti præcedentes diuisiones.

An ens se habeat vt quid superius vniuocum abstrahens à Deo, & Creaturis. Disp. XXVIII.

Sententia affirmatiua.

SECTIO I.

I. Ens esse quid commune vniuocum Deo, & creaturis docuit Scot. in 1. dist. 3. quæst. 1 & dist 8. quęst. 3. §. *contra istam positionem*. Lychet. citat. dist. 3. Trombeta 4. met. q. 2. & cęteri Scotistæ iisdem locis, præsertim Recentiores. Maior etiam in 1. dist. 3. quæst. 5. Ocham. dist. 2. quæst. 9. Gabriel ibidem conclus. 2. Gregor. dist. 8 quęst. 3. art. 2. & cœteri Nominales. Asserunt autē hi auctores, quòd ratione conuenientiæ essentialis, quę est inter Deum, & creaturas in ratione entis, potest ab ipsis præscindi conceptus vnus communis vniuocus, dicens rationem entis. Imò nonnulli id asserunt etiam de conceptu substantiæ, præsertim Maior, & Gregor. qui etiam addit Deum esse sub genere substantiæ. Et quidem qui ponit vniuocationē entis inter Deum, & creaturas, non videtur quomodo possit negare vniuocationem substantię, cum eadem differentia sit inter rationem entis, quæ

Ens esse q d vniuocum D o, & creaturis Scot. Lychet. Tröber. Maior. Ocham Gabr. Gregor.

est in Deo & rationē entis, quæ est in creatura, ac sit illa, quæ est inter substantiā diuinam, & creatā; quòd si illa differentia relinquit conceptum communem vniuocum secundùm rationem entis, relinquit etiam secundùm rationem substantiæ. Imò non video, quomodo possit negari, quòd Deus sit sub genere substantiæ, si vniuocè conuenit cum substantiis creatis.

Fūdamēta huius setētiæ. II. Fundamenta autem huius sententiæ plura afferuntur ab his Doctoribus, & Primū. primò argumentatur Maior, quia à quacumque conuenientia essentiali potest præscindi vnus conceptus vniuocus, qui dicat illam conuenientiam: ergo cum inter Deum, & creaturas sit conuenientia essentialis in ratione entis, dabitur conceptus Secūdū. vniuocus entis. Secundò arguit Scotus, potest de Deo, & creaturis haberi conceptus entis distinctus à tali, vel tali conceptu, qui est proprius Dei, & creaturarum; ergo conceptus entis præscindit à Deo, & creaturis, & consequenter est vniuocus: Consequentia fundatur in hoc, quòd conceptus præcisus ab inferioribus descendat vniuocè ad ipsa. Antecedens autem probatur, quia potest quis de Deo, & creaturis esse certus, quòd sint ens: dubitare verò, an Deus sit ens infinitum, vel finitū, & sic de cœteris prædicatis, quæ sunt propria Dei; tunc autem habebit conceptum præcisum ab inferioribus, quia conceptus certus est alius à conceptu dubio.

Tertiū. Tertiò arguit idem Scotus ex absurdo, si enim ens non esset vniuocū Deo, & creaturis, sequeretur, quòd non posset naturaliter haberi aliquis conceptus essentialis de Deo, quod tamen est falsum; probat suam sequelam, supponendo imprimis, quòd intellectus noster pro hoc statu habet tantùm pro obiecto proportionato res sensibiles, quarum tantùm habet species; Rursus supponit, quòd non potest intellectus formare aliquem conceptum de re aliqua, nisi habeat speciē, ex vi cuius moueatur in cognitionem talis rei. Ex hoc autem concludit, quòd non potest haberi conceptus proprius de Deo, nisi iste conceptus ex vi speciei rei sensibilis repræsentetur, cum intellectus habeat tantùm species sensibilium; hic autem conceptus, qui repræsentatur de Deo ex vi speciei rei sensibilis, non potest esse conceptus Dei, vt Deus est; quia sicuti Deitas non continetur, nec formaliter, nec eminenter in re sensibili, ita nec per eius speciem potest repræsentari; ergò erit aliquis conceptus communis Deo, & rei sensibili, qui ex vi speciei ipsius repræsentetur, atque adeò erit conceptus entis. Si autem ens, quod est in Deo, non conueniret vniuocè cum ente, quod est in re sensibili, non posset repræsentari ex vi speciei rei sensibilis, quia esset diuersa ratio entis in Deo, & creatura sensibili; species autem rei sensibilis repræsentat omnem rationem illam entis quæ est in re sensibili.

III. Quartò arguit idem Scotus, quia Quartū. multa, quæ conueniunt creaturis, tribuimus Deo, demptis imperfectionibus; vt esse summum bonum, esse sapientem, esse ens, & ea cognoscimus formaliter inesse Deo: ergo, prout in se considerantur, vniuoca sunt Deo, & creaturis. Conseq. prob. quia, verbi gratia, in ente, quod tribuitur Deo, priùs intellectus noster mouetur ab aliquo sensibili ad concipiendā rationē entis sensibilis, deinde abstrahit, & cognoscit ens in se, hanc autem rationem entis sic cognitam tribuit, & applicat Deo; ergo, si ille conceptus entis in se consideratus non esset vniuocus, non posset tribui formaliter Deo, quia esset alius à conceptu entis, qui est in re sensibili; ille autem ipse conceptus entis, qui abstrahitur à re sensibili, tribuitur formaliter Deo. Et confirmatur, vel conceptus entis, qui tribuitur Deo, est eiusdem Confir. rationis cum conceptu entis, qui dicitur de creatura, aut diuersæ; si primum asseratur; iam dabitur conceptus entis vniuocus communis Deo, & creaturis. Si verò dicatur esse diuersus, tunc sequeretur, quòd etiā lapis posset dici formaliter de Deo. Ideò enim ens dicitur formaliter de Deo, quia ens, quod est in creatura, dicit attributionem ad ens, quod est in Deo, sed etiam lapis dicit attributionem ad ideam lapidis, quæ est in Deo: ergo poterit lapis dici formaliter de Deo.

Rursus quintò, argui potest, quia quo- Quintū. tiescumque nomen impositum est vnica impositione ad aliquid significandum, quod significatur, est aliquid vniuocum, in hoc enim differt ab analogo, quòd nomen analogum vnum per se primariò significat, & ex primaria impositione: aliud verò secundariò ex secundaria impositione, ob quandam proportionem; at nomen entis impositum est ad significandum æquè primò illud ens, quod est in Deo, & ens, quod est in creaturis; ergo ens est vniuocum Deo, & creaturis.

Opposita sententia, vt vera confirmatur.

SECTIO II.

Ens non esse vniuocum Deo, & creaturis. D. Th. Caiet. Ferrar. Capr. Bassolis D. Bonauent. Ægid. Roman. Durãd. Argent. Soto Fonseca Suarez. Vasquez Ruuius

I. ENS non esse quid superius vniuocum cum Deo, & creaturis communiter ferè omnes, exceptis nonnullis Scotistis, & Nominalibus, docent; atque hãc sententiam confirmant præcipuè D. Thomas 1. par. quæst. 13. art. 5. & quæst. 7. de potentia ar. 7. & 1. contra Gent. cap. 32. Caiet. & Ferrar. citatis locis, & Caiet. etiam cap. 1. de ente, & essentia quæst. 2. Capr. in 1. dist. 2. quæst. 1. conclus. 9. Bassolis in 1. dist. 8. quæst. 1. §. propter istas D. Bonauent. Aegid. Roman. Duran. Argent. & alij Theologi dist. 25. & 26. vbi docent nihil vniuocum posse Deo, & creaturæ conuenire. Præterea Soto in prædicam. cap. 4. quæst. 1. conclus. 4. Fonseca 4. Metaph. cap. 2. quæst. 2. sect. 4. Suarez in Metaph. disp. 28. sect. 3. n. 5. Vasquez 1. par. disp. 21. cap. 3. & sequent. Ruuius in logica tract. de analog. quæst. An ens sit vniuocum, & par. 2. Atque hanc sententiam tenent ij omnes, qui putant ens esse analogum respectu substantiæ, & accidentis, quos infra suo loco referemus.

Conclusio. Ens nõ ẽ vniuocum Deo, & creaturis.

II. Cum quibus ponimus nostram conclusionem, & statuimus, ens vt sic communissimè sumptum non esse quid superius vniuocum Deo, & creaturis. Antequam autem hanc nostram conclusionem confirmemus. Supponendum est, quod ad rationem vniuocam requiritur aliqua ratio formalis, quæ à pluribus participetur, siquidẽ vniuocũ est aliquid commune pluribus, quod ad ipsa descendit, tanquam superius ad sua inferiora; verùm non sufficit quæcunque vnitas in ratione communi, neque quicunque modus participationis; sed requiritur vnitas

Quid requiratur ad vniuocationem.

indiuisibilitatis, ex vi cuius, ratio vniuoca consistat in indiuisibili; quia hoc est peculiare cuicumque formalitati, statim enim ac ponitur aliqua diuisibilitas, aut diuersitas in rationibus formalibus, tollitur vnitas, & multiplicantur rationes formales: vt ergo ratio vniuoca sit vna, debet consistere in indiuisibili. Rursus modus participationis debet esse talis ratio, quæ æqualiter participetur à suis inferioribus, & secundùm totam perfectionem, secundùm quam concipitur esse in vno, concipiatur etiam esse in altero, atque hoc prouenit ex ipsa indiuisibilitate, & perfecta vnitate rationis vniuocæ, quæ eadem, & indiuisibiliter, seu secundùm se totam descendit ad quodlibet inferius.

III. Quòd ergo spectat ad probationem conclusionis. Quidam procedunt ex eo, quòd ens ex natura sua sit analogum, sed falsum assumunt, vt ostendemus, quia respectu substantiæ, & accidentis dicitur vniuocè. Alia ergo via procedendum est, & rationes desumendæ sunt ex parte ipsius Dei, & creaturæ. Optimè autem argumentari possumus ex eo, quòd Deus est ens imparticipatum; Ex quo prima ratio efficax desumitur; quia vniuocum cõmune pluribus debet esse vna simplex, & indiuisibilis ratio formalis, sed non potest dari aliqua vna ratio entis indiuisibilis communis Deo, & creaturis; ergo ens non est vniuocum Deo, & creaturis. Maior est certa, vt patet ex modò dictis. Minor verò declaratur; nam ratio communissima entis, quæ à creatura participatur, intrinsecè est aliquid participatum, ita vt esse participatum dicatur de suprema ratione entis, quod de creatura prædicatur. E contra vero ens, quod dicitur de Deo vt tale, est imparticipatum; ergo diuersa est ratio entis, quæ dicitur de Deo ab ea, quæ dicitur de creatura, & cõsequenter non datur vna ratio communis entis vniuoca Deo, & creaturis.

Prima ratio.

Deus, & creatura non habẽt eãdem indiuisibilẽ rationẽ entis cõmunem.

IV. Occurret autẽ aliquis, & dicet; quod esse participatũ, & in participatũ sũt differẽtiæ Dei, & creaturæ, vnde datur adhuc ratio entis communis Deo, & creaturis, quæ distincta à differẽtijs vniuocè se habet. Verùm impugnatur huiusmodi responsio, ac magis confirmatur præcedens ratio, nam creatura secundùm totam suã latitudinem, est aliquid participatum; ergò etiam secundùm rationem entis, & consequenter ens, quod dicitur de creatura est aliquid participatum, & diuersum ab eo, quod dicitur de Deo. Et confirmatur, quia creatura nedum participat à Deo tale esse, sed etiam participat esse ens, & secundùm ipsam rationem entis producitur à Deo, ergo illud ens, ratione cuius, creatura est aliquid, & quod de ipsa prædicatur, est aliquid participatum. Cõfirmatur secundò, quia animal ex se non est rationale, ideo etiam, prout est in homine, neque dicit formaliter rationalitatem; & è contra, si prout est in homine diceret formaliter rationalitatem, etiam præcisum illam diceret, nec esset illud animal, quod dicitur de Leone; ergo cum ens

Impugnatur quædã respõsio

Creatura etiam secundũ formalẽ rõnem entis est quid participatum

quod

quod est in creatura, etiam formaliter, & reduplicatiuè sit quid participatum, siquidem secundùm rationem entis etiam accipit esse, non potest esse illud ens, quod dicitur de Deo.

II. Ratio

V. Secunda ratio ex eodem capite desumitur, nam quotiescumque aliquid dicitur vniuocè de pluribus, ita se habet respectu vniuscuiusque ipsorum, vt possit ab vnoquoque præscindi, absque eo, quòd includat aliquid peculiare de illo, à quo abstrahitur: quod solet dici, quod ratio vniuoca præscindit à differentiis, atque hoc prouenit ex eo, quòd ratio vniuoca est vna, & indiuisibilis; sed neque à Deo, neque à Creaturis potest abstrahi ratio entis omnino præcisa à differentiis, ita vt nihil proprium Dei, aut creaturæ includat; ergo non potest dari ens commune vniuocum Deo, & creaturis.

Ratio entis in Deo nō præscindit à differentiis ipsius, nec etiā in creatura.

Minorem autem facilè ostendimus, nam quandò præscinditur ratio entis à Deo debet concipi Deus tantum secundum rationem entis, sed secundùm illam, quæ est in Deo, ergo debet concipi ratio entis infinita, quia ratio ipsa entis, vt talis est, quæ est in Deo, est infinita, cum infinitas sit modus essendi imbibitus formaliter in quacumque ratione, quæ est in Deo. Et confirmatur: quia quicquid est in Deo, est infinitum, & Deus, secundùm quamlibet rationem consideratus habet infinitatem, ita vt si consideretur misericordia, quę est in Deo, in ratione misericordiæ sit infinita, & sic de reliquis rationibus; ergo etiam ratio entis, quæ est in Deo, in ratione entis est infinita; ergo quando præscinditur ratio entis, quę est in Deo, debet præscindi aliquid infinitum. Rursus quicquid est in creatura est aliquid participatum, & finitum; ergo etiam ratio entis; & consequenter quando præscinditur ab ipsa ratio entis, debet præscindi aliquid participatum. Et confirmatur, quia si nō præscinderetur aliquid participatum, non præscinderetur id, quod est in creatura, cum autem sit aliqua pręcisio, debet præscindi id, quod est in obiecto, à quo fit præcisio.

Satisfit obiectioni.

VI. Dices: nonne potest pręscindi sola ratio entis, absque eo, quòd concipiatur ratio participati, aut imparticipati? Respondetur non posse, quia quando præscinditur ratio entis à Deo, & creaturis, debet præscindi illa ratio entis, quæ est in Deo, & creatura, ratio autem entis, quæ est in Deo, vt ratio entis est, includit intrinsecè esse infinitum, & ratio entis, quæ est in creatura, includit intrinsecè, secundùm quod ratio entis est, esse participatum, quia creatura, vt ens est, se habet vt quid participatū, & Deus, secundùm quod est ens, est ens per essentiam.

Ratio entis in Deo intrinsecè infinita & in creatura intrinsecè participata.

Quod amplius confirmatur, quia, esse tale per essentiam, est constitutiuum entis, vt ens est in Deo: & esse tale per participationem est constitutiuum entis, quod est in creatura, ita vt ratio entis, quæ est in creatura, constituatur in esse entis, per id, quod est aliquid participatū ergo dum concipitur ens, quod est in Deo, aut creatura, non potest concipi, nisi concipiatur ratio participati, & imparticipati; seu entis per essentiam: sicuti non potest concipi rationalitas, nisi cōcipiatur principium discursiuitatis. Præterea si conciperetur ratio entis, quæ est in creatura, non concipiendo esse participatum, non conciperetur ipsa ratio entis, nam in creatura ipsum esse ens, est esse quid participatum à Deo; quare esse participatum est constitutiuum entis, & intrinsecè imbibitur in ipsa ratione entis quomodo ergo potest pręscindi ratio entis ab esse participato, aut imparticipato?

Confir.

VII. Confirmari etiam potest ratio principalis. Sumatur illud ens, quod dicitur præscindere à Deo, & creaturis, & de hoc inquiro, an sit à se, vel ab alio; si est à se; ergo est ens imparticipatum, & infinitum, & consequenter non præscindit ab eo, quod est proprium Dei; si verò est ab alio; ergo est participatum, & non præscindit ab eo, quod est proprium solius creaturę. Neque potest dici, quòd neque sit à se, neque ab alio; sed ab vtroque præscindat, quia ens dicit id, quod habet esse, implicat autem concipere habere esse, & non concipere habere esse, vel à se, vel ab alio: tum quia esse à se dicit non habere dependentiam, esse verò ab alio, dicit habere dependentiam, quæ sunt contradictoria, & cadunt supra ipsum esse, ex contradictoriis autem necessè est alterum ipsorum inesse, nec datur aliquid præscindens ab ipsis, vndè illud ens commune debebit, vel habere dependentiam, & sic non conueniet Deo, vel habere annexam negationem illius, & tunc non conueniet creaturæ; tum etiam quia in ipsamet ratione entis fundatur, vel affirmatio dependentiæ, vel negatio eiusdem, vnde ipsa ratio entis debet intrinsecè includere rationem, secundùm quam talem ne-

Non datur ens pręscindens a eo, quo sit a se, vel ab alio.

negationem, vel affirmationem fundet. Deniquè si præscinderetur à Deo ratio entis, quæ non esset propria ipsius, præscinderetur à Deo aliqua formalitas, quæ nō esset quid diuinum, & per consequens, eum hęc ratio pręcisa sit aliquid reale, esset in Deo aliquid reale, quod ex se formaliter non esset diuinum, aut præscinderetur aliquid, quod non esset in Deo.

Tertia ratio.

VIII. Tertia quoque ratio efficax est desumpta ex proprietate entis creati, & increati, quia illa ratio entis, secundùm quam creatura est ens, & aliquid reale, nō potest prędicari de Deo, & è contra illa ratio entis, secũdùm quam Deus est ens, non potest prędicari de creatura; ergo nō datur aliqua ratio entis vniuoca Deo, & creaturis. Consequentia est euidens, quoniam in vniuocis ratio, quæ ab vno inferiorum abstrahitur, & secundùm quā tale est, prædicatur etiam de alijs inferioribus participantibus eamdem rationem vniuocè; sic animal quod præscinditur ab homine, quia vniuocè dicitur de equo, leone, & alijs, potest etiam prędicari de ipsis, ita vt quandò prędicatur, dicatur de leone, equo, & alijs id, quod etiam est in homine; & fundatur in eo, quia ratio vniuoca est vna indiuisibiliter participata à pluribus, quare ratio vniuoca, quæ reperitur in vno vniuocorum, debet etiam participari ab alio. Antecedens autem ostenditur, quoniam totum id, quod est in creatura, intrinsecè est finitum, participatum, & communicatum, & ratio participati, & communicati, ne dum entitatiuè dicitur de creatura; sed etiam de qualibet formalitate ipsius; siquidem creatura secundùm omnem suam formalitatem est aliquid participatum, & pręcipuè secundùm quam est aliquid; si enim secundū illam rationem formalem, ex vi cuius formaliter constituitur in esse reali, non esset quid participatum, iam creatura ex se esset realis. Quomodo ergo ratio entis, quæ est in creatura, & secundùm quam constituitur in esse reali, potest prędicari de Deo? Sic etiam è contrà ratio entis, secundùm quam Deus constituitur in esse reali, debet esse à se, & quid imparticipatum, alioquin Deus non esset quid reale ex se; ergo non potest prædicari de creatura.

Ratio, quæ prædicatur de vno vniuoco, prædicatur etiā de alijs.

Creatura secundùm omnē suā formalitatē est quid participatū.

Confir.

IX. Atque hinc elicitur valida confirmatio pręcedentis rationis, vt enim inter aliqua saluetur vniuocatio, debet etiam saluari perfecta connenientia in aliqua ratione, quę ab omnibus participetur ęqualiter. At inter Deum, & creaturas non potest esse ista perfecta conuenientia, neque in ratione entis, neque in aliqua alia ratione; ergo neque potest esse aliqua vniuocatio. Minor declaratur, quia quicquid est in creatura, est aliquid participatum, creatura enim adęquatè secundùm totum suum esse est quid participatum, & omnis perfectio, quam dicit, non dicit ex se, sed illam habet à Deo participatā, & multò magis ipsum esse aliquid reale, seu esse ens; quare qnicquid de tali esse creaturæ concipitur, semper concipitur, vt aliquid communicatum. Econtra autem in Deo, cùm secundùm totum suum esse adęquatum sit reale per essentiam, & infinitum; quicquid de tali esse concipitur, debet dicere aliquid imparticipatum; cum igitur participatum, & per essentiā infinitè inter se distent, nō potest aliquid concipi in creatura, secundùm quod perfectè cum Deo conueniat; ablata autem hac perfecta conuenientia, tollitur etiam vniuocatio, quia hæc dicit vnam rationē perfectè, & æquali modo ab omnibus participatam.

In nulla ratione inter Deū, & creaturam perfecta cōuenientia.

Quarta ratio.

X. Quartò probatur, quicquid est in creatura, si comparetur ad Deum, & præcipuè si comparetur ratio entis, qua creatura ens est, ad ipsam rationem entis, qua Deus ens est, se habet vt quid longè inferius, & est aliquid, seu est ens per participationem entis per essentiam, quæ tamen participatio fit longè inferiori modo. Deus enim est ens per rationem entis, quæ est talis per essentiam, ex qua creatura aliquid participans constituitur in ratione entis, vndè hæc participatio non adęquat rationem entis, qua Deus ens est; ergo in ratione entis non potest esse vniuocatio inter Deū, & creaturas. Quod autem dicitur de ratione entis, intelligi debet etiam de cœteris rationibus, quia omne id, per quod Deus in tali esse constituitur, est tale per essentiam. Consequentia probatur, quia quandò aliqua ratio est vniuoca respectu plurium; non descendit per prius ad vnum, ita vt cœtera sint talia participando aliquid de ipso, sed æquè perfectè ratio vniuoca est in omnibus.

Creatura in nulla ratione adæquat Deum.

XI. Atque hęc ratio coincidit cum illa, qua vtitur S. Th. locis initio sectionis citatis: ait enim, quod effectus non adæquans virtutem causæ agentis, secundùm illam rationem, secundùm quam est effe-

ctus:

Effectus non adequans virtutē causæ non est vniuocus. ctus, non est vniuocus cum causa, sed recipit similitudinem causæ deficienter, & inadæquatè; sed creaturę in ratione entis sunt effectus Dei, & non adæquant virtutem causæ, etiam secundùm hanc rationē entis; ergo in ratione entis non possunt vniuocè conuenire cum Deo. Minor aliter confirmari non potest, nisi ex ijs, quæ supra diximus, nempè quia ens, prout est in creatura, intrinsecè est quid participatum, atque finitum, & limitatum, creatura enim etiam in ratione entis. est finita. in Deo vero ratio entis est imparticipata. & ens per essentiam. atque infinitum. Contra hanc autem rationem,

Obiectio Suarez diluitur. & alias huiusmodi obiicit Suarez supra citato numero 9. quòd nimium probant; dum inferunt ens, nedum esse vniuocum Deo, & creaturis, sed neque esse quid superius analogum, quæ etiam obiectio fieri posset contra rationes omnes, quas hucusque adduximus, sed nos libenter concedimus hoc totum probare, nam vt disputatione sequenti ostendemus, neque ens esse quid superius Deo, & creaturis analogicè descendens.

Confir. XII. Confirmat autem hanc suam rationem D. Thomas 1. contra Gentil. cap. 32. vbi ait, quòd etiam si effectus pertingat ad speciem causæ, non tamen est vniuocus cum ipsa, nisi obtineat eandem speciem, & formam simul cum eo dem modo essendi, vnde domus, quæ fit ab artifice, non est vniuocè domus cum ea, quæ est in Idea, licet vtriusque sit eadem forma, quia vtraque non habet eundem modum essendi; sed ratio entis, quę est in creatura, non habet eumdem modum essendi cum ratione entis, quę est in Deo, ergo non conueniunt vniuocè Deus & creatura in ratione entis; Quod ratio entis, quę est in creatura. non habeat eumdem modum essendi cum ratione entis, quæ est in Deo, patet, quia in creatura participato, & finito modo existit, in Deo vero imparticipato, & infinito modo.

Effectus vniuocus debet habere eādem modum essendi cū causa.

Alia Confir. XIII. Rursus ex alio cap. hanc sententiam D. Tho. ibidem confirmat, quia videlicet, quandò aliquid vniuocè de pluribus prædicatur, est aliquid simplicius quolibet ipsorum, saltem secundùm rationem, nam ea, de quibus prædicatur, componuntur ex tali ratione vniuoca, & ex ratione propria, quæ est compositio tationis. Rursus ea, de quibus ratio vniuoca prędicatur; sunt talia, qualia ex il-

Quod vniuocè la ratione formaliter constituuntur per participationem, participando videlicet illam rationem vniuocam communem, hæc autem pugnant cum ipso Deo; nam cum Deus sit omnium excogitabilium simplicissimus, implicat, etiam secundùm rationem, quod concipiatur aliquid simplicius ipso, quia tunc non haberet simplicitatem omnium perfectissimam: rursus repugnat Deo, quòd habeat aliquid per participationem, quia quicquid est, ex se tale est, atque ipsi nedum repugnat participatio ab alio à se ipso didincto, sed etiam quæcunque participatio excogitabilis, quia omnis participatio dicit limitationem in re participata.

prædicatur, est quid simplicius ijs, de quibus prædicatur.

V. ratio. X.V. Denique efficacissima ratione probari potest hęc sententia singularitas est essentialis ipsi Deo, sicuti etiam existentia, & quia existentia, & singularitas afficiunt totum esse rei, sequitur, quòd Deus secundùm omnes suas rationes, quę in ipso excogitari possunt, singularis sit essentialiter, quia sicuti in creatis vnaquæq; res est singularis secundum omnes suas rationes per indiuiduationem super additam naturæ, ita Deus per singularitatem sibi essentialem singularis est secundùm omnes suas rationes, ita vt vnicuique singularitas essentialis sit. Ex hoc autem fit, quòd in nullo possit vniuocè cōuenire cum creatura, quia ratio vniuoca communis pluribus debet posse præscindi à quacunque ratione, quæ sit propria inferiorum, & præsertim à singularitate. Si igitur ratio entis, quę est in Deo, est essentialiter singularis, semper imbibet in sua intrinseca ratione singularitatem nec vnquam poterit ab ipsa præscindere & ideo nec esse vniuoca Deo, & creaturis Et potest etiam hæc ratio confirmari; si ratio entis, aut quælibet alia præscindere posset in Deo à singularitate, ita vt ratio entis, qua Deus est ens, abstrahi posset ab ipsius singularitate, sequeretur, quòd aliquid, quod est in Deo posset non esse Deus quod non solum falsum est entitatiue loquendo, sed etiam formaliter, quælibet enim formalitas, quæ in Deo concipi potest, ita est essentialiter Deus & in ipso existens, vt non possit non esse Deus. Huiusmodi verò sequela declaratur, nam si ratio entis, aut quęlibet alia abstraheret à singularitate Dei, tanquam aliquid vniuocum, ratio illa, quæ esset in Deo, in præcisione haberet ex natura sua quòd posset esse cum singularitate

Deus secundum omnes suas rationes essentialiter singularis.

creaturæ, & sic posset esse in creatura, & non esset Deus: ratio enim; quæ abstrahit à pluribus singularitatibus, ita, quantùm est de se, potest esse cum vna, vt possit etiam esse cum alia, & sic ratio entis, quæ est in Deo posset esse cum creatura, & non esse *Deus*.

Soluuntur rationes in oppositum.

SECTIO III.

Ad primum.

I. AD primum oppositæ sententiæ concesso assumpto, negatur inter Deum, & creaturas esse conuenientiam essentialem in ratione entis, aut in aliqua alia ratione, siquidem, vt modò ex *D.* Thoma dicebamus, licet creatura obtineat per participationem aliquam formã, seu rationẽ à Deo sm̃ speciẽ non tamẽ secũdum modũ, quia illa ratio in Deo est infinita, imparticipata, & talis per essentiam, In creatura verò est finita, participata; vndè habet diuersum modum essendi, quæ diuersitas sufficit ad tollendam conuenientiam essentialem, præsertim vniuocam, huiusmodi enim modi essendi variant essentialiter illas rationes. Prętereà etiam si esset conuenientia aliqua essentialis, non tamen poneretur aliqua vniuocatio inter Deum & creaturas; quia non omnis conuenientia essentialis ponit vniuocationem, sed vlterius requiritur, quòd ratio participata sit æqualiter in omnibus; quod ideò dixi propter communem opinionem, prętertim recentiorum, qui concedunt posse rationem aliquam communem intrinsecè, & inęqualiter à pluribus participari, quod ego falsum puto, nam cum quęlibet ratio formalis consistat in indiuisibili, si semel ab aliquibus intrinsecè participatur, debet æqualiter, & secundùm se totam ab omnibus participari. Quocirca distinguendum est de conuenientia in aliqua ratione communi essentiali, & de conuenientia in aliqua proportione, prima conuenientia non est inter Deum, & creaturas, quia secundum nullam rationem creatura est æqualis Deo; Secunda autem conuenientia non sufficit ad vniuocationem. Quomodo autem creatura, & Deus in ratione entis se habeant inter se videbimus infra.

Inter Deum, & creaturas nõ est conuenientia essentialis

Ad II. Caiet. Ferrar.

II. *S*ecundã rationẽ in oppositum soluũt Caietanus, & Ferrariẽsis loc. supracit. distinguendo de alietate conceptus, alius enim est conceptus qui est ita alius ab inferioribus, vt perfectè ab ipsis præscindat, alius verò est conceptus, qui ita est alius ab inferioribus, vt non perfectè præscindat ab ipsis, primum asserunt sufficere quidem ad constituendam rationem vniuocam, non verò secundum. quare concedunt conceptum entis certum de pluribus esse alium secundo modo, videlicet non perfectè pręcisum ab inferioribus, & ideò non esse vniuocum. Sed licet hęc responsio rectè procedat, quatenus asserit ens non perfectè præscindere a differentijs, seu ab iis quæ propria sunt creaturę, & Dei, quia semper in ente, quod dicitur de creatura imbibitur modus essendi creaturæ, nempè tanquam aliquid participatum; & in ente, quod dicitur de *Deo*, imbibitur modus essendi ipsius, nempè esse talem per essentiam; non tamen quò ad reliqua rectè procedit. nam vel concedit conceptum entis analogum præcisum à Deo; & creaturis, vel non concedit, si primum, tunc falsum admittit, vt ostendemus disputatione sequenti; & etiam ipsi negant, dari conceptum analogum superius Deo, & creaturis, sed tantùm creaturam esse analogicè ens, quatenus habet aliquam proportionem ad Deum; si verò non concedit, tunc non soluit probationem Scoti, cum ait, posse aliquem esse certum de primo principio, & creaturis, quòd sint entia, dubitare verò, an sint finita, vel infinita; ex quo concludit, quòd detur conceptus superior entis Deo, & creaturis.

Reijcitur alia responsio.

III. Respondetur igitur negando dari illum conceptum entis distinctum à *Deo*, & creatura, vt vtrique communem: quod amplius disputatione sequenti declarabimus, & hoc etiam potest colligi ex supra dictis, quia alia est ratio entis in Deo, & alia in creatura. Vndè ad probationem dicimus, quòd si quis haberet conceptum entis certum, quem tribueret Deo, & creaturis falsum conciperet; dum eamdem rationem entis, quam tribuit creaturę, tribueret etiam Deo, cum sit diuersa; imò neque esse ens conuenit Deo, vt infrà ostendemus; rursus etiã falsum conciperet quia rationẽ aliquã superiorẽ Deo, & creaturis, cõmunẽ cõciperet, quæ tñ nõ potest dari, vt etiam ostendemus, vndè non est mirum, si secũdũ falsam cõceptionẽ posset haberi

Vera responsio.

Deus, & creatura non habent conceptum entis communem

con-

conceptus communis Deo, & creaturis in ratione entis, quia tali pacto possumus etiam concipere Deum esse corpus, & alia huiusmodi ipsi tribuere. Si autem concipit sine falsitate, non potest habere conceptum communem de Deo, & creaturis, seu esse certum, quòd eadem ratione entis Deus, & creatura entia realia sint, Sed solùm poterit habere conceptũ certum de Deo, q fit, & quòd etiam creatura sit quid reale, vterque tamen diuersa ratione entis. quo stante non sequitur, quod detur iste conceptus præcisus entis à Deo, & creatura.

Ad III. Non potest naturaliter haberi conceptus proprius de Deo. D.Dam.

IV. Ad tertiam autem rationem responderi posset, naturaliter non posse haberi conceptum proprium de Deo, iuxtà illud, quod ait Damascenus libro primo de Fide, cap. 4. *De Deo tamen, quid est secundum substantiam dicere impossibile*, sed hoc latius disputatione sequenti. Interim dicimus, quòd aliud est, habere conceptum proprium de Deo essentialem, & aliud cognoscere de Deo aliquid per propriam speciem. Hoc secundum negamus, posse fieri aliquo modo iuxtà modum operandi naturalem, ratio autem Scoti procedit tantùm de cognitione propria, hoc est per propriam speciem, quod ex eo patet, quia in tantum asserit, non posse haberi, nisi Deus esset vniuocè ens, quia species rerum sensibilium, quatenus repræsentat illa, vt entia sunt, non repræsentaret propriè Deum in ratione entis, cum de se sit tantùm repræsentatiua entis, quod est in rebus sensibilibus, quod nos libenter concedimus, quia Deus secundùm nullum prædicatum per propriam speciem cognoscitur.

Naturaliter nõ potest Deus cognosci p propriã speciem

V Cum autem dicitur, quòd Deus est naturaliter cognoscibilis propria cognitione, non intelligi debet de cognitione per propriam speciem, sed solùm de cognitione, quæ quocunque modo exprimat aliquem conceptum quidditatiuum Dei per alienam speciem, quod patet, quia cognoscimus aliquid proprium eo modo, quo possumus cognoscere de Deo, vt Deus est; videlicet, quòd sit ens per essentiam, & alia huiusmodi, quæ concipimus per alienam speciem: nam species rerum sensibilium, cum sint repræsentatiuæ tantùm ipsarum, quæ nec eminenter, nec formaliter continent esse ens per essentiam, esse infinitum, nec etiam possunt id repræsentare in Deo propria repræsentatione, dum illis vtimur ad intelligendum Deum. Vel dicendum est cum Caietano citato loco de ente, & essentia, cum dicitur, Deum esse naturaliter cognoscibilem per creaturas, intelligi debet, quod ex cognitione creaturarum deueniamus in cognitionem Dei iuxtà illud Apost. *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. hoc autem non dicit, quòd cognoscatur Deus, quatenus formaliter repræsentatur à creaturis secundùm aliquam rationem, in qua vniuocè conueniant; sed solùm, quòd ex creatura, tanquam ab effectu, deueniatur in cognitionem Dei, quatenus creatura habens esse participatum ducit in cognitionem causæ, tale esse communicantis, atque adeo deueniendum in aliquod habens esse per essentiam, ad quod non requiritur aliqua conuenientia vniuoca. Imò addo, quòd illud ipsum ens, quod imbibitur in rebus sensibilibus, non potest per propriam speciem intelligi, si intelligatur, vt quid præcisum à cæteris rationibus, cum quibus coniungitur in re sensibili: & ratio manifesta est, quia intellectus non habet propriam speciem illius præcisè considerati, sed tantùm totius rei sensibilis, quare ad hoc vt intelligatur ens ita præcisum, debet vti aliqua alia speciè, qua tantùm ens vt sic sibi repræsentet.

Quomodo Deus sit naturaliter cognoscibilis.

Caiet.

Ad Roman. 1.

Ex creaturis potest cognosci Deus.

VI. Ad quartam rationem Respondet Caietanus citatus, quando ex creaturis procedimus ad cognitionem Dei, & quod in ipsis reperimus, tribuimus Deo per hunc processum concipere nos aliquid, quod sit in creaturis, quod deinde demptis imperfectionibus tribuimus Deo; ex quo fit, quòd in termino præcisionis non remaneat aliquid vniuocum, sed analogum, quòd prouenit ex eo, quod imperfectiones tolluntur; quod non sic prouenit in lapide, quia ex ipso non potest remanere, neque aliquid analogum, quod sit in Deo; quia Idea lapidis non est lapis formaliter, quia loquimur de rationibus quidditatiuis, sed tantùm similitudo lapidis. Et quidem non video, quomodo Scotus velit demptis imperfectionibus, seruari in eadẽ ratione vniuocationem, quia dum demuntur imperfectiones, non solũ debet auferri aliquid negatiuum, sed etiam illud posi-

Ad IV. Caiet.

Demptis imperfectionibus ab iis, quæ sunt in creaturis non seruatur vniuocatio ad Deum.

sitiuum, nempè illud, in quo fundabantur huiusmodi imperfectiones, atque ex hoc sufficienter soluta est ratio facta in oppositum.

eo nō ebent ibui p fectiōes eatur m sed liquid quiua ens.

VII. Sed si magis secundùm veritatē oqui velimus, dicendum est, quòd ad cognitionem Dei deuenimus, non tribuendo ipsi aliquid, quod sit formaliter in creaturis, sed aliquas alias rationes, quas quidem inuestigamus ex iis, quæ sunt in creaturis, quia videntes aliquam perfectionem esse in creaturis, cum Deus sit omnium perfectissimus, & debeat habere omnes perfectiones, tribuimus ipsi non illam, sed aliam æquiualentem, quam tamen eodem nomine explicamus, sic in ratione entis videmus creaturas habere aliquam perfectionem, & hanc esse summam perfectionem in ipsis, imò fundamentum omnium perfectionū; perfectionē autem æquiualentem tribuimus Deo, quam nomine entis appellamus; hæc autem æquiualentia non est iuxta quantitatem perfectionis, quia longè superemiet, sed quia est perfectio, quæ infinito modo facit in Deo id, quod finito modo facit talis perfectio in creatura, quod autem non sit eadem perfectio, quæ tribuitur Deo, patet, quia ab ipsa debent remoueri omnes imperfectiones, & consequenter etiam illud positiuum, in quo fundantur, vt modo dictum est. Rursus etiam debet addi aliqua perfectio, nempe illa, quam dicit modus essendi infinitus, & per essentiam, quem habet, vt est in Deo; quis autem nou videat, variari istam rationem, & aliam euadere, si quidem in rationibus formalibus omnis diuersitas, ita ipsas variat, vt alias rationes constituat? non potest autem in Deo aliquid nomine lapidis nominari, seu tribui aliquid æquiualens lapidi, quod nomine lapidis nominetur, quia lapis habet repugnantiam cum Deo, nam vt talis est, dicit naturam limitatam, quod enim sit lapis oritur ex limitatione talis esse, quod participat; & licèt esse lapidem, dicat perfectionem, quia tamen ista perfectio ex genere suo est participata, & limitata, ita vt non sit capax modi essendi infiniti, ideò non potest tribui Deo. Solùm enim illę perfectiones tribuendæ sunt Deo eo modo, quo diximus, per æquiualentiam, quæ, si concipiantur coniungi cum modo essendi infiniro, non destruuntur secundùm nostrum modum concipiendi, licet re vera aliæ euadant; ratio enim formalis sapientiæ, verbi gratia, coniuncta cum modo essendi infinito alia euadit, nos tamen illa adhuc ad modum sapientiæ, superaddita tamen infinitate intelligimus. Atque ex his patet etiam ad confirmat. ille enim conceptus entis, qui tribuitur Deo, est diuersus, nec sequitur posse lapidem dici fomaliter de Deo ob rationem modo explicatam.

Quæ perfectiōes Deo tribuendæ

VIII. Ad vlimam respondetur, quòd adhoc, vt significatum per nomen, si vniuocum, debet nomen ita esse impositum vnica impositione, vt etiam sit impositum ad significandam vnicam rationem in pluribus, quæ sit perfectè vna vnitate formalitatis, non proportionis. Modo in casu nostro nomen entis non est impositum vnica impositione ad significandam aliquam rationem perfectè vnam in Deo, & creaturis, quia vt ostensum est, non potest dari ista perfecta conuenientia inter Deum, & Creaturam; sed si loquimur de impositione, prius impositum est ad significandam rationem entis obiectiuam in creatura, & deindè hoc nomine appellata fuit perfectio illa Dei, per quam est esse per essentiam, & qua æquiualet creaturis, quatenus sunt aliquid reale; vndè si consideretur hoc nomen Ens, quatenus etiam tribuitur Deo ad explicādam suam realitatem, id, quod per ipsum significatur, per prius dicitur de Deo quatenus est aliquid superexcedens esse creaturæ, & quod creatura participans constituitur in esse reali, vt etiam docet D. Thomas, prima parte, quæstio 13. articolo 6. in corpore.

Ad V.

Ens quo modo dicatur de Deo, & creaturis.

An ens sit quid analogum respectu Dei, & creaturarum.

Disputatio. XXIX.

Ens esse analogum ex communi sententia.

SECTIO I.

Ens esse analogũ respectu Dei, & creaturę aliorum opinio.

I. DOctores, quos disputatione pręcedenti sectione 5. pro secunda sententia citauimus, cùm negent, ens esse quid vniuocum respectu Dei, & creaturarum, asserunt postea esse quid analogum. Verùm non conueniunt inter se in explicanda hac analogia. Quidã enim asserunt, ens ita esse analogum, vt dicat conceptũ communem, tum Deo, tum creaturis, inæqualiter tamen participatum. Quidam vt Ferrar. 1. contra Gent. cap 34. §. *Si autem loquamur de conceptu imperfectio,* & Fons. 4. metaph. cap. 4. quæst. 1. sect. 7. Suarez in metaph. disp. 28. sect. 3. num. 26. asserunt, quòd interueniat analogia attributionis, quâ creatura dicitur ens per ordinem ad Deum. Distinguunt tamen duplicem analogiam attributionis; aliam, in qua forma, seu id, quod formaliter significatur per nomen analogum, est tantum formaliter, & intrinsecè in vno analogato, in aliis verò extrinsecè, vt sanitas est tantùm intrinsecè in animali, in medicina verò, & aliis analogatis extrinsecè tantũ: aliam verò ponunt analogiam attributionis, in qua id, quod per nomen significatur, est formaliter in quocunque analogato, sed per prius est in vno, & in aliis per attributionem ad ipsum. Analogia ergo inter Deum, & creaturas in ratione entis non est prioris generis, quia creatura intrinsecè est ens, sed posterioris.

Ferrar. Fonseca Suar.

Duplex analogia attributionis

II. Suarez autem notat aliquas differentias inter hæc duo genera analogię, quarum prima est, quòd in priori nomen conuenit secundario analogato solùm impropriè, & per quandam figuram, in posteriori verò conuenit propriè, & intrinsecè. Secunda differentia est, quòd in prima analogia secundarium analogatum definitur per primarium, quia dicit intrinsecam habitudinem ad ipsum, non verò in secunda analogia. Tertia est, quòd analogum prioris generis non potest esse medium demonstrationis, quia nomen non est medium demonstrationis, nisi ratione conceptus, conceptus autem correspondens tali nomini, non est vnus, vnde nec est vnicum medium; analogum verò posterioris generis potest esse medium demonstrationis, quia dicit vnũ conceptũ; Atque hinc sequitur quarta differentia, quæ ad propositum facit, quòd videlicet prima analogia non dicit vnum conceptum inadæquatè præcisum ab inferioribus, posterior verò dicit, vndè inferunt, quòd ens dicit vnum conceptum communem Deo, & creaturis, licet non perfectè præscindat à differentiis, nec æqualiter participetur, quem conceptum admittit etiam Ferrar. cit. Et huic opinioni videtur fauere D. Thomas in 1. dist. 19. quæst. 5. art. 2. in resp. ad 1.

Discrimina huius duplicis analogiæ.

Ferrar. D. Th.

III. Fundant hanc suam sententiam, quia ens abstractissimè sumptum dicit vnum conceptum, in quo habent aliquã conuenientiam Deus, & creatura, & hic conceptus ex se postulat hunc ordinem, vt prius, & perfectiori modo descendat ad Deum, deinde ad creaturas cum habitudine ad Deum; hęc autem habitudo constituit analogum attributionis cum vnitate conceptus communis Deo, & creaturis, vt per se patet. Et confirmatur, quia quoties aliquæ similia sunt, potest dari aliquis conceptus repræsentatiuus illorum, quatenus similia sunt, tunc autẽ erit vnus conceptus vnitate similitudinis; ergo cum *Deus*, & creatura similia sint in ratione entis, ens præcisum dicet conceptum aliquo pacto vnum, communem Deo, & creaturis.

Fundamentũ huius sententiæ.

IV. Alter tamen modus explicandi hanc analogiam in ratione entis, quæ est inter Deum, & creaturas, est, quòd sit tãtum analogia attributionis, non in ordine ad aliquod tertium, quia extra Deum, & creaturas non est aliquod tertium; in ordine ad quod possit esse attributio, nec est aliquid prius *Deo*, sed est tantùm vnius ad alterum; non quidem Dei ad creaturam, sed creaturę ad Deum, quia creatura à *Deo* dependet, & ab ipso participat esse, ita tamen, vt non detur aliquis conceptus præscindens præcisione inadæquata à *Deo*, & creatura, & vtrique communis, in quo differt hæc opinio à præcedenti. Hanc autem sententiam tradit *D.* Thomas 1. par. quæst. 13. & quæst.

Alius modus dicendi

D. Th.

7. de

7. de potentia ar. 7. in corpore, & quæſ. 2. de verit. ar. 11. & opuſ. 42. cap. 1. vbi ſic in quit, *Dicitur enim ens de Deo, & creatura, ſed per prius de Deo, & per poſterius de creatura, licet verius ſit, Deum eſſe ſuper omne ens, quàm eſſe ens, ſicuti dicit Dionyſ. & Damaſcen. Propter hanc tamen analogiã non ſequitur, ens eſſe prius vtroq; Deo ſcilicet, & creatura, ſicuti eſt prius ſubſtantia, & accidente, de quibus analogicè dicitur*; Vbi apertè negat, hunc conceptum communem entis, & aliquo pacto præciſum, dum vult, non eſſe ens aliquod prius Deo, & creatura, ſicuti eſt reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis. Quam etiam ſententiam ſequuntur alii Thomiſtæ, præſertim Caiet. citato loco primæ partis, & de ente, & eſſentia cap. 2. quæſ 3. concluſ. 2.

Caiet.

V. Explicat autem Caiet. cit. quæſ de ente, & eſſentia, hanc analogiam, quòd in eo cõſiſtat, quòd nomen ſit commune, & ratio ſecundùm illud nomen aliquo modo eadem, & aliquo modo diuerſa. Habent autem hæc analoga aliquo modo eamdem rationem, non quòd ratio de primo dicatur ſimpliciter, de cæteris verò analogatis relatiuè ad primum, ſed quia habent identitatem proportionis, quæ in ipſis reperitur; habent autem ſecundùm quid diuerſam, propter diuerſitatem naturarum, quæ huiuſmodi proportioni ſubiiciuntur. Quare analogia entis inter Deum, & creaturam in hoc conſiſtit, quòd ſicuti ſe habet Deus ad ſuum eſſe, ita etiã ſe habet creatura ad ſuum. In qua explicatione videtur excludere attributionem, & ordinem creaturæ ad Deum, quem tamen ordinem admittit citato loco primæ partis, vbi hanc vocat analogiã proportionis vnius ad alterum.

In quo cõſiſtat anal ogia.

Præmittuntur quædam notanda ad reſolutionem quæſtionis.

SECTIO II.

I. QVia diuerſimodè Auctores explicant analogiam, nec conueniunt inter ſe in vtendis nominibus, quibus analogia ſignificatur; Quidam enim vocant analogiam proportionis, quam alii attributionis appellant, alii è contrà analogiam proportionis, attributionis appellant, & confundunt vnam anologiam cum alia, aliqui verò diſtinguunt analogiam proportionis, & proportionalitatis; ideò antequam ad explicandam noſtram ſententiam accedamus, rem ipſam attendentes, non verò nominum impoſitionẽ, videndum eſt, quot modis poſſit analogia contingere. Vnde ſciendũ eſt, quòd analoga ſunt illa, quorum nomen commune eſt, & ratio ſignificata per illud nomen, partim eadem, partim diuerſa, atque hæc explicatio communiter recipitur ab omnibus. Ex ipſa autem colligitur, quòd analogia debet dicere aliquam rationem, quę ſubſtet alicui nomini, quæ tamen ratio obiectiua aliquam vnitatem, & aliquam ſimul diuerſitatem importet.

Quot modis analogia contingat.

II. Hinc autem fit, quòd duplici tãtùm modo poſſit contingere analogia, ſicuti etiam duplici tantùm modo poteſt contingere, quòd ratio obiectiua ſit partim eadem, partim diuerſa; primus autem modus erit, ſi id, quod in vno analogorum reperitur, cum proportione aliqua reperiatur in alio, ex quo reſultet vnitas proportionis, quę quidem vnitas non eſt perfecta vnitas, ſed dicit diuerſitatem, quia non eſt eadem ratio communis indiuiſibilis in ſe ipſa, & indiuiſibiliter deſcẽdẽs ad inferiora. Sed hæc vnitas continet diuerſitatem rationum, ſecundùm aliquam tamen proportionem conuenientium: ex quo fit, quòd ſit vna tantum analogicè. Altero autem modo poteſt contingere analogia, ſi ratio importata per nomen analogum ſit tantùm in vno analogorum intrinſecè, & formaliter; in aliis verò extrinſecè, & ſolùm dicant quamdam habitudinem ad analogatum, quod intrinſecè participat rationem importatam per nomen.

III. Atque his duobus modis tota latitudo analogiæ clauditur, poteſt autem oſtendi ſufficientia diuiſionis ſupponẽdo, quòd analogia importat aliquem conceptum obiectiuum, ſeu aliquam rationem, quæ ad plura diuerſimodè, & inæqualiter ſe habeat. Ex quo excluditur, quòd ratio importata per nomen analogũ non poſſit æquali modo à pluribus participari, quia tunc eſſet vniuoca; ſed neque etiam prorſus inęquali modo, quia tunc nulla haberetur habitudo analogiæ; reſtat ergo ſolũ, quòd ſtante hac inęquali habitudine rationis analogæ ad ſua analogata, ſolùm duplici modo contingat; vel enim ratio importata per nomen analogũ participatur intrinſecè, ſed inæqualiter à ſingulis analogatis, vel ab vno tantum intrinſecè, à cæteris verò extrinſecè per quamdam

Ratio ſufficientię diuiſionis analogiæ.

habitu-

habitudinem, quam dicant ad principale analogatum, vt medicinę ad sanitatem, quæ est in animali; primus modus constituit vnam speciem analogiæ, quæ posset dici analogia proportionis, secundus etiam constituit alteram speciem, quæ posset dici attributionis, quia vnum analogum est tale in ordine ad alterum; neq; aliquo alio modo potest contingere analogia, neque enim alius modus excogitari potest, secundùm quem ratio communis inæqualiter participetur; an autem hic secundus modus constituat veram analogiam, suo loco explicabimus. Vt ergo videamus, an ens sit analogū respectu Dei, & creaturæ, videndum est, an aliqua analogia ex his intercedat.

IV. Quia autem in analogia, quæ analoga participant rationem communē inæqualiter, quæ est vna cum proportione, contigit, vnum analogorum dicere habitudinem ad alterum, illud videlicet, quod minus principaliter dicit rationē analogam; non ex hoc fit; quòd ponenda sit alia analogia attributionis distincta ab analogia proportionis. Et ratio esse potest, quia analogia importat vnam rationem inæqualiter conuenientem pluribus, & qualis est illa ratio, talis etiam est analogia, atque quicquid sequitur ex vi illius rationis spectat ad eamdem analogiam. Modò habitudo illa, quam dicit analogatum minus principaliter participans rationem analogam ad illud, quod principaliter participat, oritur ex vi eiusdem rationis analogæ, quæ constituit etiā proportionem, & fundatur in proportione illa, quam importat talis ratio analoga; quare non potest aliam analogiam, præter analogiam proportionis constituere, cum sit etiam habitudo proportionis, analogia verò attributionis dicit habitudinem vnius analogati ad alterum, quæ nō est habitudo proportionis. Vnde non rectè Suarez, & Fonseca locis supra citatis ponunt vtramque analogiam inter Deum, & creaturam in ratione entis, quia si adest proportio, vt ipsi asserunt, illa habitudo, quam dicit creatura ad Deum, erit habitudo proportionis, atq; non constituet diuersam analogiam ab analogia proportionis.

Cur nō ponēda tertia species analogię.

Suar. Fōseca.

V. Demùm hoc aduertendum est, quod non quælibet proportionalitas est sufficiens ad constituendam analogiam proportionis, vndè illa comparatio, qua attenditur proportionalitas secundùm quatuor terminos, cum videlicet dicitur, sicuti se habet creatura ad suum esse, ita etiam Deus ad suum, quantum est de se non est constitutiua analogiæ; nam huiusmodi comparatio, & proportionalitas potest interuenire etiam inter res vniuocas, & fieri etiam secundùm illam rationē secundùm quam vniuocè sunt; sic potest dici, assignando duas substantias eiusdem ordinis; sicuti se habet terra ad suum esse substantiale, ita etiam aqua ad suum; & tamen terra, & aqua participant vniuocè esse substantiale, imò ista proportionalitas potest reperiri inter indiuidua eiusdem speciei, verum est enim, quòd sicut se habet Petrus ad suum esse, tum essentiale, tum indiuiduale, ita etiam se habet Paulus ad suum, & tamen nulla analogia interuenit inter hæc indiuidua. Quare nisi aliundè sequatur analogia, ex vi huius proportionalitatis non habetur; solùm autem potest sequi, si proportionalitas ista fundetur, non in vnitate alicuius rationis communis, sed solùm in aliqua proportione, quam habet vnum analogum ad alterum.

Quę proportio constituat analogiā.

Ens non esse quid superius analogum respectu Dei, & creaturæ.

SECTIO III.

I. IN primis igitur pro resolutione quæstionis, statuendum est, cum D. Thoma. Ens non esse quid superius analogum respectu Dei, & creaturæ, ita vt dicat aliquem conceptum communem vtrique. Hoc probatur primò ratione desumpta ex D. Th. cit. opusc. 42. cap. 1. quando tota ratio obiectiua correspondens nomini analogo reperitur in altero analogatorum, de quibus prædicatur, nō potest constituere conceptum communē superiorem, & priorem respectu analogatorum; sed ratio entis reperitur tota in Deo; ergo non potest constituere conceptum communem priorem Deo, & creatura. Vt autem efficacia huius rationis intelligatur; sciendum est, quòd semper ratio communis pluribus, siue perfectè, siuè imperfectè, & quocunque modo ab illis præscindat, est prior quocunque inferiori, & quid vniuersalius; quare non debet talis ratio tota reperiri in vno tantū extremo; sed debet excedere, quia si non excederet, neque posset esse quid commune inferioribus, hoc enim habet ex vi suę

D. Th.

Cōclus. Ens nō est quid superius analogū respectu Dei, & creaturæ ab vtroq; pręscindēs.

1. ratio

com-

cõmunitatis, quòd adæquetur cum omnibus inferioribus, nec in vno tantùm coarctetur; vnde sanitas, quando denominat animal, & medicinam, non dicit aliquam rationem obiectiuam communem medicinæ, & animali, quia ratio sanitatis obiectiua formaliter est tantùm in animali, & cum illo adæquatur. Ex hoc autem, quòd ratio communis ex natura sua non coarctatur, vt sit in vno tantùm subiecto ex ijs, de quibus prædicatur, sequitur, quòd sit prior natura quocunque extremorum. Atque de hoc nulla est difficultas.

II. Solùm minor propositio difficultatem patitur; non enim videtur, quomodo tota ratio entis sit in solo Deo, quippe etiam creatura est intrinsecè, & formaliter ens, sed tamen facilè probatur ista propositio, supponendo, quòd creatura, licet sit ens intrinsecè, non tamen est ens ex se; sed per participationem, participãdo rationem entis ab ipso Deo, quatenus ipse est ens per essentiam; vnde ex vi illius entis, quod in Deo est ens per essentiam, habet creatura, quòd sit ens. Ex hoc igitur concluditur, quòd ens non possit esse quid superius commune Deo, & creaturis; sed tota ratio entis sit in Deo, nam creatura est ens intrinsecè participando esse ab ente, quod per essentiã est in Deo, prout est proprium Deo, nam esse ens per essentiam est proprium Dei; creatura autem participat esse ens ab ente per essentiam, vt tale est; ergo ratio entis est solùm ex se in Deo, per participationem autem in creatura, ita vt non sit in creatura aliqua ratio entis excedens ipsum Deum, sed de illo ente, quod est in Deo, & adæquatur cum ipso; quicquid enim est ens, ideò tale est, quia participat esse à Deo. Præterea ratio entis, quæ est in Deo, non potest esse prior natura ipso Deo, vt Deus est; siquidē quicquid est in Deo, & ipsummet esse conuenit Deo, vt Deus est, vnde est quid proprium ipsius, & includitur in contradistinctiuo, quo Deus à creaturis contradistinguitur, quare non potest esse quid prius ipsomet Deo, aut constitutiuo proprio ipsius Dei; ratio autem communis, vt diximus, debet esse natura prior, quàm quodlibet inferiorum, ad quæ descendit. Quòd rursus amplius potest cõfirmari. Ratio communis ita se habet respectu inferiorum, vt immediatè descendat ad ipsa, & id ipsi competit ex natura sua, non verò ad vnum descendit, & postquam facta est propria illius, descendit ad cœtera, at ratio entis non descendit immediatè ad Deum, & creaturas, sed prius est in Deo, vt propria illius, deindè creatura participat esse ab ipso, vt Deus est, ergo non potest esse quid commune Deo, & creaturæ. Denique cum ratio communis debeat esse prior quocunque extremorum, quæ eam participant, non video, quomodo possit excogitari, quòd ratio entis natura sit prior, quàm ipsemet Deus; nam Deus est ipsum esse per essentiam: extra id autem, quod est tale per essentiam, nihil aliud reperitur, quod sit tale, nisi per participationem, participãdo aliquid ab eo, quod est tale per essentiam, hoc enim est prima ratio, & primus fons; nec aliquid prius ipso potest excogitari; alioquin excogitaretur aliquid prius ipsomet ratione formali, & essentiali; quod prorsus implicat. Præterea si ista ratio cõmunis entis esset prior Deo, & cũ etiam hæc ratio in creaturis reperiatur, esset in ipsis aliquid, quod esset prius natura ipso Deo; at quomodo hoc posset esse, cum quicquid est in creatura, secundùm omnem rationem, & secundũ primam rationem entis, sit aliquid participatum à Deo?

Quomodo tota ratio entis sit in Deo.

Confir.

Quomodo ratio communis descendat ad inferiora.

III. Secunda ratio etiam efficax est, & desumitur ex conditione rationis communis, siue analogæ, siue vniuocæ, quæ debet diuidi, quando ad inferiora descendit per oppositas differentias; qualibet enim ratio communis, quæ ad aliqua inferiora descendit, non posset descendere, nisi per oppositas differentias diuideretur, hic enim descensus fit per diuisionem rationis communis, quæ contrahitur ad diuersas species, siuè analogas, siue vniuocas: sic qui asserunt, ens esse analogum ad substãtiam, & accidens, concedunt etiam diuidi per differentias oppositas, nempe accidētis, & substantiæ; quare si ens esset analogum superius ad Deum, & creaturas, deberet diuidi per differentias oppositas constitutiuas Dei, & creaturæ. Hoc autem non potest esse; in primis, quia differentiæ oppositæ id habent ex natura sua, quod se inuicem excludant; ita vt vbi est vna, nullo pacto contineatur alia, neque formaliter, neque eminenter, & multò minus vna sit causatiua alterius, alioquin si esset causatiua, non esset, quæ causatur, simul cum opposita diuisiua, generis, sed supponeret suam oppositam iam contraxisse genus; at tota ratio creaturę continetur in Deo eminenter, & ab ipso causatur;

Secũda ratio.

Ratio communis cum ad inferiora descendit, per opposita differētias diuiditur.

Deus, & creaturæ non sunt differentiæ oppositæ alicuius rationis communis.

satur, ergo non potest esse ratio diuisiua entis, ita vt sit differentia opposita cum Deitate respectu entis vt sic. Deindè vna differentia non est talis per participationem alterius differentiæ sibi oppositæ, alioquin non esset differentia diuidens genus, sed creatura secundùm illam rationem, qua contraheret ens ad esse finitum, & creatum, esset talis per participationem illius esse, quod est proprium, & constitutiuum ipsius Dei; ergo non possunt dari huiusmodi differentiæ, & consequenter nec etiam ratio communis entis superior ad Deum & creaturas.

Quomodo se habeant mẽbra diuidentia rationem aliquam cõmunẽ.

IV. Confirmatur principaliter; quàdocumque ratio aliqua communis diuiditur per differentias, ita se habet vnumquodque membrum diuidens, vel secundùm aliquid sit ratio contractiua rationis communis & contradistincta ab alia opposita differentia diuidente: secundùm aliquid verò non sit ratio contractiua, nec contradistincta ab alia differentia; ergo non potest aliqua ratio communis entis diuidi per creatum, & increatum. Consequentia prob. quia si consideretur creatura, secundùm se totam est contradistincta à Deo, vt Deus est, & consequenter secundùm se totam est differens, nec habet aliquam rationem, quæ contradistinguatur à Deo; ergo neque habet aliquid commune analogum cum Deo, quod sit tanquam ratio quædam superior respectu Dei, & creaturę.

III. ratio.

V. Tertia quoque ratio additur desumpta ex prædicatione rationis communis; quælibet enim ratio communis secundùm illud commune, quòd dicit, ex vi cuius constituitur in superioritate, prędicatur de inferioribus suis, & quod dicitur de vno ex vi rationis communis, dicitur etiam de alio; si autem daretur aliqua ratio communis Deo, & creaturis, stante hac prędicatione sequeretur maximum absurdum, nempè quòd aliquid creatum, & participatum prędicaretur de Deo, & aliquid increatum, & imparticipatum prædicaretur de creatura: quod sic ostenditur, quando datur ratio aliqua pluribus communis, potest concipi, prout est in aliquo extremorum, & præcisa differentia illius extremi efferri de quocumque alio extremo participante eamdem rationem communem: sic ens, quod prędicatur de accidenti, etiam si sit analogum, non concepta explicitè ratione accidentis, potest prædicari etiam de substantia, ergo si ratio entis esset quid superius commune Deo, & creaturis, ratio entis, quæ prædicatur de creatura, prædicaretur etiam de Deo, & è contrà, ratio entis, quæ de Deo dicitur, prędicaretur etiam de creatura. Modò, cùm quicquid dicitur de creatura sit aliquid participatum, implicat enim concipere aliquid in creatura, quod non sit illi communicatum à Deo, & quicquid dicitur de Deo conueniat illi, vt Deus est, atque adeò sit quid imparticipatum; si ratio entis esset communis Deo, & creaturis, aliquid participatum diceretur de Deo, & aliquid imparticipatum de creatura. Nec dici potest, quod fiat præcisio ab esse participato, & imparticipato, quia debet abstrahi, quod est in creatura, & in Deo; cum autem ratio participati adæquet totum esse creaturę, & ratio imparticipati totum esse Dei, facit, quòd omnis formalitas sit talis.

Posita ratione communi, quodquod dicitur de vno ex vi illius, dicitur & de alio.

Confir.

VI. Et confir. potest ratio præcedens; quicquid conuenit Deo, conuenit illi per essentiã, & ex vi suæ differentiæ, vndè etiam esse ens habet ex vi suæ essentiæ, vt talis est; & etiam quicquid conuenit creaturę, cõuenit illi ex eo, quòd est creatura, & ex vi differentiæ, qua contradistinguitur à Deo in esse creato; ergo non potest habere conceptum aliquem communem cum Deo, quia si haberet aliquam rationem sibi communem cum Deo, iam illa ratio non illi conueniret ex vi differentiæ, qua constituitur in esse creato, & sic etiam dicendum de Deo, si haberet aliquid commune cum creatura; tunc enim haberet aliquid, quod non esset de essentia sui proprii constitutiui, vt proprium constitutiuum est; quod tamen non potest dici: quia quicquid põt excogitari in Deo, saltè absolutũ, est de essentia illius, vt Deus est. Et præterea, quæ participant aliquam rationem communẽ, ita se habent, vt secundũ aliquem conceptum inadæquatum, saltem secundum id, quòd dicit explicitè, non dicant suam differentiam constitutiuam, hoc enim est de exigentia rationis communis quòd sit saltè secundùm id, quòd dicit explicitè extrà differentias; at nihil potest concipi in Deo, & creatura, quod sit extrà esse creatum, & increatum; ergo non potest concipi aliqua ratio communis ipsis.

Quicquid conuenit creaturæ cõuenit ei vt creatura est.

Ratio communis saltẽ explicitè non dicit differentiã inferiorum.

Minor declaratur, nam creatura, etiam secundum primam rationem entis, qua constituitur, vt sit aliquid, est quid participatum, cum enim recipit esse à Deo, nedum recipit tale esse, sed etiam esse vt sic, ita vt simul cum alijs rationibus,etiã secundùm rationem entis communissimè acceptam terminet productionem, vndè etiam si concipiatur creatura secundũm rationem communissimam entis, quàm participat, debet concipi tanquam aliquid participatum, quia esse participatum inuoluitur intrinsecè in ratione entis, quod conuenit creaturę: sic etiam in Deo secundùm se totum est Deus, & est aliquid reale ex vi entis per essentiam, ita vt si concipiatur Deus, etiam secundùm solam rationem entis, dummodò tamen concipiatur ratio entis, quæ ipsi conuenit, debet concipi ens imparticipatum, quia esse imparticipatũ inuoluitur intrinsecè in ipso, vt constitutiuum illius, vndè semper necesse è concipere differentias, quandocunque concipitur aliquid, quod sit in Deo, aut in creatura. Denique hãc conclusionẽ confirmant etiã omnes rationes quas attulimus contra vniuocationẽ entis, quæ cùm conuincant, diuersam esse rationem entis in Deo, ac sit in creatura, tollunt quemlibet communem conceptũ, etiam analogum.

Ens non esse analogum attributionis respectu Dei, & creaturæ.

SECTIO IIII.

Secunda conclus.

Ens non est analogum attributionis respectu Dei, & creaturę

I. ratio.

I. VIdimus, ens non esse quid analogum superius respectu Dei, & creaturę dicens communem conceptum, vt ostendimus sectione pręcedenti; nunc ponimus etiam secundam conclusionem, & dicimus, ens non esse analogum attributionis respectu Dei, & creaturæ, ita vt creatura dicatur ens per attributionẽ ad Deum. Prob. quia analogia attributionis dicit, quòd vnum analogorum participet rationem importatã per nomẽ analogum intrinsecè, cœtera verò extrinsecè; hinc dicuntur analoga attributionis, quia non sunt talia intrinsecè, sed per habitudinem ad rationem formalem intrinsecè participatam ab vno analogorum, creatura autem formaliter participat rationẽ entis, vnde non est talis per attributionem ad Deum.

II. Occurret autem aliquis, Hanc attributionẽ esse talẽ, vt ea, quæ sunt entia ꝑ attributionẽ, sint etiã intrinsecè entia, & ideò licet creatura sit intrinsecè ens, non obstat, ꝙ non sit ens per attributionẽ; sed nihilominus hæc responsio non euacuat difficultatem, si enim creatura intrinsecè participat rationẽ entis, etiã si dicat ordinẽ ad Deũ, nõ tamẽ ponitur analogia attributionis, sed remanet analogia proportionis, quę tamen non datur, vt videmus, si sumatur, prout dicit quandam rationẽ communẽ inęquaiiter participatã. Præterea quòd est tale ꝑ attributionẽ, & habitudinẽ ad aliud, nõ est tale per se ex intrinseco suo esse: vndè esse tale formaliter, & esse tale ꝑ attributionẽ opponũtur inter se, quia esse tale ꝑ attributionem ad aliud dicit esse tale, quatenus alteri substernitur, ratione alicuis ordinis, quem dicat ad ipsum: ergo si creatura est intrinsecè ens, non potest esse ens per attributionem ad aliud.

Confutatur responso.

Quod est tale per attributionẽ ad aliud non est tale per se.

III. Confir. principalis ratio, quando aliquid est intrinsecè tale, est etiã absolutè tale, & ꝑ formam propriam habet, quod sit tale pręsertim si esse dicat aliquid absolutum, quod non constituitur per respectum ad aliud, quemadmodum est ratio entis; quando vero aliquid est tale per attributionem ad aliud, nõ est tale absolutè, neq; per propriã formã, sed ꝑ attributionem ad illud, quòd est absolutè tale; quare esse intrinsecè tale, & ꝑ attributionẽ al aliud opponuntur, cũ vnum diminuat alterũ, atq; esse ꝑ attributionẽ tale ita se habet, quod si per impossibile tolleretur id, respectu cuius aliquid est tale ratione attributionis, non esset amplius tale; sic medicina nõ esset, neq. diceretur amplius sana, si esset impossibilis sanitas, quæ est in animali; at in ijs, quæ sunt intrinsecè talia, quolibet alio sublato adhuc essẽt talia, quia retinerẽt propriã formã intrinsecã, secundũ quã essent talia, sed creatura est intrinsecè ens, ita vt si per impossibile non esset Deus, & remaneret creatura, adhuc ipsa esset ens; ergo nõ est ens ꝑ attributionẽ ad Deũ. Quòd rursus declaratur, quando aliquid est tale ꝑ attributionẽ ad aliud, nõ potest cognosci; vt tale est, nec definiri, nisi ꝑ ordinẽ ad illud, nã attributio dicit ordinẽ, vndè si cõstituitur tale ꝑ attributionẽ, constituitur tale per hũc ordinẽ & semper hic ordo debet intelligi; quòd si intelligitur tale, & nõ ꝑ hũc ordinem, iam est tale sine attributione, quia sine attributione cognoscitur tale. Vnde

Confir.

Esse intrinsecè tale, & per attributionẽ ad aliud opponũtur.

Quod est tale per attributionẽ debet cũ ordine ad aliud definiri.

dè inanis est doctrina illorum, qui ponūt hanc differentiam inter analoga attributionis, quorum tantùm principale analogatum est tale intrinsecè, quòd illa possunt definiri sine ordine ad aliud analogatum, hæc verò minimè. Quomodo enim potest intelligi attributio, & ordo sine ordine, & termino. Quare ista responsio implicat in terminis. Modò creatura in ratione entis potest intelligi, & definiri sine attributione ad Deum, ergo non est ens per attributionem ad Deum.

II. ratio

IV. Secundo prob. ordo ille, quem dicit creatura ad Deum, non est sufficiēs ad constituendam analogiam attributionis; ergo inter Deum, & creaturam non potest esse analogia attributionis in ratione entis: Consequentia est certa, quia analogia attributionis consistit in habitudine, quam dicit vnum analogorum ad alterum, qua remota tollitur omnis analogia. Antecced. prob. creatura dicit habitudinem ad Deum, vt effectus illius, quem respicit, vt causam, & tanquam illum, qui habet Ideam, ad cuius similitudinem producitur; vnde habitudo creaturæ ad Deum est habitudo ideati, & effectus, quia autem Idea reducitur ad aliquod genus causæ, & vt probabilius est ad efficiens, cuius est complementum quoddam, ideò creatura dicit habitudinē tantùm causati ad ipsum Deum; hæc autem habitudo non est constitutiua analogiæ, nam reperitur etiam in effectu, qui vniuocè imitatur causam suam, sic cum calor producit calorem, cum homo producit hominem, tunc nulla est analogia attributionis, & tamen est habitudo causæ ad effectum. Quod si dicas adesse habitudinem analogiæ, quatenus effectus est quid ideatum, in Deo verò est idea; Idea autem, & ideatum non vniuocè conueniunt, hæc responsio nulla est, si quidem inter Ideam, & ideatum non est analogia attributionis, quia si consideretur in essendo essentialiter differunt, & illa habitudo est repræsentantis, quæ de se non est constitutiua analogiæ, si verò Idea consideretur in repræsentando, vniuocè repræsentat effectū, quia repræsentat totū esse effectus, & eadē est forma tū in Idea, tum in Ideato, licet diuersum modū essendi habeat in vno, ac habeat in alio.

Ordo creaturæ ad Deum non constituit analogiam.

V. Responderi posset, quòd non quælibet habitudo effectus ad causam cōstituit analogiam attributionis, sed illa tantùm habitudo, qua effectus procedit

Præcluditur effugium

à causa secundùm eamdem rationem, sed imperfectiori modo participatam; modo in casu nostro creatura procedit à Deo in ratione entis, sed imperfectiori modo participati, quàm sit in Deo, & cum inęqualitate, Ideò hæc habitudo constituit analogiam attributionis. Nihilominus hæc responsio non soluit rationem allatam, nam videtur constituere duplicem habitudinem inter Deum, & creaturam alteram effectus ad causam, alteram imperfecti, ad perfectum, seu participantis imperfecto modo, quod perfectè est in Deo; quod autem spectat ad habitudinē effectus ad causam, hęc præcisè, vt conuincit ratio allata, non constituit analogiam attributionis, quia reperitur, vt diximus, inter effectum, & causam vniuocam. Altera verò habitudo dicit, quòd effectus recipiat tale esse à causa, vnde non est distincta habitudo à præcedenti, sed est tantùm habitudo talis effectus, videl. effectus, qui procedat cum esse imperfectiori, quàm sit causa; quod autem effectus sit inferioris esse, quàm causa, neque constituit analogiam attributionis, quoniam effectus æquiuocus est inferioris esse, quā causa, & tamen ex vi habitudinis, quæ est inter ipsum, & causam, non habetur aliqua analogia attributionis.

Habitudo effectus inferioris ordinis ad causam non constituit analogiam.

VI. Quòd si recurras ad id, quod debet effectus procedere à causa secundum eamdem essentiam, sed imperfectiori modo participatā, nihil prodest, quia imprimis, vt infra ostendemus, ꝙ nomine entis in Deo appellatur; nō est propriè ens, sed alia ratio supreminentialis, quæ valde diuersa est à ratione entis Deinde etiam si procederet secundùm eamdem rationē imperfecto modo participatā, neq; cōstitueretur analogia, nā effectus denominaretur, & esset talis per id, ꝙ intrinsecè participat, nō verò ꝑ habitudinē, & attributionē ad extrinseca. Et confir. quia imperfectū, seu minus perfectū non est tale ꝑ habitudinē ad magis perfectū, sed ab intrinseco suo; ergo etiā si creatura procedat à Deo minus perfecta in ratione entis, dum modo intrinsecè sit ens, nō erit talis ꝑ habitudinem ad Deū. Præterea si in creatura consideretur tātū ratio entis præscindēdo à respectu, quē dicit ad Deū, vt effectus illius, tunc creatura eodē pacto se habet in ratione entis, ac se haberet si consideraretur cū respectu ad Deū, & tamē tunc nullā diceret habitudinē ad Deū ergo dicit tm̄ habitudinē præcisè in ratione effectus, nō

Aliud effugium præcluditur.

vero vt dicit rationem entis;sed habitudo præcisè in ratione effectus non constituit analogiam; ergo nulla alia remanet habitudo per quam talis analogia attributionis constituatur.

Confir. VII. Confir. principaliter; vbicumq; est simpliciter ratio formalis, est etiam simpliciter effectus formalis, quod autem est tale per attributionem ad aliud, non est tale simpliciter, sed secundùm quid; sed in creatura est simpliciter ratio entis; ergo etiam simpliciter est ens; ergo licèt sit ens inferioris ordinis, quàm sit Deus, nõ per hoc dicetur esse analogicè ens per attributionẽ ad ipsum. Rursus vel creatura, dũ procedit à Deo,vt ens participatũ, procedit in eãdem rõnem, vel diuersam, Hoc secundum non possunt asserere, quia si esset diuersa ratio, nulla iam esset habitudo analogiæ, sed se haberet purè vt effectus æquiuocus, cuius habitudo ad causam non constituit aliquam analogiã. Si autem procedit secundùm eamdem rationem, sed diuerso modo participatam; imprimis implicat in terminis esse eamdẽ rationem, & diuerso modo participari; cum omnis diuersitas in rationibus formalibus; siue in quocunque alio causet etiam diuersitatem rationum. Deinde etiam si sit eadem ratio, sed diuerso modo participata, adhuc erit effectus æquiuocus, etiam secundùm illam rationem; quia diuerso modo secundùm essentiam participabitur, nec adæquabit perfectionem causæ. si ergo habitudo effectus æquiuoci ad causam non constituit analogiam attributionis, nec etiam creatura in ratione entis illã dicet. cum tota ipsius habitudo sit in ratione effectus ad causã; & sicut alij effectus æquiuoci sunt tales ab intrinseco suo, quia participant talem formam ab intrinseco, & non per attributionem ad causam: ita etiam creatura erit ens non per attributionem ad Deum, cum sit ens ab intrinseca forma entis,quã habet. Rursus quod creatura sit ens minus perfectum, quam Deus, non potest constituere analogiam attributionis, quia vel id habet ex ratione entis,vel ex ratione differentiæ, qua constituitur in esse creaturę, nõ potest primum admitti, quia ideo creatura est ens minus perfectum, quia est quid finitum, & limitatum, atq; adeo ratione differentiæ per quam constituitur in esse creaturæ, quod autem sit minus perfecta ratione differentiarum, non potest constituere analogiam attributionis. Denique maior, & minor perfectio secundum aliquam rationem non potest constituere analogiam attributionis; sic licet vna qualitas sit magis intensa, quàm alia, non tamen in ratione intẽsionis dicit analogiam attributionis ad perfectiorem intensionem, non alia ratione, nisi quia ex se participat rationẽ formalem intensionis. Itaque licet creatura procedat à Deo in ratione entis, & minus perfectè sit ens, quàm Deus; non tamen neque ratione habitudinis effectus ad causam, neque ratione entis minus perfecti, quod participat, potest inter ipsã & Deũ intercedere analogia attributionis.

Caus. formalis simpliciter ponit effectum formalẽ simpliciter.

Analog. attributionis non oritur ratione minoris perfectionis.

Tertia ratio. VIII. Tertia ratio fundamentalis est, quia ratio entis de se non est forma apta ad constituendam analogiam attributionis; ergo in ratione entis non potest inter Deum, & creaturam esse analogia attributionis. Anteced. prob. primò, quia forma constituens analogiam attributionis; solùm quantùm est ex vi huius attributionis participatur ab aliis analogatis, quæ ad principale analogatum dicunt habitudinem, quod est idem, ac si diceretur, quod non participatur intrinsecè, sed tantùm intrinsecè habent habitudinem ad ipsam, & ex vi huius habitudinis denominãtur à forma; quòd si forma non participatur solum ex vi huius habitudinis, sed formaliter intrinsecè, iam non adest amplius illa habitudo, quæ est constitutiua analogiæ attributionis; quod enim est tale intrinsecè, frustra dicitur tale per analogiam ad aliud, quia debet attendi principalius esse, & secundùm illud res constitui, & denominari, nec potest quicquam bis constitui in eodem esse; quare si aliquid constituitur per formam intrinsecam in esse tali, non poterit amplius in eodem esse constitui per habitudinem ad formam extrinsecam; imo implicat,quòd cõstituatur, quia esse tale per habitudinem ad formam extrinsecam habet annexam negationem, quod non sit tale per formam intrinsecam,ex vi limitationis, quam dicit quodlibet constituti uum,quod ita limitatum est,vt habeat annexam negationem cuiuscunq; esse,quod non est ipsum, vnde esse tale per habitudinem ad formam extrinsecam habet annexam negationem, quòd non sit tale intrinsecè. Præterea dum constituitur tale per habitudinem ad formam extrinsecam supponitur q; sit cõstituibile,atq; consequẽter, q; non sit tale:ad quid enim si est tale,

Forma constituens analogiã attributionis d bet participari extrinsecè ab aliquibus analogatis.

Creaturam esse minus perfectã ratione differentiæ non ponit analogiã ad Deu.

debet

debet rursus constitui tale, vnaquæque enim res admittit vnum tantùm constitutiuum, quo in vno, & eodem esse constituatur: & sicuti in rebus physicis, quod semel est tale per aliquam formam physicam, non potest amplius tale constitui per aliam formam physicam; ita etiam quòd est tale per aliquam formam metaphysicam non poterit amplius per aliam constitui tale, quare si semel aliquid est tale per intrinsecam formam, non poterit amplius constitui tale per habitudinem ad formam extrinsecam. Cum ergo forma, quæ constituit analogiam attributionis in minus principalibus analogatis, nō debeat esse intrinseca, manifestè sequitur, quòd ratio entis non possit esse forma constitutiua huius analogiæ, siquidem non deberet esse in minus principalibus analogatis; at quomodo, si non dicunt rationem entis intrinsecam, erunt talia, vt in ipsis sit habitudo realis ad formam entis? Confirmatur; omnis attributio ad aliud supponit subiectum, in quo fundetur, atque adeò quod sit ens, vndè etiam ens prius est natura quaecunq. attributione; ergo antequam creatura diceret hanc attributionē ad Deū esset ens; quia attributū est alicuius attributio, respectu cuius se hēt, vt quo; tūc ergo quæro, p quid sit ens; certè nō pōt esse p habitudinē, aut attributionē aliquam, quia nondū dicit talē attributionem; patet ergo, quòd cum ens sit prima ratio vniuscuiusque fundans omnes attributiones, non potest aliquid constitui in esse entis per aliquam attributionem ad aliud.

Omnis attributio supponit rationem entis.

IX. Confir. etiam potest; quando aliquid constituitur tale per attributionem ad aliquam formam extrinsecam, ex vi illius attributionis non debet esse formaliter tale, & consequenter, cum illa attributio ingrediatur esse ipsius, ex vi sui esse non debet esse formaliter tale; ergo, quod est intrinsecè tale, non potest constitui tale per ordinem ad aliquam formam extrinsecam, & præsertim ad formam entis. Anteced. prob. habitudo ad aliquid extrinsecum, seu attributio nunquam est formaliter talis, qualis est forma extrinseca, ad quam dicit attributionem, sed formaliter est aliquid aliud, forma enim non est attributio, nec attributio, cum sit aliquid relatiuum, potest esse forma illa absoluta, sic habitudo medicinæ ad sanitatem non est sanitas; ergo quod est tale per attributionem, cum eius esse intrinsecè dicat illam attributionem, non potest esse formaliter tale, qualis est forma, ad quam dicit attributionem, & si esset formaliter tale, ex vi talis formæ excluderetur attributio, & è contra attributio excludit formaliter formam, ad quam est attributio; quòd præsertim patet in ratione entis, nam attributio, vt attributio est, si est realis, est etiam ens; quomodo ergo potest esse attributio ad ens, vt ens est? Consequētia verò patet, quia si ex vi attributionis excluditur ratio formalis, ad quam est attributio; quod est ens per attributionem, non deberet esse ens intrinsecè, quod prorsus implicat.

Non potest aliquid constitui ens per formam extrinsecam.

X. Secundò prob. anteced. eiusdem principalis rationis. Forma constituens analogiam attributionis, debet esse forma apta denominare denominatione extrinseca, sed ratio entis non est forma apta denominare denominatione extrinseca; ergo non potest constituere analogiam attributionis. Maior declaratur, quia, quandò aliquid est tale per attributionem ad formam extrinsecam, denominatur ab ipsa, quod fieri non potest, nisi huiusmodi forma esset apta denominare extrinseca denominatione. Minor prob. Forma apta denominare denominatione extrinseca, debet esse de genere adiacentium, hoc est accidentalis, quia forma, quę est constitutiua alicuius in suo esse essentiali, est forma apta denominare tantùm denominatione intrinseca; sicuti etiam tantum intrinsecè constituit, nam solum denominat, prout tribuit suum effectum formalem, & prout constituit, quia solum ex natura sua ordinatur ad constituendū; quod præcipuè habet locum in ratione entis, siquidem non potest aliqua forma denominare denominatione extrinseca, nisi supponatur subiectum, quod denominat, habere esse, atque adeo esse ens; quomodo ergò ens poterit denominare denominatione extrinseca aliquod subiectum, cum iam supponat esse ens, & denominatum denominatione intrinseca? aut quomodo poterit aliquid constitui in esse entis per formam extrinsecam? Confir. quia esse ens ex natura sua dicit aliquid intrinsecum, & ponit primam realitatem in qualibet re; ergo ratio entis non potest denominare denominatione extrinseca, cum esse ens non dicat aliquid extrinsecum, sicuti medicinam esse sanam. Preterea forma, quæ denominat denominatione extrinseca, debet esse forma physica,

Analogia attributionis fundatur in forma apta denominare denominatione extrinsece.

Ratio entis nō potest denominare denominatione extrinseca.

(Attinentia non tollit denominationem, denominatio extrinseca)

sica, non autem metaphysica, sicuti est ens; ratio est, quia forma metaphytica de se non est apta se sola denominare, nisi simul cum alijs rationibus coniungatur, cum quibus identificatur; modò forma, quæ denominat extrinseca denominatione, sicuti se sola secundùm denominationem inhæret subiecto, ita etiam debet esse talis naturę, vt possit secundùm esse se sola inhærere. Rursus forma metaphysica sm se non supponit subiectum complete constitutum in suo esse, sed constituit, forma autem, quę denominat extrinseca denominatione supponit subiectum constitutum in suo esse. Maneat ergo, inter Deum, & creaturam non esse analogiam attributionis, sed creaturam esse ex se ens ab intrinseca forma, per quam simpliciter constituitur in esse entis.

Nullam esse analogiam proportionis inter Deum, & creaturas in ratione entis.

SECTIO V.

I. ENs non esse analogum proportionis, dicens conceptum communem Deo, & creaturis ostendimus supra, item non esse analogum attributionis, sectione praecedenti dictum est. Verũ difficultas remanet, an liceat non adsit ille conceptus communis analogus, qui ita habeat vt quid superius, adsit tamen aliqua analogia proportionis sine huiusmodi communi conceptu: seu sita sit in eo, quòd ratio entis, quæ est in creatura, & ratio entis, quæ est in Deo, se habeant quidem vt diuersæ rationes entis, attamen sint vnum non vnitate formalitatis, sed vnitate proportionis, quatenus creatura in ratione entis seruat proportionẽ ad Deum, participando proportionaliter ens, quod est in Deo, & hoc in præsenti sectione inquirendum est.

II. In qua difficultate, si loquimur de proportionalitate, qua proportionaliter creatura comparatur ad suum esse, sicut Deus ad suum, tunc quidem certum est interuenire, quia ita se habet proportione seruata ad suum esse, sicut Deus ad suum; verùm hanc proportionalitem modò non inquirimus, quia, vt supra dictum est sect. 2. hæc proportionalitas non constituit analogiam, sed etiam inter res vniuocas, imo est inter res diuersæ speciei, quatenus diuersæ sunt, nam ita se habet rationale ad suum esse rationale, sicuti etiam irrationale ad suum, quæ autẽ analogia, quę ponat aliquam similitudinẽ, seu communitatem proportionis, potest esse inter irrationale, & rationale, quæ priuatiuè se habet? ex qua proportionalitate sequitur, quòd sicuti per suum esse Deus constituitur in esse existentiæ indefectibiliter, infinito modo, &c. Ita etiam creatura per suum constituatur in esse existentię defectibiliter, finito modo, &c. Non hanc igitur proportionem inquirimus, sed illam, quæ constituit analogiam, quæ in eo consistit, quòd creatura participet rationem entis, quæ est in Deo, aliquo modo, & cum aliqua proportione, seu similitudine.

III. Dicendum est, non esse hanc proportionem analogiæ inter Deum, & creaturam, qua creatura cum proportione participet rationem entis, quæ est in Deo, quod licet difficile videatur, firmissimis tamen rationibus confirmatur, & magis constabit ex ijs, quæ dicturi sumus sectione sequenti, nunc autem probatur. Vel ista participatio creaturæ proportionalis eiusdem rationis entis, quæ est in Deo, est tantùm metaphorica, vel dicit formalitatem eiusdem rationis. Non potest primum admitti, quia tunc creatura metaphoricè tantùm esset ens, & non propriè, quod tamen absurdum est. Si verò secundùm admittatur, tunc non potest dici quod proportionaliter participetur ratio entis, quæ est in Deo à creatura, sed omnino eadem participatur, quia participabitur secundùm eamdem rationem formalem, atque adeo vniuocè; quia vbi est eadem ratio substantiæ, est etiam vniuocatio.

(Tertia cõclusio Creatura non participat cum proportione rationem entis, q̃ est in Deo.)

(Prima ratio.)

(Creatura neq; metaphoricè, neq; propriè participare potest eandem rationem quę ẽ in Deo.)

IV. Confir potest hæc ratio: si creatura participaret rationem entis secundũ eandem formalem rationem; ergo non participaret secundùm proportionem, quia vbi est eadem ratio formalis, est perfecta similitudo, nam vnitas rationis formalis est indiuisibilis, & quando est secũdùm se in pluribus, est in illis secundùm se totam; vnitas autem rationis formalis semper fundat perfectam similitudinem. Præterea non video quomodo possit saluari, quòd non detur conceptus communis superior respectu Dei, & creaturæ, si eadem ratio formalis sit in Deo, & creatura: cur enim non poterit concipi illa ratio tanquam quid cõmune, si & à Deo, & à creatura participatur, licet non participaretur eodem modo? Hunc autem

conce-

conceptum communem dari non posse, ostendimus supra, quare concludendum est, quod non adsit ista proportio participationis inter Deum & creaturas.

Responsioni occurritur

V. Respondebit tamen aliquis, quòd neque metaphoricè creatura est ens, neq; participat eandem rationem formalem, sed tantùm cum aliqua proportione ad Deum esse ens, ideò seruare analogiam participationis. Sed neque hæc responsio soluit difficultatem; nam quæro, an stante hac analogica participatione, & hac proportione, remaneat in creatura eadem ratio formalis entis, quæ est etiam in Deo, vel non remaneat, sed alia ponatur, aliquam enim rationem entis debere esse in creatura, certum est, cum non sit purè metaphoricè ens. Si remanet eadē ratio entis cum hac proportione; ergo dabitur conceptus communis entis, imò erit vniuocus, quia aderit eadem ratio formalis, fundans perfectam similitudinem. Si autem hæc proportio dicit diuersam rationem, iam non erit aliqua analogia: nec video, quomodo possit esse proportio inter duas rationes formales diuersas, quia proportio supponit aliquam similitudinem, inter duas autem rationes formales diuersas nulla potest esse proportio. Præterea si adest proportio, certè supposito, quòd non sit merè metaphorica, debet dicere aliquam conuenientiā, licet non perfectā secundùm esse formale; cur ergo non poterit concipi hæc conuenientia; & haberi conceptus communis secundùm proportionem; huiusmodi enim proportio, quæ est secundùm esse formale intrinsecum poterit concipi, prout dicit rationem proportionis, quæ cum sit, in pluribus, dicit aliquid pluribus commune.

Quomodo inter Deū, & creaturā nō interueniat proportio in rōne entis.

Secunda rō

VI. Secunda ratio est. Creatura nō est metaphoricè ens, sed propriè per intrinsecam rationem formalem entis, quā participat, vt proprium constitutiuum realitatis, nec obstat participatio, quominus sit propriè ens, quia esse participatum propriè dicit rationem entis, cùm ens formaliter nihil aliud dicat, nisi habere esse; ergo creatura non est proportionaliter ens respectu Dei, & consequēter non dicit aliquam analogiam proportionis, de qua nunc loquimur. Consequ. prob. posita propria ratione formali constitutiua alicuius, ponitur etiam propriū constitutum, quod est tale propriè, & simpliciter, & non per proportionem ad aliud; quod enim est tale per proportionem aliquā, non est tale simpliciter, neq; propriè, sed secundùm quid, videlicet per quamdam proportionem; ergo cum creatura sit ens simpliciter per propriam rationem entis, non erit talis per proportionem ad aliud. Confir. si per impossibile non esset Deus, sed sola creatura, adhuc creatura esset intrinsecè ens eodem pacto, quo modo est; & tamen non esset ens per proportionem ad aliud; ergo etiā de facto ens est simpliciter, & non per aliquam proportionem. Confir. secundò; creatura est propriè, & non per proportionem ad aliud tale ens, videlicet terra, aqua, lignum, lapis, &cœtera huiusmodi; ergo est propriè, & non per proportionem ad aliud etiam ens, vt sic. Conseq. prob. quia ex natura rei esse tale simpliciter supponit esse simpliciter vt sic, nam esse vt sic intrinsecè imbibitur in tali esse & est fundamentum ipsius; quare si desinit fundamentum, & non dicit esse simpliciter, neque etiam poterit haberi tale esse simpliciter, quia hoc coalescit etiam ex esse simpliciter vt sic. Atque hic insistendum est, q̃ proportio minuit de proprietate, & perfectione formalitatis; in creatura autem ratio entis non minuitur de sua formalitate, & proprietate; atque hæc debet esse ratio fundamentalis ex vi cuius negetur, creaturam esse proportionaliter ens ad Deum.

Quod ē tale propriè nō ē tale p̄ proportionem.

Creatura propriè ē

VII. Tertia ratio fundamentalis est. Inter ea, quæ sunt diuersi ordinis, quatenus talia sunt, non potest esse proportio participationis, qua vnum participet de alio; sic inter substantiam, & accidens, quatenus sunt diuersi ordinis, seu quòd idem est, quatenus vna dicit rationem substantiæ, alterum accidentis, nulla est proportio participationis, qua accidens participet aliquid de substantia; sic etiam inter spirituale, & materiale nulla est proportio, quatenus materiale est, & spirituale; quia sunt diuersi ordinis; ergo neq; etiā inter Deum, & creaturas potest esse proportio participationis, seu analogia proportionis in ratione entis. Conseq. ista prob. quia creatura, & Deus, etiam in ratione entis, sunt diuersi ordinis, nam Deus est in ordine entis infiniti, & per essentiam, creatura verò in ordine entis finiti, & participati. Quod confir. adhuc potest; quia quando vnum est tale per proportionem participationis ad aliud, ideò est tale, quia participat aliquid de ipso

Tertia ratio.

Quæ sūt diuersi ordinis, vnū nō participat de alio proportionaliter,

modò

modò quando aliqua sunt diuersi ordinis, vnum non potest aliquo pacto participare de alio, cum inter se summè differant, sicuti vna differentia non potest participare de alia, vna enim aliam omnino excludit; quare statuendum est, quòd non potest esse analogia aliqua proportionis inter Deum, & creaturas.

Deum non esse ens, sed aliquid supereminentius.

SECTIO VI.

I. CVM creatura non sit analogicè ens respectu Dei, sed maximè propriè, vt patet ex modò dictis, nec vniuocè in ratione entis conueniat, vt dispu tatione præcedenti ostensum est, sequitur, quòd Deus non sit ens. Cum autem sit quid reale, & existens, debet per aliquam eminentiorem rationem esse, & existere, quam nos ens appellamus, vel melius aliquid suprà ens, vt ostendatur ipsius supra eminentia, vnde dicimus Deum nō esse ens, sed esse suprà ens, quod etiam in dicauit D. Th opusc. 42. cap. 1. vbi ait, *Dicitur enim ens de Deo, & creatura, sed prius de Deo, per posterius de creatura; licet verius sit, Deum esse super omne ens, quàm esse ens*. Idem quoque innuit Caiet. 1. par. quæstio. 13. artic. 5. §. *Ad confirmationem autem*, vbi de sapientia, quæ est in Deo, inquit, *Imò, vt rectius loquar, significat non sapientiam, sed aliquid eminenter prahabens rationem sapientia*. Quod autem dicitur de sapientia, dicendum est etiam de cœteris rationibus. Hoc etiam ipsum docet Vasquez. 1. par. disp. 22. ca 6. Non video tamen, quomodo possit ponere analogiā inter Deū, & creaturas. Io: etiam Picus Mirandul. lib. 1. de Ente cap. 3. docet, solùm secundùm vulgi appellationem dici ens omne id, quod non est nihil, & secundùm Parmenidem solùm Deum esse ens, cui verè entis appellatio conueniat, per quod indicauit, diuersam esse rationem entis, quę est in Deo ab illa, quæ est in creaturis, & cap. 4. ait. *Ad hanc ergo exactam entis significationem si respiciamus, illud esse negabimus ens, non solùm, quod non est, & quod est nihil, sed illud, quod adeò est, vt sit ipsum esse, quod à se, & ex se est, & cuius participatione omnia sunt, sicuti non id solum negabimus esse calidum, quod est expers caloris, sed quod ipse calor est, tale autem est Deus, qui est totius esse plenitudo, qui solus à se est, & a quo solo, nullo intercedente medio, ad esse omnia processerunt. Hac igitur ratione verè dicimus Deum non esse ens, sed super ens*. Quibus verbis etiam luculenter confirmat hanc sententiam; atque ibidem etiam asserit hoc sentire Platonem, & Aristotelem.

Quarta cōclusio Deus non est ens, sed aliquid supereminentius.

D. Th.

Caiet.

Vasq.

Picus Mirandul.

II. Hæc autem nostra sententia confir. potest pluribus auctoritatibus, quæ in hac re plurimum ponderis habent, in qua difficile est reddere rationem propter emiuentiam obiecti. Boetius igi tur de Trinitate propè medium ait. *Ad hac cum quis in diuinam verterit pra dicationem, cuncta mutantur, quæ prædicari possunt: vel aliqua verè omnino non potest prauicari, nam substantia in illo non est verè substantia, sed vltra substantiam*. Et paulo post. *Cum dicimus Deus, substantiam quidem significare videmur, sed eam, quæ sit vltra substantias.* Et rursus post pauca, *Deus verò hoc ipsū, quod est, Deus est*. Quare indicat Deum esse aliquid eminentius supra substantiā, & ipsum esse ens, esse constitutiuum Dei; quis autem non videt, constitutiuum Dei esse diuersum à ratione entis, quæ est in creatura? Vnde hic obiter formari potest efficax ratio. Esse ens in Deo est constitutiuū formale Deitatis; ergo ratio entis in Deo est diuersa omnino à ratione entis, quæ est in creatura. Consequentia est per se clara, quis enim non videat constitutiuum formale Deitatis esse omnino diuersum à quacunque ratione formali, quæ sit in creaturis? Antecedens etiā probatur, quia quicquid est in Deo, est de essentia ipsius, vt Deus est, vnde etiam ipsa indiuiduatio est de essentia Dei, vt Deus est; præterea quia Deus est ens per essentiam, vnde, ex vi suę essentiæ, qua Deus est, etiam est ens, quod autem illi competit ex vi suæ essentiæ, qua Deus est, ingreditur proprium, & formale constitutiuum ipsius.

Boet.

Ens in Deo cō stitut.

III Sed etiam PP. id apertè docent, vndè D. Hilar. 1. de Trinit. paulo post initium inquit. *Non enim aliud proprium magis Deo, quam esse intelligitur, quia id ipsum, quod est, neque desinentis est aliquando, neque cœpti*. Quibus verbis indicat, Deū esse ens alio modo, quàm sint creaturæ, quasi ipsis propriè esse ens, non conueniat, cum conueniat per participationem; ex quo fit, quòd aliam rationem entis habeant, atque quòd Deus non sit

D. Hilar.

Esse propriè cō uenit Deo.

ens

ens eo pacto, quo est creatura. Quòd confir. etiam D. Basil. lib. 5. contra Ennomium cap. 13. vbi docet, quæ de Deo dicuntur non esse propriè in ipso, ait enim. *Neque enim filius, neque generatio propium Deitatis, sed ex humana similitudine adductum; sed & spiritus appellatio ex similitudine est.* Vndè concludendum est iuxta hos PP. Deum ea, quæ habet, eminentiori quodam modo habere, licet ijs nominibus appellentur, quibus res creatas appellamus.

D. Damascen.

IV. Verùm clarius tradunt, & confirmant hanc nostram sententiam alij PP. Vnde Diuus Damascenus lib. 1. de Fide cap. 4 *De Deo tamen, quid est, secundùm substantiam dicere, impossibile; Conuenientiusque de Deo longè est per omnium ablationem facere sermonem. Nam nihil eorum, quæ sunt, est; sed vt omnia entia supereminens, & super ipsum esse ens. Si enim eorum, quæ sunt cognitio est, quod omnium superat cognitionem, & ipsum quoq; supersubstantiā erit.* Ecce ergo, quomodo ponit Deum excedere omnem nostram cognitionem, & excedere res omnes creatas modo eminentiali, nec aliquid posse ipsi tribui de eo, quod in creaturis reperimus. In quo præcipuè adnotanda sunt illa verba, *Per omnium ablationem*; si ergo omnia, quæ sunt, debent à Deo auferri, etiam debet auferri ratio entis.

Deus excedit omnia creata.

D. Aug.

V. D. Augustinus quoque eamdem doctrinam nobis reliquit pluribus in locis nam 7. confess. cap. 11. aie. *Inspexi omnia infra te, & vidi, nec omnino esse, nec omnino non esse. Esse quidem, quoniam abs te sunt, non esse autem, quonim id quod es, non sūt, id n. vere est, quod incommutabiliter manet.* Ex quibus verbis constat, aliam rationem entis Deo tribuere, & tangit etiam rationem efficacem, quoniam illa ratio entis, quæ est in Deo, intrinsecè, & formaliter dicit incommutabilitatem, & indefectibilitatem, quę conuenit Deo, vt ens est, in creatura vero dicit commutabilitatem, & defectibilitatem, ita vt intrinsecum sit enti creato, vt ens est, posse deficere, quia sicuti secundùm rationem entis est quid participatum, ita etiam illa ratio entis participata formaliter considerata inuoluit intrinsecam defectibilitatem, quis autem non videt has duas rationes entis esse omnino inter se diuersas? Cui consonant etiam quæ tradit lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 11. *Ego sum qui sum; Et dices filijs Israel, Qui est, misit me ad vos, tanquam in eius comparatione, qui verè est, ea, quæ mutabilia facta sunt, non sint.*

Ratio entis in Deo intrinsecè dicit incorrupibilitatē

V. Præterea lib. 1. de Trinit. cap. 1. *Quæ verò propriè de Deo dicuntur; quæq. in nulla creatura inueniuntur, rarò ponit scriptura diuina, sicut illud, quod dictum est ad Moysem, Ego sum, qui sum, & Qui est misit me ad vos. Cum enim esse aliquo modo dicatur, & corpus, & animus, nisi proprio quodam modo vellet intelligi, non id vtique diceret.* Ecce ergo quomodo ait, Esse proprio modo conuenire Deo, quod autem est proprium solius Dei, differt à quacunque alia ratione, quæ in creaturis reperiatur. Et lib. 5. eiusdem tractatus cap. 10. ait, tantùm eam esse veram magnitudinem, quæ soli Deo conuenit, quippe quia non solùm ea ipse magnus est, sed omnia per participationem ipsius magna sunt: hanc autem magnitudinem ait, esse ipsum Deum *Deus autem* (ait ipse) *non ea magnitudine magnus est, quæ non est, quod ipse, vt quasi particeps eius sit Deus, cum magnus est, alioquin illa erit maior magnitudo, quam Deus; Deo autem non est aliquid maius. Ea igitur magnitudine magnus est, qua ipse est eadem magnitudo;* quod autem dicit D. Augustinus de magnitudine, verum est de qualibet alia formalitate, quæ in Deo concipi possit, cum eadem sit ratio de omnibus. Quare omnes istæ formalitetes sunt constitutiuæ deitatis, & p consequēs longè diuersę sunt ab jis, quæ in creaturis reperiuntur.

Deus est sua met magnitudo.

D. Maximus.

VII. Accedit etiam D. Maximus, qui cap. 3. ex Theologicis Centur. 2. ait. *Deus autem cum in vtroque horum omnino simplex sit, & substantia scilicet soluta ab eo, quod est in subiecto, & intelligentia, non habēs vllum prorsus subiectū, efficitur, vt neque sit ex ijs, qui intelligunt, neq; quæ intelliguntur, quippequi supra substantiā, & intelligentiā sit.* Quare ille Sanctus ex eo, quod Deus superet nostrā intelligentiam, ait, esse supra substanriam, & nihil esse eorum, quæ intelligūt, aut intelliguntur, vndè neque etiam erit ratio entis, quam in rebus creatis intelligimus. Quòd etiā docuerat cap. 2. eiusdē Cētur. dum dixerat. *Omnis intelligentia est intelligentium, & eorū, quæ intelligūtur. Deus autem nec vnus intelligentium est, nec aliquid eorum, quæ intelliguntur; est enim supra ista, siquidē circumscribitur, qui*

Deus neque ex jis, qui intelligunt, aut intelligūt.

intelligit, tanquam indigens habitudine rei, quam intelligit, aut naturaliter subiicitur intelligenti, qui propter habitudinem intelligitur. Relinquitur igitur, vt existimemus Deum, nec intelligere nec intelligi, sed potius supra quam intelligere, & supra quam intelligi. In quo valdè notandum est, quòd *D.* Maximus negat *D*eo ipsum intelligere, quo nihil magis proprium *D*eo conuenire videtur, sed vult esse supra quam intelligere; vnde multò magis debet asseri hoc ipsum, de ratione entis.

VIII. Verùm luculentius præ ceteris id explicauit *D. D*ionys. cap. 1. de diuinis nominibus, vbi inquit, *Sicuti neque sensibilibus intelligibilia comprehendi, spectariuè possunt; neque ficta, figuratisque simplicia, & infigurata; neque per corporum figuras formatis informitas ipsa incorporeorum, refugiens tactum figuraque carens. Eadem veritatis ratione ipsa superessentialis infinitas omnes essentias antecellit. Ipsa quoque vnitas intellectus superior omnes supereminet intellectus. Ipsum denique vnum cogitatione præstantius nullis excogitationibus potest excogitari, atque bonum excelsius omni verbo, verbis est ineffabile. Vnitas omnis vnitatis vnifica, superessentialis essentia, intellectus nequaquam intelligibilis, ineloquibile Verbum verbi, & intelligentia, nominisque vocatio. Hæc sanè iuxtà nullum existentium est, causa quidem omnibus vt sint, ipse verò non est, tanquam omni essentia superior.* Quibus verbis non poterat clarius totam hanc doctrinam declarare, dum apertè negat *D*eum esse, eò quòd esse in ipso sit aliquid supereminentius esse creaturarum, q̃ totum desumpsit, & simul explicauit Elias in or. 24. Naz. de aduentu Aegyptiorum. *Deus, vt S. Dionysius ait, est quidem causa ijs, quæ sunt, vt sint; ipse autem non est, vt qui nihil horum, quæ sunt, sed supra omnia sit; quamuis enim Deus ens dicitur iuxta illud, Ego sum, qui sum, at ens tamen non, est, vt ea, quæ sunt (quonam enim modo ipse ex vt opera esset) neque certo modo ens, sed simpliciter, ac peculiari modo, aut vetut eximie, ac præexcellenter, quemadmodum ipse solus nouit.* Quo nihil dilucidius desiderari potest ad hanc rem confirmandam.

...eus ō ...ibus su ...erior

...lias.

IX. Pergit autem D. Dionys. hanc doctrinam explicare, vndè eodem cap. 1. post medium subdit, *Si enim scientiæ omnes existentium sunt, & in ea, quæ sunt finem habent; ipsa omnium essentia summa, & ab omni scientia est remota, & si melior est omni ratione & omni scientia, & super intellectum vniuersaliter, & essentiam collocatur.* Ex quibus verbis deducitur ipsa consequentia, scientia est existentium, per D. *D*ionys. hoc est eorum, quę sunt entia; & *D*eus per eumdem est remotus ab omni scientia; ergo per *D*. Dionys. Deus non est ens. Et ibidem docet, quod ex omnibus, quę sunt, nihil Deo debet tribui, sed remoueri. *Igitur superessentialitatem diuinā, qualis est supernominatis, supersubstantia, neque vt verbum, aut virtutem, neque vt animam, aut vitam, aut essentiam laudare est iustum. Nulla enim eorum, quæcumque super omnem veritatem sunt, veritate dicitur; sed vt ab omni habitudine, motu, vita, phantasia, opinione, nomine, verbo, virtute, intelligentia, essentia, statu, collocatione, vnitate, summitate, multitudine, omnibus, quæcumque sunt existentia, supereminentem, remotam.* Ex quibus patet, quod nihil magis intendit D. *D*iony. quàm ostendere quod ea, quæ sunt in *D*eo, valde diuersa sunt ab omnibus rationibus, quę in creaturis possunt excogitari. Quod etiam cap. 2. declarat, dum inquit. *Vnita quidem totius diuinitatis sunt, vt in Theologicis characteribus per plura ex eloquijs diuinis ostendimus, superbonum, superdeū, superessentiale, superuiuens, supersapiēs, & quæcunq. supereminentius sunt ablationis, cum quibus, & causalia omnia optimū bonum est.*

Deus ōni essentia superior.

X. In eandem quoque sententiam locutus est cap. 5. initio. *Non enim exponere eius supereminentialē bonitatem, & essentiam, & vitam, & sapientiam, per se superessentialis Deitas permittit, quæ est super omnem bonitatem, & deitatem, & essentiam, & sapientiam, & vitam.* Vbi aduerte, quòd quando inquit esse supra ipsam deitatem, non loquitur de deitate vt in se ipsa consideratur, quia non potest Deus esse supra se ipsum, sed loquitur de *D*eitate, prout à nobis concipitur. Et circa medium subdit, *Etenim Deus nondum est ens, sed simpliciter & incircumfinite totum in se ipso esse comprehens.* Et post medium, *Omnia est, vt causalis omnium, & in ipso omnia principia, omnes continens,*

Deus inexplicabilis.

omnes conclusiones, omnia existentia, coambiens, & prabahens, & super omnia est, ante omnia superessentialiter superans. Ex his ergo auctoritatibus, & rationibus, quæ in ipsis tanguntur, satis confirmata manet nostra sententia, quòd Deus non sit ens, sed id, quod nomine entis significatur, importare in ipso aliquid magis eminentiale.

Quomodo Deus sit ola.

Prima ratio.

XI. Possunt tamen addi nonnullæ rationes, quarum prima est, quòd quando aliquid cognoscimus in creaturis, & deinde transferimus ad Deum, non retinet eumdem modum essentialem essendi, sed alium acquirit, nempe infinitum; atque hic modus intrinsecè imbibitur tanquam constitutiuum illius rationis, quæ in Deo ponitur. Rursus hæ rationes sunt tales per essentiam, quare dicendum est, quòd sint diuersæ omninò ab iis, quas cognoscimus in rebus creatis. Consequentia ista probatur, quia si loquimur de modo essendi, certum est esse omnino diuersum à modo essendi, qui reperitur in qualibet ratione creata, & esse valde supereminens quicquid in creatura est excogitabile; cum ergo iste modus imbibatur in qualibet ratione, quæ tribuitur Deo, imò ipsamet ratio sit talis modus, necessariò concludendum est, has rationes esse valde diuersas ab ijs, quæ sunt in creaturis.

Cur ea, quę tribuimus Deo, sit diuersa à creaturis, q̃ uis à creatis sumpta.

Secūda ratio.

XII. Secunda ratio est, quia rationes formales, quas tribuimus Deo, vt esse ens, esse substantiam, & aliæ huiusmodi, habent ex intrinseca sua ratione, quòd sint Deus, atque idcircò omnes, vt dictum est etiam suprà, sunt de essentia Dei, vt Deus est, & ingrediuntur proprium constitutiuum ipsius; ergo licet eodem nomine appellentur, quo appellantur rationes formales, quæ sunt in creaturis, sunt omnino diuersę. Consequentia est clara, quia si vna ratio est constitutiua Dei in esse Dei, certè debet esse longè diuersa à quacunque ratione, quæ excogitari potest in creaturis. Antecedens verò declaratur. Deus in ratione Deitatis inuoluit omnem perfectionem excogitabilem, cum sit summum bonum, & infinitè perfectum; cum igitur quælibet ratio, siue entis, siue substantiæ, siue quæcunque alia, quæ in Deo ponitur, dicat perfectionem simpliciter simplicem, debet includi in ratione deitatis, quicquid autem in ratione deitatis includitur, est Deus. Vnde Boet. de Trinit. circa medium ait, *Deus vero hoc ipsum, quod est, Deus est; nihil enim aliud est, nisi quod est, ac per hoc ipsum Deus est.* Ex quo etiam elicitur confirmatio, quia vnaquęque ratio, quę in Deo ponitur, cum inuoluatur in ratione Deitatis, tanquam perfectio, inclusa ratione infinitatis in ipsa, habet etiam, quòd sit constitutiua Deitatis, quod nullo pacto conuenit formalitatibus, quæ sunt in creaturis.

Quicquid est in Deo intrinsecè Deus est.

Boet.

XIII. Tertia ratio efficax etiam est. Rationes, quæ in creaturis sunt accidentales, in Deo fiunt substantiales, vt sapientia, iustitia, intellectio, neque solùm per identificationem fiunt substantiales, quia cum substantia identificantur, sed formaliter sunt substantia, ita vt esse substantiale sit intrinsecum constitutiuum ipsarum. Rursus rationes, quę in creaturis sunt essentiales, vt ratio entis, ratio substantię, & quæ ex natura sua petunt esse distinctæ, nedum in Deo non petunt distinctionem; sed ab intrinseco suo, & secundùm essentialem exigentiam petunt esse essentialiter, & formaliter idem cum ijs rationibus, quæ in creaturis sunt accidentales, itaut omnes in vnicam simplicissimam simplicitatem coadunentur; ergo rationes omnes, quæ sunt in Deo, longè diuersæ sunt à quacunque, quæ in creaturis reperiatur. Antecedens est certum, præsertim in sententia eorum, qui non distinguunt attributa ex natura rei, vt Scotistæ, Consequentia verò etiam clarè colligitur, nam si in Deo aliquid petunt, & aliquid formaliter habent, & longè diuersum ab eo, quod dicunt hæ rationes in creaturis, cur non longè distabunt ab ipsis? non enim exigentia diuersa in iisdem rationibus fundari potest.

Tertia ratio.

Quæ in creaturis sunt accidentalia, in Deo intrinsecè sunt substantialia

XIV. Atque ex his colligitur, quàm inanis sit responsio Suarez, dum in metaph. disp. 28. sect. 3. num. 15. putat se eludere pręcedentes auctoritates, asserens, quod per illas non excluditur, quod creaturę non sint propriè entia, sed solùm quòd infinitè distent à Deo. Libenter enim concedimus esse propriè entia, & in omni rigore, cum hac tamen proprietate, vt ipse etiam ait, stare infinitam distantiam, qua à Deo distant. Ex hoc tamen sequitur, quòd ratione huius infinitæ distantię diuersa longè sit ratio entis in Deo, & in crea-

turis;qua diuersitate stante, nedum potest esse conuenientia vniuoca, sed neque etiam analoga, siuè attributionis, siue proportionis, vt supra probatum fuit, quoniam; hæc diuersitas ponit diuersitatem in ordine, secundùm eandem rationem entis, secundum quam asserit Suarez, esse analogiam dicentem conceptum superiorem communem Deo, & creaturis.

Resoluitur quædam difficultas.

SECTIO. VII.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ

I. Quod spectat ad fundamentum oppositæ sententiæ, quæ ponebat analogiam inter Deum, & creaturas in ratione entis, supra adductum sect. 2. eius solutio satis constat ex huc usque dictis; ex eo enim procedebat, quòd ens dicat conceptum communem Deo, & creaturis, per prius tamen, & posterius descendentem, quod nos negauimus, vt fusè hucusque ostensum fuit; nec aliquam analogiam proportionis admissimus; sed solum illam proportionalitatem, quę etiam in vniuocis, & disparatis reperitur, qua ita creatura se habet ad suum esse, sicuti etiam Deus ad suum, vt declaratum est. Hinc etiam ad confirmationem negatur assumptum, quòd videlicet inter Deum, & creaturam sit aliqua similitudo. Cum autem dicitur, Creaturam Deum imitari inadæquato modo, intelligi debet, quòd Deum imitetur, quatenus habet ideas rerum producendarum, & quatenus creatura participat aliquid ab esse Dei; non autem quatenus in esse formali sit similitudo, aut proportio analogica.

II. Sed hinc insurgit difficultas, quia videtur sequi, quòd ens sit æquiuocum Deo; & creaturæ, ex quo sequuntur plura incommoda, vt notat D. Th. quæst. 7. de potentia art. 7. primum est, quòd effectus non esset aliquo modo similis suę causæ: sed de hoc iam dictum est, creaturam non esse similem Deo, nec effectus æquiuocus debet esse similis suæ causæ, sed sufficit, quòd aliquid ab ipsa participet, creatura autem est effectus, æquiuocus Dei. Præterea cum omnis nostra cognitio de Deo ex creaturis sumatur, si sola nomina essent communia,

D.Tho.

nihil de Deo sciremus, nisi nuda nomina. Denique non possemus vti nominibus communibus Deo, & creaturis ad aliquid de Deo demonstrandum, quia medium demonstrationis esset æquiuocum; vnde omnis demonstratio esset sophistica, quòd valdè absurdum est.

III. Verùm non obstante, quòd neque sit analogia inter Deum, & creaturam, siue in ratione entis, siue in aliqua alia, non sequitur, quòd ens sit æquiuocum. Et ratio manifesta est, quia nomen æquiuocum in vno significat conceptum obiectiuè importatum per illud nomen, in alio verò nihil significat de tali conceptu obiectiuo, sed solùm nomen alteri æquiuocorum tribuitur, vt cũ imago hominis dicitur homo, tunc enim illi picturæ nudum nomen hominis conuenit. Verùm quando idem nomen tribuitur Deo, & creaturis, non ita res se habet; sed illud nomen in vtroque significat conceptum obiectiuum, qui quidem, licèt sit longè diuersus in Deo ab eo, qui est in creaturis, vt dictum fuit, tamen quia seruata proportione idem præstat in Deo, ac præstet in creaturis, ratione illius proportionalitatis. quam diximus interuenire, quia sicuti ratio entis in Deo facit ipsum esse, ita etiam ratio entis in creaturis, licèt longè diuersa, facit creaturam esse; ideò eodem nomine explicãtur hæ rationes diuersæ, & iuxta subiectã materiam debet intelligi, quo per illud nomen importatur.

Omnè idem nomen tribui tur Deo & creaturis, sine æquiuocatione.

IV. Hinc quando ex cognitione creaturarum ascendimus ad cognitionẽ Dei, & colligimus, debere esse aliquid in Deo, ita debet discursus procedere, vt non ponatur in Deo illud, quod cognoscimus esse in creaturis, neque aliquid analogum proportionale, sed tantùm aliquid, quod seruata proportione idem in Deo præstet, quod pręstat in creaturis. Quia, vt ait D. Maximus cap 11. Centur I. *Deus non cognitus nominatur, quin potius ex iis tantum, qui intelligentia percipiuntur creditur esse, quamobrem nihil eorum quæ intelliguntur cùm eo quacumque ex parte confertur*. Quare cùm hoc Patre aduertendum est, quòd, cùm dicimus Deum esse ens, esse substantiam, non intelligimus id, per quod Deus est, sed cognitionem de Deo aptando nostro captui concipimus esse Dei proportionatum ad esse creaturarum, & eodem nomine nominamus, non quòd re vera ita sit, sed

Quomodo ex cognitione creaturarum aliquid cognoscimus de Deo.

D. Max.

quia

quia ita nos concipimus. Quamobrem cum omnis cognitio, quàm de Deo habere possumus, sit proportionata nostræ intelligentiæ, sequitur, quòd vtendo nominibus communibus Deo, & creaturis ad aliquid demonstrandum, non vtamur medio æquiuoco; nec quando de Deo aliquid cognoscimus, sit tantùm nudum nomen, sed illi nomini subsit vera ratio obiectiua, quæ est in Deo, accommodata tamen nostro captui: & cum nomina significent iuxta nostros conceptus, hinc fit, quòd, dum illud nomen significat rationem obiectiuam, quæ est in Deo, & valde diuersam ab ea, quæ est in creaturis quia tamen ratio illa in nostro conceptu est cùm proportione ad eam, quæ est in creaturis, non sit nomen æquiuocum, Et hac ratione fortasse D.T. 1. par. quæst. 13. art. 5. docuit nomina, quę de Deo dicuntur, dici analogicè.

D.Th.

V. Præterea si quid de Deo cognoscimus, id tantùm à posteriori colligimus intuendo id, quòd est in creaturis, & tāquam ab effectu deueniendo in cognitionem causæ; quia autem id, quod est in creaturis, est aliquid participatum, sequitur, quòd sit ratio communicatiua in Deo illius esse, at quæ talis sit per essentiam, quod explicauit D. Dionys. de diuinis nominibus cap. 2. post medium. *Diuina enim omnia, etiam quæ nobis patuerunt, solis participationibus cognoscūtur. Hoc ipsum verò qualia in se ipsis existant secundum proprium principium, atque sedem super intelligentiam extat, omnemque essentiam, & notitiam supereminet veluti si superessentiale illud, atque secretum appellamus Deum, aut vitam, aut essentiam, vel vt lumen, vel rationē, atque verbum, nihil intelligimus aliud, quam aliquas in nos ex eo profluētes participationes, atque virtutes, quæ videlicet diuini nos aliquid faciant, vel essentiam, aut vitam, aut sapientiam largiantur.* Ex quo fit, quòd optimè à posteriori possimus colligere aliquid de Deo, non tamen illud attingendo, prout in se est; quare, cum etiam illud nominamus, non nominamus, prout in se est; sed prout accōmodatur nostræ intelligentiæ tribuendo denominationem effectus ipsimet causæ; quia enim in rebus creatis elucet quidam ordo, & proportio sapienter facta, tribuimus Deo sapientiam, & sic dicendum de reliquis, vt explicauit D. Dionys Atque hæc dicta sint de ente comparato ad

D.Dio.

Quæ Deo tribuimus signifi cāt vim cōmunicatiuam quā nobis communicat.

Deum, & creaturas. Ex quibus colligitur, ens vt sic non diuidi in creatum; seu infinitum, & finitum, quia omne diuisū dicit aliquid commune; ens autem non est quid commune Deo, & creaturis; quare cum dicitur, Ens creatum adæquare totam latitudinem entis realis, tunc non sumitur ens propriè, prout dicit vnum conceptum proprium obiectiuum, sed impropriè pro omni eo, quod non est nihil sed aliquid, & significantur tantùm hæ duæ rationes entis omnino inter se diuersæ; altera quidem, quæ talis est per participationem, altera autem, quæ est ens per essentiam, & imparticipatum. Cùm igitur non sit diuisio propriè dicta, restat, quòd cùm dicitur, Ens aliud increatum, aliud creatum assignentur tantùm aliqui termini subordinati adęquantes totum id, quod est contradistinctum à nihilo, non verò aliqua extrema diuidentia aliquam rationem communem.

Quomodo aliqua analogia admitti possit inter Deum, & creaturas in ratione entis.

Disp. XXX.

Quædam adnotantur pro vera explicatione.

SECTIO I.

I. QVamuis inter Deum, & creaturam in ratione entis non sit aliqua analogia, siuè proportionis, quæ importat aliquam rationem communem inęquali modo participatam, aut quæ importat in creatura aliquam rationem proportionaliter similē illi rationi, quæ est in Deo; siue attributionis, qua creatura sit ens per ordinem ad Deum, vt vidimus;

dimus; sed solùm interueniat illa proportionalitas, quæ est inter res omnino diuersas, & qua vna ita comparatur ad suũ esse, sicuti altera ad suum, proportione seruata; hoc supposito, tamen adhuc existimo, quòd possit interuenire aliqua analogia attributionis, quæ saluet, saltem secundùm nostrum modum cognoscendi, ea, quæ Deo tribuimus, & prout de Deo philosophamur conformiter ad ea, quæ in creaturis cognoscimus; vt enim supra ex D. Dionysio docuimus, ea, quæ ex creaturis de Deo venamur, quia valdè improportionata sunt nostro intellectui, pro hoc statu, per similitudines, & formas rerum, quas cognoscimus, accommodamus nostro captui, & veluti imaginibus nostro captui proportionatis vestimus; hoc ergo stante, existimo, interuenire analogiam attributionis inter Deum, & creaturas in ratione entis.

Quę nõ in Deo accōmodantur nostro captui per imagines ex creaturarum.

II. Vt autem hoc declaremus, supponenda est doctrina, quam tradit D. Th. 1. par. q. 13. ar. 3. in corpore, vbi docet, quòd nomina, quæ de Deo dicuntur, si considerentur quantùm ad modũ significandi, propriè dicuntur de creaturis, non autem de Deo, cuius rei rationem assignat eam, quam modo tetigimus, quia videlicet Deum cognoscimus ex perfectionibus, quæ ab ipso creaturis communicantur, quæ perfectiones eminentiori modo in Deo sunt; cùm autem intellectus noster eas apprehendat, quatenus sunt in creaturis, eas suis nominibus vocat, secundùm quòd apprehendit, atque his iisdem nominibus eas etiam, quę in Deo sunt nominat; hinc fit, quòd cum hæc nomina significent eo modo, quo intellectus apprehendit res cõceptas, quãdo Deo tribuuntur, non propriè, secundùm modum significandi, ipsi competunt, quamuis quod significatur propriè conueniat, vt ibidem docet D. Th. Vndè quatenus significant eo modo, quo concipimus, seu quatenus significant id, ad quod primo significandum instituta sunt, non, ponunt propriè in Deo rem significatam sed tantùm causatiuè.

D. Tho.

Nomina quę Deo tribuuntur secundum modum significandi propriè dicuntur de creaturis.

III. Præterea Hinc etiam sequitur, vt docet idem D. Th. ibidem ar. 6. similiter in corpore, quòd ea nomina, prædicantur propriè de creaturis, & significant præcisè, & formaliter id, quod in ipsis est, & eo modo etiam, quo est, si considerentur, quatenus dicuntur de Deo causaliter tantùm, seu quatenus tribuuntur Deo ex eo, quòd causat ea, quæ sunt in creaturis, quòd per priùs dicantur de creaturis, quàm de Deo, cùm enim docuisset, quòd nomina, quæ dicuntur metaphoricè de Deo, per priùs de creaturis dicuntur, subdit, *De alijs autem nominibus, quæ non metaphoricè dicuntur de Deo, esset etiam eadem ratio, si dicerentur de Deo causaliter tantum*, Ita D. Th. & ratio est, quia videlicèt significarent, quòd Deus tantùm esset causa illorum; quæ per talia nomina significantur, non verò quòd esset formaliter talis.

D. Th.

Quomodo interueniat analogia.

SECTIO II.

I. Hoc ergo præsupposito explicatur nostra sententia. Nomen entis non conuenit Deo, quia ens sit, non enim, vt suprà ostendimus, est ens, quasi participet rationem formalem entis, sed aliquid eminentius, & supra ens, quod nos ad modum entis, quod in creaturis reperimus, concipimus, Itaque si nomẽ entis in sua propria significatione concipiatur, non potest conuenire Deo ab intrinseca forma, quia in se non habet hanc rationem entis, quæ per tale nomen importatur, sicuti medicina non dicitur sana ab intrinseca forma, quia intrinsecè non participat sanitatem. Atque hæc est doctrina, quàm tradit D. Damascenus supracit. lib. 1. de Fid. cap. 4 dum inquit *De Deo tamen, quid est secundùm substãtiam dicere, impossibile, conuenientiusque de Deo longe est per omnium ablationem facere sermonem. Nam nihil eorum, quæ sunt, est, sed vt omnia entia superminens, & super ipsum esse, ens.* In cuius rei confirmationem adduci possunt ea, quæ attulimus etiam supra ex D. Dionys. cap. 1 de diuinis nominibus, vbi habet, *Igitur superessentialitatem diuinam, qualis est superbonitatis; supersubsistentia, neque vt verbum, aut virtutem, neque vt animam, aut vitam, aut essentiã laudare est. Nihil enim eorum, quæcunque super omnem veritatem sunt, veritate dicitur; sed omni habitu, motu, vita phantasia, opinione, NOMINE, verbo, virtute, intelligentia, essentia, sensu, collocatione, vnitate summitate, multitudine, omnibus quæcunque sunt existentia supereminenter remotam.*

Deus nõ est ens ab intrinseca forma.

D. Dam.

D. Dionys.

II. Cæterum quamuis Deus non habeat

habeat in se formaliter illud, quod important nomina, quæ tribuuntur etiam creaturis, & quæ significant perfectiones creaturarum, est tamen causa harum perfectionum. Hinc D. *Dionys.* de *Diuinis* nominibus cap. 5. post medium inquit. *Omnia est, vt causalis omnium, & in ipso omnia principia, omnes confines, omnes conclusiones, omnia existentia coambiens & prahabens, & super omnia est, ante omnia, superessentialiter super ens.* Cùm igitur sit causa perfectionũ creaturarum, & etiam illius entis, quod participant creaturæ, & quod nomine entis propriè significatur, fit quòd analogicè possit dici ens, quatenus causat ipsum ens, quod est in creaturis, sic medicina dicitur sana quatenus causat sanitatem, quæ est in animali. Et hoc est quod docuit *Idem* D. Dionys. cap. 2. de diuinis nominibus post medium, dum ait *Diuina enim omnia, etiam qua nobis patuerunt, solis participationibus cognoscuntur*, Et post pauca, *Velut si superessentiale illud, atque secretum appellamus Deum, aut vitam, aut essentiam, vel vt lumen, vel rationem, atq; verbum, nihil intelligimus aliud, quam aliquas in nos ex eo profluentes participationes, atque virtutes, qua videlicet diuinos nos aliquid faciant, vel essentiam, aut vitam, aut sapientiam largiantur*, Ex quibus patet, quomodo possit *Deus* analogice dici ens, quatenus videlicet illud causat, non autem quia in se sit tale. *Sed* hic aduertendũ est quòd circa habitudinẽ quam dicit minus principale analogatum ad maius, alio modo philosophandum est in Deo, nam ipse superminenti modo cõtinebit hanc analogiam, quæ solùm se habebit ad modum analogię, prout explicamus ea, quę sunt in Deo conformiter ad ea, quæ sunt in creaturis, vt toties diximus. Neque incongruum est, quòd Deus sit minus principale analogatum, siquidem esse minus principale analogatum, indicat, quòd Deus sit causa ipsius entis, atque causa prima, & consequenter, quòd sit ipsa superessentia modo magis eximo habens in se, quod cœteris cõmunicat.

D.Dion.

Deus est ab extrinseca forma, quatenus illud causat.

Obiectio.

III. Dices Nonne ad analogiam attributionis requiritur aliqua forma, quæ sit apta denominare denominatione extrinseca? ens autem non est aptum denominare denominatione extrinseca siquidẽ importat aliquid, quod ex vi suę formalitatis se habet vt intrinsecum constitutiuum, non autem formam adiacentem, quæ sola potest denominare denominatione extrinseca, & ideo non est aptum, vt denominet denominatione extrinseca. Respondetur ad analogiam attributionis requiri certè denominationem desumptã à forma extrinseca, atque adeo formam aptam denominare tali pacto: insuper etiam verum est, ens, quantùm est de se, non esse aptum denominare denominatione extrinseca, cùm non sit forma adiacens sed constitutiua. Nihilominus tamen in Deo est diuersa ratio, nam in ipso iam habetur denominatio entis desumpta ab ente; quod est in creaturis; cùm enim non possit intellectus noster, vt diximus concipere ea, quæ sunt in *Deo*, nisi per imagines rerum creatarum captui suo accommodet, atque adeo iisdem nominibus appellet, vt eius supereminentialẽ esse concipiat, illi accommodat rationem entis, quæ est in creaturis, & tribuit idem nomen; vndè iam habet denominationem desumptam ab ente, quod est in creaturis. Hoc igitur stante, cum *Deus* nõ sit intrinsecè ens, sed quid supereminentius, vt vidimus supra, iam secundùm rei veritatem nomen entis non significat formam intrinsecam *Deo*, quàm importat ex vi sui modi significandi, sed est nomen desumptum ab aliquo, quod est extrà *Deum*, & primo impositum ad illud significandum. *Deus* enim non potest à nobis nominari nisi ex creaturis vt docet *D.* Thom. 1. par. quæst. 13. artic. 1. & proinde quæcumq; nomina tribuimus Deo, secundum modum significandi per prius dicuntur de creaturis, vt ibidem docet artic. 6. cum igitur Deus sit causa entis, & habeat denominationem entis, si per talem denominationem significemus vim illã causatiuam entis interueniet analogia attributionis, quia dicetur ens ex eo, quod est causa entis, quemadmodum ex *D. Dionys.* citato, cum dicitur essentia, aut quid huiusmodi, intelligitur, quòd causet in nobis essentiam, aut alia huiusmodi.

Respo sio.

Quæ forma requiratur ad analogiam tributionis.

Cur respectu Dei ens sit apta forma pro analogia tributionis.

D. Th.

Nomina quæ dicuntur in Deo secundum modum significandi per prius dicuntur de creaturis.

IV. *Rursus dices.* Attributio importat quamdam imperfectionem, & ideo non debet poni in *Deo*, cum illi omnis imperfectio repugnet. *Sed* respondetur, attributionem in eo formaliter consistere, quòd nomen, quod vni per formã intrinsecam conuenit, alteri tribuatur significando per ipsum aliquid aliud eidem intrinsecum, ratione cuius dicat aliquem ordinem ad id, à quo nomen desumitur,

Altera obiectio.

In quo cõsistat formaliter attributio

vndè

vndè nullam importat imperfectionem, nisi, aunexa sit cum eo, quod significatur cum ordine. Denominatio enim extrinseca ex se non dicit imperfectionem, quam enim imperfectionem dicit agens, dum denominatur ab actione, quæ est in effectu? imò solent huiusmodi denominationes tribui Deo, nam dicitur dominus à subiectione, quæ est in creatura, dicitur creator à creatione, quę secundū multorum opinionem est solum in creatura. Neque ratione rei significatæ hæc attributio importat imperfectionem, quia significatur per ipsam maxima perfectio Dei, nempè vis causatiua entis; neque etiam ratione ordinis, quia necessario ponendus est in Deo ordo ad suos effectus, siue realis, siue rationis, neque omnis ordo importat imperfectionem, sed ille solùm, qui imbibit dependentiam; quam autem dependentiam imbibit uis causatiua respectu sui effectus? Nec verum est, quòd hæc attributio importet causam solùm partialem, quia sol dicitur calidus per attributionem ad calorem, quem potest efficere, & tamen in suo genere est causa totalis illius. Quamobrem quatenus consideramus Deum denominari ens & non esse proprie ens, sed quid supereminentius, ita vt tale nomen non importet illam formam intrinsecam Deo, quam ex vi sui proprii modi significandi formaliter significat, sed solùm vim causatiuam entis, admittere possumus hanc analogiā modo explicato in ratione entis, ita vt hoc nomen *Ens* dictum de Deo claudat in suo conceptu ens, quod est in creaturis propter attributionem ad ipsas. Nomina enim, quæ dicuntur de *Deo*, quatenus causaliter accipiuntur, claudunt in suo conceptu id, quod per ipsa significatur in creaturis, vt docet D. Th. supra cit. art. 6. quæstionis. 13. primæ partis his verbis. *De alÿs autem nominibus, quæ non metaphoricè dicuntur de Deo esset etiam eadem ratio, si dicerentur de Deo causaliter tantùm, vt quidam posuerunt. Sic enim cum dicitur Deus est bonus, nihil aliud esset, quam Deus est causa bonitatis creaturæ. Et sic hoc nomen bonum dictum de Deo clauderet in suo intellectu bonitatem creaturæ. Vnde bonū per prius diceretur de creatura, quam de Deo. Sed suprà ostensum est, quòd huiusmodi nomina, non solùm dicuntur de Deo causaliter, sed etiam essentialiter.* Ecce ergo quomodo concedit hæc nomina dici de Deo etiam causaliter, & quatenus tali pacto dicuntur, importare attributionem ad creaturas, prout inuoluunt in suo conceptu ratione attributionis id quod in creaturis significant.

An importet imperfectionem

Denominationes extrinsecæ non repugnant Deo.

D. Th.

Expenduntur quædam aliæ Entis diuisiones. Disp. XXXI.

Ens non diuidi vera diuisione in Vnum, & Multa.

SECTIO I.

I. Præter supradictas diuisiones entis, aliæ etiam circumferri solet, quarum præcipua est illa, qua ens diuiditur; in vnnm, & multa, quę censetur diuisio adæquata, cum sit per membra immediatè opposita, multitudo enim immediatè tollit vnitatem, & contrà vnitas immediatè tollit multitudinem. Et desumitur hæc diuisio ex Arist. 10. Methph. tex. 9 Difficultas igitur in præsenti est, an sit vera diuisio, ita vt ens verè per hęc membra diuidatur, an potius sit quædam assignatio, quæ cadat supra diuersa entia diuersimodè se habentia. Soncin. enim 10 Metaphys. quæs. 1. nedum putat esse veram diuisionem, sed etiam omnium primam; citat. etiam *D.* Th. 1. par. quæs. 11. ar. 4. ad 3. & in 1. dist. 24. quæs. 1. ar. 3. Sed id non habetur ex his locis, neque docet hanc diuisionem esse veram diuisionem, sed solum, quòd id, quòd primò cadit in intellectum, est Ens, deinde diuisio, tertiò vnum; & denique multitudo, imò dicit, quòd multitudo sequitur vnitatem, ait enim citato loco primę partis *Sed multitudo, etiam secundùm rationem, consequenter se habet ad vnum, quia diuisa non intelligimus habere rationem multitudinis, nisi per hoc, quòd vtrique attribuimus vnitatem; vnde vnū ponitur in definitione multitudinis, nō autē multitudo in definitione vnius.*

Diuisio entis in vnū. & multa

Arist.

Esse verum diuisionē aliorum opinio.

Soncin. D.Th.

II. Pro-

Fundamenta huius sententię

II. Probat autem Soncin. suam sententiam, quoniam, inquit ipse, omnis diuisio debet fieri per ea, quæ consequuntur diuisum, & inter se habent oppositionem vt vnum membrum exeludatur ab altero; vnde immediata diuisio debet esse per ea, quę immediatè, & primò consequuntur diuisum. Talis autem est diuisio entis in vnum, & multa; vnum enim proximè, & immediatius cœteris sequitur ens, & veluti ipsum actuat, multitudo verò est differentia opposita vnitati, & proinde, quandò ens diuiditur per vnum, & multa, diuiditur per differentias oppositas, immediatè ipsum consequentes. & consequenter erit vera, & prima diuisio. Quod etiam confirmat, quoniam illa diuisio, quæ est per primas differentias oppositas, oportet, quod sit vera diuisio; sed vnum, & multa sunt primæ differentię oppositæ, cur ergo talis diuisio non erit vera diuisio, & prima? Præterea quando concipimus puram rationem entis, in illo priori est distinctum à cœteris, ad quæ descendendo determinatur, & est vnum in se, ergo vnum, & multa verè, & primò diuidunt ens. Alia plura affert, sed ijs tantum probat, quòd diuisio entis in Vnum, & Multa, pręcedat diuisionem eiusdem in infinitũ, & finitum.

Nō esse verā diuisionē. Altera opinio.

III. Nihilominus tamen cœteri graues auctores censent, non esse veram diuisionem; sed vnum, & multa cadere supra eadem entia, quæ secundum vnam rationem sint multa, & secundum aliam sint vnum. Ita docet præcipuè *D.* Thomas 1. part. quæst. 11. artic. 1. in resp. ad secundũ, cuius doctrinam sequitur & explicat Caiet. ibid. & ait, quòd alterum membrum, nempe Multa, non est membrum simpliciter, sed secundum quid, & præterea etiam *S*uarez. in Metaphy. disp. 4. sect. 4. Nouissimè etiam Auersa in sua Philosophia quæst. 5. sect. 1. negat, hanc esse veram diuisionem, sed non ob eamdem rationem, sed quia ex vna parte accipiendum est ens cum vnitate, & ex altera entia cum multitudine; vnde hæc non est diuisio, quemadmodum neque si diuidatur homo in vnum hominem, & multos.

D.Th. Caiet. Suarez Auersa

Conclusio.

IV. Et sanè ita dicendum est. Hanc scilicet non esse veram diuisionem, sed solùmmodo quamdam assignationem, qua ex vna parte assignatur vnicum ens, ex altera verò multiplex, atque hoc euidentissimum puto, si res attentè consideretur, atque optimis rationibus conuinci posse, quarum prima est, quòd omnis diuisio vera, qua aliquid reale diuiditur, & positiuum, debet fieri per membra realia, atque positiua, cuius rei ratio est quoniam ratio diuisa debet reperiri in membris diuidentibus, cum autem sit positiua, non posset reperiri, si membra diuidentia non essent similiter positiua, & realia; quomodo enim positiuum tanquam ratio communis & superior communicari poterit negatiuo, & non reali? Rursus ratio diuisa, respectu rationum diuidentium se habet vt quid actuabile, & determinabile ad alium gradum essendi magis determinatum; at quomodo poterit actuari ratio positiua per aliquid non reale, & negatiuum? aut quomodo negatiuum poterit exhibere gradum essendi magis determinatum? Modo vnum, & multa ita se habent, vt alterum ipsorum sit mēbrum negatiuum, opponuntur enim negatiuè, vel priuatiuè, quod nunc parum interest; quomodo ergo poterunt esse membra diuidentia ens vera diuisione? vnde licet differentiæ debeant esse oppositæ, non tamen debent esse oppositæ oppositione negatiua, aut priuatiua, sed oppositione positiua, quamuis postea fundare possint aliam oppositionem priuatiuam, vel negatiuam.

Diuisio entis in vnum & multa non est vera diuisio.

1. ratio.

Omnis diuisio debet fieri per mēbra positiua.

V. Secundo argumentari possumus ex alia condicione necessario requisita ad veram diuisionem, quæ est, quòd ratio diuisa non descendat totaliter, & secundum totam suam latitudinem ad vnum tantum membrum diuidens, ita vt cum ipso adęquetur, sed etiam debet descendere ad alia, ita vt omnia adæquent rationem diuisam. & vnumquodq. seorsim sumptum minus pateat, quàm ratio diuisa; quomodo enim cum rationes diuidentes, vt diuidant, debeant esse oppositæ, ita vt se inuicem exeludant, nec seruent inter se sub ordinationem, poterit ratio communis diuisa descendere secundum se totam, & totaliter ad vnum tantum membrum, & cùm ipso adæquari? aut quomodo, si cum vno adæquatur, poterit diuidi, ab alio, cum diuidi nihil aliud sit, quàm reperiri in omnibus membris diuidentibus, & eũ nullo seorsim sũpto adęquari? Horũ sanè impossibilitas ex sola termino-

II. ratio

Mēbra diuidentia debent singula minus patere quā diuisum.

rum cognitione manifesta est. Applicando ergo hanc doctrinam ad præsentem materiam. Vnum, atque ens adæquantur adinuicem, nec latius patet vnũ, quàm alterum:

Arist.

vnde Arist. 10. Metaph. tex. 6. inquit *Quare neque genera naturæ quædam, & substantiæ à cæteris separabiles sunt, nec ipsum Vnum genus contingit esse propter easdem causas, propter quas, nec ens, adhuc autem similiter in omnibus necesse est se habere*,

Ens vnũ adæquãtur.

Atq; cum ita docuisset, quòd Ens, & vnum eodem modo se habent in omnibus, statim concludit. *Dicuntur autem æqualiter ens, & vnum*. Et tex. 8. eiusdem libri habet hæc verba. *Quod autem idem quodammodo significat vnum, & ens, patet etiam ex eo, quod æqualiter sequitur prædicamenta, & in nullo est, nec ipso quid est nec in ipso quale, sed similiter se habet sicuti ens, Et ex eo, quòd in prædicatione vnus homo non addit aliquid aliud, quàm homo, sicuti nec ipsum esse præter quid est, aut quale, aut quantum; & vni esse est vnicuique esse*; Et etiam ratio euidens est, quoniam vnitas est passio ipsius entis, omnis autem passio propria adæquatur cum suo subiecto; Si ergo vnum est passio entis, atque cum ipso adæquatur, quomodo potest esse membrum diuisiuum illius? Hę sanè duæ rationes mihi demonstratiuę videntur.

Tertia ratio.

VI. Sed etiam tertiam addere possumus, quæ ex præcedentibus eruitur. Altera enim condicio ad veram diuisionem necessaria, quæ ad pręcedentem sequitur, est, quòd fiat per differentias veluti extrinsecus aduenientes, non autem per rationes, quæ ab intrinseco rei diuisæ proueniant, alioquin si ab intrinseco procederent, non possent esse contractiuæ rationis diuisæ, sed æquè latè paterent: vnde sequitur, quòd impossibile sit, subiectum diuidi per proprias passiones, quia cum hæ sequantur ab intrinseco ipsius, nequeunt esse contractiuæ subiecti.

Diuisio est per differentias extrinsecus aduenientes.

Quin adhuc ex alio capite propria passio nequit esse ratio diuisiua subiecti, quia scilicet quamuis necessariò connexa sit cum ipso, accidentaliter tamen se habet, vnde subiectum actuatur per propriam passionem tanquam per accidens, & supponitur ab eadem constitutum in proprio esse; at ratio diuisiua se habet tanquam differentia, & facit vnum per se cum ratione diuisiua, ita vt hæc sit in potentia essentiali ad rationem diuidentem. Quare manifestè concluditur, quòd cùm vnum, seu vnitas sit passio entis, vt indubitatum est, non possit esse ratio diuisiua ipsius, & consequenter non esse veram diuisionem, quãdo Ens diuiditur in vnum, & multa, cùm non fiat per vera membra.

IV. ratio

VII. Denique alia efficacissima ratione id conuincere possumus, quę desumitur ex oppositione, quæ debet interuenire inter rationes diuidentes rationem aliquam communem. Stante enim huiusmodi oppositione imprimis sequitur, quòd nullo pacto rationes diuidentes ità se debeant habere, vt vna sequatur ex alia, atque ipsam supponat tanquam fundamentum, in quo radicetur; debent enim rationes diuidentes æquè primò se habere ad rationem diuisam, & non vna illi aduenire ratione alterius, alioquin non diuiderent rationem communem, quemadmodum neque diuidunt passiones, quarum vna conuenit ratione alterius; imò neque possent habere inter se oppositionem; quæ enim habent oppositionem, non habent ordinem inter se prioris, & posterioris. rursus differentiæ ex vi illius oppositionis, quam inter se habent, sunt omnino incompossibiles, ita vt nihil de vna differentia reperiri possit, vbi altera reperitur; ita enim se tollunt adinuicem, vt fundent contradictionem.

Differentiæ diuidentes debent esse oppositæ nec vna conuenire ratione alterius & insuper incompossibiles.

huiusmodi autem condiciones desunt in vnitate, & multitudine; nam imprimis multitudo sequitur ad vnitatem, & prius enti conuenit vnitas, quàm conueniat multitudo, imò multitudo illi conuenit ratione vnitatis, vnde *D.* Tho. 1. par. quæst. 11. articolo. 12. quem supra etiam citauimus, inquit. *Sed multitudo etiam secundum rationem consequenter se habet ad vnum: quia diuisa non intelligimus habere rationem multitudinis, nisi per hoc, quod vtrique diuisorum attribuimus vnitatem*;

D. Tho.

Ex quibus constat quod multitudo fundatur in vnitate, & idcircò deficit essentialis condicio rationum diuidentium. Hinc altera quoque condicio deficit, cum enim multitudo fundetur in vnitate, oportet, quòd in membro illo diuidente, quod constituitur per multitudinem reperiatur vnitas tanquam fundamentum ipsius multitudinis, & quamuis non sit illa vnitas, quę tollitur per illam multitudinem, est

tamen

tamē vnitas einsdem rationis cum illa; nam multitudo numeralis tollit vnitatem numeralem, & tamen in vnitate numerali fundamentum habet. Nec prodest, quòd vnitas respectu multitudinis materialiter se habeat, quia ratione oppositionis neque vna differentia potest substerni alteri, & materiali modo se habere respectu illius. Quamuis si multitudo in tota sua latitudine sumatur, & vniversalitate, certum est, quòd opponitur cum quacumque vnitate, quia continet sub se omnem rationem multitudinis, & tamen adhuc funda tur in aliqua vnitate; quomodo igitur potest habere veram oppositionem differentialem cnm illa? Constat ergo, non esse hanc veram diuisionem, sed tantum qnamdam assignationem, qua ex vna parte assignatur tantùm vnicum ens, ex altera verò mnltiplex.

Ad fundamentum in oppositum.

VIII. Neque fundamentum Soncinatis est alicnius considerationis, patet enim ex dictis, quid respondendum sit; optimè enim assumit, quòd vera diuisio fit p ea, quæ immediatè se habent ad diuisum, supposito tamen, quòd vtraque ratio diuisiua immediatè se habeat; & quod vtraque sit positiua, & habeat rationem propriæ differentiæ, quas omnes conditiones necessarias esse, ostendimus, & deficere in vnitate, & multitudine, cum vnitas se habeat tanquam passio, & multitudo sit quid negatiuum, & ratione vnitatis conueniat enti. Hinc ad confirmationem negamus, hanc diuisionem esse per ptimas differentias, cum ostensum sit, vnitatem, & multitudinem non habere rationem differentiæ. Alteram confirmationem eodem modo soluimus, quod scilicet vnitas non se habet immediatè ad ens, tanquam differentia, sed tanquam prima passio, quæ cnm ipso adæquatur, & ideo non est apta, vt ipsum vera diuisione diuidat.

Expenduntur nonnulla alia Entis diuisiones.

SECTIO. II.

I. SOlēt quædam aliæ entis diuisiones assignari, quę frequentes fuut apnd Doctores, & solent communiter recipi tanquam adęquantes ipsum fins; an autem sint veræ diuisiones, nōn disputāt Sunt autem plures huiusmodi diuisiones, quarum præcipua, & veluti magis vniuersalis videtur illa, qua Ens diuiditur in Ens per se, & Ens per accidens; & desumitur ex Arist. 5. Metaph. tex. 13. vbi habet *Ens dicitur aliud secundum accidens, alind per se*. Quidam enim frequenter in progressu philosophię videntur admittere quoddam ens supremum, quod præscindat ab ente per se, & ab ente per accidens; & hæc doctrina nedum apud Recentiores reperitur, sed etiam apud veteres, & graues auctores, vt præsertim videre licet apnd expositores citato libro quinto Metaphysic. & hoc volunt, quod sit primum ens, & magis vniuersale, quàm ens illud, quod diuiditur in creatum, & increatum. Deinde Ens diuiditur etiam in Ens ad se, & ens Ad aliud, seu in Absolutum, & Respectiuum. Tertiò in Spirituale, & Corporeum. Quartò in ens Complexum & Incomplexum; Et Quintò denique in substantiam, & Accidens atque fere communiter videntur sentire, vt etiam notat Auersa in sua Philosophia quæst.17.sect.2 has omnes diuisiones esse immediatas, quamuis non omnes ita expresse loquantur. Nos autem, quid dicendum videatur, breuiter expediamus.

Diuisio Entis in per se, & per Accidēs

Arist.

Aliæ entis diuisiones

Auersa

II. Quod igitur spectat ad primam diuisionem entis in Per se, & per Accidens, existimo non esse veram diuisionem; in qua diuidatur aliqnid superius commnne, sumendo ly per accidens formaliter, vt tale est; sed hanc pariter esse quamdam assignationem, in qua ex vna parte assignatur vnicum ens, & ex altera aggregatum ex pluribus entibus. Atque hoc colligitur ex communi doctrina, docent enim communiter Doctores, quòd de ente per accidens non habetur essentia, qnia scilicet non habet veram sententiam. Atque hæc doctrina desumitur ex Arist. 1. Poster cap. 5. vbi docet, quòd scientia est tantùm de iis, quæ necessaria sunt, & per se, non autem de ente per accidens, quod non est ex iis, quæ necessaria sunt, & præsertim tex. 19. inquit. *Accidentium verò non per se quomodo determinata sunt per se; non est scientia demostratiua, non enim ex necessitate monstrare conclusionem accidens nanque contingit non inesse.* Et etiam in lib.6. Metap. eamdē doctrinā tradit nā tex.4 habet *Cū itaq; ens multipliciter dicatur, primo de eo, quod secundū accidens est dicendum*

Diuisio entis in per se & per accidens non est vera diuisio

Arist.

Ens per accidens non est scibile

quòd nulla circa illud speculatio est. signũ autem, quòd nulli scientiæ curæ est illud neq. Actiuæ neq. factiuæ neq. speculatiuæ.

III. *E*x hoc ergo sic argumentari possumus. vel ens per accidens, vt tale est, formaliter addit aliquam rationem entis supra illa entia per se, ex quibus coalescit vel non addit. Primum non potest dici, quia hoc est contra rationem entis per accidens, quòd dicat aliquam rationem entis superadditam entibus per se; tunc enim non esset amplius ens per accidẽs, sed per se, quia tunc illa ratio entis superaddita esset vna, & simplex, qua constitueretur tale, & tale ens per accidens, omnis autem ratio entis, vna, & simplex est ens per se. Deinde in hac ratione entis superaddita deberent distingui genera, & species, quemadmodum in ente per se; nimirum deberet dari ratio superaddita entis per accidens vt sic, deinde talis, atque talis entis per accidens; hinc cum species habeat sua principia intrinseca, & necessaria, & definibilis sit vera, & propria definitione, sequeretur, quòd de ente per accidens, vt tale est, daretur vera, & rigorosa scientia, quæ procederet ex necessarijs, nimirum ex causis intrinsecis, & definitione; quòd si haberet causas intrinsecas necessarias eadem esset ratio de ipso, ac de ente per se: cùm igitur certum sit, de ente per accidens non posse dari scientiam, oportet concludere; quòd neque dicat hanc rationem entis superadditam entibus per se, ex quibus coalescit. Si ergo dicit sola entia per se, ex quibus coalescit, vbi est gradus enti proprius, quo diuidatur ens, vt sic? Certum enim est, quod nulla potest fieri diuisio, in qua non interueniant duæ rationes diuidentes, quarum vnaquæque dicat proprium gradum entis, quo rationem diuisam veluti actuet, & determinet illam coarctando ad certum modum essendi.

Ens per accidẽs nõ addit aliquid supra entia p se.

IV. *S*ed etiam si Ens per accidens importaret aliquam rationem entis, ratione cuius se habere posset tanquam ratio differentialis diuidens, neque adhuc huiusmodi esset vera diuisio entis vt sic. Hoc autem ita declarari potest. Vt enim ens vt sic diuidatur, necesse est, quòd rationes diuidentes cadant supra ipsum, ex eo enim diuidunt, quòd adueniunt rationi diuisæ; at ratio entis per accidens non aduenit enti vt sic, nam ens per accidens ex intrinseca sua ratione dicit coalescere ex pluribus entibus per se; ex quo fit, quòd fundetur immediatè in entibus per se, non autem immediatè se habeat ad ens vt sic; rursum cum non possit coalescere, nisi ex pluribus entibus per se, oportet, quòd dentur plures rationes entis per se, quibus antequam consurgat ens per accidens contractum, & determinatum, sit ens vt sic, & constituantur plura entia per se, ex quibus ipsum consurgat. Quin addo quòd ens per accidens verum, & quòd possit esse in rerum natura, supponit veram multitudinem realem, & non secundùm rationem, atque adeò supponit plura entia physica, ex quibus consurgat, atque adeò indiuidua, sine quibus non potest dari vera multitudo, neque aggregatum ex pluribus entibus; vnde tantùm abest, quòd sit ratio diuidens ens vt sic, vt etiam supponat factas omnes diuisiones, quatenus vt sic potest habere vsque ad esse indiuiduale.

Ens per accidẽs nõ cadit supra ens vt sic immediate.

Supponit entia physica indiuidua.

V. Sed magis adhuc vrgetur, nam etiam si ens per accidens immediatè afficeret ens per se, neque adhuc posset esse ratio diuisiua illius; quòd sic declaratur; oportet enim, quòd rationes diuidentes sint inter, se oppositę, & coarctatiuæ rationis communis, & consequenter neutra ipsarum reperiri potest imbibita in ratione communi; atque hoc est euidentissimum. Modo in casu nostro ratio entis per se imbibitur in ente, vt sic, communissimè sumpto; non enim potest dici, quòd ab ipso abstrahat; omnis enim ratio simplex, aut vna per veram compositionem, est ens per se, nam ex hoc habet, quòd opponatur enti per accidens, cum hoc dicat aggregationem plurium entium absque vera vnitate; consequenter fit, quòd totum illud, quod dicit vnam rationem entis, sit ens per se, talis autem est ratio entis vt sic. Denique in pręsenti materia applicari possunt etiam rationes, quas sect. prædenti adduximus probando, *E*ns non diuidi vera diuisione in vnum, & multa, nimirum, quia ens prer accidens fundatur in ente per se, quod necessariò includit, vndè prius natura est ens per se, quàm ens per acdidens, nequè ens per accidens habet veram oppositionem cum ente per se, qualem requirunt differentiæ diuidentes rationem aliquam communem, cum in ente per se fundetur; & alia huiusmodi quæ per se patent.

Ratio diuisiua non potest imbibi in ratione comuni

V I.De

VI. De diuisione verò entis in Absolutum, & Relatiuum, quamuis verumque dicat veram rationem entis, & verũ sit, quòd omne ens, aut sit absolutum, aut relatiuum, ita vt absolutum, & relatiuum adæquent omnia entia, nihilominus, si loquamur de vera diuisione, existimo non verè diuidere ens præsertim in communi sumptum. Plura enim obstant, quominus hæc sit vera diuisio, etiã si relatiuum amplè sumatur, prout inuoluit etiam transcendentale, nam prædicamentale est certum genus accidentis, quod non diuidit, Ens vt manifestum est, sed accidens; & fortasse neque accidens vt sic, sed certum genus accidentis, de quo infra suo loco dicturi sumus.

Relatiuum, & Absolutum nõ diuidũt vera diuisione ens vt sic.

Quod igitur primò obstat, quominus hęc sit vera diuisio, est, quia relatiuum ex natura sua fundatur in absoluto, & dato, quòd vna relatio fundari posset in alia, quod infra examinabimus, adhuc deueniendum esset ad primam, quę fundaretur in absoluto, & hoc verum est de relationibus prædicamentalibus; transcendentales verò necessariò habent admixtum absolutum; quomodo ergo absolutum, & relatiuum possunt habere oppositionem differentialem, qua se inuicem excludant ab eodem subiecto, & omninò incompossibiles sint? & eadem est ratio de relatione vt sic, si modo datur, quæ præscindat à transendentali, & prædicamentali, nam si hæc ratio haberet oppositionem cum absoluto, omnes relationes in particulari illam retinerent; quòd enim conuenit generi, conuenit etiam omnibus contentis sub illo.

Relatiuum fũdatur in Absoluto.

VII. Deinde Relatio, siue transcendentalis, siue prædicamentalis ex genere suo requirit pluralitatem rerum, & complexionem ipsarum, nam debet esse inter terminum, & fundamentum, cum igitur non possit dari aliqua pluralitas rerum, nisi facta aliqua diuisione entis, iam relatio ex genere suo supponit diuisiones entis, & consequenter ens vt sic contractum ad esse talis, & talis entis; quomodo ergo potest esse ratio diuisiua entis vt sic? Præterea, vel loquimur de relatiuo, quæ reperitur tantùm in rebus à parte rei, prout scilicet secundùm esse physicũ habent veram distinctionem à parte rei; vel de relatiuo amplè sumpto, prout consequitur etiam ad distinctionem, quę ab intellectu fabricatur, ita vt compleẞatur etiam relationes, quas concipimus consequi etiam ad gradus, & formalitates metaphysicas. Si de primo tantùm relatiuo intelligitur, tunc certum est, quod relatio, quàm importat, non potest aduenire enti vt sic, tanquam ratio diuisiua, quia supponit iam ens coarctatum per alias diuersas rationes, quibus constituantur entia in particulari, ex quibus tales relationes consurgunt; imò hæ relationes solùm ex entibus, quæ actu à parte rei existunt, possunt consurgere. Si verò intelligitur de omni relatione, etiam quæ oritur ex distinctione rationis, tunc ipsum quoque ens vt sic dicit talem relationem, nam tanquam ratio communis respicit ea, à quibus participatur, quomodo autem poterit diuidi per id, quod ipsum quoque dicit ex intrinseco suo? Alia plura excogitari possent, quibus huiusmodi diuisio reijciatur tanquam deficiens à ratione veræ diuisionis, sed quæ diximus sufficientia sunt.

Relatio requirit pluralitatẽ rerum & supponit ens in plura diuisũ.

VIII. De tertia verò diuisione dicendum est, quòd vix saluari potest, quomodo adęquata sit, & comprehendens omnia entia; nam si loquamur de entibus in particulari, prout esse possunt à parte rei, tũc complures, & graues auctores censent, dari entia, quæ nec corporea sint, nec spiritualia, quemadmodum docent de speciebus intentionabilibus, atque hæc sententia frequens est apud Thomistas, atque alios. Et hoc sufficit, vt reddat saltem dubiam sufficientiam huius diuisionis. Si verò loquamur de entibus secundum rationem, seu abstractionem consideratis, certum est, non adęquare omnia entia, nam plura abstrahunt ab esse spirituali, & corporeo, vt substantia, accidens, qualitas, atque alia huiusmodi Hinc etiam facilè ostenditur, non diuidere immediatè ens, & ideò non esse diuisionem ipsius entis, sed alterius rationis; nõ enim spiritualitas, & corporeitas, cõueniunt enti vt sic immediatè, sed media substantia, vel accidenti: sunt enim rationes quædam determinatiuæ substantię & accidentis, vt per se patet; substantia enim spiritualis ex eo, quòd spiritualis est, constituitur in certò, & determinato gradu substantiæ, à materiali contradistinctum; vndè si materiale, & spirituale diuidunt substantiam; & constituunt diuersas species ipsius, oportet, quòd sint differentiæ ipsius substantiæ, non autem entis vt sic; & similiter dicendum est de accidenti, cum pariter spirituale, & materia-

Diuisio entis in spirituale, & corporeũ non est bona nec adæquata

Materiale, & spirituale non diuidũt ens, sed tale ens

teria-

teriale,constituat diuersas species ipsius. Quare concludendum est, quòd hæc non sit vera diuisio ipsius entis.

Diuisio entis in complexũ,& incõplexũ non est vera diuisio.

IX. Quarta autem diuisio importat quidem membra diuidentia, quæ verè esse periuntur à parte rei, attamen, neque vt vera diuisio, neque immediatè diuidit ipsum ens sumendo complexum, & incomplexum,vt hic sumi debet. Nomine enim entis complexi hic intelligimus ens simplex,physicum, siue etiam metaphysicum, dummodo tamen sit tale in ordine ad esse physicum,ita ut non desumatur à pluribus entibus physicis, quemadmodũ est compositum, vt sic genericè sumptũ, quamuis enim sit quid metaphysicum, quia fũdamentum habet in pluribus entibus realiter distinctis, est quid complexum; igitur nomine entis incomplexi intelligimus ens illud,quod in se non includit plura entia,aut rationes desumptas ex pluribus entibus. Ens verò complexum est illud,quod coalescit ex pluribus entibus distinctis,aut aliquid importat à pluribus entibus desumptum. Et quamuis hæc distinctio non ita passim in hoc sensu apud Doctores reperiatur, concedenda tamen est, cum constet, dari huiusmodi entia: de ente enim incomplexo modo explicato nulla est difficultas, de complexo etiam patet inductione facta in pluribus, tùm in substantia, nam dantur composita substantialia, quæ coalescunt ex partibus realiter distinctis; tùm etiam in accidentibus,nam datur situs,quod dicit corpus situatum, & locum; similiter etiam vbi,quod dicit corpus locatum, & consequenter etiam locum, & alia huiusmodi,vt discurrenti patebit, quorum ratio formalis consurgit ex complexione plurium entium.

Quid est complexum, & quid incomplexum.

Ratio cõplexi & incõplexi nõ sunt veræ rationes diuidentes.

X. Non tamen censenda est vera diuisio; nam in primis, vt etiam de cæteris diuisionibus diximus,ens complexum, & incomplexum non possunt esse veræ rationes diuidentes, neque habere illam differentialem oppositionem, quæ necessaria est; ens enim complexum fundatur in incomplexo, cum ex pluribus entibus incomplexis coalescat, & quantum est ex hoc capite, eadem est ratio, ac de ente per accidens, est autem contra rationem differentiarum diuidentium, quòd vna fundetur in alia propter omnimodam oppositionem,quam adinuicẽ habent. Rursus sequitur, quod ens incomplexum ex natura sua sit prius altero nimirum complexo,quod similiter est contra rationem differentiarum diuidentium, quarum vna non debet esse prior altera,sed æque immediatè se habere ad rationem diuisam. Præterea ratio vnius membri diuidentis reperiretur in ratione diuisa,quod est cõtra veram diuisionem,quia tunc æquè pateret ratio diuidens,ac diuisum,quod omnino impossibile est;imò ratio diuisa esset eadem,ac diuisum.nam ens vt sic ex se est quid incomplexum; est enim ratio simplicissima entis;omne autem ens simplex est etiam incomplexum, & proinde ratio incõplexi nõ erit ratio diuidens ens vt sic; vnde cùm dicitur; ens aliud est complexum, aliud incomplexum, non diuiditur ens vt sic,sed assignantur diuersa genera entium, quæ intra latitudinem entis reperiuntur.

Diuisio entis in accidẽs. & substãtiam rectè tradita & sufficiens.

XI. Denique quod spectat ad quintam diuisionem,qua, diximus, ens vt sic diuidi in accidens.& substantiam,certum est, quòd debet admitti tanquam sufficiens, atque adæquata; nam considerata tota latitudine entium, siuè secundùm esse physicum, siue secundùm esse Metaphysicum, reperiemus, quòd omnia, vel sunt substantia,vel accidens; neque enim inter esse per se,& esse in alio reperiri potest aliquod medium, cum vnum habeat annexam omnimodam negationem alterius, & vtrumque consistat in indiuisibili; ex quo fit,quòd totum, aut nihil debeat participari; & proinde non potest dari medium participans partim de vno, & partim de altero. Itaque quantùm est ex hoc capite censenda est bona diuisio. Sed etiam habet cæteras conditiones; adest enim debita oppositio inter rationes diuidentes; quamuis enim accidens ordinetur ad perficiendam substantiam, non tamen secundùm suam formalitatem metaphysicam fundatur in ipsa ita vt substantia concurrat ad constituendum accidens secundùm esse proprium: sed ratio accidentis habet omnimodã oppositionẽ cum ratione substantiæ,ita vt ab illo esse, in quo reperitur formalitas substantiæ, excludatur omnino ratio accidentis, & è contra quod tamen ita intelligi debet, quòd à substantia physica excludatur accidens physicum,& à substantia metaphysica accidens metaphysicum.

Ratio accidẽtis,& substantiæ immediatè se habet ad ens.

XII. Rursus huiusmodi rationes accidentis,& substantię, cum ita opponantur ad inuicem, vt omnino se mutuò tollant, nec vna possit esse fundamentum

alterius,

alterius, sequitur, quòd non seruent ordinem adinuicem prioris, & posterioris, sed æquè immediatè se habeant ad rationem diuisam, quę est altera conditio ad veram diuisionem requisita. Quod etiam ex eo patet, quia nulli conuenit esse accidens ratione substantiæ, aut ecōtra, esse substātia ratione accidentis; imo statim, ac aliquid est substantia, implicat, quòd possit ei superaddi ratio accidentis, sed si adhuc est perfectibile intra rationem substantię debet perfici, & idem etiam contingit in accidenti, sed etiam membra diuidentia minus patent, quàm diuisum, siquidem dicunt certos, & determinatos modos essendi, quibus contrahitur ens; hinc neutrum ipsorum dicitur ad conuertentiam cum ente, non enim valet dicere ens est substantia; aut omne ens est substantia, neque omne ens est accidens, quamuis propositiones conuersæ, valeant videlicet substantia est ens, accidens est ens. Et demum, quod magis præcipuum est, diuidūt hæc membra immediatè ens vt sic, non enim excogitari potest aliqua ratio, quæ prius adueniat enti, quàm ratio substantię & accidentis; sed hæ sunt, quæ immediatè determinãt ens vt sic, important enim quosdam modos essendi determinatos, qui primo enti adueniant. Esse enim per se, quod importatur per substantiam, & esse in alio, quod importatur per accidens, habent immediatam proportionem cum ente, ita vt immediatè vniri possint cum ipso. Cum enim ens dicat, habere essentiam, si hæc essentia determinanda est ad aliquem modum essendi magis peculiarem, certè ad nullum aliud immediatius contrahi potest, quàm vel ad esse per se, vel ad esse in alio. Quod inde etiam suaderi potest, quia si non essent primi modi essendi determinantes ens, concedi deberet aliquod ens, quòd non esset substātia, aut accidens; illud scilicet, quod constitueretur per modos essendi magis immediatos ipsi enti; quod tamen falsum est; non enim est assignabile hoc ens habens modum essendi determinatū, quod non dicat rationem substantiæ, aut accidentis; quod sequitur ex eo, quod substātia, & accidens habent annexam contradictionem intra latitudinem modi essendi determinantis ens, & ideo ratione huius contradictionis necesse est, alterum ipsorum inesse cuicunque enti, quod dicat modum essendi determinatum.

Ratio substātiæ, & accidentis importat modos immediatè aduenientes enti vt sic.

XIII. Esset alia diuisio Entis, nempe in Actum, & Potentiam, quę desumitur ex Arist. 5. Metaph. tex. 14, vbi inquit, *Itē ipsum esse, & ipsum ens quoddam eorum, quæ dicta sunt potentia dici posse significant, quoddam actu*. Verùm hæc non est diuisio admodum vsitata, ita vt censeatur diuidere ipsum ens. Neque etiam rectè traditur, nam vel procedit tantùm de actu physico, & potentia physica, & hoc pacto non est immediata; sed fit secundùm entia physica, quæ dicunt integram naturam entitatiuam, & in substantia supponit esse materiale, & consequenter plures rationes iam aduenisse enti. Si verò etiā procedit de actu, & potentia metaphysicè consideratis; tunc ipsum quoque ens est potentia metaphysica cum sit determinabile per modos contractiuos, vnde diuisum coincideret cum membro diuidente; deinde etiam rationes diuidentes, quæ contrahunt ens vt sic, debent respectu ipsius se habere per modum actus, & respectu aliorum graduum, qui ipsis superadueniunt se habere per modum potentiæ, quæ omnia obstant, quo minus sit vera diuisio, vt consideranti patebit.

Diuisio entis in actum, & potētiā Arist.

Non rectè traditur.

XIV. Ex his ergo, quæ circa has diuisiones entis hucusque disputauimus, manifestè colligitur, quòd nulla ex his præter illam, qua ens diuiditur in substantiam, & accidens, seruat rationem verę diuisionis, in qua ratio communis ita per suas differentias diuidatur, vt à membris diuidentibus seruata communitate participetur. Sed quæ hucusque dicta sunt, non sufficient ad præsens nostrum institutum, nimirum ad inuestigandam illam primam rationem entis, in qua verè, & propriè saluatur conceptus eiusdem entis, quem modò inquirimus, vt ipsius naturā explicemus; sed insuper restat videre, an hęc sit prima diuisio entis, ita vt nulla alia sit secundùm naturam prior ipsa; quia si erit prima, ens quoque, quod diuiditur in substantiam, & accidens, erit prima ratio realis. De hoc autem agemus Disput. sequenti.



varia

Quæ nam sit prima Entis diuisio.

Disp. XXXII.

Variæ opiniones.

SECTIO I.

I. VT igitur hunc primum conceptum entis statuamus, veluti à posteriori procedendum est, & inquirenda prima eius diuisio, qua inuenta facilè erit statuere pro primo conceptu entis illud commune, quod ab vtroque membro diuidente participatur, quia supra ipsum non erit assignare rationem aliquã entis magis communem: vnde necessariò ille erit verus,& proprius conceptus ipsius tanquã ille, qui primò diuisibilis est, & determinabilis ad certum modum essendi. Atque etiam ex hoc colligetur, illum esse conceptum essentialem entis, & non alicuius passionis, quia cum passio sit posterior essentia, diuisio quoque quę fit secundùm conceptum passionis, erit posterior natura diuisione,quæ fit secundum conceptum primum entis, per quem significatur esse essentiale, quod est prima radix passionum; quocirca ex diuisione simpliciter prima entis, etiam primum couceptum ipsius inueniemus.

Prima sententia. II. Variant tamen inter se Doctores in assignanda hac prima entis diuisione. Et pro prima sententia afferri potest Soncin. Soncin.lib.10.Metaph.quæst.1.quem supra etiam disp. præcedenti sect. 1. attulimus,qui asserit,primam entis diuisionem esse illam,qua diuiditur in vnum,& multa, & prælertim docet esse priorem illa, qua diuiditur in infinitum, & finitum. Hæc tamen sententia subsistere non potest,nam citato loco ostendimus,non esse veram diuisionem. Nihilominus supposito,quod esset vera diuisio probari posset,quòd sit prima ex ipso Soncinate,&que sit prior illa,qua diuiditur in infinitum,& finitum;primò quidem,quia finitas,& infinitas dicuntur secundùm perfectionem, & sunt passiones entis, vt docet Auer.1. Auer. phys. tex. 15. intelligendo nomine differentiarum passiones; vnitas vero est prima passio entis,igitur diuisio, quæ fit per vnitatem erit prior cæteris, quæ per alias passiones fiunt. Secundo, ens distinguitur formaliter à finitate, & infinitate, cum vtraque sit modus intrinsecus ipsius,ergo cum omne distinctum sit etiam in se vnum, prius enti conueniet vnitas, quàm infinitas,aut finitas. Quod si dicas non distingui, sed non esse idem. Contra est,quia si non est idem,sequitur quòd simul sint multa; multitudo autem coalescit ex vnitatibus; præterea in quocunq; signo vnum quodque ens alteri comparatur, aut est idem, aut diuersum, & si est diuersum;quemadmodum est ens à finitate,& infinitate,habet suam vnitatem in se. Tertiò antequam aliquod sit infinitũ, debet continere omnes perfectiones, & consequenter etiam vnitatem; & multitudinem. Si dicas,has perfectiones contineri formaliter in infinitate; contra quia possumus illas præscindere ab infinitate, sic præscindimus Deitatem ab infinitate,& ideo à priori aliquid est infinitum, quia continet omnes perfectiones, quare vnitas est prior infinitate, & consequenter etiam diuisio,quæ fit per vnitatem,quàm illa,quæ fit per infinitatem,

III. Secunda autem sententia desumitur ex Ianel. tract. 1. de Transcendentib.cap.1.qui licet cum præcedenti conueniat in eo, quod diuisionem entis in vnum,& multa constituat priorem diuisione, qua diuiditur in infinitum, & finitum;tamen alias etiam diuisiones hac ipsa priores constituit, nam primò vult, diuidi ens in reale, & rationis; deinde ens reale,in per se, & per accidens; deinde in absolutum, & respectiuum; & postea in vnum, & multa; rursus in quinque transcendentia,& vltimò in infinitũ,& finitũ, Secunda opinio Ianel. Nullum tamen fundamentum affert pro hac sua sententia, nisi quòd probat diuisionem secundùm vnum,& multa præcedere diuisionem secundum finitatem, & infinitatem; atque in eo hoc fundat,quòd quando diuiditur ens secundùm finitatem,

tatem,& infinitatem,diuiditur secundùm diuersos gradus perfectionis, quæ eadem est,ac bonitas: cũ autem bonitas sit passio entis,sequitur,quòd diuisio secundùm bonitatem sequatur ordinem respectu aliarum diuisionum,quæ fiunt secundùm cœteras passiones, quem seruat bonitas, ad cœteras passiones; vnde cum bonitas sit posterior vnitate, diuisio quoque, quę sit secundùm ipsam, erit posterior diuisione, quæ fit secundùm vnitatem.

Tertia sententia Suarez.

IV. Aliter ergo existimant alii,& est tertia sententia; Asserunt enim, quòd prima entis diuisio sit illa, qua diuiditur in infinitum, & finitum. Quam opinionem præcipuè inter alios tradit, & explicat Suarez in Metaph. disput. 4. sect. 8. & rursus disputat. 28. sect. 2. Fundatur autem hæc sententia primùm in eo, quòd finitas, & infinitas dicitur secundùm essentiam, & consequenter etiam diuisio, quæ fit secundùm ipsam, cum autem sint priora, quę pertinent ad essentiam, quàm quæ pertinent ad passiones, etiam prior erit diuisio, quæ pertinet ad essentiam diuisionibus, quę pertinent ad passiones, & consequenter diuisio secundùm finitatem, & infinitatem diuisione secundum vnitatem, & multitudinem. Secundò, quia finitas, & infinitas sunt quid intimius rei, quàm quodcunque aliud siue illud vnitas sit, siue aliquid aliud, nam important perfectionem rei, quæ est idem, ac ipsum esse rei. Occurrit tamen Soncin. dicendo, quòd infinitas, & finitas, & omnis perfectio non pertinet ad essentiam rei, sed ad bonitatem, quæ est passio, vnde negat perfectionem esse formaliter idem cum esse rei. Tertio arguit Suarez cit. sect. 8. disputat. 4. num. 8. quia illa diuisio est prior altera, in qua membra diuidentia magis distant; at finitum, & infinitum magis distant, quàm vnum, & multa, nam illa simpliciter infinitè distant, non autem vnum, & multa; rursus etiam magis distant, quàm per se, & per accidens, quàm absolutum,& respectiuum, & cœtera mēbra diuidentia, quæ assignari solent.

V. Quòd si à Suarez quæras cur membra diuidentia, quæ magis distant fauant diuisionem priorem, nullam rationem assignat, sed tantum dicit reddere diuisionem priorem, si ordo diuisionum attendatur secundùm maiorem, vel minorem distantiam membrorum diuidentium, posset tamen dici,reddi diuisionem priorem ex maiori distantia terminorum, etiam si attendatur ordo, quem seruant inter se ex natura sua rationes diuidentes, ex quo præcipuè,imò solo dependet ordo diuisionum; & ratio est, quoniam quò magis aliqua distant inter se, eo minorem conuenientiam habent, distantia enim oritur ex diuersitate; quę autem minus cœteris conueniunt, oportet, quòd ordine naturæ seruato non habeant supra se aliqua, quæ prius diuidant rationem, quam ipsa quoque diuidunt, quia si haberent, non diuiderent nisi mediis ijs rationibus, quas supra se habent, & proinde nedum conuenirent in ratione illa, in qua etiam conueniunt ea, quibus mediantibus diuidunt; sed etiam in aliqua alia ratione, illa nimirũ, qua mediante diuiderent; vnde quæ secundùm ordinem diuisionis posteriora sunt:magis conueniunt, quàm quæ priora sunt,& sic constat quomodo ex maiori distantia colligatur prioritas diuisionis. Quartò arguit idem Suarez, quia omnis essentia realis hoc ipso,quod realis est,intrinsecè postulat perfectionem aliquam essentialem, & modum ipsius; infinitas autem,& finitas sunt modi intrinsecè determinantes ipsam essentiam, & idcirco cum diuidant ens secundùm rationem essentiæ, hæc diuisio est prior omni alia. Addit tamen Suarez,quòd si immediatio, seu prioritas attendatur secundùm vniuersalitatem, omnes illas diuisiones, quas supra disput. præcedenti expendimus,esse æquè priores, cum omnes sint ęquè vniuersales, & adæquatè ens diuidentes. Nos tamen eas reiecimus tanquā nō veras diuisiones,ideo cōsequēter etiā hæc pars huius sententiæ manet cōfutata.

VI. Scotus autem ab his quoq;dissentit,& quãuis conueniat, quòd diuisio entis in finitum, & infinitum sit prior diuisione in vnum,& multũ,non tamen vult esse omnium prima. Et ideò consurgit quarta sententia,quā ipse tradit quodlib. 5.ar. 1. & 3. præcipuè in responsione ad argumentum principale circa finem articuli, quam etiam insinuat in 1. distinctione 8. quæst. 3. docet autem quòd ens prius diuiditur in quantum, & non quantum: per quantum autem non intelligit de quantitate secundum

Quarta sententia Scot.

molem, sed de quantitate perfectionis. Postea autem ens quantum quantitate perfectionis, vult diuidi in finitum, & infinitum. Tali autem pacto vult diuidi ens, quia existimat ipse, finitum, & infinitum non adæquare totam latitudinem entis, nam, dicit ipse, dantur relationes diuinæ, quæ nullam dicunt infinitatem, aut finitatem, nec perfectionem, aut imperfectionem, sed sunt ens non quantum, quam sententiam defendit etiam Lychet. citata dist. 8. lib. 1. sentent. & in 2. distinct. 1. quæst. 4. & 5. qui etiam subdiuidit ens non quantum, in illud scilicet, quod nullam dicit perfectioné, excludit tamen omnem imperfectionem, cuiusmodi sunt relationes diuinæ, & in illud, quod nullam dicit perfectionem, non tamen excludit omnem imperfectionem, vt sunt relationes creatæ, quæ nullam perfectionem inuoluunt, & tamen habent adnexam aliquam imperfectioné.

Lychet.

VII. Denique quinta, & vltima sententia est Auersę in sua philosophia quæst. 17. sect. 1. & 2. qui existimat, posse ens æquè primò diuidi, & immediatè pluribus diuisionibus, atque in plura genera, vt si diuidatur in absolutum, & respectiuum; in substantiam, & accidens; in infinitum, & finitum, in spirituale, & corporeum, atque alijs huiusmodi diuisionibus. Atque si huiusmodi diuisiones comparentur adinuicem, posse vnam, vel alteram esse priorem, secundum varias explicationes, & acceptiones. Sic quando diuiditur ens in vnum, & multa, & in infinitum, & finitum. Si per vnum intelligatur simplex, & per ly multa, compositum, & per perfectũ, quod significatur per finitatem, & infinitatem intelligatur passio entis, tunc diuisio in vnum, & multa, prior est diuisione in infinitum, & finitũ, quemadmodum prior est ratio entis, quã eius passiones, & hic ordo, inquit ipse, semper seruandus est, vt diuisiones illæ, quæ diuidunt ipsam rationem entis, sint priores illis, quæ cadunt supra passiones, & quæ cadunt supra passiones seruent inter se illum ordinem, quem seruant passiones ipsę. Addit denique, quòd quędam diuisiones possunt dici magis præcipuæ, quia sunt magis notę, & vsitatę, aut quia sunt magis commodę, atque vtiles ad tractationem rerum, quemadmodum est diuisio, in ens a se, & ab alio.

Quinta sententia. Auersa.

Expenduntur relatæ sententiæ.

SECTIO II.

POssemus breuiter rem totã resoluere ex dictis in disp. præced. vbi cũ ostẽsum sit, nullam ex ijs diuisionibus, quæ de ente circũferri solent, esse verã diuisioné, præter illam, qua ens diuiditur in substantiam, & accidens, atq; insuper, quòd ratio substãtiæ, & accidentis, immediatè adueniant enti in cõmuni, consequenter loquendo, concluditur, quòd hæc diuisio sit omniũ prima, qua ens diuiditur, & proinde primus conceptus entis sit ille, in quo substantia, & accidẽs conueniunt. Verùm quia non ita strictè quęstioné pertractamus, oportet rem totam diligentius examinare, & recitatas sententias expẽdere, vt rei veritas magis euidẽs sit. Quod igitur spectat ad primã sententiã, in qua dicebat Soncin. Primã entis diuisioné esse illam, qua diuiditur in vnum, & multa, vt aliquem verisimilem sensum obtineat, nõ oportet intelligere, quòd hæc diuisio fiat per vnitatem transcendentalé cõmunissimè sumptam, tanquã per rationem diuidentem, quia cum hæc sit passio entis, adæquatur cum ipso ente, nec potest esse differentia diuisiua ipsius, de quo fusè dictum est sect. 1. disp. præcedentis. Sed debet intelligi de aliqua vnitate magis determinata, quæ vnitatem transcendentalem in communi sumptam determinet, & sit aliquis gradus vnitatis superadditus, qua ens diuidatur ratione suę entitatis. Et quamuis adhuc hæc diuisio non rectè procedat, & deficiat à conditionibus veræ diuisionis, minus tamen imperfecta est, & improbabilis, quàm si intelligatur de vnitate trãscendentali cõmunissimè sumpta.

In quo sensu prima sententia minus improbabilis sit.

II. Nihilominus tamen, si diuisio in hoc sẽsu accipiatur, statim apparet eiusdẽ falsitas; tunc enim diuisio caderet supra ens, non prout dicit conceptum suum explicitum essentialem, & primum, sed prout diceret vnitatem, quæ est passio ipsius; ex hoc autem fit, quòd huiusmodi diuisio non possit esse omniũ prima, quãuis rectæ diuisionis conditiones seruaret, nam supponeret aliam diuisionem, quæ fieret secundùm primã rationé entis, quę assignatur pro radice omniũ passionũ, quẽadmodũ enim radix passionũ est prior passionibus, ita similiter diuisio, quæ formaliter cadit supra radicem passionũ, prior est diuisionibus, quæ formaliter cadunt supra passiones. Non enim potest diuidi

Rejicitur eadem sẽtentia.

Prima diuisio entis debet cadere supra racicem passionum ipsius.

ens

ens secundùm aliquam passionem, nisi etiam diuidatur secundùm radicem, passionum, quia habent adinuicem necessariam connexionem, nec potest ad inferiora descendere passio entis, nisi etiam descendat radix passionum, quę nequaquam descendit, nisi per gradus sibi proportionatos contrahatur; non potest autem vnitas cum ex genere suo sit passio contrahere ens, prout dicit radicem passionum. Præterea cum vnitas ex genere suo sit passio entis, quemadmodum non potest dari vnitas transcendentalis, vt sic, sine ente transcendentali, vt sic; ita neque potest dari vnitas, quę cõtrahat transcendentalem, nisi etiam detur talis ratio entis, ad quam consequatur, atque adeo diuisio, quæ fit secundùm vnitatem, sicut supponit talem rationem entis, ita etiam supponit aliam diuisionẽ, quę formaliter cadat super rationem entis, & consequenter ex natura sua est posterior alia diuisione.

Vnitas nõ è fine ente

III. Quòd si per vnitatem intelligatur, vt volebat Aduersa posse intelligi aliquid pertinens ad essentiam, nimirum simplicitas, & per multitudinem intelligatur compositio, neq; adhuc erit diuisio omnium prima. Nam in primis, compositio, siue ea physica sit, siue mataphysica, supponit diuersitatem partium componentium, vel physicam, vel metaphysicam iuxta exigentiam compositionis; certum autem est, quòd huiusmodi diuersitas, quę cumque ea sit, non potest saluari sine pluralitate graduũ in essentia, & ideò cõpositio necessariò præsupponet hos gradus tanquam se ipsa priores; quis autem non videt, hos gradus reperiri non posse, nisi facta aliqua diuisione entis, cum omnis determinatus modus essendi importet aliquam diuisionem ipsius? Quòd verò spectat ad simplicitatem, quęro quid nomine huius simplicitatis intelligatur, an vnitas rationis formalis, an vna aliqua essentia dicens quidem pluralitatẽ graduũ, seu rationum formaliũ, sed in vna simplici entitate. Si primo modo accipitur simplicitas, tunc reperitur etiam in ente vt sic communissimè sumpto; nam ipsum quoq; est vnica simplex formalitas, & idcirco nõ potest huiusmodi simplicitas diuidere ens. At si intelligitur de simplicitate secundo modo accepta, non est tanta hæc simplicitas, quin supponat plures rationes formales in vnitate entitatis; ex hoc autem manifestè sequitur quòd supponat alias diuisiones entis factas ex eo, quòd illæ rationes formales, quas supponit, illi aduenerint. Atque hæc est regula generalis circa diuisiones; quòd quoties vna ratio diuisiua supponit aliam, diuisio, quæ per illam fit, est posterior diuisione, quæ fit per rationem præsuppositam. Accedit etiam, quòd ratio simplicitatis, atque compositionis ex intrinseca sua ratione supponunt aliquos gradus essentię, illos nimirum, in quibus fundatur tùm simplicitas, tùm compositio; neque enim simplicitas, aut compositio sunt simpliciter gradus essentiæ, sed tantũ modi, quibus aliqua essentia participatur; & ideo nequit intelligi simplicitas, aut compositionis simul, & semel intelligatur aliqua ratio entis, quæ secum afferat simplicitatem, & compositionem; hinc ergo concluditur, quòd ad diuisionem, quę fit per esse simpex, & compositum, debeat præsupponi alia diuisio, quæ fiat secundùm gradus essentiæ, in quibus fundentur simplicitas, & compositio. Deniq; si res attentè consideretur, inueniemus simplicitatem, & compositionem non esse rationes aptas, vt possint immediatè afficere ipsum ens communissimè sumptũ ens enim huiusmodi dicit tantũ primã rationẽ essendi, vnde est diuisibilis per illas rationes, quę aptæ sunt, vt tale ens determinent ad certũ modũ essendi; simplicitas autem, & copositio præcisè acceptę non communicant aliquẽ gradũ essendi, sed solùm veluti modificant gradũ essendi, & proinde insufficientes sunt, vt possint immediatè se solis diuidere ens com munissimè sumptum.

Aliqua sen sus eiusdẽ diuisio- nis refu tatur.

Simplicitas, & cõpositio modi essentiæ.

IV. Quòd verò attinet ad secundã sententiã lauel. imprimis quando asserit. Ens primò diuidi in reale, & rationis, nõ est vera diuisio, nã loquimur tantũ de vero ente, quod non potest participari ab ente rationis, deinde, vt supra disp. 27. sect. 2. ostendimus, in hac diuisione nihil commune neq; etiam analogũ diuiditur; nõ enim datur aliquid superius ente reali, & rationis, quod requiritur ad veram diuisionem. Deinde ens rationis, est tale, quia concipitur ad modum entis realis, vnde ens reale se tenet aliquo modo ex parte entis rationis, quatenus scilicet illi applicatur, quod est contra rationem membrorum diuidentium. Deinde etiam peccat illa sententia, quòd huic diuisioni subnectit, tanquam cæteris priorem diuisionem entis in per se,

Reiicitur secunda sententia.

Ens per accidēs suppo-nit diuersa entia p se.

& per accidens. Ens enim per accidens supponit diuersa entia per se, quæ saluari non possunt, nisi facta aliqua diuisione entis per se, quæ idcirco necesse est, vt præcedat diuisionem in per se, & per accidens; de his ergo entibus, quæ supponuntur ab ente per accidens, quæri potest, cum habeant esse secundùm aliquem modum essendi determinatum, an habeant esse per se, an verò in alio; cum enim hi modi essendi habeant annexam contradictionem, oportet, quòd alterum ipsorum insit cuicumque modo essendi determinato, & sic necesse est, quòd substantia, & accidens præcedat ens per accidens, & consequenter hęc quoque diuisio pręcedat diuisionem entis in per se, & per accidens.

V. *Sed* neque rectè subnectit, diuisionem entis in absolutum, & respectiuum, quia in primis absolutum dicit habere esse ad se, vnde etiam supposito; quòd vera esset diuisio, quod tamē falsum est, vt sect. 2. disput. præcedentis ostendimus, non tamen ipsi tribuitur rectè tanta prioritas; sicuti enim respectiuum supponit esse, quod referatur ad aliud; ita etiam absolutum supponit esse, quod sit ad se, vnde antequam concipiamus, enti aduenire rationem absoluti, & respectiui, oportet, quòd concipiamus aliquod esse determinatum, quod sit ad se, & aliquod esse determinatum, quod ordinetur ad aliud, & secundùm hæc duo esse determinata, quæ pręsupponuntur.

Relatiuū supponit esse determinatū, & multitudinem.

concedenda est aliqua prior diuisio, Deinde de hoc esse, quod præsupponitur ad rationem absoluti, & relatiui redit argumentum modò factum, an sit per se subsistens, an verò in alio. Sed addendum etiam est, quòd relatiuum, cum ex ratione sua formali sit ad alterum, præsupponit multitudinem entium, & consequenter aliquam aliam diuisionem priorem. Rursus hoc esse, quod pręsupponitur ad absolutum, ratione cuius ens sit ad se, non potest esse ens communissimè sumptum; quia tunc non posset diuidi per absolutum, nam illud absolutum, quod fundatur in ente vt sic, est æquè latè patens, ac ipsum ens, sed debet esse tale esse, & proinde debet pręsupponi alia diuisio, quę sit secundùm determinatos aliquos modos essendi.

VI. Huic verò diuisioni subiungit diuisionem in vnum, & multa. Sed quid de hac dicendum sit, patet ex modo dictis in examinanda præcedenti sententia. Quòd verò subnectit etiam diuisionem in quinque transcendentia, miror, quomodo tantam posterioritatem tribuat transcendentibus, nā quamuis nonnulla ex illis quinque transcendentibus sit posterior ente, vtpote quia sunt passiones ipsius; attamen tanquam passiones prius adhærent enti, quā illi adueniat quæcunque ratio diuisiua, & contractiua; vnde præcedunt quamcumq; diuisionem. Et non solùm passiones, sed etiam cœtera duo transcendentia, res, & aliquid, vt supra ostendimus, adæquantur cum ente: vnde dicuntur ad conuertentiam cum ipso, quomodo ergo potest diuidi in hæc quinque transcendentia, cum nullum diuisum dicatur ad conuertentiā cum membris diuidentibus seorsim sumptis ex eo, quod ab vtroque eiusdem latitudo coarctatur? Quare constat, quòd nulla ex his diuisionibus est prima entis diuisio; quod etiam ex eo verum constat, quia nulla ex ipsis est vera diuisio, vt sufficienter supra suo loco ostensum est. *De* diuisione verò in infinitum, & finitum mox dicemus

Expeditur tertia sententia.

VII. Tertia igitur sententia, quæ diuisionem entis in infinitum, & finitum cōstituit pro prima diuisione, reijcienda est. *Et* supposito, quòd per infinitum intelligitur infinitum secundùm perfectionem, & simpliciter, seu quod idem est in omni genere; tunc certum est, quòd in accidenti non potest reperiri huiusmodi infinitas, quia accidens necessariò ex genere suo est limitatæ perfectionis; sed solùm potest hæc infinitas coniungi cum substantia, supposito tamen iuxta id, quod existimant auctores huius opinionis, quòd Deus habeat aliquas rationes communes cum creaturis. Hoc ergo stante sic argumentor. Infinitas non potest coniungi cum substantia, quasi ipsi adueniat ratio substantiæ, quia trahit secum formaliter rationem actus puri, & omnis perfectionis, quæ se habeat per modum actus, ergo ita coniungitur cum substantia, vt ipsa adueniat substantiæ, ergo ratio substantiæ prius aduenit enti, quàm infinitas, & ideo prior est diuisio entis in substantiam, & accidens, quàm in infinitum, & finitum. Quod etiam confirmari potest; nam semper illa ratio posterior altera, & consequenter etiam diuisio, quæ per ipsam fit, quæ la-

Accidēs ex genere suo limitatū.

Ratio substantiæ prior finitate, & infinitate.

tius patet, & se habet vt quid contrahibile, at substantia latius patet, quàm infinitas, nam datur substantia finita,& infinita: vnde substantia diuiditur, & contrahitur per finitatem & Infinitatem, ergo ratio substantiæ est prior infinitate, & consequenter etiam diuisio entis in substantiam, & accidens. Rursus etiam finitas, & infinitas non dicunt gradus determinatos essentiæ, quibus peculiaria aliqua entia constitui possint, sed tantùm modum participandi essentiam: vnde semper debent præsupponere essentiã, quæ participetur, & ideo hæ rationes finitatis, & infinitatis non sunt aptæ, vt se solis præcisè diuidant aliquam rationem communem, sed debent interuenire etiam gradus essentię; atque cum essentia sit prior, quàm modus, quo participatur, ideò diuisio facta per gradus essentiales erit prior, quàm diuisio per finitatem, & infinitatem Atque tali pacto philosophandum est in opinione eorum, qui admittunt aliquid commune Deo, & creaturis. Nos verò,qui nihil commune agnoscimus, vt supra disp. 28. & 29. ostensum est, dicimus infinitatem simpliciter esse quamdam rationem supereminentialem, quæ ex natura sua excludit omnem conuenientiam cum rebus finitis & ideò non dari huiusmodi Ens, quod tanquam quid commune diuidatur per finitum, & infinitum simpliciter, atque ex hoc capite excludimus, quòd hęc non sit prima diuisio entis, quam inquirimus.

Quarta sententia impugnatur.

VIII Circa sententiam Scoti, quæ est quarta in ordine, quod spectat ad diuisionem Entis quanti, seu habentis perfectionem, in Infinitum, & Finitum non est aliquid de nouo addendum, nam constãt ex dictis,hanc non rectè præferri diuisioni, in substantiam, & accidens, tanquam priorem, supposito, quòd esset vera diuisio. Dum verò asserit, quòd prima entis diuisio est in Ens quantum, & non quantum, loquendo de quantitate secundùm perfectionem, nullo pacto mihi probari potest hæc diuisio non enim percipio, quomodo dari possit hoc ens, nullam dicens perfectionem; sicuti enim non potest dari ens, quod nullam dicat bonitatem, cum bonitas sit passio entis communissimè sumpti, ita neque potest dari sine sua perfectione, quia perfectio, vel eadem est ac bonitas, vel saltem bonitas fundatur in perfectione.

Perfectio essentialis est eadem ac essentia.

Imò perfectio cuiuscunque rei, loquendo de perfectionè essentiali, non distinguitur ab essentia, sed est omninò eadem cum ipsa: vndè quanta est essentia, tanta etiam est perfectio, & si essentia est infinita, siue finita; perfectio quoque est infinita, aut finita; & etiam qualis est essentia, talis quoque est perfectio, vndè si essentia est substantialis, perfectio quoque erit substantialis, & si accidentalis essentia, perfectio quoque talis erit; nec in rebus, quæ dicunt perfectionem, distinguere possumus esse, & perfectionem quomodo ergo alicui rei concedetur proprium esse, & non propria perfectio? Sed insuper hoc ens non quantum, oportet, quòd dicat aliquam rationem entis superadditam enti vt sic, in quo debet seruari debita proportio, vt scilicet ratio superaddita dicat id proportione seruata, quod dicit ratio entis vt sic, ita vt, quod est inchoatum in ratione entis, perficiatur, si non completè, saltem aliquo modo; hæc enim est proportio, quæ seruari debet inter rationem contractam, atque contrahentem, vt quod inchoatur in contracta, perficiatur per contrahentem.

Proportio inter rationem contrahentem & contractam.

Ens ergo vt sic, quemadmodum est fundamentum, & inchoatio cuiuscunque entis realis, ita etiam est fundamentum, & inchoatio cuiuscumq; perfectionis, quia si hoc habet respectu entis quanti, seu q̃ dicit perfectionem aliquam, vt necesse est fateri; quia quod dicit perfectionem, se habet respectu entis secundùm omnes suas rationes,tanquam quid reducens ens ad actum perfectionis, quod fieri non posset, nisi ens esset inchoatio perfectionis, & veluti potentia ad ipsam, oportet etiam, quòd habeat respectu entis nõ quanti, cum sit idem respectu vtriusque. Ex quo concluditur, quòd semper, quando contrahitur ens, debeat contrahi ad aliquem gradum perfectionis, quemadmodum etiam contrahitur ad aliquem gradum essentiæ. & impossibile sit, hoc ens non quantum, quòd nullam dicat perfectionem. Quod potest vlterius etiam confirmari. Ens quantum, & non quantum, seu perfectum, & non perfectum contradictoriè se habent; quod enim dicit vnum, negat alterum; & ideò necesse esset, quòd ens vt sic, quod dicitur diuidi, per quantum, & non quantum, diuideretur per differentias, contradictoriè oppositas; hoc autem est impossibile; nam omnis ratio realis positi-

ua, quæ diuiditur, debet diuidi per differentias positiuas, ex quibus membra positiua diuersa constituatur; quod de ente non quanto dici non potest; sequeretur enim, quòd constitueretur per aliquid negatiuum in ratione talis entis, quod omnino est absurdum; nec potest dici, quod sit quid positiuum, non tamen dicens aliquam perfectionem; quia hoc implicat in terminis, cum Non perfectum debeat formaliter dicere negationem illius, quod dicit perfectum, vndè si perfectio, vt perfectio dicit quid positiuū, oportet, quòd Non perfectio dicat quid negatiuum. De vltima autem sententia dicemus sect. sequenti.

Ens vnica tantùm prima, & immediata diuisione diuidi posse.

SECTIO III.

Conclusio.

Ens vnica tantùm prima & immediata diuisione diuidi potest.

I. Quinta sententia Auersæ, non solùm in eo deficit, quòd agnoscit plures diuisiones entis, quæ non sunt veræ diuisiones, vt disp. præcedenti probatum est, sed etiam, quia asserit, ens posse pluribus diuisionibus æquè primò, & immediatè diuidi. Contrà quam ponimus quod ens habet tantùm vnam diuisionem quæ sit prima, & immediatè se habeat respectu ipsius. Quod, vt declaretur, præmittendū est, quod in ente solet distingui cōceptus passionū, & essētiæ, vt infrà suo loco explicabimus; hic autem conceptus essentiæ cum sit radix passionum, oportet etiam, quod secundùm rationem, seu prout distinguitur per intellectum à suis passionibus sit prior ipsis, vt per se manifestum est, ex quo sequitur, vt etiam adnotauimus in referendis alienis sententiis, quòd diuisio illa, in qua diuiditur cōceptus entis essentialis, sit prior diuisione, in qua diuiditur aliqua passio, nam quamuis hæ diuisiones sint inter se connexæ, vt vna inferat alteram, seruant tamen aliquem ordinem inter se, vt ex natura sua vna sit prior altera.

Ratio.

II. Hoc igitur stante sic explicatur nostra sententia. Non potest ens diuidi pluribus diuisionibus, quæ sint æquè primę, & immediatę, nisi suprà rationem entis essentialem contradistinctam à passionibus cadant plures rationes diuidentes, quæ inter se, ac illum seruent ordinem prioris, & posterioris, alioquin si rationes diuidentes haberent ordinem inter se, etiam diuisiones seruarent eumdem ordinem prioris, & posterioris, atque, vt diximus, hæ omnes rationes debent cadere suprà rationem entis, vt à suis passionibus contradistinguitur; quia si caderent suprà passiones, semper diuisiones, quæ per ipsas fierent, essent natura sua posteriores illa diuisione, qua diuideretur ratio entis. Cæterum hoc est impossibile; quia si rationes diuisiuæ plures, quam duæ caderent suprà rationē entis, vel immediatè ipsam afficerēt vel vna mediante alia. Hoc secundum non potest dici, quia tunc vnica tantùm esset diuisio prima, & immediata, cæteræ verò mediatæ, cum vna ratio diuidens afficeret ens mediante alia: vndè etiam hæ rationes seruarent ordinem inter se prioris, & posterioris, quod dici non potest. Si verò dicatur omnes immediatè afficere ens, tunc non erunt plures diuisiones, sed vnica tantùm, quæ fiet per plura membra diuidentia, quia tunc ens adæquaretur tantùm per omnia illa membra diuidentia, & non per aliqua tantùm, ad multiplicandas autem diuisiones oportet multiplicare membra diuidētia adæquantia rationem diuisam.

Quod necessarium esset, vt ratio aliqua cōmunis pluribus diuisionibus æquè immediatè diuideretur

Ad multiplicandas diuisiones debent multiplicari mēbra diuidentia adæquantia.

III. Atque hinc etiam elicitur confirmatio pro nostra sententia. Vt diuisa multiplicentur non est sufficiens, quod quocunque modo multiplicentur membra diuidentia, sed oportet, quòd multiplicentur; prout adæquant rationem diuisam, nimirum vt membra vnius diuisionis adæquent totum diuisum, & membra alterius diuisionis adæquent similiter totam rationem diuisam; cuius rei ratio hæc est, quod vnaquęque diuisio ex natura sua habet, quòd distribuat in diuersa mēbra rationem diuisam, quod completè nō potest, quoadusque non partitur in plura membra totam rationem diuisam, hinc quando membra diuidentia non adęquāt totam rationem diuisam, vocari solet diuisio inadæquata, & imperfecta, quod inductione patet in omnibus diuisionibus. Hinc autem fit, vt ens vnica tantùm diuisione immediata diuidi possit, quod sic declaratur; ponantur membra illa, quæ vnica diuisione prima, & immediata diuidunt ipsum ens, quæro an facta hac diuisione ens sit vlterius diuisibile alia diuisione prima, & immediata; an verò nō sit diuisibile. Si primum dicatur, contrà, nam per illam primam diuisionem iam

ens est adæquatè diuisum, ita vt illa mēbra diuidentia adæquatè expleant latitudinem ipsius, qua est primò contrahibile ad inferiora, vndè nō remanet ei amplius aliqua alia capacitas, aut latitudo diuisibilis, qua æquè primò per alia mēbra diuidatur, & proindè per membra primò diuidentia solùm subdiuidi potest. Si verò non est vlteriùs diuisibile, ergo verum est, quod nos asserimus, scilicet vnicam tantùm esse primam, & immediatam entis diuisionem. Quod etiam confir. Quod est adæquatè diuisum non est vlterius diuisibile per alias diuisiones, quæ cadant suprà ipsum formaliter, & immediatè; cum ergo ens adæquatè diuidatur per vnam diuisionem, quæ sit vera, & integra diuisio, quomodo poterit rursus diuidi per alias diuisiones primas, & immediatas, ita vt plures huiusmodi diuisiones possint assignari?

Membra immediatè opposita adæquāt rationē quam diuidūt

IV. Quod rursus declarari potest. Certum est, quòd membra illa diuidentia, quę sunt immediatè opposita, ita adæquant rationem communem, quàm diuidunt, vt illam trahant ad se ipsa secundùm se totam, atque expleant vniuersam eius latitudinem. Cuius rei rationem à priori si aliquis inquirat, facilè assignari potest; id enim oritur, tum ex ratione diuisa, tum etiam ex membris diuidentibus. Et quidem ex parte rationis diuisæ, quia hæc de se apta est, vt descendat secundùm se totam intensiuè acceptam, ad quodlibet membrum diuidens; Habet insuper suam latitudinem, qua ita secundùm se totam descendendo ad quodlibet membrum diuidens, potest etiam ad plura mēbra extendi. Verùm hæc latitudo extensiua non mensuratur ab aliquo intrinseco ipsius; sed solùm ex membris diuidentibus, quia cùm secundùm se totam habeat proportionem cum vnoquoque membro diuidente, & secundùm se totam apta sit descendere ad vnumquodq. membrum diuidens, non habet ab intrinseco suo limitationem suæ latitudinis extensiuæ, & ideò mensuranda est ex membris diuidentibus, & tanta erit, quantum extendi possunt membra diuidentia. Hinc etiam prouenit ex parte membrorum diuidētium, quòd ratio diuisa, per membra immediatè opposita, omnino adæquetur; nā huiusmodi membra diuidentia, ratione immediatæ oppositionis, extremè distant, ita vt amplius distare non possint, & cōsequenter extra ipsa non possit reperiri aliquod aliud membrum diuidens, sed vel ipsa sola diuidant immediatè, vel ad summum contineātur inter hæc membra extremè distantia, quod nunc non oportet in controuersiam vocare; & hoc modo membra immediatè opposita adæquant totam latitudinem rationis diuisibilis, quia magis extendi non potest, quàm extendantur rationes, quæ diuidunt.

V. Hinc ergo elicitur efficax ratio pro nostra sententia. Omnis enim diuisio debet esse per membra immediatè opposita, & consequenter extremè distātia, vel saltem debet posse reduci ad huiusmodi membra diuidentia, nam si fiat diuisio per plura membra, certum est, quòd debent hęc membra habere aliquā oppositionem inter se, alioquin non diuiderent rationem communem. Sumo ergo illud, quod habet maiorem oppositionem, atque maiorem distantiam, atq; inquiro, an possit dari aliud habens maiorem oppositionem, & si respondeatur affirmatiuè, debet illud assignari, & rursus inquiro, an aliud habere possit maiorem distantiam, & sic procedo quoadusque deueniam ad illud, quod habet maximam distantiam, & oppositionem; & tunc iam habeo membra extremè distantia, & immediatè opposita, ita vt vnum excludat omninò alterum; Si verò respondeatur negatiuè, adhuc habeo membra extremè distantia, quia habent totam illam maiorem distantiam, atque oppositionem, quam possunt habere in tali ordine, & hoc modo omnis diuisio debet habere membra diuidentia immediatè opposita, atque extensiuè distantia, quę adæquent prorsus totam latitudinem rei diuisæ, & consequenter etiam Ens, quando primò diuiditur, per hæc membra, immediatè opposita debet diuidi, vndè implicat, quòd rursus per aliam diuisionem primam, & æque immediatam diuidatur, cùm vnica adęquet totam primam ipsius latitudinem, secundùm quam, vt communissima ratio, est diuisibilis. II. ratio

Omnis diuisio debet fieri per membra immediatè opposita

VI. Tertio etiam declaratur. Prima diuisio entis communissimè sumpti, vt adnotauimus, debet cadere suprà rationem entis, prout contradistinguitur à passionibus, atque debet fieri proportionato modo; hoc est, debet fieri per rationes superuenientes enti, quæ proportionato modo ipsum perficiant; vnde cū ens dicat primam rationem essendi, debet fieri diuisio, per diuersos gradus essen- III. rat

di, &

di, & modos superuenientes, & determinantes ens ad certum esse; & quod nō dicit aliquem gradum essendi, non erit aptum, vt diuidat ens secundùm rationē entis; vndè quicquid potest primò diuidere ens, oportet, quòd sit aliquis gradus essendi. Rursus hic gradus essendi non potest esse quicunque gradus, sed debet talis esse, vt importet aliquam primā determinationem entis, nam cum ens dicat Esse vt sic omninò indeterminatum, & sit tantùm fundamentum, & prima inchoatio realitatis, solùm potest immediatè coniungi cum illis gradibus essendi, qui sunt primæ determinationes ipsius, quòd si aliquis non erit prima determinatio, non poterit immediatè diuidere ens. Vndè omnes illæ rationes, quę immediatè diuidunt ens, debent esse in vno aliquo certo genere, nimirum intrà genus rationum, quæ sunt primæ determinationes entis.

Vt qd dicat hæc prima diuisio entis

VII. Hinc autem sequitur, quòd vnica tantùm possit esse prima entis diuisio, illa scilicet, quæ fit per huiusmodi rationes, nam quando membra sunt intrà aliquod genus, non possunt constituere plures diuisiones, sed omnia spectabunt ad vnicam diuisionem; tum quia omnia diuident rationem communem secundū vnicam tantùm rationem diuisibilitatis. tum etiam quia omnia conueniunt in eodem modo diuidendi, atque eadem diuisione diuident, hoc est eodem modo coarctando diuisum, proportione tamen seruata; tum etiam quia, si plura sunt, quàm duo, omnia continebuntur intra illa duo, quæ extremè distant à inuicem quemadmodum omnes colores continētur intra album, & nigrum, tanquàm inter duo extrema, de quibus aliquo modo participant: quod maximè declarat, quomodo secundùm hos diuersos modos essendi, & primas determinationes entis possit interuenire vnica tantùm prima, & immediata diuisio. Atque hinc elicitur confirmatio eiusdem rationis. Ens præcisis suis passionibus habet tantùm vnam rationem contrahibilitatis, & diuisibilitatis, quia solùm potest contrahi ad inferiora, & diuidi tanquam prima ratio realitatis, & tanquam primus conceptus totius esse, quod in idem incidit, nec aliqua alia ratio, præter istam, excogitari potest, secundum quam contrahi possit; vndè primæ rationes contrahentes ens possunt tantùm habere proportionem cum tali vnica ratione contrahibilitatis, & proinde omnes erunt rationes, quæ primò incipiant ens determinare, & in hoc omnes habent conuenire. Verùm oportet, quòd aliquæ ex his immediatè distent, & si quæ sunt aliæ, inter ipsas contineantur; & rursus omnes in hoc conueniant, quòd primò incipiant determinare ens, quomodo ergo fieri potest, cum sit vna ratio contrahibilitatis, & vnicum genus rationū, contrahentiū, inter quas aliquæ reperiantur, quæ extremè distent, quod ens pluribus diuisionibus æque primis, & immediatis sit diuisibile? vt enim plures diuisiones constituantur, oportet etiam cōcedere plures rationes diuisibilitatis, & contrahibilitatis.

Ens hēt vnicam rōnem diuisibilitatis, & cōtrahibilitatis.

VIII. Atque hinc elicitur, quòd rationes illę, quæ primò diuidunt ens cum ad hoc vt diuidant, debeant habere oppositionem, qua ad inuicem se excludant, quæ necessaria est ad faciendam quamlibet diuisionem, non possint ampliùs in aliquo inferiori reperiri simul, quia iam exvi suæ oppositionis sunt omnino incōpossibiles. In quo deficit Auersa, dum inquit, posse ens immediatè multipliciter diuidi, atque assignat aliquas rationes, quę primò, inquit, diuidere ens, quę tamen repetiuntur in aliquo inferiori constituto per aliquem gradum essendi, qui non diuidit immediatè ens. Sic spirituali, & corporeum, docet, immediatè diuidere ens, & tamen reperitur vtrumq. in qualitate, quæ non immediatè diuidit ens: quis autem non videt hoc esse contrà rationem diuisionis, quòd ea, quæ faciunt primò differe ens, rursus coniungantur in aliquo, quod illud faciat tantùm secundariò differre? Præterea ex hoc etiam sequitur aliud magnum inconueniens, quod est etiam omnino impossibile, quòd scilicet eadem ratio sit ex illis, quæ primò contrahunt, & diuidunt ens, seu ex illis, quæ conferunt primam determinationem realitatis, & etiam ex illis, quæ conferunt posteriorem determinationem; sic dum ait, ens immediatè diuidi in corporeum, & spirituale, oportet, quòd corporeitas, & spiritualitas sint rationes conferentes primam determinationem enti, vt sic, alioquin non possent immediatè vniri cum ipso; rursus hæ eædem rationes adueniunt substantiæ, & illam diuidunt in diuersas species; vndè etiam sunt rationes conferentes secundas

Quæ diuidunt, et quā rōnem cōmunem non possunt simul reperiri in aliquo inferiorū.

deter-

determinationes enti; hoc autem est omnino impossibile, quia primæ determinationes entis, nedum debent esse magis vniuersales, quàm secundæ, sed etiam nullas alias supponere possunt, quæ ipsis in contractione metaphysica substernantur, sed nudam rationem entis supponunt; at secundæ determinationes, & sunt minus vniuersales, & essentialiter alias determinationes, factas in ente, supponunt, quæ ipsis in contractione substernantur.

Vera sententia de prima Entis diuisione.

SECTIO. IV.

I. CVm vna tantùm possit esse prima Entis diuisio, vt sect. præcedenti ostensum fuit, restat nunc, vt quænam illa sit, exponamus; ex dictis autem in disputat. præcedenti sequitur, quòd sit diuisio in substantiam, & accidens. Itaque concludimus, Ens primò, & immediatè diuidi per rationem accidentis, & substantiæ, tanquam per primas determinationes, & primos gradus essendi, determinantes ens communissimè sumptum. Quòd autem hæc sit, prima diuisio, ostendendum est ex natura rationum diuidentium. Duo autem sunt ea, quæ debent constituere primam diuisionem entis; primum est; quòd rationes diuidentes cadant formaliter supra ipsam rationem entis, prout contradistinguitur à passionibus; alterum verò, quòd primò determinent ipsum ens ad aliquem certum modum essendi; hæc autem duo saluantur in ratione accidentis, & substantiæ, & quòd spectat ad primum, euidens est, quòd cadant suprà rationem entis contradistinctam à passionibus; cum enim importent certos & determinatos modos essendi, oportet, vt coniungantur cum ipsa prima ratione essendi, tanquam seruantes proportionem ad ipsam, & se habentes tanquam rationes determinatiuę illius; ens enim vt sic præcisum à passionibus est quid determinabile ad certos gradus essentiæ, atque modos essendi; & ideo rationes illę, quæ important hos modos essendi, vt sunt ratio substantiæ, & accidentis, sunt contractiuæ, & determinatiuę entis, quatenus ens est; & consequenter

Conclusio.

Prima entis diuisio est in substantiã & accidens.

I. ratio

diuisio, quæ fit per hos modos, cadit formaliter suprà ipsam rationem entis. Quod etiam ex eo constat, quia hi modi essendi non diuidunt ens secundum aliquam ex eius passionibus; non enim important aliquam rationem determinatam vnitatis, aut veritatis, aut denique bonitatis, quod necessarium esset ad hoc, vt diuiderent ens secundum aliquam ex passionibus; sed important determinatum modum essendi, qui est radix talis vnitatis, veritatis, & bonitatis ergo sunt rationes diuisiuæ quæ solum cadere possunt supra formalissimam rationem entis.

II. Altera quoque conditio, nempè vt sint primæ rationes determinatiuæ entis, perfectè saluatur in substantia, & accidente; nam Esse per se, & esse in alio, quæ sunt rationes constitutiuæ substantię & accidentis, dicunt determinatos modos essendi, qui primò in ipsis incipiunt, ita vt non reperiatur aliquid superius, & prius in huiusmodi modis essendi, ergo Esse per se, & in alio sunt primæ rationes determinantes ens ad certum modum essendi. Vt autem huiusmodi consequentia declaretur, oportet aduertere, quòd rationes, quæ ad inuicem subordinantur, ita vt vna supponat alteram, tanquam perfectibilem à se ipsa, non oportet, quòd sint in diuerso genere, quia tunc ratione huius diuersitatis haberent oppositionem ad inuicem, nec vna posset alteri substerni, aut ab ipsa perfici, vt patet in modo essendi accidentis, & substantiæ, quiquoniam sunt in diuerso genere, opponuntur inter se, nec potest vnus alteri substerni quare cum esse per se, & Esse in alio, vnumquodque in suo genere sit prima ratio, ita vt in tali genere non habeant aliquid prius, oportet, quòd sint primæ rationes determinantes ens secundùm modum essendi; atque consequenter primò diuidentes ens, & etiam immediatè ipsum afficientes, quia prima diuisio entis vt sic, & prima determinatio fieri debet per aliquem certum modum essendi.

Esse per se, & esse in alio dicunt primos determinatos modos essendi.

III. Secundo probatur, & explicatur eadem sententia. Esse per se. & Esse in alio sunt rationes immediatè oppositæ, & fundantes contradictionem; ergo etiam sunt rationes primò contrahentes, & diuidentes ens secundùm determinatum modum essendi. De antecedenti nulla est difficultas, nam Esse

II. ratio

per se dicit modum essendi cōsistentem in indiuisibili, quemadmodum, & omnes aliæ rationes formales; vt docet Aristot. 8. Metaphys. text. 10 & penitus excludentem Esse in alio; & similiter etiam idem contingit in modo Essendi in alio; ex quo sequitur, quod immediatè opponantur, nec habeant aliquod medium, & fundent contradictionem, qua vnum habeat annexam negationem alterius. Consequentia ergò declaratur. Quia dum immediatè opponuntur, oportet, quòd suprà se non habeant aliquam aliam rationem, quæ importet determinatum modum essendi, quemadmodum ipsæ important: immediata enim oppositio ex eo prouenit, quòd vnum excludat, & tollat totum id, quod dicit alterum in eo, in quo opponuntur: si autem hę rationes haberent aliquid suprà se, quod spectaret ad modum essendi, iam neutrà ipsarum excluderet rationem illam superiorem, quippe cum ipsa coniungeretur, tanquam quid proportionatum, non verò haberet oppositionem, vndè non essent immediatè oppositæ secundùm modum essendi, quemadmodum neque rationale, & lapis immediatè opponuntur secundùm rationem substantię; cum ergo Esse per se, & Esse in alio immediatè opponantur secundum modū essendi, oportet, quòd nihil habeant suprà se, quod dicat aliquam rationem circa modum essendi, quę prius determinet ens, quàm contrahatur ad substantiam, & accidens, & consequenter ratio substantiæ, & accidentis sint primæ rationes determinantes, & diuidentes ens.

IV. Quod etiam confirmari potest. Quæ enim immediatè opponuntur, adæquant totā latitudinē illius rei, quam dicunt proportionaliter, sic corporeum, & incorporeum adæquant totam latitudinē substantiæ habentis determinatū esse, non alia ratione, nisi quia immediatè opponūtur; & ratio à priori est, quia in iis, quę habent immediatam oppositionem, vnū ita excludit alterum, vt simul excludat à se, quicquid est in tali genere, & etiam è contrà & proindè, cum in iis, quæ immediatè opponuntur, duo tantùm prima extrema reperiantur, oportet, quod non est in vno, reperiri in alio de illo, quod in tali genere reperiri potest. Sic contingit in corporeo, & incorporeo, quæsunt rationes determinatiuæ substantiæ, quicquid enim de determinatiuo substātię nō reperitur in Corporeo, oportet, quòd reperiatur in Incorporeo, & è contrà totū id, quod non reperitur in Incorporeo, oportet quòd reperiatur in Corporeo, propter immediatam contradictionem, quam habent, ex vi cuius, vt diximus, ita vnū extremum excludit totum id, quod in tali genere non includit ipsum, vt connotet includi in alio, & ideò quæ immediatè opponuntur, adæquant totum illud genus, quod dicunt. Quo stante, sequitur, vt illa duo extrema sint prima in tali genere, & consequenter secundùm illud genus primò diuidant; cum autē in rationibus diuidentibus debeat seruari oppositio, non potest vnumquodque genus ipsarum ad pauciora membra, quàm duo, reduci, & proindè hæc duo erunt prima, quæ diuidunt, quia quò pauciora sunt, eò etiam magis prima, & vniuersalia sunt. Hinc ergo fit, quòd cum Esse per se, & Esse in alio immediatè opponantur, adæquent totam latitudinem modi essendi, & consequenter etiam in tali genere sint prima determinatiua, quia ad duo tantùm membra reducuntur; atque, cum ens vt sic non possit diuidi, nisi per modos essendi determinatos, necesse est, quòd prima diuisio ipsius fiat per Esse per se, & per Esse in alio.

V. Atque efficacia huius confirmationis etiam alio modo explicari potest, seu potius confici noua ratio, desumpta ex inductione facta per omnia entia. Cum enim vnumquodque ens participet esse in se, oportet, quòd simul habeat aliquem modum, quo contineat tale suum esse, quod participat, & quo veluti illud esse consistat in rerum natura, seu facilius, debet habere modum talis participationis, quæ esse illud partici pat. Si autem fiat inductio per omnia entia, reperiemus, aut esse substantiam, aut accidens, ex vi illius modi, quo vnumquodque continet esse in se. Vel enim ita continet esse in se, vt ad illud habendum non indigeat adminiculo alterius, sed per se subsistat, & tūc erit substantia; vel indiget adminiculo alterius, ita, vt adhoc possideat suum esse, debeat ab alio sustentari, & tunc erit accidens, & sic res omnes erunt, aut substantia, aut accidēs; neq. enim aliquos alios modos excogitari possumus, qui-

bus

Margin notes: [left] tift. — [left, beside IV] ...æ in ...diui... opposi... ur adæquant la... tudinē ...lius q... icunt ...ropor... onali... r. — [right, beside V] III. rat. — [right] Vnumquodq. debet habere propriū modum participationis quo propriū esse participet

bus res suum esse contineat, propter con tradictionem, quam important tales modi, quibus esse participatur; traditur enim hæ diuiso per esse per se, & non esse per se, seu per Esse in alio, & non esse in alio, & proinde in quolibet ente, quod esse participat, debet alter ipsorum reperiri. Stante ergo, quòd substantia, & accidẽs ratione modi, quo esse participari solet, adæquent omnia entia, ita vt omnia sub ipsis contineantur, oportet etiam concludere, quòd sint primæ rationes determinantes ens vt sic ad aliquem determinatum gradum essentiæ, neque enim contrahi potest ad huiusmodi gradum, nisi per aliquem modum determinatum participationis ipsius esse. Quòd autem hæ duæ rationes ex eo quod adæquent omnia entia sint illę primæ, quæ diuidũt, manifestè sequitur, nam si non essent primę, oporteret, concedere aliquas alias superiores rationes, atque adeo aliquem alium superiorem modum partieipandi; vnde etiam reperiretur aliquod ens, quod in se contineret esse, & non per aliquem ex illis duobus modis participationis, & proinde, quòd non esset neque accidens, neque substantia, quod fieri non potest; & etiam sequeretur inter contradictoria dari medium, & quòd non esset necesse alterum ipsorum inesse; vt enim diximus Esse per se, & Esse in alio habent annexam contradictionem, ratione cuius oportet, vt alterum ipsorum insit cuicunque enti ratione modi participandi esse, quod habet.

Quænã sit prima ratio entis. VI. Ex his igitur, quæ hucusque dicta sunt, habemus, quænam sit prima ratio entis, illa nimirum, quę cum in se sit omnino indeterminata, vt potè quia importat solùm primum fundamentum realitatis, determinabilis est primo per rationem substantiæ, & accidentis, ita vt hęc sit prima diuisio, qua mediante ad sua inferiora descendat; vnde si ab accidente, & substantia præscindamus id, in quo conueniunt, habebimus verum, atque proprium conceptum entis, quem modo inquirimus: Quod prius determinandum fuit, quia vt etiam suprà adnotauimus, valde confert ad intelligendam naturam ipsius, præsertim circa ea, quæ pertinent ad vnitatem, & abstractionem, atque ad analogiam, seu vniuocationem, de quibus modò agemus, postquam rationes in oppositum, quas sect. 1. adduximus in alienis sententiis referendis, solutę fuerint. Sed hic pro complemento totius doctrinę breuiter aduertimus: quod sicuti in ente, præter conceptum pręcisum ipsius, assignantur etiã passiones, ita etiam in ratione substantię, & accidentis debent assignari passiones correspõdentes passionibus entis nẽpe talis vnitas, talis bonitas, atque talis veritas, quæ similiter cõtrahãt, atq. diuidãt passiones entis; atq. huiusmodi diuisiones, quę cadunt supra passiones entis erunt æque vniuersales, ac diuisio entis in substantiã, & accidens, & etiam priores cæteris diuisionibus, quibus ens subdiuiditur; posteriores tamen diuisione entis, in substantiam, & accidens, quẽadmodum etiam passiones sunt posteriores ipsa radice.

Satisfit rationibus aliarum sententiarum.

SECTIO. V.

I. Quamuis rationes aliarum sententiarum, suppositis ijs, quæ diximus, præsertim disp. præcedenti, non vrgeant nostram sententiam, iis nihilominus satisfaciemus, ne quid ad complemẽtum huius quęstionis desideretur. Ad primam igitur primæ sententiæ dicẽdum est, falsum esse, quod finitum, & infinitum importent passiones entis, non enim sunt bonitas rei formaliter, sed tantùm fundamentaliter, quemadmodum etiam dicendum est de perfectione, non enim perfectio rei, si consideretur quatenus est ratio quædam, secundùm quam esse vniuscuiusque rei mensuratur, est bonitas, quæ est passio entis, sed est tantùm fundamentum huius passionis, & pertinet ad essentiale rei. Finitas igitur, & infinitas sunt modi, quib. esse ab vnoquoq. participatur, intrinsecè imbibiti in essentia cuiusque rei, ita vt neque ratione pręscindi possint ab ipsa, quia nihil aliud dicunt, quam esse cuiuscunque rei tali pacto se habens, nimirum limitatè, vel illimitatè. Quo stante satis constat rationem ibi factam nihil concludere, cum procedat ex falso supposito, quòd finitas & infinitas sint passiones entis. Ad I. Finitã & infinitum, quemad modum & perfectio, nõ import. tant passiones entis.

II. Circa autem secundam rationem aduertere oportet, quòd si finitas, & infinitas cem parentur ad ens vt sic, suppo- Ad II.

sito, quod daretur præscindens à finito, & infinito, certum est, quòd tam finitas quàm infinitas sunt quid posterius vnitate transcendentali ipsius entis, tanquam aliquid minus vniuersale, & ideò etiam diuisio, quæ per tales rationes fieret, esset posterior; verùm, vt etiam suprà adnotauimus, vnitas tali pacto accepta non potest esse diuisiua entis. Cæterum quòd dicitur de distinctione illa modali, verùm non est modaliter ens distingui à finitate, & infinitate, quamuis enim sint modi, non sunt tamen modi accidentales, sed essentialiter, & intrinsecè imbibiti in constitutiuo rei: vndè si compararentur ad tale ens, nimirum ad illud, quod est finitum, vel infinitum, nullo pacto ab ipso distinguuntur, sed sunt essentiale constitutiuum ipsius: si verò comparentur ad ens vt sic, tunc non distinguuntur ab ipso modaliter, sed tanquã gradus inferiores à superioribus; ex quo tãtum sequitur, quòd ens prius sit vnum vnitate sua transcendentali, non autem vnitate, quæ apta sit diuidere ens, ipsum contrahendo.

Ens non distinguitur modaliter à finitate, & infinitate.

III. Tertia autem ratio, tangit difficultatem, quomodo distinguenda sint attributa in *Deo*, & quomodo vnum possit ab alio præscindi, quæ quoniam planè Theologica est, eam omittimus, & pro solutione præsentis difficultatis dicimus, quòd omnes perfectiones simul sumptæ sunt formale constitutiuum infinitatis, vndè intrinsecè inbibũtur in ipsa infinitate, ita vt implicet concipi infinitatem, non conceptis, saltem implicitè, omnibus perfectionibus; hinc quando dicitur, aliquid esse simpliciter infinitum, quia continet omnes perfectiones, assignatur constitutiuum infinitatis, seu potius explicatur, in quo consistat infinitas. Cùm autem dicitur, aliquam perfectionem ex illis, quæ continentur in infinitate, posse ab ipsa præscindi, si loquamur de perfecta præcisione, hoc mihi difficile videtur; & ad summum censerem, id posse contingere secundùm conceptum explicitum, ita vt dum concipio vnam ex illis perfectionibus præcisè, adhuc tamen implicitè concipiã omnes alias, sed quia hoc spectat ad materiam de attributis diuinis, nolumus in præsenti aliquid determinare. Solùm dicimus, quòd vel illa perfectio concipitur cum infinitate, vel sine ipsa. Si primo modo concipitur, oportet, quòd concipiantur etiam omnes aliæ perfectiones, saltem implicitè, quia nequit consistere infinitas absque omnibus perfectionibus. Quòd si absque infinitate concipitur, tunc concipitur aliquid finitum, quia finitum, & infinitum immediatè opponuntur, & fundant contradictionem; & idcirco necessè est, quòd semper alterum ipsorum reperiatur in omni, quod aliquod esse determinatum participat; debet enim habere modum suæ participationis, & proinde vel finito, vel infinito modo continere esse in se ipso. Vnde sequeretur, vel quòd non esset perfectio illa, quæ continetur in infinitate: vel quòd aliquid finitum in ea reperiretur. Cum autem ex huiusmodi præcisione infertur; vnitatem esse priorem infinitate, illam nimirum vnitatem, quam dicit ratio præcisa: respondetur hoc non rectè inferri, nam, vel cum illa ratione præscinditur etiam simul infinitas, & tunc quomodo vnitas prior erit infinitate, cùm ipsa quoque simul præscindatur? vel non præscinditur infinitas; & tunc neque relinquitur, sed destruitur, quia infinitas nequit consistere sine omnibus perfectionibus; vndè si vna auferatur, statim cessat etiam infinitas; ex quo fit, quod si ab infinitate præscinditur aliqua perfectio absque infinitate, quòd non possit distingui ab infinitate, quia non est amplius infinitas, sed destruitur; quemadmodum destruitur homo, dum ab ipso tollitur, aut animalitas, aut rationalitas; vndè nec vnitas rationis præcisæ est prior infinitate, cum nihil sit prius respectu illius, quod non est.

Ad Tertiam.

Omnes perfectiones constituunt infinitatem simpliciter.

IV. Ad fundamentum secundæ sententiæ dicendum est: falsum esse, quod quando diuiditur Ens secundùm finitatem, & infinitatem, diuidatur formaliter secundùm bonitatem; sed tantum consequutiuè, quatenus scilicet infinitum esse fundat infinitam bonitatem, & finitum bonitatem finitam, tanquam passionem ipsius: neque enim infinitas, aut finitas sunt passiones entis, sed ingrediuntur formale constitutiuum ipsius; vnde si daretur huiusmodi diuisio, quam tamen diximus non dari, nihil argumentum hoc contra ipsam concluderet; quia concedendum esset, quod diuisiones, quæ cadunt

Ad fundamentũ secundæ sententiæ.

for-

formaliter supra passiones,deberent, quò ad prioritatem,& posterioritatem seruare inter se ordinem illum, quem seruant passiones; sed negandum, vt diximus, quòd diuisio in infinitum, & finitum cadat supra aliquam passionem, sed suprà essentiam, & ideò prior esset quacumque alia diuisione,quę fiat secundùm aliquam ex passionibus, proportione seruata, vt mox dicemus.

Ad primū tertiæ sententiæ. V. Quod autem spectat ad rationes tertiæ sententiæ, & quidem ad primam, cum in examinatione illius sect.2. dictum sit,quòd diuisio in finitum, & infinitum, si esset vera diuisio,non caderet supra ens, vt sic,immediatè,sed solùm suprà substantiam, imò infinitas deberet supponere multas alias rationes, vndè consequenter deberet supponere alias vnitates, quę præcederent infinitatem; & sic,si ens diuideretur secundùm illas vnitates,in vnū, & multa, hæc diuisio prior esset illa diuisione, qua diuiditur in finitum, & infinitum; quia tamen,vt verè ibi assumitur,finitū,& infinitum pertinent ad essentiam, & sunt priora vnitatibus,quæ ad ipsa consequuntur, ideò etiam diuisio in ipsa est prior diuisione, quæ fit secundùm tales vnitates. Adde etiam, quòd si huiusmodi esset vera diuisio, cum infinitas sit propria solius Dei,præsupponeret omnes illas rationes, in quibus dicunt Deū conuenire cum creaturis. Vnde omnes illæ diuisiones,quæ circa ens fierent, secundùm omnes illas rationes, quæ pręsupponerentur, priores essent diuisione in infinitum, & finitum. Et eodem modo

Ad secūdum. occurrendum est secundæ rationi; ex eo namque, quòd finitas, & infinitas sunt quid intimius rei,quàm vnitas,aut quodlibet aliud, sequitur solùm, quòd sint quid prius respectu vnitatis, quæ consequitur rem finitam aut infinitam. Neque valet instantia Soncin. quòd perfectio rei pertineat formaliter ad bonitatem, sed spectat,vt dictum est, ad essentiam, & est radix bonitatis.

Ad tertium. VI. Ad rationem eiusdem sententiæ respondetur, quòd verum quidem est, quòd maior distantia extremorum diuidentium reddit diuisionem priorem illa, in qua membra diuidentia minus distant; quia scilicet, vt ibidem nos explicamus, maior distantia arguit minorem conuenientiam; & membra, quæ primò diuidunt ens,quia solùm in ratione entis conueniunt, habent illam minimam conuenientiam,quę interuenire potest, & ideò, quæ primò diuidunt ens magis distant, quàm cœtera, quę secundariò diuidunt. Verum quando ex distantia maiori, vel minori extremorum diuidentium colligitur prioritas,vel posterioritas diuisionis, oportet, quòd verè interueniat diuisio, & consequenter,quòd supponatur etiam aliqua conuenientia, sine qua impossibile est,quòd sit diuisio. Fit enim diuisio secundùm aliquam rationem communem, quæ participatur à membris diuidentibus, & idcireò membra diuidentia semper ita distant,vt etiam conueniant. Ens autē simpliciter infinitum, vt suprà disp. 29.ostendimus,nullam habet conuenientiam,neque etiam analogiam cum ente finito. Sed addendum est,quòd si haberet aliquam conuenientiam cum ente finito, minus ab ipso distaret, quàm cætera membra,quæ diuidunt ens; vt autem hoc intelligatur, aduertendum est, quòd distantia potest attendi penes illud,quo res differunt inter se intensiuè, atque extensiuè. Et tunc verum quidem esset, quòd finitum, & infinitum maximè distarent, intensiuè loquendo, quia secundùm vnicam tantùm rationem haberent infinitā distantiam; verùm extensiuè, hoc est secundùm plures rationes non distarent maximè, nam magis distarent, seu secundùm plures rationes,substantia, & accidens. Quando autem ex maiori distantia arguitur prioritas diuisionis, intelligi debet de maiori distantia extensiua, cum autem intensiua,vt patet ex ratione, quā ibidem adduximus in confirmationem illius argumenti. In quarta autem ratione verum quidem assumit Suarez, quòd diuisio per infinitum,& finitum sit secundùm essentiam, tanquam per modos intrinsecos illius, non tamen rectè infert, quòd sit prior omni alia diuisione; vt enim sit prior omni alia diuisione,nedum requiritur, quòd sit secundùm essentiam, sed etiam vt rationes diuidentes immediatè cadant suprà ipsum ens, quod non habet infinitas, quæ essentialiter supponit alias rationes, quibus prius ens diuisum fuerit.

VII. Sententia verò Scoti, quæ est quarta, totum suum fundamentum habet in eo,quòd detur illud ens non quantum, hoc autem fundat in relationibus, quòd scilicet sint entia,& tamen nullam dicant perfectionem. Nos, quid dicendum sit de relationibus creatis, suo loco explicabimus;

Distātia membrorū diuidentiū supponit conuenientiam.

Ad quartum.

Ad sententiam Scoti.

Perfectio, & eſſe rei idem ſunt.

cabimus; de relationibus vero diuinis ſpectat ad Thelogum determinare. Solùm nunc aduertimus, impoſſibile eſſe, relationem dicere aliquod eſſe, & non dicere aliquam perfectionem, cum perfectio, & eſſe rei idem ſint, neque enim res perfectę dicunt aliquid ſupra ſuum eſſe, ex quo habeant, quòd perfectæ ſint, & quemadmodum in ipſis tale eſſe determinatum importat talem perfectionem determinatam; ita eſſe cuiuſcunque rei importat perfectionem proportionatam tali rei, & etiam, quia habere aliquod eſſe eſt perfectio quędam, quia in hoc diſtinguitur à nihilo, quod ſicut nullum habet eſſe, ita etiam nullam habet perfectionem; hinc factum eſt, quòd bonitas ſit paſſio entis, vniuerſaliſſiè ſumpti, bonitas autem non poteſt eſſe ſine perfectione, cum in ipſa fundetur. Quin etiam de relationibus dicendum eſt, quòd eo modo dicant perfectionem, quo enim dicunt entitatem, vndè ſi ponuntur diſtinctæ à fundamēto, ita vt habeant eſſe proprium, oportet etiam ijs concedere propriam perfectionem contradiſtinctam à perfectione fundamenti. Quòd ſi non habent eſſe proprium diſtinctum ab eſſe fundamenti, nec etiam habebunt perfectionem propriam contradiſtinctam à perfectione fundamenti; hoc autem examinabimus infrà ſuo loco. Circa vltimam ſententiam nihil aliud dicendum eſt, cum nullum fundamentum pro ſe afferat, ſed tantùm vtatur quadam explicatione, quæ iam reiecta eſt, dum hæc ſententia expenſa fuit. Nunc conceptum entis conſiderabimus.

Quod habet eſſ. proprium habet etiam ppriã perfectionẽ.



DE CONCEPTV ENTIS.





Xplicatis ijs, quę p-tinent ad diuisionem Entis cōmunissimè sūpti, p quæ eius cō ceptū quò ad cōmunitatē inuestigauimus, nūc, vt debitum ordinem doctrinæ seruemus, quidditas ipsius declaranda est, quod facilius præstabimus, vtpotè, quia iamterminos ipsius circumscripsimus. Præcipuè autem consideranda sunt Vnitas, Præcisio ab inferioribus, Modus, quo ab ipsis participatur, & denique scibilitas ipsius, quid præstet metaphysicæ in ordine ad suas conclusiones deducendas, seu an fundet aliquod primum principium, vnde possit metaphysica suas conclusiones deducere.

An conceptus formalis Entis sit vnus

Disp. XXXIII.

Aliorum sententia.

SECTIO I.

I. Constituto conceptu entis; esse nimirum illum, qui diuiditur in substantiam,& accidens, oportet, vt eius naturam inuestigemus; prius autem agemus de formali, antequam accedamus ad ad obiectum; & de hoc dubitatur, an sit vnus, an vero multiplex. Pro intelligentia autem tituli quæstionis supponendum est, quod duplex conceptus distingui solet, nimirum formalis, & obiectiuus, conceptus formalis nihil aliud est, nisi actus ille intellectus, quo res concipitur, & manifesta sit intellectui; seu manifestatio illa intellectiua, repræsentatiua obiecti, considerata tamen in ordine ad intellectum, prout scilicet est ratio formalis, qua illi repręsentatur obiectum; vndè dicitur conceptus formalis, quia est forma quędam informans intellectum, & illi manifestans obiectum. Obiectiuus autem conceptus est res, quæ per talem actum manifestatur, qui ideo dicitur obiectiuus, quis intellectui obijcitur, seu est res cognita, quatenus tamen repræsentatur, & obijcitur intellectui, non autem quatenus habet esse à parte rei, quia tali pacto habet rationem obiecti, non verò conceptus obiectiui. Vndè fortassè melius explicaretur, quòd conceptus obiectiuus sit actus intellectus, quatenus est imago obiecti, seu quatenus dicit esse obiecti, modo intentionali in ipso existens, ita vt actus intellectus, quatenus ad ipsum intellectum ordinatur, tanquam repræsentās illi obiectum, sit conceptus formalis; quatenus vero dicit ordinem ad obiectū, quod repræsentat, & continet in se obiectum intentionali modo, sit conceptus

Duplex cōceptus formalis & obiectiuus.

Alia explicatio cōceptus obiectiui.

obiectiuus; quod videtur etiam significari; quando dicitur, conceptum obiectiuum esse rem cognitam, quatenus obijcitur, seu repræsentatur intellectui; per hanc enim reduplicationem videtur conceptus obiectiuus formaliter importare ipsam rationem repræsentati, quæ in nullo alio consistit, prèterquam in illo esse intentionali, quo res existit in intellectu. Quare, quando hominem concipimus, actus ille intellectus, seu illa apprehensio, quatenus ordinatur ad repræsentandum intellectui ipsum hominem, erit conceptus formalis; homo verò, quatenus repræsentans, seu potius actus ille intellectus, quatenus continet hominem in esse intentionali, & dicit ordinem ad ipsum hominem, tanquam ad obiectum, erit conceptus obiectiuus. Sic ergo etiam in ente proportionaliter duo conceptus distinguendi sunt, formalis, & obiectiuus; & in præsenti disp. quærimus de formali, an sit vnus.

Prima sententia negãs vnũ oceptũ formalẽ entis. Caiet.

II. Prima ergo sententia in hac difficultate est Caiet. opusc. de Nomin. analogia cap. 4. & 6 qui negat, ens habere vnũ conceptum formalem, quem ipse mentalem vocat, sed simpliciter esse multiplicem, præsertim si loquamur de conceptu perfecto. Et quamuis de ente, & essent. cap. 1. quæst. 2. vbi etiam citat D. Th. quæst. 7. de potentia ar 5. & 6. videatur sentire, quòd conceptus entis formalis sit vnus, nõ intelligit tamen de vnitate perfecta, sed de vnitate analoga, qua scilicet plures conceptus sunt vnum secundùm proportionem, vt semetipsum explicat Opusc. de conceptu entis, quod est 6. tom. 3. quod scripsit ad Fratrem Franciscum de Ferraria, qui ipsi hoc dubium mouerat, tanquã sibi contradiceret vndè §. *Secundus autem &c.* huius opusculi, loquẽs de hoc conceptu mentali entis, inquit. *De quo scilicet perfecto, seu adaquato explicite conceptu analogi interpretandum est, cum a me, vel ab alio scriptum inuenitur; quod non potest analogum vnum numero mentalem conceptum habere, sed vnum analogia tantum. Et quoniam conceptus mentales sunt imagines rerum repræsentatarum, nisi sint fictity, quemadmodum in mente conceptus adaquatus analogi, non est vnus, sed exigit repræsentationem omnium fundantium analogiam, ita significatum analogi adaquatum, & perfectum non potest sic abstrahi, vt obyciatur, repræsentetur, aut concipiatur absque fundantibus rebus, & sicut in mente duplex conceptus imperfectus reperitur, ita res significata extrà potest obyci dupliciter.* Huius autem sententiæ fundamentum nullum aliud est, præterquam analogia rei conceptæ Hanc enim doctrinam Caiet. tradit vniuersaliter de analogis, & exemplificat in ente, quia si res analoga, quæ concipitur, non est vna, neque etiam conceptus mentalis, quo concipitur poterit esse vnus.

Secunda sententia partim ponens partim negans vnũ cõceptum formalẽ entis.

III. Secunda sententia parum à præcedenti differt, & est Ferr. 1. contra Gent. cap. 34. §. *Vnum dumtaxat, &c.* qui ait, conceptum mentalem entis, seu formalem posse dupliciter considerari, scilicet prout est conceptus quid rei, & prout est conceptus quid nominis. Primo modo ait esse conceptum perfectum, & adæquatum, non solùm in prædicando, sed etiam in repræsentando; secundo autem modo esse conceptum imperfectum, & inadæquatum. Si igitur primo modo accipiatur, ait non esse vnum, sed multiplicem; Fundat suam opinionem in eo, quòd id, quod repræsentat est analogum, vnde non potest habere vnum conceptum mẽtalem, vnitas enim conceptus mentalis, prout est conceptus quid rei, importat vniuocationem, quia importat rationem; ratio enim non se tenet ex parte obiecti, sed ex parte intellectus; vndè cum definiuntur vniuoca esse illa, *Quorum nomen est commune, & ratio importata per illud nomen est eadem*, intelligitur de conceptu mentali, quia ratio significat definitionem: definitio autem est in intellectu; vndè ratio vna dicit definitionem vnam, seu vnum conceptum formalem rei definitę. Citat etiam D. Th. pro hoc suo fundamento, sed facilè explicari potest.

Ferrar.

Tertia sententia negans conceptum formalem entis distinctũ esse vnũ & admittens vnũ confusum.

IV. Aliter etiam opinatur Fonseca, & est tertia sententia, nam 4 metaphys. cap. 2. quæst. 2. sect. 5. triplicem conceptum distinguit, alium confusum, alium distinctum, alium verò partim confusum, partim verò distinctum. Est autem hoc discrimen inter hos conceptus, quòd conceptus distinctus est ille, qui repræsentat distinctè omnes entitates simplices, quæ sub ente continentur manifestando vnãquamque secundùm propriam ipsius rationem. E contra verò conceptus confusus est ille, qui in confuso repræsentat omnia entia, nec aliquam peculiarem rationem ipsorum manifestat. At partim

Fonseca

con-

confusus, partim distinctus erit ille, qui quasdam rationes entium inferiorum repræsentat distinctè, quasdam verò confusè, & habebit modum quemdam repræsentandi medium inter conceptum confusum, & conceptum distinctum. Hoc igitur prænotato explicat Fonseca suam sententiam, nimirum, conceptum formalem entis confusum esse vnũ, nõ autẽ cõceptũ distinctũ. Hæc quoq. sentẽtia fundatur in analogia entis, quã nõ possumus distinctè concipere, nisi etiam concipiantur inferiora, & proindè conceptus distinctus debet esse, qui repræsentet ens, & cõsequẽter etiam repræsentet inferiora entis, vndè cum plura sint repræsentanda, oportet quoq. quòd conceptus sit multiplex.

Quarta sentẽtia admittẽs vnũ cõceptũ entis formalẽ. Scot. Capr. Soncin. Iauel. Fland. Henr. Scoto Suarez. Auersa.

V. Quarta autem, & vltima sententia communis est, & asserit simpliciter, quòd conceptus formalis entis sit vnus simpliciter, & præcisus à quocunque alio. Ita tenent Scot in 1. dist. 3. quæst. 1. & communiter Scotistæ. Capr. in 1. dist. 2. quæst. 1. conclus 1. & 9. Soncin. 4. Metaph. quæst. 1. Iauel. ibid. Flandria quæst. 2. ar. 6. Henric. quodlib. 2. quæst. 7. Scoto in prædicam. cap. 4. quæst. 1. Suarez in metaph. disp. 2. sect. 1. num. 9. Auersa in sua philosophia quæst. 3. sect. 8. & communiter recentiores hanc opinionem sequuntur, quamuis putent, ens esse analogum; quam sententiam tanquam verissimam nos quoq; mox explicabimus, & confirmabimus.

Notationes pro vera sententia; vbi etiam sententia Fonsecæ reijcitur.

SECTIO. II.

Punctus difficultatis.

I. Vt igitur hanc postremam sententiã explicemus, punctus difficultatis videtur intimius attingendus, vt eo planè percepto, facilis reddatur resolutio. Cum igitur quærimus, an detur vnus conceptus formalis entis, non debet comparari ad inferiora entis, sed ad alios conceptus formales, ita vt sensus sit; An conceptus formalis entis comparatus ad alios cõceptus formales, quibus inferiora entis, vt substantiæ, & accidens concipiuntur, sit vnus, & præcisus ab ipsis; seu quod idẽ est; an possit ens intellectui repræsentari per vnicũ simplicẽ conceptũ formalem, nec necesse sit plures actus elicere. Et ratio id mihi videtur suadere, quia illud est vnum in aliquo genere, quod in ipso est indiuisum in se, & diuisum à quocunq; alio; vt ergo cõceptus formalis entis intrà genus cõceptuũ formaliũ sit vnus, aut multiplex, oportet ipsũ cõparare ad cęteros cõceptus formales, & inquirendũ, an sit indiuisus in se, & diuisus ab alijs, quia tũc erit vnus; sin secus, multiplex erit. Et hoc inquirendũ est supposito etiã, quòd ens esset analogũ, de quo infrà inquiremus, ita vt modò decernamus præscindẽdo ab eo, quòd ens sit analogũ, aut vniuocũ, an cũ tota sua analogia, supposito, quòd illam haberet, possit vnico cõceptu repræsentari.

Aliud esse entitatiuũ in cõceptu formali aliud repræsentatio.

II. In hoc autẽ illud etiã est maximè aduertendũ, quòd licet in cõceptu mẽtali idẽ sint entitas, & repræsẽtatio formalis, quia cõceptus formalis nihil aliud est, quã forma quædã accidentalis, quę formaliter, & vt quo est repręsẽtatiua obiecti, vnde entitas cõstituitur in esse talis entitatis per repræsentationẽ formaliter consideratã, tamen aliquo modo possumus distinguere secundũ rationẽ repræsentationẽ ab esse entitatiuo, ita vt esse entitatiuũ se habeat tanquã materiale, repręsentatio verò tanquã formale. Et hinc fit, quòd quãdo quæritur, an conceptus mentalis entis sit vnus, quæstio debeat procedere, nõ solũ de cõceptu mentali entitatiuè, & quasi materialiter cõsiderato, sed de ipso formaliter accepto, prout dicit rationẽ repræsentationis. Quod ideo addidi, quia nõnulli præsertim Thomistę arbitrãtur, posse intellectũ per vnicũ actum cognoscere plura, per modũ tamen vnius, quòd an verũ sit, non est huius loci examinare; & tunc conceptus formalis, seu mentalis est quidẽ vnus, sed materialiter tantũ; non autẽ formaliter, & secundũ rationẽ repræsentationis. Ad vnitatẽ autẽ conceptus formalis requiritur vnitas repræsentationis, quia in hoc propriè vera ratio illius cõsistit, vndè vt propriè secundũ verã rationẽ conceptus formalis sit vnus, necesse est, quòd habeat vnitatem repræsentationis.

Duplex cõsideratio esse repræsẽtatiui in cõceptu formali

III. Verũ hæc repræsentatio duplici modo cõsiderari potest, primò scilicet in ordine ad intellectũ, respectu cuius se habet tanquã forma manifestatiua obiecti: altero verò modo potest cõsiderari in ordine ad obiectum, quatenus scilicet connotat ipsũ obiectũ, quod repræsentat, seu quòd idẽ est, potest considerari, ista repræsentatio subiectiuè, & terminatiuè. Primo modo dicit accipi tanquã formã, quæ subiectatur in intellectu ipsũ perficiẽtẽ in esse cognitionis; seu dicit intellectũ, vt cognitione ipsa informatũ, & iã perfectũ. Secundo autẽ modo, dicit correspondentiã, quã habet cũ obiecto, seu cõceptũ formale secundũ rẽ repræsentatam, & hoc secundo modo potius importat cõceptũ obiecti-

nū, quā formalē. Ideo quādo quęrimus de cōceptu formali entis, an fit vnus, vel multiplex, debet attēdi ratio reprǽsētationis quā dicit nō terminatiuè sed subiectiuè & in ordine ad intellectum; vndè in eo tota difficultas consistit, an conceptus formalis entis habeat vnicam rationem formalem repræsentationis, seu vnicum modū repræsentandi in ordine ad ipsum intellectum; tunc enim procul dubio erit vnus, si verò carebit tali vnitate repræsentationis, neque conceptus erit vnus.

Distinctio s on ceptus formalis entis in distinctum, & confusū reijcitur.

IV. Præterea hoc etiam aduertendum est, quòd non rectè Fonseca ponit illam distinctionem conceptuum in ente præsertim indistinctū, & confusū, ex eo, quod distinctus sit ille qui distinctè repræsentet omnes entitates simplices; confusus verò, qui confuso modo easdem repręsentet. Quæro enim, an conceptus entis formalis debeat omnes entitates simplices repræsentare distinctè, vt sit constitutus in esse conceptus entis, an verò nō sit necessè, quòd repræsentet: si debet repræsentare, quando non repræsentabit; nullo modo erit conceptus entis, quia cū omnis conceptus formalis essentialiter cōstituatur in esse p esse repræsentatiuū, si aufertur illud esse repræsentatiuum, quod ad sui constitutionem requirit, certè aufertur etiam conceptus, quemadmodum auferretur homo, si ab ipso auferretur rationalitas, aut aliquid aliud, quod necessarium sit ad ipsius constitutionem. Si verò non requiritur, ergo implicat iste conceptus, qui sit verus conceptus entis, qui distinctè repręsentet omnes entitates simplices, qnia in essentijs rerum illud totum implicat, quod essentialiter non requirunt: Ex quo fit, q cū hæc sint cōtradictoria, ita ut alterū ipsorū debeat verificari, nō possit dici esse duplex cōceptus entis, distinctus, & confusus, sed alter tantùm.

V. Rursus etiam inquiro, quid repręsentet conceptus ille confusus, qui non repræsentat distinctè omnes simplices entitates; certè debet aliquid repræsentare, & hoc non aliud potest esse, quàm illa communis ratio entis, in qua omnes rationes simplices conueniunt. Cum autem ille conceptus sit distinctus, qui distinctè repræsentat id, ad quod reprętentādum ex vi suæ productionis, & naturæ ordinatur, atq. etiam id tantùm debeat repręsentare, ad quod ordinatur, quomodo non erit distinctus, si hoc ipsum distinctè repræsentat? aut cur dicendus confusus, si non repræsentat id, quod non debet repræsentare? nequeretur.n. q esset cōfusus, quia nō repręsentatur aliud; sic cōceptus formalis, seu mētalis lapidis esset cōfusus, quia non repræsentaret hominem. Conceptus ergo entis certè ex natura sua, & ex vi suæ productionis non ordinatur ad repræsentandas omnes simplices entitates, quia tunc esset conceptus inferiorum, non autem entis; vt ergo sit distinctus sufficit si solam rationem entis distinctè repræsentet, quia ad hanc solam repræsentandam potest ex natura sua ordinari. Necesse autem est, vt ipsam distinctè repræsentet, quia omnis cōceptus formalis debet aliquid distinctè repræsentare; oportet enim, vt sit imago omninò cōmensurata cum aliquo obiecto, ita vt secundùm esse intentionale dicat id, quod obiectum dicit secundùm esse reale, ac proinde ex vi huius commensurationis debet distinctè repræsentare id, quod dicit obiectum, cuius est imago. Quòd si dicas, esse cōceptum confusum, quia repræsentat ens vt sic; in quo inferiora confunduntur; ex hoc non sequitur, quòd sit conceptus confusus entis, sed potius inferiorum, neque per hoc tollitur, quòd repræsentet distinctè ens; imò hæc confusio non se tenet ex parte conceptus formalis; sed potius ex parte conceptus obiectiui, quia tota confusio consistit in continentia illa, qua mediante omnia inferiora confunduntur in ente, si hoc tamen verum est: non autem consistit in repræsentatione, quod euidenter colligitur, quia huius modi confusio est in obiecto, & præcedit ipsum conceptum formalem; non autem in ipsum redundat, quia ipsa confusio est distinctè repræsentabilis, & si continetur in ente vt sic, cōceptus ipsius debet eam distinctè repræsentare, quia conceptus formalis est imago entis, vt in se ē.

Conceptus formalis entis solùm debet rationē entis repræsentare.

VI. Atque hinc à fortiori etiam sequitur, quòd non detur ille conceptus entis partim distinctus, & partim confusus, ita vt quædam repræsentet distinctè, quædam verò confusè, vnus enim tantùm, vt vidimus, potest esse conceptus entis, atq; necesse est, quòd sit distinctus, vt modo declaratum fuit, & ratio quoq; eadem est, quia si aliqua repręsentaret distinctè, esset conceptus illorum, non autem entis. Sed etiam habet suam peculiarem implicantiam, non enim percipi potest, quomodo dari possit iste cōceptus partim distinctus, & partim cōfusus, aliqua distinctè repræsentans, & aliqua confusè; cum enim sit vna simplex entitas, cuius esse formale

Non datur conceptus entis partim distinctus partim confusus.

formale est repræsentare, quomodo fieri potest, quòd simul sit repræsentatio distincta, & confusa? Deinde si aliqua repræsentat distinctè, procul dubio erit conceptus ipsorum; at quomodo potest esse conceptus illorum, quæ dicitur confusè repræsentare? Si enim exempli gratia distinctè repræsentat substantiam, quomodo conceptus substantiæ erit conceptus accidentis, cum accidens, & substantia oppo sito modo se habeant? Constat ergo, non posse admitti hos distinctos, & confusos conceptus formales entis, sed vnum tantum esse conceptum formalem, eumque distinctè repræsentatiuum entis, & de hoc videndum est, an sit vnus, an verò multiplex in sensu, quē modò explicauimus.

Conceptus formalis entis est tantùm distinctus.

Vera sententia.

SECTIO III.

I. His igitur prænotatis dicendum est; conceptum formalem entis esse vnum, ac præcisum à cæteris, ita vt habeat proprium esse repræsentatiuum, nō secus, ac habent cæteri conceptus; loquendo de esse repræsentatiuo in ordine ad intellectum, vt sect. præcedenti num 3. explicatum fuit. Prima autem ratio, & meo iudicio efficax, pro ha. sententia desumitur ex eo, quòd conceptus formalis entis non est conceptus formalis substantiæ; aut accidentis, aut alicuius alterius inferioris, ergo est vnus, & præcisus à cæteris secundùm suam formalem repræsentationē. Consequentia est euidens, nā manifestè sequitur, quòd esse repræsentatiuū ipsius non conuenit cum esse repræsentatiuo substātiæ, aut alterius inferioris, alioquin si contineret esse repræsentatiuum substantiæ, esset conceptus illius, aut alterius inferioris, cuius esse repræsentatiuū contineret; cum ergo non cōmunicet cū esse repræsentatiuo alicuius inferioris, oportet, quòd purè solū ens repræsentet, & consequenter secundùm esse repræsentatiuū sit indiuisus in se, atque diuisus à quocunque alio, & proinde vnus, & præcisus; quòd spectat ad antecedens etiā facile prob. & in primis experimur, quòd diuerso modo se habet noster conceptus, quando concipimus substantiā, & cœtera inferiora, quàm quando concipimus solū ens. Quod etiam ratione confirmatur, nā cū totū esse conceptus formalis consistat in esse repræsentatiuo obiecti, oportet, quòd conformetur cum obiecto, tanquam imago ipsius, vndè quemadmodū, si ens vniuersalissimè sumptū obiectiuè consideretur, importat aliud esse repræsentabile ab eo, quod importat substantia, aut accidens, aut quodlibet aliud inferius: ita etiā oportet, vt conceptus formalis entis importet aliā repræsentationē ab ea, quam importat conceptus formalis substantiæ, aut alterius inferioris. Non autem debet negari intellectui, quòd non possit concipere illud tantum, in quo substantia, & accidens conueniunt, nec quòd ens vt sic non habeat diuersum esse obiectiuum ab esse substantiæ, & accidentis, aut alterius inferioris; vndè si conceptus formalis debet correspondere obiectiuo, necesse est cōcludere, quòd alius est cōceptus formalis entis, & alius cōceptus formalis inferiorū.

Conclusio. Conceptus formalis entis est vnus.

Prima ratio.

Conceptus formalis entis nō est conceptus inferiorum.

II. Posset tamen aliquis occurrere, & dicere, quòd huiusmodi conceptus formalis entis ordinatur ad repræsentandum ens analogum, & proinde proportionari debet eiusdem analogiæ, vndè cum ens in se non sit vnum, neque conceptus correspondens erit vnus, sed per plures repræsentationes repræsentabit ens; & hoc videtur omnino necessarium, ad hoc vt seruet debitam proportionem cum obiecto. Verùm hæc responsio non minuit efficaciam argumenti facti, & impugnari facilè potest, considerata natura conceptus formalis; vt enim multiplicentur conceptus formales, præsertim secundùm esse repræsentatiuum, debent etiam dari diuersæ rationes repræsentabiles, quibus conceptus secundùm esse repræsentatiuum correspondeant, cum sint imagines obiecti repræsentati; huic autē conceptui formali entis non correspondent diuersæ rationes repræsentabiles; respondet enim tantùm ratio entis, non autem ratio substantiæ, aut accidentis, aut alterius inferioris, quia tunc non esset cōceptus entis, sed inferiorum, quis autem non videt, quòd conceptus entis non est conceptus inferiorum? nā est conceptus quidem cōmunis omnibus inferioribus, seu repræsentatiuus certę rationis, quę in omnibus inferioribus reperitur, & ideo non potest esse conceptus determinatus inferiorum. Vndè malè dicitur, quòd ens non sit vnū, quia etiā si esset analogum, & includeret aliquam diuersitatem, non tamen illam includeret explicitè, sed implicitè ad summum, explicitè tamen esset vnum, & cum conceptus formalis

Responsio.

Conceptus formalis nō multiplicatur nisi multiplicato obiecto.

Etiam si ens sit analogū vnus cōceptus formalis est vnus.

debeat repræsentare esse explicitum rei, adhuc conceptus formalis entis erit vnus, vt seruetur debita proportio inter conceptum formalem, & obiectum. Quod etiam confirmatur. Quoniam si ens non esset vnum, sed includeret multiplicitatem rationum, hæ rationes nullæ aliæ essent, quã rationes inferiorum, tota enim multiplicitas. & diuersitas rationum est pœnes inferiora; ergo si cõceptus formalis esset multiplex ob necessitatem proportionis, quam debet habere cum obiecto, ille conceptus formalis non esset cõceptus solius entis, sed inferiorum, nos autẽ modo quærimus de conceptu solius entis, prout est quid commune, & diuisibile in sua inferiora, qui, vt diximus, debet esse diuersus à conceptu inferiorum; Præterea. Licet ens esset analogum, adhuc tamen est quid vniuersalissimum conueniens tum substantiæ, tum accidenti; cur ergo non poterit vnica repræsentatione repræsentari secundùm suam rationem vniuersalissimam, & communem, ita vt simul in ipsa repræsentatione manifestetur analogia? Certè nullam video rationem implicantiæ, imò ita necessariò fatẽdum est, quia adhuc ens secundùm suam rationem communem, non obstante analogia, est quid diuersum ab inferioribus, quia nullũ ex ijs potest dicere explicitè.

II. ratio. III. Atque hinc secundò argumentari possumus destruendi fundamentum eorum, qui negant vnum conceptum formalẽ entis, omnes enim fundãtur in analogia entis. Vndè sic confici potest ratio. Ideò conceptus entis formalis non esset vnus, quia est analogum, & implicitè includit inferiora, atque adeò diuersas rationes obiectiuas. Verùm hoc non tollit quin conceptus formalis sit vnus, & consequenter cum ex nullo alio capite multiplicari possit, concludendum est, ꝙ sit vnus Minor huius argumenti, ꝙ scilicet inclusio illa implicita inferiorũ nõ obstet vnitati conceptus formalis, facilè declaratur ex comparatione ad vniuoca, & supponendo ens intrinsecè participari ab inferioribus vt quid aliquo pacto cõmune, certùm est enim, ꝙ vniuoca habent vnũ cõceptũ formalẽ, quia si ipsa non haberẽt non apparet quinam posset habere huiusmodi cõceptũ, & deindè quia in ipsis cessat ratio, propter quam analoga, seu ens dicuntur non habere vnicum conceptum formalem; nimirum quia non includunt inferiora. At licet vniuoca non includant in-

Quomodo non obstante ꝙ ens esset analogum, eius cõceptus formalis esset vnus.

feriorã, includunt tamen multiplicitatem aliarũ rationũ, nempè illarum, quibus constituuntur; sic homo includit rationalitatem, & animalitatem, tanquam sua cõstitutiua intrinseca, & tamen, quia hæ rationes constituunt vnicam naturam, possunt concipi ex vi vnitati naturę vnico cõceptu formali; ergo etiã ens licet includat inferiora implicitè, quia illa non includit, vt quoddam aggregatum per accidẽs sed vt proportionaliter participantia illã rationem, ita vt interueniat ratio conuenientiæ, & cuiusdam vnitatis saltem analogę, poterit adhuc concipi vnico cõceptu formali, quemadmodum etiam cõcipiuntur vniuoca, & hoc pacto ens, etiam si ponatur analogum, habebit vnicum conceptum formalem.

IV. Et possumus rationem factam adhuc vrgere. Quia licet rationes inferiorum continerentur in ente, ita vt non præscinderet perfectè ab ipsis, solùm tamen implicitè continerentur in ipso. Ex quo fit, quòd ad hanc implicitam continentiam necessario ponenda sit aliqua ratio, quæ contineat, & explicitè concipiatur; neque enim quando concipimus ens, concipimus explicitè inferiora; vt igitur conceptus formalis correspondeat obiecto, oportet, quòd sit vnus, quia vnum est obiectum secundum esse explicitum, licet multiplex secundùm implicitum; debet enim conceptus formalis vnicam explicitam rationem repræsentare, in qua inferiora contineantur implicitè, & ideo vnicus tãtùm erit. Quod etiam indè confirmatur: quoniam inferiora debent diuerso modo concipi, quando secundùm ipsorum esse explicitum concipiuntur, ac quando concipitur implicitè in alio contenta; at quando explicitè concipiuntur, pluribus conceptibus formalibus concipiuntur, ergo quando concipiuntur, vt contenta implicitè in alio, debent concipi vnico conceptu formali, Quod magis verũ apparet, quia à ratione continente proportionantur, vt possint vnico conceptu intelligi, ratio enim obiecti, quæ explicitè concipitur, est illa, quæ mensurat conceptum formalem, præsertim secundùm multiplicitatem, & vnitatem, quin addo impossibile esse, quòd inferiora implicitè cõtenta in ente multiplici cõceptu formali repræsententur, Imprimis quidem, quia implicitè contineri non dicit formalem multiplicitatem

Si ens cõtinet inferiora implicitè dicet vnã rationẽ explicitam, in qua illa contineat.

for-

formalis enim multiplicitas prouenit ex distinctione, quam non habent inferiora entis, nisi ex vi suarum rationum formalium diuersarum, vndè nisi intellectus cõcipiat has diuersas rationes formales, neque etiam in obiecto intelliget multiplicitatem; cum autem concipit ens continens implicitè inferiora, certè non concipit diuersas rationes inferiorum, quia tunc conciperet inferiora; vndè neque etiam habet in obiecto distinctionem, & multiplicitatem; & idcircò non sunt necessarii plures conceptus formales. Prætereà omnis conceptus formalis debet in obiecto habere aliquam rationem explicitam, quam repręsentet & huiusmodi necessitas ex eo oritur, quòd sit imago obiecti, de cuius ratione est, quòd aliquid explicitè, & determinatum repræsentet, ens autem licet implicitè contineat inferiora, habet tamen vnicam tantùm rationem explicitam: vndè si non per vnicum, sed per plures conceptus formales repræsentaretur, vnus illorum deberet repræsentare rationem illam explicitam entis: alteri verò nihil remaneret quòd explicitè repręsentaret, & ideò cõcludendum est, impossibile esse, quòd per plures conceptus formales repræsententur.

V. rat. V. Quartò argumentor Si cõceptus entis formalis secundum esse repræsentatiuum non est vnus, sed multiplex; quæro, an quod repræsentatur per vnum, repræsentetur etiam per alterum; an verò vnus aliquid repræsentet, quod non repræsent alter; quòd enim singuli conceptus formales debeant habere suam repræsentationem propriam euidentissimum est, quia in hoc consistit eorumdem esse, cum sint essentialiter imagines obiecti; vndè ex vi contradictionis necesse est, quòd vnus repræsentet illud ipsum, quod repræsentat alterum, vel quòd non repræsentet idem, sed aliquid diuersum. Si ergo in illa pluralitate conceptuum ipsius entis vnus repræsentat, quod repræsentat alter supèrflui essent tot conceptus, & vnus sufficeret, cum hic repræsentet totum id, quod repræsentant cœteri, imò impossibile esset, quòd dum aliquis vult vnica conceptione ens concipere, promeret plures conceptus formales, quia illam tantùm conceptionem promit, quę necessaria est ad obiectum concipiendum. Si verò ita se habent, vt quod repræsentat vnus non repræsentet alter, ergo repræsentabunt diuersas rationes, & consequenter illi conceptus non erũt entis, sed illarũ rationũ. Quæ ratio potest etiã confirmari ex nostro modo concipiendi; si enim conceptus entis esset multiplex, certè deberet habere correspondentiam in re concepta, & proindè deberet terminari ad aliquam pluralitatem rerũ, quòd nullo alio modo contingere posset, nisi terminaretur ad inferiora entis, & præcipuè ad ea, ad quæ immediatè descendit, vt sunt substantia, & accidens; experimur autem, quòd dum concipimus ens, noster conceptus non terminatur ad aliquã pluralitatem, neque ad substantiam, & accidens, sed solùm ad vnam aliquam rationem, vndè concludere oportet, quòd sit vnus, non verò multiplex.

(Left margin: plures essent conceptus formales, quorum vnus repræsentaret vnum, nõ repræsentaret alter)

VI. Quintò. Certũm est, quòd ens communissimè sumptum significat vnum quid, seu plura, quatenus in vna ratione conueniunt, nempè in eo, quòd est habere esse: hoc enim propriè importat conceptus entis, vt suprà suo loco explicauimus; Ex quo fit, quòd intellectus noster mediantè sua vi præcisiua, possit hanc solam rationem, in qua omnia conueniunt ab inferioribus separare, & solam concipere; loquimur enim modo de conceptu entis, prout ens est quid commune omnibus rebus; cum ergo possit intellectus noster distinctis conceptibus formalibus concipere ea, quę differunt ratione, præsertim cum aliquo fundamẽto, cur non poterit distincto conceptu ab omnibus aliis concipere ens, cum differat ab inferioribus secundùm rationem cum aliquo fundamento in re. In cuius rei confirmationem illud maximè facit, quòd possumus de aliquo cognoscere, quòd sit ens, & dubitare, an sit substantia: an verò accidens; tunc quæro, quid intellectus concipiat, non potest concipere substantiam, aut accidens simul cum ipso ente, de vtroque enim dubitat, an conueniat illi enti; ergo concipit solam rationem entis, & proindè cum conceptus formalis debeat correspondere obiectiuo, oportet quòd sit vnus, & simplex, & nullo modo attingens inferiora, quod solùm esset ratio, cur conceptus formalis multiplicaretur.

V. ratio.

(Right margin: Potest intellectus præscindendo solã rationẽ entis cõcipere)

VII. Dices in tali casu, intellectum nostrum non concipere quidem determinatè accidens, aut substantiam, sed indeterminatè, & confusè, aut accidens, aut substantiam. Sed hæc responsio facilè

(Right margin: Reiicitur quædam responsio)

reiicitur, nam certum est, quòd conceptus mentalis certus, præsertim secundùm rationem formalem repræsentationis, diuersus est à conceptu dubio, & dubietas, atque certitudo sunt rationes formales sufficientes ad diuersificandos conceptus essentialiter, & proinde sunt etiam sufficientes ad illos multiplicandos realiter, ergo poterit intellectus concipere in illo obiecto illud tantum, de quo certus est, & relinquere id, de quo dubitat, & promere vnicum tantùm conceptum formalem, cur enim dubietas, & certitudo ex parte obiecti non erit ratio sufficiens, vt vnum possit concipi sine alio? Deinde quòd in tali casu promat plures conceptus, quorum alter certus sit, & alter dubius, non prouenit ex eodem capite; q̃ enim promat conceptum dubium, prouenit ex eo quòd de ipso obiecto dubius est, quòd verò promat conceptum certũ prouenit ex parte entis; ergo, quorum est ex vi entis vt sic non requiritur multiplex conceptus, sed sufficit vnus, atque idem; & idcirco quando concipietur præcisũ ab inferioribus eo modo, quo præscindere potest, vnicus tantùm erit eius conceptus formalis. Quod præsertim confirmari potest, quia si esset multiplex ex eo, quòd implicitè includat inferiora, non esset aliqua ratio de numero, & diuersitate horum conceptuum, cur enim tot essent, & non plures? seu cur potius ad hæc inferiora multiplicarentur, & non ad illa, cum omnia implicitè includantur in ente? Quòd si ad omnia multiplicantur, ita vt tot sint conceptus, quot sunt inferiora, cum in infinitum inferiora multiplicari possint, crescet in infinitum multitudo conceptuum; quòd quàm absurdè dicatur, nemo est, qui non videat; & experientia ipsa demonstrat.

VI. ratio VIII. Sexta quoque ratio, atque etiã efficax desumi potest ex vi præcisiua nostri intellectus, qua mediante potest resoluere res in plures cõceptus, ipsis fundamentum præbentibus. Cum enim intellectus noster percipiat res & inter se differre, & etiam inter se conuenire, potest separare rationem differentialẽ, & concipere solùm conuenientiam, atque hoc pacto res in plures conceptus resoluere vnã rationem ab alia separando. Et potest hoc modo procedere, vsquedum veniat ad aliquem conceptum, qui sit communis omnibus, & non possit amplius in plures resolui. Hic autem conceptus non alius potest esse, quàm conceptus entis, qui est prima ratio, in qua cæteræ omnes fundantur. De hoc autem conceptu necessariò dicendum est, quòd non includat aliquam formalem diuersitatem, quia si includeret duas rationes, posset intellectus in ipsa distinguere, nempe illam rationem conuenientiæ, atque rationes, ex quibus oritur diuersitas, & sic nõ esset vltimus conceptus, in quem res omnes resolui possunt: adhuc enim esset resolubilis in plures conceptus, quia posset intellectus separare rationem conuenientiæ, & rationem diuersitatis; conuenientia enim & diuersitas præbent sufficiens fundamentum, vt intellectus possit diuersas rationes distinguere. Quòd si dicatur, hanc diuersitatem esse essentialem & intrinsecam conceptui entis, adhuc vrgeri potest, nam ex genere suo diuersitas, & conuenientia dicunt diuersas rationes formales, diuersitas autem rationum formalium facit, quòd possit intellectus noster vnam concipere sine alia, vnde quicquid sit de hoc, quòd ista diuersitas sit essentialis conceptui entis, tamen poterit adhuc concipi conuenientia sine diuersitate; Quapropter deueniendum est ad vnicam rationem entis, quæ in se nullam includat diuersitatem virtualẽ, & cum conceptus formalis nequeat esse multiplex, nisi etiam multiplex sit obiectum concludendum est, quòd conceptus entis sit vnus.

Intellectus potest semper præscindere separando rationes inferiores à superioribus, quousq; veniat ad primum cõceptum entis.

IX. Dicet tamen aliquis. Nonne cõceptus mentis specificatur ab obiecto, & ab illo sumit vnitatem. Cum ergo ens non sit vnum ratione analogiæ, quam dicit, quomodo poterit conceptus formalis esse vnus? Huic difficultati iam satisfactum est in ijs, quę modò in confirmationem nostræ sententiæ attulimus, nihilominus rursus specialiter respondemus, negando, quòd ens non habeat vnitatem sufficientem, vt illi correspondere possit vnus conceptus formalis, nam quamuis analogum esset, non esset tamen ex ijs analogis, in quibus forma analogię ab vno tantùm intrinsecè participatur, à cæteris verò extrinsecè. sed intrinsecè in omnibus entibus reperitur, & proinde, cum omnia entia in hoc conueniant, quòd habeant esse, consurgit quędam vnitas, & conuenientia inter ipsa, quæ siue proportionis dicatur, siue quocunque alio modo, sufficiens tamen est, vt coadunet omnia entia, ita vt non se habeant per mo-

Quomodo ens specificet vnũ conceptũ formalem.

dum

dum vnius, ita vt secundùm hanc rationem vnitatis concipi possint præcisè; nec autem ratio vnitatis, quamuis non posset ita abstrahi, vt non includeret inferiora saltem implicitè, tamen parùm hoc obstat ad vnitatem conceptus formalis, quia ad hoc vt sit vnus, sufficit, quòd per modum vnius obiectum sit repræsentabile. Possent adhuc alia in confirmationem nostræ sententiæ excogitari. Sed quæ hucusque diximus, sufficientissimè in tentum conuincunt; Et ex ijs, quæ infra dicturi sumus id magis manifestum fiet.

X. Solùm ex dictis deducimus, quòd huiusmodi conceptus formalis entis consideratus secundùm proprium esse repræsentatiuum, non solùm, si comparetur ad intellectum, est vnus, quia dicit vnicam tantùm repræsentationem, sed etiam si comparetur ad rem significatam, nam illam significat, & repræsentat per modum vnius, quamuis implicitè diuersitatè includeret; vndè non solùm est vnus, prout est conceptus Quid nominis, vt loquitur Ferrar. sed etiam prout est conceptus Quid rei, quia obiectum repræsentatum se habet per modum vnius, vt iā diximus. Prçterea etiam ex dictis colligitur, quòd conceptus entis formalis nullo pacto multiplicari potest ratione inferiorum; non enim multiplicari potest nisi distinctè, & explicitè repræsentet inferiora; & eo ipso, quod ea repræsentat, non amplius est cōceptus entis, sed inferiorum, quare supposito, q sit conceptus solius entis, nunquam multiplicabitur. Circa fundamēta aliarum sententiarū nihil aliud occurrit dicendum; quia iam ostendimus, quòd supposito, q ens esset analogum; non obstat analogia quominus conceptus formalis sit vnus.

Conceptus formalis ẽ- non multiplicatur ratione inferiorū.

An conceptus Obiectiuus entis sit vnus.

Disp. XXXIV.

Auctorum sententia.

SECTIO. I.

I. VIdimus in prçcedenti disputatione, conceptum formalem entis esse vnum, nunc difficultas superest de obiectiuo, an ipse quoque sit vnus. Verùm quando modo inquirimus, an conceptus obiectiuus entis sit vnus, non intelligimus de illa perfecta vnitate, quæ constituit vniuocationem, quia de hoc speciale disputationē infra instituimus, sed de quacūq. vnitate, siue perfecta, siue imperfecta, quæ tamen sufficiens sit ad constituendam vnam aliquam rationem obiectiuam, quæ ad inferiora, vt quid commune descendat. Et quidem quòd concedēdus sit huiusmodi conceptus obiectiuus vnus, videtur sequi ex dictis in disp præcedenti, quia si conceptus mentalis est vnus, præsertim secundùm esse repræsētatiuum, videtur necessariò sequi, quòd etiam obiectiuus illi correspondens sit aliquo modo vnus. E contrà verò si Ens ponatur analogum, non videtur posse saluari, quomodo obtineat vnitatem obiectiuā, sm̄ quam importet vnam rationē communem à pluribus participabilem. tantùm enim importabit quamdam proportionalitatem diuersarum rationum.

II. Prima ergo sententia negat absolutè, quòd ens importet vnum conceptum obiectiuum communem pluribus, & determinabilem per rationes inferiores, ita vt dicat aliquam rationem ab inferioribus prçcisam, qua mediante significet inferiora, Sed quod immediatè significet eadem inferiora, ita vt ratio entis in vnoquoque inferiorum nihil aliud sit, quàm esse proprium illius; & consequen- Prima opinio negans vnum conceptum obiectiuū.

quenter, quando concipimus ens, non debemus concipere aliquam rationem communem pluribus, sed inferiora ipsa in confuso, seu prout faciunt quoddam aggregatum Ita Ferrar. 1. contra Gent. cap. 34. Caiet. opus. de Nomin. analog. cap. 4. & 6. & opus. sequenti de conceptu Entis, Nyph. 1. Metaph. disp. de hac re Iandun. 4. Metaph. quæst. 1. Soncin ibid quæst. 2. & 3. qui tamen vult, quòd ens non significet omnia entia immediatè, vt quoddam aggregatum, sed omnia sub disiunctione, ita vt cum dicitur, Hoc est ens idem sit, ac si dicatur, Hoc est vel substantia, vel accidens Hispalens. in 1. dist. 3. quæst. 1. Flandr. 4. Metaph quæst. 2. ar. 6. Citant etiam Auer. 10. Metaphy. comment. 10. vbi docet, quòd Ens significat decem prædicamenta significatione immediata, & prima: quòd non esset verum, si illa significaret mediante aliquo conceptu communi. Citant etiam Diuus Thomas prima par. quæstione 13. artic. quinto. & quæstione septima de potent. artic. 7. & quæst. 2. de verit. quæst. 11. vbi docet, quòd ijs nominibus, quæ cōmunia sunt Deo, & creaturis non vna ratio, sed plures correspondent. Verùm nos ex hoc suprà deduximus, quòd non detur Ens superius Deo, & creaturis, & quòd Deus non sit ens, sed aliquid supereminentius; nos verò modò agimus de ente, quod dicitur de substantia, & accidente, cuius oppositum D. Th. sentire ostendimus.

Petrus. Caiet. Nyphus. Iandun. Soncin. Hispale. Flandr. Auer.

III. Plura autem afferri solent in confirmationem huius sententiæ. Et primò arguunt, quoniam huiusmodi conceptus deberet sumi ab vna quidditate communi, quæ reperiretur in omnibus; hæc tamen quidditas communis non datur; in vnaquaque enim re tantùm reperitur proprium esse ipsius, quòd in substantia est secundùm se totum substantia, atque in accidenti est secundùm se totum accidēs. Secundò, quia sequeretur, quòd esset vniuocus, quod enim magis, vel minus perfectè participetur, non tollit vniuocationē, sic animal, seu sensitiuum, est perfectiori modo in homine, & tamen adhuc est vniuocum. Tertiò quoniam decem prima genera sunt primò diuersa, si autem daretur primus conceptus entis communis, non essent primò diuersa, quia in aliquo conuenirent, nempe in ratione cōmunis entis. Quartò, cum ens sit omnino idem cum suis inferioribus, non potest aliquo modo ab iis separari, nec concipi, nisi concipiantur etiam inferiora, cuius oppositum contingeret, si haberet vnum conceptum communem. Quintò Arist. 4. Metaphy. tex. 2 docet, Ens dici de priuatione, quemadmodum etiam dicitur de cœteris inferioribus; at inferioribus, & priuationi nihil datur commune; ergo cum eodem modo se habeat respectu aliorum inferiorum, quemadmodū se habet respectu priuationis, & aliorum inferiorum, neque respectu illorum dicet vnum conceptum obiectiuum communē. Sexto arguit Soncin. quoniam Arist. 6. Metaphys. tex. 3. docet, quòd si non darentur alia entia, præter mobilia, & sensibilia, tunc physica, quæ ea considerat, esset prima philosophia; hoc autem esset falsum, si daretur conceptus entis communis, quia tunc posset præcisè considerari, etiam si daretur sola entia mobilia, & haberetur adhuc metaphysica, quæ consideraret entia mobilia secundum rationes immobiles. Alias rationes affert idem Soncin; vt quòd daretur aliquid simplicius Deo, iste nimirum conceptus, si quidem reperiretur in Deo superadditus alijs perfectionibus. Præterea quod aliquid reale, quod non est Deus, esset prius Deo, nam ille conceptus, vt potè communis esset prius Deo, & creatura, Quòd creatura, & Deus non infinitè distarent. Sed huiusmodi rationes probant tantùm quòd non detur vnus conceptus entis cō munis Deo, & creaturæ, vt nos quoque suprà docuimus, non autem procedunt de ente, quod dicitur de substantia, & accidente, de quo modo inquirimus, an dicat vnum conceptum obiectiuum.

Fundamenta illatę sententię. Primū. Secūdū. Tertiū. Quartū. Quintū. Arist. Sextum Arist.

IV. Igitur secunda sententia tenet, quod ens habeat vnum conceptum aliquo modo communem omnibus, qui nō dicat explicitè inferiora, siue vt quoddā aggregatum, siue sub disiunctione substātiæ, vel accidentis; sed importet aliquā communitatem omnium entium, in qua conueniant. Ita docent, qui putant, ens esse vniuocum vt præsertim Scotistę, quos infrà suo loco recensebimus. Præterea Capr. in 1. dist. 2. quæst. 1. Iauel 4. Metaph. quæst. 1, Henric. quodlib. 2. quæst. 7 Soto in Prædicam, cap. 4. quæst. 1, Fonse. 4. Metaph. cap. 2. sect. 4. Albertin. in suis Corollariis tomo secundo, principio primo Philosoph. disputat. 1. quæst. 4. Suarez. in Metaph. disp. 2. sect. 2. Hurtad. ibid dist 2. sect. 3. Auersa in sua Philosophia, quæst. 3. sect. 7. conclus. 2. & communiter Recentiores. Atque hæc opi-

Secūda sētētia admittēs vnū conceptū obiectiuū. Capr. Iauel. Henric. Soto. Fonseca. Albertin. Suarez. Auersa. Hurtad.

opinio est procul dubio, D. Th. nam 1. par. quæst. 5. ar. 3 ad. 1. ita inquit, *Substantia, quantitas, & qualitas, & ea, quæ sub eis continentur, contrahunt, ens applicando ens ad aliquam quidditatem, seu naturam*, Ex quibus manifestè patet, quòd ponit conceptum entis obiectiuum vnũ, atque communem; alioquin quomodo ens esset contrahibile? Nonnullas rationes pro hac sententia afferunt Scotistæ, sed procedunt de vniuocatione entis, & ideo nõ faciũt modò ad propositũ, & nos eas adduximus suprà disp. 2. sect. 1. vbi retulimus sententiam Scotistarum de vniuocatione entis respectu Dei, & creaturarum.

Præfertur secunda sententia.

SECTIO II.

I. Hanc posteriorem sententiã absq; vlla hæsitatione tenendam existimo; vnde iuxta ipsam concludendum est conceptum obiectiuum entis esse aliquo modo vnum, non determinando modò, qua vnitate sit vnus, an perfecta, & vniuoca, an vero imperfecta. Atque hęc conclusio mihi videtur sequi ex doctrina Arist. nam 4 Metaph. tex. 2. docet, quòd ens dicitur quidem multipliciter, sed totũ ad vnum principiũ, & vnã naturam, quemadmodum omne salubre dicitur tale in ordine ad vnam formam, nempè sanitatem. Ex quo sic possumus argumentari. Ens dicit vnum principium, seu vnam formam per Arist. & in ordine ad ipsum omnia dicuntur entia; ergo datur vna ratio entis; quemadmodum etiam datur vna ratio sanitatis, atque cum in substantia, & accidente intrinsecè ratio entis reperiatur, oportet, quòd detur hic conceptus communis obiectiuus. Et quia posset aliquis dicere, quòd Arist. per hanc formã entis ad quam cœtera dicunt ordinem, intelligit substantiam, non autem ens cõmune substantię, & accidenti; ideo addendũ est, quòd ibi loquitur de ente vniuersalissimè sumpto, illo nimirũ, q. conuertitur cũ vno, vt patet ex tex. sequẽti, hoc autẽ ens non est substantia, sed quid commune substãtiæ, atq; accidenti. Præterea lib. 10. tex. 6. docet, ens, & vnũ de omnibus prædicari, & proindè non esse genus *Ens .n. (inquit) & vnũ vniuersaliter, maximè de omnibus prædicantur*. Et tex 8. docet in nullo esse prædicamento, sed ęqualiter se qui omnia prędicamenta, quòd verum non esset, nisi diceret quid commune omnibus prędicamentis. Imò lib. 3. tex 10. docuerat, quòd ens non potest esse genus, quia scilicet prædicatur de differentijs, ex quo colligitur, quòd supponit, ens esse quid commune, & tanquam quid commune prædicari de differentijs, alioquin si non esset quid commune, non dubitaret, an sit genus, neque assignando rationem, cur non sit genus, diceret, quia prædicatur de differentijs, sed quia non dicit aliquid commune pluribus.

II. Prima autem ratio pro hac sententia desumitur ex ijs, quæ disput. præcedenti diximus de conceptu formali entis, vbi ostendimus esse vnum: vndè ex hoc consequenter dicendum videtur, quòd etiam obiectiuus illi correspondens debeat esse aliquo modo vnus. Ne tamen vnum ex alio probare videamur, & circulum committere; oportet præsupponere, quòd dicunt auctores oppositæ sententiæ, neque enim volunt, quòd quando concipitur ens, concipiantur inferiora explicitè, & determinatè; sed vel omnia in confuso, vt quoddam aggregatum, vel sub distinctione, ita vt sit vel substantia, vel accidens, non tamen determinatè vnum, aut alterum repræsentetur; ex quo fit, quòd conceptus formalis non debeat tendere in plura, vt plura sunt, sed prout habent rationem vnius obiecti, & consequenter ipse non sit multiplex, habens diuersas rationes repræsentatiuas, quia non debent repræsentari plures rationes determinatæ obiectiuæ. Hoc ergo stante. Conceptus formalis vniuersaliter debet repræsentare aliquam rationem entis, cum qua commensuretur, & quam exprimat; ergo etiam conceptus entis formalis debet habere sibi correspondentem vnam rationem entis obiectiuam vniuersalem, cum sit vnus. Quòd si contendas non esse vnum, sed multiplicem conceptum formalem, tunc illi correspondebunt plures rationes obiectiuæ, atque adeò non erit conceptus entis, sed illorum inferiorum, quorum rationes repræsentabit. Ex quo fit, quòd necessariò debeat concedi, vnus conceptus entis formalis, ad hoc vt sit proprius ipsius. Quòd ergo ex vnitate conceptus formalis sequatur vnitas obiectiui, ex eo, quod debeat repræsentare aliquam ratio

Prima ratio.

Conceptus formalis debet repræsentare aliquã rationem entis.

nem entis, vt supra inferebamus; prob. Nam quęro de hac ratione entis, quam repræsentat, quænam illa sit; Non potest dici, quòd sit ipsa aggregatio, quia hæc nullam rationem entis addit suprà ipsa entia aggregata, huiusmodi enim aggregatio constituit tantùm vnum quid per accidens, & ideo non addit aliquid suprà entia per se; vnde decem prædicamenta, si sumantur aggregatè, nihil amplius dicunt, quàm illas decem rationes essendi, quibus vnumquodque in se constituitur. Similiter nec potest dici, quòd ratio entis repræsentata, & expressa in illo conceptu formali, sit illud disiunctum, quia neque hoc disiunctum dicit aliquam peculiarem rationem entis, præter illas, quas important membra disiunctionis. Sed neque potest dici, quòd rationes entium inferiorum exprimantur in illo cõceptu, quia tunc non exprimeretur vnica ratio entis, sed multiplex; nec esset conceptus entis, sed inferiorum.

Aggregatio nihil addit supra entia aggregata.

III. Rursus inquiro, an hæc ratio entis, quàm debet exprimere cõceptus formalis entis, dicat aliquem modũ essendi determinatum, vel non; sed solùm dicat esse, vt sic. Primũ non potest dici, quia omnis ratio entis determinata non dicit ens vt sic in communi sumptum, sed aliquod ens ex inferioribus, quia eo ipso, quòd determinatur cõtrahitur ad tale ens. Si autem dicit solum esse vt sic, iam conceptus obiectiuus erit quid vnum commune pluribus, si quidem huiusmodi obiectiuus cõceptus importabit aliquid indeterminatum, & ꝙ pluribus conuenire potest. Quare ex vi conceptus formalis entis debet concedi vnus conceptus obiectiuus, qui sit vna ratio entis, quæ per formalem exprimatur. Quod etiã potest confirmari. Nam ille conceptus formalis est determinatus, & proinde debet habere determinatam repræsentationem; hæc autem de determinata repræsentatio ex intrinseca sua ratione exigit determinatum esse obiectiuũ, atq; adeo determinatã rationem entis, cum qua commensuretur; hinc enim est, quòd conceptus formalis specificatur ab obiecto, quod repræsentat, & habet totum suum esse in ordine ad ipsum. Quare assignari debet aliqua ratio determinata entis, quæ correspondeat huic conceptui formali, neque potest esse aliqua ex inferioribus, vt per se manifestum est, neque omnes simul, quia si repræsentaretur determinatè, esset conceptus inferiorum; in confuso verò nequeunt repræsentari, quia nihil determinatum de ente repræsentaretur; neque enim vt diximus illa confusio, aut disiunctio superaddit aliquam rationem, itaque necesse est concludere, quòd detur aliqua ratio communis entis, quæ conceptui formali correspondeat.

IV. Et potest rursus hæc ratio confirmari ex immediata oppositione, quam habent inter se vnitas, & multiplicitas; vna enim tollit alteram secundum se totam, ita vt etiam, vel in contradictione consistant, vel saltem habeant illam annexam; & ideò semper altera ipsarum debet vnicuique conuenire vndè quod non est vnũ, est necessariò multiplex, & ꝙ non est multiplex, est necessario vnũ. Hoc igitur etiã dicendũ est de conceptu obiectiuo entis, ꝙ si non est vnus, erit multiplex; verùm multiplex esse nõ potest, nã multiplicitas non potest saluari, nisi cũ pluralitate rationum, statim autẽ ac habetur pluralitas rationũ, habẽtur diuersa entia, quorum vnumquodq. est tale ens, nõ autẽ ens vt sic; & idcircò conceptus quilibet obiectiuus multiplex, erit conceptus talis, & talis entis, non verò entis vt sic. Vndè oportet, concedere, ꝙ conceptus entis obiectiuus sit vnus, vt sit conceptus entis in cõmuni, & nõ talis, aut talis entis. Quod etiã declarari potest, quoniam conceptus entis vt sic debet esse diuersus à conceptu talis, & talis entis, vt per se manifestũ est; si ergo conceptus entis vt sic, quia excludit id, ꝙ dicunt entia inferiora, vt talia sũt, oportet vt sit vnus saltẽ aliquo modo.

Vnitas, & multiplicitas se inuicè tollunt.

V. Secundò quoque & efficaciter probatur nostra sententia ex vno principio, quod certum est apud omnes, qui rectè philosophantur; scilicet quòd vbicunq; datur aliqua conuenientia, seu ratio aliqua communis, datur etiam aliqua vnitas, quæ consequatur illam conueniẽtiam, seu rationem communem, vt constat inductione facta in omnibus. & ratio etiam manifesta est, quoniam quando aliqua inter se conueniunt, potest intellectus illa concipere secundùm illam rationem, in qua conueniunt; tunc autem ipsa concipiet prout vnum sunt, & consequenter conceptus obiectiuus obtinebit aliquam vnitatem. Modò substantia, atque accidens in eo conueniunt, quòd habeant esse, & sint aliquid reale; hinc est, quòd ens prædicatur de vtroq. tam enim substantia, quàm accidens est ens; habẽt etiam

II. ratio.

Posita conuenientia datur ratio communis.

Conuenientia accidentis & substantiæ.

etiam easdem passiones, & vnitatis, veris, ac bonitatis, vnde necesse est, concedere & aliquid commune, in quo conueniant, & quòd sit radix earumdem passionum, quæ vtrique conueniunt: Quod etiam potest confirmari, quoniam accidens, & substantia differunt quidem inter se, non tamen ita differunt, vt sint omninò diuersa, sed habent etiam aliquã similitudinem, vt per se consideranti patet; ergo ex vi huius similitudinis potest intellectus formare conceptum obiectiuum aliquo modo communem, atq; vnum Quod confirmatur etiam secundò; sumo enim aggregatum aliquod per accidens, vt aceruum lapidum, quia autem hoc aggregatum constat ex pluribus entitatibus, quæ, vt constituunt illud, non habent aliquid commune, ideo neque datur aliquod commune prædicatum in ratione aggregati, quod de vnoquoque illorũ entium seorsim sumpto possit prædicari, neque enim dicitur hic lapis est aceruus; Seruata ergo paritate, si entia omnia non haberent aliquid commune in ratione entis, non daretur prædicatum commune, quod de vnoquoque ipsorum seorsim sumpto prædicari posset, vndè non posset dici substantia est ens; accidens est ens; quod est manifestè falsum. Tertio vrgetur. Vel cum dicitur substantia est ens, accidens est ens, id, quod prædicatur, est aliquid commune, & sic iàm datur conceptus obiectiuus entis communis substantiæ, & accidenti, qui sit vnus. Si verò non est aliquid commune, sed proprium, tunc esset idem dicere accidens est ens, ac dicere, est substantia; seu substantia ens est, ac dicere est accidens, prout ly Ens ponitur proprium substantiæ, vel accidentis.

Responsio aliquorum.

VI. Respondent, Auctores oppositæ sententiæ: Quòd, quando ens prædicatur de substantia, & accidente, non est vna sola ratio, quæ prædicatur, sed diuersæ, nempè alia, quæ prædicatur de substãtia, & alia quę prædicatur de accidente, à quibus non potest aliquid commune abstrahi, nam quando dicitur substantia est ens, idẽ est, ac si dicatur, est illud esse, ꝙ est substantia, & similiter cum dicitur, Accidens est ens, idem est, ac si dicatur illud esse, quod est accidens, est ens, & hoc modo diuersæ sunt rationes, quæ prædicantur.

Impugnatur.

Hæc tamen responsio non satisfacit; nam imprimis sequeretur, quòd quando dicitur substantia est ens, propositio esset identica, quod tamen est falsum, nam diuersum aliquid de ipsa substantia enunciatur, & censetur propositio, in qua superius prædicetur de inferiori. Deinde quando substantia dicitur ens, concipitur aliquid magis indeterminatum, quam cùm concipitur secundùm rationem substantiæ, nec quando dicitur ens, ex vi huius prædicati concipitur aliquid per se subsistens, sed aliquid indeterminatum in modo essendi, & quod, quantum est de se, potest esse p se, subsistens, atque alteri inexistens, similiter autem etiam quando accidens dicitur esse ens, non intelligitur ex vi huius prædicati secundùm suum peculiarem modum essendi, sed quo ad modum essendi indeterminatum; ergo quando dicitur substantia est ens, accidens est ens, non est idem, ac si dicatur, Substantia est illud esse, quod est substantia, & accidens est illud esse, quod est accidens; sed aliquid commune, & indeterminatũ tàm de substantia, quàm de accidenti prędicatur.

Ratio entis qᵃ indeterminatũ

Quod etiam constat ex iis, quę diximus suprà de conceptu entis, non enim dicit habere talem, & talem modum essendi, quia iam non esset ens communissimè sumptum, sed tale ens determinatum. Substantia autem, & accidẽs dicunt habere tale esse determinatũ, vndè dicunt aliquid amplius, quàm dicat Ens; ergo quando prædicatur de ipsis ens, non est idem, ac si dicatur substantia est illud esse, quod est substantia, & Accidens est illud esse, quod est accidens; sed aliquid minus de illo esse, quod est substantia, & de illo esse quod est accidens, prædicatur, & aliquid commune, cum habere esse sit aliquid commune tum accidenti, tum substantię, nec ens dicat peculiarem modum essendi ipsorum. Quod etiam confirmari potest; cum enim substantia dicat aliquid per se subsistens, non solùm dicit habere esse, seu essentiam; sed etiam illud continere tali modo, & similiter etiam hoc ipsum dicit accidens; cum autem dicitur substantia est ens, non exprimitur, quòd habeat esse tali modo; nam oporteret addere *Per se subsistens*; & hoc idem contingit in accidente, ergo quando dicitur substantia est ens, non est idem, ac si dicatur est illud esse, quod est substantia, quia illud esse;

quod eſt ſubſtantia, eſt eſſe per ſe ſubſiſtens; ſed eſt quid indeterminatum quò ad modum eſſendi, & aliquid commune ſubſtantiæ, & accidenti, quibus tantùm proprius eſt talis, atque talis modus eſſendi.

III.

VII. Hinc verò poſſumus addere tertiam rationem deſumptam ex diuerſitate, quæ eſt inter conceptum obiectiuum entis, & conceptum obiectiuum ſubſtantiæ, aut accidentis. Vt enim habeam conceptum obiectiuum entis, ſufficit ſi concipiam aliquid habere eſſe, nec requiritur, quòd concipiam habere tali; aut tali modo; at ad conceptum obiectiuum ſubſtantię; aut accidentis; oportet, quòd concipiatur etiam talis; & talis modus eſſendi determinatus; nimirum Eſſe per ſe, atque Eſſe in alio; vndè aliquid amplius debet concipi, & proindè neceſſariò concedenda eſt aliqua diuerſitas inter conceptum entis, & conceptum ſubſtantię, aut accidentis; Hinc etiam fit, quòd conceptus entis eſt tranſcendens, non autem conceptus ſubſtantiæ; aut accidentis, in quacunque enim ratione, & formalitate reperitur ratio entis; non autem ſubſtantiæ, aut accidentis: E contrà autem, ſi ens, quod dicitur de ſubſtantia, compararetur cum ente, quod dicitur de accidente, non apparet in conceptu obiectiuo aliqua diuerſitas; ſed quod dicitur de vno, poteſt etiam dici de altero; quando enim ſubſtantia dicitur ens, nihil amplius importatur, quàm quòd ſit quid habens eſſe; ſimiliter etiam quando dicitur; Accidens eſt ens, non aliud importatur, quàm aliquid habens eſſe, vndè habere eſſe, quod nullam in ſe includit diuerſitatem, dicitur tàm de ſubſtantia, quàm de accidenti; Ex hoc autem fit; quòd ſubſtantia; & accidens habeant aliquid vnum commune: Quod poteſt vlterius vrgeri; nam tota diuerſitas, quæ eſt inter ſubſtantiam, & accidens, eſt penes diuerſitatem modi eſſendi, quia nimirum ſubſtantia dicit eſſe per ſe, accidens verò dicit alteri inexiſtere. Si ergo hæc diuerſitas præſcindatur; iam nulla alia aderit, cum autem concipitur ens, quod dicitur de ſubſtantia, & accidente; ſaltem explicitè non concipiuntur illi modi eſſendi, quibus ſubſtantia, & accidens adinuicem contradiſtinguuntur; ſed ſolùm purum habere eſſe; ergo conceptus entis obiectiuus, ſaltem ſecundùm eſſe explicitum, non importabit diuerſitatem aliquam, cum excludat rationes illas, quæ ponunt totam diuerſitatem, quæ eſt inter ſubſtantiam, & accidens; & ideo ſecundùm conceptum explicitum erit vnus.

Conceptus obiectiuus entis diuerſus à conceptu obiectiuo ſubſtantię aut accidentis.

IV. ratio

VIII. Quartò probatur, & oſtenditur neceſſitas vnitatis in hoc conceptu obiectiuo entis, quod dicitur de ſubſtantia, & accidenti; Quotieſcunque enim contingit, quod aliqua comparari poſſint ad inuicem tanquam ſimilia, neceſſario ſunt vnum ex vi huius rationis, in qua fundatur ſimilitudo; & quò maior eſt ſimilitudo, eò maior etiam eſt vnitas, vndè quæ ſecundùm totam naturam ſimilia ſunt, habent perfectam vnitatem eſſentialem, nempè ſpecificam Infimam, ita vt nullo pacto ſecundùm eſſentiam differant. Subſtantia verò & accidens, quamuis inter ſe differant, adhuc tamen comparari poſſunt adinuicem vt ſimilia; aſſimilantur enim in eo, quòd contradiſtinguantur à nihilo, quòd habeant eſſe, & ſint aliquid reale, quòd ſint obiectum intellectus, quòd ſint principium paſſionum realium; & aliæ ſimilitudines excogitari poſſunt, cum ergo ſimilitudo fundetur in vnitate, oportet concedere aliquam rationem vnitatis, ſeu communitatis inter ſubſtantiam, & accidens; quæ non alia eſſe poteſt, quàm ratio entis; atque hæc erit conceptus entis obiectiuus, qui ſit vnus,

Similitudo ponit vnitatem.

Confir-

IX. Ex hac autem ratione ſic explicata elici poſſunt nonnullæ aliæ confirmationes. Et prima quidem, quoniam tam in ſubſtantia, quàm in accidente eſt aliquid, per quod formaliter, tanquam extremum poſitiuum contradictoriè opponuntur nihilo; atque cum hæc ſit vnica oppoſitio vnicus etiam terminus conſtitui debet huius oppoſitionis, qui dicat aliquid commune tam ſubſtantiæ, quàm accidenti; quamuis enim ſubſtantia, & accidens habeat vnumquodque proprium eſſe, quod eſt aliquid reale, & poſitiuum; tamen vna tantùm ratio debet aſſignari; per quam contradictoriè opponantur nihilo, & ratio eſſe poteſt, quia æquè id conuenit ſubſtantiæ, atque accidenti, vndè non poteſt ijs conuenire, vt talia entia ſunt, quia cum, vt talia ſunt, habeant adinuicem oppoſitionem, ſi vni conueniret, vt rale eſt opponi nihilo, non poſſet alteri conuenire, & proptereà id debet conuenire vtri-

Contradictoriè opponi nihilo conuenit accidenti, & ſubſtantiæ ex vi alicuius rationis communis.

que

que ex vi alicuius rationis communis. Altera confirmatio desumitur ex reduplicatione, quam solemus adhibere, quando dicimus, aliquid conuenire substantiæ, vt ens est, & similiter etiam accidenti; tunc enim non reduplicatur ratio substantiæ, quia tunc prędicatũ non verificaretur, falsò enim diceretur, substantia, vt ens est, contradistingui ab accidente, non esse per se subsistens; aut si loqui volumus de prędicatis positiuis, falsum esset, cum dicitur, substantiam, vt ens est, esse quid indifferens, atque transcendens, si ratio substantiæ reduplicaretur: vndè oportet dicere, quòd aliqua alia ratio reduplicetur, quæ erit vna saltè aliquo modo respectu substantiæ, & accidentis; quia tota diuersitas, quæ est inter hæc duo membra, est solùm, vt supra etiam diximus, penes rationem formalem accidentis, & substantiæ. Hinc ex vi huius reduplicationis, valet ista propositio, substantia, & accidens conueniunt inter se, vt entia sunt, quod non esset verum, si reduplicaretur ratio substantiæ, & accidentis, quia secundùm has rationes differunt.

Quinta ratio.

X. Quintò argumentari possumus ad efficaciter conuincendum hanc vnitatem conceptus obiectiui entis. Substantia est obiectum intellectus, non tamen adæquatum, sed rursus se extendit ad accidens, quod similiter est obiectum intellectus, & præterea ambo debent participare tanquam obiecta partialia rationem formalem obiectiuam intellectus; hæc autem ratio formalis obiectiua non potest esse ratio formalis substantiæ, aut accidentis, quia tunc solùm alterum ipsorum esset obiectum intellectus; ergo debet hæc ratio obiectiua reperiri tum in substantia, tum in accidente. Atque cum sit ratio specificatiua potentiæ intellectiuæ, quæ est vna, oportet, quòd ipsa quoque sit vna, alioquin, si esset multiplex, non specificaret vnicam potentiam; vna enim, atque eadem potentia solùm ab vnica ratione formali specificari potest. Ex quo euidentissimè conuincitur, quòd vna, atque eadem ratio collocanda est, tum in substantia, tum in accidente, cum ambo sint obiectum intellectus, quæ ipsum specificet, quæ nulla alia erit, prẹterquam ratio entis, quæ tanquam aliquid commune comprehendet sub se substantiam, & accidens, atque trahet ad vnitatem obiecti intelligibilis; atque hæc ratio euidenter concludit dari vnitatem conceptus obie-

Ratio obiectiua intellectus est quid commune substantiæ, accidenti.

ctiui entis, qui sit communis substantiæ, atque accidenti, quemadmodum etiam euidens est, quòd debet concedi vna ratio formalis obiectiua, quæ specificet vnamquamque potentiam.

XI. Verùm hinc consurgit difficultas, quæ procedit ex nostris principijs, & nunc eam oportet expedire, suprà enim disp. 29. docuimus, quod Deus non est ens, sed aliquid supereminentius ente, & quòd nulla est conuenientia inter ipsum, & creaturam, neque etiam analoga, & tamen continetur sub obiecto nostri intellectus, vnusquisque enim intelligit Deũ, & plures conceptus de ipso efformat; ergo non ex eo, quòd substantia, & accidens sint intrà obiectum intellectus, rectè colligimus, quòd habeant vnam aliquam rationem communem, per quam constituitur in ratione obiecti intelligibilis. Huic difficultati respondendum est, quòd quando intellectus noster intelligit Deum, nō intelligit per propriam speciem, sed ad modum rerum creatarum, vndè quando intelligit esse, aut subsistere, illi tribuit rationem entis, & substantiæ, quam in rebus creatis attingit, & similiter facit in cæteris conceptibus, quos format de Deo, & hoc modo Deus, qui non est proportionatus, quantum est de se propter suam eminentiam nostro intellectui, tali pacto accommodatur nostræ intelligentiæ. Et in hoc casu illud contingit, proportione seruata, quod contingit, quando intelligimus negationes, & priuationes, quia enim de se non participant rationem obiecti intelligibilis, nequeunt ab intellectu attingi, nisi ad modum entis realis concipiantur; vndè cogitur illi applicare rationem entis realis, quam reuera nō habent; Sic ergo contingit, quando intellectus noster intelligit Deum; quia enim, quantum est de se, propter eminentiam non est proportionatus intellectui nostro, nec habet eamdem rationem obiectiuam, oportet, quòd proportionetur illi applicando rationes illas, quas intellectus noster attingit in rebus creatis. Quod melius explicari potest ex modo intelligendi, quem pro hoc statu habet noster intellectus, quia enim dependet à sensibus in sua cognitione, ita vt solùm mediantibus ipsis possit species rerum recipere, idcircò habet tantùm species rerum sensibilium, quę solùm sunt obiectum proportionatum ipsius pro hoc statu; ex quo fit, quòd nihil possit intelligere, nisi ad modum rei

Quomodo cum Deus nō sit ens sit obiectum intellectus

sensibilis, vndè insensibilia percipit per species rerum sensibilium, & hoc pacto proportionatum reddit obiectum; sic ergo contingit, dum intellectus noster intelligit Deum, quem sibi reddit proportionatum, illi applicando eas rationes, quas in rebus creatis attingit. Hinc D. Dionys. cap. 2. de diuin. nomin. docet, quòd ea, quę de Deo intelligimus solùm cognoscimus ex ijs, quæ nobis ab ipso communicantur, & ex eisdem formamus quosdam conceptus, & imagines, quas Deo tribuimus, vt in cognitionem ipsius deueniamus, ait enim post medium illius cap. *Diuina enim omnia, etiam quæ nobis patuerunt, solis participationibus cognoscuntur; hoc ipsum verò, qualia in seipsis existant secundùm proprium principium, atque sedem, super intelligentiam extat, omnemque essentiam, & notitiam supereminet. Veluti si superessentiale illud, atq; secretum appellemus Deum, aut vitam, aut essentiam; vel vt lumen, vel rationem, atque verbum, nihil intelligimus aliud, quam aliquas in nos ex eo profluentes participationes, atque virtutes, quæ videlicet diuini nos aliquid faciant, vel essentiam, aut vitam, aut sapientiam largiantur.*

D. Dionys.

XII. Sed hinc oritur maior difficultas, quia licet verum sit, quòd in præsenti vita concipimus Deum, adaptando illi eas rationes demptis imperfectionibus, quas reperimus in creaturis, tamen hæc solutio non procedit de intellectu beato, qui clarè videt Deum, vt in se est, & non per alienas formas, seu similitudines, & adhuc cognoscit entia creata, & tamen non hinc valet inferri, quòd debeat dari eadem ratio entis in Deo, & creatura. Hæc difficultas prorsus theologica est, nec potest commodè expediri in præsenti materia metaphysica; oporteret enim declarare, quomodo fiat visio beata, quæ est res magni negotij, & pluribus difficultatibus obnoxia; vndè pro nunc sufficiet eam expedire, quatenus militat contra præsentem doctrinam. Dicendum est ergo, quòd intellectus non videt Deum per suas vires naturales, respectu quarum est obiectum improportionatum, & proindè non debet habere eamdem rationem obiecti cum ente creato; quia intellectus consideratus secundùm suas vires præcisas naturales proportionatur cum ratione entis, tanquam cum propria ratione obiectiua, considerando tamen intellectum, prout ex vi connaturalis virtutis posset intelligere, si poneretur in statu, vt posset independenter à sensibus intelligere; cum autem Deus non sit obiectum proportionatum intellectus nostri secundùm virtutem naturalem considerati, etiam prout posset independenter à sensibus intelligere, ideo non debet habere eamdem rationem obiecti, sed cum habeat aliam rationem obiecti, debet intellectus supernaturaliter eleuari; quomodo autem fiat hæc eleuatio, spectat ad Theologos explicare. In casu autem nostro, hoc non contingit, quia tam accidens, quàm substantia sunt obiectum proportionatum nostri intellectus, & ideo oportet, quòd habeant eamdem rationem obiecti.

Alia difficultas.

Quomodo Deus in seipso à beatis intelligatur, & nõ dicat talẽ onẽ entis.

XIII Sed vt confirmationi nostræ sententię incumbamus, possumus addere sextam rationem. Substantia, & accidens constituuntur in suo proprio esse per quasdam rationes determinatiuas entis, quę inter se contradistinguuntur, ita vt ex natura sua habeant determinare, & diuidere diuisione positiua; ergo debet concedi aliqua ratio superior entis, quam determinent, & diuidant. Antecedens per singulas partes declaratur; & in primis, quòd ratio accidentis, & substantiæ sint rationes determinatiuæ entis, est per se euidens, nam sunt rationes constitutiuæ talis, & talis entis, & proindè seipsis, seu formaliter, vt quo, determinant tale, & tale ens, nempe substantiam, atq; accidens, quę sunt talia entia determinata. Quòd autem etiam inter se contradistinguantur, non indiget aliqua probatione, quia manifestum est vnicuique, quomodo sint rationes diuersæ, & adinuicem distinctæ, cùm constituant diuersa entia. Pręterea quod sint etiam rationes diuisiuæ, inde conuincitur, quòd sunt rationes oppositę, & contractiuæ, seu determinatiuæ, & præterea ex vi huius oppositionis debent esse inter se incompossibiles, & consequenter esse rationes, quæ vt quo ex natura sua ordinentur ad diuisionem. Hinc autem colligitur consequentia, nam positis rationibus contractiuis, & diuisiuis, & quæ determinent ens ad tale esse, oportet etiam ponere id, quod habet necessariam connexionem cum ipsis, huiusmodi autem est ratio communis diuisibilis, & contrahibilis; quomodo enim potest subsistere ratio determinatiua, & contractiua, nisi habeat id, quod contrahat, & determinet? Et vrgetur amplius

Sexta ratio.

Ratio accidentis & substantiæ est quid determinatiuū.

Rationes accidentis & substantiæ rationes diuisiuæ

Positis rationibus contradictoriis debet poni ratio contrahibilis.

hæc ratio. Rationes formales substantiæ, & accidentis constituunt talia entia; tale autem ens ex intrinseca sua ratione supponit ens vt sic, quia semper naturæ determinatæ, & aliquo modo particulares, supponunt rationes, seu naturas communes, vt constare potest inductione facta per singulas naturas, & ratio quoque manifesta est, quia esse tale intrinsecè imbibit in seipso esse vt sic; quomodo enim aliquis erit talis homo, nisi etiam sit homo; aut talis substantia, nisi etiam sit substantia? semper enim tale esse determinat esse vt sic, & dicit aliquem gradum essentiæ superadditum essentiæ magis communi; cum igitur substantia, & accidens dicant tale esse, quomodo ambo non inuoluent esse vt sic, quòd determinent? Hinc autem fit, quòd debeat concedi vna ratio communis entis, quæ importet vnum conceptum obiectiuum.

Confir.

XIV. Confirmatur principaliter. Si substantia, & accidens non haberent hunc conceptum obiectiuum communem entis, qui esset vnus, sequeretur quòd omnia entia non reducerentur in vnum principium, & in vnam rationem, quæ, respectu omnium sit superior; hoc autem est contra naturam ipsorum, nam videmus, quòd omnia indiuidua reducuntur in vnam speciem, sub qua constituuntur, & sic alij gradus superiores essentiæ, qui inter se diuersi sunt, reducuntur in vnam rationem superiorem, sub qua constituuntur tanquam determinatiui illius, cuius rei ratio esse potest, quam modo tetigimus, quia omnes isti gradus sunt rationes determinatiuæ, & contractiuæ, ergo eo vsque procedendum est, quousque deueniatur ad aliquam vnam rationem, quæ sit omnium prima, & veluti radix cæterarum, ita vt non sit amplius aliqua diuersitas; vnde etiam substantia, & accidens debent reduci in vnam aliquam rationem superiorem, quæ erit ratio entis, cum non sit minor ratio de ipsis, quàm de cæteris gradibus essentiæ, cum ipsi quoque constituant tale ens. Deinde in ipsis quoque militat eadem ratio propter quam cæteri gradus essentiæ reducuntur in vnam rationem communem, quia scilicet habent inter se aliquam conuenientiam; substantia autem, & accidens non ita differunt, quin habeant aliquam conuenientiam, vt pateat ex ijsdem prædicatis, quæ de ambobus possunt efferri; neque enim interuenit tanta diuersitas, vt tollat omnem conuenientiam. Quod præsertim verum est in nostra sententia; cum enim docuerimus, quòd ens solùm conuenit rebus creatis, oportet concedere vnam aliquam rationem omnium primã, atque communem, in quam cætera omnia entia resoluantur; ad hoc enim omnia reducuntur, quòd sint quid participatum ab ente per essentiam, & tanquam tale dicant ordinem essentialem ad ipsum, & ab eodem essentialiter dependeant; Cum ergo hæc dependentia, & ordo communis sit cuicunque enti, ita vt reperiatur tàm in substantia, quàm in accidente, oportet in omnibus ponere aliquam rationem communem, in qua hic ordo, atque dependentia imbibatur, quę nulla alia erit, quam ratio entis.

Omnis entis debent reduci in vnum principium.

Septima ratio.

XV. Denique pro hac nostra sententia confirmanda vti possumus ratione illa, qua vtitur D. Thomas opusc. 42, cap. 1. ad probandum, quòd ens vt sic non sit quid superius respectu Dei, & creaturæ. Sic enim argumentatur tota ratio entis reperitur in Deo, ergo non potest esse quid superius Deo, & creaturæ. Et rationem huius consequentiæ ibi assignauimus, quia scilicet ratio superior eo ipso, quòd est communis pluribus non adæquatur tantùm per vnum aliquod ipsorum, sed ita est in ipso, vt possit etiam esse in altero, & proinde non est tota in ipso, seu totaliter, ita vt nequeat aliud esse tale, nisi participando de illo, in quo ipsa est; modo inquit D.Th. tota ratio entis est in Deo, cum sit ens per essentiam, ita vt nequeat aliquid esse ens, nisi participando de hoc ente per essentiam, & ideò nequit ens esse quid superius Deo, & creaturæ. Nos autem modo ex opposito arguimus. Tota ratio entis non est in substantia, sed etiam in accidenti; ergo est aliquid superius substantiæ, & accidenti, & consequenter aliquid vnum commune exhibens intellectui vnicum conceptum obiectiuum. Consequentia tenet ex ijs, quæ modo diximus, quia si quando vna ratio est tota in vno extremo, ita vt per ipsum adæquetur, non potest esse quid superius, consequenter quando non erit tota in vno extremo, sed etiam in alio, erit ratio superior, & proinde vna. Quòd autem tota ratio entis non sit in substantia,

Tota ratio entis non est in substantia, sed etiã in accidenti.

ſtantia, ex eo euidenter colligitur, quòd accidens quoque eſt ens, & quamuis dicat ordinem ad ſubſtantiam, non tamen eſt ens participando de eſſe ſubſtantiæ, quod enim eſt tale per participationem; reducitur ad illud, quod eſt tale per eſſentiam, de quo participando eſt tale; accidens verò eſt ens intrinſecè per participationem, vnde debet reduci in ens per eſſentiã, à quo eſſe participet; at ſubſtantia non eſt ens per eſſentiam, ſed ſimiliter per participationem, & ideo ratio entis non eſt tota in ſubſtantia, ſed etiam in accidenti, & conſequẽter eſt quid vnum, & ſuperius. Ex his ergo exiſtimo, ſatis conuinci, quòd detur conceptus obiectiuus entis, qui ſit vnus non determinando modo, quæ vnitate ſit vnus, vt etiam initio diximus, ſed ſolùm, quòd ſit aliquid ſuperius, & commune ſubſtantiæ, & accidenti, quòd etiam vlterius patebit ex iis, quæ dicturi ſumus in ſolutione rationum oppoſitarum.

Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.

SECTIO. III.

I. Restat nunc, vt rationibus in oppoſitum ſatisfaciamus. Prima autem ratio oppoſitæ ſententiæ, quam affert landun. ibid. cit. petit explicationem, vndènam deſumi debeat hæc ratio entis, quę eſt quid commune ſubſtantiæ, atque accidenti. Huic autem difficultati breuiter ſatisfieri poteſt ex iis, quæ modo diximus ſectione præcedenti; deſumi, nimirùm ex illa conuenientia, & ſimilitudine, quæ eſt inter accidens, atque ſubſtantiam, quæ importat hanc ipſam rationem entis; conueniunt enim, vti diximus in eo, quòd ambo habent eſſe, & ſunt quid reale à nihilo cotradiſtinctum; vndè ſi ſecundùm hanc rationem conuenientiæ concipiantur, tunc, quia concipiuntur, prout ſecundùm aliquam rationem ſunt vnum, ideo conceptus obiectiuus eſt vnus, qui deſumitur ab illa eſſentia, quæ eſt in ſubſtantia, & accidenti, nempè habere eſſe vt ſic. Cum autem vrgetur, quòd in ſubſtantia nullum aliud eſſe reperitur præter eſſe ſubſtantiæ, & ſimiliter etiam in accidenti ſolùm eſſe accidentis. Reſpondetur, quòd identicè loquendo id verum eſt, non autem formaliter; nam in hoc eſſe ſubſtantiæ plures rationes formales diſtingui poſſunt, & pręcipuè diſtinguitur talis modus eſſendi, qui eſt conſtitutiuus ſubſtantiæ, & ratio eſſendi, quam habet communem cum accidenti, & ideò in vtroque reperitur eſſentia, à qua communis ratio entis deſumatur.

Vnde deſumatur ratio entis communis ſubſtantiæ & accidentis

II. Secunda autem ratio tangit difficultatem de vniuocatione entis, & fortè dicemus, eſſe vniuocum, vndè concedi poſſet ſequela, & negari aliquid abſurdi inferri. Tamen, ne videamur ſubterfugere difficultatem, ſuppoſito quòd poſſit ſtare, cum vnitate rationis ſuperioris, quod perfectiori modo participetur ab vno inferiorum, quam participetur ab alio, negatur ſequela, quia verè quando ratio communis tali modo participaretur, traheret ſecum analogiam. Ad inſtantiam autem dico, quòd quando aliquid participatur magis, vel minus perfectè ſecundùm propriam rationem, tunc conſtituit analogiam; quãdo verò perfectiori modo reperitur in vno, quàm in alio, ratione alicuiùs adiuncti, aut ratione differentiarum, tunc non conſtituit analogiam, quia diuerſitas participationis non eſt intrinſeca rationi participatæ, vt contingit in ratione animalis, aut ſenſitiui, ſuppoſito quòd perfectiori modo reperiatur in homine, quod non eſt modo diſputandum, tunc enim erit perfectiori modo in homine, quia cum organa ſint diuerſa, erunt etiam magis apta, vt inſeruiant operationibus ſenſitiuis.

Ad ſecundam

III. Quòd autem ſpectat ad tertiam rationem, non exiſtimo, quòd aliquid concludat, quod ad præſentem rem faciat, quòd enim prædicamenta ſint primò diuerſa, non video, quomodo inferat, quòd non poſſint habere aliquid commune, neque percipio vim illius conſequentiæ; quòd enim ſint primò diuerſa non dicit, quòd omninò ſecundùm ſe tota differant, eſt enim aliud ſe totis differre, & eſſe primo diuerſa. Etenim ſe totis differre excludit omnem prorſus conuenientiam, & ſimilitudinem, at eſſe primò diuerſa, dicit tantùm, quòd in ipſo incipiat diuerſitas, & proinde poteſt ſimul ſtare cum conuenientia, vnde licet, prædicamenta ſint primò diuerſa, poſſunt tamen habere aliquam conuenientiam. Verùm quia prima diuerſitas, quæ eſt intra latitudinem entis

Ad tertiam

Quid ſit eſſe primo diuerſum

incipit

incipit in substantia, & accidente tanquam in diuisione omnium prima, ideò aduertendum, quòd quando prædicamenta dicuntur primò diuersa, id non debet intelligi de quacunque prima diuersitate, sed de illa diuersitate, qua aliqua differant tanquam prima genera importantia certos modos essendi, vt fusius explicabimus, quando agemus de diuisione entis in decem summa genera.

Ad quartam.

IV. Ad quartam rationem negandum est, quod assumit. Licet enim ens intimè imbibatur in suis inferioribus, non tamen quò ad formalitatem est omnino idem cum ipsis, nam dicit aliquid vniuersalissimum, & commune omnibus entibus; vnde differunt penes magis, & minus vniuersale; vndè etiam negari debet, quòd non possit concipi, nisi etiam concipiantur inferiora, nam cum inferiora secundùm proprium esse differant, & secundùm rationem entis conueniant, optimè potest intellectus rationem conuenientiæ concipere, non concipiendo rationem diuersitatis explicitè saltem; & hoc pacto concipiet, non concipiendo saltem explicitè inferiora.

Ens rectè concipi pōt sine inferioribus.

Ad quintam.

Illustratur Arist.

Ad quintam desumptam ex auctoritate Aristot. respondetur, quod Aristotel. in illo text. secundo libro 4. Metaphysic. intendit tantùm declarare, quomodo contingat ens multipliciter dici, & quomodo omnia dicantur ad vnam rationem, & vnum principium, non autem docet, quod ens dicatur eodem modo de omnibus; imò docet, quòd vno modo dicatur de vno, & alio, nam ait, quòd quædam dicuntur entia, quia substantia sunt, quædam verò, quoniam priuationes, & negationes sunt, quis autem non videt, quod de his diuerso modo dicitur? Vndè ex hac auctoritate nihil contrà nostram sententiam concluditur, quia quamuis nulla ratio entis communis dicatur de priuatione, & cæteris inferioribus, non hinc sequitur, quod non debeat dari respectu omnium entium positiuorum non solùm attendendo auctoritatem Aristot. sed etiam rationem; imò ex eo, quod negatio, & ens positiuum nihil habent commune, sequitur, quòd omnia entia positiua debeant habere rationem entis communem, nam in tantum negatio, & positiuum non habent, in quantùm negatiuum tollit omne id, quod dicit positiuum, quod non contingit in solis entibus positiuis, imò vnum habet aliquid de altero, & ideò conueniunt inter se in ratione entis, & habent illam communem rationem realitatis positiuæ.

Ad sextã.

Quō intelligendus Arist. in tex. 3 li. 6 metaph.


V. Denique ad sextam rationem, quam affert Soncinas dicitur, quòd quando Aristotel. in illo texto tertio, libri sexti Metaphysicæ docet, quòd Physica esset prima philosophia, si darentur sola entia naturalia, & sensibilia, non est intelligendus, vt alibi etiam explicauimus, quòd esset prima philosophia, si non darentur entia, quæ abstrahant à materia secundùm rem, quia reuera darentur adhuc ea, quæ abstrahunt secundùm rationem, quæ sufficerent ad constituendum obiectum metaphysicæ; sed debet intelligi, quod si darētur solùm entia naturalia, & sensibilia, ita vt non possent abstrahi aliquæ rationes, quæ excluderent omnem materiam secundùm rationē, tunc physica esset metaphysica, vndè argumentum Soncin. nihil concludit, quia deberent tolli prorsus omnes rationes immobiles etiam per ipsum, ad hoc vt physica esset prima philosophia. Et miror quod hic Doctor tali pacto argumētatus sit, cum posuerit pro obiecto metaphysicæ ens communissimè sumptum, etiam prout dicitur de rebus sensibilibus, ita vt sensibilia, secundùm rationem entis spectent ad metaphysicam, vt præcipuè docet q. 10. & 11 lib. 4 metaph. ait enim in illa q. 11. *Omnes substantiæ, in quantùm sunt entia, vel substantiæ pertinent ad considerationem huius scientiæ*. Quin addo, quod si hæc ratio aliquid valeret, concluderet, quòd neq; substantia dicat vnum conceptum obiectiuum; siquidem possemus arguere, quod adhuc daretur metaphysica, quæ talem conceptum obiectiuum consideraret, etiam si darentur sola entia physica, & sensibilia; quod tamen quàm falsum sit, manifestè patet cum substantia dicat genus vniuocum.

VI. Porrò ex his, quæ diximus deducitur, quòd, quamuis rectè Albertin. tom. 2 princip. 1. Philosoph. disp. 1. quæst. 4. quem supra pro nostra sententia adduximus, asserat, ens habere vnum conceptū obiectiuū, quatenus est analogū pro-

portionis; hoc est prout intrinsecè cum inæqualitate tamen participationis reperitur tàm in substantia, quàm in accidente; non tamen rectè negare, quod habeat vnum conceptum obiectiuum, quatenus est analogum attributionis, non quia analoga attributionis habeant vnum conceptum, hoc enim impossibilè est, vt ibidem probat Albertinus, quia analoga attributionis, ita se habent, vt vnum tantùm intrinsecè participet formam analogiæ, cœtera verò tantùm dicant ordinem ad illam formam, & proindè nequeunt habere vnum conceptum, qui sit communis omnibus, quia ad communitatem conceptus requiritur, quòd sit intrinsecè in omnibus, quibus communis esse debet. Non, inquam, quia analoga habeant vnum conceptum, sed id non rectè asserit, quia conceptus entis communissimè sumpti est semper vnus, atque idem; vndè si semel est analogum proportionis, & dicit vnum conceptum obiectiuum, non poterit amplius esse analogum attributionis; etenim analogum attributionis, & proportionis habent essentialem differentiam adinuicem; vndè si aliquid est analogum proportionis, non potest fieri analogum attributionis, nisi essentialiter mutetur; & ideo si conceptus entis erit quid analogum proportionis, quomodo erit analogum attributionis, nisi subeat hanc essentialem mutationem? aut si hæc essentialis diuersitas est inter conceptum entis, vt dicit conceptum vnum, & vt talem conceptũ dicit est diuersus, quomodo erit conceptus entis communissimè sumpti? diuersitas enim oritur ex multiplicitate, & determinatione ad certum modum essendi, vndè illi conceptus erunt potiùs entium inferiorum, quam entis; vt sic, siquidem importabunt determinationẽ, & diuersitatem. Deinde vel conceptus entis obiectiuus petit esse intrinsecè tum in accidente, tum in substantia, vel non; alterum enim ex his verificari debet, cum sint contradictoria. Si primum dicatur; tunc non poterit esse in sola substantia, & esse analogum attributionis, sed eadem ratio erit in vtroque, & dicet conceptum vnum. At si admittitur secundum; tunc nullo pacto poterit esse analogum proportionis, nec dicere vnum conceptum obiectiuum. Quare omninò impossibile est ponere illas diuersas considerationes in cõceptu entis, secundùm quas dicat, vel nõ dicat vnum conceptum obiectiuum. Quod si quis occurrat. Quod quando dicitur cõceptum entis obiectiuum esse analogum attributionis, intelligi debere de ente substantiæ, quod est in sola substantia, vt videtur intelligere Albertinus citatus, tunc sequitur, quòd huiusmodi conceptus non sit conceptus entis, sed substantiæ, nàm imprimis conceptus entis, vt ens est, petit esse intrinsecè etiã in accidente. Deinde si hic conceptus est solùm in substantia, quomodo non erit substantia, cum omne, quod est solùm in ipsa, vt proprium illius, sit substantia? Accedit etiam in confirmationem, quod præter ens illud, quod est tum in substantia, tum in accidente, non datur aliquis alius conceptus præter substantię, & accidentis, nisi forte sit minus vniuersalis his duobus, & contractiuus ipsorum.

Reijcit. Alberti.

Ens nõ põt esse analogũ attributionis & pportionis simul.



An conceptus entis sit omnino vnus, & præcisus.

Disp: XXXV.

Opposita sententia.

SECTIO I.

I. INter auctores, qui ponunt vnum conceptum entis obiectiuum, adhuc controuersia est, quomodo huiusmodi conceptus ab inferioribus præscindat, an scilicet præcisione perfecta, an verò præcisione imperfecta. Hoc autem discrimen est inter præcisionem perfectam, & imperfectam; quòd perfecta reddit conceptum obiectiuum perfectè vnum, ita vt omninò excludat ea, à quibus præscindit, nec ea implicitè, aut explicitè dicat; at imperfecta præcisio reddit quidem conceptum aliquo modo vnum, non tamen perfecta vnitate, quia adhuc ea implicitè includit, & proindè vnitas huius conceptus includit implicitè aliquam diuersitatem, & multitudinem. Hinc conceptus perfectè præcisus à suis inferioribus, dicit quamdam naturam communicabilem pluribus, quæ apta est esse in illis per quamdam contractionem, & determinationem factam per diuersas rationes minus vniuersales. Econtra verò conceptus non perfectè præcisus, non dicit hanc naturam communicabilem pluribus, sed dicit plura confusè concepta per modum vnius.

(Quid dicat cõceptus pfectè p̄cisus, & qd impfectè p̄cisus.)

II. Hinc inter eos, qui admittunt conceptum entis obiectiuum aliquo modo vnum, quidam existimant, quòd non sit perfectè vnus, & præcisus à suis inferioribus, sed quod ea implicitè includat. Ita tenent Alexand. & Philop. 1. prior. cap. 28. Alens. 10. Metaphys. text. 8. Ferrar. 1. contra Gent. cap. 34. Hispalens. in primo distinct. tertia quęstione prima, Aureol. in primo distinct. secunda parte prima Fonseca 2. Metaphys. cap. 2. q. 2. sect. 4. Vasquez prima par. disput. 114. cap. secundo num. 6. & 16. Hurtad. in Metaphys. dispnt. secunda sect. quarta Auersa in sua Philosophia quæstione 3. sect. 3. & alij complures præsertim ex Recentioribus. Citant etiam D. Thomam 1. par. quæst. 13. ar. 5. sed ibi tantùm docet, quòd ens sit analogum respectu D[illegible] & creaturæ; non autem meminit de [illegible] cisione conceptus obiectiui. Præterea citant etiam quæst. 7 de potent. ar. 7. sed eodem modo ibidem procedit, ostendens nihil Deo, & creaturæ vniuocum esse similiter sect. 1. lib. 4. Metaphys. solùm docet ens esse analogum, vnde neque hic locus est pro hac sententia.

(1. opin. Cõceptũ entis nõ esse pfectè p̄cisum. Alex. Philop. Alens. Ferrar. Hispal. Aureol. Fonsec. Vasq. Hurta. Auersa)

III. Probant autem pluribus hanc suam sententiam, & primò quidem arguunt ex auctoritate Aristotel. 8. Metaphysic. tex. 16. vbi ita inquit, *Statim enim vnumquodque est ens quiddam, & vnum quiddam*. Si ergo statim vnumquodque est tale ens, signum est, quòd non prius sit ens, & postea tale ens, quemadmodum contingeret, si ens diceret vnum conceptum obiectiuum perfectè præcisum. Secundò quia ad perfectam præcisionem requiritur natura aliqua, quæ includatur in inferioribus, ita tamen, vt inferiora superaddant differentias, quæ non includant naturam communem, in qua conueniunt, cum enim nihil præscindere possit à seipso, vt animal ab animali, oportet, quòd ratio illa, quæ præscindit, non includatur in ijs, à quibus præscindit, alioquin præscinderet à seipsa. Oppositum autem contingit in ente, quoniam intimè imbibitur in omnibus inferioribus, ita vt non possint relinqui rationes inferiorum, nisi etiam relinquatur ratio entis. Hinc confirmari potest eadem ratio. Si enim ens prescindit ab inferioribus, quę sint entia, tunc

(Fundamentũ huius sētētię. Secũdũ. Confir.)

præſcinderet a ſe ipſo; ſi verò præſcindit ab inferioribus, quæ non ſint entia, tunc præſcindet à nihilo, & non ab inferioribus; nam inferiora entis ſunt aliquid; hinc ſi omnis ratio, quæ eſt in homine Confir. ſecũdo. eſſet animal, non poſſet animal præſcindere à rationali. Confirmatur ſecundò. Cum differentiæ omnes entium inferiorum ſint entia, includuntur implicitè in ente, quia non poſſunt ſeparari ab illo, ille autem conceptus, in quo includuntur differentiæ inferiorum, non eſt perfectè vnus, & præciſus, quia tunc differentiæ non ſuperadduntur, quemadmodum debent ſuperaddi conceptui Tertiò. explicito.

IV. Tertiò. Si perfectè præſcinderet, poſſemus aſſignare duos conceptus contradiſtinctos, quorum vnus excluderet alterum, nempe entis, & inferiorum, quòd tamen fieri non poteſt, cum ſemper inferiora inuoluant rationem entis. Vndè procederetur etiam in infinitum, quia præſcindendo ens ab inferioribus, adhuc in ijs remanet ens, quod iterum poſſet præſcindi, & ſemper dum remaneret ens, præciſio in infinitum procederet. Quartò. Quartò, quia perfecta præciſio importat etiam perfectam contractionem, quæ debet fieri per differentias, quæ non ſint ratio communis, nam inferiora non poſſunt inter ſe differre per conceptum præciſum communem, cum in illo conueniant; vndè debent differre per differentias, quæ non ſunt ipſe conceptus communis; cum ergo nulla differentia aſſignari poſſit, quæ non ſit eus, non poteſt dari ratio entis, quæ verè contrahatur, & perfectè præſcindat. Confir. Confirmatur, quoniam contractio fit ex duplici parte, altera perfectè præciſa, & communi, altera coarctatiua, & ſpecialis entis conſtitutiua intra illud genus, in quo fit contractio; hoc autem non poteſt contingere in ente, quia rationes inferiores non poſſunt dicere ſolùm rationem talis entis, excluſa ratione entis vt ſic, alioquin eſſent nihil; vnde debent dicere rationem entis, & tunc non ſunt amplius rationes contractiuæ, ſed ipſum contractum. Deinde cum rationes inferiores entis includant eſſentialiter ens, vt ſic, quomodo contrahere poſſunt ipſum ens? Quod enim contrahit aliud, oportet, quòd ſit diuerſum ab ipſo; alioquin quomodo poterit cauſare diſtinctionem inferiorum, & determinare rationem contractam? poſſunt aliæ rationes in confirmationem huius ſententiæ excogitari, ſed omnes hu. reuocantur, quòd ratio entis ita intrinſecè imbibitur in inferioribus, vt ſit vnicuique rationi, qua tale ens conſtituitur, eſſentialis, nec poſſit concipi ratio inferior, niſi ſimul etiam ratio entis concipiatur, cum ratio entis ſit illa, quæ vt quò dat, eſſe aliquid, & reale.

V. His tamen non obſtantibus, altera ſententia tenet, quòd conceptus entis obiectiuus perfectè præſcindat ab inferioribus, & ſit perfectè vnus. Et habet hæc ſententia graues auctores. Ita enim opinantur non ſolùm, qui putant ens eſſe vniuocum reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis, vt Scotiſtæ, ſed etiam complures alij, vt Iauel. quarto Metaphyſ. quæſt. prima, Capr. in 1. diſt. ſecunda, quæſt. prima, Soto in prædicam cap. quarto, quæſt. 1. Mayron. tract. de vniuocatione entis. Suarez in metaph. diſp. 2. ſect. 2. num. octauo, Albertin. tom. 2. principio primo philoſoph. diſp. 1. quæſt. ſexta, concluſ. 2. Cumel. 1. par. quæſt. 13. ar. primo, quæſt. ſecunda, concluſ. quarta. Atque alij complures, qui volunt dari vnum conceptum entis, qui non includat implicitè inferiora, ſed ſe habeat per modum naturæ determinabilis ab ipſis. Differunt tamen inter ſe hi auctores in explicando, quomodo huiuſmodi conceptus entis perfectè præſcindat. Aliqui enim dicunt, quòd ens præciſum ſe habet veluti quædam natura ſeparata ab inferioribus, quæ eſt contrahibilis per proprias differentias, vt ſunt ratio ſubſtantiæ, & accidentis; hæ tamen differentiæ adhuc ſunt entia, cum ſint aliquid reale, non tamen ſunt reſolubiles in plures conceptus, nimirum entis, & differentiæ, ne detur proceſſus in infinitum. Verùm deficit hic modus, quia deberet explicare, cur adhuc ratio entis non poſſit ab ijs differentijs præſcindi; cum enim dicunt, ne detur proceſſus in infinitum, vrgeri poſſet, quòd ſequatur hoc abſurdum, & proinde ens non perfectè præſcindat; deinde, ſi prius poteſt præſcindi, cur etiam denuo non poterit præſcindi, cum prorſus eodem modo ſe habeat, ac antea?

Secũda opinio cõceptũ entis eſſe perfectè præciſum.

Iauel. Capr. Soto. Mayr. Suarez. Albertin. Cumel.

VI. Alij autem, & præſertim Albertin. ſupracit. dicunt, quòd ens præciſum

eſt

est ens adæquatum, non quia dicat rationes omnium entium, sed quia de omnibus prædicatur, rationes verò limitatiuæ entis, sunt ens inadęquatum, quia dicunt tantùm aliquam portionem entis, & ideo ens vt sic præscindit ab inferioribus ratione adæquati, & inadęquati, & sic conceptus communis dicit tantùm negatiuè rationem substantiæ, & accidentis, quatenus est aptus determinari per ipsas; & hinc fit, quòd, quamuis perseitas, seu ratio substantiæ sit formaliter ens, non tamen conceptus perseitatis sit formaliter conceptus entis, quia differunt ratione adæquati, & inadæquati. Suarez autem alio modo explicat, atque alij cum ipso. Nam sect. 6. docet, hanc præcisionem non se habere per modum separationis, qua per intellectum ens separetur ab inferioribus, sed in eo consistere, quòd intellectus noster non concipit entia inferiora, quatenus differunt, & dissimilia sunt, sed quatenus conueniunt in communissima ratione entis; vndè conceptus obiectiuus entis solùm differt à conceptu obiectiuo inferiorum, quòd hic est magis determinatus, quàm ille; quòd optimè ait, explicari in ordine ad conceptus formales, quia scilicet conceptus formalis entis non repræsentat rationes inferiorum.

Conceptum entis obiectiuum quantùm est ex se adæquatè præscindere ab inferioribus.

SECTIO II.

Prima conclusio.

I. VT in hac difficultate nostram sententiam proponamus, ponimus primam conclusionem, & dicimus, conceptum obiectiuum entis communissimè sumpti, quantū est ex parte sui adæquatè præscindere ab inferioribus. Vt autem hæc prima pars nostræ sententię intelligatur, & ea etiam, quæ infra dicturi sumus. Aduertere oportet, quod illa est adæquata præcisio, qua vnus conceptus ita abstrahitur, vt secundùm se totum concipiatur, nihil concipiendo dę cœteris rationibus, à quibus abstrahitur, non solùm explicitè, sed neq; etiam implicitè: vnde prout subest abstractioni excludit à se omne extraneum, & quod formaliter non est ipse, vt contingit in animalitate, quæ, quando abstrahitur ab homine, ita sola concipitur, vt nihil de rationalitate, aut alijs rationibus concipiatur. Et hoc illi conuenit ad differentiam inadæquatæ pręcisionis, qua conceptus abstractus non ita separatur ab ijs, à quibus abstrahitur; quin aliquo modo ea includat. Hinc fit, quòd adæquata abstractio fit omnium perfecta, & in ipsa conceptus fit perfectè vnus, siquidem excludit omnes alias rationes, à quibus prouenire potest diuersitas, & multitudo. Verùm quia, quando conceptus præscinditur, ab alio præscinditur; hinc fit, quòd ex parte duorum extremorum considerari possit hęc abstractio, & consequenter contingere potest, quòd ex parte vtriusque sit adęquata, vel tantùm ex parte vnius adęquata, & ex parte alterius inadęquata. Est autem ex parte vtriusque adæquata, si quemadmodum vnum excludit omnino alterum à se, ita vt nec explicitè, nec implicitè illud dicat; ita etiam ęcontrà hoc quoque excludat illud, vt contingit in animalitate, & rationalitate; nam non solùm animalitas excludit omnino à se rationalitatem; sed etiam econtrà rationalitas præcisè accepta omnino excludit animalitatem. Ex parte verò vnius extremi erit adęquata, & inadęquata ex parte alterius, si vnum extremum omnino excludat alterum; verùm hoc non omnino illud excludat, sed implicitè illud dicat; neque in hoc cernitur aliqua implicantia, quia fieri potest, quòd duo conceptus ita se habeant, vt vnus in sua intrinseca constitutione non inuoluat alterum, licet alterum inuoluat ipsum, sic homo in sua intrinseca constitutione inuoluit rationalitatem, & animalitatem, non tamen animalitas in sua constitutione pręcisa inuoluit hominem; & ob hanc rationem contingere potest adęquata pręcisio ex parte vnius extremi, & non ex parte alterius. Hinc cum ens comparatur ad inferiora, fieri potest, quòd adæquatè præscindat, ita vt pręcisio sit adęquata ex parte vtriusque extremi, vel ex parte vnius tantùm, & ex parte alterius inadęquata. Vnde nunc dicimus, pręcisionem esse adęquatam ex parte ipsius entis, ita vt dum præscinditur, neque explicitè, neque implicitè dicat inferiora.

Conceptus entis quātū est ex se adæquatè præscindit ab inferioribus.

Quid perfecta, & imperfecta præcisio.

Dupliciter contingit perfecta præcisio.

Prima ratio.

II. Hæc autem prima pars nostræ sententiæ optimè conuinci potest excludendo modum inadæquatæ præcisionis, seu imperfectæ, tunc enim sequitur quòd adæquatè, & perfectè præscindat. Quia autem inadæquata præcisio ex eo prouenit, quòd inferiora aliquo modo includantur in conceptu entis; ideò si ostendemus nullo pacto includi, etiam ostendemus adæquatè præscindere. Quomodo enim non adæquatè præscindet, si omnino excludit inferiora? Quòd autem conceptus obiectiuus entis non dicat explicitè inferiora, hoc est non exprimat rationes inferiorum, est omnino euidens, nam cum rationes inferiorum sint plures, non esset vnus conceptus obiectiuus, sed multiplex; imò non esset conceptus entis, sed essent conceptus inferiorum, quia vnusquisque conceptus est conceptus illius rei, quam exprimit, & idcirco conceptus, qui exprimit inferiora, est conceptus illorum. Quare si ens aliquo modo includit inferiora, solùm implicitè potest includere. Sed neque potest implicitè includere. Non enim potest haberi hęc implicita inclusio, nisi adsit aliqua ratio includens; cum enim inclusio sit ex parte conceptus obiectiui, necesse est ex parte illius assignare includens, & inclusum, & si inferiora sunt inclusa, debet dari aliqua obiectiua ratio, quæ illa includat, & non alia esse poterit, quàm ratio entis. Non potest autem res ita se habere, nam inferiora, prout inferiora sunt, & prout ab ipsis debet abstrahere ens, siue perfectè, siue imperfectè, dicunt rationes suas proprias formales, secundùm quas inuicem distinguuntur, & important entia determinata, vnde si continentur implicitè in ente præciso, debent secundùm has ipsas rationes contineri, alioquin non continentur in ente, quia statim, ac deficiunt hæ rationes, deficiunt etiam inferiora; hoc autem modo non possunt contineri, quia vbicunque sunt, exhibent suum effectum formalem, qui est constituere tale ens, vnde si ens vt sic contineret inferiora, non esset ens vt sic, sed tale ens, quod implicat.

Conceptus entis neque implicitè includit inferiora.

Excluditur alius modus continentiæ implicitæ.

III. Præterea non potest dici, quòd ens vt sic contineat virtualiter, & implicitè inferiora, quemadmodum causa continet effectus, neque enim ens est causa suorum inferiorum; deinde causa, prout virtualiter continet suos effectus, non dicit esse effectuum, sed solùm proprium esse, quod formaliter acceptum est esse virtuale effectuum, quia scilicet est virtus causatiua illorum, neque ex hac virtuali continentia fit, quòd causa non præscindat adæquatè ab effectibus, quia quando concipitur tale esse, nihil concipitur de esse effectuum, prout in se sunt, sed tantùm esse causæ, quod est effectus in virtute. Sic ergo si ens contineret virtualiter inferiora, non diceret aliquid de inferioribus, prout in se sunt, sed tantum proprium esse, & proinde non hinc sequeretur, quòd non præscinderet adæquatè ab ipsis; vt enim non præscindat adæquatè ab ipsis, deberet non præscindere ab aliquo, quod non esset ipsum, dum autem inferiora virtualiter conreta, sunt ipsum ens, non hinc sequitur, quod non adæquatè præscindat ab inferioribus. Quod etiam confirmari potest. Inquiro enim, an inferiora, prout continentur in ente implicitè, sint ipsum ens, ita vt illud in suo proprio esse formali constituant, vel non constituant illud in proprio esse formali. Si primum dicatur, tunc certum est, quòd non potest ens ab ipsis præscindere, prout tali pacto consideratur, quia nulla res potest præscindere à proprio constitutiuo. Verùm non hinc sequitur, quòd ens non præscindat ab inferioribus, quia inferiora implicitè contenta non erunt inferiora, sed ipsum ens, tunc enim inferiora non dicent esse implicitum. Si autem non constituunt ens in suo esse formali, iam sunt quid extraneum eius conceptui, & proinde cum vnumquodque concipi possit, absque omni extraneo, ens quoque sine ipsis concipi poterit, & consequenter adæquatè ab ijs præscindet. Rursus inferiora sunt diuersa inter se formaliter, & quædam etiam realiter; vel ergo sunt idem formaliter cum illa ratione entis, quæ se habet per modum continentis, & tunc sequeretur, quòd essent idem inter se formaliter; sumo enim rationem substantiæ, quæ implicitè continetur in ente, & inquiro, an sit idem formaliter cum ipso; si dicitur esse idem cum ente formaliter; Rursus inquiro de ratione accidentis, quæ similiter erit necessariò idem cum ente formaliter, vnde sequitur

Quomodo inferiora prout in se sunt non sunt in ente.

tur

tur, quod ratio accidentis, & substantiæ erunt idem formaliter inter se, cum sint vnaquæque ratio formalis entis, quæ est vna. Hoc enim sequitur ex illo principio, quòd quæ sunt eadem vni tertio præsertim formaliter, sint etiam idem formaliter inter se. Quoniam cum inferiora non possint saluari sine diuersitate, atque hanc diuersitatem non possint habere, nisi secundùm suum esse explicitum, secundùm quod solùm distinguuntur inter se, & secundùm hoc esse explicitum non contineantur in ente; non enim conceptus entis obiectiuus in se exprimit singulas rationes inferiorum; oportet concludere, quòd inferiora pro ut inferiora sunt, non sint in ente, & consequenter, quod ab ipsis adæquatè præscindat.

Vrgetur eadem ratio.

IV. Quòd etiam potest amplius declarari. Si enim ponitur hæc ratio, quæ contineat inferiora, ita vt inferiora sint ea, quæ contineantur: certè hæc ratio erit diuersa ab inferioribus, quæ continet, neque enim inferiora possunt exercere rationem continentis omnia inferiora, si ergo est diuersa, & inferiora contenta non sunt ipsa, cur non poterit concipi sola absque inferioribus, ita vt omnino illa excludat? Tunc autem adæquatè ab ipsis præscindet; quod præsertim verum est, quia adhuc differunt secundùm esse implicitum, & explicitum, quæ diuersitas sufficiens est, vt distinguantur diuersæ rationes; quin hæc ratio sola mihi videtur sufficiens ad conuincendum, quòd inferiora nullo modo in conceptu entis præciso includantur, nam vel ille conceptus obiectiuus dicit rationes proprias inferiorum; ita vt exprimantur per conceptum formalem, & tunc non concipiuntur implicitè, sed explicitè, vnde non esset ille conceptus entis, sed inferiorum, id enim explicitè concipitur, quod secundùm propriam rationem repræsentatur, atque exprimitur per conceptum formalem. Vel ergo non explicantur per talem conceptum, seu non manifestantur intellectui per talem conceptum, secundùm proprias rationes, & tunc nullo pacto concipiuntur, neque explicitè, neque implicitè, quia id tantùm concipitur, quod exprimitur per conceptum mentis, vndè quod nullo modo exprimitur, nullo modo concipitur; quemadmodum contin-

Ens non potest cõt ne e interiora, nisi contineat proprium esse ipsorum.

git in conceptu entis, qui nullo modo exprimit inferiora secundùm proprias rationes ipsorum; & proinde adæquatè ab ijs præscindit.

Excluditur alter modus continẽdi implicitè inferiora.

V. Quare nullo modo dici potest, quòd inferiora contineantur implicitè in ente; ita vt detur hæc ratio continens ipsa. Quod siquis dicat, non dari hanc rationem continentem inferiora, sed conceptum entis implicitè continentem inferiora nihil aliud esse, quàm eadem inferiora confusè concepta, quatenus habent inter se aliquam similitudinem, & proinde necessariò in huiusmodi conceptu inuolui implicitè inferiora, adhuc tamen vrgetur; & prius inquiro, an reduplicatio illa, quatenus habent inter se aliquam conuenientiam reduplicet inferiora secundùm propriã vniuscuiusque rationem, & hoc dici non potest, quia vnumquodque secundùm propriam rationem differt ab alio, & dicit suum esse explicitum, quod nullo modo est in conceptu obiectiuo entis. Vel reduplicat aliquam rationem omnibus communem, vt necessariò dicendum est, dum non reduplicat proprias singulorum, & hoc modo concipietur ab intellectu tantùm illa ratio, & non propriæ rationes singulorum, quia id tantùm concipitur, quod reduplicatur, siquidem reduplicatione separatur id, quod concipitur ab eo, quod non concipitur; hæc autem ratio communis, quæ erit conceptus entis, non erit inferiora, quæ solùm habentur ex vi propriarum rationum vniuscuiusque, sed erit quid vnum commune ab ipsis adæquatè præcisum. Rursus etiam hic inquiro, an exprimantur inferiora secundùm proprias rationes, & tunc erit conceptus proprius inferiorum, non autem entis, quæ concipientur explicitè; vel non exprimentur, & tunc nullo modo concipientur, quia vt modo dictum fuit, id tantùm concipitur, quod exprimitur per conceptum formalem, cum concipi nihil aliud sit, quàm manifestari per conceptum formalem intellectus.

In quo cõsistat; præcisio per intellectum.

VI. Atque hinc corroboratur hic discursus: nam huiusmodi præcisio, qua vnus conceptus ab alio præscindit, non est præcisio secundùm rem, quasi fiat à parte rei, sed est præcisio, quæ fit tantùm per intellectum; in eo autem tantùm præcisio per intellectum consistit, quòd

intel-

intellectus vnum concipiat fine altero, neque enim alio modo potest præscindere, & separare per cognitionem, hoc est vnum cognoscendo sine alio; si ergo dum concipit ens nullo prorsus pacto cognoscit inferiora, vt inferiora sunt; alioquin ille conceptus exprimeret inferiora, & esset conceptus illorum, necessariò concludendum est, quòd conceptus entis adæquatè præscindat ab inferioribus. Quòd si dicas ad adæquatam præcisionem requiri, quòd assignentur duo conceptus, qui se inuicem includant, qui hic non possunt assignari, cum inferiora non excludant ens, vt diximus.

Reijcitur solutio.

Respondetur, quòd non rectè soluitur hęc ratio quemadmodum putat solui Albertin supracit. nam impertinens est ad adęquatam præcisionem vnius extremi, quòd alterum quoque ipsum excludat. Pręcisio enim nihil aliud est, quàm separatio quędam facta per intellectum: Si ergo potest intellectus vnum conceptum adęquatè separare ab alio, ita vt, dum ipsum concipit, nihil prorsus de alio concipiat, cur non erit, quantum est de se, ille conceptus adęquatè præcisus ab alio? Præcisio enim non se tenet ex parte alterius, sed ex parte illius, vnde solùm sequetur, si alter conceptus ipsum non excludit, quòd adæquata præcisio non sit mutua, non autem quòd non sit adæquata ex parte vnius extremi; nihil enim amplius haberet, si alterum quoque extremum adæquatè præscinderet, quàm modò habet, cum alterum extremum præscindere adæquatè sit quid extrinsecum. Et quemadmodum contingit, rem aliquam separari à suis modis, quamuis modi non separentur ab ipsa tanquam res, non hinc sequitur, quòd subiectum non separetur à modis tanquam res, quia scilicet parum refert, quòd alterum extremum sit res, ad hoc vt vnum tanquam res separetur, sic ergo in casu nostro parum refert, quòd ambo extrema se inuicem excludant, ad hoc vt vnum ipsorum adęquatè pręscindat, sed sufficit, quòd habeat id, quod requiritur ad adæquatam præcisionem, nimirum omnimodam exclusionem alterius extremi.

Conceptus obiectiuus entis dicit aliquam rationem, quę exprimatur.

VII. Et potest vlterius vrgeri hæc vltima explicatio. Nam conceptus obiectiuus entis, qui dicitur implicitè, seu in confuso continere inferiora, non dicit explicitè, atque determinatè ipsa inferiora, vt certum est. Debet autem dicere aliquam rationem determinatã, quæ exprimatur per conceptum formalem, quia omnis conceptus formalis debet explicare aliquam rationem entis determinatam, à qua scilicet habeat ipse suam specificationem, atque determinationem: non enim potest ita aliquid exprimere, vt nesciatur, quid sit illud, quod exprimat; quomodo enim nescietur, quid exprimat, si eo ipso, quod exprimit, manifestat intellectui rem conceptam? quę ergo ratio entis est illa, quam exprimit, cum non exprimat rationes entium inferiorum, ne explicitè concipiantur, & determinatè? Non potest dici, quòd sit illa confusio, qua entia confunduntur, nam huiusmodi confusio non importat aliquam rationem entis supra entia, quæ confunduntur; aut si importat, non erit ens vt sic, sed aliqua ratio entis determinata. Vnde oportet dicere, quòd entia omnia confundantur ratione illius conuenientiæ, quam habent inter se, quæ est ex vi alicuius formalitatis, quam vnumquodque ens participat, & propter quam omnia entia in vnum coalescunt; non enim confundi possunt entia secundùm illas rationes, quibus adinuicem distinguuntur, quia huiusmodi formalitates sunt separatiuæ entium, & distinctiuæ, & proinde ex vi illarum non possunt entia inter se confundi; confusio enim opponitur distinctioni; quomodo enim ea, quæ distinguunt, & separant entia inter se poterunt eadem concludere, & confundere. Itaque oportet dicere, quòd confundantur ex vi alicuius rationis, quæ non sit separatiua, & distinctiua illorum, & consequenter, quæ sit eadem in omnibus, si enim esset diuersa, esset etiam distinctiua; omnis enim diuersitas causat distinctionem. Si ergo entia confunduntur in vnum conceptum entis ex vi alicuius rationis, quæ sit eadem in omnibus; iam concludenda est vna ratio entis communis omnibus entibus, & consequenter poterit intellectus illam concipere absque eo, quòd concipiat inferiora, seu rationes distinctiuas, & separatiuas; cur enim non poterit concipere entia, prout confunduntur, non concipiendo, prout distinguuntur, & adinuicem secernuntur: non potest au-

Inferiora entis non possunt confundi, nisi ex vi alicuius rationis communis.

tem

tem concipere inferiora, nisi concipiat secretionem ipsorum, cum inuoluatur intrinsecè in conceptu ipsorum, quam tamen non concipit, dum concipit ens, vt sic, vt per se manifestum est. Quòd si dicas, concipere implicitè; hoc concipere implicitè nihil aliud erit, quàm concipere solam rationem entis, non conceptis inferioribus, quia inferiora, vt diximus, nequeunt concipi, nisi concipiantur propriæ rationes ipsorum, in quibus inuoluitur mutua secretio; & quemadmodum nullum ex inferioribus saluari potest, nisi ponatur propria ratio constitutiua illius, ita neque potest concipi, nisi eadem ratio concipiatur.

Alia ratio eiusdem conclusionis.

SECTIO. III.

I. EX discursu modo facto satis confirmata manet conclusio posita; qui solus sufficeret, vt veritas ipsius stabiliretur: nihilominus tamen nonnullas alias rationes proferemus, vt magis talis doctrina corroboretur. Vndè secundò principaliter argumētari possumus. Ratio entis præcisa, quæ importatur per conceptum obiectiuum ipsius, vt quid commune substantiæ, & accidenti concipitur, & potest de vtroq; prædicari, ergo, quantum est de se, adæquatè præscindit ab inferioribus. Anteced. est certū, Dicimus enim, substantia est ens, accidēs est ens; atq; in his propositionibus affirmatiuis idem semper significamus, nimirum quòd substātia, & accidens sint aliquid, & habeant esse, quo à nihilo cōtradistinguantur; quod signū est, esse vnum, atq; idem prædicatum, quod tam de substantia, quā de accidēte affirmatur. Hinc etiam declaratur consequentia: nam cū ens præcisum affirmatur de substantia, oportet necessariò dicere, ꝙ nulla ratio accidētis de ipsa affirmetur, quia ista prędicatio, substantia est accidens, est essentialis, nulla autem ratio accidentis neq; implicita, neq; explicita potest essentialiter de substantia prædicari; similiter etiā quando dicitur, accidens est ens, cum sit idem modus prædicationis, nulla ratio substantiæ, neque explicita, neq; implicita potest de accidenti prædicari; Ex hoc autem sequitur adæquata præcisio conceptus entis, quantùm est ex parte sui, alioquin si inuolueret rationem substantiæ, & accidentis implicitè, quando affirmatur de substantia, etiam de ipsa diceretur ratio illa implicita accidentis, quæ in ipso inuoluitur, & quando diceretur de accidenti, de ipso quoq; efferretur rō illa substantię, quā implicitè dicit

II. principali ratio.

II. Huic argumento responderi posset, quòd vtraq; ratio, accidētis, scilicet & substantiæ inuoluitur implicitè in ratione entis, & ideo quādo affirmatur de accidente, affirmari secundùm rationem implicitam accidentis, quando verò affirmatur de substantia, affirmari secundùm rationem implicitam substantiæ; vndè prout de inferioribus prædicatur dicit vnam, vel alterā rationem. Verum licèt hęc responsio habeat aliquā apparentiā, non tamē eneruat vim argumenti facti. Nàm alterum ex his duobus est necessariò dicendum, nimirum, quòd conceptus entis, cum affirmatur de substantia, dicatur tantùm de ipsa secundùm id, quod dicit implicitè, vel etiam secundùm id, quod dicunt dicere implicitè. Si primo modo res se habet, iam sequitur, quòd detur ratio entis omnino præcisa illa, nimirum, quæ affirmatur, tàm de accidenti, quàm de substantia, quia hæc importat tantùm rationem explicitam entis, quæ nullo modo dicit inferiora. Si autē secūdo modo ens se habet in prædicatione, ergo, cum dicat implicitè tàm rationem accidentis, quàm substantiæ, secundùm vtramq. rationē affirmabitur de substantia. Secundò reijcitur eadem responsio quando præscindo ens, & per primam operationem illud concipio, totus ille conceptus obiectiuus, quem habeo in mente, tribuitur substantiæ, ergo si implicitè dicit rationē accidentis, iam aliqua ratio accidentis tribuitur substantiæ. Tertiò. Quando dico, substantia est ens, vel tunc ratio entis, quæ prædicatur, includit aliquam rationem accidentis, vel non includit; si includit ergo aliqua ratio accidentis prædicatur de substantia, quod fieri nō potest, & propositio redderetur falsa; si autē non includit, ergo præscindit adæquatè ab accidente, nec illud aut explicitè, aut implicitè includit, & consequenter etiam adęquatè pręscindit à ratione substantiæ, cum eodem modo præscindat ab accidente, quo præscindit à substantia, nec dicat magis vnum, quam alterum.

Respōs.

Impugnatur.

Secūdò.

Tertiò.

Alia responsio.

III. Adhuc tamen respondere possunt. Quod ens præcisum, quamuis dicat implicitè rationem substantiæ, & accidentis, non tamen dicit vtranque rationem coniunctim, sed alternatiuè, aut vnam, aut alteram, vt nimirum quando præscinditur à substantia, & de ipsa prædicatur dicat implicitè rationem substantiæ; quando verò præscinditur ab accidente, & de ipso prædicatur, dicat implicitè rationem accidentis. Sed nihil melior est præsens responsio, & facilè potest refutari. Substantia enim dicit vnicam rationem substantiæ, eamq; explicitam, nō autem vnam explicitam, & alteram implicitam; cum ergo solùm prædicari possit de vnoquoq; id, quod est in ipso, solùm de substantia prædicari potest ratio entis explicita, & ratio substantiæ pariter explicita, quia hę duę solæ rationes reperiuntur in ipsa, non autem ratio substantiæ implicita; nam cum dicimus substantia est ens, cum in tali enunciatione non enuncietur ratio substantiæ explicita, sola ratio entis prædicabitur de substantia. Quod si dicas ipsam rationem entis explicitam esse implicitam rationem substantiæ, tunc sequitur, quòd si vtraque ratio est vnus, atque idem conceptus formaliter, ratio substantiæ implicita prædicetur de accidente, quoniam de ipso prædicatur ratio illa entis explicita, quæ adunat substantiam, & accidens in vnam rationem conuenientiæ. Si verò ratio entis explicita, & ratio substantiæ implicita non est formaliter vnus, atque idem conceptus formaliter, tunc poterit ens à ratione substantiæ implicita pręscindi, quia diuersitas formalis conceptuum obiectiuorum arguit præcisionem. Sed etiam falsum est, quòd ratio entis explicita sit implicita ratio substantiæ, nā ratio entis explicita coadunat substantiam, & accidens in vnum conceptum; quæcumque autem ratio substantiæ distinguit, quia neq; secundùm rationem implicitam potest substantia conuenire cum accidente.

Impugnatur.

Alia impugnatio.

IV. Rursus etiam contra hanc responsionem facit, quòd si ens imbiberet implicitè has rationes, nimirum accidentis, & substantiæ alternatiuè, ita vt ens, quod præscinderet à substantia, diceret implicitam rationem substantiæ, & ens, quod præscindit ab accidente, diceret implicitam rationem accidentis, sequeretur, quòd ratio entis non esset ratio conuenientiæ inter accidens, & substantiam, sed disconuenientiæ; siquidem alia esset ratio entis, quæ præscinderetur à substantia; & alia, quæ præscinderetur ab accidente; nam in vno ratio accidentis implicita, & in alio ratio substantiæ implicita poneret diuersitatem; hoc autem est omnino falsum, quia ratio entis, vt per se manifestum est, facit substantiam conuenire cum accidente. *Deindè* ex vi huius diuersitatis, oportet, quod constituerentur talia entia, vndè ens præcisum à substantia esset tale ens, quia diceret rationem implicitam substantiæ, quæ faceret illud differre ab ente præciso ab accidenti; diuersitas autem solùm reperiri potest inter talia entia. Quod si ratio entis præcisa à substantia nihil omnino differt à ratione entis præcisa ab accidente, iam ens præcisum tùm ab accidenti, tùm à substantia erit ratio entis perfectè vna, siquidem excludet omnem diuersitatem, & consequenter erit etiam perfectè præcisa, quia iam excludet omnia, quæ important diuersitatem, & consequenter inferiora. Et hoc omnino dicendum est; nam antequam deueniatur ad rationem expressam tùm accidentis, tùm substantiæ, nulla habetur determinatio entis, & proinde nulla distinctio, aut diuersitas.

Rō entis est ratio cōueniētię.

Quod potest insuper confirmari, inquirendo, an ens, quod inuoluit implicitè rationem substantiæ, sit idem omnino, quod substantia, vel aliquo modo diuersum, seu an dicat aliquid minus. Si non dicit aliquid minus, ergo erit substantia, non autem ens; quod tamen est falsum, quia cum ens exprimat rationem conuenientiæ inter substantiam, & accidens, non potest dicere totum id, quod dicit substantia, si ergo dicit aliquid minus, iam relinquet rationem propriam substantiæ, & proinde ab ipsa pręscindet. Nec potest dici, q̄ præscindat solū secundùm esse explicitū, quia si non pręscinderet omnino, quādo dicitur substantia est ens, nō tribueretur illi sola ratio conuenientię, quam habet cum accidente, quoniam totum esse ipsius per hoc prædicatū importaretur.

Quō ens à substā tia pscindat.

Dein-

Deinde si secundum esse explicitum præscindit, sequitur, quod possit omnino præscindere, quia potest intellectus concipere solùm id, quod dicit explicitè, cum explicitum, & implicitum sint rationes sufficientes ad distinguendos conceptus, & tunc aderit adæquata præcisio.

Tertia impugnatio. V. Tertiò quoq. reijcitur eadem responsio, quia, vt etiam supradiximus, quādo concipimus ens per primam abstractionem, & illud enunciamus de substātia, explicamus illam conuenientiam, quam habet cum accidente, & consequenter eumdem conceptum obiectiuū possumus tribuere etiam accidēti, quod fieri non posset, si ens abstractum à substantia inuolueret implicitè rationem substantiæ. Quod autem per ens enuncietur conuenientia inter substantiam, & accidens facilè ostenditur; nam quando dicitur Accidens est ens, substantia est ens non enunciamus aliquam diuersitatem, sed enunciamus, quomodo ambo habent esse, vnde ex hoc possumus inferre, quod inter se conueniant, in eo scilicet, quod habeant esse. Deinde quando concipio ens vt sic; habeo rationem aliquam, quæ indifferens est ad prædicandum de substantia, & accidenti, quod satis; ex eo patet, quoniam per huiusmodi conceptum non importatur aliquis modus determinatus essendi, sed tantùm habere esse, vt sic habere autem esse tàm conuenit substantiæ, quàm accidenti, & proindè ens vt sic, quantùm est de se, est indifferens ad prædicandum tàm de substantia, quàm de accidente; stante ergo hac indifferentia, non potest implicitè ens includere rationem accidentis, & substantiæ, quia prout includeret rationem substantiæ, non posset prædicari de accidente, & prout includeret rationem accidentis, non posset prædicari de substantia, & non esset vnus, atq; idem conceptus indifferens; quemadmodum ostendimus debere esse; neque se haberet tanquam aliquod tertium, in quo conuenirent accidens, & substantia, & consequenter omnis conuenientia tolleretur ab ipsis, ex quo plura absurda sequerentur, vt si substantia opponitur nihilo, accidens non opponeretur, quia non posset habere fundamentum huius oppositionis, alioquin cum substantia conueniret. Quod si substantia est quid reale, accidens non esset quid reale, ne in hoc conueniret, & alia huiusmodi, vt consideranti patebit.

Afferuntur aliæ rationes.

SECTIO IV.

I. Possumus adhuc in confirmationē huius cōclusionis, argumentari. III. rō principalis. Vndè erit tertia rō principalis. Obiectiuus cōceptus proprius entis, & conceptus obiectiuus proprius substātiæ sunt talis naturę, vt fundare possint contradictionem atq. adinuicem negari, & similiter etiā dici potest de conceptu proprio obiectiuo accidētis, vt accidens est, ergo ratio entis ex se adæquatè præscindit à suis inferioribus. Antecedens declaratur, & quod spectat ad primam partem de fundanda contradictione certum est, quod ratio entis est quid transcendens, & vagans per omnia entia, ratio verò substantiæ, vt substantia est, non est huiusmodi; rursus ratio entis est indeterminata, nec dicit aliquem peculiarem, & determinatum modum essendi, ratio verò substantiæ est determinata, & importat modum essendi per se; hæ autem atq; aliæ huiusmodi sunt contradictiones, quę fundantur in ratione substantiæ, & entis. Rursus verùm est dicere, quod ens vt sic non est substantia, cum non dicat ex se aliquem modum essendi determinatum, sed transcendat per omnes: similiter etiam ratio substantiæ, vt substantia est, aliquo modo non est ratio entis communissima, ipsa enim non est transcendens, quemadmodum ratio entis, & dicit modum essendi determinatum, vndè hi duo conceptus obiectiui præcisè sumpti possunt inuicem negari. Ex his autem colligitur vis consequentiæ; nam contradictio supponit distinctionem saltem secundùm rationem, per quam habeantur diuersi conceptus obiectiui, quorum vnus sit extra alterum; & similiter etiam quando diuersæ rationes, inuicem negantur, oportet, quod vna sit extra aliam, ex quo sequitur adæquata præcisio, saltem ex parte vnius, quia si vna non excluderet aliam omnino à seipsa, falsò de ipsa negaretur,

& si non esset diuersa, quod conueniret vni, conueniret etiam alteri,& non possent fundare contradictionem. Hinc fit, quòd ratio entis sit diuersa à ratione substantię,& quòd nō includat implicitè rationem substantiæ, alioquin non posset de ipsa negari, vndè consequenter poterit sola concipi nullo pacto concepta ratione substantiæ.

II. Et vrgetur amplius eadem ratio. Ens per eam rationem,qua est ens, non est substantia, quia per id tantùm est ens, per quod est habens esse indeterminato modo. Similiter etiam substantia, per aliam rationem est substantia, quàm per eam, qua est ens; est enim substantia, non quia habet esse, sed quia per se subsistit, nec indiget sustentatione alterius; ergò potest ens perfectè præscindere à substantia. Declaratur. consequentia ex natura perfectæ præcisionis; ibi enim potest esse perfecta præcisio, vbi ratio aliqua ex intrinseco suo non innoluit alia m, seu quando per aliam in suo esse formali non constituitur; tunc enim potest adæquatè separari ab omni alia,quę non constituit intrinsecem esse formale ipsius, omnis namq; ratio formalis potest concipi cum solo suo esse formali,& consequēter absq;omni alio;quare,si ens non constituitur in suo esse per rationem formalem substantiæ,poterit conci pi omnino sine illa, & adæquatè ab ipsa præscindere; & similiter dicendum est etiam de accidente,cum sit eadem ratio. Et quidem,si quis attendat, dum concipit ens communissimè sumptum, experietur, se ita concipere, nimirum concipere tantùm præcisè rationem aliquā, per quam res omnes habeant esse, nihil cogitando de modo aliquo essendi determinato; & percipiet, quòd ens ad suam formalem rationem nihil aliud requirit, quàm hoc solum, vt scilicet importet purum habere esse.

Per aliā rōnem substantia est substentia & p aliā est ens.

III. Sed hic quoque sectatores oppositæ sententiæ respondere possent ad illudendum principale argumentum, quòd ratio substantiæ,& accidentis negari possunt de ente, vt sic, diuisim;non verò coniunctim, ita vt, quando dicit implicitè rationem accidentis, negari possit de ipso substantia, quando verò dicit implicitè rationem substantiæ, negari possit ratio accidentis; quo stante non sequitur, quòd omnino præscindat à rationibus inferiorum,nam semper dicet vel vnum,vel alterum. Si tamen ratio facta attentè consideretur corruit omnino hæc responsio; diximus enim, quod ens vt sic dicit tantùm habere essentiam, & quod per aliam rationem est ens, & per aliam substantia, aut accidens; possumus ergo concipere illam rationem,per quam est ens;& tunc coniunctim de ipsa negari poterit ratio accidentis, & substantiæ, quia iam in suo esse formali, per quod habet, quòd sit ratio entis, neutra ipsarum inuoluitur; quod etiam patet ex eo, quod dicit conceptus entis, nam habere essentiam, vt sic, excludit omnino, & coniunctim quamcunq; rationem determinatam essendi. Hinc valet huiusmodi propositio. Ens vniuersalissimè sumptum,neq;est accidens,neq;substantia,sed ab vtroq.abstrahit;in qua cōiunctim negatur de ipso ratio accidentis,& substantiæ. Quod etiam confirmatur,quoniā de transcendēte, vt tale est, potest negari coniunctim omne id,q non est transcendens in tota sua vniuersalitate; valet enim si dicatur transcendens distinguitur ab omni non transcendente,cum igitur ratio entis sit transcendens, & tàm ratio substantiæ, quàm accidentis sit non transcendens, poterit vtraq;cōiunctim negari de ente.

Aduersa riorū responsio.

Impugnatur.

Rationes accidētis,& substantię cōiū ctim de ente negari possunt.

Secundò arguo contra eamdem responsionem. Conceptus entis obiectiuus non est diuersus, ita vt modo dicat vnam rationem,modo aliam,sed semper est vnus, atq;idem, si autem, quando negatur de ipso substantia, diceret implicitè rationem accidentis,& non rationem substātiæ, & econtra, quando de ipso negatur ratio accidentis, diceret implicitè ratio nē substantiæ,& non accidentis,nō esset vnus sed multiplex,quia certū est, quod conceptus dicens implicitè rationē substantiæ, & non accidentis, distiguitur ab eo,q dicit implicitè rationem accidētis,& non substantię. Hoc aūt est contra rationem entis, nam cum ex vi sui conceptus importet tantùm habere esse,nec dicat aliquem determinatam modum essendi, non potest sortiri hanc diuersitatē conceptus obiectiui,quę stare non pōt absq; determinatione modi essendi; Accedit etiam, q nenter illorum conceptuū esset conceptus entis vt sic, sed talis entis,nā quod ab alio conceptu distin-

Secūdo impugnatur.

Cōcept' entis obiectiuus vnus sē p atque idem.

distinguitur, oportet quòd sit conceptus talis entis, quia distinctio non est nisi in ter plura entia, atque adeò determinata, cum pluralitas oriatur ex determinatione. Denique ens illud, de quo negatur substantia, quantùm est ex vi illius, quod importat per suum conceptum obiectiuum, potest affirmari de substantia, cum importet tantùm habere essentiam, quod similiter conuenit substantię, imò necessariò reperitur in substātia cum sit trascendens, & proinde vagari debeat per omnia entia; quomodo ergo potest dicere implicitè rationem accidentis, tunc enim sequeretur, quòd ratio accidentis prædicaretur de substantia, quod nullo modo dici potest. Itaque oportet cōcludere, quòd sit contra rationem entis communissimè sumpti, quòd dicat implicitè aliquas rationes inferiorum, siue accidentis, siue substantię.

Tertiò.

IV. Quartò principaliter arguo. Conceptus substantię, & accidentis alterum horum debent habere, vel quòd sint conceptus omnino simplices, & nō resolubiles in plures, vel quòd sint aliqua saltem compositione compositi, ita vt possint in plures rationes resolui. Pimum non potest admitti, quia ratio substantiæ, & accidentis sunt ratio nes contractiuę, & determinatiuę; constituunt enim determinatum genus entis, habens determinatum modum essendi, atque inter se contradistinguūtur, & habent mutuam oppositionem, ex vi cuius sunt incompossibiles; tursus non habent illam maximam communitatem, quam habet ens, per quam in omnibus reperitur; vnde cum ens reperiatur in substantia, & accidente, necesse est vt tàm substantia, quàm accidens inuoluat pluralitatem conceptuum, nimirum entis communissimè sumpti, & rationes peculiares substantię, & accidentis; & quòd huiusmodi rationes accidentis, & substantiæ contrahant, atque determinent communissimam rationem entis; substantia enim, & accidens non solùm dicunt rationem talis entis, sed etiam entis vt sic, & ideo inuoluunt duplicem rationem, nempe entis vt sic, quod est determinabile, & talis entis, quod est determinatiuum entis vt sic. Sequitur ergo secundùm, quòd scilicet substantia, & accidens resolui pòssint in plures conceptus obiectiuos; atque

Quarta ratio.

Conceptus substantiæ, & accidentis aliquo modo resolubiles.

hinc fit quòd posit intellectus illud tātùm concipere, quod importat ratio entis, quę tàm in substantia, quàm in accidente reperitur, non concipiendo aliquid de eo, quod dicunt rationes determinatiuæ; cur enim non poterit concipere ens sub ratione determinabilis, atque transcendentis, nihil concipiendo de eo, quod non est transcendens, sed est determinatiuum entis? determinabile enim, & transcendens sunt rationes, quæ præbent intellectui sufficiens fundamentum, vt possit vnum concipere sine alio. Quod etiam ex eo confirmatur, quoniam ratio entis est ex se limitabilis per rationes inferiorum, limitatur enim per ipsas, vt sit tale, vel tale ens, & non aliud, neque enim ens, vt sic dicit tale ens; de ratione autem limitabilis est, quòd excludat à proprio conceptu omne limitatiuum; limitatiuum enim opponitur limitabili, & proinde non potest includi in conceptu ipsius, alioquin illi exiberet suum effectum formalem, quod est esse limitatum; quomodo antem si esset intrinsecè limitatum, esset limitabile, cum ergo ens sit ex vi sui conceptus limitabile, implicat quòd includatur in ipso aliqua ratione limitatiua.

Limitabile excludit limitatiuum.

V. Sed huic quoque argumento respondere possem. Quòd sicuti ens non potest omnino separari à ratione inferiorum, ita neque inferiora omnino separari possunt à ratione entis; vnde est quid limitabile non per differentias proprias superadditas, sed per quamdam maiorem expressionem illius, quod dicit implicitè; vnde limitatur, quia concipitur explicitè, quod dicit implicitè. Verùm neque hæc responsio magnifacienda est, alia enim est ratio de inferioribus, ac de ente communissimo, quòd enim inferiora non posint omnino præscindere ab ente prouenit ex eo, quòd ens est ratio, per quam omnia habent, quòd realia sint, inde inuoluitur intrinsecè in conceptu implicito cuiuscunque entis realis, & ideo nullum ipsorum potest omnino ab eo præscindere; at inferiora non innoluuntur in conceptu formali entis, quasi ratio obiectiua entis per inferiora constituatur: imo ens, quantùm est ex vi suæ rationis propriæ excludit inferiora à proprio conceptu qua cum sit quid vniuersalisimum, & nullum dicens determinatum modum

Responsio.

Impugnatur.

essendi

essendi, nedum explicitè potest dicere aliquid determinatiuum, sed neque implicitè, quia esset intrinsecè determinatum, quamuis tantùm implicitè includeret inferiora; vndè non potest dici, quòd limitetur per illam maiorem expressionem, qua explicitè concipiatur id, quod includebat ens implicitè, quia hæc non esset determinatio, & limitatio ex parte obiecti, sed iā supponeretur. Quin cū ista limitatio non fit à parte rei, quasi à parte rei reperiatur ens limitabile, sed tantùm fiat p̄ intellectū, quatenus intellectus distinguit diuersas rationes, atque rursus illas componit, sequitur, quòd si prius intellectus concipiebat ens absque eo, quod exprimerentur rationes limitatiuæ, & postea ita concipit, vt exprimantur, ista limitatio fiat per nouas rationes superadditas, siquidem in ordine ad intellectum, qui facit huiusmodi compositionem, & limitationem superadduntur; superadditio namque in ordine ad intellectum in eo tantùm consistit, quod aliquid concipiat, quod antea in eius conceptu non exprimebatur.

Ens excludit inferiora.

Quinta ratio.

VI. Quinta ratio formari potest ex duplici capite, nimirum ex virtute præcisiua intellectus, & ex conuenientia, quam habent inferiora in ratione entis; intellectus enim sumit motiuum distinguendi rationes superiores, & inferiores ex eo, quod cognoscit aliqua ita inter se differre, vt tamen habeant etiam aliquā conuenientiam; ex eo namque quod ita conueniunt, vt tamen differant, colligit rationem illam conuenientiæ esse quid vniuersalius, quam vnumquodque illorum; & proinde tanquam magis communem potest illam ab inferioribus præscindere præcisione adæquata, quoniam ratio magis communis, quia talis est excludit à se rationes minus communes, & ab ijs diuersificatur, potest enim intellectus concipere solam rationem conuenientiæ, quia conuenientia, & diuersitas præbent sufficiens motiuum separandi adæquatè vnam rationem ab alia. Cum igitur inferiora omnia in eo conueniant, quod habeant esse, poterit intellectus hanc solam rationem conuenientiæ concipere, nihil cogitando de diuersitate, & tunc ratio entis adæquatè præscindet ab inferioribus.

Intellectus potest separare conuenientiam à diuersitate.

Responsio.

VII. Dicet tamen aliquis. Quamuis inferiora conueniant inter se in eo, quod habeant esse, hanc tamen conuenientiam non esse perfectam, sed secundùm eamdem rationem, nimirum entis inferiora esse partim eadem, partim diuersa, & ideo quando concipitur conuenientia, semper concipi cum aliqua diuersitate. Et proinde non adæquatè præscindere. Hæc tamen responsio subsistere non potest; nam cum ratio illa conuenientiæ non est perfecta, quæro vnde habeat, quòd non sit perfecta certè respondebunt, quia ratio entis non adæquatè præscindit ab inferioribus. Si rursus quæras cur non præscindat adæquatè ab inferioribus, dicunt, quia non est perfecta conuenientia, & committunt vitiosum circulum. Modo nunc sic argumentor, inferiora habent diuersitatem inter se, atque etiam aliquam conuenientiam; concipiat ergo intellectus solam formalem rationem conuenientiæ, & nihil concipiat de diuersitate, certè illa conuenientia, quam tunc concipiet erit perfecta, quia nullam habebit admixtam diuersitatem, quod autem intellectus possit concipere puram rationem conuenientiæ nulla difficultas esse potest, quoniam diuersitas, & conuenientia præbent intellectui fundamentum distinguendi diuersos conceptus, cur ergo non poterit totam diuersitatem separare à conuenientia cum diuersitas ex genere suo sit separabilis à conuenientia? Confir. sumo rationem illam entis secundùm quam inferiora conueniunt, & si non est perfecta conuenientia certè non aliunde id habebit, nisi quia includit aliquam diuersitatem. Modo accedat intellectus, & rursus in illa ratione separet conuenientiam ab illa diuersitate, quæ facit, vt non sit perfecta conuenientia, tunc certè erit perfecta illa conuenientia, quia ab ea separata erit omnis ratio diuersitatis, & ideo ratio illa entis perfectè præscindet ab inferioribus. Quòd autem intellectus possit facere hanc separationem, non potest in dubium reuocare: nam habet idem fundamentum, atque motiuum, quod antea habuit, quando fecit primam separationem entis ab inferioribus, nempe rationem conuenientiæ, & diuersitatis, quæ ex genere suo sunt rationes separabiles per intellectum.

Intellectus potest concipere perfectā conuenientiā in ratione entis.

VIII. Præterea arguo contra eamdem responsionem, conuenientia nihil aliud

Alia impugnatio.

Quid cōuenientia, & disconuenientia.

aliud est, quam accessus quidam ad vnitatem; disconuenientia verò è contrà non est aliud, quàm recessus quidam ab vnitate; Si ergo inferiora secundùm rationem entis partim conueniunt, partim sunt diuersa, poterit intellectus ea præcisè concipere, prout partim conueniunt, non concipiendo, prout partim differunt, quia bene potest concipere accessum ad vnitatem non concipiendo recessum ab eadem, cum accessus, & recessus sint diuersę rationes formales, ex quibus optimè potest concipi vna, non concepta alia. Si autem pręcisè concipitur accessus ad vnitatem, concipitur pura ratio conuenientiæ, nulla concepta diuersitate, quæ solùm habetur per recessum ab vnitate, & consequenter conceptus ille omnino abstrahet à differentijs inferiorum, per quas solùm habetur recessus ab vnitate, & nullo modo accessus ad eamdem. Confir. accessus ad vnitatem, & recessus ab illa sunt rationes oppositæ, siquidem veluti motus oppositi tendunt ad oppositos terminos, ergo poterit intellectus concipere accessum ad vnitatem, nihil cogitando de recessu ab illa, cur enim oppositio non sufficiet, vt possit illud extremum concipi sine alio, quod opponitur, & quod non solùm nececessarium non est ad ipsius constitutionem, sed etiā illi contrariatur?

Confir. ratio principalis.

IX. Et potest ratio principalis facta confirmari. Dicunt enim, quòd ens non dicit quidem explicitè inferiora, sed solùm implicitè: explicitè vero dicit tantùm suam propriam rationem, nimirum habere esse, secundùm quam omnia inferiora conueniunt. Hic ergo conceptus obiectiuus entis secundùm id, quod dicit explicitè est adæquatè præcisus ab inferioribus; si enim consideretur id tantum, quod dicit explicitè, conceptus entis nullam inuoluit differentiam inferiorum, cum implicitè conceptus entis tantùm dicat per ipsos rationes inferiorum; cum ergo adæquata præcisio sit adęquata exclusio, omnino secundùm esse explicitum ab inferioribus præscindet, quia omnino excludit. Ex hoc autem sequitur, quòd conceptus entis obiectiuus omnino præscindat, & simpliciter ab inferioribus; nam in eo, quod talis conceptus dicit explicitè saluatur tota ratio entis; exprimitur enim per talem conceptum id, quod habet esse, in quo adæquatè habetur totum id, quod importat ens communissimè sumptum, & per eumdem conceptum exprimitur aliquid contradistinctum à nihilo; atq; cum expresè manifestetur intellectui ipsum ens, id non posset esse, nisi in eo, quod exprimitur, contineretur adęquata ratio entis, sine qua neque in esse obiectiuo posset subsistere, quemadmodum neq; vlla alia essentia subsistit sine proprio constitutiuo. Si ergo in esse illo explicito habetur tota ratio entis, & hoc esse explicitum adęquatè præscindit ab inferioribus, iam conceptus entis obiectiuus simpliciter præcisione perfecta præscindet, etenim nihil aliud requiritur, vt simpliciter pręscindat, quàm quod præscindat secundùm propriam rationem, ita vt in ipsa intellectus non reperiat diuersitatem, quod optimè saluatur, si in ratione explicita entis non reperiatur talis diuersitas. Quod etiam magis vrgeri potest: nam dato, quòd intellectus aliquid aliud conciperet præter id, quod explicitè repręsentatur, adhuc tamen posset intellectus alio conceptu concipere id tantùm, quod dicit prior conceptus explicitè, ipsum separando ab eo, quod dicit implicitè, nam ratio expliciti, & impliciti præbent intellectui sufficiens fundamentum, vt possit distinguere; & tunc cum illud explicitum, quod dicit prior conceptus entis saluet adæquatè rationem entis, & nihil adsit, quod detrahat perfectę pręcisioni, concludere oportet, quòd ens communissimè sumptum perfectè præscindat ab inferioribus.

Conceptus entis secūdū id, quod dicit explicitè importat adęquatè rationē entis, & pręscindit omnino ab inferioribus.

Inferiora non præscindere omnino ab ente.

SECTIO V.

Secunda conclusio. Inferiora pręscindūt tantùm inadæquatè ab ente.

I. Restat nunc, vt ex parte alterius quoque extremi, nimirum inferiorum, consideremus pręcisionem, an videlicet sit adæquata ex parte ipsorum, quemadmodum est ex parte entis, an verò inadæquata. Vt ergo hanc etiam partem præsentis difficultatis resoluamus, ponimus secundam conclusionem, ac statuimus, quòd inferiora non pręscindunt omnino, & adęquatè ab ente, sed tantum inadæquatè; vnde huiusmodi

pręcisio

præcisio est tantùm adæquata ex parte vnius extremi, non verò ex parte vtriusque. Quòd vt plenius intelligatur, oportet scire, quòd inferiora entis duo dicunt, & quòd sint entia, per quod important rationem communissimam entis; & quòd sint talia entia, per quod important talem rationem determinatiuam entis communissimè sumpti ad certum, & peculiarem modum essendi. Vnde quamuis ratio talis entis, qua ens vt sic determinatur, sit intrinsecè ens, non tamen explicitè, dicit rationem entis, vt sic, sed implicitè, vtpote quia est quid reale, & idcircò præscindit quidem ab ente secundùm esse explicitum, non autem secundùm esse implicitum, & ob hanc causam non est adæquata præcisio, quia est tantùm secundùm esse implicitum. Hinc fit, quòd non valet dicere, ens adæquatè præscindit ab inferioribus; ergo etiam inferiora adæquatè præscindunt ab ente; aut è contra: Inferiora non præscindunt adæquatè ab ente, ergo neque ens ab inferioribus; est enim dispar ratio, & hæc diuersitas prouenit ex natura entis, quod est transcendens, atque fundamentum omnis realitatis, non autem rationes inferiores; & ideo, cum inferiora non sint transcendentia, non debent imbibi intrinsecè in conceptu entis; neque ens ijs indiget, vt sit quid reale, cum sit ipsa ratio formalis realitatis; Econtra, cum ens sit transcendens, debet saltem implicitè imbibi in conceptu inferiorum, & inferiora eo indigent, vt habeant suam realitatem, neque enim possunt esse realia sine ratione formali realitatis. Et propterea potest ens præscindere adæquatè ab inferioribus, & non inferiora ab ente; neque hoc est aliquid inconueniens, sed quid necessarium quotiescunque contingit præcisionem fieri inter rationem transcendentem, & non transcendentem.

Occurritur taciteæ obiectioni.

II. Neque rursus hic possumus argumentari, quemadmodum supra argumentabamur, posse videlicet hos concipere id, quod dicunt inferiora explicitè, non concepto eo, quod dicũt implicitè; seu posse nos concipere diuersitatem, quam habent inter se, non concepta conuenientia, aut alijs medijs terminis similibus, quibus supra vsi sumus ad conuincendam adæquatam præcisionem entis ab inferioribus. Non inquam tali pacto argumentari possumus ob eamdem rationem, nam hic modus argumentandi valet respectu entis; quia ratio adæquata entis saluatur in eo præcisè, quòd conceptus entis dicit explicitè absque eo, quòd ad ipsius constitutionem requiratur aliquid aliud, quod implicitè importetur, nam per id solùm, quod dicit explicitè, vt toties diximus, habetur aliquid contradistinctum à nihilo, seu id, quod habet essentiam, in quo tota ratio entis vt sic saluatur, absque eo, quod concurrat aliquid aliud implicitè contentum. Imo cum inferiora ex natura sua determinent ens, nullo pacto contineri possunt neque explicitè, neque implicitè, in conceptu proprio entis, eum obstent illi communitati, quam debet habere. Non sic autem contingit in inferioribus; cum enim ex vi sui proprij conceptus sint quid reale, quamuis vt est conceptus talis entis saluetur per rationem talis entis, quam dicit implicitè, quia tamen, adhuc vt est conceptus talis entis, est realis, ideo debet etiam includere rationem formalem realitatis, nempe rationem entis. Verùm quia explicitè facta illa præcisione, quæ fieri potest, tantùm dicit illam rationem determinatiuam entis, & implicitè, quod sit quid reale, propterea explicitè dicit solam propriam rationem, implicitè verò rationem entis. Vnde conceptus inferiorum etiam reduplicatiue, vt inferiora sunt, duo dicit essentialiter, alterum explicitè, & alterum implicitè, nempe rationem entis, quæ concurrit ad ipsius constitutionem, vt implicitè inclusa in ratione talis entis. Et hæc est rõ, cur ille modus argumentandi non tenet ex parte inferiorum, quia si volumus concipere id, quod tantùm explicitè dicunt inferiora, non habemus adæquatum constitutiuum inferiorum, vt inferiora sunt, quia deest id, quod tribuit realitatem; imo implicat, quòd tali pacto concipiamus, eum nihil possit concipere intellectus noster, quod nam sit reale, aut saltem ad modum realis se habeat: & eodem modo dicendum est, proportione seruata, de cæteris rationibus, quas tanquam efficaces attulimus pro adæquata præcisione entis.

Cur inferiora nõ possunt cõcipi absque ente.

III. Et ex his, quæ modo dicta sunt, confirmata manet secunda nostra conclusio; & optima ratio ex eo colligitur,

Ens seipsō exhibendo tribuit realitatem.

quod ens est quid transcendens, & id, quod formaliter se exhibendo tribuit esse reale; vndè cum nulla ratio inferiorum possit adæquatè præscindere ab esse reali, sed ad summum secundùm esse emplicitum, quatenus exprimit tantùm rationem talis entis, qua ens, vt sic determinatur, quæ tamen intrinsecè est ens, nō verò illud dicit, & exprimit per modum rationis communissimæ, & indeterminatæ respectu vniuscunque modi essendi; hinc fit, quod solùm explicitè, non autem implicitè, præscindere possit ab ente. Et posset hæc ratio vrgeri. Cum præscindimus ens ab inferioribus, vel remanet in conceptu proprio inferiorum ratio entis, ita vt rationes illæ, quæ dicuntur limitatiuæ entis, includant rationem entis, quando concipiuntur præcisè, vel non remanet. Si primum contingit, ergo non est facta adæquata præcisio ex parte inferiorum, quia licet intellectus conceperit ens, nihil cō cipiendo de inferioribus; non tamen potest cōcipere inferiora ita separata ab ente, vt nō inuoluāt saltem implicitè rationē entis, & ideò nō adæquatè pręscindūt ab ente, sed solū secundū esse explicitū. Si autē dicatur sm; tūc sequeretur, quòd rationes inferiorum non essent aliquid, & quid reale, quia non haberent rationem formalem constitutiuam realitatis, vndè cū à nihilo cōtradistinguātur, oportet ijs cōcedere rationē formalē cōtradistinctiuā, quæ nulla alia est quā rō entis.

Responsio.

IV. Respondere tamē posset aliquis, quòd quando præscinditur ens ab inferioribus, nō remanet ratio entis in ipsis, sed tantùm remanent rationes limitatiuę entis, quibus determinatur ad tale, vel tale ens.

Reijcitur.

Sed licet verum sit, quòd secundùm esse explicitū remanēt tantùm rationes limitatiuæ entis, tamen implitè debet remanere etiā ratio entis, quapropter adhuc vrget argumentum, vel enim in istis rationibus limitatiuis remanet ratio entis, vel non remanet. Si primum dicatur, ergo non est facta adæquata præcisio, sed solùm secundùm esse explicitū, Si secundum, ergo erunt nihil cum non habeāt rationē formalē, per quā à nihilo cōtradistinguātur; hinc autē fit, ꝙ inter ens, & nihil nullum datur medium, sed omne, vel est ens, vel nihil, vndè hę quoque rationes limitatiuę, vel erūt ens, vel nihil. Secundò hæ rationes limitatiuæ prout limitatiuę sunt, exhibent effectum formalem positiuum, & realem: constituunt enim tale ens, oportet ergo, quòd sint aliquid reale positiuum, ꝙ fieri non potest, nisi per rationem formalem realitatis, quæ est ratio entis, à qua nullo modo poterūt inferiora omnino præscindere, cū nulla res præscindere possit à proprio cōstitutiuo alioquin per talē præcisionē ipsa destrueretur, sic homo nō pōt abstrahere à rationalitate, quia per ipsā formaliter constituitur in esse hominis.

Praecisio entis adhuc inferioribus in ipsum includuntur.

Cōfir. quoniā ex duobus cōtradictorijs oportet sēper alterū ipsorū inesse, & ablato positiuo substituitur, negatiuū; si ergo rationes inferiorū præscindere possēt adæquatè à ratione entis, itavt ratio entis omnino ab ijs tolleretur, cū hęc sit positiuū cōtradictoriū nihili, ipsa ablata poneret alterū cōtradictoriū nēpè nihil.

Conceptus adæquate præscindentes differūt differentia adæquata.

V. Et pōt ratio principalis cōfirmari. Cōceptus obiectiui, q adæquatè inter se præscindūt, differūt etiā inter se differentia aliqua adæquata. Si ergo ratio entis, & rationes inferiorū ex altera parte inter se adæquatè præscindūt, oportet, vt differant differentia aliqua adæquata, & quēadmodū, quia ratio entis adæquatè præscindit ab inferioribus, nihil de inferioribus, prout sunt rationes limitatiuæ entis, reperitur in cōstitutiuo ipsius, neque explicitè, neq; implicitè; ita inferiora quoq; si adæquatè ab ente pręscinderēt, nihil deberēt inuoluere de ipso, neq; explicitè, neq; implicitè in proprio formali cōstitutiuo; sic videmus, ꝙ quia animalitas, & rationalitas adæquatè inter se pscindūt ex parte vtriusq; extremi, neq; rationalitas inuoluit in suo cōstitutiuo aliquid de animalitate, neq. animalitas aliquid de rationalitate. Impossibile autē est, ꝙ rationes inferiorū nō inuoluāt ens saltē implicitè, vt retineāt realitatē, alioquin essent nihil, ex quo fit, quòd nō possint differre ab ente vt sic differentia adęquata, & excludere totaliter rationem entis à se ipsis. Et adhud insto. Natura adęquatę præcisionis ita fert, vt ita se habeāt conceptus obiectiui præscindentes, vt vnus non sit alter, imo illi tribuat repugnantiā, qua vni repugnet secundū propriū esse præcisum communicare cum altero; quod tamen non posset seruari in inferioribus respectu entis, quia si pręscindimus ens ab ipsis, nedum limitantur, & habent repugnātiā, vt sint

Præcisio limitat conceptus vt non communicent inter se.

ens, sed ex intrinseca sua natura petunt, adhuc esse ens, vndè nequit respectu eorum seruari essentialis conditio adęquatæ præcisionis.

Reiicit. respons. XI Neq. quis rectè responderet, quod præciso ente, vt sic ab inferioribus remanet tale ens in rationibus inferiorib. nā prçterquā, quòd hęc responsio coincidit cū superiori, quā modo impugnauimus, adhuc vrgeri potest. Quoniā rationes inferiorū, ideo sunt talia entia, quia participant rationē entis, vt sic, & superaddunt aliquid aliud, nimirū rationem determinatiuam; vndè tale ens duo dicit, nempè ens, vt sic, & rationē determinatiuā: atq. ratio determinatiua ita dependet à ratione entis, vt sic, vt sine ipsa nequat subsistere, neq. etiā in esse obiectiuo, neq. enim ab ea dependet, tanquam ab aliquo extrinseco, sed tanquā ab essentiali constitutiuo, non quidē quo constituatur in esse limitato, sed in esse reali, quia vt diximus rationes limitatiuæ eò ipso, quòd limitatiuæ sunt, etiam reales sunt, & consequenter debent intrinsecè imbibere rationē realitatis, seù entis, quàm nullo pacto possunt excludere, sicut, neq. possunt excludere propriā realitatem, per quam habent, quòd à nihilo cōtradistinguātur. Vndè adhuc sic argumētor: vel tale ens, quod relinquitur conuenit in aliquo cū cæteris talibus entibus, quæ similiter relinquuntur; nimirum vel tale ens substātiæ cōuenit cum tali ente accidentis, vel in nullo conuenit. Hoc secundum non potest dici, quia imprimis in hoc conueniunt, quòd sint quid reale, & contradistinguantur à nihilo; rursus quòd constituant tale ens determinatum, & aliæ huiusmodi conuenientię intercedunt, vndè necessariò concluditur, quòd in aliquo conueniant; ex quo sequitur, vt adhuc participent rationē entis, in qua conuenientia fundetur, nulla enim conuenientia realis dari potest, quæ non sit fundata in ente reali, cum hoc sit fundamentū, & prima radix cuiuscunq. realitatis.

II. ratio. VII. Secundò prob. eadē conclusio ea dē ratione, qua vsi sumus ad cōfirmandā præcedentem conclusionē, nimirum cū duo cōceptus inuicē adæquatè præscindunt ex eo, quod sese mutuo excludunt, possunt inuicē negari, ex quo à posteriori cognoscitur, quā cōceptus adęquatè pręscindāt, & quā nō pręscindāt, quia si omnino vnus negatur de altero, atq. ecōtra signū omnino est, quod vnus est adęquatè extra alium, & econtra. Modo licet, vt supra dicebamus, verùm sit dicere conceptus substantiæ nō est conceptus entis, non tamen possumus dicere conceptus substātiæ non est ens, & ratio huius discriminis est, quia in priori propositione sensus est, quod ratio substantię explicitè non sit ratio entis, ibi, n. sumitur conceptus substantiæ obiectiuus, cum ordine ad conceptum formalem, & comparatur secundùm id, quod dicit explicitè ad cōceptum entis obiectiuum, & propterea verùm est dicere, quod conceptus substātię non sit conceptus entis, quia ratio substantiæ præcisè sumpta nō dicit rationē entis, sed eius determinatiuū. In posteriori autē propositione, nēpè cū dicitur, quod conceptus obiectiuus substantiæ non sit ens, nedū excluditur ab ipso ratio entis sū esse explicitum, sed omnino etiam secundū esse implicitū, & ideo falsa est propositio, quia quāuis explicitè non dicat rationē entis, dicit tamē implicitè. Secus autē contingit in ente: quia. n. ens, vt sic nedū explicitè, sed etiam implicitè excludit rationē substantiæ, ideò nedū possumus cū veritate dicere, conceptus entis non est conceptus substātiæ, sed etiā cōceptus entis obiectiuus non est substantia. Et idcirco ens adæquatè præscindit à substantia, & cæteris inferioribus, non autem substantia, & cætera inferiora ab ente. Quòd etiam sequitur ex trascendentia entis, ex qua videlicet habet, quod in omnibus rationibus, atque formalitatibus reperiatur, non quomodocunq; sed intrinsecè imbibitū; quod si rationes inferiorum adæquatè pręscinderent ab ente, ens non transcenderet per ipsas vt quid intrinsecè imbibitum, quomodo. n. intrinsecè imbiberetur in ipsis, si per intellectū esset separabile ab ipsis, ita vt subsisterēt in esse obiectiuo, nec per talem separationem destruerentur? Ens nō pōt negari de cōceptu inferior.

VIII. Sed esto inferiora omnino prascindi possint à ratione entis, adæquata præcisione. Quero an facta pręcisione quō se habeāt inferiora, vt rō substātię, & rō accidētis; & in primis quō distinguātur ab ente, an distinctione positiua, an verò cōtradictoria; rursus, an hę rōes habeāt suā partialē possibilitatē, qua possint in actu simul cū aliis rationibus, quæ requiruntur ad constituendam integrā entitatem; non potest dici, quòd

distin-

distinguatur distinctione negatiua, seu contradictoria, quia deberent esse non ens, & nihil; nec essent rationes limitatiuæ, & determinatiuæ ipsius entis, quia vnum contradictorium non potest esse contractiuum alterius; & quia, quando ens coarctatur per inferiora, acquirit determinatum modum essendi positiuum, quem inferiora præstare non possent, nisi distinguerentur ab ente distinctione positiua, seu tanquam aliquid positiuum. Si ergo distinguuntur ab ente distinctione positiua, iam participāt intrinsecè rationē entis, & consequenter non præscindunt adæquatè ab ipso. Similiter etiam cum rationes inferiorum modo proportionato ponantur in actu, oportet, quòd habeant suam possibilitatem, veluti partialem, ita vt non possint ita præcisè considerari, quin talem possibilitatem inuoluant; nulla autem ratio possibilitatis haberi potest, quæ non sit fundata in ente; quapropter, si inferiora nequeunt reperiri sine hac possibilitate, nec etiam excogitari poterunt sine ratione entis. Itaq. ens licet, quantùm de se est, adæquatè præscindat ab inferioribus, non tamen inferiora adæquatè præscindunt ab ipso, sed tantùm secundùm esse explicitum, vt iam ex dictis constat.

Soluuntur rationes primæ sententiæ.

SECTIO VI.

Ad primū primæ sententiæ.

I. Explicita nostra sententia, restat nūc vt difficultatibus in oppositū satisfaciamus. Ad primam igitur rationē, quam pro prima sententia ex auctoritate Arist. attulimus, breuiter respondemus, q mens Arist. ibi est declarare tantùm, quomodo res per id, quòd habent esse, habeant etiam vnitatem, & non per aliquid superadditum, & idcircò ait *Statim enim vnumquodq; est ens quiddam, & vnum quiddā*. Hoc est eo ipso, q res aliqua est ēns tale, est etiam vnum tale, quia nimirū vnitas ipsius non est aliquid superadditum entitati, q satis colligitur ex ipso tex. Arist. ait. n. *Propterea nō aliqua alia causa vlli illorū, vt vnum sint; nec vt ens quiddā sint, statim .n. vnūquodq. est ens quiddā, & vnum quiddā*. Quasi diceret ea causa, quæ dat esse, dat etiā vnitatem; vnde infra etiam subdit, quòd ea causa, quæ facit in actu, quod erat in potentia,

Illustrat Arist. (?)

Aphrod.

facit etiam vnum. Atq. hunc locum egregie explicat Aphrodis. in hunc sensum. Ex quo constat, falsum esse illum sensum, quem auctores oppositæ sententiæ illi tribuūt, dicentes, quòd vnūquodq est immediatè tale ens, nō aūt prius ens vt sic

Ad secūdum.

II. Secunda autē ratio aliquid fingit necessariū ad præcisionem, quod ad ipsā nihil confert, sed solùm facit, quòd sit adæquata ex parte vtriusq. extremi. Verū enim est, quòd ad pręcisionem requiritur natura aliqua, quæ sit inclusa in inferioribus & hęc est ratio entis, quæ in omnibus inferioribus reperitur. Rursus etiam ad pręcisionē necessarium est, quòd inferiora superaddant rationi cōmuni rationes aliquas, seu differentias, imò debent etiam adæquatè esse extra ipsam, ad hoc, vt præcisio sit perfecta; & hoc etiam contingit in præcisione entis, nam inferiora addunt rationes limitatiuas, quę, vt ostēdimus, sunt omnino extra rationem entis; verùm, quòd ratio communis sit extra rationes superadditas, si ita intelligatur, vt ipsa sine iis concipi possit, certè id necessarium est, &, vt diximus, id verificatur etiam in ratione entis; at si ita intelligatur, vt rationes superadditæ concipi possint sine ratione communi, non video, quo id sit aliud, quàm separatio quædam vnius rationis ab alia, si autē ratio communis perfectè separatur à suis inferioribus, ita vt prorsus ipsa excludat, quid amplius requiritur ad perfectam præcisionem? solùm facit, quòd inferiora non adæquatè præscindāt à ratione communi, quandocunq. non possint omnino sine ea concipi. Quòd autem præcisio sit adæquata ex parte vnius extremi, & non ex parte alterius, prouenit ex eo, quòd alterum ipsorum est transcendens.

Instātia

III. Et cum vrgetur, quod tunc idē pręscinderet à seipso, quia pręscinderet ab inferioribus, quę intrinsecā sunt entia, neganda est sequela, quia ratio illa entis, sine qua saltem implicitè cōtenta, inferiora concipi possunt, est ea ipsa, quā intellectus pręscindit. Atq. in hac præcisione res ita procedit; Intellectus cōcipit nudam rationem entis, nihil cogitādo de inferiorib. & hoc sufficit, vt ens ab ipsis perfectè pręscindat; quòd si quęras, an inferiora inuoluāt ens; respondetur, quòd ista pręcisio est tantùm in ordine ad intellectū pręscindentem, non autē à parte rei, & ideo hęc interrogatio debet fieri

Solutio.

de inferioribus in ordine ad intellectum eumdem, qui ens præscindit; tunc autem respondetur, quòd in ordine ad talem intellectum inferiora neq. inuoluūt neq, non inuoluunt rationem entis, quia ipsa non sunt obiectiuè in tali intellectu, cogitat enim ille intellectus tantùm de ente, vt sic, non verò de inferioribus, & ideo neq. cogitare debet, an habeant ens inclu'um, an verò non habeant. Quòd si rursus vrgeas. Postquam intellectus concepit ens solùm præcisum ab inferioribus, concipiat etiam inferiora, quæ in prima conceptione reliquit, vel tunc inuoluent ens, vel non certè inuoluunt, vt nos probauimus, ergo tunc ens præscindet à seipso? Resp. tamen, quòd in hoc casu, potest quidem intellectus noster ex vna parte concipere nudam rationem entis, & ex altera concipere inferiora, sed vt fiat huiusmodi conceptio, oportet quòd intellectus posteriori conceptioni accommodet rationem entis præcisam implicitè concipiendam in inferioribus propter rationes, quas supra adduximus non tamen ex hoc sequitur, quod idem præscindat à seipso, quia præscindere nihil aliud est, quàm excludere id, à quo fit præcisio: in neutra autem ex his conceptionibus ens excludit seipsum, sed in prima excludit inferiora secundùm proprias rationes limitatiuas; in posteriori verò conceptione rursus concipitur ens implicitè, non tanquam aliquid, quod excludatur ex vi prioris conceptus, sed tanquam id, quod in priori conceptu continebatur, vndè hoc nō est idem præscindere à seipso, sed idem bis concipi, & solùm ex hoc sequitur, vt sect. præcedenti diximus, quòd inferiora non præscindant adæquatè ab ente, non autem quòd ens nō præscindat adæquatè ab ipsis, cum id proueniat ex parte inferiorū, non verò ex parte entis. Et adhuc in hac duplici conceptione stat adæquata præcisio entis, quantum est ex parte sui, quia adhuc in prima obijcitur intellectui, vt omnino excludens inferiora, non quatenus dicunt realitatem, sed quatenus dicunt proprias rationes limitatiuas, quæ solæ explicitè in altera conceptione importantur; vndè ex vna parte assignatur ens sine inferioribus; ex altera verò secundùm esse explicitum sola inferiora sine ente, quia alter conceptus non exprimit rationem entis, quamuis implicitè dicat, & ideo seruatur præcisio perfecta entis tanquam illius, quod in esse obiectiuo excludit omnem rationem limitatiuam. Sed addo, quòd ad saluandam adæquatam præcisionem entis, non est necessarium, quòd ex vna parte concipiatur ens, & ex altera inferiora; sed sufficit si possit concipi nuda ratio entis excludens omnino inferiora, quamuis de inferioribus nihil intellectus cogitet.

IV. Hinc etiam patet ad primam confir dicimus enim, quòd ens præscindit ab inferioribus, quæ sunt entia, non tamen ab ijs præscindit, quatenus entia sūt, sed quatenus sūt rōnes determinatiuæ entis vt sic, & ideo non sequitur, quòd præscindat à seipso; tunc enim solùm præscinderet à seipso, si præscinderet ab inferioribus etiā prout entia sunt; verùm prout entia sunt exhibent intellectui rationē entis, quā pōt præscindere relinquendo rationes inferiores, seù nihil cogitādo de ipsis quæ si postea debent cōcipi, oportet, vt simul cōcipiantur saltē implicitè cū sua ratione entis præcisa, vt iā explicatū est. *Ad primā cōfir.*

Hinc ad illud exemplum dico, quòd si omnis ratio, quę est in homines esset animal, homo tamē, aliquid amplius diceret, secundum quod posset explicitè concipi, non concipiendo explicitè rationem animalis, sed solùm implicitè, quemadmodum cōtingit in casu nostro, tūc adhuc ratio animalis posset præscindi ab homine, & solùm sequeretur, quòd cœteræ rationes nō possent adæquatè præscindere ab animali, vt etiam contingit in inferioribus respectu entis. Ad secūdam confirmationem negandum est, quod assumit, scilicet quòd rationes entium inferiorum inuoluantur in conceptu entis, quia iam ostēdimus, quòd potest concipi sola ratio entis communissimi, nihil cogitando de inferioribus, nō .n. ex eo, quòd sunt entia sequitur, quòd debeant includi in conceptu entis secundū proprias rationes, quibus determinant tale ens, sed solùm, quòd debeant in ipso includi, prout entia sunt, quod nihil aliud dicit, quam quòd intellectus concipiat omnia inferiora entis, secundùm rationem entis communissimam, non concipiendo rationes limitatiuas proprias ipsorum, quod nihil aliud est, quàm præscindere ab inferioribus. *Ad secū dā cōfir.*

V. Tertia autē rō procedit de adæquata præcisione ex parte vtriusq; extremi. *Ad tertiam.*

tunc enim solùm, quando tam vnum, quàm alterum extremum adæquatè prę scindit, possunt assignari duo conceptus obiectiui ita contradistincti, vt neuter includat alterum; verùm quia hæc præcisio entis est tantùm adæquata ex parte vnius extremi, nimirum entis, non verò ex parte alterius, ideo potest assignari tantùm ens, quod adęquatè contradistinguatur ab inferioribus, & inferiora, quæ secundùm esse explicitum contradistinguantur abente, non verò secundùm esse implicitum. Et quamuis inferiora includant implicitè rationem entis, non sequitur processus in infinitum in præcisione, quantùm est ex parte obiecti, quia ratio illa entis, quæ implicitè imbibitur in inferioribus, est illa ipsa, quæ primò præcisa fuit: vnde si intellectus de nouo præscindat eamdem rationem, quâ prius, pręscindet, & hoc modo quęcunque pręcisio fiat, semper erit eadem ratio obiectiua, quæ præscindetur, non autem multiplicabitur, & ideò non dabitur processus in infinitum ex parte obiecti, qui stare non potest, vbi non est multiplicatio. Solùm multiplicabuntur pręcisiones formales, quæ sunt actus intellectus pręscindentis, quæ eodem modo semper, & semper multiplicari possunt in præcisione entis, ac in pręcisione cuiuscunque rationis vniuocę, de qua non dubitatur, an adæquatè præscindat, & ideo hoc non facit contra nostram sententiam.

Ratio entis, quæ pręscinditur est illa, quę adhuc imbibitur in inferioribus, & quomodo.

Ad quartum.

VI. In quarta ratione tangitur difficultas de contractione entis, quomodo scilicet ad inferiora contrahatur; quod inuoluit difficultatem non paruam, de qua specialiter agemus suo loco. Interim dicimus, quòd ad saluandam perfectam pręcisionem entis, quantùm est ex parte sui, sufficit, quòd ratio entis ita excludat inferiora, vt dum superadduntur, aliquid nouum importent, quod non fuerat prius in ente, per quod ens limitetur, & coarctetur; nec obstat, quòd hæ rationes sint etiam entia, quia ad distinguenda, & limitanda entia sufficit, quòd rationes inferiorum dicant aliquid amplius, quàm dicat ens, & aliquid magis determinatum; quia tunc ens differt per differentias, quę licet ipsum includant, & sint ens, non tamen faciunt differre per talem rationem, sed prout sunt limitatiuę entis. Hinc etiam hęc contractio fit ex duplici ratione, altera, quæ perfectè præscindit, atque altera, quæ licet non omnino præscindat, præscindit tamen secundùm illam rationem, qua coarctat, nimirum secundùm esse explicitum, & hoc sufficit, vt ratio entis tanquam communis pręcisa, sit suo modo coarctabilis, hoc est tanquam ratio transcendens. Quomodo autem rationes inferiorum contrahere possint ens, cum ipsum includant, explicabimus infra; pro nunc sufficit, vt diximus, quòd inferiora præter rationem entis, importent etiam rationes limitatiuas.

Quid sufficiat ad coarctandum ens.

Obiectio.

VII. Posset adhuc obijci contra nostram sententiam, quòd ens est analogum; de ratione autem analogorum est, quòd non habeant perfectam vnitatem, quia in hoc differunt ab vniuocis, quòd dicunt rationem communem perfectè vnam, non autem analoga, quæ in eadem ratione partim conueniunt, partim differunt; definiuntur enim esse illa, quæ habent idem nomen commune, & ratio importata per illud nomen partim est eadem, partim diuersa, nec aliud videtur requiri ad vniuocationem, quàm quòd inferiora sint perfectè extra rationem communem, & relinquant illam omninò vnam, & præcisam. Pręterea inferiora differunt in ratione entis, quomodo ergo poterit pręscindi vnus conceptus entis, qui sit omnino vnus, & præcisus ab inferioribus? *Suarez* citata disp, 2. Metaph. sect. 2. num. 34. respondet, quòd quamuis conceptus entis sit omnino vnus, & pręcisus, deficit tamē ab vniuocatione in hoc, quod inæqualiter participatur ab inferioribus, nam vniuoca per ipsum, nedum debent dicere conceptum omnino vnum, & præcisum; sed etiam qui æqualiter descendat ad inferiora. Verùm non satis percipio, quomodo, si conceptus communis sit perfectè vnus possit ab inferioribus cum diuersitate participari; sed de hoc agemus suo loco, quando tractabimus de vniuocatione. Nunc autem quantùm spectat ad præsentem difficultatem dicimus, quòd in præsenti disputatione probauimus, ens habere conceptum obiectiuum omnino præcisum ab inferioribus, atque rationes pro hoc allatæ meo iudicio euidenter conuincunt; an autem ex hoc sequatur, ens esse vniuocum videbimus infra, quando de hoc disputa-

Responsio Suarez.

Vera responsio.

tionem instituemus. Iterum aduertimus, non debere assumi analogiam entis ad probandum eius conceptum non esse perfectè præcisum ab inferioribus, quia assumeretur aliquid æquè incertum; nam disputant philosophi, an ens analogum sit, & complures censent esse vniuocum, vnde quando arguitur, ens non dicere vnum conceptum præcisum, quia est analogum, posset negari, ens analogum esse. Sed si admittitur, ens esse analogum, tunc concedi debet etiam tale genus analogiæ, in quo ratio analoga ab analogatis participatur intrinsecè, quia tam accidens, quàm substantia sunt intrinsecè ens; atque in tali casu, cum analoga secundùm eamdem rationem, & conueniant, & differant; poterit intellectus concipere illam rationem, prout est ratio conuenientię, non concipiendo, prout est ratio diuersitatis; cau sare enim diuersitatem, & conuenientiam, sunt rationes separabiles propter diuersitatem, quam habent; tunc autem illud, quod intellectus cōcipiet, erit omnino vnum, quia importabit puram rationem conuenientiæ. Cum autem instatur, quòd inferiora differunt in ratione entis, respondetur, quòd non differunt in ratione entis, hoc est in eo, quòd habeant esse, in quo omnino conueniunt, sed solùm differunt in ratione talis entis, quia omnis differentia, quæ est inter inferiora, est penes rationes limitatiuas, & constitutiuas talis, & talis entis, & propterea hæc, diuersitas cum sit ratione differentiarum, non obstat, quominus abstrahi possit conceptus omnino vnus.

An conceptus obiectiuus entis sit ante intellectum distinctus ab inferiorbus

Disp. XXXVI.

Sententia Scotistarum.

SECTIO I.

I. Circa vnitatem, & pręcisionem conceptus obiectiui entis occurrit alia difficultas, quę non est parui momenti, cum inter grauissimos auctores agitetur; nimirum, an cum conceptus obiectiuus entis omnino præscindat ab inferioribus, vt præcedenti disputatione ostensum est, huiusmodi pręcisio præcedat opus intellectus, ita vt ne dum adsit fundamentum in re distinguendi ens ab inferioribus, sed etiam adsit distinctio, quę sit maior distinctione rationis, in hoc scilicet sensu, quia distinctio rationis non est in rebus ipsis, sed solùm intellectus eam fingit; ista verò sit in rebus independenter ab intellectu, sit tamen minor distinctione reali, vtpote quia non dicat diuersitatem entitatum, sed tantùm formalitatum, quæ proinde vocari solet non realis, sed ex natura rei; An verò solùm ab inferioribus præscindat per intellectum, & idcircò interueniat solùm distinctio rationis.

II. Prima ergo sententia admittit distinctionē ex natura rei, quæ præscindat ante opus intellectus inter ens, & eius inferiora; vnde non solùm vult, quòd intellectus cōcipere possit ens, exclusis à tali conceptu omnino inferioribus, sed etiam, quòd non opus sit, ipsum aliquam distinctionem fabricare. Tribuitur hæc sententia Scoto in 1. dist. 3. quæst. 1. & 3. & 8. & in 2. dist. 3. quęst. 1. Atque eam sequuntur communiter Scotistę, iuxta doctrinam suam, quam tradunt de distinctione graduum essentiæ, quos omnes indifferenter existimant distingui ex natura rei, & consequenter idem censent etiam de ente respectu suorum inferiorum, tanquam de primo gradu cuiuscunque essentiæ. Pluribus autem solet hæc sententia confirmari, sed omnia in eo fundantur, quòd ens est ex natura sua quid commune, & magis vniuersale, quàm quodlibet inferiorum, ideo videtur sequi, quòd ex natura sua sit diuersum ab ipso, & consequenter ex natura sua distinctum; quòd si ex natura sua distinguitur, iam non est opus intellectu, qui fingat distinctionem rationis.

Prima opinio admittens distinctionem ante opus intellectus.

Scot.

III. Ex hoc autem fundamento eliciunt

Ratio- nes pro hac sen tentia.

ciunt plures confirmationes; vnde primò argumentari solent ex diuersitate, quæ est inter rationem entis, & rationem substantiæ, nam quicquid est de essentia entis, est etiam de essentia accidentis, atque etiam substantiæ; non tamen quod est de essentia substantiæ, est de essentia accidentis, atque hoc est verum à parte rei, nam præcisa quacunq; operatione intellectus ratio entis cum omni suo essentiali reperitur, tùm in accidente, tùm etiam in substantia; & tamen à parte rei nihil de substantia reperitur in accidente; cum ergo ratio entis, quę est in substantia sit etiam in accidente, & non ratio substantię, signum est, quòd sunt rationes à parte rei distinctæ. Atque hæc ratio valet contra eos, qui ponunt vnum conceptū entis obiectiuum; nam qui talem conceptum negant, consequenter etiam negarent, quòd ratio entis, quæ est in substantia, sit etiam in accidente. Hinc secundò arguent ex separatione, communiter enim docent, quòd ea, quæ separari possunt etiam distinguuntur, ens autem separari potest à substantia à parte rei, cum à parte rei reperiatur etiam in accidente, ergo debet ab ipsa à parte rei distingui; Verùm hęc separatio non debet intelligi de separatione reali, quæ fiat secundùm esse entitatiuum, sed solùm de separatione secundùm esse formale, quæ in eo tantum saluatur, quòd vna formalitas non communicat cum alia; sicuti enim distinctio realis entitatiua in eo saluatur, quòd vna entitas non communicet cum alia in esse entitatiuo, ita etiam distinctio formalis in eo saluatur, quòd vna formalitas non communicet cum alia in esse formali, vt necessariò dicendum est proportione seruata ad distinctionem entitatiuam; si ergo à parte rei, nemine cogitante, vna formalitas nō communicat cum alia, iam à parte rei formaliter ex natura rei distinguetur ab illa; atque hoc de ente sufficienter colligitur ex eo, quòd ratio ipsius nedum est in substantia, sed etiam in accidente, quod indicat eius formalitatem à parte rei non communicare cum formalitate substantiæ, alioquin, si communicaret, non posset reperiri in accidente, nisi in eodem reperiretur ratio substantiæ; & hinc colligitur, has rationes à parte rei adinuicē separari secundū esse formale.

Secūdò.

Quę separatio necessaria sit ad distinctionem formalem à parte rei

IV. Tertiò argumentantur, quia substantia non constituitur in esse substantię per eam rationem, qua ens constituitur in esse entis, nam ens constituitur in esse entis per id, quod dicit habere essentiam; substantia verò constituitur in esse substantię per id, quod sit per se subsistens; atque hoc verum est à parte rei ante quamlibet operationem intellectus, ergo ante operationem intellectus ratio substantiæ, & accidentis distinguuntur ex natura sua cum habeant diuersos effectus formales. Quartò ens in esse obiectiuo distinguitur ab inferioribus formaliter, atque hæc distinctio sequitur ab intrinseco suo esse, quia scilicet importat diuersum esse formale ab eo, quod important inferiora, ergo etiā à parte rei ex natura sua distinguitur ab ipsis, nam à parte rei dicit idem esse, quod dicit in esse obiectiuo, vnde si in esse obiectiuo distinguitur ea distinctione, quæ sequitur ab intrinseco esse ipsius, eamdem quoqne distinctionem habebit à parte rei. Denique quoniam substantia conuenit cum accidente, & etiam ab ipso diuersa est, atque hanc conuenientiam, & diuersitatem habet à parte rei; cum ergo non possit aliquid secundùm idem conuenire, & differre, cum alio, oportet ponere à parte rei aliquam distinctionem inter rationem entis, qua substantia conuenit cum accidente, & inter rationem substantiæ secundùm quam ab eodem differt.

Tertiò.

Quartò.

Quintò.

Aliorum sententia, & eius fundamenta expensa.

SECTIO II.

I. Oppositam sententiam communiter tenent, & existimant ens nullo modo à parte rei distingui ab inferioribus; vnde reijciunt sententiam Scotistarum tanquam omnino impossibilem. Ita præcipuè docent D.Th. 1. contra Gent. cap. 26. Ratione 4. Caiet. de ente, & essent. cap. 1. quæst. 2. Ferrar. 1 contra Gent. cap. 34. Capr. in 1. dist. 2. quæst. 1. ad argum. contra 9. conclus. Flādria 4. Metaph. quæst. 2. art. 5. Soncin. ibid. & lib. 7. quęst. 37. Suarez. in Metaphys. disp. 2. sect. 3. Albertin. tom. 2 principio 1. philosoph. disp. 1. quæst. 8. & cœteri omnes, qui tenent; non dicere

Opposita sententia.

Ens non distingui à parte rei ab inferioribus.

D.Th. Caiet. Ferrar. Capr. Fl[ā]dria. Soncin. Suarez. Albertin.

vnum

vnum conceptum obiectiuum, siue perfectè vnum, & adæquatè præcisum, siue imperfectè, & inadæquatè præcisum, quos supra disputationibus præcedentibus ci tauimus; atque extra scholam Scotistarum ferè nullus oppositam sententiam sequitur.

Prima ratio huius sententiæ inefficax.

II. Arguunt autem contra oppositam sententiam, primò quidem ex entis analogia, ex qua fit, quòd accidens secundùm se totū etiam sm rationem entis debeat dicere ordinem, & attributionem ad substantiam. Si autem ratio entis in re distingueretur à ratione accidentis, tunc accidens secundùm hanc rationem non diceret ordinem ad substantiā; hæc enim ratio non esset accidens, siquidem à ratione accidentis distingueretur. Ita arguit Albertin. Sed si hæc ratio valeret probaret etiam, quòd ens non diceret conceptum præcisum ab inferioribus, nam tunc adhuc possemus dicere, quòd illa ratio non diceret attributionem ad substantiam secundùm suum esse obiectiuum, cum sit præcisa ab accidente, atque adeò nec ex natura sua, quia in esse obiectiuo id totum habet, quod ipsi ex natura sua couenit, vnde adhuc in accidente esset aliquid, quod non diceret attributionem ad substantiam. Sed breuiter se expediunt Scotistæ ab hoc argumento, negando ens esse analogum, & contendunt esse vniuocum; similiter cū arguitur, quòd ita est analogum, vt includatur in vltimis differentijs; Respondere possent, includi quidem in vltimis differentijs, sed tanquam rationem communem, & superiorem, sed cum hoc stare, quòd ex natura rei ab ijs distinguatur, sicut etiam stat, quòd dicat diuersam formalitatē ab ipsis, ex quo sequitur, quòd ex natura rei distinguatur.

Secunda ratio ex incertis procedens.

III. Secundò contra eamdem sententiam obijciunt, quoniam si ratio entis à cæteris inferiorum à parte rei distingueretur, idem quoque in Deo dicendum esset, hoc autem obstat summæ simplicitati diuinæ, quæ sicuti excludit omnem compositionem, ita etiam excludit omnem distinctionē à parte rei. Verùm hęc ratio suscitat nouam quæstionem, an scilicet hęc distinctio ex natura rei admitti possit in Deo. Scotistæ enim illā admittunt, & negant obstare diuinæ simplicitati, quia non est distinctio entitatiua; Vnde hæc ratio contra ipsos non procedet, nisi prius ostendatur hanc distinctionem ex natura rei implicare in Deo; quòd facilè posset ostendi ex infinitate, quæ in qualibet ratione debet imbibi, & proinde ex vi illius videtur vnaquæque cum alia secundùm esse formale communicare, quia ratione infinitatis includit formaliter omnem perfectionem. Sed hoc non obstante adhuc ratio non conuincit, nā ex nostris principijs possemus respondere, quòd Deus non est ens, sed quid supereminentius, & ideo in ipso non esset ponenda huiusmodi distinctio, cum neque in eo sit ratio entis.

Tertia ratio ad huc non conuincens.

IV. Suarez loco supra citato arguit terriò contra eamdem sententiam longo discursu, cuius summa hæc est, quòd si ex natura rei ens distingueretur ab inferioribus, oporteret, quod ens, & inferiora se haberent tanquam inclusum, & includens: hoc autem non potest dici, quia vel illud ens, quod includitur in inferioribus est ens commune vt sic, vel tale ens particulare; neutro autem modo res se habere potest, nam si est ens commune, quod includitur in inferioribus, tum sequitur, quòd detur vniuersale à parte rei, quia esset vnum in multis; hoc autem est falsum, quia cum illud ens sit productum, oporteret quòd sit particulare. Si verò est tale ens particulare; quæritur, an à ratione particularitatis distinguatur, & si distinguitur, tunc redit idem argumentum; si verò non distinguitur, tunc sicuti ens vt sic non determinatur ad tale ens per aliquid distinctum in re, ita neque determinabitur per aliquid distinctum ad esse substantiæ, & accidentis. Deinde si adesset hæc distinctio, tunc ratio substantiæ esset nihil, quod est falsum. Sed hæc quoque ratio, nisi aliud addatur, non habet magnam vim; respondere enim possent Scotistæ, quòd ratio entis, quę includitur, est ratio cōis, quæ habet suam cōmunitatem, nō tm̄ se, sed prout est in pluribus, & nō solùm nōn esse absurdum, dari vniuersale à parte rei, sed ita necessariò dicendum esse. Et cum dicitur, quòd quicquid est productum, est particulare, id esse verum ratione indiuiduationis superadditæ, quæ est ratio quędam ex natura rei à cæteris distincta, & qua rationes vniuersales particularizantur. Sed etiam responderi potest, quòd est ratio entis particularis illa, quæ includitur in inferioribus,

ribus, quæ tamen particularis est per se ipsam, non per aliquid ex natura rei distinctum; non est autem eadem ratio de alijs rationibus determinantibus ens, nam hæc important formalitatem diuersam, & superadditam, quòd non contingit in indiuiduatione, quia eo ipso, quòd aliquid ponitur in actu, fit per se ipsum indiuiduum. Cum autem dicitur, quòd inferiora non essent ens, responderè possent, quòd cum hac distinctione formali stat identificatio, ratione cuius sunt entia; sunt enim entia identicè, non formaliter, quia formaliter sunt tale ens. Ponit etiam Suarez alia exempla, in quibus, dicit, rationem superiorem non distingui ab inferiori in re, vt in sensu, in quo ratio sensus vt sic non distinguitur à ratione talis sensus; sed in his Scotistæ negarent, quòd assumitur, quia nihil aliud est, quàm petere principium, cum vniuersaliter doceant, quòd vbicunque interueniunt diuersæ formalitates, adest etiam distinctio, ex natura rei.

Quarta ro insufficiens.

V. Soncin. etiam ponit nonnullas rationes; vnde arguit potest quartò, quòd omnis distinctio aut est realis, aut rationis, sicuti etiam omne ens aut est reale, aut rationis; distinctio enim sequitur ens, cum autem hæc distinctio non sit realis, erit rationis. Sed respondent Scotistæ, quòd non est realis entitatiua, sed realis formalis; verum est enim, quòd distinctio sequitur ens, quemadmodum autem ens aliud est reale entitatiuum, & aliud reale formale, ita similiter etiam distinctio. Rursus arguit, & erit quinta ratio, quòd cum ens sit priùs inferioribus, si antè intellectum ab ipsis distingueretur, esset saltem per Dei potentiam ab ipsis separabile, & posset transportari de vno in alterum ex inferioribus. Sed neque hæc ratio vrget, nam hæc separabilitas, de qua Soncinas loquitur, non est possibilis, nisi adsit distinctio entitatiua; ad distinctionem autem formalem sufficit, quòd ita separari possit, vt reperiatur sine hoc, vel illo ex inferioribus sic dum est in substantia reperitur sine accidente, & dum est in accidente, reperitur sine substantia.

Distinctio sequitur ens.

Quinta ratio insufficiens.

Vera sententia.

SECTIO III.

I. CVm rationes, quibus cæteri auctores impugnant opinionem Scotistarum, nihil concludant, vt modò vidimus; nunc nobis aliquid certum in hac difficultate statuendū est. Sed prius aduertere oportet, quòd opinio Scotistarum non est adeò improbabilis, quē admodum auctores posterioris sententiæ communiter existimare videntur, si tamen eum debita intelligentia accipiatur, nam cum dicunt ens distingui à suis inferioribus formaliter ex natura rei ante opus intellectus, non debet ita accipi hæc distinctio, quasi ponat diuersum esse physicum in rebus, ita vt aliud sit esse physicum vnius formalitatis, & aliud esse physicum alterius; sed intelligere eam oportet, vt solùm aliud sit esse vnius formalitatis metaphysicum, & aliud esse metaphysicum alterius, cum qua tamen diuersitate stet identificatio, ita vt vna, atque eadem entitas coadunet omnes formalitates in vnicum esse physicum, seu entitatiuum; quo stante non adest tanta improbabilitas, quantam nonnulli fingunt, quia imaginantur, hanc distinctionem esse ad modum distinctionis entitatiuæ, ita vt interuenire possit separatio, quod tamen est falsum, cum solùm sint diuersæ formalitates; & solùm ex vi huius distinctionis habetur, in eodem tamen esse physico, illa diuersitas, seu distinctio, quam hę rationes habent obiectiuè in intellectu, quantùm est ex natura ipsarum. Quòd ideo addidi, quia cum intellectus noster non habeat speciem alterius distinctionis, quàm entitatiuæ, quia hanc solam sensus percipiunt, omnem distinctionem intelligit ad modum distinctionis entitatiuæ, quia vtitur specie ipsius, cum aliam non habeat ad repræsentandam quamlibet distinctionem; & proinde etiam illam distinctionem, quam in esse obiectiuo habent formalitates, ad modum distinctionis entitatiuæ concipit, cum reuera non sit distinctio entitatiua, sed purè formalis. Quare solùm videndum restat, an hæc distinctio formalis ex natura rei sit possibilis

Quomodo intelligenda sit distinctio formalis ex natura rei.

Intellectus concipit omnem distinctionem ad modū entitatiuā.

inter ens, & inferiora ante operationem intellectus; quia si est possibilis de facto etiam reperiretur, nam in rerum essentijs, quod possibile est, etiam necessarium est. Loquimur autem de ente communissimè sumpto respectu omnium inferiorum, quia si distinguitur hoc pacto respectu vnius, distinguetur etiam respectu alterius, cum sit eadem ratio omnium.

Conclusio Ens distinguitur ab inferioribus ex natura rei ante opus intellectus.

II. Dicendum igitur est. Rationem entis non esse distinctam à cęteris rationibus inferiorum ante opus intellectus, ita vt distinctio formalis ex natura rei formali modo reperiatur à parte rei inter has rationes. Probari autem potest primò hæc conclusio ex natura distinctionis, vt sic, quæ licet varietur, & fiat talis, vel talis distinctio, prout cadit supra hæc, vel illa extrema, nam quandò cadit supra duas entitates, est entitatiua; quando supra rem, & modum, est modalis; quando supra duas essentias, est essentialis; & quando supra duas formalitates cadit, est formalis, tamen hoc semper immutatum retinet, quòd ita separet extrema, supra quæ cadit, vt vnum ponat adæquatè extra alterum, vnde si distinctio est à parte rei, debet distinctio hoc ipsum exercere à parte rei. Hoc autem non potest contingere inter ens, atque inferiora, quia quamuis verum sit, quòd intellectus possit concipere rationem entis, non conceptis inferioribus, vt disputatione præcedenti ostensum est; tamen inferiora non possunt subsistere, non solùm identicè, sed neque etiam formaliter, nisi includant ens, vnde quando intellectus illa concipit cogitur saltem implicitè concipere etiam rationem entis; & propter hanc causam, nequit interuenire distinctio aliqua ante operationem intellectus, quę formali modo existat, sed solùm virtualis: oporteret enim ad illam saluandam, quòd à parte rei vna ratio non communicaret cum alia secundùm esse formale, & consequenter neque hæc communicaret cum illa, quemadmodum in distinctione entitatiua neutra entitas extremorum cum alia communicat, sic entitas Petri non communicat cum entitate Pauli, neque econtra entitas Pauli cum entitate Petri, quia eo ipso quòd vna communicat cum alia, etiam hęc communicat cum ipsa, quia distinctio est ex parte vtriusque extremi, quemadmodum etiam communicatio, & identificatio, si enim vnum identificatur cum alio, hoc quoque cum ipso debet identificari, & si vnum ab alio distinguitur, hoc quoque debet ab ipso distingui. Verùm inter ens, atque inferiora hoc contingere non potest. Accipio enim rationes inferiorum formaliter, vt tales sunt, & inquiro, an secundùm suum esse formale includant ens, seu an esse ipsorum formale, sit formaliter ens, an non; hoc secundum dici non potest, quia quantumuis formalissimè accipiātur, semper sunt aliquid, & contràdistinctum à nihilo, alioquin inferiora, vt talia sunt, essent nihil, & nihil reale reperiretur præter rationem entis vt sic, quod nullo pacto potest dici, vt per se euidentissimum est; vnde oportet dicere, quòd rationes inferiorum formalissimè acceptæ sint formaliter ens, ita vt formalitas ipsarum communicet cum formalitate entis; quo stante fieri non potest, quòd à parte rei formaliter ex natura rei distinguantur.

Distinctio ex genere suo ponit vnū extremū à dequatè extra aliū.

Rationes formales inferiorū à parte rei formaliter communicant cū ente,

III. Quod rursus sic declarari potest. Si ens à parte rei distinguitur formaliter ab inferioribus, considero rationem entis ex vna parte, & ex alia rationem aliquam inferiorum, v.g. substantiæ, prout ab ente in re contradistinguitur, & sic insto. Hęc ratio substantiæ prout in re contradistincta ab ente subsistit a parte rei, nec formaliter aliquid accipit ab ente, sed habet ex vi sui esse formalis tantum, quantum sufficit vt sit à parte rei ab omni alio contradistincta. Quomodo autem id fieri posset, nisi ex vi sui esse formalis esset quid reale? Quod enim reale non est, omnino est nihil, & proinde non potest esse a parte rei. Si autem est quid reale, quomodo non dicit formaliter rationem entis? cum sine ipsa nihil reale saluari possit. Atque hinc potest elici confirmatio eiusdem rationis. Ratio entis est ratio formalis realitatis, per quam formaliter vnumquodque constituitur in esse reali, & ex hoc habet, quòd sit transcendens etiam per omnes formalitates, vt tales sunt, ad hoc vt per ipsum recipiant formaliter suam realitatem, ergo ratio entis secundùm esse formale communicat

Quelibet formalitas habet quod subsistat a parte rei ab ente.

eum alijs rationibus inferioribus, ita vt non possit à parte rei reperiri aliqua formalitas, quæ vt talis est,& prout habet suum esse contradistinctum ab omni alia, non communicet cum ente, ita vt intrinsecè sit ens,imbibens eius ratione, tanquam rationem formalem constitutiuam realitatis suæ.

Secunda ratio. IV. Secundò probatur nostra sententia. Ens à parte rei identificatur cum rationibus inferiorum, ergo non potest distingui ab ipsis ex natura rei ante opus intellectus. De antecedenti nulla est difficultas, nullus enim ponit rationē entis, entitatiuè distingui a suis inferioribus in ijs enim, quæ entitatiuè distinguuntur, oportet assignare entitatem,& entitatem ex parte vtriusq. extremi, & consequenter ex parte vtriusque rationem entis; quòd si alterum extremorum esset ens vt sic,non posset ex parte alterius assignari entitas. Tota ergo difficultas consistit in consequentia,cuius efficaciā vt declaremus,oportet scire, quòd a parte rei non potest reperiri entitas aliqua, quę non imbibat intrinsecè aliquod esse formale, nec è contra potest esse aliquod esse formale, nisi simul, & semel sit quid entitatiuum, ita vt non fiat entitatiuum per aliquod superadditum, sed per se ipsum, quia esse formale, eo ipso, quod producitur, fit entitatiuum. Cum ergo nihil possit esse à parte rei, loquendo de creatis, quòd non sit terminus alicuius productionis, hinc fit, vt non possit aliquid esse a parte rei, quod non sit aliquid entitatiuum; nec etiam possit intellectus concipere, aliquid esse a parte rei, nisi tanquam quid entitatiuum illud concipiat. Ex quo fit, quòd nequeat concipere, aliquam formalitatem esse a parte rei, nisi illam, vt quid entitatiuum concipiat, quamuis illam a cæteris contradistinctam conciperet. Atq;quòd statim,ac aliquid est terminus productionis, habeat esse entitatiuū,nulla difficultas est;nam nulla causa communicat esse formale præcisum, sed semper esse entitatiuum, ita vt esse formale a parte rei sit seipso entitatiuum esse. His igitur sic stantibus, quæ certissima sunt, declaratur cōsequentia huius argumenti. Quandocumque aliquæ rationes formales identificantur adinuicem, habent tantùm vnicam entitatem, ita vt ex vi illius entitatis habeantur omnes illæ formalitates, nec possit intellectus concipere, illam entitatem esse à porte rei, nisi concipiat simul formalitates illas, ergo cum non possit concipere, à parte rei existere aliquam formalitatē, nisi simul,& semel concipiat entitatem ipsius, necesse erit, quòd concipiat simul alias formalitates, quæ in tali entitate reperiuntur, quia eo ipso, quod cōcipit entitatem esse à parte rei, concipit simul formalitates, quæ in ipsa sunt, & concipiendo vnā aliquā formalitatem, concipit simul entitatem: Quamobrem cum intellectus nequeat illas, prout sunt à parte rei, intelligere separatas, neque etiam formaliter, signum est, quòd neq; a parte rei distinguuntur, quomodo enim si à parte rei essent distinctę, non posset intellectus intelligere distinctas, ita vt simul conciperet, illas esse cum hac distinctione à parte rei?

Esse entitatiuū & formale a parte rei inuicem cōmunicant sé eodem esse.

Quæ nō distinguuntur entitatiuè non possunt alio modo a parte rei distingui.

V. Confirmatur hæc ratio, quę à parte rei distinguuntur, quamuis vnum non possit esse sine alio; tamen ex vna parte potest vnū intelligi, & ex altera parte intelligi alterum, ita vt, prout sunt à parte rei, etiam formali distinctione contradistinguantur: hoc autem non contingit in ratione entis, & rationibus inferioribus, ex eo, quòd habent vnicam entitatem simplicem, quia cum quælibet formalitas, à parte rei existens, sit ipsa entitas, in qua existit, ita vt nulla interueniat distinctio inter ipsam,& entitatē, vt suprà adnotauimus; rursus cum entitas sit omnis formalitas, quæ in ipsa reperitur, fit quòd ex vi eiusdem entitatis, neq; formalitates possint inter se ipsas a parte rei distingui nā quę in aliquo tertio sunt idem, sunt etiam idem inter se eo modo, quo sunt idem cum illo tertio. Cum ergo vnaquæq. formalitas ita sit idem cum entitate, vt nullo modo à parte rei ab ipsa distinguatur, erunt etiam illæ formalitates ita idem inter se, vt nullo modo a parte rei inter se distinguantur, quemadmodum neque ab entitate distinguuntur. Neque potest dici, quòd vnaquæq. formalitas, seorsum sumpta, sit idem cum entitate, inadæquatè tamen, quia quamuis verum sit, quòd quando intellectus concipit vnam formalitatem non adæquare illam entitatem, a qua abstrahitur, quia adhuc alia formalitas abstrahi potest; tamen ut ter philosophandum est, prout a parte rei

Sicut formalitas,& entitas nō distinguūtur inter se a parte rei, ita neq; formalitates eiusdem entitatis.

reperitur, non enim potest assignari entitas, quæ sit vna formalitas, & entitas, quę sit alia formalitas, sed quælibet ratio formalis in tota entitate imbibitur, & ab ipsa tota nullo modo à parte rei distinguitur, vnde neque à parte rei distingui potest ab alia formalitate, præsertim cum omnes illæ formalitates, quæ in vna entitate reperiuntur, ordinentur ad constituendum vnicum esse, imo sint vnicum esse, prout aptum est esse à parte rei, quamuis in esse obiectiuo acquirat distinctionem aliquam. Vnde alia est ratio hic, ac in diuinis personis, nam hæc non ordinantur ad constituendum vnicum esse, sed habent mutuam oppositionem relatiuam, & ideo distinguuntur inter se, quamuis sint idem cum essentia.

Tertia ratio.

VI. Tertiò argumentari possumus ex natura distinctionis, quæ habet esse à parte rei, vbi enim non est distinctio entitatiua saltem ex parte vnius extremi, ne distinctionem modalem in controuersiam vocemus, non potest esse distinctio ante opus intellectus, qualis ponitur ista formalis ex natura rei; ergo cum inter rationem entis, & rationes inferiorum non sit à parte rei distinctio entitatiua, nam ens, vt per se euidens est, identificatur cum inferioribus, neque potest esse distinctio, quæ præcedat opus intellectus. Prob. autem antecedens, in quo tota vis argumenti fundatur, nam sequela euidens est. Omnis distinctio, quæ est à parte rei, debet proportionari cum rebus, prout sunt à parte rei, ita vt habeat pro extremis res illas, quæ possunt esse à parte rei, & reddat illas distinctas secundùm illud esse, quòd habere possunt à parte rei; alioquin quomodo à parte rei distinguentur, si non distinguuntur secundùm illud esse, quod possunt habere à parte rei? Distinctio enim à parte rei separat extrema, prout sunt à parte rei, atque adeo secundùm illud esse, quòd in re habent, Verùm ex hoc fit, quòd omnis distinctio, quę est à parte rei necessariò fit secūdùm esse entitatiuum; ens autem solùm non est aptum, vt sit à parte rei, imo omnis formalitas, vt supra etiam adnotauimus, eo ipso, quòd ponitur à parte rei, quia est terminus productionis, acquirit esse entitatiuum, vnde implicat, quòd aliquid sit à parte rei, & non sit aliqua entitas, & propterea omnis formalitas, quæcunque ea sit, non potest habere esse à parte rei, nisi habeat esse entitatiuum, quare si distingui debet à parte rei ab alia, debet secundùm esse entitatiuum distingui.

Præter entitatiuam saltem ex parte vnius extremi nulla alia est distinctio à parte rei

Quarta ratio.

VII. Denique stando in rebus creatis, de quibus solis ens dici, supra ostendimus, potest adhuc quartò nostra sententia probari tali pacto. Quælibet ratio, seu formalitas, quæ sit a parte rei, hoc ipso quòd est à parte rei, est quid productum, & consequenter quid participatum etiam secundùm esse formale consideratum, quia quicquid est in creatura, quod reale sit secundùm quamcunque rationèm consideratum, participatur ab ente per essentiam: hinc habet ideam in mēte diuina, quam secundùm omnes suas rationes imitatur. Ergo implicat, quòd ratio entis ab ipsa à parte rei contradistinguatur distinctione ex natura rei, & ante opus intellectus. Quæ consequentia explicatur, nam quod est productum a parte rei habet intrinsecam rationem producibilitatis, & consequenter possibilitatis, ita vt hæc possibilitas illi essentialis sit, quod autem formaliter est possibile, vtpote quia est contradistinctum a nihilo, est etiam intrinsecè, & formaliter ens, & ideo statim ac aliquid est a parte rei, ratio entis est ita illi essentialis vt nullo pacto ab ipsa distingui possit, rursus quod habet esse participatum, imitatur ideam diuinam, vndè habet etiam rationem entis sibi intrinsecam, quia quod participatur ab ente per essentiam, eo ipso quòd participatur, est ens per participationem. Et propterea si ens distingueretur a rationibus inferiorum a parte rei, adhuc illæ rationes, vt in re ab ente distinctæ, essent quid productum, & participatum, & consequenter includerent intrinsecè ens; vnde distinguerentur ab ente, & non distinguerentur.

Omnis formalitas creaturæ intrinsecè & inseparabiliter est quid participatū atque adeò ens

Satisfit rationibus Scotistarum.

SECTIO IV.

Ad principale fundamentū Scotistarum.

I. RAtiones, quibus sententia Scotistarum confirmari solet, si intimius considerentur, satis difficiles sunt;

nihilo-

nihilominus, quia opposita sententia euidentiorem probabilitatem, imo certitudinem habet, propter quam coacti sumus illam sequi, conabimur respondere. Ad principale igitur fundamentum concedendum est, quòd ens sit quid magis vniuersale, quàm quodlibet inferiorum seorsim sumptum; non hinc tamen sequitur, vt ex natura rei ab ipsis distinguatur, cuius ratio est, quia se extendit ad omnia inferiora, cum quibus adæquatur, ita vt cum omnibus identificetur; vnde si communitas entis attendatur, non debet comparari cum vno tantùm ex inferioribus, quia prout est in illo à parte rei non obtinet suam communitatem; quòd si compareretur, prout habet esse præcisum, iam non est ad rem, quia loquimur de ente, prout habet esse in inferioribus; non obtinet aũt suam cõmunitatem præsertim adæquatã, nisi prout habet esse in omnibus, tunc autem non est maior communitas entis, quàm se extendant inferiora; & ideo non valet argumentari distinctionem in re ex maiori communitate; respectu verò vnius inferioris, nedum habet maiorem communitatem, sed nullam habet; communitas enim respicit pluralitatem participantium rationem communem. Quin ex hac communitate entis sequitur, quòd non debeat formali modo à suis inferioribus distingui, sed tantùm fundamentaliter, nam tanquam ratio communis, si præcisè consideretur, ordinatur ab intrinseco suo, vt cum vnoquoque inferiorum coalescat in vnum esse physicum, & possibile à parte rei, ita vt pro ut est in vnoquoque seorsim sumpto, habeat constituere realitatem illius; cũ ergo coalescit in vnum esse, quantum est ex vi suç formalitatis, non potest à parte rei habere esse distinctum ab inferioribus, quia communicat cum ipsis ea vnitate, quæ tollit distinctionem omnem, quæ possit esse à parte rei nimirùm secundùm esse entitatiuum, & physicum, secundum quod solùm possunt res à parte rei distingui, vt sect. præcedenti probatum est. Hinc patet, quòd nos non possumus per intellectum formalitatem superiorem ab inferioribus distinguere; nisi eam purè concipiamus sine entitate, & consequenter præscindendo ab eo, quod fit à parte rei, quod manifestè indicat, quòd huiusmodi formalitates non possunt à parte rei habere illam distinctionem formalem, quam habent in esse obiectiuo, cum necessariò quando sunt à parte rei, sint immersę in eadẽ entitate, quç ita coagmentat illas formalitates, prout sunt in tali indiuiduo, vt nullo pacto in re distinguantur, quamuis altera eorum sit in pluribus indiuiduis, cum hoc enim stat, quòd, prout in vnoquoque seorsim sumpto est inadęquatè, ab ipso non distinguatur.

Quomodo ens obtineat suũ cõmunitatem.

Ens ordinatur ab intrinseco suo vt coalescat in vnicum esse cũ inferioribus.

Ratio superior non potest sola concipi nisi præscindat ab entitate & existẽtia.

11. Hinc etiam possumus respondere ad illas confirmationes, quę ex hoc fundamento eliciebantur. Et ad primam dicendum est, quòd ille modus argumentandi non procedit, nisi reduplicatione facta, nam cum dicitur, quòd quicquid est de essentia entis, est etiam de essentia substantię, & accidentis, intelligi debet de ente, vt ens est. Similiter etiam quando dicitur, quòd illud, quod est de essentia accidentis, non est de essentia substãtiæ, atque econtrà, intelligi debet etiam cum reduplicatione, de accidente, nimirum vt accidens est, & de substantia, vt substantia est. Statim autem ac adhibetur reduplicatio, deuenimus ad rationes præcisas, non verò prout sunt à parte rei; quia hæc est vis reduplicationis, vt faciat solùm, & præcisè illam rationem considerari, supra quam cadit, separat enim illam mediante cognitione ab omnibus alijs rationibus; vnde cum hoc argumentum ex vi reduplicationis procedat de ratione entis, substantię, atque accidentis, prout habent esse præcisum, non facit ad rem, cum quæstio procedat de ente, prout est à parte rei in inferioribus. Quod si non adhibeatur reduplicatio, tunc non procedit amplius; neque enim possemus dicere, quòd id, quod est de essentia entis, est etiam de essentia substantiæ, nisi prius rationem entis conciperemus distinctam à ratione substantiæ. Et cum instatur, quòd reuera à parte rei ratio entis est tum in substantia, tum in accidente, non autem ratio accidentis est in substantia, nec econtra ratio substantiæ in accidente, solùm concludetur, quòd ens à parte rei non sit idem cum sola substãtia, aut solo accidente, sed cum omnibus, quia quemadmodum, si eius essentię communitas consideretur, est tantùm inadæquatè in substãtia, ita etiam solũ, prout est in ipsa, nõ est in accidente, & proinde

Ad primam confir.

Vis reduplicationis.

Ens non est totaliter in substantia, aut in solo accidẽte.

non

non licet inferri, quòd ab ipsa ex natura rei distinguatur. sic neque valet entitas entis est tùm in substantia, tùm in accidente, non autem entitas accidentis est in substantia, ergo entitas entis in re distinguitur ab entitate substantiæ, non, inquam valet, ea tantùm ratione, quia entitas entis est tantùm inadæquatè in substantia, aut accidente seorsim sumptis.

Ad secundam. III. Ad secundam verò rationem eodem ferè modo respondendum est; admisso enim, quod assumitur, quòd scilicet ea distinguantur, quæ separari possunt, & quòd ea distinguantur formaliter ex natura rei, quæ secundùm esse formale à parte rei separantur, si modò id contingere potest; negandum est, quòd ratio entis separatur à ratione formali substantiæ, aut accidentis, nedum realiter, sed neque etiam formaliter. Atque ratio inde sumitur, quòd licet ens reperiatur, nedum in substantia, sed etiam in accidente, hoc tamen non potest inferre separationem secundùm esse formale, quia cum sit ratio communis excedens latitudinem substantiæ, ita petit esse in ipsa, & non distingui ab ipsa formaliter, vt tamen eodem modo petat esse etiam in accidente, & non distingui ab ipso formaliter à parte rei, & ideò non sequitur, quòd ex eo, quòd est in accidente, separetur à substantia; non enim per hoc desinit esse in ipsa, sed in ea perseuerans, adhuc ratione suæ latitudinis, & communitatis se extendit ad accidens, quia non potest secundùm totam suam latitudinem esse idem cum substantia; sed cum tàm ad accidens, quàm ad substantiam ordinetur, vt sit in ipsis, tanquam conferens ipsis propriam realitatem, cum vtroque est idem, & à neutro ipsorum à parte rei distinguitur, quamuis ita sit in vno, vt etiam sit in alio, neque enim prout est in vno, ponitur in alio, quod necessariũ esset ad separationem, etiam secundùm esse entitatiuum, oporteret, quòd vna entitas ab alia tollatur; ita etiam oporteret, quòd formalitas entis, prout est in substantia ab ipsa tolleretur, & poneretur in accidente, vt fieret separatio secundùm esse formale.

Ens neque sm esse formale separat à parte rei à substãtia, aut accidẽte

Ad tertiam. IV. Tertium quoque argumentum in eodem peccat, in quo primum, nimirum, quia adhibetur reduplicatio, vbi non esset adhibenda, cum enim dicitur, quòd ens non constituitur in ratione entis per id, quo substantia constituitur in esse substantiæ, iam debet intelligi de ente, vt ens est, & de substantia, vt substantia; non enim ens contradistingueretur à substantia, & ideo non esset verum, quòd aliud esset constitutiuum entis, & aliud constitutiuum substantiæ; quare hoc argumentum tantùm procedit, præsupposita distinctione entis à substantia, qua distinctione stãte, colligimus diuersitatem rationis cõstitutiuę, & ideo nõ valet ex hac diuersitate cõstitutiuĩ inferre distinctionem constitui, de qua controuertitur; in tantùm enim colligitur hæc diuersitas constitutiui, in quantum præsupponitur; & si non præsupponeretur, non colligeretur: vndè est occulta petitio principij. Deindè illa reduplicatio fit tantùm in ordine ad nostros conceptus, & proinde, pręsupposita distinctione rationis, colligitur tantùm, quòd in esse obiectiuo ratio entis, & substantiæ sint diuersæ inter se.

Ad quartam. V. Ad quartam dicendum est, quòd verum quidem est eamdem rationem entis, quæ est in esse obiectiuo, reperiri etiam in inferioribus, sed non eodem modo se habentem, nam in esse obiectiuo dicit puram suam formalitatem præscindendo ab eo, quòd entitatiuo modo se habeat; à parte autem rei entitatiuo modo se habet, quia dicit esse physicum, & productum. Ex hoc autem fit, quòd distinctio ex vi esse ipsius sequatur, quia scilicet hæc formalis ratio, quantùm est ex vi sui esse cum cœteris non communicat, sed ex vi sui esse, non quomodocunque accepti, sed vt præciso modo se habet; nec adest entitas, ratione cuius tollatur distinctio rationum formalium. In re autem ratio entis, non habet esse præcisum, & ideo non potest ab ipsa consequi distinctio, atque ratione eiusdem entitatis communicat secundùm proprium esse, & nullo pacto à parte rei ab ipsis distinguitur. Sed in vnicum esse omnes coalescunt, quod non contingit, quando præscinduntur, quia tunc deficit coagmentatiuum, nimirùm entitas eadem. Distinctio autem in esse obiectiuo inde prouenit, quòd intellectus potest inadæquatè ea sibi repræsentare, quę à parte rei habent vnum, atque idem esse absque vlla distinctione, præsertim, quando præbent fundamentum huius

inadæ-

inadæquatæ repræsentationis.

Adquin tam. VI. Denique ad illud de conuenientia, & disconuenientia, seù diuersitate, quæ est inter accidens, atque substantiam, dicimus, quòd sicuti eadem ratio entis habet ex natura sua, quòd sit in substantia, & accidente cum vtroque identificata, ita etiam potest facere, quòd conueniant inter se in eo, quòd habeant eamdem rationem entis, & ad diuersitatem sufficit, quòd etiam habeant aliquid aliud, supra rationem entis, quo inter se differant. Possunt autem inadęquatè inter se conuenire, hoc est non secundùm totum suum esse, & inadęquatè similiter esse diuersa, quamuis nulla sit distinctio in re inter id, quo differunt, quia quando conuenientia non est adæquata, nec similiter diuersitas, potest esse secundùm idem esse, in ipso namque possunt commisceri diuersæ rationes, quæ quamuis fiant vnum, exhibeant tamen conuenientiam, atque diuersitatem, quia conuenientia, & diuersitas, quando non adæquant totum ens, non sunt rationes incompossibiles, sed benè saluari possunt in eodem esse absque vlla distinctione, quemadmodum possunt saluari, etiam absque distinctione entitatiua, quia distinctio nihil confert ad hoc, vt aliqua conuenire possint, aut esse diuersa; tunc autem solùm conuenientia, & diuersitas non potest esse secundùm idem esse, quando illud totaliter adęquat, quia ex vi conuenientiæ, quæ ipsum adæquat, non potest esse locus diuersitati.

Quomodo ens ad inferiora contrahatur.

Disp. XXXVII.

Præmittuntur nonnulla ad intelligentiam quæstionis.

SECTIO I.

1. Explicata præcisione conceptus obiectiui entis, difficilis quæstio sese nobis offert, quomodo scilicet ens contrahatur ad inferiora, & fiat tale, vel tale ens; cum enim sit ratio communis præcisa, atque indeterminata, oportet, vt aliquo modo limitetur, & determinetur, vt sit tale ens. Hæc autem difficultas vrget tantùm illos, qui ponunt conceptum obiectiuum entis præcisum; nam qui negant huiusmodi vnitatem conceptus, breuiter se expediunt dicentes, quòd in conceptu entis, vt sic, inuoluuntur inferiora, vel simul confusè concepta, vel sub disiunctione; vndè ad determinationem sufficit solùm, quòd ea, quæ concipiebantur in confuso, concipiantur distinctè, atque determinatè. Qui verò ponunt conceptum entis omnino præcisum, parùm hanc difficultatem explicant. Sed antequam vlteriùs progrediamur, aduertimus cum iis omnibus, qui ponunt conceptum entis omnino præcisum, præsertim cum Suarez in metaph. disp. 2. sect. 2. num. 21. atque Albertin. tom. 2. princip. 1. Philosophico disp. 1. quæst. 6. in resp. ad 9. quòd ens non significat immediatè inferiora; quod manifestum est suppositis ijs, quæ supra diximus de præcisione conceptus obiectiui: non enim illa significat, quatenus habent esse tali, vel tali modo, quod important, prout inferiora sunt; sed illa significat, prout omnia in hoc conueniunt, quòd sint aliquid, & habeant esse, & idcirco mediante aliqua ratione communi, quemadmodum etiam contingit in cæteris, quæ significantur, quatenus habent inter se aliquã conuenientiam, vt substantiæ inferiores, quæ à substantia mediante ratione communi substantię significantur. Quod etiam declarari potest ex ijs, quæ diximus de conceptu entis; ostẽdimus enim supra, quòd quantum est ex vi illius, quod audita hac voce entis concipimus, importat aliquid reale, & à nihilo contradistinctum, videlicet id, quod habet essentiam, non determinando aliquid de essentia; hoc autem intrinsecè Suarez Albertì. Ens nõ significat immediatè inferiora.

repe-

reperitur in quolibet inferiorum, vndè ens ex vi sui proprij conceptus significat omnia inferiora, quatenus habent hoc intrinsecum, nimirùm quod sint id, quod habet essentiam, & idcirco mediante hac ratione ens significat inferiora.

II. Ex hoc autem fit, quòd quando diuiditur ens in substantiam, & accidens non fit diuisio solius nominis communis, quæ ad vtrumque descendit tanquã aliquid commune; & propterea quando contrahitur ad esse substantiæ, & accidentis, debet seruare leges rationum communium, quę contrahuntur, quæ in eo consistunt, quòd contractio fiat per rationes superadditas diuisiuas, & determinatiuas rationis communis. Sed insuper est aduertendum, quòd cum conceptus entis perfectè præscindat ab inferioribus, etiam prout ad ipsa inferiora comparatur, retinet suam perfectam præcisionem, quia quamuis verum sit, vt supra etiam docuimus, quòd non possunt concipi inferiora, nisi saltem implicitè concipiatur ratio entis; adhuc tamen verum est, quòd possum ex vna parte concipere ens, nihil cogitando de inferioribus, & permanente hoc conceptu possum concipere inferiora, concipiendo iterum implicitè in ijs rationem entis; dum ergo conceptus ita permanent, verum est, quòd ens adæquatè ab inferioribus præscindit quantùm est ex parte sui, quia quamuis inferiora ipsum implicitè includant, adhuc tamen ens conceptum excludit prorsus inferiora, & in hoc sequitur omnino naturam eorum, quæ à proprijs inferioribus perfectè præscindunt, nulla enim ex parte ipsius entis apparet diuersitas, neq; quòd ens veluti reconcipiatur implicitè in inferioribus, tollit, quòd vt explicitè, & seorsim ab inferioribus conceptum, non possit retinendo propriam præcisionem ad ipsa comparari, quemadmodum comparantur cæteræ rationes communes.

Rō dubitādi. III. His igitur sic stantibus, difficilè est percipere, quomodo fiat huiusmodi contractio. Et ratio dubitandi est, quia vel id, quod contrahit, est ens, vt sic, & hoc non potest dici, quia idem contraheret seipsum, quod est manifestè impossibile, quia contractiuum debet esse minus vniuersale, quàm contrahibile; vel est tale ens, & neque hoc dici potest, quia non potest haberi tale ens, nisi etiam dicat intrinsecè rationem entis ratione suæ realitatis, vndè non solùm adhuc ens, vt sic, contraheret ens, vt sic; sed etiam ante contractionem supponeretur facta contractio, quandoquidem tale ens dicit ens contractum, quæ omnia absurdissima sunt. Rursus, & augetur difficultas. Vel contractiuum entis, vt contractiuum est formaliter, est aliquid reale, vel non est aliquid reale; hoc secundùm dici non potest, quomodo enim non reale contraheret, quod reale est? & quod est nihil se ipso formaliter faceret aliquid, nempè tale ens positiuum? Si autem contractiuum est aliquid reale, ergo imbibit rationem entis, & sic ens adueniret sibi ipsi tanquam imbibitum formaliter in suo contractiuo. Et confir. quando aliqua natura superior contrahitur, oportet, vt contractiua excludant rationem communem, quam contrahunt; alioquin, si illam includerent, non essent contractiua, sed natura ipsa contracta; at nullum contractiuum entis potest assignari, quod non includat ens, quomodo ergo poterit contrahi? Præterea quando fit contractio, debet aliquid addi supra rationem communem contractam, quod non dicat illam naturam, alioquin quomodo fieret contractio, si nihil superadderetur? at inferiora entis nihil superaddere possunt, quod non sit ens, & consequenter, quod non importetur per rationem communem entis, quæ contrahitur, neque enim inferiora habent aliquid, quod non sit ens, & illa taleitas, qua dicuntur talia entia, adhuc est ens, etiam reduplicatiuè sumpta, alioqin esset nihil. Deniq; si quando ens contrahitur ad inferiora, ratio, verbi gratia, substantiæ aliquid adderet supra ens, sequeretur processus in infinitum, nam cum adhuc hæc ratio substantiæ, prout superadditur supra ens, sit ens, addet aliquid supra ens, nẽpe suam taleitatem; rursus hæc taleitas, prout est aliquid superadditū, adhuc est ens, vndè aliquid addet supra ens, & hoc pacto procedendū erit in infinitum. Si verò dicatur, quod illa ratio taleitatis non sit quid distinctum, iam sequitur, quòd non habeat rationem contractiui, quia

Secūdo. Confir. Tertia. Quarta.

cum contractinum minùs vniuesale sit, quàm contrahibile, oportet, quòd saltem ratione inter se distinguantur.

Aliorum sententia refutantur.

SECTIO II.

Opinio Soncin. I. EXplicat inter alios hanc difficultatem Soncin. 4. Metaph. quęst. 1 ad 2. & quæst. 19. ad 7. & præcipuè lib. quinto quæst. 14. vbi docet. Quod ens non contrahitur ad substantiam, & accidens per aliquid additum enti, sed solùm per diuersos modos essendi, quatenus substantia, & accidens dicunt generalem rationem entis, cum determinato modo essendi. Si autem quæras, an per hunc modū essendi addatur aliquid supra ens; respondet de substātia tantùm, & inquit, quòd addit aliquid supra ens, nō quidem positiuum, sed negatiuum, nimirùm negationem essendi in alio, quæ consequitur modum essendi substantiæ. Non potest autem addere aliquid positiuum, quia si esset reale esset ens; quomodo autem ens additur supra ens? sed si est rationis, aut erit relatio, aut negatio; non relatio, quia substantia non est quid relatiuum, ergo negatio.

Impugnatur. II. Hæc tamen sententia prorsus falsa est, & caret omni verisimilitudine. Nam quæro etiam de accidente, an aliquid addat supra ens; si dicatur addere aliquid negatiuum, iam sequitur, quòd præter rationem entis nihil positiuum reperiatur, quod quàm absurdè dicatur, est vnicuiq. euidentissimum. Si verò accidens addit aliquid positiuum, cur non etiam substantia addet, cum sit eadem ratio, & eadem difficultas vrgeat tàm de accidente, quàm de substantia? imo maiori ratione deberet substantia addere aliquid positiuum, cum sit ens perfectius quàm accidens. Vndè ex hoc impugnatur secundò hæc opinio. Si substantia, & accidens secundùm proprias rationes inuicem comparentur, differunt inter se positiuè, atq. substantia est perfectior accidente, & cum negatiuum nullam dicat perfectionē, oportet, aliquid positiuum peculiare substantiæ assignare, ratione cuius dicat hāc maiorem perfectionem, cum ergo ratio entis non possit esse ratio differentiæ, & se teneat, tàm ex parte substantiæ, quàm ex parte accidentis, oportet, præter rationem entis aliquid ponere positiuum, quod ponat differentiam inter substantiam, & accidens; & substantiæ maiorem perfectionem conferat.

Substantia non dicit formaliter aliqd negatiuū.

Secūdò.

Quòd etiam ex eo confir. quoniam, Esse substantiam, dicit perfectionem positiuam, & res ex eo perfecta esse intelligitur, quod est substantia.

III. Tertiò vrgetur, si tàm accidens, quàm substantia addunt tantùm negationes supra ens, est enim eadem ratio, & difficultas de ambobus, vel huiusmodi negatio est eadē, tàm in accidente, quā in substantia, vel diuersa. Si est eadem, sequitur hoc, quòd substantia, & accidens non distinguantur inter se, nō enim distinguuntur in eo, quòd sint entia, neque in eo, quòd dicant negationes, quoniam negatio est eadem in vtroque. Si verò ponatur diuersa, vndè quæso habet hanc diuersitatem? certè non aliundè potest habere, quàm ratione fundamenti positiui, in quo fundetur, & consequenter ex parte substantiæ, & accidentis reperientur diuersa fundamēta positiua, quę quidem non possunt esse ipsa ratio entis, quia hæc non fundat negationem essendi in alio, cum se habeat indeterminato modo, erunt ergo hęc fūdamenta aliquæ rationes positiuæ supra ens. Quartò, quòd pręter rationem entis debeant concedi aliquæ aliæ rationes positiuæ, manifestissimum est, nam dantur diuersæ essentiæ, quæ sunt radices diuersarum passionum, quæ non possunt attribui enti soli, sed alios gradus positiuos oportet superaddere, cum quibus passiones cōmensurentur, & per quos formaliter diuersæ essentiæ constituantur; vndè quando ens contrahitur primò ad substantiam, & accidens, debet per aliquid positiuum contrahi, nam prima contractio debet cœteris subsequentibus proportionari. Denique etiam per ipsum Soncin. substantia, & accidens dicunt proprios modos essendi determinatos, ergo dicunt aliquid positiuum superadditum enti. Conseq. hæc probatur, nam isti modi positiui sunt peculiares substantię, & accidentis, ita vt per ipsos inuicem contradistinguantur; in eo autem, quòd sint entia non contradistinguuntur, sed potius conueniunt, ergo oportet, quòd sint aliquid superadditum, quod enim contradistinguit, & non contradistinguit Tertiò. Quartò. Quintò.

necessariò importat diuersas rationes formales.

Reiicit. IV. Posset tamen Soncin. respondere, quid quando dicitur, rationem substantiæ addere tantùm negationem supra ens, intelligi de ente illo, quod dicit substantia, nimirùm de illo, quod per se subsistit, & dicit suum peculiarem modum essendi; supra hoc enim non potest substantia aliquid aliud positiuum addere, sed solùm negationem, quæ fundatur in hoc ente, prout dicit talem modum essendi. Verùm huiusmodi responsio non est ad rem, quia, dum dicis, quòd substantia addit tantùm negationem supra illud ens, quod dicit talem determinatum modum essendi, iam non loquitur de ente, quod contrahi debet, sed de ente contracto; ens enim, quod dicit modum essendi substantiæ, est tale ens, nimirum substantia; & ideò est ens iam contractum; vnde vlterius procedendum est, & inquirendum, quomodo ens communissimè sumptum contrahatur, & fiat tale ens, nimirùm substantia, & videndum, an aliquid addat substantia supra ens, vt sic; cum enim dicat proprium constitutiuum, quo ab accidente contradistinguitur, & propriam perfectionem, quia magis perfecta est, quàm accidens; & in eo cum accidente conueniat, quòd habeat esse, concedendum est aliquid proprium substantiæ, quod addat supra id, quod habet commune cum accidente.

Secūda opinio. Suarez. V. Est ergo alia opinio satis frequens apud Recentiores, quam inter alios refert, & sequitur Suarez in metaph. disput. 2. sect. 6. num. 7. & sequentib. Asserit autem, quòd alio modo contingit contractio entis, & cæterarum rationum communium; nam huiusmodi contractio non est imaginanda per modū alicuius compositionis, quamuis solùm secundum rationem; sed tantùm per modū cuiusdā expressioris conceptus, quo cōcipiatur aliquod eus contentū sub ente; quod, ait Suarez, optimè explicari in ordine ad conceptus formales, quia nimirū cōceptus entis, vt sic, formalis est conceptus cōfusus, & indeterminatus, quia repræsentat ens in cōfuso, & indeterminatè, non attingendo aliquē modū peculiarem entis; conceptus verò formalis talis entis determinatè repræsentat tale ens, cum tali modo essendi determinato, & in ordine ad has repræsentationes factas per conceptus formales intelligitur obiectiua contractio entis. Addit autem Suarez, quòd tàm cōceptus entis, quàm substantiæ sunt conceptus simplices, irresolubiles in plures conceptus. Atque ait, quòd sic optimè explicatur contractio entis, quemadmodum etiam quantitas contrahitur ad bicubitam, & tricubitam; nec tamen quantitas bicubita potest resolui in duos conceptus, nempe quantitas, & bicubiti. Et hoc pacto saluatur, quomodo ens possit dicere conceptum præcisum, & determinari ad inferiora, ita vt intime in ipsis includatur absq; processu in infinitum, & etiam saluatur, quomodo suprema genera dicant conceptus simpliciter simplices, & nihilominus possit ab ipsis abstrahi conceptus communis entis.

Impugnatur. VI. Nihilominus hęc, quæ a Suarez adducūtur non cohærent cum eo, quod supra sect. 2. eiusdem disp. 32. dixerat, ibi enim docet, quòd ens etiam comparatum ad inferiora adhuc ab ipsis præscindit, quia, inquit ipse, *Illud ipsum, quod abstractum est in ente, potest ad inferiora comparari, non est enim maior repugnantia in hoc conceptu entis, quam in alijs communibus, sed potius est eadem ratio.* Si ergo potest abstrahi conceptus entis ab inferioribus, & rursus sic abstractus ad ipsa comparari, oportet, vt habeantur duo conceptus distincti, alter, qui comparetur, & alter, qui sit terminus huius comparationis, & ad quem fiat comparatio; vnde substantia erit conceptus resolubilis per ipsum in plures conceptus, nempè conceptum entis, & conceptum inferioris rationis. Sed etiam absolutè hęc sententia falsa est, & inuoluit plura, quæ implicant; Nam imprimis ad saluandam contractionem rationis, etiam per modū compositionis, sufficit, quòd plures rationes obiectiuæ vniantur, quarum altera sit superior, altera inferior, & limitatior; sit autem huiusmodi compositio in ordine ad cōceptus formales, quia sicuti intellectus tantùm distinguit, ita etiam solus componit, atq; cōpositio in eo cōsistit, quòd videlicet prius cōcipiat rationem obiectiuam superiorem cōmunem, deindè concipiat aliquam aliam rationem, quam illi superaddat tanquā determinatiuum, modo intellectus, Quid requiratur ad contractionem.

etiam

etiam per Suarez, concipit prius solam rationem entis ab inferiobus præcisam, deinde concipit peculiarem modum essendi, hic autem modus prius non erat in esse obiectiuo, & modò est, atque vnitur cum ente, vt sic, ergo illi superadditur quò ad esse obiectiuum. Confir. prius intellectus non exprimebat rationem substantiæ, postea exprimit, ergo componit duas rationes, quia compositio rationis fit, quando aliquis conceptus exprimitur, & superadditur alteri, qui prius non exprimebatur, quando enim de nouo exprimitur, ponitur tanquam quid de nouo adueniens in esse obiecti uo; & proinde fit superadditio quædam in esse obiectiuo priori conceptui.

VII. Præterea vbi potest esse separatio, præsertim rationum diuersarum, oportet, quòd fit etiam compositio, ergo ens præscinditur ab inferioribus, nimirum substantia, & accidente, quomodo non interueniet etiam aliqua compositio rationis? aut quomodo substantia erit ita simplex conceptus, vt non possit resolui in plures, vt volebat Suarez? Quòd etiam confir. ex eo, quod habet Arist. lib. 4. metaphys. tex. 1. vbi docet. Quod metaphysica speculatur ens, prout ens est, & ea, quæ illi per se insunt, hoc est inferiora, quæ sunt intra abstractionem metaphysicam; & quamuis nos supra id interpretati simus de ente, quod constat ex intrinsecis principijs, tamen communiter id accipiunt pro ente communissimè sumpto, qua explicatione stante iam dantur aliqua, quæ insunt enti, vbi autem aliquid inest alteri, fit compositio. Tertiò arguo contra eamdem sententiam Certùm est, quòd ens præscindens ab inferioribus non dicit totum id, quod dicit substantia, neque enim dicit perseitatem, quæ est proprius modus essendi substantiæ, sed se habet indeterminato modo, substantia autem dicit propriam rationem, quæ est contractiua & limitatiua entis, vt sic, atque respectu illius se habet, vt perfectiuum; perficit enim ens, dum illud determinat ad modum essendi valdè perfectum; vndè oportet, quòd ratio illa substantiæ, quam ens præcisum non dicit ex se, ipsi adueniat, tanquam ratio limitatiua, & coarctatiua, non possumus autem intelligere limitatiuum vniri cum limitabili, nisi interueniat aliqua compositio rationis, quia eo ipso, quòd coagmentantur diuersæ rationes obiectiuæ, fit aliqua compositio rationis. Quartò substantia, & accidens diuidunt ens præcisè sumptum, tanquam aliquid vtrique commune, huiusmodi autem diuisio non potest intelligi, nisi ratio communis entis vniatur cum rationibus diuidentibus, & proinde, nisi fiat aliqua compositio rationis; hoc enim habetur ex vi rationis superioris, atque communis, vt sic, quod nequeat ad sua inferiora descendere, nisi cum ipsis vniatur, quomodo enim ad inferiora entis descendet, nisi cum ipsis vniatur? Quintò quandocunque magis vniuersale fit minus vniuersale, acquirendo aliquem gradum essentiæ magis determinatum, necesse est, vt concipiamus aliquid illi ab extrinseco aduenire, quia si solùm contraheretur per aliquid magis expressum, quicquid tunc exprimeretur, esset æque vniuersale, ac ipsum, quia ab eius intrinseco, veluti extraheretur, quemadmodum contingit in passionibus, quę quoniam consequuntur ab intrinseco subiecti, sunt æque vniuersales, ac ipsum, vnde cum contractiuum debeat esse minus vniuersale, quam contrahibile, non potest extrahi per maiorem expressionem ab intrinseco contrahibilis, sed opus est, quòd extrinseco adueniat, & sic etiam ratio substantiæ, cum contrahat ens, & non adæquet totam eius latitudinem, debet illi ab extrinseco aduenire, non autem per maiorem expressionem; statim autem ac intelligimus ad uenire ab extrinseco, intelligimus aliquam compositionem. Denique inter rationem substantiæ, & ens vt sic, est aliqua distinctio, nam ens eum præscindat, nullo pacto dicit rationem substantiæ; nec ratio substantiæ dicit explicitè rationem entis; posita autem aliqua distinctione secundùm rationem, potest admitti etiam aliqua compositio.

Præcisio arguit resolutionem in plures cõceptus.

Aristot.

Perfectio perfectiuum entis.

VIII. Ideò tertia opinio est Scotistarum, qui consequenter ad sua principia asserunt hanc contractionem fieri per veram compositionem, non quidem rationis, sed ex natura rei. Nam quemadmodum, vt ipsi docent, ens distinguitur ab inferioribus distinctio-

Tertia opinio.

ne formali ex natura rei ante opus intellectus, ita consequenter admittunt proportionatam compositionem inter ipsum, & inferiora, quæ procedit omnem operationem intellectus, & est compositio quædam minor reali. Addunt autem, quod rationes illæ, seu differentiæ, per quas contrahitur ens, non sunt intrinsecè entia. Hæc autem sententia, si vera esset facilè omnem difficultatem expediret, imò nulla in ea esset difficultas, quia tota ex eo prouenit, quod ens inuoluitur intrinsecè in qua libet ratione contractiua; sed procedit ex falsis præsuppositis, nàm in primis falsum est, quod ens ex natura rei distinguatur à suis inferioribus, vt supra ostendimus. Præterea etiam falsum est, quod differentiæ omnes non inuoluant intrinsecè rationem entis, vt infra ostendimus in peculiari disputatione hac re. Interim instare possumus, si rationes quae contrahunt ens non sunt quid reale positiuum, quomodo seipsis formaliter constituere possunt tale ens reale positiuum; aut si sunt quid reale, quomodo non sunt etiam intinsecè entia? — Reijcit.

IX. Alij ergo, vt refert Suarez citata sect. 6. disput. 2. num. 3. quartò opinantur, quod huiusmodi contractio fiat per modum compositionis secundùm rationem, quæ fiat ex ente, vt sic, & modis positiuis, ita vt substantia sit resolubilis in duos conceptus, nempè in conceptum entis, & conceptum modi contrahentis. Si autem vrgeas, an in illo modo contrahente includatur ratio entis, respondent affirmatiuè, neque hoc esse inconueniens, quia ens est transcendens. Quod si rursus instes, si in illo modo includitur ens, ergo in ipso includitur totum id, quod dicit ens contractum implicat autem, quod contractiuum dicat totum id, quod dicit totum contractum; adhuc respondent diuerso modo ens includi in illo contracto, ac includatur in modo contrahente, siquidem ens innoluitur in illo contracto, tanquam in ente completo; in modo verò contrahente inuoluitur, tanquam in ente incompleto. Præterea si inquiris, & vrgeas, an modus ille contrahens sit resolubilis in plures conceptus: aliqui — Quarta opinio.

dicunt esse resolubilem, quia inuoluit rationem entis, & rationem modi, & rursus hunc modum, quo contrahitur ens ad esse talis modi, adhuc esse resolubilem in plures conceptus, & hoc pacto semper procedendum esse in infinitum. Neq. est absurdum ponere hunc processum in infinitum cum sit tantùm, secundùm rationem, atq. nostram præcisionem. Alij verò dicunt modum illum contrahentem nō esse vlterius resolubilem in plures conceptus, quia cum sit id, quo constituitur id, quod resoluimus, non debet vlterius resolui ne procedamus in infinitum.

X. Hæc sententia nonnulla vera continet, simpliciter tamen falsa est, atque reijcienda, nàm vel cogitur admittere processum in infinitum, qui etiam si sit secundùm intellectum nostrum distinguentem, adhuc tamen continet magnam absurditatem, & implicat, nam cum obiectum, circa quod versatur præcisio sit limitatum, oportet eius perfectionem totam ad finitas rationes obiectiuas reducere, atque cum vna sit tantùm ratio entis communissima, vna tantum potest præscindi. Vel dicendum, quod modus contractiuus non sit in plures conceptus resolubilis, quod neque potest dici, quia si inuoluit rationem entis, & rationem modi, cur non poterit ab ipso ratio entis præscindi? aut quæ maior ratio, quod possit à substantie, & accidente præscindi, & non ab illo? omnis enim ratio obiectiua, quæ natura sua est præcisibilis, potest semper præscindi in quocunque reperiatur. Deinde illa distinctio, quæ dicitur ens includi in substantia, vel quocunque alio ente contracto, tanquam in ente completo, & in modo contractiuo, tanquam in ente incompleto prorsus friuola est, nam quid minus dicit modus ille substantiæ inuoluens ens, quàm dicat substantia, substantia enim solùm dicit rationem entis, vt sic, & proprium modum, at etiam ille modus dicit rationem entis, & talem modum; cur ergo substantia erit ens completum, & non ille modus, cum ambo eadem dicant? Deinde nonne ens inuoluitur in illo modo, tanquam ratio superior transcendens? cur ergo statim non constituitur tale ens, nempe substantia? — Impugnatu. — Nullum ens pōt re oiui in infinitas rōes obiectiuas.

tia? Non ergo potest hæc sententia sic explicata subsistere.

Propria sententia.

SECTIO III.

Quid formaliter contractio.

I. VT igitur nostram sententiam circa hanc entis contractionẽ proferamus, prius oportet adnotare, in quo formaliter consistat contractio. Contractio ergo, quantùm est ex vi suæ rationis formalis, nihil aliud est, quàm transitus ad minorem latitudinem; sumendo nunc latitudinem amplè pro quacunque latitudine, ex vi cuius coarctatur, & strictiores terminos acquirit; vnde quando quantitas bipalmaris fit palmaris coarctari dicitur; Hinc ergo seruata proportione, quando ratio aliqua communis trahitur ab illa sua communitate ad aliquam minorem, vel ad esse indiuiduale, coarctari dicitur, quia restinguntur eius limites, & quæ prius ad plura ordinabatur, determinatur modo, vt fit in vno tantùm, vt cum generica natura fit specifica. Verùm huiusmodi contractio in rationibus communibus non fit per ablationem alicuis rei, sed per additionem, ita tamen, vt quòd additur sit minus vniuersale, & habeat minorem latitudinem, quia ex vi huius minoris latitudinis ratio illa trahit naturam communem ad minorem vniuersalitatem, atque adeò restringit eius limites, & coarctat se ipsam formaliter exibendo. Quare ad contractionem de qua modo loquimur non aliud requiritur, quàm quod contractiuum, seu ratio minus communis exibeatur contrahibili, quo formaliter ad minorem latitudinem redigatur.

Ens cõtrahitur ad inferiora.

II. Ex hoc autem sequitur ens præcisè acceptum contrahibile esse ad sua inferiora, seruata ratione formali contractionis; Conceptus enim entis præcisè acceptum est quid communissimum continens sub se omnia inferiora, quibus determinatur, ita vt tanquam aliquid commune in ipsis reperiatur; rursus quælibet ratio inferiorum habet minorem vniuersalitatem, quam habeat ratio entis, vt per se euidens est; per ipsam igitur ens trahetur ad minorem vniuersalitatem, & latitudinem, dum illi seipsam exhibet, in quo formaliter consistit ratio contractionis. Difficultas ergo est quomodo fiat huiusmodi contractio; atque ex eo oritur tota difficultas, quod ens imbibitur in inferioribus, ita vt inferiora nequeant ab ipso adæquatè præscindere ex quo fit vt nequeat aliquid aduenire enti, quòd non sit ens; quomodo ergo ens erit contractiuum entis?

Ens peculiari modo contrahitur.

III. Pro quo vlterius est aduertendum, quòd contractio entis non se debet habere eo pacto, quo se habet contractio cœterarum rationum communium, sed cum sit transcendens, oportet vt peculiari modo contrahatur, qui ipsius transcendentiæ proportionatus sit; cum ergo in hoc differat à cæteris rationibus communibus non transcendentibus, quòd ipsum inuoluitur in ipso contractiuo oportet, vt tali modo contrahatur, quo simul, & semel, & descendat ad inferiora acquirendo aliquem gradum entis de nouo, & imbibatur in rationibus contractiuis. Certum est autem, quòd dum ens descendit ad inferiora acquirit nouum gradum entis, nam si consideretur secundùm suam rationem vniuersalissimam præcisam, non dicit aliquem modum determinatum essendi, sed tantùm importat id, quod habet esse vt toties diximus; quando verò fit tale ens v.g. substantia, acquirit nouam rationem entis, nimirum proprium illum gradum, quo constituitur in esse substantię, qui est ab omnibus alijs gradibus contradistinctus, & est quid reale posititiuum vt sect. præcedenti contra primam sententiam argumentabamur; atque necessariò sequitur, vt sit quid superaddi tum enti; si enim ens quando est iam factum substantia, dicit aliquid amplius, quàm dicebat, quando habebat esse præcisum, quomodo fieri potest, vt non fuerit aliquid ipsi superadditum? implicat enim, & est omnino intelligibile, quòd aliquid crescat in esse, & non superaddatur aliquid esse; quomodo enim numerus binarius crescet, & fiet ternarius nisi addatur ei aliqua vnitas? Itaque quando ens descendit ad inferiora, & fit tale ens, fit aliqua superadditio, nimirum talis gradus entis determinati.

Ens vt quid potentiale contrahitur.

IV. Atque in hac superadditione ens se habet, vt quid determinabile, atque adeo vt quid potentiale, quòd verò superadditur, vt determinatiuum, & actuale. Ens enim importat tantùm funda-

mentum

mentum primum essendi, in quo omnes peculiares rationes entis fundantur, atq; adeò modo valdè indeterminato se habet, & veluti potentiali respectu omnium graduum entis, quorū est susceptiuus; & quemadmodum datur materia prima susceptiua omnium formarum, respectu quarum est prima potentia, & primum subiectum; ita etiam ratio entis proportionali modo est prima potentia respectu omnium graduum, qui sunt intra latitudinem entis realis; Atque huiusmodi gradus veluti actuant ens, reducendo ipsum ad determinatum modum essendi; ita vt & ens, & hi gradus se inuicem exhibeant; Ens quidē se exhibet, vt prima ratio conferens seipsa realitatem propriam vnicuique, atque adeò ita descendet ad inferiora, vt imbibatur intrinsecè in vnoquoque gradu ipsorum; gradus autem inferiorum ita se exhibent, vt ab ente recipiant realitatem, ipsi verò determinent realitatem acceptam ab illo, & sic fit quædam compositio ex ente tanquam ex ratione communicante realitatem, & ex gradibus inferiorum, tanquam ex determinatiuis realitatis acceptæ.

Quomodo in coarctatione entis gradus inferiorum se mutuo exibeant.

V. Verùm hic vrget difficultas superius inculcata, quō gradus determinātes ens sint entia, pro cuius declaratione explicare oportet, quomodo concipienda sit hæc compositio, & coarctatio. Omnis autem compositio debet proportionari cum extremis componentibus, atq; noster intellectus debet eam imaginari talem, qualem ex natura sua exigunt extrema, quę veniūt in compositionem: vndè si se habēt per modum actus, & potentiæ, debet eam concipere, quòd fiat per modum actus, & potentiæ. In hac ergo compositione, in qua ens coarctatur ad inferiora, quando concipiuntur extrema venire in compositionem, non debet ex parte ipsorum plus concipi, quàm vnumquodque tali compositioni, atque coarctationi confert; vndè quia ens venit in compositionem tanquam ratio communis communicans seipsa formaliter vnicuique realitatem, ideo imaginandum est hoc extremum tanquam communicatiuum totius illius realitatis vt sic, quæ reperitur in illo cōposito. Econtra verò coarctatiuum entis est imaginandum tanquam conferens determinationem in essendo ipsi enti, & simul ab ipso recipiens realitatem, ita vt quantum est de se, non habeat, vndè subsistat in esse reali, sed recipiat ab ente, quod coarctat; & ex se ad hanc compositionem conferat tantùm determinationem essendi. Quia tamen nihil potest reperiri, quòd reale non sit, ideo intellectus noster, dum concipit hoc terminatiuum tanquam potens determinare ens, oportet, quòd concipiat in ipso rationem entis, per quam subsistat in esse reali; verùm determinatiuum non dicit explicitè hanc rationem entis, sed solùm implicitè; neque illam dicit tanquam id, quod conferat compositioni ex parte sui, sed tanquam acceptam ab altera parte componente. Quamobrem hæc compositio non est concipienda ad modum cæterarum, in qua interueniant duo extrema componentia, quæ separata adhuc subsistant; sed quemadmodum ens, dum ab inferioribus separatur, amittit determinationem in essendo, quia eam ab ipsis accipit, ita similiter determinatiuum entis, quia ab ente accipit realitatem, dum separatur ab ipso, debet illam amittere, & non subsistere in esse reali; vt autem tanquam reale determinatiuum se habeat, oportet, illud concipere cū realitate illa, quam recipit ab ente, quod contrahit.

Quomodo concipienda sit contractio entis.

VI. Dicendum ergo est. Ens coarctari ad inferiora per aliquid superadditum, & per modum compositionis, in qua ens communicat realitatem coarctatiuis, & coarctatiua communicant enti determinationem in essendo: vndè fit compositio ex ratione indeterminata entis, & coarctatiuo ipsius. Ad illam ergo interrogationem, in quo quæritur, an determinatiuum entis sit ens, respondendum est, esse quidem ens, non ex se, sed ratione illius, quod coarctat, ipsum enim coarctando recipit esse ens, in compositionem tamen non venit ratione entis, sed ratione determinati modi essendi, quem importat; & hoc pacto saluatur, quomodo duo extrema concurrant ad hanc compositionem, & vtrumque conferat aliquid diuersum ab alio. Quod autem interueniat compositio ex eo declaratur, quòd semper tanta est compositio, quanta distinctio, & si distinctio realis est, compositio quoque erit realis, si verò distinctio est rationis, compositio quoque est rationis. Cum

Conclusio. Ens coarctatur ad inferiora per aliquid superadditum.

ergo ratio entis distinguatur secundù n rationem à suis inferioribus, à quibus præscindit, atque etia n inferiora secundùm suam rationem expressam, atque coarctatiuam sint diuersa ab ente, dum simul concurrunt ad constituendum tale ens, conserente altero ipsorum realitatem, & altero modum determinatum essendi, oportet, quòd vniantur, atque adeò efficiant aliquam compositionem rationis. Neque obstat, quòd quando coarctatiuum entis se habet vt quid reale subsistens in se, inuoluat implicitè rationem entis, quia non intelligitur habere rationem coarctatiui, prout dicit rationem entis, sed prout dicit rationem limitatiuam, atque, vt dictum est, hanc rationem entis habet à natura, quam coarctat. Neque eadem est ratio, vt volebat Suarez, de quantitate, quæ coarctatur ad esse bicubitum, aut tricubitum, siue de alijs huiusmodi contractionibus, nam ratio bicubiti non importat nouum gradum entis, siue quantitatis, quemadmodum importat ratio substantiæ, & accidentis; sed solùm dicit mensuram quantitatis, seu molem, quæ non est quid diuersum à quantitate, sed est ipsa quantitas cum tanta, aut tanta extensione

Ad rationes dubitandi.

VII. Ex dictis autem colligitur solutio rationum dubitandi, quas sect. 1. attulimus. Ad primam enim dicitur, illud, quod contrahit ens, esse quidem ens, vt modò dicebamus, sed quia accipit esse ens ab eo, quod contrahit, ideo non contrahit, prout est ens, sed prout est limitatiuum entis, & ideo non sequitur quod idem contrahat seipsum. Hinc etiam ad secundam rationem eodem modo respondetur; quòd contractiuum entis, vt contractiuum, est quidem intrinsecè ens, sed, vt diximus, non habet ex se, quòd sit ens, sed ab ipso ente, quod contrahit, quia ens communicatur omnibus inferioribus, vt exhibens illis realitatem; hinc fit, quòd contractiuum, quamuis sit ens, non tamen se exhibeat enti secundùm rationem entis, sed secundùm rationem limitatiui. Sic ad confirmationem dicimus, quòd natura communis debet excludi à contractiuo non simpliciter, sed solùm quatenus se illi exhibet vt contractiuū; cum enim ratio communis communicet suum effectum formalem inferioribus, ad quæ descendit, non est contra rationem coarctati-

Contractiuum entis nō contrahit prout ē ens sed prout limitatiuū.

ui, si recipiat esse reale à ratione communi, quando ipsa est communicatiua realitatis, & transcendens; ita vt debeat imbibi in omnibus inferioribus. Atque eodem modo respondendum est ad tertiam rationem dubitandi, quòd scilicet in hac contractione aliquid addatur supra ens, nimirum illud limitatiuum entis, quòd quidem, quantum est de se, non includit rationem entis, nimirum prout se exhibet vt limitatiuū, sed solùm quatenus illam recipit à ratione, quam contrahit, vt iam explicatum est. Et cum instatur, quòd inferiora entis nihil superaddere possunt, quòd non sit ens, quia illa ipsa taleitas, qua dicuntur talia entia, est ens; dicimus, quòd addunt supra ens illam taleitatem, quæ nō solùm dicit rationem entis, quam recipit, vt diximus, à ratione entis superiori contrahibili, sed insuper dicit, quòd sit determinatiua entis ad certum gradum essendi, & quòd constituat tale ens, & hoc sufficit ad hoc, vt dicatur aliquid addere supra ens.

In contractione aliquid additur supra ens.

VIII. Denique ad vltimam negandum est, sequi illum processum in infinitum, qui ibi contenditur; nam quamuis, quod additur supra ens, illa nimirum ratio determinatiua, sit ens, non tamen est ens per aliquam aliam rationem entis diuersam ab illa, quam contrahit, sed per illam ipsam, quia, vt diximus, ens vt sic ex eo, quòd est transendens, & ratio formalis realitatis, communicat suis contractiuis esse reale; & ideò per quamcumque abstractionem semper eadem ratio entis abstrahetur, absque processu in infinitum. Atque hæc contractio optimè explicari potest exemplo materiæ, & formæ, quemadmodum enim materia est substantialis potentia, & per formam determinatur tanquam per actum, vt sit hæc, vel illa essentia, siue natura physica, forma verò recipit à materia subsistentationem, sinè qua non posset subsistere, ita etiam ens determinatur ab inferioribus, vt sit tale, vel tale ens; inferiora verò recipiunt ab ipso, quod sint entia, & aliquid reale. Et hoc pacto intelligendus est D.Th.quæst.1.de verit. ar.1. dum ait; *Sed enti nihil potest addi tanquam extranea natura, per modum, quo differentia additur generi, quia qualibet natura essentialiter est ens, sed secundum hoc aliqua dicuntur addere supra ens,*

Ex contractione entis non sequitur processus in infinitum.

D.Th.

ens, in quantum exprimunt ipsius modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur. Ecce ergo, quomodo inferiora entis superaddunt ipsi modum essendi determinatum, qui quidem est ens, sed non per extraneum ipsi enti, sed per ipsum ens, quod contrahunt.

An ens sit de essentia omnium inferiorum.

Disp. XXXVIII.

Scotistarum sententia — *Sect. I.*
Præfertur opposita sententia. — *Sect. II.*
Satisfit rationibus oppositæ sententia. — *Sect. III.*

Scotistarum sententia.

SECTIO I.

Punctus difficultatis.

I. AD explicandam transcendentiã entis, quæ in eo consistit, quòd per omnia inferiora vagetur, inquirendum est, an sit de essentia omnium inferiorum, ita vt de ijs quidditatiuè prædicetur, an verò non transcendat per omnia, sed aliqua excludantur, in quibus non reperiatur. Loquimur autem de inferioribus, prout subsistunt in se, & non secundùm id, quod exhibent enti, quãdo ipsum contrahunt, quia, vt diximus, secundùm rationem entis non exercent rationem contractiui, sed solùm secundùm rationem limitatiui. Similiter etiã loquimur de ente, cuius hucusque naturam explicauimus, nimirum de ente quidditatiuè, & nominaliter sumpto; quia si loquamur de ente participialiter sumpto, prout importat actuale exercitium existentiæ, verùm est, quòd non est de essentia alicuius entis creati, nullum enim ex ipsis necessariò, & ex vi suæ essentiæ existit, sed ex libera Dei voluntate. Vnde reijcienda est opinio Achillini apud Zimar. in sua tabula, verbo *Ens*, qui putauit, ens, etiam prout importat existentiam, prędicari quidditatiuè de omnibus rebus.

Reijcitur Achillin.

Ens prędicatum essentiale.

II. Præterea supponendum quoq; est, quòd ens ex natura sua est prædicatum essentiale, vt etiã supra tetigimus; vnde de ijs omnibus, de quibus dicitur, essentialiter dicitur. Et ratio meo iudicio manifestissima est, nam, vt hucvsque sæpè dictum fuit, ens, nihil aliud importat, quàm id, quod habet essentiam, & est ratio formalis realitatis; quid autem essentialius, atque intimius est vnicuique rei, quàm habere essentiam, & esse quid reale? Est enim adeò essentiale, vt neque per intellectum possit separari, cuius oppositum contingeret, si non esset ex natura sua prædicatum essentiale, præsertim cum res ab intrinseco suo distinguantur à nihilo, ita vt formale distincti uum sit ijs essentialissimum; formale autem contradistinctiuum à nihilo nullum aliud est, quàm ipsum ens; per quod etiã res habent, quòd constituantur in esse participato, tanquam per primam rationem participationis. Est autem ex natura sua prædicatum essentiale, sed diuerso modo ac cœtera; non enim essentiale est, quemadmodum sunt vera prædicata generica, & specifica, sed seruat in hoc suam transcendentiam, vt videlicet sit de essentia tanquam quid intimè inclusum, & imbibitum in ijs, quibus essentialiter conuenit. Hoc ergo stante, quęrimus, an sit de essentia omnium inferiorum, an verò aliqua excipienda sint, & difficultas præcipuè procedit de vltimis differentijs, & passionibus ipsius entis. Solet etiam dubitari de Modis, sed nos de his agemus alibi; vbi inquiremus an concedendi sint, quia si conceduntur tanquam aliquid reale, consequitur etiã, præsertim ex ijs, quæ modo dicturi sumus, quòd sint entia essentialiter, eo modo, quo reales sunt.

III. In hac ergo difficultate prima opinio est Scoti in 1. dist. 3. quæst. 3. §. *Ad quæstionem igitur respondeo, &c.* & dist. 8. quæst. 2. & in 2. dist. 3. quæst. 3. qui excipit proprias passiones entis, & differentias vltimas, de quibus negat ens prædicari quidditatiuè, aut includi in ipsis essentialiter. Sequuntur hanc doctrinam communiter Scotistæ. Anton. Andreas 4. Metaph. quæst. 3. Tomb. ibid. Declarat autem Scot. hanc suam sententiam explicans, quid nomine vltimarum differentiarum intelligat. Ait enim, quòd quædam differentiæ resolui possunt in plures conceptus, nimirum quidditatiuum, & qualitatiuum; seu determinabilem, & determinantem, & hæ non

Prima opinio Ens non dici quidditatiuè de vltimis differentijs, & de suis passionibus Scot.

Anton. Andreas Trõbeta

sunt

sunt differentiæ vltimæ, quia scilicet includant pluralitatem conceptuum, nec sunt id, quod vltimo importat formam. Aliæ verò differentiæ dicunt tantùm conceptum qualificatiuum, hoc est exercent tantùm puram rationem differentiæ, & merè se habent, vt Quo, & has vocat Scotus vltimas differentias, quia non sunt resolubiles in plures conceptus, sed dicunt puram, & vltimam rationem qualificatiuam. Quemadmodum enim, inquit ipse, vltimum genus, in quod res resoluitur, dicit tantùm conceptum quidditatiuum, ita vltima differentia dicit tantùm conceptum qualificatiuum. Est autem hoc discrimen inter conceptum quidditatiuum, & qualificatiuum, non quòd qualificatiuus non sit de quidditate rei, sed quia se habet per modum adiacentis; quidditatiuus verò se habet per modum per se stantis, & est ille, cui adiacet qualificatiuus, vndè differentia non vltima per Scotum se habebit per modum cuiusdam speciei, quæ ex duplici parte constabit, nempe conceptu quidditatiuo, qui se habebit ad modum generis, & qualificatiuo, qui se habebit per modum differentiæ.

Fundamentum huius sententiæ. IV. Arguit autem primò Scot. pro sua sententia. Si vltimæ differentiæ includerent ens, in quo conuenirent, non se haberent purè, vt quo, sed vt Quod, & non essent differentiæ, sed potius differentes, quia in aliquo conuenirent, & in aliquo differrent. Possent ergo resolui in conceptum secundùm quem conueniunt, & in conceptum secundùm quem differunt; rursus inquiritur de hoc conceptu, secundùm quem differunt, an includat ens; si includit, adhuc poterit resolui in plures, & sic aut procedendum erit in infinitum, aut sistendum in aliqua ratione vltima differentiæ, quæ non includat ens; si verò non includit ens, iam conceditur differentia, de qua ens quidditatiuè non prædicetur. Secundò arguit idem Scotus. Composita metaphysica seruant proportionem ad physica, quia sicuti hæc constant ex actu, & potentia physica: ita illa constãt ex actu & potentia metaphysicis; sicuti ergo in compositione physica deuenitur ad puram potentiam, quæ sit omnium prima, excludens omnem actum, & ad actum vltimum, qui excludat omnem potentiam, ita etiam in compositione metaphysica deueniendum est ad primum genus, & vltimam differentiam, quæ excludat omnem rationem potentialem, & consequenter etiam rationem entis.

Secundò.

V. Deinde autem probat specialiter de passionibus, & Tertiò arguit pro ipsis. Passiones prædicantur de subiecto in secundo modo dicendi per se, ex hoc autem fit, quòd subiectum ponatur in definitione passionum, tanquam additum, seu in obliquo, ex quo manifestè sequitur, vt inuoluatur in suis passionibus, tanquam aliquid essentiale, alioquin poneretur in definitione in recto; ergo neque ens, cum sit subiectum suarum passionum, inuoluitur in ipsis, tanquam aliquid essentiale. Confir. Propositiones per se non conuertuntur ex 1. Poster. cap. de statu principiorum. vndè si aliquid dicitur per se de subiecto, non econtra subiectum dicetur per se de passione, sed per accidens, & consequẽter ens de suis passionibus. Quartò, Ens adæquatè diuiditur in increatum, & decem summa genera, tanquam in ea, de quibus quidditatiuè prædicatur. Passiones autem ipsius, neque sunt ens increatum, neque aliquod ex decem generibus, ergo non prædicabitur de ipsis quidditatiuè. Quintò passiones entis nõ includũt ens solũ, sed etiã aliquid aliud, alioquin idem esset passio suipsius, vel ergo illud aliquid aliud, de quo rursus inquiri potest, an includat ens, includat ens, & sic procedendum erit in infinitum. Si verò illud aliquid aliud non includit ens, hoc erit passio, & de ipso non prædicabitur ens quidditatiuè. Denique passiones entis cum ipso adæquantur, ergo nõ potest prędicari de ipsis vt genus, & consequenter, nec quidditatiuè.

Tertiò. Quartò. Quintò. Sextum.

Præfertur oppoſita ſententia.

SECTIO II.

Oppoſita ſententia. D. Tho. Caiet. Capr. Soncin. Iauel. Soto Fonſeca Suarez Hurtad. Auerſa Ariſtot.

I. OPpoſita ſententia; quæ extra ſcholam Scotiſtarum communis eſt, docet, quòd ens, vt quid eſſentiale inuoluatur etiam in vltimis differentijs proprijs paſſionibus, atq. omni alia re, quæ talis ſit. Ita præcipuè inter alios docent D. Thom. 1. contra Gent. cap. 25. & quæſt. 21. de Verit. ar. 1. & 1. par. quęſt. 3. art. 4. Caiet. de ente, & eſſent. cap. 1. quæſt. concl. 2. Capr. in 1. diſt. 8. q. 1. Soncin. 4. metaphyſ. quęſt. 19. Iauel. ibid. quæſt. 5. Soto in Anteprædic. cap. 4. Fonſeca 4. metaph. cap. 2. quęſt. 3. ſect. 1. Suarez in metaph. diſp. 2. ſect. 5. num. 16 Hurtad. item in metaph. diſp. 2. ſect. 4. Auerſa in ſua Philoſophia quęſt. 3. ſect. 9. & alij complures: Atq. in hoc ſecuti ſunt doctrinam Ariſt. 3. metaph. tex 10. qui vt probet Ens non eſſe genus, ex eo argumentatur, quia ſi eſſet genus deberet eſſe extra differentias: exiſtimat autem eſſe abſurdum, quòd Ens ſit extra differentias. Neque poteſt dici, quòd intelligat de ſolis differentijs non vltimis, quia loquitur de ijs differentijs, reſpectu quarum obtineret rationem generis, ſi eſſet genus, ſi autem eſſet extra vltimas differentias, eſſet genus reſpectu illarum, quia ratione ſuæ maximæ vniuerſalitatis complectitur omnia ſub ſe; quare cum tanquam abſurdum, infert, quod ens ſit extra differentias, intelligi debet de differentijs omnibus, tàm vltimis, quàm non vltimis. Quòd præcipuè verùm eſt, quia in ſententia Scoti illæ ſunt vltimæ differentiæ, quæ non poſſunt reſolui in plures conceptus, nimirùm quidditatiuum, & qualificatiuum; omnes autem differentiæ poſſent reſolui in proprium tantùm conceptum qualificatiuum, & ſic ens eſſet extra illas, & conſequenter extra omnes differentias.

Ens non eſt extra differentias.

Reducit difficultas ad generale quæſitum.

II. Vt igitur hanc ſententiam confirmemus, quam veriſſimam eſſe exiſtimo; ne diuerſitate difficultatum implicemus, quia nondum aliquid certi de paſſionibus entis determinauimus, ideò aduertimus, quòd difficultas ad generale quæſitum reduci poteſt, ex cuius ſolutione omnis difficultas circa hanc materiam dependebit; nimirùm an poſſit dari aliquid reale, quod importet rationem aliquam, qua ens, vt ſic, quocunque modo afficiatur, ſiue determinetur, ſiue qualificetur, quæ tamen non inuoluat eſſentialiter ipſum ens; quia ſi concluditur negatiuè, conſequenter neq. poterunt dari vltimæ differentiæ, quæ non inuoluant intrinſecè ens, & paſſiones entis, ſi reales ſunt, inuoluent ens; ſi autem reales non ſunt, certum eſt, quòd non inuoluent ens, neque in tali caſu difficultas de ipſis procederet. Si verò poteſt dari aliquid reale, quod non inuoluat ens, id certè de nullo magis videtur concedendum, quàm de paſſionibus entis, vt pote, quia originantur ſuo modo ab ipſo, & conſequenter videntur debere contradiſtingui, & ſimiliter de differentijs vltimis, quia in tali caſu aliqua inferiora entis poterunt ſeparari ab ipſo ente, & hæc erunt illæ vltimæ differentiæ, quas ponit Scotus. Sumimus autem hic Reale etiam pro eo, quod deſumptum ab ente reali phyſico eſt tantùm obiectiuè in intellectu, & importat ſolùm aliquam formalitatem metaphyſicam.

Cõcluſ. Nõ dat aliquid reale nõ inuoluẽs ens.

III. Hoc igitur ſic ſtante. Dicẽdum eſt, nihil reale dari poſſe, quod non inuoluat eſſentialiter rationem entis, tanquam rationem formalem ſuæ realitatis, & conſequenter omnes differentias, ſiue non vltimas, ſiue vltimas, atque paſſiones entis, ſi modo ſunt reales, eſſe eſſentialiter ens; ita vt ens prædicetur quidditatiuè de ipſis. Quod ita intelligi debet, quod ens coarctatur quidem à ſuis inferioribus, ſiue vltimę differentię ſint, ſiue non, atque inferiora, prout ipſum coarctant, non exhibent illi rationem entis, tamen ens ita deſcendit ad ipſa, vt ijs communicetur, tanquam ratio eſſentialis, & conſtitutiua illius realitatis, quam dicunt, ita vt nequeant inferiora concipi tanquam quid reale, niſi dicant ſaltem implicitè rationem entis, vndè ſiue concipiantur, tanquam contractiuum, ſeu vltima differentia, ſiue tanquam paſſio, ſiue quocunque alio modo, dummodo concipiatur, vt quid reale, debet ſemper inuoluere rationem entis.

IV. Si autem explicata hęc ſenten- 1. ratio.

tia prob. efficaci ratione. Si concedatur semel aliquid reale, siue illud sit vltima differentia, siue aliquid aliud, quod non inuoluat rationem entis essentialiter, sequitur, vt omnes rationes, & inferiora entis illam non inuoluant, & consequenter, quod ens de nullo quidditatiuè prædicetur; hoc autem est maximum absurdum, ergo implicat, quod detur aliquid reale, quod non inuoluat rationem entis. Sequela autem ista, in quauis tota argumenti consistit, declaratur nam ideo possunt dari istæ differentiæ vltimæ, quæ non inuoluant rationem entis, quia sunt conceptus simplices, & qui non possunt vlterius in plures conceptus resolui atque ideo non possunt in plures conceptus resolui, quia possunt separari etiam à ratione entis; Eadem autem ratio est de omnibus inferioribus entis, nam imprimis rationes omnes, quæ determinant ens, possunt semper, & semper resolui in diuersos conceptus obiectiuos, quoadusque deueniatur ad aliquem ita simplicem, qui non possit vlterius resolui, quia si adhuc inuoluit pluralitatem rationum formalium, adhuc poterit in illas resolui, cum eo ipso, quod rationes inferiores entis habeant aliquam diuersitatem, possunt inuicem separari. Quod etiam confirmatur, vel enim posito aliquo conceptu obiectiuo potest adhuc resolui in plures, vel non. Si potest resolui resoluatur ergo, & deueniatur ad eos, qui non possunt vlterius resolui. Si verò non potest in plures resolui, iam erit simplex, & irresolubilis. Rursus etiam inferiora sunt separabilia per Scotum etiam à ratione entis, ens enim est ex natura sua ita seperabile ab inferioribus, vt possint sine ipso inferiora manere; non enim quando aliquod inferius dicit propriam rationem, atque etiam rationem entis minor ratio est de ipso, quam de illis differentijs, de quibus loquitur Scotus, quod non possit separari. Cum ergo omnia inferiora possint ita inter se resolui, vt deueniatur ad simplices conceptus, atque etiam separari possint à ratione entis, sequitur, vt ens de nullo ipsorum dicatur quidditatiuè.

Ens aut de ibus aut de nullo inferiori qddita tiuè prædicatur

V. Confirmatur etiam hæc ratio. Ideo dari possint vltimæ differentiæ, quæ non inuoluant rationem entis; quia dum inuolunt, adhuc sunt resolubiles in plures conceptus, & non alia ratione possunt in plures conceptus resolui, nisi quia ratio entis est diuersa à propria ratione ipsarum; verum hæc eadem ratio militat respectu omnium inferiorum entis; nam dicunt propriam rationem, quæ diuersa est à ratione entis, ergo omnia poterunt separari ab ente, & consequenter ens de nullis quidditatiuè prædicabitur. Quod præcipuè verum est in sententia Scoti, qui non minus distinguit ens à cœteris inferioribus entis, ex natura rei ante operationem intellectus, quàm distinguat ab vltimis differentijs. Confirmatur secundò, quia non alia ratione ens videtur in aliquo inferiorum debere essentialiter includi, nisi vt illi conferat suum effectum formalem, qui est reddere reale. At si vltimæ differentiæ perseuerare possunt in esse reali absque eo, quod includant ens, etiam alia inferiora perseuerare poterunt, cum nulla appareat ratio disparitatis, & idcirco eodem modo poterunt, & ipsa ab ente separari. Confirmatur tertiò omnis conceptus obiectiuus, vel est omnino simplex, vel compositus, & per Scotum omnis conceptus compositus resolui potest in simplices; qui idcirco docet vltimas differentias non includere rationem entis, quia sunt simplices, nec possunt resolui in plures cõceptus; sumo ergo inferiora omnia entis, & de vnoquoque inquiro, an resolui possit in plures cõceptus, seu an includat rationem entis; sic includit iam poterit resolui in proprium conceptum, & conceptum entis, quemadmodum vltimæ differentiæ, quando concipiuntur cum ente imbibito, & sic remanebunt inferiora omnia sine ente. Si verò non inuoluunt ens, iam habetur illud absurdum, quod inferebamus, nimirum, quod nullum ex inferioribus entis includat ens, & consequenter de nullo prædicetur quidditatiuè.

Confir. secũdo.

Confir. tertio.

VI. Secundò principaliter declaratur, & confirmatur hæc sententia, Tota ratio fundamentalis, cur Scotus ab vltimis differentijs excludat rationem entis est, quia sunt purè differentiæ, & so-

Secũda ratio.

Confir.

lùm se habent vt quo, & qualitatiuo modo, & eadem ratio proportionalis est de passionibus, & modis; verum ex hoc ipso sequitur, quod sint entia, quia eo ipso qnod se habent, vt quo, oportet, quòd formaliter conferant aliquid, quo positinè qualificent, & faciant differre; & conferant aliquem modum essendi, quæ omnia important effectum formalem positiuum, qui proueniat à tali differentia, quomodo autem effectus positinus potest esse ab eo, quod non est ens, equidè non percipio, quomodo possit aliquid, quod non est ens, hos effectus exercere; qnod enim hos effectus exercet, oportet, quòd in se subsistat tanquam aliquid, effectus enim sunt reales, at quomodo sine ratione formali realitatis, quæ est ratio entis, potest aliquid esse reale? Imò ex vi differentiæ, vt sic sequitur, vt qnælibet differentia, debeat esse realis, & inuoluere rationem entis, nàm cum sit cnarctatiua rationis genericæ reali limitatione, interuenit etiàm compositio realis. At ad realem compositionem requiruntur extrema realia, quomodo enim, quod non est ens veniet in compositionem cum eo, quod est ens? Qnod etiam confirmari potest, quia vltimæ differentiæ, nunqnam possunt cum tanta præcisione considerari, qnin à nihilo contradistinguantur, ergo debent participare formale coutradistinctiunm, seù extremum contradictorium nihili, hoc autem non est aliud, quàm ratio entis; quare non potest vltima differentia cum tanta præcisione accipi, quin innoluat communem rationem entis.

Differētijs exco gpeſt dif ferētia dēi etiā ans.

VII. Dices, nonne inferiora veniunt in compositionem cum ente, vt supra diximus, & tamen non exhibent tali compositioni rationem entis, ergo non est necessè, vt ad compositionem cnm ente reali, alterum extremnm sit ens. Respondetur, quòd diximus, inferiora, quæ contrahunt, inuoluere qnidem implicitè ens, ratione cuins habent, quod sint quid reale, & ideò semper, quando præcisissimè concipiuntur, adhuc implicitè ipsum inuoluunt, sine quo impossibile esset, quòd tanquam aliquid reale in se subsisterent, & etiam diximus, quòd quamuis sint entia non veniunt, tamen in compositionem cum ente, secundùm rationem limitatiui: hoc autem peculiare est compositioni, quæ fit ex, ente, & inferioribus; quia videlicet inferiora recipiunt à ratione, quàm contrahunt, quòd sint entia; secus autem contingit in aliis metaphysicis compositionibus; in quibus neutrum extremum recipit ab alio esse entis, & ideo debet ex se id habere, vt efficiat realem, & positiuam compositionem. Vltimæ autem differentiæ veniunt in compositionem cum genere, & constituunt vnam naturam realem cum ipso, & proinde, oportet, vt ex se sint quid reale participans rationem entis. Et hinc elici potest confirmatio, nam vltimæ differentiæ, & quodlibet aliud metaphysicum prædicatum sunt pars naturæ positiuæ, ergo habent in se esse quid positiuum, omne enim totum positiuum constare debet partibus positiuis, atque adeo quæ dicant rationem entis.

Diluitur obiectio.

VIII. Tertiò argumentor, quodlibet reale, & in particulari vltimæ differentiæ participant passiones illas, quæ enti attribui solent, nec ab aliquo intellectu tanta præcisione præscindi possunt, qnin adhuc illis conueniant passiones huiusmodi; statim enim ac aliqnid reale est, est in se indiuisum, & diuisum à qnocunq. alio, & ideo vnum; rursus intelligitur ab intellectu, & proinde participat rationem veri, quod est altera passio entis, quibus etiam annexa est tertia passio, videlicet bonitas, habet enim, si est quid reale, suam propriam perfectionem, in qua fundatur bonitas; si ergo quodlibet reale participat passiones entis, oportet, vt participet etiam radicem talium passionum, neq. enim propria passio separabilis est à subiecto proprio sed seinnicem inferunt, & quemadmodum passiones illi conneniunt in secundo modo dicendi per se, ita ratio entis debet conuenire in primo modo, nempè, vt qnid quidditatium; atque ita à posteriori elicitur, quòd quicquid reale est, debeat intrinsecè participare rationē entis. Sed etiā hoc ipsum sequitur ex ipso cōceptu realitatis, qnid.n. quæso est esse quid reale, nisi habere esse, & contra distingui à nihilo; hoc autē ipsum importat etiā cōceptus entis; vndè cōferendo

Tertia ratio.

Vltimæ differentiæ perse habent passiones entis.

Conceptus entis, & conceptus realitatis idem sunt.

conceptum entis cum conceptis realitatis in idem omnino coincidunt, & eo ipso quod aliquid est reale, est etiam ens, & econtra; hinc fit quòd nunquam possumus intelligere aliquid reale, nisi simul ipsum intelligamus contradistingui à nihilo ex vi suæ realitatis quòd manifestè indicat, rationem entis intimè imbibi in quolibet, quod aliquam realitatem obtineat.

Quarta ratio.

IX. Quartò quoque probatur nostra sententia desumpto argumento ex transcendentia entis; Ens namque est talis transcendentiæ, vt intimè includatur in ijs, per quæ transcendit, & proinde essentialiter de ipsis prædicetur, neque de hoc est difficultas aliqua: non enim se habet quemadmodum cæteræ rationes communes, quæ solum cum suis inferioribus vniconstet, sed insuper ita vnitur, vt etiam intimè in ijsdem imbibatur. Rursus transcendentia entis est talis naturæ, vt faciat quòd ens se extendat ad omnia inferiora, seu ad omne, quod reale est nullo prorsus excepto, ergo quicquid reale est, debet intimè includere ens tanquam aliquid essentiale, vt seruetur transcendentia entis. Quod autem ens ex vi suæ transcendentiæ debeat se extendere ad omne, quod reale est, facilè ostenditur; transcendit enim per determinata entia, tanquam prima ratio essendi; & primum fundamentum realitatis, conferens primam contradistinctionem à nihilo; vnde habet maximam communitatem, qua se extendit ad omne id, quod reale est, & ideò debet in quocunque imbibi. Quòd potest etiam confirmari ex modo prędicandi, nam sumpto quocunque reali, siue passio entis sit, siue vltima differentia, ens prædicatur de ipso in rectò; valet enim, vltima differentia est ens, passio entis est ens, ergo cum prædicatio in rectò solùm fundari possit in eo, quod est de essentia, concludere oportet, quòd ens essentialiter imbibatur in omni eo, quod reale est. Quod verò ens prædicetur in rectò de omni eo, quod reale est, euidenter patet, nam ens, & nihil sunt prima contradictoria, quæ de quocunque alternatiuè verificari debent, complectuntur enim sub se omne id, quod ab intellectu excogitari potest, atque non solùm quocunque modo debent verificari, sed vt quid in essentia inclusum; essentia enim secundùm suum proprium esse intrinsecum sub aliquo ipsorum debet collocari; ita vt alterum ipsorum debeat intimè in ipsa includi; quia enim sunt prima contradictoria, de quolibet verificantur quocunque modo considerata. Vnde hinc est illud principium vniuersalissimum, Oportet idem esse, vel non esse; cum autem omne reale non includat nihil, neque valeat dicere. hoc reale est nihil, siue vltima differentia est nihil, ens de vnoquoque in rectò prædicabitur, & potest applicari illud principium, inquirendo an illæ vltimæ differentiæ sint, vel non sint; Si autem sunt, iam participant rationem entis, si verò non sunt, iam erunt nihil, & consequenter non erunt aliquid reale, & hoc ipsum dicendum est de quocunque alio, quod sit reale.

Ens & nihil prima contradictoria, quæ de vnoquoq. debent verificari.

Confir.

X. Confir. secùdò principaliter. Vltimæ differentiæ, passiones entis, & quicquid reale est, continetur intra obiectũ adæquatum intellectus, ita vt possint ab ipso attingi, non secus ac quodcunq; aliud obiectum, ergo debent intrinsecè participare rationem obiecti intellectiui; impossibile enim est, quòd aliquid sit obiectum alicuius potentiæ, & non participet rationem talis obiecti, ratio nãque obiectiua, & specificatiua alicuius potentiæ superfunditur cuicunque obiecto talis potentiæ, in quo intrinsecè reperitur, & spectat ad ipsius esse essentiale, cum obiectum essentialiter habeat, quòd sit obiectum. Ex hoc autem sequitur, quòd ens intrinsecè debeat imbibi in omni eo, quod reale est; quoniam fundat rationem formalem obiectiuam intellectus, tendit enim intellectus in suũ obiectum, quatenus ens verum est, vnde cum quicquid reale est, habeat ex vi suę realitatis, quòd sit proprium obiectum intellectus, oportet etiam, quòd ex vi eiusdem sit ens verum. Quòd etiam alio modo declarari potest, quicquid reale est se habet vt aliqua pars totius physici, quod à parte rei existit, ita vt concurrat ad constituendum tale esse physicum. Ex quo fit, quòd quicquid reale est, claudatur intra terminos possibilitatis, atque quando rea existit, ipsum quoque efficiatur existens, existentia enim cadit suprà totum illud esse physicum, quod ponitur in actu, ita vt cum ipso adæquetur; huic quando præscindimus à tali esse aliquam formalitatem,

Quicquid reale est obiectũ intellectus, & consequenter ens.

Vbi est possibilitas intrinseca est etiã intrinseca ratio entis.

illa

illa ipsa formalitas, non quidem seorsim sumpta, sed simul cum alio esse afficiebatur existentia, vt præsertim patet in vltimis differentijs, quæ habent distinguere res secundùm illud esse, quòd habent à parte rei; ergo quicquid reale est, secundùm suam propriam rationem imbibit intrinsecè rationem entis, tum quia ratio possibilitatis fundatur in ratione entis, ita vt quòd intrinsecè non est ens, neque etiam habeat intrinsecam possibilitatem, tum quia existentia essentialiter supponit essentiam, ita vt omne id, supra quod cadit existentia, debet dicere suam partem essentiæ; si autem dicit essentiam, quomodo non dicet etiam rationem entis.

Responsio. XI. Respondebit tamen aliquis, posse dari aliquid reale, quòd non sit ens, vt sic, sed sit tale ens, videlicet dicens tantùm conceptum qualificatiuum entis, vt Scotus ponit vltimas differentias, cum enim res physicæ secundùm se totas sint quid reale, ne dum important aliquid reale secundùm rationem entis vt sic, sed etiam prout dicunt rationem talis entis. Verùm hæc responsio nullius est momenti, nam quamuis verum sit, quòd res physicæ secundùm totum suum esse sint quid reale; & propterea omnis ratio talis, vel talis entis, quæ ab ipsis præscinditur realis sit, non habet tamen, quòd sit realis, nisi quia imbibit rationē entis, quæ in toto esse physico superfunditur. Vnde possumus contra hanc responsionem argumentari, quia implicat, quòd aliquid sit reale, & contradistinctum à nihilo, & non habeat rationem formalem realitatis, ratio autem formalis realitatis est ratio entis; & ideò in quocunque reperitur realitas, debet etiam reperiri ratio entis. Secundò quia ratio talis entis, vt tale est, non habet, quòd subsistat vt quid reale, nisi quia imbibit rationem entis. Tertio quia, vt modo dicebamus, ratio talis entis est obiectum intellectus, quòd saluari non potest, nisi inuoluat rationem entis, atq; ens ratione suæ trascendentiæ in omnibus reperitur, & ideo non est verum, posse dari tale ens, quod reale sit, absq; eo, quod dicat rationem entis, vt sic, per quam formaliter subsistat in esse reali.

Reijcit.

Satisfit rationibus opposita sententia.

SECTIO III

1. VT autem rationibus Scotistarũ satisfaciamus, hoc præ oculis habendũ est, quòd ens non includitur in ijs, de quibus essentialiter prædicatur, nisi ad modum transcendentis rationis conferentis primam, & vniuersalissimam rationem realitatis; ex quo fit, quòd sibi vendicet peculiarem modum essendi in ipsis, & ideò non valeat arguere ex modo existendi in suis inferioribus, quem habent cœteræ rationes communes ad modum, quem habet ens. Hinc ergo ad primam rationem Scoti dicimus. Quòd vltimæ differentiæ possunt dupliciter considerari, nempe in ratione non transcendentis, & simpliciter secundùm totum esse, quod dicunt. Si primo modo spectentur, certum est, quòd sunt simplices, & irresolubiles in plures conceptus, quia dicunt tantùm vnam simplicissimam rationem non transcendentem, secundùm quam se habent merè vt Quò, & modo merè qualificatiuo; & hæc est maior simplicitas, quam possunt habere non trãscendentia, quia sunt redacta ad indiuisibilem rationem; quod autem adhuc includant rationem entis, omnino necessarium est etiam ad saluandum earumdem simplicitatem, nam si ab ipsis tollatur, sicut corruit ipsarum realitas, ita corruit etiam simplicitas, quæ in realitate fundatur. At si secundùm totum suum esse simpliciter considerentur, tunc quidem verum est, quod se habent vt quod, quia sunt quædam entia incompleta, quæ inter se differunt, & proinde resolui possunt in conceptum trãscendentem, & non transcendentem, ita tamen, vt semper inuoluant implicitè conceptum trãscendentem, quemadmodum etiam supra diximus, dum ageremus de præcisione entis; neque hoc obstat simplicitati differentiæ, quia sufficit, quod se habent tantùm vt quo, & non vt quod secundùm id, quod dicit in genere non transcendenti, sicuti enim in genere non trascendenti tantùm exercet rationem differentiæ, ita sufficit quod in ipso tantùm se habeat vt Quo. Ad illud autem quod infertur de resolutione conce-

Ad primum.

Quomodo vltimæ differentiæ sint simplices.

Vltimæ differētiæ in ratione nō transcēdentis sic habēt vt quo.

ptus,

ptus, & processu in infinitum, qui sequeretur ex hac resolutione, eodem modo respondendum est, quo supra eãdem difficultatem soluimus, quando afferebatur contra præcisionem entis, videlicet, quòd potest quidem fieri resolutio, quia differentia illa resoluitur in conceptum transcendentem, vt modò diximus; atq; facta hac præcisione, siue resolutione adhuc ratio entis implicitè manet in differentia, supposito tamen, quòd differentia concipiatur, vt quid subsistens in sua realitate, & potest rursus illa ratio entis explicitè concipi, & præscindi: non tamen sequitur processus in infinitum ex parte conceptus obiectiui, quia eadem semper est ratio entis in qualibet præcisione, quæ licèt perfectè præscindatur, tamen rursus concipitur imbibi, quando differentia se habet, vt quid reale; & solùm semper, & semper multiplicantur conceptus formales, quibus fit præcisio, neque hoc implicat, quia actus intellectus sunt semper, & semper multiplicabiles, quemadmodum multiplicabit intellectus suas cogitationes per totam æternitatem.

Ad secundum.

II. Ad secundùm autem dicendum est, quòd compositio metaphysica seruat quidè proportionem ad physicam; sed quando fit ex partibus componentibus, quæ inuicem præscindunt adequatè, ex parte vtriusque extremi, & quæ obtinent veram rationem principij metaphysici, & in his datur primum genus, & vltima differentia in suo ordine tamen, vt patet in coordinatione cuiuscunque prædicamenti, neque tamen est necessarium, vt sit omnimoda proportio, & correspondentia, sed sufficit aliqualis. Compositio verò ex ente, & cœteris rationibus, quamuis ipsa quoque aliquam seruet proportionem cum compositione physica; non tamen illam, quam contendit Scotus; neque hoc voluntariè dicitur, sed cum fundamento nam in compositione physica non datur aliqua pars physica transcendens, & conferens esse reale cœteris partibus, & propterea nulla pars includitur in illa essentialiter. At ens est transcendens, & tanquam ratio formalis confert vnicuique rei suam realitatem, & ideo debet in vnaquaque alia formalitate imbibi; ad seruandam ipsius realitatem. Et hæc est ratio potissima, cur hæc compositio non possit in hoc seruare proportionem ad compositionem physicam

Quomodo cōpositio metaphysica seruet propositionem ad physicam.

III. Ad tertium, quod procedit de passionibus entis, dicendum est, quòd passiones quidem sunt extra essentiam subiecti, & èconatra etiam subiectum extra essentiam passionum, debet tamen considerari secundùm rationem subiecti, & principij, à quo passiones emanant; & etiam ens, si hoc pacto consideretur, non est de essentia suarum passionum; Verùm quia est etiam transcendens, & prima ratio realitatis, ita vt ex natura sua ordinetur ad conferendam vnicuique propriam realitatem, & ideo ex hoc capite debet in vnoquoque essentialiter imbibi, & consequenter etiam in proprijs passionibus, supposito, quòd sint quid reale ab ente diuersum; vnde non imbibitur essentialiter in proprijs passionibus, tanquam eorumdem subiectum, sed tanquam ratio transcendens ordinata ex natura sua ad dandam realitatem vnicuique. Hinc etiam ad confirmationem dicitur; quòd illa regula, quod propositiones per se non conuertantur non semper valet, nam quando definitio prædicatur de definito, vt homo est animal rationale, est propositio per se, & similiter etiam quando definitum prædicatur de definitione, est propositio per se, vt animal rationale est homo: Rursus quando passio in concreto prædicatur de subiecto, vt homo est risibilis, est propositio per se; & econtra, etiam est propositio per se quando item in concreto subiectum prædicatur de passione, & hoc semper est verum, quando inter subiectum & prædicatum est necessaria connexio; non enim potest esse necessaria connexio ex parte vnius extremi, nisi etiam sit necessaria ex parte alterius, vnde cum illa propositio sit per se, quæ fundatur in necessaria connexione, si connexio est necessaria ex parte vtriusque extremi, propositio quoque erit per se ex parte vtriusque. Et hoc pacto contingit, quando subiectum prædicatur de suis passionibus; verùm tamen est, quòd subiectum non potest de ijs in recto prædicari, nisi prædicatio fiat secundùm esse concretum; & hoc pacto, neque ens posset prædicari in recto de suis passionibus, sed ideo potest prædicari, quia, vt ratio transcendens, dat ipsis realitatem, & hæc est ratio cur possit dici

Ad tertium.

Quomodo ens sit de essentia suarum passionum, & quomodo sit.

Quando propositiones per se conuertantur.

dici, vnitas est ens, veritas est ens, alioquin esset falsa propositio, quia quantùm est ex vi subiecti passionum non posset formari talis propositio.

Ad quartum. IV. Ad quartum dico, quòd ens prædicatur de summis generibus tanquam superius de suis inferioribus, non autem de creato, & increato, quia iam supra ostendimus, quòd Deus non est ens, sed quid seperemínentius; verùm quia est transcendens non solùm habet hunc modum prædicandi, sed etiam aliũ, quo tanquam æquale prædicatur de æquali, quem seruat respectu suarum passionum, ad quas etiam ex vi suæ transcẽdentiæ extenditur, vt ratio communicatiua realitatis, supposito tamen, vt toties diximus, quòd passiones dicant aliquid aliud præter ens. *Ens ratione transcẽdentię potest prædicari vt æquale de æquali.* Et ex his colligitur responsio etiam ad sextum, videlicet non esse necesse, quòd ens prædicetur tanquam genus, seu ratio superior ad hoc vt prædicatio sit quidditatiua, sed sufficit, quòd prędicetur tanquam ratio communicatiua realitatis, quia in hoc propriè fundatur essentialitas prædicationis ipsius non in eo, quòd sit ratio superior, neque enim ex hoc capite habet, quod prædicetur vt quid intimè inclusum. *Ad sextum.* *In quo fundetur essẽtialitas prædicationis entis.* Ad quintum etiam patet ex ijs, quę diximus in responsione ad primum; non enim sequitur processus in infinitum, supposito enim, quòd passiones dicant aliquid aliud preter ens, si ens præscindatur, hoc aliquid aliud, dum concipitur vt quid reale, non includit nouam rationem entis, sed illam ipsam, quæ præcisa fuit, quam de nouo intellectus concipit implicitè in passionibus. *Ad quintum.*

Quomodo ens essentialiter prędicetur. V. Atque ex his, quæ hucusque diximus, colligitur, quomodo ens prædicetur quidditatiuè de omni eo, quod reale est, non quidem tanquam genus, quia de ratione generis est, quòd sit extra differentias, vt suo loco dicturi sumus, sed tanquam ratio, quæ vnicuique prębet esse reale, & propterea sequitur, quòd non sit necessarium, quòd tanquam quid superius prædicetur de inferiori, sed potest etiam prædicari de æquali. Ex quo etiam patet, quòd huiusmodi prædicationi nihil obstat, quod docet Arist pluribus in locis præsertim lib.6.Topic. cap.2.loco 36. nimirum genus non prędicari de differentijs, neque enim ens prędicatur de differentijs tanquam genus, sed, vt diximus, tanquam ratio transcendens, imò vt supra citauimus Arist. 3.metaph.tex. 10. docet, ens non posse esse genus, quia includitur in differentijs. Præterea etiam ex dictis sequitur, quòd quando in inferioribus distinguuntur plures rationes subordinatæ, nimirum genericæ, & differentiales, ens non descendit ad ipsas cum aliqua mediatione, ita vt immeditè descendat ad primum sui contrahentium, & hoc mediante descendat ad aliud, quia hoc esset contra rationem transcendentiæ ipsius, sed immediatè descendit ad omnes, ita vt vnaquęque seorsim sumpta inuoluat propriam rationem entis, quia ens, quod inuoluitur in ente physico adæquatur cum ipso toto; cum secundùm se totum sit ens, vndè quæcunque ratio pręscinditur, imbibit propriam rationem entis, cum qua abstrahitur, quia scilicet ens ex vi suæ transcendentiæ in quacunque ratione reali immediatè reperitur; quod euidentissimè ex eo colligitur, quia omnis ratio, quam concipimus, quantumuis seorsim eam concipiamus, semper concipimus inuoluentem saltem implicitè rationem entis, quòd si ens immediatè ad ipsam non descenderet, non posset concipi cum ratione entis, nisi etiam conciperetur cum illa ratione, qua mediante descenderet. *Ens descendit immediatè ad omnia inferiora.* Atque ex hoc intelligitur, cur ens non ponatur in definitionibus, neque etiam vltimarum differentiarum, quia scilicet, cum sit ratio transcendens, conferens vnicuique propriam realitatẽ, non potest poni tanquã pars quædam particularis definitionis, siuè non potest poni neque tanquam genus, neque tanquam differentia, quia non facit differre, cum potius dicat communissimam rationem conuenientię; sed neque tanquam genus, quia imbibitur in differentijs; Deinde siue assumatur in definitionibus differentia, siue genus, semper assumitur etiam ens, vtpote quia ratione transcendentiæ intimè in ipsis imbibitur; neq. obstat definitionibus, quòd pluries repetatur, quia non repetitur tanquam pars definitionis, sed vt dans partibus realitatem, quod non est contra rationem definitionis, in qua solum partes definitionis non debent repeti. *Cur ens non ponatur in definitionibus.* Hæc autem repetitio implicita entis nequaquam otiosa est; quia prout ens in vnaquaque parte repeti-

tur,

tur, aliquid de nouo præstat, nimirum dat realitatem tali parti, in qua repetitur.

Quomodo ens descendat ad inferiora an vniuocè, an vero analogicè. Disp. XXXIX.

Sententia opposita.

SECTIO I.

I. Difficilis sanè quæstio, & quę diligenti examine indiget. Loquimur autem de ente respectu substantiæ, & accidentis, quia hanc, diximus, esse primam diuisionem, nam respectu Dei, & creaturæ, iam docuimus, non dari ens superius, quod diuidatur; imo neq. Deũ esse ens, sed aliquid magis eminens. Comparatur ergo ens ad substantiam, & accidens, cęteraq. inferiora, quando de ipsius vniuocatione, vel analogia quærimus. Sed antequam ad difficultatem accedamus debet supponi, quòd ens respectu substãtiæ, & accidentis non dicitur merè æquiuocè, ęquiuocatione illa propria, in qua nihil commune præter nomẽ habetur. (Ens nõ dicitur æquiuocè.) Neq. n. aliquod ex inferioribus participat solùm nomen entis, sed etiam substantiam significatam per nomen, nimirũ illã rationem obiectiuam, seu conceptũ, quem diximus importari per ens, siue. n. inferiora entis sint substantiæ, siue accidentia, participant propriè aliquã saltem rationẽ entis, & verè de ipsis dici potest, quòd habeant essentiam, in qua consistit conceptus proprius entis. Quod etiã patet ex conuenientia illa, quã habent inferiora in eo, quòd participent esse, quæ correspondet huic rationi entis, quod nõ reperitur in æquiuocis, quę respectu nominis æquiuoci nullam obtinent conueniẽtiã: alioquin haberẽt eandem rationem substantiæ importatæ per nomen, quod destruit protsus æquiuocationem. Et vt ad notauit Soncin. infra citandus, ęquiuoca non fundant verã contradictionem, siqui dẽ stante ęquiuocatione contradictoria dẽ eodem verificari possunt, potest enim dici de Sydere cœlesti, Sydus est canis, & Sydus non est canis; quia cũ canis ęquiuocè dicatur, nequit veram contradictionem fundare; E contra verò ens respectu inferiorum fũdat veram contradictionẽ, nam si de aliquo dicitur, quòd sit ens; nõ potest rursus dici, quòd nõ sit ens. Hinc est illud vniuersalissimum principium. Quod impossibile est idẽ esse, & non esse, quod verum non esset, si Ens esset æquiuocum. Atq. hoc deniq. necessariò sequitur ex ijs, quę supradiximus, nimirum, quod ens dicat vnum conceptum præcisum, atq. quòd intimè includatur in vnoquoque inferiorũ. Solùm ergo difficultas est de vniuocatione, & analogia ipsius.

II. Est argo prima sententia fere cõmunis, & eam sequuntur omnes Thomistę, quæ asserit ens dici analogicè de suis inferioribus, vt substantia, & accidente, quamuis nonnulli teneant, quòd dicatur vniuocè de ijs inferioribus, quæ in aliqua ratione vniuoca cõueniunt, sic dicetur vniuocè de omnibus substãtijs, quia cõueniunt vniuoce in ratione substãtię, vt sic. (1. opin. Ens dici analogicè.) Hanc autem sententiam tradit D. Thom. lib. 4. metaph. cap. 2. & 1. par. q. 13. ar. 5. & 1. contra gent. cap. 2. Ferrar. ibid. Auer. 4. metaph. cap. 2. & lib. 5. com. 4. & lib. 12. com. 3. Albertus 4. metaph. cap. 2. & communiter interpretes ibid. Auicen. in sua metaph. lib. 2. cap. 1. Themis. Paraphr. in 12. metaph. Aquar. 4. metaph. dilucid. 1. Iauel. ibid. quæst. 1. Soncin. quæst. 4. Capr. in 1. dist. 2. quæst. 1. Soto in Antepædicam. cap. 4 Fonseca 4. metaph. cap 2. quęst. 1. sect. 5. Suarez in metaph. disp. 32. sect. 2. Albertin. tom. 2. princip. 1. Philosoph. disp. 1. quęst. 7. Ruu. in Logica tractatu de hac re. (D. Tho. Ferrar. Auer. Albert. Auicen. Themis. Aquar. Iauel. Soncin. Capr. Soto Fonseca Suarez Albertin. Ruuius Auersa) Atq. alij cõmuniter, tàm ex veteribus, quàm ex recentioribus. Sequitur nouissime Auersa in sua Philosoph. quęst. 3. sect. 12. Addit tamen, quod ens potest dici vniuocum. Si tamen vniuocum sumatur pro omni eo, quod sub vno nomine dicit vnũ conceptum ex parte rei significatæ pluribus communem, siue perfectè, siue imperfectè pręscindentẽ ab inferioribus.

III. Fundant autẽ analogiam entis,

Fundamentum huius sententiae. primò in eo, quòd vniuocum dicit ratio nem communem, quæ perfectè præscindat, ens autem non perfectè præscindit à suis inferioribus; verùm quia quidam ex his auctoribus tenent, quòd perfectè pręscindat ab inferioribus, vt præsertim Suarez, & Albertin. ideò addunt, quòd vniuocum dicit vnum conceptum, nedum per fectè præscindentem ab inferioribus, sed etiam respicientem inferiora sine ordine; hoc est quòd inferiora non participent cum aliquo ordine rationem communem, sed æqualiter, & vnum independenter ab alio, at inferiora entis, vt substantia, & accidens participant cum ordine, & inæqualiter rationem entis, nam prius descendit ad substantiam, quā ad accidens, & substātia perfectiori modo est ens, quàm accidens.

Secundò. Secundò, quia vniuoca non habent diuersitatem in eo, quo sunt vniuoca, at inferiora entis continent diuersitatem secundùm rationem entis, differunt enim secundùm differentias, quæ formaliter sunt entia.

Tertiò. Tertiò. quæ vniuocè conueniunt habent vnam naturam, secundùm quàm conueniunt, & aliam secundùm quàm differunt, in inferioribus autem entis non possunt assignari hæ duæ naturæ, quia quicquid assignetur est ens, etiam differentiæ; vndè hoc quoq. obstat vniuocationi entis, nimirum quia ratio vniuoca non debet includi in differentijs suorum inferiorum.

Quartò. Quartò si esset vniuocum, esset genus, non potest autem esse genus, quia de differentijs prędicatur, quod est contra naturam generis

Aristot. vt docet Arist. 3. metaph. tex. 10.

Quintò. Quintò quia ad vniuocationem non sufficit vnitas conceptus formalis, alioquin ens esset vniuocū reali, & rationis, quia Deus vnico cōceptu cognoscit ens reale, & rationis.

Sextò. Sextò si esset vniuocum, posset poni in definitionibus, definitiones enim traduntur per rationes communes vniuocas, vt docet Arist. 2. Topic. c. 2. nō potest autem poni,

Aristot. vt docet idē Arist. 8. metaph. tex. 16. vndè concludendum est, nō esse vniuocum. Alias rationes affert Soncin. sed probant tātùm, quòd non sit vniuocum respectu Dei, & creaturarū, quod nos quoq. supra suo loco docuimus.

II opin. Ens dici vniuoce. IV. Altera autem sententia huic opposita est Scotistarū, & Nominal. qui tenent, ens vniuocè dici de suis inferioribus, nempe de Deo, & creaturis, de substantia, & accidente. Sed nos supra disp. 28. sect. 2. hanc sententiam reiecimus, quo ad eam partem, quæ asserit, ens dici vniuocè de Deo, & creaturis De sumitur autem hæc sententia ex Scoto

Scot. Ant. Andreas. Trōbet. Ocham. Gabr. Gregor. Maior. in 1. dist. 3. q. 1. & dist. 8. q. 3. §. *contra istam positionem, &c.* Anton. Andreas. 4. metaph. quęst. 1. Trombeta q. 2. Ocham. in 1. dist. 2 quæst. 9. Gabr. ibid. Gregor. dist. 8. quęst. 3. ar. 2. Maior. dist. 3. quęst. 1. & alij Scotistę, & Nominales Rationes quas afferunt in confirmatione suæ sententiæ procedunt præcipuè de vniuocatione entis inter Deū, & creaturas, quas nos quoq. citata disp. sect. 1. recitauimus & sect. 3 dissoluimus, vt potè inefficaces Vndè nō opus est eas nunc denuò repetere. Solùm addimus, quòd ex eo colligunt vniuocationem entis, quia habet vnum conceptum præcisum secundùm nomen, & rationem, & potest esse obiectum specificans vnam potentiam, nēpe intellectum, & etiam potest esse medium demonstrationis. Verùm quòd spectat ad præcisionem, nonnulli ex auctoribus oppositę sententię illam negant; nonnulli verò aiunt, non sufficere, sed vlterius requiri, quòd ratio communis ęqualiter participetur. Ad alia verò duo capita, nempe ad specificationem vnius potentiæ, & ad medium demonstrationis dicunt sufficere vnitatem analogiæ.

Non omne vniuocum esse genus.

SECTIO II.

I. VT nostram sententiam circa vniuocationem entis exponamus, supponendum est, q̄ ens non potest esse genus, quemadmodū docet Arist. 3. meta Ens nō posse esse genus.

Aristot. phys. tex. 10. vbi sic ait, *Non est autem possibile, neque ipsum vnum entium esse genus, neque ipsum ens: necesse etenim est vniuscuiusq. generis differentias, & esse. & vnamquamq. vnam esse. Impossibile verò est, aut species generis de proprys differētys prædicari, aut genus, absq. suis speciebus. Quare si vnum, vel ens genus est, nulla differentia nec vnum, nec ens erit.* Vbi etiam assignat rationem, cur ens nō possit esse genus, nimirum, quia est transcēdens, & imbibitur in differētijs, & de ipsis quidditatiuè prædicatur: vnde per Arist. ad rationē generis requiritur, quòd non sit transcendens, neq. prædicetur in

recto

Genus non debet imbibi in differentijs.

recto de suis differentijs, quod est valdè aduertendum, quia plurimum inseruiet ijs, quę infra dicturi sumus. Ratio autem esse potest, quia genus, & differentia sint partes constituentes verùm compositum metaphysicum tanquam elemẽta, seu principia intrinseca. Vt autem saluetur proprietas principiorum intrinsecorum, oportet vt in composito, quod constituunt subsistant in proprio esse, & cõsequenter, prout sunt in ipso, sint partes habentes esse contradistinctũ, & consequenter, vnaquæq. participet propriã rõem entis, ita vt si resoluatur compositũ in sua principia, vnumquodq. ipsorum ex vi sui esse pręcisi subsistant in propria realitate. Hoc autem non contingit in ente respectu suorum inferiorum, quia licet inferiora importent rationem limitatiuam entis, nõ tamen dicunt rationẽ entis contradistinctam ab ente, vt sic, vt per se euidens est; impossibile enim est, quòd præter rationẽ entis, vt sic, aliqua alia ratio entis reperiatur, quia extra rationem communem cuiuscumq. nihil amplius de ipso reperitur. Ens ergo, vt diximus etiam supra, communicat formaliter inferioribus, quod in sua realitate subsistant, & ideò non possunt se habere, vt principia cõtradistincta ab ente, quæ adhuc in suo esse reali subsistant, & proinde neq. constituere propriũ conceptum metaphysicum, quod constet ex genere, & differentia; genus enim non debet communicare esse differentijs. Quod simul etiam ex eo colligi potest, quòd genus dicit aliquid per se subsistens, cui differentia adiaceat, quam veluti substentet, atque etiam importat inchoationem determinatæ naturæ, quemadmodum enim compositum metaphysicum, nempè species dicit naturam determinatam, ita principia intrinseca huius naturæ debent esse determinata ad illam constituendam, atq. hæc natura determinata, vt modo dixi, inchoatur in genere. Ex hoc autem fit, quòd genus debeat dicere, metaphysicè loquendo, aliquam rationem entis determinatam, in qua saluetur potiùs inchoatio huius naturæ, quàm alterius, nec sufficiat ratio entis, vt sic, quæ dicit tantùm primam rationem realitatis, quæ ex se non dicit inchoationem determinatæ naturæ, sed tantùm esse reales; neque dicit aliquid ad modum per se stantis, qualificabile per differentias, quod enim est qualificabile, supponitur habere proprium modum essendi, qui non competit enti, vt ens est.

II. Vt ergo iaciamus veluti fundamentum nostræ sententię, videndum est, an statim, ac aliquid est vniuocum habeat etiam rationem generis, ita vt non sit trãscendens, sed sit extra differentias, & in ipso seruetur proprietas principij metaphysici; An verò possit dari aliquod vniuocum, quod sit transcendens. Triplex autem genus vniuocationis distinguunt Scotistæ, nempè Physicũ, Metaphysicum, & Logicum. Vocant autem Vniuocum physicam naturam completam cõstitutam in vltima specie, vt est natura humana, quia scilicet est vna in omnibus indiuiduis, ita vt prorsus in illa conueniant, absque vlla diuersitate essentiali; vndè volunt ad vniuocationem physicam requiri vnitatem realem, quæ ante operationem intellectus, faciat perfectè vniuocata conuenire. Vniuocum verò metaphysicum dicit vnum conceptum obiectiuum præcisum à pluribus per intellectum, in quo tamen pręcisè accepto vniuocata perfectè cõueniant, quamuis secundùm aliquos alios conceptus differant. Vniuocum autem logicum dicit aliquam primam intentionem, prout substat secundæ intentioni æquali modo prædicabilem de pluribus. Ita Scotistæ distinguunt vniuocationem. Ex quo patet, quod tàm vniuocum physicum, quã metaphysicam possunt esse vniuocum logicum, si videlicet supponantur alicui secundæ intentioni. Quod verò spectat ad nostrum institutum certum est, quod vniuocum physicum non est genus, cum importet naturam speciei, infimæ, vndè in eo consistit difficultas, an possit dari aliquod vniuocum, quod non sit, neque genus, neque species, seu, quod in idem incidit aliquod vniuocum transcendens.

Triplex genus vniuocationis.

III. Pro resolutione igitur difficultatis dicendũ est, posse dari aliquod prędicatum, vniuocum, quod non sit genus. Ita etiam sentiunt nonnulli ex illis auctoribus, qui tenent, Ens esse analogum, vt Suarez, & Albertinus, Ferrar. autem citato lib. 3. contra 6. ent. cap. illo 32. oppositum contendit. Sed probatur nostra conclusio. Alia est ratio for-

Cõclus.

Põt dari vniuocũ q nõ sit genus. Suarez Albertin.

malis vniuocationis, & alia est ratio formalis generis, ergo possunt adinuicem per intellectum separari, & aliqua ipsorum tribui vni rationi obiectiuæ, licèt non tribuatur alia, præsertim si ita exigat ex natura sua talis ratio obiecti-
Alia rō vniuocationis, alia rō generis.
ua. Conseq. est euidens, quia vniuoca hæc metaphysica, & similiter etiam genera habentur formaliter tantùm in esse obiectiuo accedente præcisione intellectus, vndè si ratio formalis vniuocationis non est eadem, ac ratio formalis generis, etiam in esse obiectiuo erunt separabilea, quia ea omnia separara possunt, quæ important in esse obiectiuo diuersas rationes formales, & consequenter aliqua ratio obiectiua poterit stare cum vniuocatione, & non esse genus, quia in tantùm omne vniuocum esset genus, in quantùm eadem formalitas esset constitutiua vtriusque; ita vt per id aliquid esset vniuocum, per quod etiam esset genus; cum igitur non per idem sit genus, & vniuocum, poterit reperiri prædicatum metaphysicum, quòd fundet tantùm rationem formalem vniuocationis, non verò rationem formalem generis. Igitur nobis probandum est. Anteced. quòd scilicet alia sit ratio formalis vniuocationis; & alia ratio formalis generis. Vniuocatio ergo in eo formaliter consistit, quod ratio aliqua communis æqualiter participetur ab inferioribus. Definiuntur enim vniuoca, quòd sint ea, quæ habent idem nomen commune, & ratio substantiæ secundùm illud nomen sit eadem, quòd nihil aliud dicit, quàm quod vna, atque eadem ratio æquali modo à pluribus participetur, tunc enim ratio importata per nomen est perfectè eadem in omnibus. Econtra autem ratio generis formaliter consistit in eo, quod sit pars quædam naturæ metaphysicæ, in qua formaliter includatur aliqua natura, quæ postea per gradum differentialem perficiatur, vt supra explicauimus, ergo alia est formalis ratio constitutiua generis, & alia est formalis ratio vniuocationis. Quod etiam patet ex definitione generis, & vniuocorum; si enim essent vnum, atque idem formaliter vniuocatio, & ratio generis, definirentur eadem definitione, ergo cum habeant diuersam definitionem important etiam diuersam rationem formalem.

V. Secundò etiam argumentur pro eadem conclusione. Certùm est, quòd ratio generis, & ratio speciei sunt rationes diuersæ, cum vna se habeat ad modum partis, altera ad modum totius, atque natura illa, quæ importat rationem speciei infimæ nullo pacto potest importare rationem generis, si verò sit species subalterna, neq. adhuc secundum illud, quo importat rationem generis, importare potest rationem speciei, sed semper secundùm diuersos respectus; & tamen ratio formalis vniuocationis reperitur, tàm in genere, quàm in specie infima; natura enim humana, & quælibet alia specifica vniuocè dicitur de suis indiuiduis, ergo non solùm diuersa est ratio formalis vniuocationes à ratione formali generis, atque speciei, vt per se patet, sed etiam fundatur in alia ratione entis ab ea, in qua fundatur ratio generis, atque speciei, quod satis ex eo colligitur, quia cum vniuocatio sit communis generi, & speciei, oportet, quòd fundetur in aliquo, quod sit commune, tùm generi, tùm speciei; econtra verò ratio generis debet fundari in aliquo, quod sit proprium generis, & ratio speciei debet fundari in aliquo, quòd sit proprium speciei. Ex hoc autem sequitur, quòd sicuti potest dari ratio aliqua entis, quæ non sit genus, aut species, ita etiam possit dari aliquid vniuocum, quod non sit, neque genus, neque species, si videlicet adsint conditiones vniuocationis; vndè quamuis ens non sit genus, poterit tamen esse vniuocum, si adsint debita requisita. Quod etiam confirmatur. Species non importat rationem formalem partis essentialis, qualificabilis per differentias, cum dicat totum esse essentiale indiuiduorum, & tamen cum ipsa stat ratio vniuocationis, ergo, si datur aliqua alia ratio communis, quæ tamen non se habeat per modum partis, quæ sit extra differentias, poterit esse vniuoca, nisi aliquid aliud obstet. Rursus genus non dicit rationem speciei, vt est genus, & tamen est vniuocum, ergo, si datur aliqua ratio, quæ neque sit genus, neque species, adhuc poterit esse vniuoca, si tamen

II. 16.

Vniuocatio neque in rōe generis neque in rōe speciei.

men

men conueniant necessaria requisita.

V. Neque rectè quis occurreret, quòd ratio vniuocationis debet semper reperiri vel cum ratione generica, vel cum ratione specifica; Non inquam rectè respondetet, quia ex eo, quòd vniuocatio reperitur tam in genere, quàm in specie, sequitur, quòd sit prior natura vnoquoque ipsorum, & consequenter quòd à neutro dependeat in suo esse, sed optimè possit concipi sine ipsis. In hoc enim consistit prioritas naturę, quòd scilicet vnum possit concipi sine altero. Deinde cum vniuocatio sit quid commune speciei, & generi, potest ab vtroq; præscindere, commune enim potest ab ijs præscindere, in quibus coarctatum reperitur; si ergo concipiatur vniuocatio vt sic, non concipiendo neq; genus, neque speciem, oportet, quòd simul etiã concipiatur aliqua ratio entis, in qua fundetur, illa videlicet, quæ reperitur tam in genere, quàm in specie, fundans vtriusque vniuocationem, ergo iam dabitur aliquod commune vniuocum, quod non sit neque genus, neque species; & proinde aliqua natura, quæ non sit generica, aut specifica adhuc poterit esse vniuoca.

Ratio vniuocationis prior ratione generis & speciei.

Tertio ratio

VI. Tertiò, ratio generis tollitur per id, quòd ratio communis inuoluatur in differentijs, & de ipsis prædicetur, seu tollitur per transcendentiam, quia tunc statim implicat, quòd sit pars illa naturę essentialis, quæ sit aliqua inchoatio determinatæ essentię, & qualificabilis per differentias, vt in num. 1. huius sect. declarauimus. At vniuocatio per aliquid aliud tollitur, nempe per id, quòd detur ratio communis non æqualiter à pluribus participata, ergo si datur aliqua ratio, quæ inuoluatur in vltimis differentijs, & tamen ęqualiter participetur, iam dabitur aliquid vniuocum, quod non sit genus. Anteced. quoad primam patem satis constat ex ijs, quæ ibi diximus; secunda etiam pars est clara, nam in eo formaliter consistit vniuocatio, quòd habeatur aliqua ratio communis pluribus cum æquali participatione. Conseq. etiam nulla alia indiget probatione. Quòd autem nulla inuoluatur implicantia in eo, quod aliqua ratio æqualiter participetur, & inuoluatur in vltimis differentijs, non solùm constabit ex ijs, quæ de ente infra dicturi sumus, sed etiam nunc declarari potest, quia quamuis inuoluatur in vltimis differentijs non sequitur, quòd necessariò habeat in seipsa diuersitatem, alia enim est ratio formalis differentiarum, & alia ratio formalis illius rationis communis, quę inuoluitur in differentijs, ideò diuersitas differentiarum non redundat in ipsam; quòd præsertim verum est, quia ratio communis differentijs est prior ipsis differentijs, & ideo est in se constituta, antequam concipiantur differentiæ, nec potest in ipsam cadere earumdem diuersitas.

Ratio generis per aliud tollitur & per aliud Vniuocatio.

Responsio Ferrar.

VII. Cœterum occurrit Ferrar. loco supra citato, quòd non esse de conceptu differentiarum non est constitutiuum generis, sed quid consequens genus, quemadmodum risibile non est constitutiuum hominis, sed consequitur constitutiuum, nempe rationale; vndè ad videndum, an possit dari aliquid vniuocum, quod non sit genus, oportet prius respicere ad constitutiuum generis. Cum igitur sit illud, quod prędicatur de pluribus differentibus specie in quid, si illud vniuocum habet talem modum prædicandi, iam erit genus; vndè postea ex eo, quod imbibatur in differentijs colligi debet, quod non sit vniuocum, & non colligere, quod sit vniuocum, & non genus: sed non rectè procedit: hæc doctrina Ferrar. nam falsum assumit quod non possumus scire, an aliquid sit tale respiciendo id, quod ipsum consequitur, & optimè ex eo, quod aliquis sit risibile, colligimus esse hominem, & ex eo, quòd sit sensitiuus, esse animal; vnde etiam si ad genus consequeretur esse extra differentias, ex eo, quod aliquid esset extra ipsas optimè colligeremus esse genus, & ex eo, quòd non esset extra differentias, non esse genus, quia posita proprietate, ponitur essentia, & ea ablata, essentia quoque aufertur. Quare si habemus aliquam rationem, quæ sit imbibita in differentijs statim debemus inferre, quòd non sit genus. Deinde possumus seruare regulam Ferrar. & respicere ad constitutiuum vniuocationis, quod est, dicere rationem communem æqualiter participatam, & videre, an reperiatur in illa ratione communi, quę inuoluitur in differentijs, & tunc concludendum, si reperitur, quòd ratio illa sit vniuoca, & non sit genus,

Impugnatur.

quòd non implicare, hucusque ostendimus; neque vniuocatio erit formale constitutiuum generis, cum ex ipsa non sequatur, tanquam ex radice, extra differentias. Deinde falsum est, quòd esse extra differentias consequatur genus, & non sit eius constitutiuum, nam constitutiuum generis est, quòd sit pars metaphysica, per quam inchoetur vna aliqua determinata natura, eo ipso autē, quòd est talis pars formaliter, non est quid transcendens, & proinde extra differentias. Atque hæc doctrina Ferrar. contraria est doctrinæ Arist. qui 3. metaphys. tex. 10. volens ostendere, Ens non esse genus, non ad aliud respicit, quàm, an sit extra differentias, & cum non sit extra differentias, concludit, non esse genus. Cum autem genus dicitur prædicari de pluribus differentibus specie, statim intelligitur, quòd prædicetur tanquam pars metaphysica, quæ sit extra differentias, & in qua sit inchoata aliqua determinata natura, nam non possunt aliqua differre specie, nisi habeāt idem genus, & consequenter ad ipsorum constitutionem concurrat talis pars metaphysic de qua modo loquimur, quæ sit genus illud, quod prædicatur.

Arist.

VIII. Denique probatur hæc nostra sententia. Datur de facto aliqua ratio communis, quæ vniuoco modo se habeat. & non sit genus, ergo non omne prædicatum vniuocum debet esse genus. Veritas antecedentis dependet ex eo, quod genus non debeat esse imbibitum in differentijs, vt communiter docent, secundum doctrinam Arist. citato tex. 10. lib 3. metaph. & alibi, & nos quoque supra initio sect. declarauimus; tum etiā ex eo, quòd detur conceptus entis, saltem aliquo modo præcisus; sed quòd detur etiam perfectè præcisus, euidenter constat ex ijs, quæ supra diximus. His igitur sic stantibus, prob. anteced. Ens vniuocè se habet respectu substantiarum, & tamen non est genus respectu illarum, cum sit imbibitum in earumdem vltimis differentijs: ergo datur aliquod vniuocum, quod non sit genus. Quòd verò ens vniuocè se habeat respectu omnium substantiarum, prob. nam tunc cessat illa ratio, per quam ponitur analogia in ente, nimirum, quòd vna sit talis cum ordine ad aliam, neque enim vna substantia est ens in ordine ad aliam substantiam, neque ens per prius petit descendere ad vnam substantiam, quàm ad aliam, vnde cessat tota ratio analogiæ, quam ponunt in ratione entis inter accidens, & substantiam.

Quarta ratio.

Ens vniuocum respectu substantiarum.

IX. Contra hanc tamen doctrinam vrget difficultas, quia omnis natura simplex, quæ apta est vniuocè prædicari de pluribus, vel est genus, vel species, vel differentia, vel proprium, vel accidens iuxta diuersum modum prædicationis, quem obtinet; hi autem omnes quinque modi prædicandi complectuntur tantùm decem summa genera, in quibus etiam fundantur, ergo non potest dari aliquid vniuocum simplex prædicans de pluribus, nisi sit aliquod ex illis decem summis generibus. Resp. autem, quòd sicuti illa quinque prædicabilia important certum, ac determinatum modum prædicandi, ita etiam debent fundari in certis, atque determinatis naturis, atq; adeo solùm in naturis non transcendentibus, qualia sunt decem summa genera; nec fundari potest aliquod ex ipsis in prædicato trascendenti, quamuis sit vniuocum, quia cum transcendat per omnia prædicamenta, ex se non importat determinatum modum essendi. Neque ex hoc sequitur, quòd non possit esse vniuocum; vnde cum dicitur, quòd omnis natura vniuocè prædicans de pluribus vel est genus, vel species, vel differentia, vel proprium, vel accidens, debet intelligi de illa natura, quæ est determinata, & non transcendens; atque cum solùm rationes genericæ fundent illos quinque diuersos modos prædicandi, cum dicitur non dari aliquid vniuocum, præter illud, cui conuenit aliquis ex illis modis prædicandi, idem est, ac si diceretur, non dari aliquid vniuocum, quod non sit genus, & esset occulta petitio principij, & negandum esset assumptum; præstat tamen vti illa distinctione rationabiliter posita, ne difficultatem subterfugere videamur.

Obiectio.

Responsio.

Quinque prædicabilia fundantur tātū in determinatis naturis.

Ens secundùm conceptum præcisissimum esse vniuocum.

SECTIO III

1. Svpposito igitur, quòd possit dari ratio aliqua communis, quæ sit vniuoca, & non sit genus, vt satis probatum

Secunda conclusio. Ens vniuersalissimè est vniuocum.

batum fuit sect. precedenti; ponimus secundam conclusionem pro resolutione huius difficultatis, & dicimus, ens secundùm suum conceptum vniuersalissimũ, sisi quẽ diximus, ens importare id, quod habet esse, præscindendo à modo essendi, esse vninocum respectu suorum inferiorum, & æqualiter ab ipsis participari. Pro intelligentia autem oportet scire, quòd in ente duo considerari possunt, nimirum vniuersalissima ratio entis, & modus entis. Ratio entis vniuersalissimè sumpta, vt toties dictum est, de suo formali dicit tantùm id, quod habet esse, & importat tantùm primam rationem realitatis, quæ est ratio formalis, dans vnicuique esse reale, & ideo quicquid reale est, in ipsa fundatur; modus verò essendi dicit, quòd tali, vel tali modo habet esse. Ex quo sequitur, quòd modus essendi non habeat conceptum præcisum æqualem ipsi enti, per quem importetur ratio modi vt sic, quæ sit omnino vna, & præcisa, sed solùm quæ sit vna proportionaliter. Et ratio à priori est, quia modus essendi desumitur à determinatiuo entis, vt determinatiuum est, ex genere enim suo importat aliquam determinationem entis, nempè quòd determinet ens ad modum essendi: verùm statim ac ens habet modum essendi, est etiam determinatum ad certum modum essendi, quia primi modi essendi sunt per se, & in alio, qui immediatè opponuntur, & fundantur in contradictione, nempe in esse per se, & non esse per se; & ideò non habent aliquod medium; atque cum sint primi modi, fundantur etiam in prima contradictione, & idcirco non habent aliquid superius, præscindens. Præterea statim, ac intelligimus modum essendi, seu ens habere suum modũ essendi, intelligimus etiam, habere aliquam determinationem, quia non solùm intelligimus, quòd habeat esse, sed etiam quòd habeat esse tali pacto, quòd fieri non potest, nisi interueniat aliqua determinatio. Et quemadmodum ens in sua ratione vniuersalissima, quæ dicit tantùm id, quod habet esse, non includit modum essendi, ita oportet, vt modus essendi sit quid inferius ente, cum sit quid reale, & quòd determinet ens constituendo tale ens. Hac ergo explicatione stantè dicimus, quòd ens præciso modo essendi est vniuocum respectu suorum inferiorum;

Duo in ente cõsiderari possunt esse, & modus essendi.

Non datur communis ratio modi essendi adęquata ipsũ ens

atque hæc conclusio congruit cum iis, quæ suo loco dicturi sumus quando explicabimus naturam analogiæ.

II. Prob. autem primò nostra sententia. Conceptus obiectiuus entis abstractissimus est omnino præcisus ab inferioribus, vt supra probatum fuit, nec includit aliquam diuersitatem, sed est perfectè vnus, ergo est etiam vniuocus. Circa antecedens nihil aliud oportet dicere, quia sufficiunt, quæ supra diximus de præcisione entis, quæ non sunt amplius repetenda. Consequentia igitur declaratur. Eo ipso, quòd aliquis conceptus est pefectè vnus in se ipso, nec aliquam includens diuersitatem, non potest cum inæqualitate descendere, atque adeò oportet, quòd descendat vniocè; inæqualitas enim dicit, quòd aliquid sit in vno, quod non sit in alio, vndè ratio, quę descendit inæqualiter, oportet vt secundùm aliquid descendat ad vnum, secundùm quod non descendit ad aliud; hoc autem non potest stare cum ratione perfectę vnitatis, nam si ratio communis secundùm aliquid descenderet ad vnum ex inferioribus, secundùm quòd non descenderet ad aliud, sicuti descenderet cum diuersitate, & inæqualitate, ita etiã in se ipsa includeret diuersitatem, & inæqualitatem, cum eo enim tantùm descendit, quod in seipsa includit, vndè si includit perfectam vnitatem, debet cum perfecta vnitate descendere. Quòd etiã confirmari potest, quoniam, vel est inæqualitas in ratione entis, vel non. Si admittitur hoc secundum, iam erit vniuocum, quia æqualiter, & eodem modo ab omnibus participabitur. Si verò dicatur primum, ergo quando abstrahitur ratio entis ab inferioribus, abstrahetur cum hac inæqualitate, & proinde ens abstractum nõ dicet conceptum omnino vnum, & perfectè præcisum.

III. Resp. Suarez citata sect. 2. disp. 32. quòd licet conceptus entis obiectiuus sit omnino vnus, & præcisus, descendere tamen per prius, & posterius, ita vt priùs sit in substantia, & dependenter ab ipsa in accidente, & ideò deficere à proprietate vniuoci, quòd sine aliqua dependentia vnius ab alio debet ab inferioribus participari. Verùm hæc responsio non potest subsistere supposita vnitate conceptus obiectiui. Vel enim huiusmodi ordo, siuè hoc prius, & poste-

Prima ratio.

Ratio perfectè vna non potest inæqualiter descẽdere.

Responsio Suarez.

Impugnatur.

rius

rius ponit intrinſecam diuerſitatem in ratione communiſſima entis, prout participatur ab inferioribus, vel non. Primùm non poteſt dici, quia ratio communiſſima entis non poteſt aliter deſcendere, ac eſt in ſeipſa, & cum in ſeipſa nullam includat diuerſitatem, nec etiam poteſt cum diuerſitate deſcendere ſecundùm prius, & poſterius. Si verò non ponit diuerſitatem intrinſecam in ratione communiſſima entis, nec etiam ponit analogiam, quæ ibi ſolùm eſt, vbi eſt diuerſitas, quare, ſi in ratione communiſſima entis non eſt diuerſitas, nec etiam erit analogia. Confir. vel ratio entis, dum deſcendit per prius, & poſterius, dicit inæqualitatem in ſeipſa, prout ab inferioribus participatur, vel non dicit, ita vt hoc prius, & poſterius non ſit in ipſa intrinſecè. Si in ſeipſa, prout ab inferioribus participatur, includit inæqualitatem, atque hoc prius, & poſterius, etiam quando abſtrahitur, cum inæqualitate abſtrahetur, & conceptus non erit perfectè vnus, vel ſi poteſt abſtrahi ſine inæqualitate, ſignum eſt, quòd illam non includat in ſuo formali conceptu, & conſequenter neque in inferioribus illam dicat, quantùm eſt ex vi ſui formalis cõceptus. Si autem non includit, iam vniuoco modo ſe habet, quòd enim æqualiter participatur, vniuocè participatur.

Quod particip. atur cũ inæqualitate nõ poteſt ſine ipſa abſtrahi.

IV. Secundò impugnatur eadem reſponſio. Analogia, & vniuocatio non ſolùm cognoſcuntur comparando rationem ſuperiorem ad inferiora, ſed etiam econtrà comparando inferiora ad rationem ſuperiorem, & attendendo perfectam, vel imperfectam conuenientiam, quam habent in illa. Vel ergo accidens, & ſubſtantia perfectè conueniunt in ratione communiſſima entis, & æqualiter illam participant, vel non. Si primum ſequitur, quòd in ratione entis ſint vniuoca, vt per ſe manifeſtum eſt. At ſi perfectè non conueniunt, nec æqualiter rationem entis participant, ſequitur, quòd ratio entis non ſit perfectè vna, nam ratio, qua vt quo cauſat conuenientiam, ſi eſt perfectè vna, cauſat etiam perfectam conuenientiam, cum perfecta æqualitate, cauſat namque talem conuenientiam ſeipſam exhibendo, & propterea qualis eſt ipſa, talis quoque eſt conuenientia, ſi igitur ratio conuenientiæ eſt perfectè vna, perfecta quoque erit conuenientia;

Secundò impugnat.

Perfecta vnitas in ratione conuenientiæ ponit perfectam conuenientiã.

nec videtur quid amplius præter perfectam vnitatem, neceſſarium ſit in ratione communi, ad hoc vt ponat perfectam conuenientiam in ratione communi. Quòd etiam confir. Ideò homo, & equus in ratione animalis perfectè conueniũt, quia in ipſa nullam habent diuerſitatem; atque adeò nullam in ratione animalis habent diuerſitatem, quia ipſa in ſe eſt perfectè vna, atque hæc eſt vera ratio; nam ſicuti conuenientia formaliter habetur à ratione cõmuni ſeipſam exhibente, ita etiam perfectio, vel imperfectio conuenientiæ; quæ ſicuti non poteſt concipi, niſi intrinſecè inuoluat conuenientiam, ita neceſſe eſt, vt ab eodem habeatur, à quo habetur conuenientia; quia autem ratio communis ratione vnitatis exhibet conuenientiam, ita ratione perfectæ vnitatis exhibet perfectã conuenientiam. Quamobrem ſi ratio entis in ſe eſt perfectè vna, tribuet etiam inferioribus perfectam conuenientiam in ratione entis, quemadmodum tribuit animal ſuis inferioribus in ratione animalis.

V. Tertiò inſto contrà hanc reſponſionem. Ex eo quòd ratio illa deſcendit per prius, & poſterius, vt vult Suarez, non per hoc deſcendit cum aliqua diuerſitate, quam in ſeipſa includat, quia, cum ſit omnino præciſa, nullam includens differentiam inferiorum, poteſt cum aliqua diuerſitate deſcendere, quam in ſeipſa includat. Ex hoc autem ſequitur, quòd deſcendat æqualiter, & conſequenter vniuocè, nam ſi non deſcendit cum aliqua diuerſitate, quam ex ſe habeat, ſequitur, quòd nullam quantùm eſt ex ſe ponet diuerſitatem in inferioribus, id namque tantùm ponit, quòd in ſeipſa habet, ſi ergo ex ſe non ponet diuerſitatem in inferioribus, cum inferiora, quantùm eſt ex vi illius, non habeant aliquam diuerſitatem, ſed ſolùm æqualitatem, & conuenientiam, & proinde non analogiam, ſed conuenientiam perfectam, & vniuocationem. Itaque impoſsibile eſt, quòd aliqua ratio ſit perfectè vna, & quod per prius, & poſterius deſcendat. Quod rurſus conuincitur eſſe impoſſibile, nam ſi ens deſcendit per prius, & poſterius ad ſubſtantiam, & accidens, ita vt accidens ſit ens dependenter à ſubſtantia, atque huiuſmodi dependentia cadat ſupra ipſam rationem entis partici-

Tertiò impugnatur.

Ratio communis perfectè vna non ſecundum ſe ponit diuerſitatem in inferioribus.

patam

patam ab accidente, alioqnin non poneret analogiam in ratione entis, sequitur, quòd ratio entis, quę est in accidente sit diuersa à ratione entis, quæ est in substantia, cum enim dependeat ab ipsa, oportet, quòd sit distincta, neque enim datur dependentia absque distinctione extremorum, quæ dependeant; atque cum omnis distinctio in rationibus formalibus sit diuersitas, si ratio entis, quæ est in accidente, non est vna cum ratione entis, quæ est in substantia, erit sanè diuersa; quòd si est diuersa, sequitur, vt quando abstrahitur ens à substantia, & accidente, non abstrahatur vna, atque eadem ratio entis, sed diuersa, & consequenter conceptus entis non erit vnus, sed multiplex. Confirmatur, Ratio entis præcisa in seipsa intrinsecè non dicit hanc prioritatem, & posterioritatem, neque hanc dependentiam, neque enim idem dependet à seipso; ergo neque substantia, & accidens habent hanc dependentiam ratione entis; ens enim id tantùm exhibet inferioribus, quod in seipso dicit, & nihil amplius. Si ergo dependentia non interuenit inter substantiam, & accidens ratione entis, neque ratione ipsius dicent aliquam analogiam, sed perfectam connenientiam, atque vniuocationem.

Vbi est prius & posteri' in participatione est & diuersitas.

VI. Secundò principaliter prob. nostra conclusio. Ratio entis cōmunissima nō est capax, vt inęqualiter participetur, neq. in seipso potest includere diuersitatem, ergo non est analoga, sed vniuoca. Conseq. est clara, cum enim analoga sint illa, quæ sunt partim eadem, partim diuersa, non possunt constitui in esse analogi per aliquam rationem, quæ non sit inęqualiter participabilis, neq. in seipsa includat diuersitatem. Anteced. igitur probatur, nam ratio entis cōmunissima ex se formaliter tantùm importat habere esse, seu essentiam, quòd nihil aliud est, quàm esse quid reale, contradistinctum à nihilo; in hac autem ratione nulla excogitari potest inæqualitas, quæ enim diuersitas, seu inęqualitas in hoc fingetur? statim enim, ac in habere Esse aliqua diuersitas ponitur, non habetur amplius esse, vt sic, sed tale esse; quod enim diuersum, respectu alicuius est tale, vndè opus est, quòd ab ipso distinguatur, & con-

II. ratio

Rō entis non est capax diuersitatis.

sequenter ponatur pluralitas eorum, quæ habent esse; at quis non videt, quòd statim, ac ponitur pluralitas eorum, quę habent esse, ponuntur talia entia, non autem ens, vt sic? cum ergo impossibile sit, poni inæqualitatem, & diuersitatem in hoc conceptu habendi esse absq; pluralitate eorum, quæ habent esse, impossibile est etiam, quòd in ratione communissima entis interueniat inæqualitas, seu participetur cum inæqualitate, & diuersitate, quia tunc non participaretur, vt vna, sed vt multiplex, neq. participaretur, vt id, quod dicit pręcisè habere esse, vt sic, sed vt id, quod dicit habere tale, & tale esse.

VII. Confir. hęc ratio. Ratio entis tantùm importat id pręcisè, quod sufficit, vt cōtradistinguat à nihilo; & nihil in super; & est talis, vt si aliquid ab illa tollatur, deueniatur ad impossibile, seu nihilum; si verò aliquid addatur, quod possit tolli, absq. eo, quòd deueniatur ad nihilū, non sit amplius ratio entis vniuersalissima, sed talis entis; debet enim ratio entis, vt sic, cum sit omnium vniuersalissima, & abstractissima, esse pręcisa ab omni eo, à quo potest præscindi, quòd non esset verum, si diceret aliquid, quod posset ab ipsa separari, absq. eo quòd tolleretur contradictorium positiuum nihili. Ens ergo, vt sic dicit tantùm id, quod sufficit ad positiuum contradictorium nihili, ita vt si aliquid ab ipso tollatur, totū tollatur, nec remaneat contradictorium nihili. Ex quo sequitur, ens non posse inęqualiter participari, tunc enim participaretur meliori modo ab vno, quàm ab alio, atq. adeo vnum aliquid magis participaret, quàm alterum. Et consequenter, vel id, quod participaret aliquid magis ex vi entis, vt sic formaliter, non participaret solam rationem entis, sed aliquid amplius; vel id, quod participaret aliquid minus, non participaret positiuum contradictorium nihili, quæ omnia æquè absurda sunt. Quamobrem necesse est, vt ens æqualiter descendat ad inferiora, quia non potest descendere, secundùm aliquid minùs eo, quod à nihilo contradistinguere potest, nec secundùm aliquid maius, quia illud ex vi sui conceptus non dicit.

Confir.

Ens vt sic dicit pcisum cōtradictorium nihili.

VIII. Confir. secundò eadem ratio. Omnia inferiora entis in hoc ęqualia sūt,

Confir. secūdò.

quo cōtradiſtinguantur à nihilo,atq.ipſi contradictoriè opponantur, atq; adeo, quod ſint aliquid,oportet ergo,concede re vnam aliquam rationem in omnibus, per quam formaliter habeant, quod ſint quid reale, & quòd opponantur nihilo, præſertim quia prima ratio remouens à nihilo, debet eſſe vna, cum ſit vnus,atq. idem effectus formalis,qui ab ipſa exhibetur; quod ſi eſſet multiplex ratio, & diuerſa, non poſſet eumdem effectum formalem præſtare, & ſi vna formaliter à nihilo contradiſtingueret, non contradiſtingueret alia;niſi fortè haberent aliquam conuenientiam; verùm tūc adhuc eſſet vna ratio, quæ à nihilo contradiſtingueret, illa nimirum, quæ cauſaret talem conuenientiam. Intellectus ergo per ſuam virtutem præciſiuam poterit omnes alias rationes formales ſeparare, & illam merè concipere, per quam res habent,ꝙ primò contradiſtinguãtur à nihilo,ita vt nihil minus poſſit concipere, ſi tamen extremum nihilo oppoſitū vult concipere,ſeu illam rationem,in qua omnes conueniunt, vt à nihilo contradiſtinguantur; nec etiam aliquid aliud concipiat, tunc autem concipiet aliquid ęqualiter ab inferioribus participatum, & propterea aliquid vniuocum.

1.rō remouens à nihilo dēcet ſe vna

IX. Tertia ratio principalis pro eadem concluſione deſumitur ex eo,quòd, quando inæqualitas,quę eſt in inferioribus,prouenit à rōnibus differentialibus cōtrahentibus, non tollit vniuocationē rationis cōmunis,vndè etiã Ariſ.7.phyſ. tex.31.docet.quòd etiam ſub genere vniuoco latent æquiuocationes,& diuerſitates; hæc tamen diuerſitas non tollit vniuocationem generis, quia non eſt in ratione communi ſed prouenit à differentijs contrahentibus genus;ſic ratio viuētis eſt perfectior in homine, quàm in leone, quia tamen hæc maior perfectio pronenit ratione differentię, ideo non tollit vniuocationem animalis. Modò applicando hanc doctrinam ad præſentem materiam, tota inæqualitas, quæ in ratione entis eſt in inferioribus, non eſt ex vi entis,vt ſic; ſed ex vi rationum contrahentium,& limitantiū ens,ideò enim ſubſtantia eſt perfectius ens, quàm ſit accidens, quia eſt ens per ſe, non verò, quia habet eſſe, vt ſic; ex quo patet, quod iſta inæqualitas,& maior perfectio habetur ratione ſubſtantiæ, vt ſubſtantia eſt, & ſimiliter etiam dicendum eſt de minori perfectione accidentis.

III. rō.

Quod rurſus declaratur. Habere eſſe cum maiori, vel minori perfectione non poteſt fiare niſi cū limitatione, & modo determinato eſſendi, quia eo ipſo, quòd intelligitur aliquid participare eſſe inæqualiter, nimirum cum maiori perfectione, & aliquid cum minori perfectione, intelligitur etiam, quòd participet eſſe determinato modo, atq; cum quadam limitatione,nimirum quia limitatur ad minorem perfectionem, ſeu ad maiorem, & non minorem, ergo tota inæqualitas, quæ eſt in inferioribus, habetur ex contractiuo, quatenus tribuit determinatum modum eſſendi, non autem ex vi entis, vt ſic, & ideo non tollit vniuocationem rationis communis. Confir.

Quod etiam amplius confir. Certum tamen eſt, quòd nulla analogia haberi poteſt ſine diuerſitate, & vbi eſt conuenientia ſine diuerſitate, illa ratio conuenientiæ eſt vniuoca;modo tota illā diuerſitas, quæ eſt in inferioribus, eſt ſolùm ex vi rationum contrahentium, ergo ens, vt ſic, ab inferioribus participatum,erit vniuocum, cum diuerſitas differentiarum non tollat vniuocationem rationis communis. Quod autem tota diuerſitas,quæ eſt in inferioribus habeatur ratione differentiarum contrahentium, oſtenditur; nam certum eſt, quòd rationes coatrahentes diuerſificant, & limitant ens ad certum modum eſſendi; & etiam ſtatim ac habetur diuerſitas, habetur etiam aliqua coarctatio, vndè hæc dno ſe inuicem inferunt,& conuertuntur, nempe eſſe diuerſum.& eſſe contractum, & valet; eſt coarctatum, ergo eſt diuerſum, & econtra ens eſt diuerſum, ergo eſt coarctatum, quod manifeſtè indicat, diuerſitatem non poſſe haberi, niſi ex vi coarctationis. Præterea, ſi coarctatiua cauſant diuerſitatem, ergo vbi eſt diuerſitas, erit etiam coarctatio, oportet enim, quòd ſi ens in ſubſtantia eſt diuerſum ab ente in accidente, aliquid habeat, per quod formaliter diuerſum ſit, quod ſit proprium ſubſtantiæ, & non ſit in accidente. At quis non dicit, quòd quicquid eſt in ſubſtantia, vt proprium illius, pertinet ad eius conſtitutiuum, atque coarctatiuum, quo coarctatur ad eſſe ſubſtantiæ?

Entis diuerſitas in inferioribus eſt ex vi rōnum contrahentiu.

X. Dices

Excluditur responsio.

X. Dices ens, vt sic, inuoluitur in ratione substantiæ, si ergo ex vi rationis formalis, quam dicit substantia, habetur diuersitas, iam etiam habetur ex vi entis. Verùm hic non est bonus modus argumentandi, quia ratio entis non imbibitur in ratione formali substantiæ, tanquam formale constitutiuum substantiæ, vt substantia est, seu prout ens est limitatum ad talem modum determinatum essendi, sed imbibitur in ipsa, tanquam ratio transcendens, conferens esse reale; at quando ratione substantiæ, siue accidentis, habetur diuersitas, non habetur ab illa, vt quid reale est; sed vt dicit talem modum determinatum essendi, quo ens coarctatur, atque importat illam rationem implicitam essendi per se; vndè quamuis ratio substantiæ sit ens, non tamen importat diuersitatem in ratione entis, quam dicit implicitè, sed solùm in ratione substantiæ, quam dicit explicitè, & ideo non tollit vniuocationem entis. Confirmatur, Substantia, vt ens est, conuenit cum accidente, neque in eo, quo conuenit cum accidente, habet perfectius esse, quàm ipsum, ergo tota diuersitas, quæ est inter accidens, & substantiam, est penes rationem substantiæ, prout contractiua entis, non autem penes rationem entis.

Nō imbibitur ens intra tionē cōstitutiuā substātię vt substantia est.

IV. rō.

XI. Quartò arguitur destruendo principale fundamentum oppositæ sententiæ; ideo enim dicunt auctores illius sententiæ, ens analogicè se habere ad substantiam, & accidens, quia accidens est ens dependenter à substantia, & per ordinem ad ipsam. Verùm hoc est falsum, & idcirco ruit totum fundamentum excogitatę analogiæ, quia si accidens est ens independenter à substantia, atq. sine ordine ad ipsam, proculdubio erit vniuocè ens. Quòd autē independenter, & sine ordine ab substantiam accidens sit ens, facilè probatur. Totus .n. ordo, quem dicit accidens ad substantiam, dicit tanquam aliquid ipsi inexistens, & tanquam quoddam ipsius complementum, & tota dependentia, quam habet respectu substantiæ, est tanquam à subiecto, quemadmodum enim, quando accidens existit, tota eius dependentia, quam habet respectu substantię, exercetur per sustentationē, qua ab ipsa, tanquam à subiecto sustentatur, ita etiam secundùm essentiam consideratum, solùm dicit, quod dependeat à substantia, tanquam à subiecto, atque ad ipsum solùm dicat ordinem, tanquam ad subiectum. Ex hoc autem sequitur, quòd accidens non dicat ordinem ad substantiam secundùm rationem entis, sed talis entis, nimirùm accidentis, subiectum enim correspondet accidenti, non vt ens est, sed vt est tale ens, nimirum inexistens, & ideò ratio explicita accidentis adæquat totam illam dependentiam, & totum illum ordinem, & non cadit vllo pacto supra rationem entis, quæ in accidente imbibitur, sed solùm supra rationem explicitam ipsius, qua se habet, vt quid inexistens, & vt complementum accidentale substantiæ.

Accidēs nō dicit ordinē ad substātiā in rōe entis.

XII. Dicet tamen aliquis, substantiā esse simpliciter ens, accidens verò esse entis ens, & veluti ens ad exēplar substātiæ, atque cum dependentia ab ipsa, veluti à causa exemplari, & ideo dependentiam cadere etiam supra rationem entis, quæ est in accidente. Hæc tamen responsio reiicitur, quia quando accidens dicitur entis ens, atque ad exemplar substantiæ, intelligitur de accidente, vt accidens est, non autem, vt ens est: quia dicitur entis ens, quatenus ipsi inexistere potest, quod non conuenit accidenti, nisi vt accidens est, & similiter dicitur ad exemplar substantiæ, vt substantia est, nempe, vt quid per se subsistens, non est autem accidens ad exemplar substantiæ, nisi vt accidens est, quo ad suum modum peculiarem essendi, vndè ex hoc non tollitur vniuocatio entis. Quòd etiam confirmatur, quia non potest accidens esse entis ens, ita vt interueniat aliqua inæqualitas in ratione essendi, nisi interueniat etiam aliqua distinctio, & diuersitas, at omnis distinctio, & diuersitas, quæ est inter accidens, & substantiam, est ex vi proprii constitutiui vniuscuiusque, cum enim distinctiuum, & constitutiuum sint idem, oportet, vt omnis distinctio, quæ est inter vnumquodque, sit ex vi proprii constitutiui ipsius, ex quo sequitur, quòd non possit accidens esse entis ens, nisi prout distinguitur à substantia, & consequenter, prout accidens est. Quòd si dicatur, esse ad exemplar substantiæ, quatenus conuenit cum ipsa

Reijcit responsio.

Quo accidēs ad exemplar substātię.

in eo, quod habeat esse hoc pacto non ponitur aliqua inæqualitas inter substantiam, & accidens, sed potius æqualitas, & vniuocatio, nam sequitur, quòd participent ambo eamdem rationem entis. Sic etiam inducimus, verbum est, imago Patris, quia tamen participat eamdem naturam cum patre; ideò est æqualis cum ipso, & vniuocè Deus. Quare hoc pacto ratio imaginis, & exemplaris non tollit vniuocationem.

V. ratio. XIII. Quintò argumētari possumus ex natura cuiuscunq. rationis formalis quidditatiuæ. Vnde sic formari potest ratio; tàm accidens, quàm substantia formaliter, & intrinsecè participant rationem entis, ergo ens æqualiter ab ipsis participatur. Anteced. est certissimum, cū tàm accidens, quàm substantia enim quid reale positiuum. Conseq. igitur declaratur omne prædicatum habet suam propriam essentiam, & prędicatum entis dicit habere Esse, seu essentiam, vt supra suo loco declarauimus: omnes autem rerum essentiæ, atque quidditates consistunt in indiuisibili, vt etiam docet Aristot. 8. metaph. tex. 10. vbi comparat rerum essentias, cum numeris propter earumdem indiuisibilitatem; ait enim, *Et quemadmodùm de numero ablato, aut addito aliquo, ex quibus numerus est, non est amplius idem numerus, sed diuersus, etiam si nimirum auferatur, aut addatur; ita nec definitio, nec ipsum, quod erat esse, erit amplius ablato aliquo, aut addito.* Ratio autem à priori esse potest, quia rerum quidditates dicunt merè id, quo constituantur in esse talis quidditatis, & quicquid conuenit ad ipsarum constitutionem est de necessitate ipsarum, ita vt sine ipso consistere non possint, cum habeant totum suum esse necessarium, quare quicquid auferatur, tollitur etiam essentia, & similiter, si aliquid addatur, sit aliqua alia essentia. Præterea. Si aliquid additur, vel est idē formaliter cum tali quidditate, cui additur, & hoc non potest dici, quia idem adderetur sibi ipsi; vel est aliquid diuersum, & tunc non erit amplius aliquid de tali essentia, & ideò quidditas illa consistet in indiuisibili. Eodem modo si aliquid potest detrahi de tali essentia, quæro an sit idem cum eo, quod relinquitur, an

Rerum qidditates indiuisibiles. Aristot.

verò diuersum. Si est idem, iam non est aliquid detractum ab ipsa, alioquin idem detraheretur à seipso. si verò dicatur esse quid diuersum; rursus inquiro, an illa quidditas consistat in suo esse, an verò non consistat, si consistit; ergo quod detrahitur non est aliquid de tali quidditate, quæ nihilominus retinet suum esse. Si verò non consistit in suo esse sequitur, quod sit indiuisibilis, quoniam non potest aliquid ab ipsa tolli, quin destruatur. Ex quibus manifestum fit, quod vnaquęque quidditas consistit in indiuisibili.

XIV. Ex hoc autem colligitur efficacia nostri argumenti. Vnaquæque quidditas debet participari à suis inferioribus eo modo, quo participabilis, est ergo cum ratio entis sit indiuisibilis, vt in hoc seruet regulam generalem cuiuscunque quidditatis, est tantùm participabilis à suis inferioribus, vt aliquid consistens in indiuisibili, atque adeo modo indiuisibili; ex hoc autem, quod tantùm potest participari, vt aliquid consistens in indiuisibili, sequitur, quòd debeat participari cū omni æqualitate, & vniuocè, ita vt ratio vniuoca sit omnino eadem, in vnoquoque participante, nam si reperiretur in ipsis cum aliqua diuersitate, aut inæqualitate non reperiretur indiuisibili modo, aliquid enim plus diceret in vno, quàm diceret in alio atque consequenter esset diuisibilis, quia aliquid tolleretur ab ipsa, prout est in vno, quod non tolleretur, prout est in alio.

Rō entis indiuisibili modo participabilis.

XV. Nec video, quomodo vis huius rationis aliquo modo declinari possit, nisi fortè dicatur, quòd essentia, & quidditas entis non sit vna saltem perfecta vnitate. Verùm hæc responsio refutata est etiam supra dum ageremus de præcisione conceptus obiectiui entis, & corruit ex ijs, quæ diximus disput. 35. sect. 4. vbi ostendimus ens dicere vnum cōceptum obiectiuum adæquatè præcisum ab inferioribus; quare si eius conceptus obiectiuus est vnus, cur etiam quidditas non erit vna? Deinde non potest quidditas esse multiplex, nisi interueniant diuersæ rationes formales, non enim multiplicitas in quidditatibus habetur; nisi ex multiplicitate rationum formalium;

Reijcit aduersariorum responsio.

at si

at si ponuntur multiplices rationes formales, si vna erit quidditas entis non erunt aliæ, cum sint diuersæ,& diuersam quidditatem importent; imò diuersæ rationes formales sunt diuersa inferiora entis,non autem ens vt sic,quia vnaquæque ipsarum habebit ens limitatum, & contractum, vt scilicet determinetur ad esse proprium,&non ad esse alterius. Tertiò ens dicit tantùm vnum prædicatum commune omnibus inferioribus, per quod omnia habent, quòd à nihilo contradistinguantur. Confir. quòd per ens explicitè saltem importatur,est omnium vniuersalissimum,& est quid simplex,vndè etiam est vna sola quidditas, & non multiplex. Denique si esset multiplex, & consequenter importaret diuersas rationes formales,vel vnaquæque ipsarum importaret id, quod important aliæ, & hoc est impossibile, quia non possunt rationes formales multiplicari sine formali diuersitate, & deinde tot rationes formales eiusdem prorsus rationis essent superfluæ. Si verò vnaquæque dicit suã peculiarem, & diuersam formalitatem; vel hæ omnes formalitates in aliquo cõueniunt, & tunc hæc ratio conuenientiæ erit ratio entis, quia erit omnium communissima; Si verò in nullo conueniunt, tunc erunt plures rationes entis, & non vna, neque aliqua ipsarum erit ratio entia, siquidem hæc est omnibus cõmunis.

XVI. Atque in confirmationem huius rationis possumus principaliter argumentari, etiam ex passionibus entis. Huiusmodi enim passiones consistunt in indiuisibili,& ab omnibus æqualiter participantur, ergo etiam ratio entis, passiones enim entis sequuntur ens, & vbi est æqualis ratio passionis, debet etiam esse æqualitas entis; at si ens perfectiori modo esset in vno, quàm in alio, passio quoque ipsum consequens eamdem inæqualitatem seruaret; quam tamen non seruant, vt patet si attendatur vnitas, quæ est præcipua passio entis; hæc enim non est capax inæqualitatis, cùm omnino consistat in indiuisibili, nec est capax alicuius diuersitatis secundùm quam participetur ab inferioribus;vnitas enim dicit indiuisionem,& opponitur diuersitati; ita vt per quamcumque diuersitatem tollatur. Similiter etiam dicendum est de veritate. Neque valet si dicatur, quòd maior est vnitas in vno inferiorũ, quàm in altero, nimirum in substantijs simplicibus, quàm in compositis, quoniam illa non est vnitas transcendentalis, sed talis, & talis vnitas, nempe vnitas simplicitatis, & vnitas compositionis; nos verò loquimur de vnitate transcendentali,& in communi sumpta, quæ in se non potest recipere aliquam diuersitatem, nisi recipiat distinctionem, per quam tollatur.

Passiones entis æqualiter participant.

XVII. Sextò etiam efficaciter probatur applicando præsenti materię rationem supra factam pro præcisione entis. Hoc enim certum est, quòd aliqua conuenientia interuenit inter inferiora entis in eo, quod sint entia; Rursus etiã certum est,quòd in ijs,quæ aliquo modo conueniunt,& aliquo modo diuersa sunt intellectus reperit sufficiens fundamentum distinctionis, qua præscindat rationem communem conuenientiæ à rationibus particularibus. His ergo sic stantibus cum omnia inferiora entis habeãt aliquam conuenientiam in ratione entis, potest intellectus eousque præscindere, quousque deueniat ad puram rationem conuenientiæ,vbi autem est pura ratio conuenientiæ, adest etiam secundùm illam rationem perfecta vniuocatio. Neque adhibeatur vulgaris illa responsio,quòd scilicet non potest deueniri ad perfectam conuenientiam,quia inferiora entis illam non habent, quoniam certum est vt diximus, quòd habent aliquam rationem conuenientiæ, & rursus etiam certum est, quòd ratio formalis conuenientię non est ratio formalis diuersitatis, imò illi opponitur, atque quod in ipsa imbibitur tantùm pura ratio conuenientiæ, & nihil aliud. Vndè sic argumentor. Vnaquæque ratio formalis,vt modo supra dicebamus,consistit in indiuisibili, nec ipsi põt aliquid detrahi,aut addi,& per consequens etiã ratio conuenientiæ, ergo aut dicendum est, quod inferiora nullam habeant conuenientiam in ratione entis, aut quod habeant perfectam conuenientiam,alioquin detraheretur aliquid de conuenientia,& non consisteret in indiuisibili. Præterea. Si adest aliqua conuenientia certè debet etiam concedi ratio formalis conuenientiæ; ratio autem fomalis cuiuscunque rei dicit perfectò modo illam rem; rursus etiam cum in tali ratione formali conuenientię nulla inuoluatur

Sexta ratio.

Intellectus potest præscindere ab inferioribus purã rationem conuenientiæ in ratione entis

uatur diuersitas formaliter loquendo, poterit intellectus illam solam præscindere, vtpotè, quæ præbet fundamentum sufficiens, vt præscindatur absque eo, quòd concipiat diuersitatem aliquam, tunc autem habebimus puram rationem conuenientiæ, & consequenter vniuocationem entis.

Confir.

XVIII. Atque in confirmationem huius rationis facit argumentum illud, quod à Scotistis adducitur, nec ab ijs rectè soluitur. Quòd scilicet debet concedi in omnibus inferioribus aliqua ratio, quæ sit perfectè vna, per quam possint in ratione intelligibilis specificare vnam potentiam, quæ non alia esse potest, quàm ratio entis; cum enim intellectus habeat pro obiecto omnia entia, oportet concedere communem rationem obiectiuam in omnibus entibus, quæ, vt diximus, est ratio entis; cum autem specificet vnam potentiam vniuocam, debet ipsa quoque esse vniuoca. Nec rectè respondetur solet, quòd sufficiat ad specificandam vnam potentiam, quòd sit vna analogicè. Quoniam tunc non seruaret debitam proportionem cum potentia, cù enim potentia sit vna vniuocè, absq; vlla diuersitate, debet etiam illi correspendere specificatiuum vniuocum, nullam includens diuersitatem. Specificatio enim consistit in quadam commensuratione, qua specificatum cum specificante commensuratur, & quale est speci ficans, tale etiam est specificatum; & quemadmodum specificans tribuit esse specificato, ita tribuit etiam vnitatem, & ideò, si specificatiuum non habet veram, & perfectam vnitatem, nec etiam tribuet perfectam vnitatem specificato. Quapropter rectè possumus arguere ab vnitate specificati ad vnitatem specificatiui, cuius perfecta, & vniuoca vnitas inferetur, si in specificato erit huiusmodi. Quòd etiam confir. quoniam videmus, quòd si ratio specificatina est multiplex, multiplex quoque est specificatum, atque si est perfectè vna, perfectè quoque vnum est specificatum; ergo si non est perfectè vna, sed includit aliquã diuersitatem, specificatum quoque talẽ diuersitatem includit, vt seruetur debita proportio, atque correspondentia; & optimè ex perfecta vnitate specificati colligemus perfectam vnitatem specificatiui; quæ quidem ratio, si rectè perpendatur, efficacissima est, & plurimũ habet ponderis, & euidentiæ, quantum fieri potest in hac metaphysica materia.

Ratio obiectiua specificans potẽtiã intellectiuã debet esse perfectè vna.

XIX. Denique argumentor ex natura ipsius entis, præcisè accepti. Suppono enim hic, quòd detur conceptus obiectiuus entis præcisus. Hic conceptus obiectiuus entis descendit vniuocè ad substantias, saltem quæ vniuocè conueniunt in ratione substantiæ; non enim in præsenti disputandum est, an substantia vt sic, sit quid vniuocum, an verò analogum. Et quòd ens vniuocum sit ad substantias, quæ vniuocè conueniunt in ratione substantiæ, constat ex eo, vt dicebamus etiam sect. præced. quòd nulla ex his substantijs est ens dependenter ab alia & cum ordine ad ipsam, neque vna est perfectius ens, quàm altera, in quo consisteret tota analogia, si quæ interueniret. Deinde illæ omnes substantiæ, quę vniuocè conueniunt in ratione substantiæ vniuocæ, seu prædicamentalis, conueniunt etiam in illa ratione entis, quæ imbibitur in ratione illa substantiæ vniuocę, & quando substantia vniuoca prædicatur de suis inferioribus, prædicatur etiam de ijsdem ratio entis in ipsa imbibita; Huiusmodi autem ratio entis est communis, vt per se patet, & necessariò est vniuoca, quia non potest dici, quòd non descendat eodem modo ad vnam, atq; eamdem rationem substantiæ vniuocę, aut quòd ab ipsa cum inæqualitate participetur; participatio enim inæqualis fundatur in pluralitate participantium. Ex hoc autem infero, quòd si semel ens descendit vniuocè, vt in hoc casu simul cum substantia vniuocè descendit ad omnes alias substantias, quæ sub illa continentur, dum imbibitur in illa substantia communi vniuoca, debet semper vniuocè descendere. Declaratur autem huiusmodi illatio, quia vel ens ex natura sua petit descendere per prius, & posterius, seu cum dependentia, & inæqualitate; vel non petit tali pacto descendere. Si ex natura sua petit descendere per prius, & posterius, semper cum ad inferiora descendit, tali pacto debebit descendere, quòd enim illi ex natura sua conuenit, semper conuenit, & impossibile est, quòd non conueniat. Quare cum aliquando ad inferiora vniuocè descendat, oportet, vt non illi conueniat per prius, & posterius descendere. Si

Septima ratio.

Ens vniuocum ad substantias vniuocas.

Quod semel vniuocè descendit, debet sẽper tali pacto descẽdere.

ergo

ergo illi non conuenit ex natura sua per prius, & posterius descendere, nunquam tali pacto descendet, quod enim non cõuenit rerum essentijs ex necessitate, & ex natura sua; nunquam potest illis conuenire, vt tales sunt. Accedit etiam, quòd eadem est ratio entis in substantia vniuoca, ac in cæteris entibus, loquendo tamen de ratione entis præcisa, quare, si in substantia illa vniuocè se habet, etiam in cæteris eodem pacto se habebit.

Quomodo ens etiam analogum sit: vbi etiam rationes oppositæ sententiæ dissoluuntur.

SECTIO IV.

Plurasf Arist. I. VRget tamen sententiam, quam amplexi sumus, quia Arist. lib. 4 metaph. tex. 2. docet, quòd ens multipliciter quidem dicitur, sed omne ad vnũ principium, & non æquiuocè, sed quemadmodum omne salubre dicitur ad sanum; ex quo concluditur, quòd iuxta mentem Arist. ens analogicè dicatur de suis inferioribus. Verùm hic textus multiplicem explicationem admittit; Nam imprimis dici posset, quòd Arist. non loquatur ibi de ente reali, & positiuo, quod modo à nobis consideratur, sed de ente latissimè sumpto, prout potius importat nomen commune, quàm conceptum aliquem obiectiuum, & se extendit non solùm ad ens reale, sed etiam secundùm nostrum modum concipiendi ad eus rationis, negationes, & priuationes. Et proinde, quòd tali pacto est analogũ, saltem interueniente aliqua operatione intellectus, qua non enti aliqua ratio entis attribuatur. Atque hæc explicatio probabilis sit, tum quia ibi intendit Aris. assignare, quot modis aliquid dicatur ens, atque cum etiam negationes soleāt appellari entia, oportet, quòd ens ibi sumat in tota illa vniuersalitate, quę complectatur etiam negationes; tum etiam, quia ibi Arist. inter ea, quæ dicuntur entia enumerat etiam negationes, & priuationes, & propterea quando dicit, quòd ens multipliciter dicitur, oportet, vt sumat ens complectens omnes modos, quos ibidem assignat, atque adeò etiam negationes, & priuationes.

Alia explicatio II. Altera verò explicatio congruit cum ijs, quæ circa hunc tex. diximus, dũ disp. 17. sect. 3. ageremus de obiecto metaphysicæ, vbi ostendimus, quòd Arist. nomine entis intelligit ens completum, illud nimirum, quod constat intrinsecis principijs genere, & differentia, quòd etiam substantiam appellat. Et de hoc docet, quòd dicatur analogicè, non quidem de suis inferioribus, sed de cæteris, quæ sub ipso non collocantur, atque nõ quidem analogia illa, in qua detur forma communis inæqualiter, intrinsecè tamen participata, sed illa, quam vocant analogiam attributionis, in qua forma est tantùm intrinsecè in vno extremo, in cæteris verò habitudo ad ipsam; Quæ etiam explicatio colligitur ex ipso textu; cum enim dixisset, quòd ens multipliciter dicitur, sed omne ad vnum principium, assignans hoc principium ait. *Quadam enim, quoniam substantia, entia dicuntur*. Nomine autem substantiæ hic intelligi potest Definitio, quæ fit per principia intrinseca, genus scilicet, & differentiam, & proinde per substantiam intelligat ens illud constans ex intrinsecis principijs, de quo modo dicebamus. Quòd ex eo colligitur, quia paulo post in eodem tex. ita concludit, quòd vnius scientiæ est speculari entia, prout entia sunt, sed præcipuè primum, ex quo cætera pendent, & hoc esse substantiam, cuius principia, & causas oportet inuestigare. Ecce ergo, quomodo loquitur de ente illo, quod habet intrinseca principia. Substantia autem, vt sic, non habet intrinseca principia, cum non constet ex genere, & differentia, neque enim ens est genus. Verba Arist. sunt. *Patet itaq; vnius esse* (scilicet scientiæ) *entia, prout entia, speculari. Vbique autem propriè primi, & ex quo cætera pendent, & propter quod dicuntur entia. Quòd si hoc substantia est, oportet profectò vt substãtiarum principia, & causas philosophus habeat*. Atque hoc ens assignat pro illo principio, ad quod cœtera, quę dicuntur entia, dicunt habitudinem; ibi enim omnia, quæ dicuntur entia, ait esse, seu dici talia per ordinem ad hoc ens, quod vocat substantiam, ait enim. *Ita, & ens multipliciter quidem dicitur, sed totum ad vnum principium. Quadam. n. quoniã substantia, entia dicuntur; quadam quoniam passiones substantia, quadam quoniam via ad substantiam, aut corruptiones, aut priuationes, aut qualitates, aut*

effectiua, aut generatiua substantiæ, siue eorum, quæ ad substantiam dicuntur, aut ad aliquorum ex his negationes, aut substantias. Vult ergo omnia, quæ non sunt tale ens, constans ex intrinsecis principijs, dici entia, sumendo adhuc ens in eadem significatione, extrinseca denominatione, propter ordinem, quem dicunt ad ipsum, & interuenire analogiã attributionis. Atque hunc existimo esse verum sensum illius tex. qua explicatione stante, sicut etiam, & superiori, nullo pacto militat contra nostram sententiã.

Suadentur prædictæ explicationes.

III. Atque in vniuersum, quæcunq; explicatio adhibeatur, hoc certum semper debet esse, quòd non potest Arist. intelligere de ente vt sic, prout est quid commune omnibus entibus, nam tunc non rectè diceret, quòd dicitur multipliciter, sed omne ad vnum principium, quemadmodum dicitur sanum, ita vt ratio entis sit intrinsecè tantùm in vno, in cœteris verò per denominationem extrinsecam, quemadmodum ratio sani est intrinsecè tantùm in animali; in cœteris verò per denominationem extrinsecam; nam certùm est, quòd in passionibus entis, qualitatibus, & cœteris accidentibus, generationibus, atque alijs huiusmodi, quæ dicit Arist. dici entia per ordinẽ ad substantiam, est intrinsecè ratio entis, vt sic, vndè non possunt dici entia per solam denominationem extrinsecam, cum sint talia per formam intrinsecam. Quo stante potest nihilominus tertia explicatio adhiberi, quòd scilicet velit Arist. ens multipliciter dici, sed in ordine ad vnum principium, intelligendo per hoc principium substantiam, vt sic, ita vt dũ ait. *Quædam enim, quoniam substantiæ, entia dicuntur*, assignet illud vnum principium, ad quod omnia respicientia dicantur entia per analogiam attributionis. Verùm tunc quando dicit ens multipliciter dici, intelliget de ente per se existente, seu subsistente, tanquam de illo, quod habet modum essendi principaliorem; cœtera verò dicantur entia, non quæcunque entia, sed entia per ordinem, & attributionem ad substantiam; vt enim modò vidimus, vult Arist. cœtera omnia dici entia per ordinem ad substantiam, & solùm substantiam dici ens ab intrinseco suo, & per formam intrinsecam absque ordine ad aliquod extrinsecum, vt clarè colligitur ex ipso textu.

Tertia explicatio eiusdem textus.

IV. Hinc occasione huius tex. ponimus tertiam nostram conclusionem, & dicimus; ens consideratum sm̃ modum essendi respectu suorum inferiorum esse analogum. Hęc conclusio nõ habet multum difficultatis, & nullo negocio ostendi potest. Nam modus essendi habetur tantùm ex vi rationum contrahentium, & limitantium ipsum ens ad talem modum essendi, ergo ens prout inuoluit modum essendi, inuoluit diuersitatem, atq. analogiam, quia iam adest idem nomen, nempe modus essendi; atq; ratio importata per hoc nomen, quamuis habeat aliquam similitudinem, non est tamen omnino eadem, siquidem consistit, vt diximus, in rationibus limitatiuis entis, sed neque est omnino diuersa, quia præstat eumdem proportionalem effectum, nempè determinare ens ad certum modum essendi. Præterea ens, prout dicit modũ, non ex æquo participatur ab inferioribus, sed perfectiori modo reperitur in vno, quàm in alio: perfectior enim est modus essendi substantiæ, quàm accidentis, cum illa per se subsistat, hoc verò alteri petat inexistere, vndè inæqualiter participatur, & consequenter cum analogia. Ex quo elicitur alia confirmatio, nam in vniuocis, quatenus vniuoca sunt, nullus gradus continetur in vno, qui nõ contineatur in alio, at in substantia, vt primò determinatur ad certum modum essendi, continetur aliquis gradus modi essendi qui non continetur in accidente, & consequenter non potest interuenire vniuocatio; sed neque etiam æquiuocatio, quia in modo essendi substantia, & accidens non sunt omnino diuersa, ergo interueniet analogia. Atque pro hac conclusione faciunt rationes omnes oppositæ sententiæ, proportionaliter tamen acceptæ, vt quòd accidens obtineat suum modum essendi dependenter à substantia, & cum ordine ad illam, & ideò in ipso inuoluatur prius, & posterius, atque aliæ huiusmodi, quas mox dissoluemus, quatenus militant contra vniuocationem entis abstractiſsimè sumpti.

Tertia conclusio.

Ens analogum prout dicit modũ essendi.

V. Ad primam ergo rationem oppositæ sententiæ, optimè ibi respondetur, quòd scilicet ens perfectè præscindat à suis inferioribus, vt iam supra suo loco probatum fuit. Cum autem additur, quòd inferiora participant rationẽ entis eum ordine, & dependentia, seu per

Ad rationes oppositæ sententiæ.

prius, & poſterius; hoc etiam negatur, quiá ſi loquamur de ratione entis præciſiſſima iam oſtendimus, quòd æqualiter participatur à ſubſtantia, & accidēte, atq. cœteris inferioribus, atq. quòd tota dependentia accidentis à ſubſtantia, poſterioritas, atq. ordo non eſt ſecundùm rationem entis, vt ſic, ſed ſecundùm peculiarem modum eſſendi, per quem formaliter conſtituitur in eſſe accidentis, & ideo non licet inde inferre analogiam. Et cum ſubſtantia dicitur eſſe perfectiori modo ens, quàm accidens, non debet intelligi, quòd habeat hanc maiorē perfectionem in ratione entis communiſsimè ſumpta, ſed ratione talis entis, quia vt etiam ſect. præcedenti diximus, maior, & minor perfectio poteſt eſſe tantùm inter ea, quæ diſtinguuntur, & diuerſa ſunt ſecundùm quod diuerſa ſunt, & ideo non poteſt ſubſtantia eſſe perfectius ens, quā accidens, niſi prout ſubſtantia eſt, & prout ab ipſo contradiſtinguitur.

Ad ſecūdum.

VI. Ad ſecundum etiam negandum eſt, quòd inferiora contineant diuerſitatem ſecundùm rationem communiſſimā entis, quia licet ens imbibatur in differentijs inferiorum, atq. ipſæ ſint formaliter entia, tamen nō ſunt ſolùm entia, ſed præter rationem entis vt ſic, dicunt etiā talem rationem entis, & talem modum eſſendi, à quo præſcindi poteſt, vt diximus ſuo loco, ratio entis vt ſic; ſecundùm quam differentiæ conueniunt, & ideo nō tollitur vniuocatio entis ex eo, quòd imbibitur in differentijs, non enim imbibitur in ipſis, vt diximus, cum diuerſitate. Dicuntur autem differentiæ ſe totis differre, vt ſupra etiam adnotauimus, quia differunt, ſecundùm totum id, quod non eſt tranſcendens, non poſſunt autem ſecundùm rationem entis tranſcendentem differre, quia ſi debent differre inter ſe, tanquam extrema realia, oportet, quòd vnaquæq. fundetur in ratione reali entis, atq. adeo in ipſa conueniat.

Ad tertium.

VII. Ad tertium eodem ferè modo reſpondendum, ac diximus ad ſimilem difficultatem, dum ageremus de præciſione entis, quòd ſcilicet in inferioribus, quantùmuis ſimplicibus, interuenit duplex ratio ad minus, nempè entis, & limitatiui ipſius entis, quod tamen ita limitat ens, vt ſimul ab ipſo recipiat eſſe reale; quo ſtante poſſumus aſſignare duplicem rationem, alteram, per quam inferiora conueniant, & alteram, per quam differant, quamuis altera ipſarum, illa ſcilicet, per quam differunt, non adæquatè præſcindat; non eſt autem neceſse, quòd præciſio ſit adæquata ex parte vtriuſque extremi, ad ſaluandam vniuocationem quamlibet, ſed ſufficit, quòd ſit perfecta præciſio ex parte rationis vniuocæ; quando autem ratio vniuoca eſt tranſcendēs, non eſt neceſsè, vt præciſio ſit adæquata ex parte inferiorum, cum hæc, vt diximus, debeāt realitatem ab ipſa recipere. Ad quartum patet ex dictis in ſect. 2. quòd ſcilicet poteſt dari aliquod vniuocum, quod non ſit genus. Ad quintum. In Deo non eſſe propriè conceptum formalem, cum eius cognitio ſit ſua met eſſentia. Sed quicquid de hoc ſit, neq. enim facit ad rē, non. n. colligimus vniuocationē entis ex vnitate conceptus formalis, quāuis fortaſſe ex ipſo quoq. poſſet colligi, ſed eam colligimus, quia in conceptu obiectiuo entis ſaluatur perfecta ratio vniuocorum.

Ad quartum.

Ad quintum.

Ad ſextum.

VIII. Deniq. ad ſextum quid dicendum ſit, patet ex ijs, quæ ſupra diximus diſp. præcedenti ſect. 3. num. 5. vbi explicauimus, cur ens, quamuis ſit de eſſentia vniuſcuiuſq. non tamen ponatur in definitionibus, & rationem dedimus ex trāſcendentia ipſius, propter quam non ſe habet, vt verum genus, definitio autem debet conſtare ex genere, & differentia. Deinde quia, cum ſit quid tranſcendens, ſemper imbibitur in quacunq. parte definitionis, & ideo non debet, tanquam pars ab alijs contradiſtincta ſeorſim poni. Vndè falſum eſt, quòd omne vniuocum poſſit poni in definitionibus, tanquā pars ab alijs contradiſtincta: ſed ſolùm illud vniuocum, quod habet rationem, vel generis, vel differentiæ. Atq. ex his intelligitur illud, quod docet Ariſt. 7. Metaph. cap. 1. vbi habet, quòd accidens definitur in ordine ad ſubſtantiam, intelligit enim de accidente, vt accidens eſt, non autem vt ens eſt, & ideo ex hoc non tollitur vniuocatio entis, quia non ponitur aliquis ordo ſecundùm rationem entis, ſed ſolùm ſecundùm rationem accidentis, vt accidens eſt, & ſubſtantię, vt ſubſtantia eſt.

Explicatur Ariſtot.

Quænam analogia sit ista, quæ reperitur in modo essendi ipsius entis. Disp. XL.

Aliorum sententia.

SECTIO I.

1. EX præcedenti disp. oritur alia quæstio, videlicet qualem analogiam importet modus essendi ipsius entis. Circa quam difficultatem diuersimodè opinantur illi, qui existimat, ens analogicè descendere ad inferiora; non enim distinguunt rationem entis à modo essendi; sed vtrumque confundunt, & analogiam illam, quæ interuenit rationi modi essendi, tribuunt abstractissimæ rationi entis, vt satis colligitur ex rationibus, quibus eam conantur cõuincere. Quamobrem eorum sententias referre possumus pro analogia modi essendi præcisè considerati, cum planè de ipsa procedant, quidam enim, vt Suarez in Metaph. disp. 32. sect. 2. num. 12. & sequentib. quem sequuntur complures ex recentioribus, negane, interuenire analogiam proportionalitatis, cuius fundamentum esse potest, quia videtur Suarez ad hanc analogiam requirere aliquam metaphoram, qua alterum analogorum metaphoricè sit tale, quale est alterum propriè, quemadmodum pratum dicitur ridere cum metaphora ad hominem verè ridentem. Hoc autem fundamentum elicitur etiam ex ijs, quæ habet Suarez de analogia entis respectu Dei, & creaturarum, & vult quòd tantùm interueniat analogia attributionis.

Prima sententia.

Interuenire tñ analogiã attributionis Suarez.

II. Verùm quia in hac analogia vnum tantùm analogorum solet intrinsecè participare formam analogiæ, cætera verò tantùm dicunt attributionem ad talem formam, si quæras, quomodo interueniat hæc analogia, cum tàm accidens, quàm substantia participent intrinsecè proprium modum essendi. Respõdet Suarez, quòd duplex est analogia attributionis, alia quidem, in qua forma est tantùm intrinsecè in vno analogato, vt modò dicebamus, in alijs verò per extrinsecam denominationẽ. Alia verò, in qua forma est intrinsecè in omnibus analogatis, cum aliquo ordine, vel habitudine eorum inter se; Hæc ergo analogia attributionis, quæ reperitur in modo essendi ipsius entis, contingit posteriori modo; quia, inquit ipse, accidens est ens intrinsecè, seu participat intrinsecè proprium modum essendi; vndè tota analogia consistit in ordine, & habitudine, & hæc est diuersa ab analogia attributionis, quæ solet in alijs rebus reperiri.

Duplex analogia attributionis.

III. Auersa autem in sua Philosoph. quæst. 3. sect. 13. distinguit plures species analogiæ, atq. inquit, quòd si analogia inæqualitatis sumatur non pro quacunq. inæqualitate perfectionis, sed specialiter pro illa, quę est cum essentiali dependentia, ita vt, quæ inæqualia sunt, vnũ dependeat essentialiter ab alio, & natura communis descendat ad illa per prius, & posterius, hoc pacto in ente interuenit analogia inæqualitatis; quę etiam appellari solet analogia proportionis. Secundò etiam ait, in ente interuenire analogiam attributionis, siue sumatur, prout importat formam intrinsecè manentem in vno analogato, & in alijs extrinsecè, siue prout importat intrinsecam conuenientiam in omnibus analogatis, cum depen dentia tamen vnius ab alio, & in hoc sequitur opinionem Suarez eidem fundamento innixus. Interuenit autem analogia attributionis priori modo, hoc est per formam extrinsecam in accidente, quia accidens potest extrinseca denominatione denominari ab entitate substantiæ, quatenus est aliquid illius; pro quo etiam citat D. Thom. 1. par. quæst. 6. art. 4. quem sect. sequenti afferemus. Deniq. ait, quòd analoga proportionis duplici modo accipi possunt nimirum pro ijs, in quibus forma propriè dicitur de vno, & metaphoricè de alio. & pro ijs, in quibus forma propriè dicitur de omnibus, in quo discrepat à Suarez, qui vult hanc analogiam esse semper cum metaphora, vult ergo, quòd hæc quoque analogia interueniat, si tamen posteriori modo sumatur, nimirum pro ea, in qua forma propriè dicitur de omnibus analogatis. Verùm non video, quomodo hæc analogia di-

Secũda sententia ponens analogiã tum proportionis, tum attributionis. Auersa

uersa

uerſa ſit ab ea, quam vocant inæqualitatis.

IV. Fonſeca 4. metaph. cap. 2. quęſt. 1. ſect. 7. quem etiam ſequuntur nonnulli ex recentioribus, admittit duplicem analogiam, proportionis ſcilicet, & attributionis. Proportionis quidem, quatenus intrinſecè, ſed cum inæqualitate, tàm accidens, quàm ſubſtantia participant hunc modum eſſendi. Attributionis verò, quatenus accidens dicit attributionem ad ſubſtantiam, & inquit, quòd hęc analogia attributionis poteſt eſſe, tùm vnius ad alterum, tùm duorum ad vnum tertium. At Caiet. tract. de Nomin. analogia cap. 2. §. *Sed eſt ex hoc intelligendum, &c.* ponit in ente analogiam attributionis, qua accidens denominatur extrinſeca denominatione à ſubſtantia, vt eſt ens ſubiectiuum; aſſerit tamen, quòd accidens ſit ens intrinſecè, & formaliter, vndè ſequitur, quòd admittat quoque analogiam proportionis; Quàm cap. ſequenti §. *Fit autem duobus modis, &c.* ait, contingere dupliciter, nempè, & cum metaphora, & ſine metaphora. Hanc etiam analogiam attributionis per formam extrinſecâ admittit Aegid. 4. metaph. quęſt. 3. & 4.

Teſtia. opinio ponens diuerſo modo vtrâque analogiam. Fonſeca

Caiet.

Ægid.

Propria Sententia.

SECTIO II.

I. VT propriam ſententiam explicemus. Imprimis ſupponendũ eſt, quòd accidens eſt intrinſecè ens, dicens proprium, & intrinſecum modum eſſendi. Quando enim ens coarctatur ad eſſe accidentis, oportet, vt coarctatio iſta fiat per aliquam differentiam, quę importet aliquem determinatum modum eſſendi, quo intrinſecè conſtituatur in tali eſſe determinato; & quemadmodum ex eo, quòd ſubſtantia ſubſiſtit per ſe, habetur in ipſa intrinſecè proprius modus eſſendi, ita etiam ex eo, quòd accidens habet in ſe tale eſſe, vt petat alteri inexiſtere, debet ipſi concedi proprius modus eſſendi intrinſecus. Atque cum accidens, ex vi ſui intrinſecè eſſe, ſit formaliter extra nihil, oportet etiam illi concedere proprium modum eſſendi intrinſecum, quo ſit formaliter extra nihil, quia modus eſſendi in re non eſt ſeparabilis ab ipſo eſſe, cum ſemper Eſſe illud, quod ponitur à parte rei, importet totum id, quod eſt neceſſarium ad complendam vnam integram entitatem, & conſequenter etiam debitum modum eſſendi.

Accidēs intrinſecè dicit propriũ modũ eſſendi.

II. Hoc ergo ſtante, quia circa analogiam varię exiſtunt opiniones, quomodo ſcilicet contingat, & quid ad ipſam requiratur, vt hanc difficultatem reſoluamus, iuxta ea, quæ dicturi ſumus ſuo loco, quando de analogia tractabimus, rurſus adnotamus, quòd non datur illa analogia proportionis, ſeù inæqualitatis, quam complures admittunt, in qua ſcilicet vna ratio communis inæqualiter participatur, ſeù cum dependentia, & per prius, & poſterius, cuius rei rationem ibidem aſſignabimus, & breuiter hic innui poteſt, quia ſcilicet omnis ratio formalis, vel eſt vna, vel multiplex, ſeu importans diuerſas formalitates. Si ergo eſt multiplex importans diuerſas formalitates, tunc non erit vna ratio inæqualiter participata, vt per ſe patet. Si verò eſt vna, tunc conſiſtit in indiuiſibili, vt diſput. præcedenti argumentabamur, & ideo indiuiſibili modo, & omnino æqualiter participatur. Ex quo fit, quod impoſſibilis ſit talis analogia inæqualitatis. Vndè concluditur, quòd hæc analogia, quam habent ens in modo eſſendi, non poteſt eſſe proportionis, ſeu inæqualitatis, in qua vna aliqua ratio communis inæqualiter participetur, quod etiam ſequitur ex iis, quæ diſp. pręcedenti diximus ſect. 3. num 17. vbi declarauimus, quomodo detur ratio communis modi eſſendi, vt ſic, quæ adæquetur cum ente, vt ſic, ſed quod prima ratio modi eſſendi eſt ex natura ſua contractiua entis.

Nõ datur analogia proportionis in rõnem cõmunẽ.

III. Præterea hoc etiam circa naturam analogiæ aduertimus, quod analogia proportionis nequaquam ſine aliqua metaphora ſaluari poteſt, vt latius etiam ſuo loco declarabimus. Cum enim in hac analogia nomen commune debeat importare eamdem rationem in omnibus analogatis, ſecundùm proportionem tamen, ſequitur, vt ſecundùm eſſe formale, debeat importare diuerſas rationes formales, quarum vna ſeruet proportionem ad

Analogia proportionis ſemper cum metaphora.

aliam, ad hoc, vt sint vnum secundùm proportionem. Seruari autem non potest huiusmodi proportio, nisi interueniat aliqua metaphora, proportio.n. quę est inter diuersas rationes, non importat similitudinem, sed potius quandam cognationem, ratione cuius omnes illæ rationes per idem nomen significantur; quare cum vnam illarum propriè significet, non potest propriè alteram significare, cum sit diuersa ab illa, quæ propriè significatur; vndè remanet, quòd eam significet cum quadam translatione, & metaphora.

1 concl.

Analogia entis in modo essendi non est attributionis per formam intrinsecam.

IV. His ergo prænotatis. Dico primò, Hanc analogiam, quæ est in modo essendi ipsius entis, non esse analogiam attributionis per formam intrinsecam in omnibus analogatis, ita vt analogia consistat in attributione illa, seu ordine, quem dicit accidēs ad substantiam. Hęc conclusio est conformis doctrinæ, quam trademus de analogia atributionis, vbi ostendemus, quòd impossibilis est huiusmodi analogia attributionis per formā intrinsecam in omnibus analogatis. Interim autem probatur. Nam quòd est tale per attributionem ad aliud, ab ipso sumit denominationem, quemadmodum contingit in medicina, quæ, quoniam est sana in ordine ad sanitatem, quæ est formaliter in animali, ideo ab ipsa sanitate denominatur talis; econtra verò, quòd est tale per formam intrinsecam, sicuti ex se habet, quòd sit tale, ita non indiget denominatione ab alio desumpta, sed ex vi proprij esse denominatur, tale, ergo cum accidens sit existens suo peculiari modo essendi sibi intrinseco, non erit tale per attributionem ad formam extrinsecam, atq. adeo non interueniet analogia, quę consistat in hac attributione. Et confirmari potest hæc ratio, quoniam illa attributio, quam ex vi sui esse dicit accidens ad substantiam, non illam dicit, tanquam ad formam denominantem, at analoga, quę sunt talia per attributionem ad aliud, respiciunt formam analogiæ tanquam denominantem.

V. Preterea hoc etiam declaratur: non enim quilibet ordo, siue attributio sufficit ad constituendam analogiā, alioquin etiā inter vniuoca interueniret analogia, nam inter causā, & effectū vniuocum interuenit ordo, non tamen aliqua analogia; similiter etiā relatiua pręsertim prædicamentalia sunt sine analogia, sic etiam in transcendentalibus specificatū dicit ordinem ad specificatiuum, potentia ad obiectum, & tamen nulla in ipsis interuenit analogia, quod apertè indicat, non quemlibet ordinem sufficere ad analogiam. Imò cum ordo accidentis ad substantiam sit tanquam ad causam, non potest, quantùm est ex se, sufficere ad analogiam, alioquin omnes alij effectus seruarent analogiam ad suam causam, quod tamen est falsum. Requiritur ergo ad huiusmodi analogiam talis ordo ex vi cuius sumatur denominatio à forma extrinseca, vndè quotiescunq. per denominationem exprimitur esse intrinsecū rei, nō potest saluari analogia, qua nuis hoc esse intrinsecum constituatur tale, per ordinem ad aliud, & ideo cum ille ordo, quem dicit accidens ad substantiam, explicet rationem effectus in genere causę materialis, nimirum substentari, non potest analogia in ipso saluari.

Ordo effectus ad causā nō cōstituit analogiā.

Secunda cōclusio. Nō interuenit analogia proportionis.

VI. Secundò dico. Neq. modos essendi accidentis, & substantię importare analogiam proportionis, prout sunt rationes determinantes ens, vt sic, ad certum gradum essendi. Hæc conclusio, quamuis difficilis videatur, si tamen indebito sensu accipiatur, certissima est, vndè declaratur, quamuis enim verum sit, quòd ad analogiam proportionis requirantur diuersæ rationes, quæ idem proportionaliter præstent, non tamen fundare possunt analogiam proportionis, nisi quatenus sunt similes proportionaliter; & ex vi talis proportionis sortiuntur idem nomen. Verùm modi essendi, quibus constituuntur in suo esse substantia, & accidens, si considerentur, quatenus diuidunt ens, & determinant ad certum modum essendi, non sūt similes proportionaliter sed sunt rationes disparatæ, imo oppositæ, oportet enim, quòd differentiæ diuidentes aliquam rationem communem sint ita inter se oppositæ, vt fiant incompossibiles, alioquin si essent compossibiles, non possent diuidere rationem communem. Quis autē non videt, quòd ea, quę opposita sunt, quatenus talia, non possunt esse vnum, secundùm proportionem, cum potius omnino dissimilia sint? Et quemadmodum nullus diceret, quod calor, quatenus

tenus opponitur frigori, sit illi similis proportionaliter; ita neque debet dici, quòd vna differentia diuidens rationem communem, quatenus diuidit, seruet proportionem cum alia, quia secundùm hanc rationem seruat oppositionem.

Tertia conclusio.

Analogia proportionis quoad modum essendi inter substantiã, & accidens.

VII. Dico igitur tertiò. Ens seruat analogiã proportionis inter substantiã, & accidens, quo ad modum essendi, sumendo modum essendi tum substantiæ, tum accidentis, prout idem proportionaliter præstant enti, vt sic. Vt autem explicetur, in quonam consistat proportio, oportet scire, quòd modus essendi, quantùm est ex vi sui generis, & suæ rationis formalis habet determinate ens, vt sic ad certam quidditatem, seu certam naturam quidditatiuam, modus autem essendi substantiæ, quia constituit ens per se subsistens, hoc est non indigēs alio ad essendum, constituit etiam ens, quòd habet propriè quidditatem, & naturam determinatam, quia seorsim à quocunq; alio dici potest, quòd habeat determinatam naturam. Non sic autem contingit in accidente, quia modus essendi ipsius constituit ens alteri inexistens, nempè substantiæ, & quòd est affectio quædam illius; vndè est veluti aliquid substantiæ, & habet esse in ordine ad ipsam, hoc est per quamdam imitationem ipsius, quia scilicet illa quidditas, quam dicit accidens, non est aliquid in se subsistens, neque seorsim potest habere suum esse ab omni alio, sed cum imitatione substantiæ, atque imitatio in hoc consistit, quòd sicuti modus essendi substantię facit esse substantiam tanquam aliquid sui ipsius, ita modus essendi accidentis facit esse accidens tanquam aliquid alterius, nimirum substantiæ, ita tamen, vt quadam proportione commensuretur cum ipso: quod clarius declarari potest considerãdo tale accidens, & talem substantiam; videmus enim, quòd ad variationem substantiæ variatur accidens, & quòd tali substantiæ correspondet tale accidens, ex vi autem huius correspondentiæ accidens habet quamdam assimilationem proportionalem cum illa substantia, cui correspondet, quam non habet cum alia, vndè accidens vt sic, habet hanc assimilationem proportionalem vt sic cum substantia in communi accepta; atque hæc est proportio, & imitatio, quã seruat accidens ad substantiam. Quam

Accidēs quò ad esse imitatio substantiæ.

explicauit etiam Arist. 7. metaph. tex. 14. vbi sic ait. *Quemadmodum enim & ipsum ens inest quidem omnibus, non tamen similiter, sed huic quidem primò, illis verò consequenter, ita & quod quid est simpliciter substantiæ, cæteris verò quodammodo. Etenim interrogare possumus, qui est ipsum quale. Quare & ipsum quale est eorum, quorum est quia est, non tamen simpliciter, sed sicut de non ente logicè quidam aiunt, esse ipsum non ens, non simpliciter, sed non ens, ita & ipsum quale.* Vbi vides, quomodo tum esse, tùm definitionem, quam intelligit per illud quod quid est, ex eo quod proportionatur cum ipso esse, non simpliciter dicitur de accidente, sed solùm quodammodo, & cum proportione ad substantiam etiam per ipsum Arist.

Declaratur conclusio.

VIII. Atque in confirmationem huius conclusionis nihil aliud oportet addere, quia satis conuincitur analogia proportionis ex ijs, quæ modo diximus; cum enim huiusmodi analogia in eo consistat, quòd importet diuersas rationes non prorsus similes, quia tunc non essent diuersæ, sed solùm secundùm proportionem, ita vt vna proportionaliter præstet, quod præstat altera, & quòd simul per idem nomen importentur. Hoc ergo saluatur in modo essendi ipsius entis, si quidem modus essendi ex genere suo importat essentiam determinatæ naturæ in se subsistentis, quòd propriè reperitur in modo essendi substantiæ, id ipsum verò reperitur in accidente cum quadam proportione, quia videlicet modus essendi ipsius non reddit esse in se subsistens, sed constituit quamdam essentiam, vt modò explicauimus, imitantem essentiam substantiæ. Adest etiam nomen commune, nempè modi essendi, seu determinatæ essentiæ, siuè etiam entis, sumendo tamen ens non vniuersalissimè; sed pro ente creato, & determinato; & propterea saluatur totum id, quod necessarium est ad analogiam proportionis. Solùm videtur desiderari metaphora, quam diximus necessariò requiri ad hoc genus analogiæ; sed quamuis non sit de illis rethoricis metaphoris, vt cum dicimus pratum ridere, adest tamen metaphora, in qua saluatur propria natura mataphoræ, nam cum sint diuersi modi essendi, si nomen modi essendi, seu quidditatis, & essentiæ propriè significat

vnum ex ipsis, non potest propriè significare alterum, sed solùm ex quadã proportione, & similitudine.

Quarta conclusio.

Inter accidẽs & substantiã quo ad modum essendi analogia attributionis.

IX. Denique dico quartò, inter accidens, & substantiam, quò ad modum essendi, adesse etiam analogiam attributionis per formam extrinsecam. *D*esumitur hęc conclusio ex Arist. 4. metaph. tex. 2. vbi docet, quòd ens dicitur analogicè, quemadmodum dicitur etiam sanum, vnde sicuti datur vnum tantùm sanum, quod sit tale per formam intrinsecam, nimirum animal, cœtera verò sunt talia, tantùm per ordinem ad formam extrinsecam; ita etiam per Arist. datur vnum ens, quod sit tale per formam intrinsecam, & hoc vult esse substantiam, quod significat, dum ait. *Ita & ens multipliciter quidem dicitur, sed tantùm ad vnum principium. Quadam enim, quoniam substantia, entia dicuntur.* (Ecce vnum principium, ad quod cœtera dicuntur entia.) *Quadam, quoniam passiones substantia, &c.* Et sic cœtera omnia, quæ ait, appellari entia, docet, dici talia in ordine ad substantiã, intelligẽs quidditatem, quam diximus propriè reperiri in substantia, siue ens completum, quod cõstat ex intrinsecis principijs, & sufficit, quòd doceat, quædam alia dici talia, per ordinem ad hoc ens, de quo loquitur, inter quæ, aliqua se habent vt accidentia, enumerat enim qualitates, & passiones, ad hoc, vt saluetur analogia attributionis per formam extrinsecam inter modum essendi accidentis, & substantiæ.

X. Verùm cum supra dictum sit, attributionem illam, quam dicit accidens ad substantiam, tanquam effectus in genere causæ materialis ad suam causam non posse fundare analogiam, remanet explicandum, qualis nam sit illa attributio, quæ fundet analogiam. Atque cum debeat esse talis, vt ex vi ipsius desumatur denominatio à forma extrinseca, non potest esse aliqua attributio, per quam importetur esse intrinsecum accidentis, quamuis in ipso fundetur. Videtur autem commodè assignari posse ordo ille, quem accidens dicit ad substantiam, tanquam signum illius; cum enim sit entis ens, atque affectio quædam substantiæ, se habet veluti signum, & vestigium ipsius, quemadmodum etiam vrina, & pulsus sunt signum sanitatis, & ideò tanquam acccidens dicit attributionem ad substantiam, & ab ipsa sumit denominationem essendi. Fateor tamen in hac analogia, non adeò rigorosè seruari necessarias conditiones, imprimis, quia ens, siue modus essendi non importat formam, quæ sit apta denominari denominatione extrinseca, cum non importet formam accidentalem, sed quidditatiuam; imò ipsam quidditatem, quæ ex genere suo habet tantùm denominare denominatione intrinseca *D*einde, quia difficile videtur, & contra rei naturam, quòd illud, quod potest denominari denominatione intrinseca, denominetur à forma extrinseca, neque enim si vrina participaret proportionaliter rationem sanitatis, quemadmodum accidens participat proportionaliter rationẽ quidditatis denominatæ, diceretur sana per extrinsecam denominationem, sed per rationem proportionalem intrinsecam: vndè idem videtur dicendum etiam de accidente. Solùm aduertere oportet, quòd hæc analogia attributionis, non contingit secundùm eam rationem, secundùm quam contingit analogia proportionis, sed secundùm diuersam; quia vt dicemus suo loco non datur illa analogia mixta proportionis, & attributionis.

Quenã attributio inter accidẽs, & substantiã fundet analogiam.

XI. Ex dictis autem colligitur, quãuis accidens non participet propriè, sed solùm cum quadam proportione rationem essendi, seu quidditatis, & naturæ determinatæ, non hinc tamen sequi, quòd non sit propriè partiale obiectum metaphysicæ, participans eamdem rationem obiecti formalis, nam alia est ratio obiecti formalis metaphysicę, & alia est ratio quidditatis determinatæ, prout sic modò à nobis accipitur; licet enim ratio formalis obiecti metaphysici dicat rationem entis completi, tamen hoc ens completum in eo formaliter consistit, quòd constet ex suis principijs intrinsecis, nimirum genere, & differentia, quòd æquè reperiri potest in substantia, ac in accidente. Quidditas verò, vt modò à nobis sumitur, importat aliquid in se subsistens, & non cum proportione ad aliud; vndè est longè diuersa ratio quidditatis determinatæ, ac entis completi, & ideò, licèt vna sit analoga, respectu accidẽtis, & substantię, alterum tamen potest esse vniuocum.

Accidẽs adhuc obiectũ metaphysicæ licet analogicè ens, quo ad modum essendi.

Quæſt. analogia ſit prior. XII. Secundò etiam colligitur reſolutio huius difficultatis, quænam ſcilicet analogia ſit prior natura ex duabus, quæ interueniunt iu modo eſſendi, quem dicunt ſubſtantia, & accidens, an proportionis, an verò attributionis. Fonſeca. Fonſeca enim 4.metaph.cap.2.quæſt.1. ſect.7.ait, vel vtramque eſſe ſimul natura, vel potius analogiam attributionis Auerſa. eſſe priorem. Auerſa verò quæſt. 3. ſuæ Philoſoph.circa finem ſect. 13. vult ordine cauſalitatis analogiam attributionis eſſe priorem; ordine verò communitatis analogiam proportionis eſſe priorem, quia prius eſt ens commune inferioribus, quàm attributio vnius ad alterum. Nos verò dicimus, quòd admiſſa hac analogia attributionis, quæcunque illa ſit, ſimpliciter prior eſt analogia proportionis. Quòd indè colligitur, quia tota analogia accidentis ad ſubſtantiam fundatur in ipſo accidente, vt eſt tale ens, verùm per id, quod dicit formaliter vt analogum proportionis, conſtituitur in ſuo eſſe; analogia verò attributionis fundatur in hoc eſſe, ex eo ſ.quòd accidens ſeruat talē proportionem ad ſubſtantiam, & eſt entis ens, ſequitur, quòd dicat tanquam ſignum attributionem ad ſubſtantiam,& idcircò cum prius ſit eſſe vniuſcuiuſque rei, quàm ea, quæ in ipſo fundantur etiam prior erit analogia proportionis, vtpote quæ importat eſſe accidentis, quàm analogia attributionis in illo fundata.



An præter rationem entis tranſcendentis, addmittenda ſit alia ratio entis cōcompleti præciſa ab inferioribus.

Diſp. XLI.

Titulus quæſtionis explicatur, & auctorum ſententia.

SECTIO I.

1. EX his, quæ hucuſque in præcedentibus diſputationibus dicta ſunt, explicata manet natura entis tranſcendentis, atque eius conceptus obiectiuus; ſolùm ad complementum huius materiæ videndum eſt, an præter rationem entis tranſcendentis, quòd etiam in vltimis differentijs imbibi, docuimus, detur aliqua alia ratio entis ab inferioribus præciſa, quæ non ſit ita tranſcendens, vt in omnibus prorſus reperiatur; ſed ſolùm in ijs inferioribus, quæ ſunt entia completa. Vnde in hoc differt ab ente, quòd modo explicauimus, quòd præſcindet ab inferioribus tanquam ens completum, illud verò erit ratio entis præciſa tali pacto, vt etiam præſcindat ab ente completo, & incompleto. In qua difficultate prius declarandum eſt, quid nomine entis incompleti, & completi intelligatur. Diſtingui ergo ſolet duplex ens completum, aliud ſimpliciter, & aliud ſecundùm quid. Ens ergo completum ſimpliciter eſt illud, quod nullo modo venit in compoſitionem alicuius entis per ſe, vt ſunt indiuidua, quæ inuoluunt completam naturam. Ens verò completum ſecundùm quid eſt illud, quod prædicatur in quid tantùm de ente completo ſimpliciter, vt ſunt genera, & ſpecies, quę prædicantur Ens cōpletū & incompletum.

de indiuiduis, siue sint indiuidua substantialia, siue accidentalia: ex quo patet quod solùm hoc ens completum potest esse metaphysicum, atque ab ipso excludantur differentiæ, quæ non prædicantur purè in quid, sed in quale quid. Stante ergo hac distinctione entis completi, & incompleti; quæritur, an detur ratio aliqua entis, quæ abstrahat ab his tantùm entibus completis, & non completis, cuiusmodi sunt differentiæ, & proinde ipsa quoque abstrahat tanquam ens completum à suis inferioribus, & sit diuersa ab ente, quod transcendit etiam per differentias, quæ dicuntur entia incompleta.

Prima opinio affirmatiua. Albertin. II. Prima ergo sententia est Albertini tom. 2. suorum Cotolar. principio 1. philosoph. disp 3. quæst. 5. Titul. *Secunda sententia, &c.* qui asserit, dari huiusmodi rationem entis completi, quę præscindat ab omnibus inferioribus entibus completis præcisione perfecta, & adæquata. Hoc autem ens completum, ait, importare gradum entis completum, in quo omnia entia completa conueniunt. Fundat autem suam sententiam primò in eo, quòd potest concipi tota ratio cōuenientiæ secundùm essentiam entis completi, in qua conueniunt substantia, & accidens, quæ sunt entia completa, & ita præscindi, vt non imbibatur in rationibus inferioribus contrahentibus, quæ sunt entia incompleta, vt sunt perseitas, & inaleitas; omnia enim entia completa in hoc conueniunt, quòd sint entia completa, vnde potest abstrahi ratio conuenientiæ; Differentiæ verò entis completi non sunt huiusmodi, cum non participent rationem entis completi. Cum igitur ratio entis completi non imbibatur in differentijs inferiorum, optimè poterit à suis inferioribus adæquatè præscindere; tota enim ratio, cur non posset præscindere, esset, quia imbiberetur in differentijs, queadmodum imbibitur ratio entis transcendentis communissimè sumpti. Secundò. Non potest assignari aliqua ratio, cur detur substantia completa præscindens à gradibus inferioribus substantiæ, & non detur ens completum præscindens ab omnibus gradibus, seu entibus completis. Neque valet, si dicatur, quòd ens completum perficiatur in esse completo per gradus inferiores, vt per rationem subsistendi, & inexistendi. Quia ratio subsistendi, & inexistendi dat complementum in ratione substantię, & accidentis, non verò in ratione entis; & sicuti ratio subsistendi cōstituit completam substantiam, ita ens completum in ratione entis habet ex se suum complementum. Confir. Quemadmodum enim datur à parte rei per diuinam potentiam natura sine subsistentia, & accidens sine actuali inhærentia, ita etiam potest concipi natura vt sic, potens existere absque aliqua differentia perseitatis, aut inaleitatis. Alia etiam affert, sed vt impugnet eorum responsionem, qui negant dari substantiam completam præscindentem ab omnibus substantijs completis, quæ non faciunt ad rem nostram; nam iuxta ea, quæ dicturi sumus, parum refert, quòd detur, vel non detur hæc substantia completa præscindens ab omnibus substantijs completis.

III. Secunda autem opinio negat dari huiusmodi ens completum præscindens ab omnibus entibus completis. Ita sentire videntur Fonseca 5. metaph. cap. 7. quæst. 7. sect. 2. Suarez in metaph. disp. 2. sect. 5. num. 13. & sequentib. Auersa in sua philosoph. quæst. 3. sect. 10. qui tamen addit, licet non detur huiusmodi ens completum perfectè præscindens ab inferioribus, si tamen darentur cœtera entia completa, vt substantia, quantitas, atque alia huiusmodi, quæ perfectè præscinderent, deberet dari etiam hoc ens completum, qnod perfectè præscinderet à suis inferioribus, quia eadem est ratio de ente, ac de cœteris rationibus communibus. Quòd enim ex hac præcisione sequatur, ens esse vniuocum, & esse genus, hoc non est reputandum absurdum, quando ex natura perfectæ pręcisionis id sequitur, & si alioquin admittenda est perfecta præcisio, debeat admitti etiam, quæ ab ipsa sequuntur. Verùm non conueniūt inter se auctores huius sententiæ. Quidam enim non solùm non admittunt hunc conceptum entis completi, vt perfectè præscindentem, sed neque vllo pacto, non enim agnoscunt aliam rationem entis præter illam communissimam, & transcendentem; Alij verò admittunt hanc rationem entis, sed non perfectè præscindentem. Secunda opinio negatiua. Fonseca. Suarez. Auersa.

IV. Quòd autem non perfectè præ-

ſcindat fundant in eo, quòd eſſet genus generaliſſimum ad omnia prædicamenta; haberet enim omnia requiſita, eſſet enim quid ſuperius, non eſſet analogum, participaretur ſine dependentia vnius ab alio, quia non inuolueretur in differentijs. Rurſus deberet diuidi ens vt ſic, in completum, & incompletum, & tunc membrum diuidens eſſet diuiſum, quia illa perſeitas ſeu ens completum eſſet ens communiſſimè ſumptum. Tertiò quia ens completum in ſe confundit inferiores gradus, nā ſubſtantia eſt ens completum ratione perſeitatis, corpus eſt ens completum ratione corporeitatis, & ſic de reliquis, vnde non poteſt ens completum concipi tanquam vnus conceptus ab inferioribus diſtinctus. Denique cum ſubſtantiæ incompletæ, vt differentiæ, materia, & forma ſint perfectiores, quàm accidentia, deberet ens completum eſſe magis commune ad illas, quàm ad accidentia; cum tamen huiuſmodi ſubſtantiæ non ponantur in recta linea prædicamentali, non poteſt eſſe commune ad ipſas, ergo neque etiam poteſt dari. Ita argumentantur Auctores huius ſententiæ.

Fundamenta huius ſñtentiæ

Vera ſententia.

SECTIO II.

I. Vt tamen noſtram ſententiam explicemus. Exiſtimo imprimis, quòd ſi daretur huiuſmodi eos completum commune omnibus inferioribus entibus completis, deberet etiam perfectè præſcindere à ſuis inferioribus, ita vt vniuocè ſe haberet ad omnia inferiora. Atque hoc à fortiori ſequitur ex ijs, quæ diximus de ente tranſcendente: ſi enim hoc non obſtante, quòd imbibatur intrinſecè in omnibus differentijs, etiam vltimis, adhuc tamen, quantùm eſt ex parte ſui, præſcindit perfectè ab ipſis, & vniuocè deſcendit, vt ſupra ſuo loco fusè probatum eſt, multò magis hoc ens completum deberet perfectè preſcindere à ſuis inferioribus, atque vniuocè ad ipſa deſcendere, cum non imbibatur in vltimis differentijs. Nec certè video, quomodo ij conſequenter loquantur, qui admittunt hanc rationem entis completi, & tamen negāt perfectè præſcindere ab inferioribus, cum alioquin doceant, quòd ens tranſcendens communiſsimè ſumptum, ideò non præſcindit perfectè ab inferioribus, quia imbibitur in eorū differentijs, quare cum in ente completo ceſſet ratio, ob quam ens communiſsimè ſumptum non perfectè præſcindat per iſtos auctores, non video, quomodo non admittant perfectam præciſionem in ente completo.

Prima concluſio. Si deretur ens completum perfectè ſ-ſcindaret.

II. Sed tamen abſolutè concludendum eſt, non dari hanc rationem entis completi diuerſam ab ente communiſſimè ſumpto, quæ communis ſit ſolùm illis inferioribus, quæ ſunt entia completa, & non entibus incompletis cuiuſmodi ſunt differentiæ. Et hoc mihi videtur coniunci poſſe ratione efficaciſsima, quia, quicquid ſit de explicatione entis completi, & incompleti, certum eſt, quòd huiuſmodi ens completum, de quo modò inquirimus, an concedendum ſit, non poteſt eſſe ſimpliciter, & omnino completum, vt etiam concedunt auctores, qui ipſum admittunt, vnde reſtat ſolùm, quòd ſit completum tantùm in aliquo genere; neque hoc genus, in quo eſt completum, aliud poterit eſſe, quàm proprium genus ipſius, ſeu illud genus, quod per ipſum conſtituitur. Quo ſtante ſic argumentor. Ens completum præſcindens ab omnibus inferioribus non poteſt eſſe completum in alio genere, quàm in genere entis; ſi enim eſſet completum in aliquo alio genere, non eſſet amplius ens præciſum, ſed tale ens, ergo non poteſt dari ens completum præciſum ab inferioribus, quod ſit aliquo pacto diuerſum ab ente communiſsimè ſumpto tranſcendenti, & quod imbibitur in omnibus inferioribus.

Secūda concluſio. Non detur ens cōpletū cōmune &c.

Ens cōpletum ſolùm poteſt eſſe cōpletum in ratione entis

III. Conſequentia iſta, in qua tota efficacia argumenti cōſiſtit, declaratur; de antecedenti enim non eſt dubium. Vt ens ſit completum in ratione entis, & habens totum id, quod poteſt habere intra tale genus, non poteſt importare aliquid maius, aut aliquid minus, quàm rationem formalem entis; & ratio manifeſtiſsima eſt, quia ratio formalis cuiuſcunque eſſentiæ dicit totum id, quod eſt excogi-

 tabile

gitabile intra talem essentiam, vndè quicquid est excogitabile intra genus substantiæ totum clauditur in ratione formali substantiæ, & quicquid est excogitabile intra genus naturæ humanæ, totum clauditur in essentia hominis, & eadem inductio fieri potest in cœteris rationibus formalibus; & statim, ac aliquid est extra aliquam rationem formalem, non est amplius intra illud genus, quod constituitur per illam rationem formalem, sed intra aliud; quia scilicet quicquid est extra aliquam rationem formalem, importat aliam diuersam rationem formalem, & proinde aliud genus constituit, quare totum complementum cuiuscunque generis adæquatissimè clauditur in ratione principali constitutiua talis generis: vndè etiam totum complementum, quod potest quocunque pacto habere ens in genere entis clauditur in ratione formali constitutiua ipsius entis. Ex hoc porrò fit, quòd ens illud completum non possit ex vi sui complementi aliquid aliud dicere, quàm rationem formalem entis; At etiam ens transcendens dicit hanc ipsam rationem formalem, ergo est completum in genere entis, & proinde non datur aliqua alia ratio entis, præter illam, quæ transcendit per omnia, etiam vltimas differentias. Quòd autem ratio entis communissima dicat rationem formalem entis, mihi videtur euidentissimum, nam oportet, quòd dicat aliquam rationem formalem, per quam constituatur in suo esse, at quænam ratio formalis esset ista, nisi esset ratio entis? si enim esset aliqua alia, non constitueretur in esse entis, sed in aliquo alio esse.

Excluditur responsio.

IV. Neque responderi potest, quòd sit aliqua alia ratio entis, quia vna est tantùm ratio formalis cuiuscumque rei, & statim ac variatur, quia necesse est, quod formaliter varietur, ideo constituit aliud nouum genus rerum; sic vna est tantùm ratio formalis hominis, quæ quocunque pacto varietur, non remanet amplius ratio formalis hominis, sed constituitur aliquod aliud genus entis, omnino ab homine diuersum. Quamobrem vnaquoq; erit ratio entis, & non multiplex; vndè quicquid constituitur in esse entis vt sic, oportet, quòd per vnam, atque eamdem rationem constituatur, nec fieri potest, vt detur duplex ratio entis, altera, per quam constituatur ens completum, & altera per quam constituatur ens incompletum, imò hoc est omnino impossibile, quia essent diuersæ rationes formales, & constituerent plura entia essentialiter diuersa, at completum, & incompletum intra idem genus, licet differant, secundùm magis, & minus, non tamen differunt essentialiter. Adde etiam, quòd non possunt diuersæ rationes formales constituere, nisi diuersum genus entis. Deinde quæro, si sunt diuersæ rationes, an vnaquæq. illarum sit completa in seipsa, vel non sit completa; si est completa in seipsa, ita vt dicat quicquid in seipsa potest formaliter dicere, ergo constituet esse completum intra illud genus, quod constituit. Vndè si constituit in esse entis, constituet aliquid completum in esse entis. Si verò dicatur esse incompleta, tunc oportet, quòd illi aliquid formale desit ad complementum, vel ergo, quod illi deest, est idem, atque eiusdem rationis, & tunc esset aliquid superfluum, quia idem bis poneretur in eadem ratione formali, quod implicat. Si verò esset diuersæ rationis, quod deest, tunc ab ipso differret formaliter, & proinde esset aliqua alia ratio diuersa, atque adeo completa in suo esse, cum quicquid desit, sit ab ipsa diuersum, & proinde non conferret ad complementum ipsius intra suum esse.

Reijcit alia responsio.

V. Atque hinc reijci potest alia responsio, si videlicet dicatur, quòd tam ens completum, quàm incompletum dicant eamdem rationem formalem, sed diuerso modo participatam, nam totaliter participatur ab ente completo, inadæquatè verò ab ente incompleto; contra hanc enim responsionem facit, quod modo diximus, quòd adhuc illa ratio inadæquata esset diuersa ab adæquata, & consequẽter ab ipsa differret formaliter, quia in his rationibus omnis diuersitas est essentialis, & formalis, vndè intra suũ genus esset completa. Prætereà nõ videtur, quomodo possit dari ratio aliqua formalis incompleta, seù inadæquatè participata, nam vel participatur secundùm id, quod dicit formaliter, vel secundùm aliquid aliud, hoc secundo modo par-

ticipari non potest, quia oportet, vt participetur secundùm id, quod dicit, si debet participari, alioquin non participaretur ipsa, sed aliquid aliud. Si ergo participatur, secundum id, quod dicit, oportet, vt participetur secundùm totum suum esse, nam ratio formalis ex vi proprij conceptus, sine quo saluari non potest, dicit totum suum esse formale.

II. ratio VI. Hinc secundò argumentor ex indiuisibilitate cuiuscunq. rationis formalis. Non enim fieri potest, quòd ratio aliqua formalis diuidatur, & remaneat in partibus diuisis, quoties enim aliqua essentia est indiuisibilis, diuiditur in diuersas rationes formales, quarum nulla est ipsum diuisum, sic cum diuiditur homo in animalitatem, & rationalitatem, neutra harum partium est homo. Ex hac autem indiuisibilitate rationis formalis sequitur; vt non possit dari ratio completa, & incompleta eiusdem generis, seu ens completum, & incompletum. Quæro enim, an ens completum, & incompletum dicant eandem rationem formalem, & certè ita dicendum est, si enim dicerent diuersam rationem formalem, non se haberent, vt completum, & incompletum, sed vt diuersæ formalitates, atque adeo si vna esset ens, altera non esset ens, sed aliquid aliud, nimirum tale ens. Si ergo dicunt eandem rationem formalem, ne sint omnino idem, oportet, quòd ens completum aliquid plus dicat, quàm incompletum, alioquin non esset completum; & econtra incompletum diceret aliquid minus, quàm completum, & consequenter tantum aliquam partem completi; tunc autem quis non videt, quòd ratio formalis entis diuideretur, atque diuisum permaneret in partibus diuisis?

Nulla essentia diuiditur ita vtrò diuisa remaneat in partib. diuisis.

III. rō. VII. Tertiò argumentor. Ens completum debet dicere aliquid plus, quàm dicat incompletum, per quod formaliter constituatur in esse completo. Inquiro ergo, quid sit illud, per quod cōstituatur in tali esse: certè debet esse aliquid, quod superaddatur enti transcendenti vt sic, & quod à nihilo contradistinguatur. Vel ergo hoc, quod superadditur, importat solùm habere esse vt sic, præscindendo à quacunque determinatione in essendo, vel importat esse determinatum; oportet enim, quòd si est aliqua ratio entis, importet etiam aliquam rationem essendi, atque cum dicere, vel non dicere modum essendi determinatum contradictoriè opponantur, alterum ex his debet verificari de ratione entis completi. Modò si importat tantùm habere esse vt sic præscindendo ab omni determinatione, sequitur, quod non sit diuersum ab ente transcendente; quod imbibitur etiam in differentijs, atque adeò quod fictitia sit hæc ratio entis completi diuersa ab ente transcendenti. Si verò importat esse cum aliqua determinatione essendi, quia omnis determinatio in essendo facit tale ens determinatum, ideò hoc quoque ens completum erit tale ens, non verò ens vt sic, & cum prima determinatio quæ fit in ente transcendenti sit, vel per accidens, vel per substantiam, erit quoque hoc ens completum, vel accidens, vel substantia; quamobrem concludendum est, quòd impossibile sit huiusmodi ens completum diuersum ab ente transcendenti.

Ens cōpletum dicit solùm habere esse vt sic.

Expenduntur rationes vtriusque sententiæ.

SECTIO III.

I. QVòd spectat ad rationes primæ sententiæ, quibus contendebatur, dari huiusmodi ens completum præscindens ab omnibus entibus completis & diuersum ab ente transcendente, nihil prorsus concludunt. Et quamuis prima in eo rectè procedat, quòd possit cōcipi illa ratio conuenientiæ, quà omnia entia completa cōueniunt in eo, quòd sint cōpleta; hinc tamen solùm rectè inferri potest, quòd detur ens præscindens ab inferioribus, non verò, quod sit diuersum ab ente transcendenti, atque huius rei ratio ex ijs, quæ diximus, assignari potest, quia nimirum, quando dicitur entia inferiora conuenire in eo, quòd sint entia completa, nihil aliud infertur, nisi quòd conueniant in eo, quod omnia participent rationem entis completi, eo quidem complemento, quod intra talem rationem excogitari potest, quod nihil aliud est, quàm quod ratio formalis entis, quæ semper ex se est completa, in ipsis reperiatur, in quo etiam conueniunt cum entibus, quæ dicuntur incompleta, vt sunt differentiæ, quæ similiter participant

Ad rōes in oppositum.

Nullū discrimen inter ens cōpletū, & incōpletū in rōne entis

ticipant totam, & integram rationem entis vt sit, neq. in hoc potest assignari aliquod discrimen; non enim alia est ratio entis, quæ descendit ad accidens, & substantiam, & alia, quæ descendat ad inaseitatem, & perseitatem, vtraque enim debet præstare eumdem effectum formalem, nimirum communicare esse reale inferioribus, atq. rationem essendi vt sic; & solùm inter substantiam, & perseitatem hoc est discrimen, quòd substantia concipitur per modum concreti, & vt quod se habentis, perseitas verò concipitur per modum formę, & vt quo se habentis, quòd ex eo prouenit, quia tunc explicitè concipitur tantùm ratio substantię, & ratio entis implicitè, & idcirco non se habet ad modum concreti, & vt quod se habentis. Et, vt hoc etiam adnotemus, quando differentiæ dicuntur entia incompleta, non debet intelligi, quòd sint simpliciter incompletæ; sed totum esse incompletum debet attendi in eo, quòd se habeant, vt quo, & per modum abstracti, & non per modum per se subsistentis, sed concreti; quia si considerentur in ratione entis, certè sunt completæ, non secus, ac alia entia; Si verò considerentur secundùm propriam rationem ipsarum, adhuc in sua ratione propria sunt completæ, non secus, ac rationes genericæ, & specificæ, quia quemadmodum illæ, ideo sunt completæ, quia includunt, quicquid possunt includere in sua ratione, ita quoque differentiæ erunt completæ, quia includunt, quicquid possunt includere in sua propria ratione. Quare in eo solùm possunt dici incompletæ, in quo differunt ab entibus, quæ dicuntur completa: totum autem discrimen in eo consistit, quòd ea, quæ dicuntur completa, se habent, vt quod, quæ vero dicuntur incompleta, vt differentiæ, se habent, vt Quo.

Quō differētiæ, sint entia incōpleta.

II. In secunda quoque ratione nihil concluditur, nam quicquid sit de cœteris gradibus entis, qui perfectè præscindunt à suis inferioribus, vt substantia; dicimus, esse eamdem rationem, sed tamen nihil facere contra nostram sententiam, quia supposito, quòd detur ratio substantiæ perfectè præscindentis ab omnibus substantijs, dicimus, quòd sicuti ista substantia completa non dicit aliquid aliud, præter integram rationem formalem substantiæ, ita etiam completum ens nihil aliud dicet, quàm integram rationem entis; hæc autem integra ratio entis, vt vidimus, reperitur in ente transcendenti, & idcirco non hinc concluditur, quòd detur aliqua alia ratio entis, diuersa ab ente transcendenti, vt illa sententia contendit. Ad confirmationem etiam, quicquid sit de illa illatione, conceditur id, quod infertur; posse nimirum concipi naturam, vt potentem existere, & præscindentem ab omni differentia, & determinato modo existendi, verùm talis natura sic præcisa, non erit aliud, quàm ens transcendens, nam illa natura nihil aliud dicit, quàm habere esse vt sic, absque aliqua determinatione in essendo, ex vi cuius possit existere; verùm hoc ipsum dicit etiam ens transcendens, siquidem dum in omnibus rebus, etiam vltimis differentijs imbibitur, facit eas aliquid reale, & potens existere.

Ad secū dum.

Ad con. fir.

III. Cœterùm neque etiam rationes secundæ sententiæ efficaces sunt, & quamuis prima forcasse in aliquorum sententia concluderet, simpliciter tamen non conuincit; quia si admitteretur illud ens completum, quod esset extra differentias, neque adhuc esset genus, licèt esset vniuocum, deficeret enim in hoc à ratione generis, quòd non esset inchoatio alicuius determinatæ naturæ, quemadmodum debet esse genus, sed diceret tantùm esse vt sic, non est autem absurdum, quòd summa genera habeant supra se aliquid vniuocum, dummodo non sit genus. Sed neque secunda ratio conuincens est, quia posset responderi, quòd non datur aliqua ratio entis, pręscindens à completo, & incompleto, quæ, tanquam quid superius, per has differentias contrahatur, sed importare eamdem rationem entis diuerso modo significatam. Posset tamen hæc responsio vrgeri ex ijs, quæ nos diximus sect. præcedenti, inquirendo nimirum, quid sit hæc ratio diuerso modo significata, aut quomodo diuerso modo significetur, & an semper dicat idem, an verò aliquid diuersum, tunc enim instari potest, quòd debeat semper dicere idem,

Ad rōes secundę sentētię

Ad secū dum.

cum

eum sit eadem ratio formalis, & proinde non potest in ipsa distingui completum & incompletum.

Ad tertiam.

IV. Tertia quoque ratio optimè soluitur, si dicatur, quòd aliud est loqui de ente completo in tali genere, aliud de ente completo in ratione entis. Verum est enim, quòd ens completur in tali genere determinato per talem modū essendi, vt in ratione substantiæ per perseitatem, in ratione corporis per corporeitatem, & sic in cæteris generibus completur per alias rationes determinatas; verùm in ratione entis vt sic, non completur per aliquas alias rationes determinatas, sed solùm per suam propriam rationem; vndè non licet inferre, quòd ens completum confundat inferiora, & consequenter ab ipsis non præscindat.

Ad quartam.

Denique ad vltimam etiam responderi potest, quòd licèt aliqua entia incompleta sint perfectiora, quàm accidentia; hæc tamen perfectio non est secundùm rationem entis, sed secundùm propriam rationem, & ideò non sequitur, quòd ens completum si est commune accidentibus debeat etiam esse commune his entibus incompletis, quia adhuc verum est, quòd ipsa non ponātur directè in prędicamento, quemadmodū ponuntur accidentia, & habent esse completum, & solùm vt quo intra seriem sui prædicamenti, at accidentia intra seriem proprij prædicamenti habent perfectum modum essendi, & se habent in illo vt quod, & ponuntur directè in linea prædicamentali, & non adiacent alteri de eodem prędicamento, & ideo est maior ratio, cur possit ens completum dici de ipsis, & non de differentijs, & cæteris entibus completis, quamuis substantialia sint; quare hæ rationes non concludunt, quòd ens completum non perfectè præscindat, neque quòd non detur, sed recurrendum est ad id, quod nos sectione præcedenti diximus.

An detur aliquod principium quod sit omnium primū in ratione entis fundatum.

Disp. XLII.

Punctus difficultatis. Ratio dubitandi. Aliorum opiniones.

SECTIO I.

Punctus difficultatis.

1. QVòd spectat ad naturam entis, satis ex ijs, quæ diximus, explicata manet; solùm pro complemento huius partis videndum est an hæc ratio entis fundet aliquod principium, à quo dependeant conclusiones, quod sit omnium primum, ita, vt sicut ratio entis est omnium prima, in qua cæterę omnes habent fundamentum, ita etiam fundetur in ipsa aliquod principium, quod sit omnium primum, non quidem primum ea primitate, qua immediatè prædicatum coniungitur subiecto, quia omnia principia complexa prima debent habere immediatam connexionem terminorum, ita vt sint indemostrabilia, alioquin non essent prima principia, vndè primitas huiusmodi æqualiter debet conuenire omnibus principijs, sed ea primitate, quę importat quamdam communitatem, & vniuersalitatem, ex vi cuius principium ordine naturæ præcedat omnia alia principia, & in ipsum quodammodo resoluantur omnes conclusiones. Illud autem solet pro vniuersalissimo, & omnium primo assignari. *Impossibile est idem simul esse, & non esse* intelligendo de esse vniuersalissimè sumpto, prout importat habere esse vt sic, præscindēdo à quacūq. determinatione, licèt possit etiā magis pressè accipi, intel

ligẽdo de aliquo esse peculiari, & determinato; verùm tunc non seruat suam amplam vniuersalitatem, sed coarctatur ratione subiectæ materiæ, seu applicatur. Est enim ex illis principijs, quæ ratione suæ maximæ vniuersalitatis habere possunt locum intra quamlibet abstractionem scientificam, prout diuersæ materię applicantur, & quæ est modò intra vnam, modò intra aliam abstractionem scientificam. Et de quibus Arist. docet 1. poster. tex. 24. quòd ex principijs. *Alia quidem propria vniuscuiusq. scientia, alia verò communia: communia autẽ secundùm proportionem, quoniam vtile vtique quantum in eo, quod sub scientiam est genere propria quidem, quemadmodum lineam esse talem, & rectam: communia verò, vt si ab aqualibus aqua lia auferuntur, quòd æqualia sunt reliqua. Sufficiens autem est vnumquodque horum, quantum est in genere; idem enim faciet & si non de omnibus acceperit, sed in magnitudinibus solum.* Vndè hoc quoque principium, de quo modò agimus, propter suam maximam vniuersalitatem erit ex illis, quæ cuicunque materiæ aptari possunt, quẽdmodum etiã ens materiali modo reperitur intra quamcunque abstractionem, tanquam imbibitum intrinsecè in qualibet ratione, quæ est intrà aliam abstractionem. Quare quemadmodum ens in alijs abstractionibus est fundamentum omnium rationum, quæ in ipsis abstractionibus reperiuntur, ita ex vi huius fundamenti poterit hoc ipsum principium ijsdem rationibus applicari.

Principia alia communia alia propria cuiuscunque scientiæ

II. Solet etiam hoc vniuersalissimum principium sic alijs terminis proponi, scilicet. *De quolibet non est affirmatio, & negatio vera*; atque etiam sub his ipsis terminis potest cuicunque materiæ applicari. Et desumitur ex Arist. 4. metaph. tex. 8. & 9. vbi docet, quòd metaphisicus oportet, quòd habeat principia vniuersalissima, & certissima, vtpotè quia agit de entibus, prout entia sunt. Deindè declarat, quod nam sit principium omnium primum, & certissimum, & ait esse illud, circa quòd non potest cõtingere mendacium: cuius verba sunt. *Omnium autem certissimum principium est, circa quòd impossibile est mentiri.* Et paulò inferius declarans, quod nam sit hoc principium, circa quod impossibile est, mentiri, ponit illud, de quo modò loquimur, ait enim. *Quod autem illud sit, deinceps dicamus. Idem enim simul inesse, & non inesse eidem, & secundùm idem, impossibile est.* De hoc igitur principio dubitatur, an sit verum principium, & omnium primum, ita vt fundetur in ratione entis vniuersalissimi; certum enim debet esse, quòd sicuti ratio entis transcendentis est omnium prima, & vniuersalissima, ita etiam principium complexum, quod in ea fundatur, ipsi proportionetur, & sit omnium primum, & vniuersalissimum.

Arist.

III. Ratio autem dubitandi est, quia ad constituendum principium cõplexum requiruntur adminus duo termini, qui importent diuersas formalitates, quarum altera se habeat vt subiectũ, altera vt prædicatum; propositiones .n. identicæ non sunt aptæ, vt sint principia, & ideò prædicatum, & subiectum debent esse aliquo pacto inter se diuersa, quòd etiam sequitur ex natura ipsius principij, debet enim constare ex terminis immediatè connexis, vndè, vt saluetur huiusmodi connexio terminorum, debet interuenire diuersitas, & distinctio terminorum. At in ente vt sic vniuersalissimè sumpto, præsertim si consideretur passionibus præcisis, non possunt assignari hi duo termini distincti: non enim est conceptus resolubilis in plures formalitates, sed est omnino simplex, alioquin, si posset resolui in plures conceptus, non esset abstractissima ratio entis, sed constaret ex ente, vt sic, & tali ente, ergo non potest fundare aliquod principium. Et augetur etiam difficultas, nam ex cap. 4. lib. 1. perihet. habetur, quòd propositio negatiua habet affirmatiuam priorem seipsa, vndè propositio vniuersalissima negatiua habebit vniuersalissimam affirmatiuam priorem se ipsa. Cum ergo hæc propositio. *Impossibile est simul idem esse, & non esse*, sit vniuersalissima negatiua habebit affirmatiuam priorem, & consequenter ipsa non erit principium omnium primum. Præterea principia cuiuscũque scientię desumuntur ab intrinseco obiecti, & ex causa positiua, cur aliquid conueniat obiecto, vndè licèt ens non sit obiectum metaphysicę, sed tantùm fundamentum obiecti, debet tamen seruare proportionem ad obiectum, & sicuti

Ratio dubitandi.

Principium cõplexũ saltem ex duobus terminis.

Principia desumuntur ab intrinseco obiecti.

prin-

principia, quæ in ipso fundantur, sumuntur ab intrinseco ipsius, ita similiter principium, quod fundatur in ente debet desumi ab intrinseco ipsius; hoc autem principium sumitur à non ente, quod est quid omnino extrinsecum enti. Imo cum sit quid negatiuum, & omnino nihil, non apparet, quomodo possit ab ipso desumi principium. Rursus hoc principium, *Impossibile est, idem simul esse, & non esse*, videtur à priori probari posse, ideo enim est verum huiusmodi principium, quia verum est, quòd contradictoria se inuicem destruunt; & hoc potest assignari tanquam causa à priori illius principij; & proinde nedum erit primum principium respectu omnium, sed neque verum principium. Quòd etiam confirmatur, nam quod idem non possit simul esse, & non esse prouenit ex eo, quod est in se ipso indiuisum, inter id autem, quod est, & quod non est, interuenit diuisio, ergo potest à priori assignari causa huius principij, nempe indiuisibilitas entis.

Prima opinio Non esse omnium primum principium. IV. His igitur difficultatibus stanti bus, variè opinati sunt Doctores. Quidã enim arbitrati sunt, quòd huiusmodi principium. *Impossibile est, idem simul esse, & non esse, non sit omnium primum.* Sed esse illud, Ens est ens. Ita tradit Anton. Andreas 4. metaph. quæst. 5. & sequuntur alij Scotistę, & fundatur in eo hæc sententia, quòd primum principiũ debet constare ex terminis, qui non possunt resolui in plures conceptus, debet enim constare ex terminis omnium primis, vt termini quoque proportionentur principio; at illud principium *Impossibile est, idem simul esse, & non esse*, non constat ex terminis omnium primis, & irresolubilibus, siquidem, ly idem est quid relatiuum, quod resolui potest in absolutum, & relationem, vndè non erunt termini omnium primi. At verò cum dicitur, Ens est ens, termini sunt omnium primi, quia nihil simplicius ipso ente dari potest. Quia tamen Arist. docet, hoc principium esse omnium primum, ideò respondet, quòd debet ita intelligi, vt non sit simpliciter omnium primum, sed solùm inter ea, quæ tanquã generalia, & vniuersalissima circumferri solent. Alij verò asserunt, quòd non est hoc principium omnium primum simpliciter, cum sit negatiuum, sed hoc esse simpliciter primum. *Necesse est, quodlibet esse, vel non esse.* Et hoc ipsum esse illud, quod positum fuit ab Arist. opinantur enim, quòd hæc duo principia. *Necesse est quodlibet esse, vel non esse*; & *Impossibile est, simul esse, & non esse*, sint inter se diuersa, nec in idem conueniant. Cui opinioni adhęret etiam Suarez infra citandus num. 5. illius sectionis.

Anton. Andreas.

Secũde sententia esse omniũ primum Soncin. Iauel. Iandun. Aquar. Suarez. V. Alij verò, & communiter censẽt esse principium omnium primum. Ita cõmuniter interpretes in illo loco Arist. Soncin. 4. Metaph. quæst. 31. Iauel. quęst. 9. Iandun. quęst. 7. Aquar. dilucid. 6. Suarez in metaph. disp. 3. sect. 3. atque alij complures. Addit tamen Suarez, propter rationes dubitandi supra positas. Quòd in qualibet scientia duplex est genus demonstrationis; Aliud ostensiuum per se, & directè conducens ad scientiam, atque ad ipsam necessarium, in quo à causis ad effectus proceditur; Aliud verò est genus demonstrationis ducens ad impossibile, qui modus demonstrandi, quamuis non sit per se necessarius ad scientiam, confert tamen plurimum, non solùm ad declarandas conclusiones, sed etiam ad ipsa principia ostendenda; quòd fit propter defectum intellectus, qui nescit ijs assentiri, quamuis ex se sint euidentia. His ergo prænotatis asserit, quòd hoc principium. *Impossibile est, idem esse, & non esse*, est simpliciter omnium primum in modo demonstrandi per deductionem ad impossibile, quia scilicet omnis deductio ad impossibile, in hoc tandem sistit, tanquam in vltimo termino resolutionis, & notissimo, quòd impossibile sit, idem simul esse, & non esse; omnia enim impossibilia in tantùm sunt impossibilia, in quantùm virtualiter in hoc includuntur. Ex quo deducit, quòd hoc principium in humana scientia est simpliciter primum, quia secundùm se totã ab ipso sumit suã primitatem, cum etiã principia non alio pacto, quàm per hoc confirmari possint.

Propria sententia.

SECTIO II.

I. Vt nostram sententiam in hac difficultatè explicemus, præmittendum est, vt etiam supra alibi dictum

fuit

fuit, quòd ens vniuersalissimè sumptum habet suum terminum contradictoriè oppositum, qui est ipsum nihil, seu non esse. Contradictoria enim ita se habent, vt alterum sit negatiuum, alterum verò positiuum, ita vt quòd vnum dicit, alterum neget. Ex quo fit, quòd omne positiuum, ex eo quòd positiuum est, natum sit habere contradictorium, quia potest concipi negatio sui ipsius, seu non esse illius. *Sic homo* habet suum contradictorium *non homo*, quoniam non homo negat totum id, quod dicit homo. Hinc cum ens sit aliquid positiuum, & complectatur sub se omnia entia positiua, si accipiatur negatio, quæ tollat ens vniuersalissimè sumptum, erit contradictorium ipsius; quale erit non ens, seu nihil, quod cadit supra omnia entia, quatenus aliquid positiuum sunt. Et ex hoc seruabitur regula illa, quam tradunt communiter, quòd scilicet contradictorium negatiuum debeat tollere quicquid dicit positiuum. Nam non ens tollit quicquid dicit, ens, cum negatio cadat supra ipsũ adæquatè sumptum. Hinc Auer. 4. metaph. com. 27. probat, quòd inter contradictoria non datur medium, quia non datur inter verum, & falsum. Verum autem dicit id, quod est, falsum autem, quod non est.

Cõtradictorium Entis.

Omne positiuũ habet suũ contradictorium.

Cur inter contradictoria non detur mediũ.

Auerroes.

II. Hoc igitur principium, *Impossibile est, idem simul esse, & non esse*, fundatur in hac contradictione, seu in his duobus extremis huius contradictionis esse nimirum, & non esse, & per ipsum explicatur illa impossibilitas, quæ est inter esse, & non esse. Cum enim dicimus, *Impossibile est idem simul esse, & non esse*, nihil aliud significamus, quàm quòd hi duo termini esse, & non esse sunt incõpossibiles, vtpotè contradictoriè oppositi. Ex quo colligitur, quòd huiusmodi principium ob oculos ponit naturam entis, quæ comparata opposito contradictorio explicatur, ita vt ex hac comparation cognoscatur distanti, qua ens distat à non ente, & simul etiam repugnantia, & incompossibilitas, quam habet respectu ipsius, & quemadmodum negatio cognoscitur in ordine ad id, quod negat, & vnum oppositum in ordine ad alterum oppositum, ita etiam natura entis, & eius quidditas cognoscitur in ordine ad non ens, quia adnotata incompossibilitate, & repugnantia, quam habent inter se ens, & non ens, deuenimus facilè in cognitionem ipsius, quod totum fit per hoc principium, *Non potest idem simul esse, & non esse*, quasi dicatur. Ens est talis naturæ, vt remoueat, & faciat distare à non ente, & proinde statim ac aliquid est ens, intelligi debet tanquam aliquid remotum à nihilo. Id autem fit cum hac comparatione ad nihilum, vt mediante oppositione, quam habet cum nihilo, adiuuetur intellectus noster ad percipiendum naturam entis; cum enim ens dicat simplicissimum conceptum, qui non possit resolui in plures, nequit intellectus manuduci per definitionem ad assequendam naturam entis, definitio namque debet constare ex genere, & differentia, aut saltem aliquibus conceptibus quidditatiuis, qui vices gerant generis, & differentiæ. Et quamuis dicatur, ens esse id, quod habet essentiam, seu habens essentiam, non explicatur definitiuo modo natura ipsius, sed solùm per varios terminos idem significantes intellectui proponitur ens. Neque enim cum dicimus, habere essentiam, obijciuntur menti diuersæ rationes, quæ se habeant vt constitutiua entis, quia cum ens illas non includat, quo modo assignari possunt, tanquam constitutiua illius? Imo cum ens dicat tantùm simplicissimum conceptum, ita vt nullo pacto in ipso distingui possint diuersæ partes, aut quæ gerant rationem partium, vt verum sit, quòd ens sit, quod habet essentiam, necesse est, quod ly habere essentiam, quamuis per plures terminos explicetur, importet tantùm vnã simplicissimam rationem eodem modo do se habentem, ac cum significatur per ly ens. Alioquin si ad modum diuersarũ rationum se haberet, non esset amplius ens vt sic, sed tale ens, vtpotè quia, dum includeret diuersitatem aliquam, diceret diuersas rationes entis, & proinde ens vt sic, & etiam tale ens. Quare firmum maneat, quòd non potest ens per definitionem innotescere, aut per aliquid, quod se habeat ad modum definitionis.

Sensus illius Principij impossibile est.

Ens non potest per definitionem explicari.

III. Hinc pro resolutione difficultatis dicendum est primò. In ente vniuersalissimè sumpto non posse fundari aliquod principium complexum; imo neque etiam in ente, & eius contradictorio simul sumptis. Hæc conclusio

Prima conclusio. In ente vniuersalissimo non potest fundari aliquod principium.

duas

duas habet partes, quarum prima est, quòd ens vniuersalissimè sumptum se solo absque contradictorio non sufficit, vt fundet aliquod principium complexum, loquendo tamen de principio propriè sumpto, & mihi euidens videtur; quia, vt alibi etiam supra diximus, principium complexum debet importare duos terminos, qui immediatè connectantur, ita vt non adsit aliquod medium, quod assignari possit pro causa huius connexionis, in hoc enim consistit quidditas principij complexi, qua ablata, aufertur etiam principium. Modo in ente vniuersalissimè sumpto non potest saluari huiusmodi quidditas, siquidem, dum termini debent immediatè connecti seipsis, oportet, vt interueniat aliqua distinctio, & diuersitas conceptuum obiectiuorum, qui importentur per illos terminos; vt etiam dicebamus in ratione dubitandi primo loco posita. Et quemadmodum in propositionibus mediatis, & demonstrabilibus assignantur duo termini, qui important duos conceptus obiectiuos diuersos, quorum alter alteri tribuitur, & insuper interuenit etiam aliquod medium, ratione cuius prædicatum habet connexionem cum subiecto; & proinde possunt per ipsum demonstrari. Ita in principijs primis, cum sint indemonstrabilia, & immediata; debet tantùm tolli id, quod obstaret indemonstrabilitati, nimirum medium, per quod prædicatum conueniret subiecto, & relinqui distinctio terminorum, & conceptuum obiectiuorum, siquidem debet relinqui totum id, quod est in propositionibus mediatis, dummodo non faciat illas mediatas; quia in hoc solum differunt principia à propositionibus mediatis, quòd sunt immediata, & indemonstrabilia.

In principijs complexis duo tantùm termini

IV. Quod etiam confir. quia inquirò, si in principijs non connecterentur diuersæ rationes obiectiuæ, an aliquid amplius per ipsa cognosceretur, quàm cognosceretur per simplex subiectum, siue simplex prædicatum; an verò non cognosceretur aliquid amplius? Hoc certè secundum dici non potest, quia ex vi principiorum percipitur aliqua connexio rerum, cui intellectus præbet assensum, ex vi solius notitiæ, quam habet de terminis illius connexionis, & per modum iudicij iudicat ita esse; vndè oportet, quòd aliquid amplius cognoscat, quàm ex vi vnius termini tantùm, & percipiat id, quòd veluti aliquod tertium generatur ex notitia duorum terminorum, ex vi quorum præbet assensum: hoc autem saluari non potest, nisi termini sint inter se diuersi, & illis correspondeant diuersi conceptus obiectiui; quomodo enim si esset vnus, atque idem terminus, atque conceptus obiectiuus, tam in subiecto, quàm in prædicato, aliquid amplius cognosceretur, quàm cognosceretur in subiecto? Aut quomodo generaretur cognitio illius connexionis, quæ ex vi terminorum debet generari? idem enim non connectitur cum seipso; sed identificatur; aut quomodo vnus terminus peteret ex natura sua connecti immediatè seipso cum alio, nisi esset aliquo modo ab ipso diuersus? Sanè imperceptibile est, quomodo possit consistere principium, sine diuersitate terminorum.

Principium complexum importat aliquam connexionem rerum

V. Atque ex his corruit sententia Anton. Andreæ, quam sect. præcedenti retulimus, asserentis, quòd primum omnium principium, est hoc, *Ens est Ens*, constat enim ex dictis, quòd neque etiam potest esse principium, quia non interueniunt diuersi termini; sed vnus atque idem, & in eodem significato, & proinde deficit illa connexio, quæ in principijs debet percipi ex sola notitia terminorum, sed est propositio merè identica. Quare si ipsa esset principium, omnes propositiones identicæ haberent rationem principij, & cum diceretur substantia est substantia, homo est homo, lapis est lapis, tot principia haberentur, quòd tamen falsissimum est, cum ex propositionibus identicis nulla possit inferri conclusio. Si enim assumantur duæ propositiones identicæ, nihil poterit inde inferri, vtpotè quia interueniunt duo tantùm termini, nec adest terminus, in quo connectantur, vt ex duobus principijs potest inferri scientifica conclusio. Hinc factum est, quòd propositiones identicæ reijciantur tanquam inutiles argumentationi. Atque ex hoc elici-

Propositio identica non potest esse principium.

tur confirmatio nostræ conclusionis. Principia enim essentialiter exigunt, vt sint apta ad inferendas conclusiones, nam ex natura sua sunt radix illarum; non possunt autem habere hanc aptitudinem, nisi constent ex diuersis terminis, quia etiam si alterum tantùm principium careret hac diuersitate terminorum, neque adhuc posset inferri conclusio, quia in omni principio, quod assumitur ad inferendam aliquam conclusionem, debet contineri medius terminus, ratione cuius propositiones assumptæ connectantur inter se; alioquin si non connecterentur, quomodo posset ex illis inferri conclusio? aut quomodo possunt connecti, nisi habeant medium terminum communem? Sed quomodo possunt habere medium terminum communem, si altera ipsarum sit identica? tunc enim vnus tantùm terminus interueniret in illa propositione; non autem aliqua extremitas, quæ cum medio termino connecteretur, vndè essent tantùm duo termini, si vnus reperiretur in vtraque propositione, tunc enim idem terminus ter repeteretur, bis in eadem propositione, & semel in alia.

Neque ens simul cũ contradictorio fundare potest principium.

VI. Secunda etiam pars nostræ conclusionis, quòd scilicet neque ens simul cum suo contradictorio possit fundare aliquod principium, facilè declaratur. Hoc enim sequitur à fortiori, quia si ens ex se non est aptum, vt fundet aliquod principium ex eo, quòd in ipso reperiri non potest diuersitas terminorum, & rationum formalium, neque etiam simul cum suo contradictorio, nempe non ente, quia tantùm abest, vt non ens importet aliquam rationem termini, & conceptus obiectivi, vt etiam tollat eam, quam dicit ens, & proinde ratione ipsius non exhibetur aliquid, quod possit concurrere ad fundandum principium. Si enim est nihil, quomodo fundare potest principium? Et ex hoc elicitur valida confirmatio, nam principium importat propositionem, cui assentiatur intellectus ex vi notitiæ, quam habet de terminis, ita vt termini sint immediatè connexi, & seipsis, non verò per aliquod medium, vndè imprimis non ens non potest ex vi sui ipsius cognosci, quia cum sit nihil, nullam habet cognoscibilitatem, & solùm ad modum entis realis potest concipi, & ex hoc capite non potest esse terminus fundans principium. Deinde non ens nullam habet connexionem cum ente, vndè non potest immediatè cum ipso connecti, vt exigunt extrema principij, sed potest tantùm de ente negari, & formari propositio negatiua, consequenter etiam ob hanc rationem non potest fundare, neque etiam partialiter aliquod principium; nam propositio negatiua non est principium, principium enim importat connexionem terminorum, & non disiunctionem, vt contingit in propositione negatiua.

Nõ ens non potest esse fundamentũ principij complexi.

Secũda cóclusio principiũ illarum est fundamentũ omniũ principiorum

VII. Secundò dicendum est, hoc principium, *Impossibile est idem simul esse, & non esse*, non esse propriè principium, sed fundamentum principiorum, & veluti radicem, in qua radicantur omnia principia. Dicitur autẽ principiũ, quia per se ipsum cognoscitur immediatè ex sola cognitione terminorũ, quemadmodũ cognoscuntur omnia principia; vndè in hoc imitatur principia, licet in hoc deficiat, quòd non habet pluralitatem terminorum. Quamobrem potest dici, quòd habeat formale principij, nimirum euidentiam ex sola notitia terminorum, sed careat materiali, nempè pluralitate terminorum. Quòd ergo non sit propriè principium cum omni rigore, sequitur ex ijs, quæ modo supra diximus, videlicet, quòd principiũ debet constare ex pluribus terminis, hoc autẽ non constat, vtpotè, quia fundatur in ente, quòd non potest exhibere, vt probatũ fuit, multiplicitatem terminorũ. Et quamuis videantur interuenire plures termini, reuera non interueniunt, nam cum dicimus, *Non potest idem esse, & non esse*, interuenit tantùm vnus terminus, licèt videantur tres interuenire nimirum ly idem, esse, atque non esse, & ratio est, quia ly non esse. Est purum nihil, vndè ex parte obiecti nullam importat rationem termini. Ly autem idem non est propriè terminus ex parte obiecti, sed solùm adhibetur ad significandum, quòd esse, & non esse non possunt identificari adinuicem, vnde sensus est, esse non est non esse, quòd ideò fit, vt negata identitate inter esse, & non esse, manifestetur natura entis, vt supra etiam diccbamus,

In hoc principio vnicus tantũ terminus.

bamus, quæ debet, quòd remoneat à non ente; vndè quamuis plures vocales termini interueniant, ex parte tamen obiecti vnus est tantùm terminus, nempè ly Esse; quia tamen plures voces interueniunt, se habet ad modum principij; præsertim quia in tali propositione ens comparatur ad non ens, & ratione huius comparationis dignoscitur entis natura ex seipsa, & non per aliquod medium. Cum igitur non adsint plures termini, & consequenter nec connexio illa, quæ innotescit ex sola notitia terminorum; concludendum est, quòd non seruet proprietatem principij.

VIII. Est tamen fundamentum, & radix principiorum; quòd sic ostenditur. Principia omnia complexa debent fundari in aliquo ente incomplexo, quia enunciant solùm id, quod est in ente in complexo indicante intellectu, ita esse,

Quomodo est principiorum fundamentú.

vt cum dicimus, *Omne totum est maius sua parte*, hoc principium enunciat id, quod reuera in natura totius reperitur; ex hoc autem fit, quòd principia debeant proportionari cum illo ente, in quo fundantur, vt talia sint proportione seruata, quale est ipsum; cum ergo ens vt sic sit fundamentum, in quo cætera omnia entia fundantur, & à quo sumunt suam realitatem tanquam à ratione formali communicatiua esse realis, ita etiam cum dicimus, *Non potest, idem esse, & non esse*, quia hoc fundatur in natura entis, & nihil aliud facit, quàm exponere, quomodo natura entis sit remouere à nihilo, non erit propriè principium, sed principiorum omnium fundamentum, ex cuius euidentia, veluti ex radice, prouenit euidentia cæterorum principiorum, ita vt vnicuique principio assentiamur, quatenus aliquo pacto virtualiter in hoc continetur, *Impossibile est idem simul esse, & non esse*. Quod potest declarari in hoc principio, *Omne totum est maius sua parte*. Huic enim intellectus assentitur ex sola notitia terminorum, sed ideo notitia horum terminorũ cogit intellectum ad assensum, quia in eo fundantur, quòd *Non potest idem esse, & non esse*, quia enim totum non potest simul esse totum, & non esse totum, ideo est maius sua parte, si enim non esset maius, non esset totum, sed pars; quare euidentia huius principij, tanquam euidentia entis determinati radicatur in illa euidentia, quòd *Non potest idem simul esse, & non esse*, tanquam in euidentia rei indeterminatæ, quę est radix omnis euidentiæ rei determinatæ. Sicut enim tale ens fundamentum habet in ente vt sic, ita etiam euidentia talis entis debet habere fundamentum in euidentia entis vt sic; est enim euidentia passio entis, & proinde debet sequi naturam entis, & seruare proportionem, quam ipsum seruat. Et eadem inductio potest prosequi in cæteris principijs, & semper reperiemus, quòd euidentia principij vniuscuiusque fundabitur in hac euidentia, quòd *Non possit idem simul esse, & non esse*.

Quomodo euidentia aliorũ principiorum in huius principij euidentia fundatur.

IX. Atque hoc sanè intellexit Arist. cum docuit hoc principium, *Impossibile est, idem esse, & non esse*, esse omnium primum, atque euidentissimum, ait enim tex. illo 8. lib. 4. metaph. quòd illud *Omnium certissimum principium est, circa quod impossibile est mentiri*; atque etiam subdit, *Notissimum etenim, vt huiusmodi sit, necesse est*. Ex quibus colligitur, quòd hoc debeat esse fundamentum principiorum, & veluti radix euidentiæ eorumdem; nam si non sit radix, sed euidentia veluti ex alio germinans, & consistens in connexione terminorum, non erit impossibile, quòd circa ipsam quis mentiatur, vt si ignoret terminos, tunc enim posset negare assensum, seu oppositum dare. Præterea, cum hoc debeat esse omnium notissimum, vt ibidem docet Arist. & debeat esse notissimum secundùm naturam, quia principia sunt nota vt causæ, oportet etiam, vt fundetur in ente notissimo, & omnium primo, quod non est aliud, quàm ens vt sic vniuersalissimè sumptum, quod præcedit natura omnia alia entia, vndè etiam euidentia illius præcedet natura omnes alias euidentias, & consequenter etiam certitudo, vndè quòd in ordine principij est omnium certissimum, & euidentissimum, oportet, vt fundetur in ente vt sic, & sit fundamentum principiorum, quia semper quod est prius natura, est certius, & euidentius, quàm id, quod posterius est. Accedit etiam, quòd euidentia principio-

Arist. explicatur.

rum, quæ consistit in illa connexione terminorum, non est prima euidentia, sed quamuis non causetur à medio aliquo illius connexionis, causatur tamen ab ipsa notitia terminorum, vndè non est omnino independens ab omni alia notitia; at notitia illa, quam dicit fundamentum principiorum, quia fundatur in prima ratione entis, nec habet aliud fundamantum, ideò est omnium prima, & euidentissima. Quare si Arist. ponit hoc principium *Impossibile est, idem simul esse, & non esse*, tanquam omnium primum, & certissimum, oportet, vt ponat tanquam fundamentum principiorum. Et hoc ipsum etiam confirmatur ex eo, quòd Arist. inferius habet in tex.9. vbi sic inquit, *Et patet, quòd impossibile est, simul eumdem idem arbitrari esse, & non esse*. Hæc autem impossibilitas in nullo alio fundatur, quàm in eo, quòd ens remoueat ex natura sua à nihilo, quòd nihil, aliud est, quàm ens cognosci in comparatione ad nihilum. Quis autem non videt, quòd quando ens cognoscitur in comparatione ad nihilum, non cognoscitur aliquod principium propriè sumptum. Dicitur autem principium ab Arist. tum quia est fundamentum principiorum, tum quia, vt diximus, quodammodo imitatur principia.

Notitia principiorum non est omnino prima

X. Tertiò dicendum est. Hoc principium, seu fundamentum principiorum aptum esse, ne dum ad confirmandas conclusiones, siue principia, per deductionem ad impossibile, sed etiam ad demonstrandas conclusiones à priori. Hæc conclusio meo sanè iudicio facilè probatur. Ens namque habet aliquid demonstrabile de se ipso, nimirùm passiones, & quàuis vna possit per aliã demonstrari, prima tamen passio entis non potest per aliquid demonstrari, quòd non sit intrinsecum ipsimet enti, atque cum in ente nihil aliud intrinsecum sit, præterquam suamet ratio propria formalis, oportet, vt per hanc eamdem rationem formalem hæc prima passio demonstretur, & proinde non aliud assumi potest, ad eius demonstrationem, quàm ratio formalis entis, sicuti enim ad ipsam consequitur passio, ita etiam per ipsam solùm est demonstrabilis. Cum igitur ex hoc fundamento omnium principiorum innotescat natura entis, optimè ipso vti possumus ad demonstrandam primam passionem, vtpotè quia per ipsum habemus causam huius primæ passionis. Sic autem procedet demonstratio, Naturæ entis est separare, & elongare à non ente, ergo est reddere consequenter in se ipso indiuisum, & consequenter reddere vnum, quia cum ex vi entis vt sic non habeatur aliqua pluralitas entium, iam ens in ratione entis, est indiuisum, cum verò separet etiam à non esse, reddit consequenter indiuisum, quia si non separaret, & contraheret totam realitatem ad esse entis, posset remanere diuisio, ita vt partim traheret ad esse entis, partim non traheret; verùm quia omnino separat à non ente, totam latitudinem realitatis in esse vnum contradistinctum à nihilo coadunat. Et potest meliori modo sic confici demonstratio. Quod reddit inseparabile à seipso, facit illud vnum, atque indiuisum in se, sed ens reddit inseparabile à se ipso, ita vt non possit idem esse, & non esse, ergo facit vnum, & indiuisum in se.

Tertia conclusio. Per hoc principiũ demonstrari posse conclusiones à priori.

Radix primæ passionis entis

XI. Atque quemadmodum hoc principium, in sua amplissima latitudine acceptum, potest deseruire ad inferendam aliquam conclusionem à priori, nempè ad demonstrandam primam passionem de ente, ita etiam si applicetur materiæ magis determinatæ, vt diximus supra, posse applicari, adhiberi poterit tanquam congruum medium ad inferendas à priori aliquas alias conclusiones magis determinatas. Quia hoc indubitatum est, quòd omne prius, ex quo secundùm esse aliquid consequitur, potest esse medium à priori ad illud inferendũ; Quare cum hoc principium habeat ex natura sua, quòd ex ipso aliquid aliud consequatur, cuicunque materiæ applicetur, seruabit semper cum proportione eamdem naturam, & semper habebit aliquid, quod ab ipso consequatur. Cur ergo non erit aptum medium, vt tanquam causa, & radix inferat à priori aliquas conclusiones, & certè negari non potest, quòd prout applicatur cuilibet enti, non possit inferre à priori illius vnitatem, quemadmodum, dum fundatur in ente vt sic, infert, vt vidimus, à priori vnitatem ipsius. Sed hæc magis clara ex solutione rationum dubitandi erunt.

Quomodo materiæ determinatæ applicatum possit determinatas conclusiones inferre.

XII. Sed

Obiectio.

XII. Sed hic vrget grauis difficultas. Diximus enim, quòd hoc *Impossibile est, simul idem esse, & non esse*, non est verum principium; sed tantùm fundamentum principiorum, & rationem reddidimus, quia non constat ex pluribus terminis, qui dicant diuersas rationes formales ex parte obiecti; hoc ergo stante; quomodo potest assumi ad demonstrandum aliquam conclusionem à priori? siquidem ad omnem demonstra-

Solutio.

tionem requiruntur duo principia, quæ contineant maiorem, & minorem extremitatem, atque medium terminum. Sed nihilominus respondetur, quòd sicuti dantur quædam propositiones, quæ sunt demonstrabiles, quibus non potest intellectus assentiri, nisi per aliquod medium, aliæ verò, quibus immediatè assẽtitur ex sola notitia terminorum, absq. aliquo medio, quod eliciat assensum: ita etiam dantur quædam demonstrationes,

Quomodo hoc principiũ deseruiat ad inferendas conclusiones.

quæ requirunt formalem processum discursiuum, ita vt interueniat medius terminus, & duo extrema, quæ cum ipso connectantur, ex qua deinde connexione inferatur connexio eorumdem inter se. Aliæ verò sunt demonstrationes, quæ non exigunt hunc formalem processum, sed consistunt in sola connexione euidenti duorum, quorum vnum sequatur ex alio; ideò enim est necessarius medius

Demonstratio in sola connexione duorum

terminus, vt ex euidenti connexione eiusdem cum extremitatibus colligatur connexio earumdem extremitatum, quę ex se non est euidens; quòd si ex se esset euidens, non esset necessè recurrere ad aliquod tertium, cum quo euidenter connecterentur; sicuti quando duo extrema ex sola eorumdem notitia percipiuntur connexa, non est necessè recurrere ad demonstrationem. In casu ergo nostro quando assumitur illud fundamentum principiorum, potest aliquid demonstrari, quia quod ex ipso tanquam ex radice sequitur, habet immediatam, & euidentem connexionem cum eodem, & propterea solùm necessè est, vt manifestetur intellectui natura entis, quod se habeat tanquam radix, respectu talis passionis, quia statim intellectus deducit passionem. Verumtamen est, quòd hoc non obstante potest formare demonstrationem secundum formam syllogisticam adhibendo debitos terminos diuerso modo, saltem quoad secundas intentiones idem significantes, & modò concipiendo idem in confuso, modò distinctè; & hoc pacto adiuuat mediante forma syllogistica intellectum, vt cognoscat veritatem illius connexionis immediatę, qua vnum immediatè sequitur ex alio, quæ quidem connexio, quantumuis ex se euidentissima sit, aliquando tamen potest non esse euidens, quoad nostrum intellectum, & ideo opus est, vt manifestetur forma syllogistica.

Satisfit rationibus dubitandi, & nonnulla corollaria deducuntur.

SECTIO III.

Ad rationes dubitandi.

I. EX his, quæ in explicanda nostra sententia diximus, facile erit rationes dubitandi dissoluere. Hinc ad primam concedimus totum id, quod concludit, quia nos quoque affirmamus, quòd in ente non potest fundari aliquod principium, quod habeat veram rationem principij, vt sectione pręcedenti

Ad secundam

declarauimus. Ad secundam autem rationem dubitandi dicimus, quòd huiusmodi propositio, *Impossibile est, idem simul esse, & non esse*, quamuis apparenter sit negatiua, & modo negatiuo explicetur, virtualiter tamen est affirmatiua, quia sensus est, quod esse remoueat, & faciat distare à non esse, vt iam supra declarauimus. Quia tamen eo ipso, quòd ens remouet à non esse, impossibile est, quòd sit non esse, ideo parum refert, quòd vno, vel altero modo explicetur; quemadmodum parum referret, si diceretur. Homo per rationalitatem sepa-

Quomodo impossibile est ei idem simul esse & non esse sit propositio positiua.

ratur, & remouetur ab irrationali, aut si dicatur homo non est irrationalis. Per hoc enim semper obijcitur intellectui homo, vt rationalis est. Et hoc necessarium est in ente, ad hoc, vt in comparatione ad non ens cognoscatur. Quare cum per talem propositionem innotescat nobis natura entis per comparationem ad non ens, se habet affirmatiuo modo saltem virtualiter, & ideo potest esse apta ad inferendas conclusiones positiuo modo inde sequentes, & erit principium omnium primum, vtporè fundatum in ente, imò fundamentum omnium principiorum, vt satis declaratum fuit. Quòd si quis

accipèret hanc propositionem in sensu negatiuo, tunc dicimus, habere affirmatiuam priorem seipsa, quæ erit, quòd ens faciat distare à non ente, quàm diximus esse omnium primam; negatiua vero erit prima, in virtute istius positiuæ, quatenus virtualiter eam continet, quia tunc impossibile erit, quod idem sit, & non sit ex eo, quòd esse faciat distare à non esse distantia positiua ex parte ipsius esse: & quoties in sensu negatiuo adhibebitur talis propositio, solùm habebit efficaciam, ad concludendum in virtute suæ positiuæ.

Ad tertiam. II. Ad tertiam dicimus, verum quidem esse, quòd principia in vnaquaque scientia debent desumi ab intrinseco obiecto, præsertim si sint prima in tali scientia; sed, vt iam explicatum est, hoc quoque, quod diximus, non esse propriè principium, sed fundamentum omnium principiorum, sumitur ab intrinseco entis, non autem à non ente; imo per ipsum repræsentatur intellectui ipsa natura entis in comparatione ad non ens, vt toties dictum est; vndè in hoc seruatur proportio, quàm principia habent ad obiectum scientiæ. Denique ad vltimam dicitur, nequaquam hoc principium, siue fundamentum principiorum probari posse à priori, sed econtra ex hoc principio probari à priori, quòd contradictoria seinuicem destruant; ex eo enim, quòd ens facit distare à non ente, & ab ipso remouet, sequitur, vt destruat non ens, & econtra non ens destruat ens. Quare cum dicimus, *Idem non posse simul esse, & non esse* si intelligatur, vt diximus debere intelligi, nimirum vt sensus sit, Esse facit distare à non esse, potest consequentia inferri, ergo ens, & non ens, seinuicē destruunt, & proinde etiā contradictoria. Similiter respondendū est etiā ad confirmationē, quòd scilicet non ex vnitate probetur hoc principium, sed quod ex ipso inferatur vnitas, vt supra dicebamus, quia scilicet ex eo, quod ens separat à nihilo, ita vt *Esse* non possit esse *Non esse*, sequatur indiuisio in ente, à posteriori autem ex vnitate entis colligimus, quod idem non possit esse Ens, & non ens.

Ad fundamentum Primæ sententiæ. III. Ad fundamentum verò primæ sententiæ dicendum est, quòd ly Idem quando dicitur, *Idem non posse simul esse, & non esse*, non stat loco termini, cui respondeat terminus obiectiuus ex parte obiecti, sed vt supra etiam ad notauimus, stat tantùm explicationis gratia, & ob commoditatem declarandi, quomodo ens faciat distare à non ente, ita vt non possint esse idem; & idcirco non sequitur, quòd in fundamento omnium principiorum interueniant termini, resolubiles in alios conceptus, quantùm est ex parte rei, quæ explicatur: hoc enim impossibile est, cum ens fundetur in sola ratione entis vniuersalissima, in qua non possunt designari aliquo pacto plures conceptus, & consequenter cum termini explicent solùm id, quod se tenet ex parte obiecti, non possunt, nisi aliquid simplicissimum explicare. Lauel. atque alij respondent, quòd aliud est primum complexum, & aliud primum principium; primum complexum debet quidem constare ex terminis simplicibus, & irresolubilibus; at primum principium non necessariò constat ex terminis irresolubilibus, & simplicibus, sed sufficit, vt docet Arist. citat. tex. 8. lib. 4. metaph. circa ipsum non posse aliquem decipi, quòd est esse veritatis absolutæ, & non conditionatæ, & esse indemonstrabile. At prior responsio, quam tradidimus, vera est. Si enim termini significarent ex parte obiecti aliquid complexum, & resolubile, tunc non fundaretur in prima, & vniuersalissima ratione entis, & proinde non esset omnium primum; prius enim esset illud, quod fundaretur in tali ratione entis.

Quid importet hæc propositio non potest idē simul esse, & nō esse, an terminos resolubiles in plures conceptus.

Obiectio. IV. Solet etiam contra veritatem huius principij afferri quædam obiectio, nimirùm quod aliquid in hoc instanti potest esse, quia posset produci, cum tamen contingenter producatur, potest etiam non esse; vndè ita potest esse, vt simul etiam possit non esse, atque vtrumque in eodem instanti; ergo non est impossibile, quòd idem possit esse, & non esse. Resp. Lauel. supracit. quæst. 9. lib. 4. metaph. quòd ly simul potest cadere, & supra potentiam productionam, & supra terminum eiusdem potentiæ. si cadat supra potentiam, verum quidem est, quòd propter suam indifferentiam potest simul producere, & non producere, quia cum ex se sit indeterminata,

Responsio Lauelli.

minata, oportet, vt determinetur, at semel posita determinatione, quia tollitur indifferentia, tunc non est amplius verum, sed ad vnam tantùm partem se habebit, prout determinata est. Addit etiam, quòd hoc modo non contrariatur illi principio. Si verò ly *simul* cadat supra terminum potentiæ, tunc falsum est, quòd possit simul esse, & non esse. Verùm possit quis instare. Terminus potentiæ dependet secundùm se totum à potentia, & ab illa determinatur, & est possibilis; quia potentia potest producere, ergo cum simul potentia possit in eodem instanti producere, & non producere, etiam terminus poterit simul in eodem instanti produci, & non produci, & consequenter poterit esse, & non esse. Et sanè ita dicendum est, & concedenda etiam termino huiusmodi indifferentia ad produci, & non produci in ordine ad potentiam productiuam. Neque ex hoc sequitur aliquid contra illud principium. Principium enim istud solùm importat incompossibilitatem inter esse, & non esse, ita vt non possint esse, & non esse inter se commisceri. Ex eo autem, quòd terminus possit simul esse, & non esse in eodem instanti, non sequitur, quòd esse, & non esse commisceantur, quia ly simul non coniungit esse, & non esse, nam si effectus erit, in hoc instanti, impossibile erit, quòd non sit; Si verò non erit, impossibile erit, quòd sit; sed solùm ly simul cadit supra effectum, qui ratione suæ indifferentiæ, quam in sua natura includit, potest ad vtrumque sub disiunctione determinari, & ideò nulla fit commixtio ex esse, & non esse.

Instātia

Vera responsio.

Primum corollarium.

V. Ex his autem, quæ diximus, colligitur, quomodo omnes scientiæ aliquo modo dependeant ab hoc principio, cum enim, vt diximus, in ipso fundentur omnia principia quò ad suam euidentiam, sequitur, vt quælibet conclusio, quæ scientificè modo deducatur, demum resoluenda sit in tale principium, quia immediatè quidem resoluitur in principia, mediatè verò in hoc fundamentum omnium principiorum, quatenus principia in ipsum resoluuntur. Quòd tamen ita intelligi debet, non quasi principia dependeant ab ipso tanquam à medio à priori, à quo probentur, quia tunc deficerent à ratione principij, sed quia euidentia cuiuslibet principij est quasi quædam euidentia particularis illius euidentiæ, quam dicit hoc fundamentum omnium principiorum, quatenus scilicet cœtera principia ita in eo fundantur, vt sint ipsum, sed particulari materiæ applicatum. Atque in hoc cernitur pulchra connexio, & dependentia nostræ cognitionis, per quam conformetur cum ipsis rebus, quarum est cognitio. Sicuti enim quælibet ratio entis cum aliqua alia ratione connectitur, & omnes ad vnum principium reducuntur, tanquam ad primam radicem, & fundamentum, quod est ens; Ita etiam, vna euidentia, quam de aliqua re habemus, connectitur cum euidentia de altera re, & omnes ad vnam primam euidentiam reducuntur, quæ est radix, & fundamentum omnium euidentiarum.

Quomodo nēs scientiæ dependeant ab hoc principio.

VI. Colligitur etiam secundò, quid dicendum sit ad illam difficultatem, in qua quæritur, an hoc principium, *Impossibile est, idem simul esse, & non esse*, sit idem cum hoc *Necesse est, quodlibet esse, vel non esse*. Iauel. enim quarto metaph. quæst. 9. affirmatiuè respondet. Alij vero, inter quos est Suarez citat. disputat. tertia metaph. sect. tertia, num. quinto respondent negatiuè, quia, inquit, ipsæ diuersæ res significantur; in priori enim significatur repugnantia contradictoria, quæ est inter ens, & non ens, in posteriori vero significatur, quòd inter contradictoria non datur medium, & quòd proinde alterum ipsorum debet semper conuenire. Et sanè quamuis in vno, atque eodem hæc principia fundentur, diuersimodè tamen significant. Primum enim, vt supra declaratum est, nihil aliud importat, nisi quòd talis sit natura entis, vt separet à non ente, & reddat incompossibile cum ipso, & ex hoc proinde sequitur, quòd ens & non ens non possint esse idem, & commisceri adinuicem. In altero vero principio id habetur, quòd alterum

Secundum corollariū.

Iauel.

Suarez.

Impossibile & idem simul esse, & non esse idē ac necesse è quodlibet esse, vel nō esse.

terum contradictorium nempè ens, vel non ens debeat semper cuicumque conuenire, quòd non est formaliter idem cum primo, sed quid consequens ab ipso; cum enim ens separet omnino à non ente, sequitur, vt inter ens, & non ens non detur medium aliquod, & consequenter semper vel ens, vel non ens debeat conuenire

3. Corollar. Quomodo illud principium quodlibet est, vel non esse habeat.

VII. Colligitur etiam tertiò, quomodo comparentur adinuicem hoc principium, *Impossibile est, idem simul esse, & non esse*, & illud, *Quodlibet est, vel non est*. Quamuis enim hoc constet paucioribus terminis, atque adeò videatur magis primum, reuera tamen non est tale; sed potius est quid deductum ex illo. Ex eo namque; quòd impossibile est, idem simul esse, & non esse, seu quòd ens separat à nõ ente, sequitur, quòd in quolibet ente adsit talis separatio, atque adeo, quòd quodlibet sit, vel non sit; seu quòd esse, & non esse sub disiunctione vnicuique conueniat necessariò, quia ex positione entis, ponitur ipsum esse, & ex ablatione ponitur non esse. Vnde vnum deducitur ex alio per processum à causa formali ad effectum, & à negatione causæ formalis ad negationem effectus; & ideo interuenit ordo quidam dependentiæ in euidentia, & cognitione. Atque hęc sufficiant, quò ad naturam entis, & fundamentum principiorum, quod ab ipso habetur.



DE PRINCIPIIS
OBIECTI METAPHYSICI nempe Genere, & Differentia.



Tatuimus pro obiecto metaphysicæ Ens completum eo nimirum complemento, quo cóponitur ex intrinsecis principijs, hoc est generica natura, atque differentiali, ita vt se habeat ad modum cuiusdam compositi compositione metaphysica ex partibus essentialibus coalescentis. Ens verò transcendentale vniuersalissimè sumptum diximus esse fundamentum huius obiecti, vtpote, quia in ipso omnis ratio realis fundatur. Cum ergo hucusq; egerimus de natura, & concepto entis transcendentis, nunc vt rectum ordinem seruemus, quem rerum naturæ exigunt nobis agendum est de principijs huius compositi metaphysici, quia, eorum natura probè cognita, per ipsa deueniemus in cognitionem tanquam per causas intrinsecas ipsius compositi metaphysici, & ijs cognitis faciliùs erit cœtera, quæ ad ipsum spectant, explanare. Sed quia naturæ rerum in particulari rectè explicari non possunt, nisi cognita eadem natura in communi, ideo prius Naturam principij in communi explicabimus.

An Principium, Causa, & Elementum idem sint. Disp. XLIII.

Ratio dubitandi, & adnotationes quadam.

SECTIO I.

I. PRima quæstio, quæ circa naturam principij in communi sese nobis offert, est, An Principium, Causa, atq; Elementum in idem coincidant, in qua explicabitur, vel conuenientia, vel discrimen, quod est inter hæc tria. Ratio autem difficultatis oritur ex Arist. qui 4. Metaph. cap. 2. Intendés ostendere, Ens, & vnum reciprocè dici, ponit exemplum de principio, & causa, & insuper ait, quod ens, & vnum reciprocè dicuntur, quia seinuicem sequuntur, hoc est, vbi est vnum, est etiam alterum, & proindè neutrum latius, aut minus patet; Inquit enim *Si itaque ens, & vnum idem, atque vna natura sunt, propterea quod se inuicem sequuntur, quemadmodum principium, & causa.* Ex quo sequitur, quod principium, & causa reciprocè dicantur, atque adeò neutrum latius, aut minùs pateat. Præterea lib. 5. Metaph. cap. 5. Cum enumerasset omnes modos, quibus contingit aliquid principium dici, subdit. *Toties autem causæ dicuntur, omnes namq; causæ principia.* Econtra autem videtur principium latius patere, quàm causa, quoniam priuatio ponitur ab Arist. & communiter mutationis principium, non autem potest esse causa. Ρ δ dub. ad Arist.

II. Vt ergo hanc difficultatem dissoluamus, quædam prius oportet aduotare, sine quibus rectè difficultas enodari non potest. Horum autem primum est, quod eum quærimus; An Principium, Causa, & Elementum idem sint, quæstio procedit de vnoquoq; in stricta, atque rigorosa significatione accepto, nam procedendo cum quadam improprietate, atq; latitudine significationis, certum est, quòd causa, & principium confunduntur, atque etiam causa, & elementum, & causa dicitur principium, principium verò causa, sic Græci patres in diuinis vocaut Patrem causam filij, & Patrem, atque filium causam Spiritus sancti, vt habetur in Concil. Florent. in Literis vnionis sess. vltima, vbi sic legitur. *Id, quod sancti Doctores, & Patres dicunt ex patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc significent filium quòque esse, secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos verò principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut & Patrem.* Idem quo Causa, principium, & elemẽ a cófun di solent al quãdo Cóc. Florent.

 que

D. Dam. D. Athan. D. Greg. Nazian. D. Aug.

quæ facit D. Damascen. lib. 1. de fide ortodoxa cap. 8. 9. & 11. D. Athanas. in Act. Nicænæ Synodi D. Nazianz. orat. 29. de Dogm. & const. epis. & orat. 35. quæ est prima de filio & 3. de Theolog. Imo D. Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 1. ait. *Quod est causa illi, vt sit.* (nempe filio) *est causa, vt sapiens sit*. Vbi causa stat pro eo, quod Philolophi vocarent rationem: sumptis autem terminis cum omni rigore huiusmodi loquutiones essent falsæ, quia in diuinis nō admittunt Theologi rationē causæ propriè sumptæ propter imperfectionem, quam secum affert.

III. Alterum autem, quod adnotari necessariò debet, est; quod præter alias rationes formales, quæ in principio, atque causa considerari possunt duæ ad propositum nostrum faciunt, nimirum Ratio principiandi, & Modus principiandi. Non enim sunt vnum, atque idem formaliter hæ duæ rationes; Sed ratio principiandi importat essentiam illam, in qua saluatur quidditas principiationis, quæ etiam inuoluit suum modum intrinsecum essendi, quemadmodum etiam quælibet alia essentia determinata. Verùm hic modus essendi, qui imbibitur in ratione principiandi, nihil aliud dicit, quàm rationem communem principij contrahibilem per aliquas differentias. Has autem differentias vocamus modos principiandi, quia per ipsas principium vt sic determinatur ad talem, vel talem modum principiandi. Quod similiter intelligi debet proportione seruata de ratione causandi, & modis causandi; Atque distinctio harum rationum valde confert ad decernendum de debito discrimine, atque conuenientia, quæ est inter causam, & principium.

Rō. & modus principiandi diuersæ rationes.

Resoluitur quæstio.

SECTIO II.

1. concl. Rō formalis principij diuersa est à ratione formali causæ.

I. PRo resolutione ergo huius difficultatis Dicendum est primo. Rationem formalem principij esse diuersam à ratione formali causæ, ita tamen vt omnis causa imbibat rationem principij, sed aliquid insuper dicat, quo discedat à pura ratione principij, & acquirat esse causæ. Hæc autem conclusio desumitur ex Aris. 5. Metaph. cap. 1. vbi ait. *Omnibus igitur principijs commune est esse primum, vnde aut est, aut fit, aut cognoscitur*; frustra autem distinxisset inter, esse, & fieri, nisi putasset diuersam esse rationem formalem principij à ratione formali causæ, ita vt in ipsa non inuoluatur dependentia, quemadmodum inuoluitur in ratione formali causæ, sed satis fuisset ponere ly Fit. Id autem optimè suadetur ex eo, quòd in diuinis, dum pater generat filium; & Pater, & Filius producunt Spiritum sanctum, ponitur ibi ratio formalis principij, non verò ratio formalis causæ; nam causa importat dependentiam, sine qua non potest saluari ratio effectus; in diuinis autem impossibilis est omnis dependentia propter imperfectionem, quam secum portat. Et hic modus argumentandi est optimus, quia quamuis in Deo non sit propria ratio principij, sed aliquid supereminentius, iuxta ea, quæ supra diximus de ente, cuius rationem formalem ostendimus non posse reperiri in Deo: adhuc tamen verum est, quòd secundum nostrum modum intelligendi, quo ea, quæ sunt in Deo per similitudines rerum creatarum accommodamus nostro captui, ponitur in ipso ratio formalis principij, & non ratio formalis causæ, qua mediante adaptamus nostro captui productionem Verbi, atque Spiritus sancti. Ex quo euidenter conuincitur, quòd ratio formalis principij diuersa sit à ratione formali causæ, quando ab ipsa separari potest, & poni in diuinis non posita ratione causæ. Quod etiam confir. quoniam in diuinis repugnat ratio formalis causæ, non autem ratio formalis principij, quod satis indicat, esse diuersas rationes formales.

In Deo rō principij nō autē ratio causæ.

Arist.

II. Atque hoc ipsum etiam contingit in doctrina Arist. priuationi enim, vt dicebamus in ratione dubitandi, accommodat rationē principij, non verò rationem causæ propriè dictæ, vnde ipse quoque separat rationem principij à ratione causæ. Et potest assignari fundamentum huius separationis, reddendo rationem à priori, cur separari possint. Scilicet quia ad intelligendam rationem principij sufficit, quod intelligamus vnum esse ab alio, vt verò intelligamus causam non sufficit, quòd intelligamus, aliquid esse ab alio; sed vlterius requiritur, quòd percipiamus dependentiam, cum qua ab ipso fit. ex hoc autem sumit intellectus fundamentum separandi has rationes nimirum principij, & causæ tanquam

Cur ratio principij separari possit à ratione causæ.

diuersas. Atque hinc elicitur alia confirmatio. Nam ad intelligendam rationem principij, sufficit quæcumque prioritas, nec requiritur prioritas naturæ; intelligimus enim in diuinis naturam principij absque illa prioritate naturæ; at ad rationem causæ necessaria est prioritas naturæ, sine qua stare non potest causa; ex quo satis intelligitur, quòd alia est formalitas causæ, alia formalitas principij.

An detur aliquod principiū quod nō sit causa.

III. Quæret tamen aliquis, cum diuersa sit ratio formalis principij à ratione formali causæ, potestne dari aliquod principium, quod non sit causa; itaut principium latius pateat, quàm causa? Resp. quòd datur in diuinis principium, quod non sit causa; verùm vt iam supra adnotauimus est solum principium, prout adaptamus illi rationem principij, vt accommodetur nostro modo intelligendi, reuera tamen est quid eminentius, ita vt eminentiori modo Verbum fit à Patre, & Spiritus sanctus ab vtroque, quàm per rationem principiandi. Cuius rei ratio potest breuiter insinuari, quia scilicet ratio formalis principij, cum reperiatur in rebus finitis, & limitatis, ipsa quoque intrinsecè limitata est, & ideo in Deo esse non potest; atque si, vt supra ostensum fuit, in Deo non reperitur ratio formalis entis, neque etiam consequenter reperiri potest aliqua ratio, quæ in ente fundetur. Rursus etiam in priuatione ponitur ratio principij. Verùm neque in hac reperitur proprietas principij, vt suo loco explicabimus, præter hæc autem nullum aliud assignari solet, in quo reperiatur ratio principij, & non ratio causæ. Vnde concludendum est, quod nullum detur principiū, in quo sola ratio principij reuera reperiatur sine ratione causæ, & proinde non latius patere, quàm causā: sed quicquid in re est principium, esse etiam causam, & quicquid est causa, esse etiam principium, & proinde quòd principium, & causa se inuicem sequantur, vt dicebat Arist. citatus in ratione dubitandi.

Nullū verè principium quod nō sit causa.

Secundo cōcluſio. Tot modi principiandi quot causandi.

IV. Secundo dicendum est, Tot esse modos, & genera principiandi, quot etiam sunt causandi, itaut neque secundum hos modos latius pateat. Prob. autem hæc conclusio Principium inuoluitur in qualibet causa, ita vt certum sit, nullam dari causam, quæ non sit etiam principium. Quamobrem principium habet omnes illos modos principiandi, quos habet causa in causando, & sic ex parte causæ nullus datur modus, qui non conueniat etiam principio. Sed neque etiam ex parte principij potest dari aliquis modus principiandi, qui non etiam reperiatur ex parte causæ; nam vel principium principiat aliquid intrinseco modo, & tunc reducitur vel ad modum causandi materialem, vel formalem. Si verò principiat vt principium extrinsecum, tunc vel effectiuo modo principiabit, vel finali, neque enim alius excogitari potest, vnde etiam ratio illa principiandi, quam productionibus diuinis accommodamus ad modum efficientis se habet.

V. Dices, causam posse habere aliquem modum causandi peculiarem, propter rationem causandi differentialem, quam superaddit principio. Sed hoc non rectè dicitur. Nam vel hic modus peculiaris causandi consequitur rationem causæ vt sic, vel rationem talis causæ. Neutrum istorum potest dici. Quia si primum dicatur, modus iste erit communis omnibus causis, quemadmodum erit communis causa vt sic, vnde non erit aliquis peculiaris modus causandi. Si vero dicatur secundum, cum non possit dari aliqua causa, in qua non inuoluatur ratio principij, neque adhuc dabitur aliquis modus causandi, qui non conueniat principio in ratione principiandi. Et confirmari potest, quoniam nulla causa reperitur extra illa quatuor genera, Materialis, Formalis, Efficientis, & Finalis, & cōsequenter nullus etiam modus causandi extra illa quatuor genera reperiri potest, at in quolibet illorum genere imbibitur principium, vnde sequitur, quòd modi principiandi adæquentur cum modis causandi.

Responsio.

Reijcitur.

VI. Dices secundo Nonne datur priuatio, quæ principiat, & tamen non reducitur ad aliquod genus causarum ex illis quatuor, ergo plures erunt modi principiandi, quàm causandi. Non enim priuatio principiat in genere efficienti, cum sit terminus à quo, nec etiam in genere finali, vt per se patet; nec etiam in genere materiali, aut formali, cum nō sit principium intrinsecum, sed recedat. Verùm iam diximus, quòd priuatio non participat propriè rationem principij, nec est ex illis principijs realibus, de quibus modo loquimur, vt suo

Altera responsio.

Impugnatur.

loco dicemus, & proinde non vrget difficultas. Sed dato quòd esset verè principium, tunc si poneretur de intrinseco cōceptu mutationis reduceretur ad modos principiandi, quos dicunt principia intrinseca siue materialem, siue formalem. Si verò non poneretur de intrinseco concepta mutationis, tunc reduceretur ad modum principiandi causæ finalis, quia propter expulsionem priuationis, & introductionem formæ fieret mutatio.

Secunda ratio.

VII. Secundo prob. nostra conclusio Tota differentia, quæ est inter rationem formalem principij, & rationem formalem causæ in eo consistit, quod causa cōnotat dependentiam illius, quod ab ipsa est, principium verò non connotat huiusmodi dependentiam, ergo non potest dari aliquis modus principiandi, qui etiam non conueniat causis, nec aliquis modus causandi, qui etiam non conueniat principijs. Hæc consequentia declaratur, quoniam posita dependentia in eo, quod est à principio, statim principium cuadit causa, statim autem ac aliquid principiatur, habet dependentiam à suo principio, quia principiatur, vt aliquid creatum, & limitatum; vndè ex hoc sequitur, quod nullus modus conuenire possit principio, qui etiam non conueniat causæ: rursus omnis causa dicit etiam rationem principij, & proinde omnis modus causandi, qui ipsi conuenit, etiam ptincipio debet conuenire. Confir. quoniam ex dependentia, non ponitur, neque tollitur aliquis modus principiandi, vnde ratione discriminis, quod est inter causam, & principium, non potest poni variatio in modis principiandi, aut causandi. Confir. secundò. Omnis causa dicens talem modum causandi, dicit etiam talem modum principiandi, & solum talis causa differt à tali principio, quod habet dependentiam in eo, quod ab ipsa est; verum eadem differentia, & idem modus, qui constituit talem causam in tali esse constituit etiam tale principium, ergo multiplicata, & diuersificata causa, multiplicatur, & diuersificatur etiam principium, & econtra multiplicato, & diuersificato principio, multiplicatur, & diuersificatur etiam causa, cum idem sit multiplicatiuum vtriusque. Dependentia enim, secundum quam causa differt à principio, non multiplicat causas.

Dependentia, quæ causa differt à principio non ponit nouum modum peculiarem causandi.

Tertia conclusio.

Elementū dicitur tantū de causis intrinsecis.

VIII. Tertio dicendum est Elementum dici tantum de causis, & principijs intrinsecis, & ideo minus patet, quàm causa, & principium, tum quò ad rationem causandi, tum etiam quò ad modos. Probatur autem quoad vtramque partem nostra conclusio; elementum enim est illud, ex quo tanquam ex componēte intrinseco fit aliquid, Arist. enim 5. Metaphys. tex. 4. ita definit elementum. *Elementum dicitur, ex quo componitur primo inexistente indiuisibili specie in aliam speciem*. Ex quibus patet, quod de ratione elementi est, quod se habeat tanquam principium intrinsecum componens, & consequenter dicitur tantum de causis intrinsecis. At causa dicitur etiam de extrinsecis, nempe efficienti, & finali: vnde concludendum est, quòd elementum minus pateat, quàm causa, & principium: quod totum docuit Arist. lib. 12. Metaphys. tex. 23. dum ait: *Cū vero illa, non solum quæ insunt causæ sint, verum etiam ex his, quæ extrinseca sunt, illud, quod mouet, patet, quod aliud est principium, aliud elementum; ambo vero causa sunt, & principium in hæc diuiditur*. Atque hoc est discrimen inter causam, & principium ex vna parte, & Elementum ex alia.

Arist.

Ad rationes dubitandi.

IX. Et ex his, quæ diximus colligitur, quid dicendum sit ad rationes dubitandi initio Sect. præcedentis positas. Ad primam enim aliqui respōdent, quod Arist. ibi sumit causam largo modo, & hoc pacto ait reciprocari cum principio; sic etiam sumpsisse causam 12. Metaphys. tex. 12. dum vocat priuationem causam, ita inquiens: *Tres itaque causæ, & tria principia, duo quidem ipsa contrarietas, cuius hoc quidem ratio, & forma, hoc vero priuatio. tertium vero materia*. Verum hæc responsio non est verisimilis, nam si sumpsisset causam largo modo, non illam contradistinxisset à principio, & dixisset cum illo reciprocari, non enim largè sumpta à principio contradistinguitur, & consequenter nec cum ipso reciprocatur, reciprocatio namque est solum inter ea, quæ contradistinguuntur. Alij vero dicunt, quod vult causam, & principium in creatis reciprocari. Verum tunc vrget Priuatio, quæ in creatis reperitur, & per ipsos est verè principium. Itaque dicendum est iuxta ea, quæ supra diximus, quòd re uera causa, & principium simpliciter re-

Aliquorum resp. Arist. illustratur.

Aliorum responsio.

Vera responsio.

Causa, & principiū reciprocantur.

ciprocantur, ita vt nullum sit principiū, quod verè à parte rei principiet, quod etiam non sit causa, atque nulla sit causa, quæ non sit etiam principium; nam solùm huic reciprocationi obstaret, quòd in diuinis datur principium, & quòd priuatio quoque sit principium. Sed iam diximus in diuinis esse aliquid supereminentius, quàm principium, & quòd nos solum illud principium appellamus, vt nostro captui accommodetur, qui solum ex creatis increata cognoscimus. Priuatio verò non est propriè principium, vt iam diximus, & sic patet ad rationem dubitandi pro opposita parte. Secunda verò auctoritas Arist. confirmat nostram sententiam; docuimus enim, quòd principium quoad peculiares modos principiandi non excedit causam, sed cum ipsa adæquatur, & quod omnes causæ sunt principia; vnde tot modis dicitur causa, quot principium, & econtra, ita vt seruetur perfecta reciprocatio, & ob id Arist. docet quòd principium tot modis dicitur, quot dicitur causa.

Tot modis dicitur causa quot principium.

Quid sit principium, & in quo eius ratio formalis consistat.

Disp. XLIV.

Explicatur natura principij. Sect. I.
Enodantur nonnullæ difficultates. Sect. II.

Explicatur natura Principij.

SECTIO I.

Principia cognoscendi, & principia essendi.

I. Solet duplex principium distingui. Aliud enim dicitur principium cognoscendi, & aliud principium essendi. Principia cognoscendi sunt principia complexa, seu propositiones, quæ in qualibet scientia reperiuntur, & assumuntur ad aliquid demonstrandum, quale est illud *Omne totum est maius sua parte*, & vocari etiam solent Effata, Axiomata, Dignitates. Dicuntur autem principia, quia ab ipsis tamquam à causis est cognitio; Vocantur etiam elementa, quia ex ipsis tamquam ex partibus componitur demonstratio. Principia autem essendi sunt illa, à quibus est aliquid secundùm proprium esse, quæ etiam principia rei dici solent. Verùm hanc distinctionē principiorū non existimo fuisse rectè traditam, nec ad rem nostram facere, non enim principium cognitionis contradistinguitur à principio rei, sed potius est quædam species illius, ita vt sub eius latitudine claudatur; nam ab ipso quoque est cognitio secundum proprium esse, & proinde ipsum est similiter principium rei, quod etiam insinuauit Arist. 5. Metaphys. tex. 1. dum ait: *Item vnde primùm res cognita est, illud quoque principium rei dicitur, vt puta demonstrationum suppositiones*. Hoc autem principium rei pluribus modis cōtingit, quos enumerat Arist. citato loco, & Damascen. in Dialogo contra Manich. initio. Sumendo igitur principium secundum suam latissimā significationem, prout complectitur omnes modos, quibus contingit aliquid esse principium, de eo inquirimus, quid sit, & in quo formaliter consistat.

Reijcitur alia distinctio.

Arist.

D. Damascen.

II. Hoc autem certum debet esse, quod principium in sua ratione formali inuoluat aliquam habitudinem, est enim essentialiter quid relatiuum, quia sicuti est alicuius principium, ita etiam habet totum suum esse in ordine ad illud, cuius est principium, quare etiam in sua amplissima significatione seruata proportione dicit hanc eamdem habitudinem. Dupliciter autem potest contingere huiusmodi habitudo, per se, & per accidens. Per se erit, si aliquid per se est à principio, vt cum calor producitur ab igne, atque hæc habitudo constituit principiū per se dicens intrinsecam habitudinem ad id, cuius est principium. Per accidens autem erit, si aliquid ex accidēti sequatur ex alio, vt cum quis ex accidenti primo loco sedet, dicitur principium cæterorum, & constituit habitudinem per accidens, quæ tamen non est vera habitudo, & neque constituit verum, & legitimum principium, sed solùm principium per se est verum principium philosophicum, & de hoc solum in præsenti loquimur.

Principium est aliquid relatiuum.

Principium per se, & per accidens.

III. Triplex autem definitio principij colligitur ex Arist. Prima habetur ex lib. 5. de Generat. animal. cap. 7. Vbi Arist. sic definit principium: *Hoc est enim principium esse, vt ipsum quidem causa sit multorum, sed ipsius nulla sit superior causa*. Vt autem in hac definitione

Triplex definitio princip. ex Arist.

ne

ne propriè definiatur principium, cum dicitur, quod est causa multorum, debet ly causa accipi in larga significatione pro omni eo, quod aliud à priori infert; Quia licèt non latius pateat causa, quàm principium; vt disp. præcedenti dictum est, tamen causa est diuersa formaliter à principio purè sumpto; deinde sequeretur, quòd definiretur idem per idem, & genus contineret totum definitum, nam cum dicitur, principium est causa, cur aliquid fit, ly causa staret loco generis, & tamen contineret totum esse Principij. Altera autem definitio desumitur ex lib. Poeticæ cap. 1. vbi sic ait *Principium illud esse dicimus, quod non necessariò post aliud est; contra quod posterius aliquod esse, vel fieri natum est.* Et quamuis Arist. attulerit hanc definitionem, vt explicaret principium in re quanta, accommodatur tamen principio in communi, quia sufficit, si intelligatur cum præcisione ab omni materia determinata, & sic explicabit naturam principij in communi.

IV. Denique tertiam quoque definitionem tradidit, quæ vsitatior est apud Philosophos lib. 5. Metaph. cap. 1. vbi sic principium definit *Principium est primum, vnde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur*, hoc est Principium est illud, à quo aliquid quocumque modo progreditur. Circa hanc autem definitionem hoc est aduertendum, quòd non explicat solam communem rationem principij, sed etiam complectitur peculiares rationes principiorum, prout scilicet constituunt diuersa genera, quod satis constat ex eo, quòd traditur per habitudinem ad diuersos terminos, vnde debet distributiuè sumi pro principijs essendi, effectionis, & cognitionis, tanquam pro primis generibus, ad quæ omnia principia reducuntur. Vnde huiusmodi definitio explicat naturam principij, prout continetur in diuersis generibus, atque etiam simul explicat peculiares illos modos principiandi, quibus illa genera constituuntur.

Prima conclusio Principium consistit in progressione vnius ab alio. V. Ex his ergo, quæ diximus, facile erit elicere, in quo formaliter consistat ratio principij, vnde dicendum est primò De ratione principij esse, vt ab ipso fit alind per aliquam consequtionem, aut progressionem, seu Principium consistit in progressione vnius ab alio. Declaratur autem conclusio. Principium dicit essentialiter habitudinem ad id, quod est ab ipso, vt adnotauimus, atque hæc est habitudo consequtionis, atque cuiusdam sequelæ, qua vnum sequitur ex alio, & ideo debet dari fundamentum proportionatum huius habitudinis: hoc autem fundamentum nullum aliud esse potest præter progressionem, qua vnum ab alio progrediatur, & ideò ratio formalis principij consistet in eo, à quo aliquid progrediatur. Pro cuius intelligentia, scire oportet, quòd aliud est loqui de principio in actu primo, & aliud de principio in actu secundo. Principium enim in actu primo dicit vim principiatiuam, quæ in eo consistit, quòd sit aliquid, à quo aliud possit progredi, quemadmodum causa in actu primo est illa, a qua aliquid potest causari; principium vero in actu secundo dicet ipsum exercitium principiandi, & consistet in actuali progressione, qua vnum ab alio progreditur, quæ correspondet virtuali progressioni, per quam constituitur principium in actu primo. Verum tamen est, quòd ex communi vsurpatione principium videtur significare ferè semper exercitium principiandi, & dicere ipsam actualem progressionem, Nihilominus tamen, in rigore loquendo, debet dari principium in actu primo, & in actu secundo, cum actus secundus necessario supponat actum primum.

VI. Hinc secundo declaratur nostra conclusio. Principium est in eadem serie, in qua est causa, & tot modis dicitur, quot dicitur causa, & solum est discrimen penes dependentiam, & non dependentiam, ergo cum causa importet progressionem cum dependentia, qua effectus est ab ipsa, principium importabit progressionem sine dependentia, qua aliquid fit ab ipso. Hinc autem est, quòd quando concipimus principium, ex vi ipsius termini concipimus aliquam originem actiuam, qua vnum ab alio originatur, quod nihil est aliud, quàm cōcipere progressionē vnius ab alio. Atque hinc efformari potest cōfirmatio eiusdem rationis. Principium in communi, quantum est ex vi suę rationis formalis, aptum est imbibi in ratione causæ; debet ergo causæ proportionari, vt possit in ea imbibi; Verùm non potest proportionari, nisi mediante progressione, quando causa connotat aliquid, quod à seipsa progrediatur cum dependentia, & quemadmodum causa communicat esse effectui, Secunda ratio. Causa importat progressionē cū dependentia.

ita

ita etiam principium debet esse id, à quo est aliquid per aliquam communicationem; vnde quando in diuinis concipimus puram rationem principij, concipimus etiam ex vi huius principiationis communicationem naturæ diuinæ. Cum ergo principium importet quamdam communicationem, oportet vt importet etiam progressionem, sine qua communicatio esse non potest.

Secunda cóclusio. De ratione princi pij est, vt sit primu

VII. Secundò dicendum est. De ratione principij esse, vt sit primum, quod tamen ita debet intelligi, vt ea ratione sit primum, secundùm quam est principium. Ratio autem huius conclusionis est, quia principium, & id, quod est à principio, opponuntur, & vnum tollit rationem alterius, ita vt secundùm eam rationem, qua aliquid est à principio, impossibile sit quod sit principium, ergo de ratione principij est, quòd sit primum, si enim non esset primum prout principium est, haberet in illa ratione aliud ante se, & proinde esset ab illa, vnde secundùm eamdem rationem esset simul principium, atque à principio, neque hæ rationes seinuicem tollerent. Hinc autem est, quòd ens à principio tollit esse primum, non enim quod principiatur, prout principiatur, potest esse primum, cum ergo principium opponatur illi, quod est ab ipso, oportet vt dicat primitatem, quæ ab illo tollitur. Et proinde videmus inductione facta, quòd ablata primitate, tollitur ratio principij, sic vnitas dicitur principium numeri, in quantum est prima vnitas. Punctum principium lineæ, in quantum non habet aliud ante se; cor principium vitæ, in quantum vita ab ipso primò originatur, & Deus est simpliciter principium, quia non habet aliquid ante se, & eamdem inductionem possemus prosequi in omnibus. Atque hoc etiam patet ex conceptu principij; non enim formare possumus conceptum principij, seu intelligere, quod aliquid principiet, nisi aliquam primitatem in ipso concipiamus, qua videlicet sit primum respectu illius, quod principiat; & ideò dicebat Arist. citato cap. 1. lib. 5. Metaph. quod *Principium est primum, vnde aliquid &c.* denotans, quod primitas respectu illius, quod principiat, sit de intrinseco conceptu principij.

Defini tio prin cipij cõ muni.

VIII. Cum ergo principium ex intrinseca sua ratione dicat primitatem respectu illius, quod principiat, atque etiam connotet aliquid à seipso progrediens, facile formari potest definitio, quæ explicet naturam principij in communi tali pacto. *Principium est illud primum, à quo aliquid est*. Ponitur autem, Ly, *Illud primum*, tanquam genus, per quod tamen non habetur completa ratio principij, sed debet vlterius progressio explicari, & ideo additur, *A quo aliquid est*, per quod tota ratio principij completè explicatur: ly autem, *Est*, hic significat quamcumque consecutionem, qua vnum ab alio originetur; præscindendo à quocumque modo, & differentia originationis, vt videlicet sola ratio communis principij explicetur, quæ ab omni differentia, & modo explicandi determinato debet præscindere. Cæterum hic oportet aduertere; quòd principium constituitur per duplicem rationem, nempe per negationem anterioritatis, seu primitatem, & per progressionem, & ratio principij inchoatur per primitatem, completur verò per progressionem, vnde primitas nõ dicit propriè genus cum pertineat ad proprium constitutiuum principij, sed pro puro genere ponendum est solum ly, *Illud*, ita vt importet aliquid coarctabile ad esse principij, quod incipiat coarctari per primitatem, & compleatur coarctatio per progressionem.

Verû genus principij.

Enodantur nonnullæ difficultates.

SECTIO II.

I. Contra tamen prædicta militant nonnullæ difficultates, & præcipue contra id, quod diximus, de ratione principij esse, quod sit primum; vnde primò contra id arguitur. Omnis causa est principium, vt nos quoque disp. præcedenti docuimus, non tamen omnis causa est etiã prima. Patet nam pater est causa filij, & tamen habet causam, quæ est principium suijpsius, & sic contingit in pluribus alijs causis, non ergo de ratione principij est, vt sit primum, quia si primitas esset de essentia illius, conueniret omni principio, quare si alicui conuenit, per accidens se habet ad rationem principij. D. Th. 1. par. quæst. 33. art. 1. ad 3. videtur concedere, quod de ratione principij non sit primitas, ait enim *Ad tertium dicendum est, quod licet hoc*

Prima difficultas.

D. Th.

no-

nomen, Principium, quantum ad id, à quo imponitur ad significandum videatur à prioritate sumptum, non tamen significat prioritatem, sed originem, non enim idem est, quod significat nomen, & à quo nomen imponitur. Verùm vt iam ex supradictis patet, & ex Arist. desumitur, huiusmodi primitas est de intrinseca ratione principij, & ex vi originis importatur. Vel enim origo est prima origo illius, quod originatur, & tunc principium imbibit primitatem; vel non est prima origo, & tunc neque est origo, quia ex vi originis formaliter negatur omnis anterioritas. Itaque dicendum videtur quod de ratione principij nõ est quod sit primum secundùm omnem rationem, sed solùm secundùm eam, qua principiat, ita vt solùm prout principium est, primum sit. Omnis autem causa est prima secũdùm rationem causæ, secundùm quam principiat, quamuis autem habeat aliam causam, à quo ipsa sit, hoc tamen non obstat primitati, quia prout habet aliam causam, non habet rationem principij, sed effectus, & ideò prout effectus est, non est prima, sed posterior, prout verò principiat, habet primitatem: Sic ergo licèt Petrus non sit primus respectu sui Patris, seu secundùm rationem filij, est tamen primus respectu sui filij, & secundùm rationem patris, vnde saluatur ipsius primitas, prout principium est.

Quomodo primitas sit de ratione principij.

Instãtia.

II. Verùm vrgeri potest hæc difficultas. Omnis causa in ratione causæ excepta prima, dependet à causa prima, & vniuersali, tamquam ab ea, cui essentialiter subordinatur, ergo neque adhuc secundùm illam rationem, qua principiat, & comparata ad suum effectum est prima, & proinde primitas non est de intrinseca ratione principij. Sed vt iam diximus principium requirit tantùm primitatem in suo genere, & secundùm illam rationem, qua principiat: vnde cum causa secunda principiet solùm in genere virtutis creatæ, sufficit ad saluandam eius primitatem debitam, quòd sit prima in genere virtutis creatæ, licèt autem dependeat à causa prima, non tollitur primitas in genere virtutis creatæ, quia dependet ab illa tamquam à causa increata, & vniuersali. Et accedit etiam, quòd ex vi subordinationis essentialis, quamuis vtraque sit totalis, est tamen tantum totalis in suo genere: vna quidem in genere causæ primæ, & altera in genere causæ secundæ, vnde constituunt vnam causam totalem simpliciter, & in omni genere; & proinde vnica etiam, atque indiuisibili actione operantur. Atque hinc colligitur, quomodo intelligendus sit Arist. supracit. quando in cap. 7. lib. 5. de Gener. animal. ait, quod principium nullam causam superiorem habet, non enim simpliciter negat omnem causam superiorem, sed illam tantum, quæ est in eodem genere, atque quod vt tale, scilicèt vt principium non habeat causam superiorem, & hoc solùm, vt diximus, est essentiale principio: si verò non haberet simpliciter aliquam causam supra se, tunc esset principium principiorum, & simpliciter primum, quod conuenit soli Deo.

Respõsio.

Principium solum est primum in suo genere.

Explicatur Arist.

Alia instantia.

III. Vrgeri autem adhuc potest eadem responsio, & est secunda difficultas. Effectus, vt effectus sunt, respectu suarum causarum non sunt primi, sed posteriores, vt iam diximus, & tamen respectu ipsarum sunt principia, nam ducunt nos in cognitionem ipsarum, vnde sunt principia cognitionis causarum, ergo neque adhuc primitas est de ratione principij. Sed in hac instantia committitur magna æquiuocatio, aliud enim est, quod effectus sint principia causarum, & aliud quod sint principia cognitionis causarum, cognitio enim causarum est aliquid realiter distinctum à causa, vnde ex eo quòd effectus sunt principia cognitionis causarum, non sequitur, vt sint principia causarum, hoc enim est impossibile loquendo de causis, prout causæ sunt, quia secundùm hanc rationem ijs repugnat habere principium. Cognitio verò causarum non est causa effectuum; sed effectus est illorum, ab ijs enim dependet in suo esse, & ideo est etiam quid posterius. Quocirca non sequitur, quòd aliquid posterius sit principium, aut quod non est primum sit principium. Et si instes, quod ipsum esse causæ, quoad cognosci dependet ab effectibus, & ab ipsa cognitione tamquam ab ea, per quam formaliter manifestatur intellectui, vnde adhuc effectus exercent rationem principij respectu causæ secundùm proprium esse consideratæ. Resp. quòd obiectum ex eo, quòd cognoscitur nullo pacto immutatur in se ipso, sed solùm consurgit relatio ad cognitionem, qua cognoscitur, quæ tamen non fit per aliquam progressionem, & ideò cum obie-

Respõsio.

Effectus sunt principia cognitionis causarum.

obiectum nullo pacto progrediatur, dum cognoscitur, à suo effectu, sequitur quòd effectus non sit principium causæ, quando cognoscitur per ipsum, & ideò negandum est, quòd interueniat illa ratio principij, quæ dicebatur.

Tertia difficultas. IV. Tertia difficultas est contra progressionem; Vnitas namque est principium numeri, & tamen non dicit connexionem cum cœteris vnitatibus, quæ neque ab ipsa progrediuntur, & est quid discretum. ergo progressio non est de ratione principij. Respondet Recentior quidam, quòd de ratione principij est tantùm extrinseca habitudo, non autem intrinseca, & quòd vnitas dicit extrinsecam habitudinem ad cœteras vnitates. (Reijcitur quædam responsio.) Verùm huiusmodi responsio destruit rationem principij. Debet enim intrinsecè participare rationem illam, per quam constituitur in esse principij; huiusmodi autem est habitudo progressionis, qua vnum ab alio progreditur, & principium per hunc ordinem constituitur, quemadmodum causa constituitur per ordinem ad effectum. Deinde non percipio, quid sit hæc habitudo extrinseca, quia si est realis, debet esse in aliquo ente reali; si verò rationis, non potest constituere principium reale. (Vera responsio.) Respondetur igitur, numerum, prout numerus est, essentialiter pendere ab omni vnitate; (Quomodo vnitas sit principiū numeri.) vnde qualibet ablata variatur numerus; dependet autem tanquam à partibus intrinsecè componentibus secundùm quam rationem vnitas principiat numerum, & ideò dicit secundùm hanc rationem intrinsecam habitudinem ad numerum, & numerus ab ipsa progreditur secundum hanc rationem, hoc est tanquam totum à sua parte componente.

(Quod nam sit correlatiuum principij.) V. Ex dictis autem colligitur, quod nam sit correlatiuum principij communiter enim docent, quòd non sit principiatum, sed ens à principio. Ita præcipuè D. Tho. 1. par. quæst. 93. artic. 1. (D. Th. Soncin.) Soncin. 5. Metaphys. quæst. 1. & communiter etiam Theologi. Rationem discriminis assignant, quia principiatum importat dependentiam, & ideò non potest poni in diuinis; Ens verò à principio non importat talem dependentiam, & ideò etiam in diuinis poni potest. Et quidem, si consideremus rationem propriam principij, solùm habet pro correlatiuo correspondente Ens à principio, quia propria ratio principij non connotat dependentiam in eo, quod ab ipso progreditur; verùm quia, vt diximus, non datur aliquod principium, quod etiā non sit causa, ideò correlatiuum principij de facto est principiatum, quamuis nō ex vi correlationis dicat dependentiam, & ideò quando transferimus ad productiones diuinas ad intrà rationem principij, transferimus etiam rationem correlatiui absque dependentia.

An principium sit prius suo termino. Disp. XLV.

Principium esse prius suo termino. Sect. I.
Explicantur nonnulla difficultates. Sect. II.

Principium esse prius suo termino.

SECTIO I.

I. Vidimus de ratione principij esse primitatem secundùm illam rationem, secundū quam principiat, ita vt secūdùm illam nō habeat aliud ante se, ratione cuius prius incipiat illa progressio; nunc inquirendum est, an etiam requirat prioritatē respectu illius, quod principiat. Negatiuam partem amplecti videtur D. Tho. 1. par. quæst. 33. artic. 1. ad 3. quem supra etiam citauimus, (Negatiua sententia D. Th. Durand.) qui ait, quòd licet principium dicatur à prioritate, non tamen significat prioritatem, sed originem. Sequitur etiam Durand. in 1. dist. 9. quæst. 2. & distinc. 20. quæst. item 2. Quam sententiam etiam Suarez probabilem putat in Metaph. disp. 12. sect. 1. (Suarez.) Econtra verò communiter asserunt principium ex intrinseca sua ratione importare prioritatem aliquam respectu illius, quod principiat, (Opposita sententia. Fonseca.) quam sententiam præsertim tradunt Fonseca 5. Metaph. cap. 1. quæst. 2. sect. 3. & Suarez citatus. num. 8.

II. Cum his igitur Dicendum est. Omne principium, quantùm est ex vi principij, vt sic, esse prius eo, cuius est principium aliqua prioritate, quæ cadat supra rationem, qua principiat. (Conclusio. principiū prius eo quod principiat.) Quod ex eo suadetur, quoniam principium saluari non potest, nisi vnum proueniat ab alio, & per se ab ipso consequatur. Progressio autem, & consequutio ex in-

trinseca sua ratione dicit, quòd progrediens sit post illud, à quo progreditur, & consequenter principium est ante illud, quod progreditur, & simul respectu illius dicit aliquam prioritatem. Et quemadmodum, quando aliquid antecedit tempore, est prius tempore, ita quando antecedit progressione, & consecutione, est prius secundùm progressionem, & consecutionem. Et hoc primò conuincitur ex modo nostro concipiendi: si enim quis concipiat principium, & diligenter attendat, experietur, quòd nequit illud concipere, nisi simul concipiat prioritatem aliquam, & antecessionem, qua principium aliquo pacto antecedat id, quod principiatur, si enim quod principiatur est à principio, ita vt ab ipso progrediatur, & per quandam transfusionem ab eodem habeat esse communicatum, oportet, vt concipiamus, quod principiatur, prius esse in ipso principio, deinde in seipso, alioquin nunquam concipiemus aliquid principiari.

Progressio importat prioritatem.

Secunda ratio.

III. Secundò declaratur. De ratione principij est, vt iam disp. praecedenti ostensum est, quòd dicat primitatem secundùm rationem illam, qua principiat, nec habeat aliquid aliud, quod ipsum antecedat. Econtra verò id, quod principiatur, non potest dicere, prout principiatur, hanc primitatem, imo cum opponatur principio, oportet, quòd dicat rationem oppositam; ratio autem, quae opponitur primitati, non potest esse nisi posterioritas, quia debet esse aliqua ratio, quae tollat primitatem; at per quid tollitur primitas, nisi per aliquid, quo constituatur in esse non primo, & posteriori? Si autem quod est à principio, esset simul cum ipso, sicuti principiũ est primum, ita quoque quod est ab ipso, esset primum, non autem consequens ad ipsum. Hinc autem est, quòd non possumus intelligere, *Esse ab*, nisi concipiatur anterioritas, & posterioritas. Hoc enim, *Esse ab alio*, dicit quemdam ordinem, qui non potest concipi, nisi cum aliqua prioritate, & posterioritate. Quod potest alia via confirmari. Quod est ab alio, intelligitur fieri extra ipsum, ita tamen, vt fiat extra ipsum ex vi illius, à quo est, vnde principium, cum ab illo fit, quod principiatur, oportet, vt habeat vim emittendi extra se hoc ipsum, quod principiat. At quomodo potest concipi, quòd habeat vim emittendi aliquid extra se, & illud emittat, nisi dicat aliquam prioritatem respectu illius? Et sicut inter causam, & effectum intercedit ordo progressionis, & dependentia cum prioritate, & posterioritate, ita etiam debet prioritas, & posterioritas aliqua interuenire inter principium, & id, quod principiatur, quia prioritas, & posterioritas inter causam, & effectum, nedum habetur ratione dependentiae, sed etiam ratione progressionis, & illius ordinis, qui intercedit inter vtrumque; hic autem ipse ordo, nempe cõsecutionis interuenit etiam inter principium & id, quod ab ipso est. Et vrgetur eadem ratio. Esse ab alio per talem consecutionem, nempe causationem importat talem posterioritatem in ipso, & in causa talem prioritatem, nempe naturae, ergo esse ab alio per consecutionem vt sic, praescindendo à tali, vel tali modo consecutionis, importat ex genere suo prioritatem, & posterioritatem vt sic, quia quod dicit species determinato modo, debet etiam dicere genus modo indeterminato, haec est enim proportio, quae seruari debet inter genus, & speciem; ergo si consecutio ex genere suo dicit prioritatem, & posterioritatem, omnis consecutio ex vi generis dicet semper aliquam prioritatem, & posterioritatem. Et hoc declaratur exemplo causae efficientis, quia enim effectus debet accipere existentiam ab ipsa, tanquam à producente, oportet, vt secundùm existentiam saltem prioritate naturae praecedat effectum, ergo cum etiam illud, quod principiatur, ita sit à suo principio, vt accipiat ab ipso id, secundum quod principiatur, oportet, vt principium ipsum praecedat aliquo modo cũ tota ratio, cur causa efficiens debeat praecedere effectum secundùm existentiam, sit, quia effectus debet ab ipsa accipere existentiam.

Ens à principio dicit oppositam rationem primitati, seu primitatis.

Confecutio importat prioritatem.

Explicantur nonnullae difficultates.

SECTIO II.

I. VT magis traditam doctrinam de prioritate principij confirmemus, nonnullae difficultates explicandae sunt, quae huiusmodi prioritatem destruere videntur. Et prima quidem est contra id, quod dicebamus, quod scilicet ordo consecutionis, & progres-

Prima difficultas.

sio-

sionis, qui est inter principium, & id, quod est à principio, inferat prioritatem, & posterioritatem, nam etiam in diuinis attributa dicunt ordinem adinuicem, & tamen vnum non est prius altero, ergo non omnis ordo infert prioritatem, & posterioritatem. Præterea principium, & id, quod ab ipso est, sunt correlatiua, at inter correlatiua non interuenit prioritas, & posterioritas; sunt enim simul natura, vndè neque inter principium & id, quod ab ipso est, interuenire potest. Tertia quoque difficultas oritur ex processionibus diuinis, Filius enim procedit à Patre, & Spiritus sanctus ab vtroq; tanquam à principio, & quamuis ratio principij, quæ est in creatis, non sit in Deo, sed aliquid supereminentius, illud tamen nos concipimus, illi adaptando rationem formalem principij; neque tamen tribuimus aliquam prioritatem, quia in Deo non reperitur prioritas, & posterioritas iuxta illud, quod habetur in Symbolo Athanasij: *Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil maius, aut minus, sed tota tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Deniquè, forma est principium generationis, vndè collocatur ab Arist. & ab omnibus inter principia rerum naturalium, & non est prior generatione, cum sit terminus illius. Ex his ergo videtur suaderi posse, quòd prioritas non sit de ratione principij, sed sine ipsa posse saluari, vt in his casibus saluari videtur.

Secunda.

Tertia.

D. Athanas.

Quarta.

II. Nihilominùs tamen propter has difficultates non est discedendum à communi doctrina, quam sect. præcedenti tradidimus, cum præsertim non multo negocio dissolui possint. Ad primam ergo difficultatem dicitur, quòd diuina attributa nullo modo à parte rei distinguuntur, sed solùm à nobis concipiuntur tanquam distincta cum aliquo fundamento in re, & quamuis Scotistæ ponant distinctionem ex natura rei præcedentem operationem intellectus, communis tamen opinio est in contrarium, & si res attentè consideretur, Scotistæ non ponunt maiorem distinctionem, quàm sit distinctio rationis, cum fundamento intrinseco ipsi obiecto, in quo est distinctio; quam vocant ex natura rei præcedentem operationem intellectus, quatenus fundamentum præcedit, ad differentiam illius distinctionis, quæ sine vllo fundamento fingitur ab intellectu, vndè ipsi vocant distinctionem, quod alij vocant fundamentum distinctionis, quod an rectè dicatur infrà suo loco expendemus. Interim nobis sufficit, quòd, quocunque modo ponatur ista distinctio, non est maior vno modo, quàm alio; imò addimus, quod fortasse neque tanta distinctio interuenit inter diuina attributa. Cum ergo prioritas, & posterioritas fundetur in distinctione, seu potiùs in rebus distinctis, ita vt distinctio sit necessaria conditio, sequitur quòd eo modo, quo potest interuenire distinctio, possit etiam interuenire prioritas, & posterioritas; vndè cum diuina attributa in re non distinguantur, nequè in re habent prioritatem, & posterioritatem, sed sicuti solùm ratione distinguuntur, ita etiam solùm secundùm rationem sunt priora, & posteriora; & hinc est, quòd possumus vnum attributum inferre à priori ex altero per demonstrationem procedentem à causa virtuali. Nequè hæc prioritas, & posterioritas repugnat in Deo, sicuti neque repugnat distinctio: quia cum dicitur, quòd in Deo nihil est prius, aut posterius, debet intelligi de prioritate, & posterioritate reali ante operationem intellectus. Scotistæ verò admitterent prioritatem, & posterioritatem ex natura rei, quam negarent repugnare Deo, sicuti neque repugnat distinctio ex natura rei.

Ad primam.

Diuina attributa in re neq; habēt prioritatem neque posterioritatem inter se.

III. Ad secundam difficultatem dicendum est, quòd in principio duo possunt considerari, nimirum ratio secundùm quam principiat, per quam constituitur id, à quo aliquid progreditur; atquè relatio, qua refertur ad id, quod ab ipso progreditur. Si hoc secundo modo principium accipiatur, certum est, quòd est simul natura cum eo, quod ab ipso progreditur, nec dicit aliquam prioritatem respectu ipsius, relatiua enim sunt simul natura, nec vnum prius altero. Verùm si primo modo accipiatur, quia tunc non dicit relationem, sed fundamentum relationis, priùs enim concipimus aliquid esse à principio, deinde dicere relationem, & idcircò priùs etiam concipimus rationem principiatiuam; non debet esse simul natura cum eo, quod principiatur, sed exigit prioritatem naturæ, vtpotè quia ab ipsa progreditur id, quod principiatur. Hinc principium secundùm vnam ra-

Ad secundam.

principium secundum cum principiatiuũ prius est.

tionem est prius, secundùm alterum vero non est prius.

Ad tertiam. Triplex genus prioritatis.

IV. Pro solutione autem tertiæ difficultatis adnotant communiter Theologi, quod triplex genus prioritatis, & consequenter etiam posterioritatis, reperitur. Alia enim est prioritas temporis, in qua aliquid secundùm tempus aliud præcedit. Alia verò est prioritas Naturæ, in qua nullum quidem datur tempus, in quo res præcedat, sed tamen possumus eam concipere in aliquo signo, in quo non sit illud, quod posterius est, & in qua non valet conuertentia secundùm subsistendi consequentiam, vt Arist. docet in postprædicam. Cap. de Priori: dum assignans secundum modum prioritatis, inquit. *Secundò autem, quod non conuertitur secundùm subsistendi consequentiam, vt vnum duobus prius est; duobus enim existentibus mox vnum esse consequens est; vno vero existente, duo esse non necessarium est, quare non conuertitur ab vno consequentia, vt reliquum sit. Prius autem illud esse videtur, à quo non conuertitur eius, quod est esse, consequentia.* Sic etiam continget hæc eadem prioritas, si ponitur causa, quæ in eodem instanti, quo ponitur in actu, habeat etiam effectum; tunc enim effectus, & causa sunt simul tempore, causa verò prior natura, quia ex eo, quòd sit causa, non licet inferre, quod sit effectus, ex eo verò quòd sit effectus, licet inferre, quòd sit causa. Denique alia est prioritas originis, qua vnum originatur ab alio. Hoc est autem discrimen inter prioritatem naturæ, & prioritatem puræ originis, quod in prioritate naturæ illud, quod est prius, potest concipi in aliquo signo sine eo, quod est posterius; imò cum negatione illius, quantum est eo natura sua, & proinde non valet ab ipso conuertentia secundùm subsistendi consequentiam ad illud, quod est posterius, neque quod est posterius, est aliquo pacto de conceptu prioris. At in prioritate originis res contrario modo se habet, quia quod est prius, non potest in aliquo signo concipi sine eo, quod est posterius origine, nec cum negatione ipsius, atque quod est posterius, est de conceptu prioris tanquam terminus, cuius rei tota ratio est, quia hæc prioritas, & posterioritas fundatur in actuali originatione, ex vi cuius, quamuis principium intelligatur prius, intelligitur tamen habere essentialiter annexum terminum originationis. Principium igitur, quando non dicit essentialiter actualē originationem, habet prioritatem naturæ respectu illius, quod principiat, quando verò dicit essentialiter actualem originationem habet solùm puram prioritatem originis. Hinc autem fit, quòd in diuinis, quia principium dicit actualem originationem essentialiter, interueniat sola prioritas originis. Hinc Pater est prior origine Filio, & Pater, & Filius priores origine Spiritu sancto. Et cum in Symbolo D. Athanas. excluditur prioritas, & posterioritas, intelligitur tantùm de ea, quæ importaret inæqualitatem in perfectione, & duratione, vt colligitur ex ipso Symbolo, nam cum excluditur huiusmodi prioritas, & posterioritas redditur ratio huius exclusionis, dum dicitur, *Sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.*

Arist.

prioritas naturæ.

Prioritas originis.

Quę prioritas, & posterioritas à Deo excludatur.

V. Denique ad vltimam difficultatem dicendum est, quòd forma eo pacto, quo est principium generationis, est etiam prior generatione. Imprimis ergo est principium generationis in intentione, & tanquam finis, & hoc pacto est etiam prior generatione, quia generatio dependet ab ipsa tanquam à causa finali mouente agens. Rursus est etiam generationis principium in executione, prout generatio mutatio quædam est, & hoc pacto etiam est prior generatione, quia facit, quòd subiectum mutetur, & aliter se habeat, vnde mutatio dependet à forma tanquam à causa formali propter cuius exhibitionem subiectum mutatur. Est etiam principium generationis, prout generatio est fieri compositi, & hoc quoq; modo est prior generatione, quia compositum dependet in fieri ab ipsa forma tanquam à causa formali. Prout verò est terminus generationis non est principium generationis, si generatio consideretur, vt est fieri formæ quoniam terminus opponitur principio, & ideo nec debet secundùm rationem termini esse prior generatione.

Quomodo forma sit principium generationis.

An principium ex vi sui conceptus dicat aliquid positiuum. Disp. XLVI.

Communis sententia, & quædam adnotationes. Sect. I.
Rationem formalem principij dicere aliquid positiuum. Sect. II.

Communis sententia, & quædam adnotationes.

SECTIO I.

I. Loquimur de conceptu obiectiuo, qui nihil aliud dicit, quàm illud, quod per nostram cognitionem repræsentatur, prout repræsentatur, dum aliquid intelligimus, & inquirimus, an principium ex vi huius conceptus importet aliquid positiuum, quod idem est, ac si inquiratur, an ratio propria principij formaliter sit quid positiuum. Ex quo sequitur, quòd quæstio procedat de principio propriè dicto, nō de metaphorico, quia vbi est ratio formalis alicuius rei, ibi quoque ipsa secundùm omnem proprietatem reperitur. Illud autem in hac difficultate certum est, quòd hæc ratio formalis principij non est aliquod ens rationis fictum ab intellectu, quia licet aliqua principia sint talia per fictionem intellectus, plura tamen reuera à parte rei cum independentia ab intellectu sunt talia, vnde participant rationem formalem principij, per quam vnum reuera progreditur ab alio per veram, & realem progressionem. De hac ergo ratione vera principij inquirimus, an importet reale positiuum.

Tit. quæstionis.

II. Hæc quæstio non solet ex professo à Doctoribus agitari, sed dum de priuatione agunt, docent communiter, quod non dicit principium in communi aliquid positiuum, sed aliquid abstrahens à positiuo, & negatiuo, reale tamen, quod sit à parte rei nemine cogitante. Fundant autem suam sententiam in eo, quod priuatio non dicit aliquid positiuum, & tamen est verum, & reale principium rerum naturalium, & vt tale ponitur ab Arist. vnde oportet, quòd principium dicat aliquid reale abstrahens à positiuo, & negatiuo. Ita fundant hanc suam sententiam, seu potius id dicunt, vt defendant, quomodo priuatio sit principium mutationis realis, cum tamen sit quid negatiuum. Afferunt etiam exemplum de puncto, & Aurora, nam inquiunt; Punctum est principium lineæ, Aurora principium diei, & tamen in ratione principij non se habent positiuo modo, cum nihil influant, ergo principium, quantum est ex vi suæ rationis formalis, non dicit aliquid positiuum.

cōmuni. sent. ētia Non dicere aliquid positiuū.

III. Vt autem hanc suam sententiam explicent aduertunt, quòd negationes, & priuationes, quamuis non dicant aliquam rationem entis, adhuc tamen sunt aliquid reale, quatenus scilicet reuera sunt à parte rei nemine cogitante, & proinde illas appellant realia, non entia. Quod tamen verum non existimo, & hoc alibi discutiemus, de quo etiam nonnulla diximus supra, vbi ostendimus, quòd non datur aliqua ratio entis, siue realitatis præscindens à negatiuo, & positiuo. Sed quicquid de hoc sit, certum hoc est, quòd quamuis admittantur esse quid reale, diuerso modo tamen Realitas dicetur de ente positiuo, ac de hoc reali non esse, seu negatione, & priuatione. Ens enim positiuum dicitur reale, quia reuera est aliquid in seipso; negationes verò, & priuationes, si dicantur reales, solùm possunt dici tales, quia reuera sint negationes, & priuationes, nec prorsus ab intellectu fingantur, non autem quia sint aliquid in seipsis. imò potius dicuntur reales ratione termini, quem tollunt, qui semper est aliquod ens reale. Atque hinc elicitur res maximæ considerationis, nimirum, quòd si quis tribuit esse reale his negationibus, atque priuationibus, debet tale esse reale tribuere, quod opponatur esse reali, quod dicit ens positiuum, quia sicuti negationes tollunt ens positiuum secundùm suum esse reale; ita etiam oportet, quod tali esse reali opponantur, quod fieri non posset, nisi realitas negationis opponeretur realitati entis positiui; quod tamen, quam rectè dicatur, non est hic discutiendum.

Quomodo ponātur priuationes reales.

Priuationes in esse reali opponantur enti positiuo

IV. Ex hoc autem sequitur, vt non possit dari aliquid commune negatiuo, & po-

Nihil cōe negatiuo & posit.

& positiuo, siue ponatur vniuocum, siue analogum, dummodo tamen sit aliquid, quod debeat intrinsecè participari ab vtroque. Et ratio manifesta est, quoniam quicquid commune est, siue sit analogum, siue sit vniuocum, ponit semper aliquam conuenientiam, & aliquam vnitatem, sine qua non potest consistere ratio communis, cum enim ratio communis sit saltem aliquo modo vna, atque sit participabilis à pluribus, necessarium est, vt dum participatur, ponat inter participantia conuenientiam, & similitudinem, quæ sit secundùm prædicata essentialia, ex vi cuius, quæ conueniunt, participent idem prædicatum quidditatiuum. Huiusmodi autem conuenientia reperiri non potest inter negatiuum, & positiuum, siquidem conuenientia est ex genere suo positiua quædam ratio, & debet fundari in ratione entis positiui, & ideò nullo modo in negationibus reperiri potest. Præterea si aliquid commune posset admitti inter negatiuum, & positiuum, esset conuenientia in esse reali; verùm neque hæc admitti potest, quia si tribuitur huiusmodi realitas negationi, erit adhuc diuersa à realitate entis positiui, imò opposita, vt iam adnotauimus, cum tollat esse reale entis positiui. Quamobrem tanquam certissimũ tenendum est, quòd non possit dari aliquid commune positiuo, & negatiuo. Quo stante videndum est, an ratio formalis principij dicat aliquid positiuum.

Cõuenientia ex genere suo aliquid positiuum.

Rationem formalem principij dicere aliquid positiuum.

SECTIO II.

I. QVamuis communiter censeant principiũ non dicere aliquid positiuum necessariò; ego tamen existimo, quòd eius ratio formalis ex genere suo importet conceptum positiuum, ita vt impossibile sit, eam saluari per aliquid, quod non sit positiuum, neque nisi rationibus efficacissimis moueor, vt hanc sententiam sequar; quarum prima est. Ratio principij communissimè sumpti, prout dicit progressionem, qua vnum ab alio progreditur, inuoluitur in constitutiuo causæ, ergo necessariò dicit aliquid positiuum. Anteced. est certum apud omnes, quia causa est etiam principium, & solùm addit supra rationem puram principij, quòd effectus progrediatur ab ipsa cum dependentia, & verè effectus progreditur à causa, ita vt causa sit id, à quo aliquid progreditur, & desumitur etiam ex Arist. 5. Metaphys. cap. 1. vbi inquit, quòd tot modis causæ dicuntur, quot dicuntur principia, & assignat rationem dicens: *Omnes namque causæ principia*, & proinde videmus, quòd principium prædicatur de causa in recto, quod non contingeret, nisi principium esset de quidditate ipsius. Consequentia etiam mihi videtur euidens, quia omnis ratio, quæ tanquam constitutiuum inuoluitur in aliquo ente positiuo, necessariò debet esse positiua, tum quia positiuum non potest constitui per non positiuum; tum quia omnis ratio determinata, quæ intrinsecè ab ente positiuo participatur, est inferior ente communissimo positiuo, vndè sub ipso continetur, & proinde ratio entis positiui in ipsa imbibitur, quia transcendit per omnes rationes, quæ in ente positiuo reperiuntur vsque ad vltimum; & ideò quicquid in ente positiuo reperitur, vt constitutiuum illius, necessariò est positiuum propter transcendentiam entis, quæ per omnes rationes transcendit.

Principiũ ex genere suo dicit aliquid positiuum.

Ratio principij inuoluitur in constitutiuo causæ.

II. Responderi tamen posset, quòd Ratio principij est quid analogum, & ideò dum est in ente positiuo est quid positiuum, dum verò est in ente negatiuo est quid negatiuum. Verùm non potest huiusmodi responsio subsistere; nam inquiro, an huiusmodi ratio principij ponat conuenientiam, siue analoga sit hæc conuenientia, siue vniuoca, dum reperitur in ente positiuo, & negatiuo; an verò non ponat. Non potest dici, quòd ponat conuenientiam, quia iam vidimus sect. præcedenti, quòd inter positiuum, & negatiuum nulla potest interuenire conuenientia, cum se totis ita opponantur, vt se inuicem destruant. Si verò non ponit conuenientiam, vt necessariò dicendum est, ergo neque vera ratio principij reperietur in ente negatiuo, quia fieri non potest, quòd ratio aliqua in pluribus reperiatur, & quòd non ponat conuenientiam aliquam. Præterea quando aliquid secundùm quemcumque modum reperitur in pluribus, ponit conuenientiam inter illa nedum secundùm rationem illam com-

Excluditur responsio.

munem,

Conueniē tiā in ratione aliqua supponit cōuenientiā in ijs etiā quæ in ipsa imbibuntur.

munem, sed etiam secundum totum, quod imbibitur in tali ratione communi, quia videlicet ratio cōmunis trahit semper secum rationes illas, quæ in ipsa imbibuntur, præsertim tanquam superiores, sic non possunt aliqua conuenire in ratione viuentis, nisi etiam conueniant in ratione substantiæ, ratio enim substantiæ inuoluitur in ratione viuentis; sic ergo non poterunt aliqua conuenire in ratione principij, ita vt ratio principij reperiatur in ipsis, nisi etiam simul reperiantur rationes illæ, quæ imbibuntur, in ratione principij tanquam rationes superiores; modò ratio principij, quæ est in causa, imbibit rationem entis, atque intimè includitur in ipsa, ergo in nullo alio reperiri potest, nisi simul cum ratione entis reperiatur, & cum in ente negatiuo nullo pacto possit esse ratio entis positiui, neque etiam poterit esse ratio principij. Tertio reijcitur eadem responsio, quia si semel ratio formalis propria principij petit imbibere rationem entis, vt contingit, quando reperitur in ente positiuo, id semper, & ex necessitate exiget, quæ enim conueniunt rerum essentijs, semper, & ex necessitate conueniunt, ita vt oppositum implicet; ex hoc autem fit, quòd nunquam possit dari aliquod principium participās veram, & propriam rationem principij, quod non participet etiam simul cum ipsa rationem entis positiui. Neque dici potest, quòd sit alia ratio principij, quæ in ente negatiuo non sit quid positiuum, quia iam probatum est, quòd ratio principij vt sic ex vi sui generis dicit aliquid positiuum, cum concurrat ex parte sua ad constituendum aliquod ens positiuum, & ab intrinseco suo petat imbibere rationem entis, & si aliqua alia ratio ponitur, iam non erit amplius ratio formalis principij, sed aliqua alia, cum omnis diuersitas in his rationibus variet ipsas totaliter. Vnde vlterius infto, quando ratio substantiæ importata per nomen est omnino diuersa, non adest analogia, sed æquiuocatio; analoga entia habēt rationem substantiæ partim eamdem, partim diuersam, ablata autē conuenientia secundum esse positiuum, aufertur etiam omnis conuenientia, & ponitur omnimoda diuersitas; vnde falsum est, quod dicebatur rationem principij analogico modo reperiri in ente positiuo, & negatiuo.

Quæ semel sunt intrinsecè positiua, semper sūt talia.

III. Atque si huiusmodi doctrina admitteretur, possunt multa fingi, & defendi, quæ absurdissima sunt; quis enim vetaret dicere, quòd homo ex vi suæ rationis formalis non sit quid positiuum, sed quòd datur etiam homo realis negatiuus. quòd si quis vrgeret, quòd homo, prout est quædam species animalis, est quid positiuum posset responderi, quòd ratio formalis hominis est quid analogicum, quæ quando reperitur in ente positiuo, est positiua, quando verò reperitur in ente negatiuo, est negatiua; & hoc modo philosophari possemus circa quamcunque aliam rationē, quod quàm absurdum sit, est per se manifestum. Et possumus hanc doctrinam vrgenti ratione falsitatis conuincere. Nam sicut datur ens, quod ab intrinseco suo reale est, & positiuum, ita vt nequaquam possit esse negatiuum, ita etiā debent dari rationes determinatiuæ huius entis, quæ ex genere suo ita sint positiuæ, vt nullo pacto possint esse negatiuæ, quæ correspondeant enti positiuo vt sic; hæ autem nullæ aliæ esse possunt, nisi illæ, quæ ex natura sua determinatæ sunt ad determinandum, & contrahendum ens vt sic, vt in hoc quoque seruent proportionem cum ipso; modo ratio principij est ex natura sua determinata, vt constituat tale ens positiuum, siquidem reperitur in ente positiuo qualis est causa, & cum omnia essentialia ex necessitate sint talia, qualia sunt, sic quòd ratio principij sit ex necessitate contractiua entis positiui ad tale esse positiuum, vt nullo pacto negatiua esse possit. Et hinc elicitur efficax confirmatio; quod semel continetur sub ente positiuo, non potest transire ad non ens, ita vt sit aliqua species illius, nec econtra quod semel est non ens, potest transire ad esse entis, & ratio est, quia nihil potest relinquere suam essentiam, & transire ad aliud, tali namque pacto destrueretur. Si igitur semel ratio formalis principij est positiua, & reperitur sub ente, non potest transire ad non ens, & fieri non positiua, quia tali pacto destrueretur, nec esset amplius ratio principij.

Rationes contractiuæ entis necessario positiuæ.

Quod semel est positiuū nō potest esse non positiuum.

IV. Alio etiam modo principali argumento responderi posset. Quòd scilicet ratio principij communissimē sumpta abstrahit ab esse positiuo, & negatiuo: & ideo potest ad vtrumque de-

scen-

scendere, & fieri modo positiua, modo negatiua. Cæterum hæc quoque responsio improbabilissima est: supra enim disputatione 26. ostendimus, quòd non potest dari aliquid, quod præscindat à positiuo, & negatiuo, & consequenter nec etiam ratio principij. Deinde si ratio principij abstraheret ab esse positiuo, & negatiuo esset quid superius ente, siquidem ens vt sic cōmunissimè sumptum importat aliquid positiuum, ex quo sequitur, vt principia positiua prius essent principia, quàm essent entia vnicuique enim prius conuenit ratio superior, quàm inferior, & consequenter ratio principij nō constitueret tale ens, neque contineretur sub ente vt sic tanquam ratio coarctatiua illius, quæ omnia falsissima sunt. Rursus si ex genere suo non esset quid positiuum, neque posset ex genere suo concurrere ad construendum aliquid positiuum, & principia realia positiua, vt principia sunt, non essent positiua, quod absurdum est. Imo ex hoc sequitur, quòd neque possint esse positiua, vt talia principia sunt. ratio enim talis principij fundatur in ratione principij vt sic, & est coarctatiua illius, & cum positiua sit imbibit rationem entis, quomodo autem potest coarctare rationem, quæ non sit positiua, aut quomodò potest fundari in illa? Accedit pro confirmatione, quod ratio principij vt sic, est quædam inchoatio cuiuscunque principij determinati, vnde est etiam inchoatio principij positiui, at quomodo posset principium positiuum inchoari per aliquid non positiuum? nulla certè maior implicantia excogitari potest, quàm quòd aliquid positiuum, inchoetur per aliquid non positiuum. Rursus confir. rationes communes identificantur cum inferioribus, vnde etiam ratio principij vt sic cum ratione talis, vel talis principij; quomodo ergo ratio principij vt sic identificatur cum principio reali, & positiuo, & non est quid positiuum? quando enim abstrahitur, oportet, quòd abstrahatur simul cum ratione entis positiui, quia talis ratio entis intimè includitur in quacunque ratione, quæ ab entitate positiua præscinditur.

Ratio principij vt sic nō abstrahit à positiuo, & negatiuo.

Secunda ratio.

V. Secunda ratio principalis pro nostrâ sententia desumitur ex eo, quòd possumus Deo tribuere rationem principij, quatenus ea, quæ sunt in Deo intelligimus per species rerum creatarũ. Si autem ratio principij est talis naturæ, vt possit Deo tribui, oportet vt ex genere suo sit positiua; quia licet tribuatur Deo ratio talis principij, tamen simul etiam tribuitur ratio principij vt sic, sine qua non potest stare ratio talis principij. Sequela autem in eo fundatur, quod in Deo non potest aliquid poni, quod non sit positiuum, quia est summa perfectio, & ens infinitum, & ideo nihil dicit, quod non sit reale positiuum. Quod etiam confir. Quoniam in creaturis duo genera perfectionum reperiuntur; aliæ enim sunt perfectiones, quæ ex genere suo nullam habent annexam imperfectionem, vt esset intelligere, amare, & aliæ huiusmodi. Aliæ verò habent annexam imperfectionem aliquam ex genere suo, vt est ratio corporis, & similes aliæ. Hoc autem est discrimen inter has perfectiones, quòd quando eas desumimus à creaturis, & tribuimus Deo, eas tantum possumus ipsi adscribere, quæ ex genere suo nullam dicunt imperfectionem, sed solam perfectionem, quæ vocantur perfectiones simpliciter simplices, quæ verò ex genere suo habent annexam aliquam imperfectionem, nullo pacto possunt attribui Deo. Cum igitur ratio principij tribuatur Deo, oportet, vt ex genere suo nullam habeat annexam imperfectionem, sed dicat solam perfectionem, & quomodo id posset saluari, si ratio principij ex genere suo non esset quid positiuum? perfectio enim ex genere suo dicit quid positiuum. nec vllo pacto in non positiuo saluari potest, seu in eo quòd abstrahat à positiuo.

In Deo nihil nisi reale positiuum.

Quæ perfectiones creaturarum possint Deo adscribi.

VI. Et possumus tertiam rationem instruere argumentando ex natura principij, seu ex eo, quod dicit ratio formalis ipsius. Progressio namque, quam formaliter dicit principium, per quam vnum est ab alio, loquendo de actuali principiatione, seu si loquamur de principio in actu primo vis principiatiua, à qua aliquid potest progredi importat aliquod positiuum; ergo ex natura sua principium, & ex vi sui esse formalis dicit aliquid positiuum. Anteced. in quo tota vis consistit declaratur; progressio, qua vnum ab alio progreditur est aliquid positiuo modo se habens, siquidem dicit aliquid positiuum, quod progrediatur, quòd etiam concedunt ij, qui cen-

Tertia ratio.

Progressio ex natura sua aliquid positiuũ.

censent, quod principium non dicat necessariò aliquid positiuum, si ergo quod progreditur, est aliquid positiuum, non potest nisi positiuo modo progredi, atque adeo per progressionem positiuam, sicuti enim actio, quia ordinatur ad terminum, specificatur ab ipso, & si terminus est positiuus, actio quoque est necessariò positiua, ita etiam cum progressio ordinetur ad id, quod progreditur, & se habeat quasi ad modum actionis, oportet, vt sequatur eius naturam, vnde si quod progreditur est positiuum, progressio quoque erit necessariò positiua. Verùm progressio positiua necessariò debet esse à principio positiuo, seu à ratione principiatiua positiua, debet enim seruari debita proportio inter progressionem, & id, quod ab ipsa est, quemadmodum debet etiam seruari inter actionem, & principium ipsius, ita vt non possit actio positiua esse à principio non positiuo, vnde non solum actualis principiatio, sed etiam principium in actu primo debet esse aliquid positiuum. Et quemadmodum causa ex eo est aliquid positiuum, quia ab ipsa prouenit effectus positiuo modo, ita etiam principium debet esse aliquid positiuum, quia quod ab ipso prouenit positiuo modo originatur.

Aliquorum responsio.

VII. Respondent quidam ad principium sufficere, quòd aliquid positiuum sit ab ipso, hec esse necessarium, vt in se sit aliquid positiuum; vnde solum ex necessitate est connotatiuè positiuum. Verùm ratio facta, atque etiam aliæ supra adductæ conuincunt, quòd principium in seipso debeat esse aliquid positiuum, quia si progressio actualis debet esse positiua ex eo, quòd tendit ad aliquid positiuum, etiam id, à quo est progressio, debet esse positiuum, neque enim positiua progressio, sine qua non potest subsistere principium, potest esse à non positiuo, debet enim, vt diximus, seruari debita proportio inter progressionem, & id, à quo ipsa est, & quemadmodum modus causationis sequitur naturam causæ, ita etiam modus principiationis sequitur naturam principij, quare si modus principiationis est positiuus, etiam ipsa natura principij debet esse aliquid positiuum. Confir. Ex vi originationis, id, quod originatur connectitur cum eo, à quo originatur, & dum interuenit actualis originatio,

Impugnatur.

implicat, quòd non interueniat huiusmodi connexio, ex vi cuius id, quod originatur, & quod originat se inuicem interant; at quomodo si principium non esset ens positiuum, posset connecti cum positiuo? nulla enim connexio interuenire potest inter positiuum, & non positiuum, cum sint contradictoria se inuicem destruentia. Præterea si principium debet esse saltem connotatiuè positiuum hoc est connotare aliquid positiuum, oportet, vt in seipso dicat talem connotationem, quæ habeat pro termino aliquid positiuum; cum autem connotatio habeat terminum positiuum, oportet, vt ipsa quoque sit positiua, at quomodo potest reperiri connotatio positiua in eo, quod positiuum nõ est? Dein de in quonam fundatur huiusmodi connotatio cũ.n. reperiatur etiam in principiis positiuis fundata in ratione positiua principiandi, oportet, hoc ipsum fundamentum concedere in omni principio, sicut etiam reperitur eadem connotatio, Immò sicuti in principijs positiuis hęc connotatio non sufficit ad saluandam rationem formalem principij, sed vlterius requiritur aliquid aliud positiuum, ita in nullo principio sufficiet, sed semper requirentur eadem intrinseca, atq; essentialia requisita.

Connotatio termini positiui requirit in principio fundamentũ positiuũ.

VIII. Rursus tamen aliquis respondere poterit, Id verum esse, si loquamur de principio influente; dari verò quędam principia non influentia, quæ non requirunt aliquid positiuum. Verùm quicquid sit, an possit dari principium aliquo modo non influens, quia si datur, id solum reperitur in priuatione, de qua agemus suo loco; nunc nos non arguimus ex influxu, vel non influxu principii, sed ex natura ipsius, quæ consistit in progressione, sine qua non potest saluari principium; huiusmodi autem progressio, cum ordinetur ad aliquid positiuum, necesse est, vt in seipsa quoque sit positiua, progressio autem positiua non potest esse nisi à positiuo principio. Præterea principium, siue influat, siue non influat debet, dicere habitudinem ad id, quod ab ipso est, cum essentialiter sit alicuius rei principium, ita vt constituatur per hanc habitudinem; verùm cum id, quod est à principio, sit quid positiuum, oportet, vt habitudo quoque, quæ ad ipsum terminatur, sit positiua, habitudines enim specificantur à suis terminis, &

Alia responsio excluditur.

Habitudo principij ad terminũ positiua.

quales sunt termini; tales quoque sunt habitudines. Igitur cum habitudo principii ad terminum sit positiua, & constituatur in suo esse per talem habitudinem, oportet, vt ex genere suo dicat aliquid positiuum,

4. ratio. IX. Denique argumentor. Ratio formalis principij saltem in rebus positiuis dicit aliquid positiuum, ergo simpliciter, & ex genere suo debet aliquid positiuum importare. Antecedens est certum, quia, vt supra dicebamus, quicquid est in entitate positiua, est positiuum, quia ens intimè imbibitur in vnaquaque ratione entis positiui. Consequentia igitur ostenditur. Si enim daretur aliquod principium, quod non esset positiuum; quæro de ipso, an participaret rationem principij formalem, quam participat principium positiuum, an verò non participaret. Primum non potest dici, quia cum sit negatiuum, non potest participare quicquam positiuum, se enim inuicem destruunt negatiuum, & positiuum; vnde necessariò admittendum est secundum, quòd scilicet non participet illam rationem formalem principij, quam participat principium positiuum, & ex hoc concluditur, quòd præter principium positiuum nullum aliud possit dari principium, quia scilicet vna est tantùm ratio formalis cuiuscunque rei, & vbi ipsa non reperitur, neque reperitur, quod per illam constituitur. Si ergo in principio negatiuo non reperitur ratio formalis principij, quæ est in principio positiuo, neque propriè erit principium; vnde restat, quòd ratio principij ex genere suo sit positiua, quandoquidem non potest dari aliquod principium, quod sit verè tale, & non sit positiuum.

(Left margin: R ô principij in reb. positiuis positiua, & ô sequ ter sẽper)

Ad fūdamentum opposit. X. Fundamentum autem oppositæ sententiæ tangit difficultatem de priuatione, an, & quomodo priuatio sit principium, quæ non ita facilè expediri potest, est enim res longioris disputationis. Et ex his, quæ modò dicta sunt, sequi videtur; quòd non debeant poni principium propriè dictum, id enim conuincunt rationes supra adductæ. Itaque si ponitur principium, excogitandus est aliquis modus diuersus, quo possit esse principium, ita tamen, vt non participet intrinsecè rationem principij, de quo alibi disputandum est. Ne tamen interim difficultatem effugere videamur, dicimus, quòd priuatio dicitur mutationis principium, seu rerum naturalium in fieri, non quia mutatio, prout est aliquid positiuum, sit ab ipsa, sed quia ex recessu priuationis aduenit forma, per quam subiectum aliter se habet positiuè, ac se habebat antea; vnde priuatio est principium mutationis, veluti consequutiuè, hoc est, quia ex eius abscessu consequitur verum principium mutationis, quod est forma. Hinc autem est, quod Arist. definiuit coniunctim principia naturalis transmutationis, vt in text. 32. lib. 1. Phys. dum ait *principia neque ex alterutris esse, neque ex aliis, sed ex his omnia*, quia scilicet hæc definitio principij non poterat singulis seorsim competere, cum priuatio à subiecto recedens nō sit principium ex se, sed prout habet annexum aduentum formæ, & in tex. 66. docet priuationem esse principium per accidens. Vt autem priuatio tali pacto sit principiū, non debet intrinsecè participare rationem principij, cum potius sit principiū per quandam extrinsecam determinationem. Et hoc interim dictum sit, quoad vsque rem totam melius alibi examinemus. Quòd verò spectat ad illa exẽpla de puncto, & Aurora, dicimus, quòd ea ratione, qua sunt principia, etiam positiuo modo se habent, nam supposito, quòd dentur puncta realia, punctum erit principium lineæ tanquam aliquid de ipsa linea, ex quo componatur, & ideò erit principium tanquam constitutiuum intrinsecum positiuum, & hoc pacto linea ab ipso progredietur. Similiter etiam aurora est principium diei, prout dies in ipsa incipit, tanquam in prima illuminatione à Sole facta, & prima parte positiua, per quam intrinsecè constituitur dies, & ideò ipsa quoque est positiuo modo principium.

(Right margin: Quo priuatio sit principiũ; Arist.; Pūctũ lineæ, & aurora dici positiuè principiũ)

An ratio formalis principij sit aliquid vniuocum, an vero analogum. Disp. XLVII.

Sol-

Soluuntur rationes oppositæ sententiæ. *Sect. III.*

Punctus difficultatis & communis sententia.

SECTIO I.

I. CVm principium ex genere suo dicat aliquid positiuum, vt disp. præcedenti ostensum est, insurgit noua difficultas, An hoc positiuum sit aliquid vniuocum, an verò analogum. Quærimus autem de ratione formali principij comparata tantùm ad principia per se, in quibus verè, & propriè ratio principij reperitur, non autem ad principia per accidens, quia certum est, quòd si compararetur simul ad principia per se, & principia per accidens, non posset interuenire vniuocatio, siquidem principia per accidens non sunt verè principia, sed potiùs putantur principia; hinc neque simpliciter dicuntur principia, sed cum addito, nempè principia per accidens; vndè si aliquo modo conuenit esse principium, longè diuerso modo conuenit, ac conueniat principijs per se. Rursus etiã excludi debet Deus, ita vt ratio principij, de qua modo quærimus, an sit vniuoca, an verò analoga, non comparetur ad Deum; quia vt etiam supra diximus, quamuis Deo attribuamus rationem principij, in ipso tamen non est, sed aliquid supereminẽtius, quod nos intelligimus per formam principij, quam ex creatis rebus accipimus, de quo abundè diximus in illa disp. 29. præsertim sect. 6. vndè comparatur solùm ad principia, quæ in creatis reperiuntur, tanquam ad illa, quæ solùm possunt veram rationem principij participare.

Principia per accidens non verè principia.

II. Rursus autem quia ratio principij reperitur in diuersis rebus, possunt considerari, res ipsæ, quę sunt principia materialiter acceptæ, & possunt etiam considerari prout dicunt rationem præcisam principij. Certum est, quòd si primo modo considerentur, non possunt vniuocè conuenire, quia habent esse diuersum, & vbi est diuersitas, non potest esse vniuocatio, & præterea plures ex ipsis, quæ principia sunt, analogicè se habent; sic medicina, & temperamentum humorum, seu complexionis, in ratione sanitatis analogicè se habent, & ambo sunt principia illius, medicina quidem in genere efficientis, in genere causæ formalis temperamentum, ex hoc autem non licet inferre, quòd principium sit analogum in ipsis, quia ex eo, quòd se habent analogicè, secundùm vnam rationem, non est necesse, vt analogicè se habeant secundùm aliam. Debent ergò res, quæ participant rationem principij, considerari secundùm præcisam rationem principij, vt videatur, an talis ratio sit vniuoca, an verò analoga. Et quia, vt supra etiam docuimus, principium, vt principium est, duo dicit, nimirum rationem propriam principij, quæ consistit in habitudine transcendentali ad id, quod potest ab eo progredi, secundùm quam est etiam prius ipso termino, & relationem prædicamentalem, quæ respicit id, quod principiat, & solùm consurgit posita actuali progressione; ideò aduertere oportet, quòd præsens quæstio non procedit de relatione prædicamentali, quoniam huiusmodi relatio non est vera ratio principij; sed procedit de eo, quod præsupponitur ad hanc relationem, quod est formale constitutiuum principij, quod quidem in actu primo dicit vim principiatiuam, in actu verò secundo ipsam progressionem.

Principia materialiter non vniuocè.

III. Procedendo igitur secundùm hunc sensum communiter docent, quòd ratio formalis principij sit quid analogum: hoc autem potius supponunt, quã disputent, vbi contingit, quòd Doctores de hoc aliquid obiter agant. Ex professo tamen hanc sententiam tradunt Fonseca 5. metaphys. cap. 1. quæst. 6. sect. 1. Suarez in metaphys. disp. 12. sect. 1. num. 13. Et fundant primò hanc suam sententiam in eo, quòd modus procedendi à principio, qui correspondet modo principiandi, analogicè se habet, quandoquidem aliqua procedunt cum depẽdentia, aliqua verò sine dependentia, vndè concluditur, quòd etiam analogicè se habeat modos principiandi, atque adeò principium, in quo inuoluitur modus principiandi. Secundò arguunt ex eo, quòd principia, quæ causando principiant, non conueniunt in vnica ratione vniuoca, & consequenter nec etiam principium vt sic erit vniuocum. Quod etiam confir. quoniam quædam principia sunt intrinseca, quędam verò extrinseca, quædam secundùm intentionem, quædam verò secundùm executionem,

Communis sẽtentia Principiũ esse analogum.

Fonseca.

Suarez.

hæc autem diuersitas obstat, quominus conuenire possint in vnica ratione principij. Denique Esse primum, quod est de ratione principij, potest dicere prioritatem temporis, loci, naturæ, originis, ordinis, & alias huiusmodi prioritates. quomodo autem inter has prioritates potest adesse vniuocatio?

Fūdatur eadē sententia in auctoritate Arist.

IV. Atque etiam habet hæc sententia fundamentum in Arist. imò videtur eam expresse tradidisse, nam 12. metaph. tex. 26. ita inquit, *Item alio modo analogicè principia sunt eadem, vt actus, & potentia, verùm hæc etiam in alijs alia, & alio modo sunt*. Si ergo contingit, principia esse aliquo modo eadem analogicè, non possunt conuenire vniuocè in ratione principij; impossibile est enim, quòd ea, quæ semel vniuocè conueniunt in aliqua ratione, rursus secundùm eamdem rationem analogicè se habeant. Præterea tex. 28. tribuit rursus analogiam principijs; ait enim. *Quærere autem quænam principia, siue elementa substantiarum, ad aliquid, & qualitatum sint, vtrum eadem, an diuersa; patet, quòd cum multipliciter dicantur, vniuscuiusque sunt; at si diuidantur, non eadem, sed diuersa, nisi quòd aliquo modo eadem, analogicè namque eadem*. Si ergo principia sunt tantùm aliquo modo eadem, patet, quòd non possunt habere vnam rationem principij communem vniuocam, tunc enim essent perfectè eadem, & non aliquo modo tantùm. Verùm hic rursus oportet aduertere, quòd quando Doctores dicunt, principium esse quid analogicum respectu omnium principiorum, illud comparant ad omnia principia, siue ea intrinsecè sint talia, siue extrinsecè: ponunt enim aliqua principia, quæ extrinsecè tantùm denominantur principia, & solùm per quamdam analogiam ad principia, quæ intrinsecè sunt talia, habent, quòd sint principia. Et certum est, quòd tali pacto ratio principij non potest esse vniuoca, quia vniuocum nedum debet intrinsecè participari, sed etiam æqualiter. Quod si loquerentur de principiis tantùm, quæ intrinsecè sunt talia, fortassè nonnulli illorum concederent principiũ, vt sic descendere vniuocè. Nos ergo in præsenti cõparamus rationem principij cõmunẽ ad ea, ad quæ verè descendit, & intrinsecè in ipsis reperitur, quod est magni momẽti ad ipsius vniuocationem intelligendam, quam mox explicabimus.

Rationem formalem principij esse aliquid vniuocum.

SECTIO II.

Cõclusio Rō formalis principij vniuoca.

I. Quamuis communiter doceant, principium analogicè se habere respectu suorum inferiorum; mihi tamen rem attentè consideranti, aliter dicendum videtur, & existimo, quòd ratio formalis principij, si in actu primo sumatur, siue principiatio, si sumatur in actu exercito, sit aliquid vniuocum, ita vt vniuocè descendat ad inferiora principia. Prob. autem primò hæc nostra sententia supponendo, quòd illa ratio sit cõmunis, quæ æqualiter participatur. Ratio principij præcisè sumpta consistit tantum in progressione, siue actuali, siue aptitudinali, prout scilicet dicit principium in actu primo, vel secundo, qua vnum ab alio progreditur, & præscindit ab omni modo determinato, quo ad hanc, vel illam progressionem determinetur, hæc autem ratio progressionis, seu Esse id, à quo aliquid potest progredi, quod nunc nomine progressionis intelligimus æqualiter conuenit cuicunque principio, quod tamen intrinsecè sit principium. Tota enim ratio progressionis saluatur in quolibet principio, alioquin non esset principium, cum sine ratione formali, nihil possit esse tale. Modò vel additur aliquid supra hanc rationem progressionis, vel aliquid minuitur in vno, & non in alio, vel æqualiter reperitur in omnibus, vnum enim ex his necessariò debet contingere, vt constat ex sufficienti enumeratione, si quid additur, quod pertineat ad rationem principii, non potest esse aliud, quàm aliqua ratio determinatiua principii vt sic, vndè hoc quod additur, non spectabit ampliùs ad rationem principii vt sic, sed ad rationem talis principij, & idcircò non ponet inæqualitatem in ratione principij vt sic; quòd autem non possit esse aliquid spectans ad rationem progressionis vt sic Prob. Si aliquid minuitur in vno, & non in alio, tunc sequeretur, quòd tolleretur ratio principij ab eo, in quo aliquid minueretur, non enim sine completa ratione progressionis saluari potest ratio principij. Remanet igitur, quòd ratio progressionis in vnoquoque principio æqualiter reperiatur, atque adeò vniuocè participetur.

Prima.

Rō progressionis æqualiter ab vnoquoque principio participatur

Oc-

Responsio

II. Occurret tamen aliquis, & dicet, id quidem verum fore, si in omnibus principijs esset vna, atquè eadem ratio progressionis, sed diuersam esse rationem progressionis, & proindè diuerso modo reperiri in vno principio, ac reperiatur in alio, & idcircò non posse saluari vniuocationem illius. Vnde vlteriùs argumentor contra huiusmodi responsionem, inquirendo an principia omnia in aliquo conueniant; an verò in nullo conueniant. Hoc secundum certè nullo pacto dici potest, non enim principia, quæ intrinsecè sunt talia, habent solùm nomen commune, sed etiam conueniunt in ratione, nimirum in eo, quòd ab vnoquoquè ipsorum aliquid aliud sit, in quo consistit ratio formalis principij, quòd autem ab vnoquoquè principio aliquid sit, ita conuenit vnicuiquè principio, vt impossibile sit, intelligi principium, sine hac progressione, ergo datur vna atquè eadem ratio formalis progressionis, quæ communis sit omnibus principijs; atque hæc vniuoco modo se habebit; & omnis diuersitas, quæ est in ratione progressionis, non importat ampliùs rationem principij vt sic, sed talis, & talis principij, quarè vna erit tantùm ratio progressionis, & quòd diuerso modo se habeat in hoc, & illo principio, non prouenit ratione principij vt sic, sed talis, & talis principij. Quod etiam vlteriùs declaratur. Ratio progressionis vt sic dicit tantùm, quòd vnum sit ab alio per veram consequutionem, non autem quòd sit tali, vel tali modo, & quicquid additur supra hoc, nimirum quòd vnum sit ab alio, est extra rationem progressionis vt sic, & constituit talem speciem progressionis; Vndè cum principium vt sic nihil ampliùs dicat, quàm progressionem vt sic, præscindendo à quocumquè modo progressionis tâquã ab aliquo sibi super addito, dum hæc ratio progressionis vt sic saluatur necessariò in quolibet principio, oportet concludere, quòd vna, atque eadem ratio principij reperiatur in omnibus, dummodo abstractissimè sumatur, sicuti debet sumi. Atquè hinc etiam elici potest confirmatio eiusdem rationis principalis. Progressio secundùm se præcisè, prout dicit vnum esse ab alio, non potest inuoluere diuersitatem aliquam, ergo neque potest diuersimodè partici-

Impugnatio.

Vna rō progressionis cōmunis omnibus principijs.

Progressio nō potest in seipsa inuoluere diuersitatē

pati, sed vno, atque eodem modo cum omni æqualitate reperietur in omnibus; conseq. tenet, quia impossibile est, quòd aliquid inæqualiter participetur, quando non potest in seipso inuoluere diuersitatem. Quòd verò non possit in seipsa inuoluere diuersitatem, mihi videtur euidens, quoniam, cum progressio dicat tantùm vnum esse ab alio, statim, ac intelligitur aliquod diuersum quacunquè minima diuersitate, iam non intelligitur ampliùs vnum esse ab alio, sed aliquid aliud. Atquè cum diuersitas nequeat esse sinè pluralitate, si hoc esse ab alio inuoluit diuersitatem, oportet, vt inuoluat pluralitatem rationum formaliũ; statim verò ac interuenit pluralitas rationum formalium, si vna erit progressio, & dicet vnum esse ab alio; altera, non erit huiusmodi, sed aliquid aliud importabit, & idcircò, vt salua maneat ratio progressionis, impossibile est, vt inuoluat diuersitatem in seipsa, & solùm poterit diuersificari per rationes differentiales superadditas.

III. Secundò etiam principaliter argumentari possumus ex præcisione rationis formalis principij, quando enim contingit, quòd ratio aliqua communis perfectè præscindat ab inferioribus, sequitur etiam, vt debeat vniuocè ab inferioribus participari; nam tunc excludit à seipsa differentias inferiorum, & consequenter est perfectè vna in seipsa excludens omnem diuersitatem: quapropter quando descendit ad inferiora, debet iuxta conditionem suam descendere, & seruando id, quod dicit ex intrinseca sua natura, hoc est perfectam vnitatem suam, si enim non seruaret illam vnitatem, quam dicit ex seipsa, tunc secundùm intrinsecum suum mutaretur, quandoquidem vnitas consequitur intrinsecum rei, quæ nequit mutari remanente eodem esse rei. Ex quo fit, quòd ratio illa communis, quæ secundùm statum præcisionis est perfectè vna debeat eamdem vnitatem conseruare, etiam quando participatur ab inferioribus, quod fieri non potest, nisi cũ omni æqualitate, atquè adeò cum vniuocatione participetur; si enim cum inæqualitate participaretur, ita vt inæqualitas ex parte ipsius se teneret, diuersimodè se haberet in vno, ac in alio, atquè adeò non seruaret propriam vnitatem perfectam, quæ opponitur omni inæqualitati

2. ratio.

Rō perfectè præcisa ab inferiorib. vniuoca est.

at-

atque diuersitati. Hoc ergo præsupposito sic conficio argumentum. Ratio communis principij perfectè præscindit ab omnibus inferioribus, ergo vniuocè ab ijsdem participatur. Quòd autem ratio principij perfectè præscindat ab inferioribus, ostenditur, nam esse ab alio, seu Esse id, à quo aliud fit, & progrediatur, potest ita præcisè concipi, vt in se ipso sit aliquid distinctum, & determinatum, non tamen dicat aliquam rationem determinatam progressionis; dum ergo habemus conceptum determinatum progressionis, & non habemus aliquas differentias, quæ ipsum contrahant, iam habemus conceptum principij perfectè præscindentem ab inferioribus: perfecta enim præcisio in eo consistit, quòd ratio communis separetur à rationibus contrahentibus, atque in seipsa subsistat secundùm illud esse commune, quod dicit; quod etiam confir. quia tunc fit præcisio, & separatio per intellectum, quando concipitur vna ratio sine alia, præcisio enim est tantùm separatio quædam secundùm esse obiectiuum, vnde perfectè aliqua ratio communis præscindetur ab inferioribus, quando sine ipsis prorsus concipitur, possumus autem concipere progressionem vt sic, seu id, à quo aliquid potest progredi, nullo pacto concipiendo differentias aliquas, quibus ad talem, vel talem modum progressionis determinetur, & proinde potest perfectè præscindi ratio principij vt sic à suis inferioribus.

Tertia ratio. IV. Tertiò, Ratio principij est quædam essentia intrinsecè participata ab inferioribus, per quam verè in esse principij constituuntur; rerum autem essentiæ consistunt in indiuisibili, quemadmodum etiam supra, cum ageremus de vniuocatione entis, dicebamus ex Arist. 8. Metaph. tex. 10. vbi eas comparat numeris in eo, quòd per quamlibet additionem, vel detractionem essentialiter variantur; vndè etiam ratio principij debet esse talis conditionis, ita vt per quamlibet additionem, vel detractionem essentialiter diuersificetur. Ex hoc autem sequitur, vt debeat æqualiter, atque adeò vniuocè participari, nam quemadmodum cõsistit in indiuisibili, ita etiam debet indiuisibili modo participari, hoc est secundùm se totam ab vnoquoque, & non secundùm aliquid participari ab vno, secundùm quod ab alio non participetur, quia tunc diuisibili modo participaretur, quandoquidem diuideretur, dum ex inferioribus quædam participarent aliquid de tali ratione communi, quod alia non participarent. Et vrgeri adhuc potest hæc ratio. Nam si inæqualiter participatur; vel hæc inæqualitas participationis est secundùm magis, & minus; vel secundùm esse diuersum. Non potest dici, quòd sit secundùm magis, & minus, quia in rationibus essentialibus non datur magis, & minus: consistunt enim, vt modò dicebamus, in indiuisibili, & idcircò nõ habent latitudinem aliquam, secundùm quam suscipiant magis, & minus. sed neque potest dici, quòd huiusmodi inæqualitas sit secundùm diuersitatem, quia in rationibus essentialibus diuersitas omnis mutat eas totaliter: vndè impossibile est, quòd eadem ratio cum diuersitate participetur, quia tunc non participaretur vt eadem, sed omninò vt multiplex, & si vna esset ratio formalis principij, alia non esset talis.

Arist.

Rō principij vt sit indiuisibilis.

Quarta ratio. V. Denique principia inferiora verè sunt principia absque proportione, aut attributione ad alterum, quòd participet veram rationem principij, ergo non participant analogicè rationem principij, sed vniuocè. Consequentia est clara, quia omnis analogia, vel est attributionis, vel proportionis; vndè vtraque exclusa, & remanente ratione communi, restat vt vniuocè participetur. Antecedens ergo declaratur; & quòd spectat ad analogiam attributionis certum est, quòd non interueniat illa attributio, qua constituuntur minora analogata, quæ solùm sint talia per ordinem ad formam extrinsecam; quandoquidem loquimur tantùm de veris principijs, quæ intrinsecè participant rationem principij, quæ verò sunt talia solùm per ordinem ad formam extrinsecam, non sunt verè principia, sed solùm denominantur, vt dicebamus etiam sect. præcedenti. Sed neque potest interuenire alia attributio, nam imprimis, quod est tale intrinsecè, non est tale per attributionem ad aliud, & vt dicemus suo loco, non datur huiusmodi analogia attributionis, in qua forma reperiatur intrinsecè in omnibus analogatis. Deinde principium constituitur in esse principij per ordinem ad terminum, qui ab ipso progreditur, &

Principia inferiora non sunt principia per attributione.

non

non per ordinem ad aliquid aliud; vndè si esset vnicum tantùm principium, quodcunque illud sit ex ijs, quæ modò reperiuntur, adhuc esset verè principium, nam adhuc diceret debitum ordinem ad suum terminum, & esset id, à quo aliquid progrederetur, in quo consistit ratio principij; si enim assignetur quoduis principium, nunquam reperiemus, quòd per attributionē ad aliud habeat, quòd sit id, à quo aliquid progrediatur, sed id semper habebit ex vi sui esse intrinseci. Atque hinc etiam excluditur proportio, quoniam quod est tale per proportionem ad aliud, illo ablato, ipsum quoque cessat esse tale, quoniam deficit proportio; at omnibus principijs ablatis, vno tantùm remanente, adhuc illud esset verè principium, esset enim id, à quo verè aliquid progrederetur, vndè non potest esse tale per proportionem ad aliud. Et confir. quoniam proportio ex genere suo facit, quòd illud, quod est tale per proportionem, non sit simpliciter tale, quia vnaquæq; ratio formalis propria facit tale simpliciter id, à quo participatur; hinc vnumquodque principium verè, & sine aliquo addito est id, à quo aliquid progreditur. Et hoc ipsum potest rursus confirmari; si .n. considerctur ly *Esse ab alio*, seu *Progredi*, non potest supra ipsū cadere simpliciter, & secūdùm quid, quia statim ac aliquid ab alio progreditur simpliciter progreditur, ita vt ly simpliciter cadat supra progressionē: non .n. datur progressio secundū quid, quemadmodum neque datur causatio secundùm quid; quod enim causatur, simpliciter semper causatur. Atque cum progressio importet quādam connexionem, qua id, quod progreditur connectitur cum eo, à quo progreditur, oportet, vt sit semper simpliciter progressio, quia licet connexio ratione connexorum possit habere simpliciter, & secundùm quid, non tamen secundùm rationem formalem connexionis, cum consistat in indiuisibili.

Pricipia Iferiora non sunt talia proportionaliter ad aliud.

Soluuntur rationes opposita sententia.

SECTIO III.

Ad primū 1. oppositum.

I. AD primam ergo rationem pro opposita sententia, vt procedamus consequenter ad ea, quæ dixi mus supra, dicendum est, quòd nullus datur modus procedendi à principio, qui sit sine dependentia, vt ibidem assumitur. Quia, vt iam adnotaui sect. 1. in declarando titulo quæstionis, comparamus tantùm rationem principij vt sic ad principia creata, quæ omnia sunt cum dependentia, & si daretur aliquod principium sine dependentia, solùm reperiretur in diuinis; verùm iam diximus, quòd re vera in Deo non datur ratio principij, sed illud, quod nos principium nominauimus est aliquid superexcellentius, quod, quia excedit nostrum captum, & per rationem principij illi adaptatam, nostrę intelligentiæ proportionamus; vndè restat, quòd ratio principij vt sic ad sola principia creata descendat, quæ omnia, vt diximus, sunt cum dependentia, quoniam quicquid in creatis ab alio procedit, se habet vt limitatum, atque adeò dependens. Et si quis contenderet, quòd priuatio principiaret sine dependentia, iam diximus, quòd non participat intrinsecè rationem principij, & nos comparamus principium vt sic ad principia, quæ verè, & intrinsecè sunt talia. Sed etiam dato, quòd aliqua principia essent cum dependentia, aliqua verò sine dependentia, nihil inde concluditur contra nostram sententiam, quia dependentia est extra rationem principij vt sic, & constituit rationem causæ, vt explicauimus disp. 43. sect. 2. vbi ostendimus, quomodo ratio formalis principij sit diuersa à ratione formali causæ, & quomodo connotare dependentiam in eo, quod progreditur, sit aliquid superadditum rationi formali principij, vndè ex eo, quòd quædam principia essent cum dependentia, quædam verò sine dependentia, non licet inferre analogiam in ratione communi: non enim talis diuersitas tollit perfectam vnitatem ipsius, & proinde neque vniuocationem. Principia ergò, quæ essent dependentia, & quæ essent sine dependentia constituerent diuersas species principiorum, quæ vniuocè participarent rationem principij vt sic.

Non datur principiū sine depēdentia.

II. Ad secundam neganda est consequentia, quicquid enim sit de causa, seu de principio, quod cum dependentia principiat, an videlicet sit vniuocum, an verò analogum, non potest ex vniuocatione, vel analogia ipsius inferri vniuocatio, vel analogia principij; non

Ad secūdum.

enim

enim possumus argumentari ab inferiori ad superius, tribuendo, vel negando superiori, quod tribuitur, vel negatur inferiori. Deinde cum dictum sit, quòd omne principium sit cum dependentia, de quo modo loquimur, consequenter etiam principium, quod cum dependentia principiat, erit vniuocum. Hoc tamen aduertendum est, quòd cum dependentia in effectu, seu connotatio dependentiæ in effectu sit quid superadditum rationi formali principij, non sequitur, vt vniuocatio principij sit etiam vniuocatio in dependentia, & quantum est ex hoc capite posset principium vniuocum esse, & dependentia analoga, dummodo aliquid aliud non obstaret. Ad confirmationem verò dicitur, quòd tota illa diuersitas, quę ibidem assignatur prouenit ratione differentiarum, & ideò non tollit vniuocationem rationis communis. Esse enim principium intrinsecum, & esse principium extrinsecum sunt differentiæ constituentes tale, & tale principium, quemadmodum esse principium, quoad executionem, & quoad intentionem. Atque eodem modo soluenda est vltima ratio, quòd enim aliquod principium dicat prioritatem originis, aliud prioritatem naturæ, aliud prioritatem temporis, non habet ex vi principij, vt sic, sed quia est tale, vel tale principium; principium enim vt sic dicit tantùm prioritatem vt sic, tale autem, & tale principium dicit talem, & talem prioritatem. Verùm aduertere oportet, quòd nullum principium, quantum stat ex vi modi principiandi requirit maiorem prioritatem, quàm naturæ, nam quemadmodum ad causam non est necessaria prioritas temporis, ita neque etiam ad principium.

Aliud ratio principij, aliud connotatio dependentiæ.

Ad tertiam.

Principium ex se solù prioritatem naturæ requirit.

III. Quòd autem spectat ad auctoritatē Arist. facilè explicabitur, si attendamus, quænam sit ipsius intentio in illo loco. Intendit autem ibi agere de principijs rerum, & præcipuè de intrinsecis, quæ etiam elementa sunt; vndè tex. 19. qui est initium illius capitis, ait, *Causæ verò, atque principia quodam quidem modo alia aliorum sunt, quodam verò modo non. Si quis vniuersaliter dicat, & secundum proportionem omnium eadem*. Agit ergo de principijs rerum, quibus constituuntur, & hæc ipsa dicit esse diuersa, sed tamen, prout diuersa sunt, etiam aliquo modo esse similia, hoc est secundum proportionem. Quod sanè patet ex ijs, quę in eodem tex. subdit, dum inquit, *Dubitare namque quispiam possit, vtrum alia, an eadem principia, & elementa substantiarum sint, & eorum, quæ ad aliquid sunt, & eodem modo in quolibet prædicamento. At absurdum est, si omnium eadem sunt, ex eisdem enim erit Ad aliquid, & substantia*. Ecce ergo quomodo ponit diuersa principia rerum, & de his prout diuersa sunt agens in tex. 26. pro opposita sententia allato docet, quòd alio modo possunt esse analogicè eadem. Considerat igitur principia non secundum rationem formalē principij vt sic, secundum quam nos dicimus esse vniuoca, sed materialiter, & secundum illud esse materiale, quod exhibent rei, quam principiant, quod etiam clarè colligitur ex illo tex. 29. qui item ibidem asseritur, in quo ait, quòd principia substantiarum, Ad aliquid, Qualitatum, multipliciter dicuntur, & sunt diuersa, ita tamen vt analogicè sint eadem. Et reddit rationem inquiens *Quia materia, forma, priuatio, mouens; ac illo modo substantiarum causa, quasi omnium causa sunt, quia peremptis perimuntur*. Ex quibus manifestum sit, quòd agit de principijs rerum prout talia principia sunt, & hoc pacto dicit seruare inter se analogiam, quæ in eo fundatur, quòd inter accidens, & substantiam interueniat analogia, quoad modum essendi, vt supra suo loco declaratum fuit, non autem considerat principia secundum rationem communem principij, & ideò nihil contra nostram sententiam ex eius auctoritate habetur.

Vera mens Arist.



DE PRIMO PRINCIPIO OBIECTI METAPHYSICI.





ACTENVS egimus de principio in communi, & eius naturã inuestigauimus tãquam quid necessarium ad declarãda principia obiecti metaphysici, de quibus nunc agemus: ea autem sunt diuersæ rationes, seu formalitates quæ fundatæ in ente se habent per modum actus, & potentiæ in ordine metaphysico, & proindè, dum vniuntur metaphysico modo, constituunt vnum completum ens, seu essentiam, quæ constat ex suis principijs intrinsecis, & diximus esse obiectum metaphysicæ. Atque ea intelligimus cum ordine, & proportione ad principia physica, quæ constituunt compositum physicum. Sicuti ergo in composito physico distinguimus duas partes essentiales, nempè materiam, & formam: ita in obiecto metaphysico proportionaliter distinguimus etiam duas partes, nempè potentiam metaphysicam, quæ se habet per modum materiæ, & actum metaphysicum, qui se habet per modum formæ, vndè consurgit compositum metaphysicum. In hac autem compositione metaphysica, semper altera pars componens, illa nimirum, quæ se habet ad modum materiæ, vniuersalior est; altera verò minus vniuersalis: fit enim hæc compositio per contractionem, in qua ratio superior, & vniuersalior per minus vniuersalem, & inferiorem determinatur ad gradum essendi magis completum. De his igitur principijs compositi metaphysici modò agemus; & eorum naturam inuestigabimus.

An, & quid sit primum principium obiecti Metaphysici. Disp. XLVIII.

Quid dicat primum principium obiecti metaphysici, atque eiusdem existentia.

SECTIO I.

I. PRincipium primum obiecti, seu compositi metaphysici, quod correspondet materiæ in compositis physicis, solet communiter appellari Genus. Vt autem intelligatur, quid importet hoc nomen, eiusdem significatio declaranda est, quæ quoniam multiplex est, in quo sensu sumi debeat, iuxtà regulam Arist. quam tradit in 6. Top. cap. 2. & 5. aperiendum est, nè in æquiuoco laboremus. Primò igitur genus sumi potest, prout tradit Arist. 5. metaphys. tex. 34. pro continua generatione hominum: Potest tamen in eadem significatione magis restrictè sumi, vt docet Porphir. cap. de Genere; videlicet pro generatione plurium cum ordine ad vnam patriam, vel locum, siue etiam magis strictè cum ordine ad vnum progenitorem, quæ etiam prosapia dici solet, sic dicitur Genus Romanorum, Genus Italorum, Genus Fabiorum, Genus Æmiliorum: at ille, à quo incipit hæc series generationis, seu prosapia, dicitur ab Aristot. loco citato primum mouens, seu primum principium, à quo est generatio,

Arist. Multiplex generis significatio.

Porphir.

Genus pro serie generationis.

præcisè sumptum, dicitur genus, vt patet ex acceptione Porphir. in præcitato cap. de Gener. vbi ait Orestem duxisse genus à Tantalo, atque alia huiusmodi exempla affert.

Secunda acceptio. Arist.

Genus pro subiecto accidentium.

II. Alijs etiam acceptionibus genus vsurpari solet: vndè secundò sumitur pro subiecto accidentium, vt docet Arist. citato loco metaphys. dum ait: *Item, vt superficies figurarum superficialium genus, & solidum solidarum, quæque enim figurarum hæc quidem superficies talis, illa verò solidarum tale. Hoc autem est, quod subiectum differentijs est.* Ex quibus colligitur, quòd quando genus accipitur pro subiecto accidentium, non debet intelligi, neque de subiecto vt sic: neque de subiecto, sed tantum de illo, quod est determinatum ad aliqua determinata accidentia, cuiusmodi est superficies solida, quæ est determinatum subiectum figurarum solidarum. Quod ea ratione dicitur genus, quia ex pluribus subiectis est quoddam genus, seu quædam species illorum, ex eo, quòd participat aliquam peculiarem rationem subiecti, quæ fit proprium talium accidentium, atque illis proportionatum.

Tertia acceptio pro materia ex qua.

III. Tertio modo sumitur genus pro materia, ex qua aliquid fit, vt ibidem sumpsit Arist. Sic quæ generantur ex putri, dicuntur esse de Genere Putrium: hoc est ex ijs, quæ fiunt ex materia putri. Præterea quarta quoque acceptio generis desumitur ex Arist. 1. Poster. tex. 169. vbi docet, quod aliquando genus sumitur pro obiecto, seu subiecto alicuius facultatis: quod ideò potest contingere, quia ex subiecto, siue obiecto habetur, quòd facultas sit talis, vel talis generis. Cœterum nulla ex his acceptionibus ad propositum facit; neque aliæ plures, quæ generi possunt conuenire, quia nō important aliquod principium compositi metaphysici: Vt igitur facit ad præsens nostrum institutum, debet genus sumi pro natura aliqua, quæ sit pars essentialis cōpositi metaphys. nō quæcumque pars, sed pars potentialis, quę possit perfici per plures differentias essentialiter diuersas, vt accepit Porphir. citato cap. de Genere, quando dixit Genus esse id, sub quo species collocantur. atque etiam Arist. 1. Topicor. cap. 4. & 5. Metaph. cap. 28. quando dixit. Genus esse id, quod de pluribus speciè diuersis prædicatur: ait enim *Item in Orationibus, quod primum inest, quod dicitur in eo, quod quid est, hoc genus, cuius differentia dicuntur qualitates.*

Quarta acceptio pro subiecto.

Vera significatio generis.

Porphir.

Arist.

Cur genus sit primum principium compositi metaphysici.

IV. Atque genus tali pacto sumptum importat primum principium compositionis essentialis metaphysicæ: atque hinc etiam colligitur, cur dicatur primum principium. Cum enim imitetur materiam, quæ in compositis physicis est subiectum, atque adeò natura præcedit alterum, nempè formam; ideò cum genus quoque se habeat veluti subiectum, respectu differentiæ, imitatur naturam subiecti, & est prius natura altero principio intrinseco compositionis metaphysicæ, & quia est veluti fundamentum totius compositionis. Verùm hic obiter aduerto, quòd quando Porfir. dixit, Genus esse illud, sub quo ponuntur species, intendebat tantùm circumscribere talem vsurpationem generis, explicando, quid importaret, genus, & explicauit dicendo Esse id, sub quo ponuntur species, denotando, quòd significat vnam aliquam rationem vniuersalem, cui species subijciuntur: non verò tunc intendebat definire genus, quod inde colligitur, quia postea tradidit definitionem generis.

Existentia generis.

V. Quòd autem genus tali pacto sumptum concedendum sit, manifestè conuincitur, supposita distinctione rationis, qua, quotidiè nos experimur, partiri essentias in diuersas rationes formales, ex his enim rationibus, in quas essentias diuidimus, quædam se habent per modùm actus, & quædam per modum potentiæ, si quidem ita illas separamus, vt tamen sint vnibiles in vnam essentiam, quæ vnio realiter est identitas: dum autem illas concipimus, vt vnibiles, concipimus etiam aliam per modum potentiæ, aliam per modum actus: aliam contrahibilem, & determinabilem, aliam contractiuam, & determinatiuam. Hæc igitur ratio, quæ se habet, vt potentia contrahibilis, erit ratio generica, quæ est primum principium compositionis metaphysicæ. Et quoniam res omnes metaphysicas cum proportione ad physicas explicamus, potest existentia generis comprobari eo pacto, quo solet conuinci existentia materiæ, quæ est subiectum physicum. Ideò enim ponitur materia, quia datur transmutatio substantialis, in qua remanet subiectum commune omnibus for-

mis

mis, debet enim remanere aliquid, quod sit subiectum talis transmutationis. Modò quòd in rebus, physicis præstat transmutatio inducendo nos in cognitionem materiæ; hoc ipsum præstat in metaphysicis essentialis conuenientia, & differentia. Videmus enim, quòd in prædicatis quidditatiuis, aliqua conueniunt, & differunt, & ex hac conuenientia colligitur adesse aliquam rationem metaphysicam pluribus communem, quæ subijciatur earumdem differentijs. Hæc igitur ratio communis quoniam subijcitur differentijs, & facit vnum per se cum illis, se habebit vt potentia metaphysica, & principium intrinsecum compositi metaphysici, & est illud, quod nomine generis intelligimus: quod amplius patebit ex ijs, quæ dicturi sumus.

Quid sit primum principium obiecti Metaphysici.

SECTIO II.

Defini tio Generis. Porphir. I. PRimum principium obiecti, seu compositi metaphysici, quod Genus appellari diximus, definitur à Porphir. quod sit *Id, quod de pluribus specie differentibus hoc ipso quid est, prædicatur*. Quam etiam definitionem ibidem declarat ostendendo, quomodo conueniat soli generi: ait enim, quòd quę prędicantur, ita se habent, vt vel de vno solo prædicentur, cuiusmodi sunt indiuidua; vel de pluribus, cuiusmodi sunt quinque prædicabilia. Genus igitur distinguitur ab indiuiduo per id, quòd prædicatur de pluribus; in quo conuenit cum cœteris prædicabilibus, & ideò pergit vlterius Porphir. & ostendit, quomodo genus distinguatur etiam à cœteris prædicabilibus. Accidens enim, & differentia, quamuis de plutibus prædicentur, prædicantur tamen etiam in quale: accidens enim prædicatur in quale simpliciter; differentia verò in quale quid: at genus simpliciter prædicatur in quid. A proprio verò distinguitur, quia etiam proprium prædicatur in quale, & solùm de illa specie, cuius est proprium, aut de contentis sub illa: Genus verò prædicatur de pluribus speciebus, & de omnibus contentis sub illis. Denique distinguitur etiam à specie, quia species prædicatur solum de pluribus differentibus numero; genus verò de pluribus differentibus specie. Ex his constat, quomodo definitio sit propria generis, & nihil superfluum in ipsa ponatur.

II. Vt autem melius omnes particulæ huius definitionis intelligantur, quædam, quæ ad earumdem intelligentiam spectant, declaranda sunt. Et primò quidem quando dicitur genus esse id, quod prædicatur, non debet intelligi de qualibet prædicatione. Prædicatio enim est duplex Directa, quę etiam ordinata dici solet, & est illa, quæ seruat ordinem debitum prædicationis, cum videlicet, quod est natura sua aptum subijci, subijcitur; quod natura sua aptum est prædicari, prædicatur, ita vt se habeat tanquam forma subiecti, vt cum dicitur, Homo est animal. Altera verò est prædicatio Indirecta, seu Inordinata, quam etiam Auer. 7. Metaph. cõm. 59. Innaturalem vocat, & est illa, in qua, quod ex natura sua debet esse prædicatum, fit subiectum, & quod deberet esse subiectum, fit prædicatum, vt cum dicitur, Risibile est homo; Naturalis enim prædicatio esset, homo est risibilis. Cum igitur dicitur, genus prædicari de pluribus, debet intelligi de prædicatione directa, naturali, & ordinata. Atque hinc etiam colligitur, genus debere esse aptum prædicari prædicatione artificiosa. Illa autem dicitur prædicatio artificiosa, in qua prædicatum aliquid manifestat, quod non exprimebatur in subiecto, sed latebat in ipso, vt cum dicitur, Homo est animal. Huius autem rei ratio reddi potest à priori, quia genus est quædam pars, & intrinsecum principium compositi metaphysici, vndè, quia genus prædicatur de hoc composito, tanquam de specie, & compositum dicit explicitè tantùm tertiam naturam, quæ coalescit ex partibus; ideò quando genus prædicatur, dicit explicitè vnam partem huius compositi, & ideò prædicatur prædicatione artificiosa, quia exprimit, quod latebat in subiecto.

Explicantur particulæ allatæ definitionis. Prædicatio Directa, & Indirecta. Auer. Genus prædicatur prædicatione directa, & artificiosa. Quid prædicatio artificiosa.

III. Dicitur autem genus prædicari de pluribus differentibus specie. Ex quo colligitur, quòd debeat prædicari, tanquam superius de suis inferioribus, & tanquam quid vniuersalius, quod non adæquetur cum quolibet, de quo prædicatur; atque adeò genus debet latius patere, quam qualibet species, ad hoc, vt possit ad plures species descendere.

Genus prædicatur, vt superius de suis inferioribus.

Quare prædicatur, tanquam vniuerſale ſuperius de ſuis inferioribus: & proindè prædicatur in quid, quia eſt pars intrinſeca conſtitutiua ſpecierum, de quibus prædicatur: & quia, cùm ſe habeat, vt vniuerſale quoddam, debet ſeruata proportione imitari vniuerſale vt ſic, quod dicitur prædicatione quidditatiua de ſuis inferioribus. Quocirca terminus prædicationis erũt plura ſpecie diuerſa, modus autem erit quidditatiuus.

IV. Sed vt melius intelligatur terminus huius prædicationis, explicandum eſt, quid ſit *Differre ſpecie*: hæc enim ſpecifica differentia eſt ratio formalis, per quam conſtituitur terminus prædicationis genericæ, Eſt autem differre ſpecie idem, quod differre definitione, ſeu ratione, vt docet Ariſt. 5. Metaph. tex. 12. huius rei rationem aſſignat D. Thom. ibid. nempe, quia differre ſpecie importat idem genus contractum per diuerſas differentias: ex quo fit, quòd quælibet ſpecies dicat rationem generis, & propriam rationem differentialem, qua ab alijs contradiſtinguatur, quod etiam tradidit Ariſt. citato lib. 5. Metaphyſ. tex. 16. ait enim: *Diuerſa verò ſpecie dicuntur, quæcunque, cum eiuſdem ſint generis, non ſunt ſubalterna: & quæcunque, cum in eodem genere ſint, differentiam habent*. Modò, cum definitio conſtet ex genere, & differentia, quæ omnia ſpecies importat, quæ differunt ſpecie, dicuntur differre definitione.

Quid Differre ſpecie.

Ariſt. D. Th.

V. Denique adnotandum eſt, quòd prædicatio conſiderari poteſt ſecundùm duplicem ſtatum, nempe ſecundùm ſtatũ actus primi, & ſecũdùm ſtatum actus ſecundi, ſeu actualis prædicationis, qua actu enunciatur de ſubiecto. Cum igitur dicitur genus eſſe, quod prædicatur, &c. non debet intelligi de actuali prædicatione, ſed de aptitudinali, & in actu primo; ita vt Genus ſit illud, quod ex ſe aptum eſt, vt enuncietur de pluribus ſpecie diuerſis. Atque ſic intelligi debere, colligitur ex eo, quòd actualis prædicatio eſt accidentalis reſpectu generis, quam poteſt habere, & non habere. Cum igitur voluerit Porphir. explicare naturam generis, non debuit explicare per aliquid accidentale, qualis eſt actualis prædicatio: ſed per aliquid eſſentiale. Verùm hæc ſatis dialectica ſunt, & videntur extra ſpheram metaphyſicæ: tamen quia valde conferunt ad intelligendam naturam generis, quatenus eſt principium compoſiti metaphyſici, non debuerunt prætermitti.

Duplex ſtatus prædicationis.

Quid per hanc definitionem definiatur. Diſp. XLIX.

Varia ſententia.

SECTIO I.

I. QVando Genus definitur eſſe id, quod prædicatur de pluribus ſpecie differentibus, plura ſunt, de quibus dubitari poteſt, an cadant ſub hanc definitionem. Imprimis enim adeſt natura, quæ communis eſt pluribus ſpecie differentibus: nomine autem naturæ non intelligitur aliqua natura determinata, ſed ratio naturæ vt ſic, prout præſcindit ab hac, vel illa, & reſpicit plura ſpecie diuerſa indifferenter, non autem hac, aut illa ſpecie diuerſa. In hac autem natura interuenit etiam aptitudo ipſi intrinſeca, qua poteſt eſſe in pluribus ſpecie diuerſis: vndè interuenit etiam vniuerſalitas intrinſeca ipſi naturę, quæ, vt ſuo loco dicemus, conſiſtit in vnitate, & aptitudine, quæ ſunt quid reale metaphyſicum, vt ibidem oſtendemus. Pręterea adeſt etiam prædicabilitas, quæ etiam eſt aliquid reale metaphyſicum, vt oſtendemus agentes de prædicabilitate vniuerſali: eſt enim ipſamet natura, quatenus de ſe poteſt eſſe in pluribus inferioribus in ordine ad intellectum conſiderata, qui poteſt eam de inferioribus enunciare. Atque hæc ſunt omnia realia, quæ concurrunt ex parte generis.

Punctus difficultatis Quæ ſint, quibus adſcribi poſſit definitio generis.

II. Sed præter hæc realia, quæ concurrunt ex parte generis, etiam reperiuntur quædam entia rationis, quorum præcipuum conſiſtit in ſecunda intentione, quæ ſolet appellari Genereitas. Hæc autem Genereitas eſt forma quædam rationis, ſeu quoddam ens rationis, quod, dum intellectus comparat naturam ad ſua inferiora, & cognoſcit ordinem,

Genereitas quid ea ſit.

nem, quem dicit ad ipsa, effingit, atque est quædam relatio, quæ fundatur in ipsa natura, & explicat habitudinem illam, quam percipit intellectus, dum naturam ad sua inferiora comparat, quā vocant relationem genereitatis. Et hoc est ens rationis, quod interuenit: nam illa comparatio, qua intellectus comparat naturam genericam ad sua inferiora, ex parte obiecti dicit solam naturam, & inferiora: ex parte autem intellectus actum realem comparationis, qui solùm est ens rationis, quatenus ens rationis pro eo sumitur, quod est effectiuè ab ipsa ratione: non verò in hac comparatione interuenit ens rationis, quod sit aliquod figmentum. Difficultas igitur est, an definiatur aliquid reale, nempe realis natura, quæ substernitur Genereitati, an vero Genereitas, an vtraque simul.

Prima opinio. Definiri Genereitatem.

III. In hac autem difficultate tres reperio sententias, quarum prima est, quòd per definitionem traditam definiatur tantummodo Genereitas, seu secunda intentio, ita vt prædicabilitas fundamentalis, quam dicit natura, nullo pacto cadat sub definitionem, sed illa tantùm, quam dicit secunda intentio. Notant tamen Hanc secundam intentionem posse dupliciter accipi; vel in abstracto, & dicit tantum ipsam formam Genereitatis, præcisè consideratam, vel in concreto, prout est forma, qua natura denominatur genus: sicuti etiam albedo considerari potest, vt est disgregatiua visus, & prout est id, quo nix disgregat visum. Cum igitur definitur genus, definitur genereitas, non in abstracto, sed in concreto, vt est ratio, qua natura denominatur prædicari de pluribus differentibus specie. Ita sentit Caiet. de Ente, & essent. cap. 4. §. *In hac quarta parte capituli, &c.* Soto in Logica cap. de Gener. quæst. vnica artic. 1. conclus. 1. Addit tamen in secunda conclusione, quòd licet definiatur tantùm genereitas, id tamen, quod definitur, immò ipsa definitio non supponit pro secunda intentione, sed pro concreto ex natura, & genereitate. Præterea Scot. quæst. 15. Prædicab. Niger quæst. 39. Clypei Thomist. Villalpand. quæst. 1. de Genere in respons. ad vltimum, Sanchez in Logica lib. 3. q. 3. & alij complures ex Recētioribus Thomistis: in quam etiam videtur inclinare D. Th. citato cap. de Ente, & essentia circa finem capitis.

Caiet. Soto. Scot. Niger. Villalpā. Sanchez. D. Th.

Fūdamēta huius sētētiæ.

IV. Probat primò Soto, quia definitio, sicuti etiam scientia non est de particularibus, vndè ex hac suppositione, quando definitur genus, non definitur hoc, aut illud genus verbi gratia animal, aut corpus, sed genus in communi: omnia autem genera diuersorum prædicamentorum nihil habent commune, prę ter secundam intentionem, vndè illa sola definiri potest. Secundò. Hæc definitio traditur per nomina secundę intentionis, nempè per prædicari, si autem definiretur aliquo pacto natura, non posset definiri per nomina secundæ intentionis. Tertiò quando definitur accidens in concreto, id definitur, quod per tale concretum significatur formaliter, vt cum definitur Nix per disgregare visum, definitur albedo, ratione cuius habet nix, quòd disgreget visum; ergo cum genus in concreto formaliter importet secundam intentionem, quod definitur in eius definitione, erit secunda intentio. Quartò. Prædicabilitas, quæ in hac definitione explicatur non est propria passio, aut essentia naturæ, sed secūda intentio, definitur ergo id, cuius essentia, aut propria passio explicatur. Confir. Prædicari formaliter est quædam relatio rationis; ergo cum genus definiatur per prædicari, debet definiri, prout dicit secundam intentionem.

2. opin. Definiri solam naturam.

V. Secunda sententia est omninò huic opposita; asserit enim, quòd nullo pacto definiatur secunda intentio, sed solùm natura, quæ subest secundæ intentioni: non quidem hæc, aut illa natura in particulari, sed natura vt sic præscindens ab omnibus naturis in particulari: & quia definitio traditur dialecticò modò, nempè per prædicari, ideò non definitur natura quocumque modo considerata, sed prout est apta subiici secundæ intentioni, aut illam fundare. Ita docet Iauel. tract. 4. de quinque prædicab. cap. 2. Montanesius cap. de Genere, quam etiam opinionem tribuit Soncin. & sequuntur nonnulli alij Recentiores Fundant hanc suam opinionem, quia postquam Porphir. tradidit hanc definitionem, attulit exemplum de animali, animal autem importat naturam, non secundam intentionem. Deindè natura est illa, quæ prædicatur; non secunda intentio.

Iauel. Mõtane sius.

Tertia opinio. Definiri concretũ ex genereitate, & natura

VI. Tertia sententia est veluti media, & vtramque præcedentem amplectitur. Asserit enim, neque solam naturam definiri, sed concretum ex vtraque, ita tamen, vt natura definiatur tanquam materiale, genereitas verò tanquam formale; seu genereitatem esse rationem formalem, sub qua definiatur natura. Hanc sententiam sequuntur Tolet. in Logica q. 2. de Genere Conimb. quæst. 1. Rui. q. 2. quam etiam tribuit D. Thom. cap. 4. de Ente. & essent. Iauel. & Soto locis citatis; sed immeritò eam tribuit his duobus posterioribus, D. autem Thom. mens ibi satis obscura est. Præterea Hurtad. in Logica Disp. 4. sect. 1. Auersa item in Logica quæst. 10. sect. 2. conclus. 3. & ferè communiter Recentiorea. Præcipuum fundamentum est, quia prædicari de pluribus differentibus specie, neque per se conuenit naturæ præcisè acceptæ, neque genereitati soli, sed concreto ex vtraque, ita vt solùm natura, prout est affecta genereitate, prædicari possit; ergò hoc concretum naturæ, & genereitatis definitur. Præterea genus importat aliquod concretum; ergò si in hac definitione definitur genus, debet concretum ex natura, & genereitate definiri.

Tolet. Conimb. Ruuius. Hurtad. Auersa.

Vera sententia.

SECTIO II.

Prima conclusio. Non definitur concretũ ex natura, & secunda intentione.

I. SI res diligenter inspiciatur, nulla se rè in hac quæstione difficultas est, vndè. Dico primò. In allata definitione non definiri concretũ ex natura, & secunda intẽtione, ita vt secũda intẽtio sit id, quod formaliter definiatur, natura verò materialiter tantùm. Et quidem hoc concretũ non posse definiri vera definitione certũ est. Quod enim vera definitione definitur, debet esse vnum per se, concretum autem naturæ, & genereitatis non est vnum per se, sed per accidens, quoniam dicit coniunctum ex ente reali, & ente rationis: quare solùm remanet difficultas, an describatur aliqualiter, prout suo modo est capax descriptionis, vt contendit Hurtad. supracitatus.

Prima ratio.

II. Sed neque tali pacto describi potest, & prob. quando definitur aliquod concretum, verbi gratia, Album, quod per descriptionem explicatur, est forma, qua constituitur concretum; sed dum definitur genus esse id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, forma, quæ per talem definitionem explicatur, non est genereitas, seu aliquod ens rationis; ergò non definitur concretum ex natura, & genereitate. Maior huius argumenti debet necessariò admitti, nam concretum formaliter constituitur per formam, quare si debet definiri concretum formaliter, debet forma tanquam formale constitutiuum concreti explicari. Superest igitur probanda minor: pro qua supponendum est, quod disp. præcedenti sect. 2. circa finem diximus, illud prędicari, per quod definitur genus, non sumi pro actuali prædicatione, quia est contingens respectu generis, & genus etiam, si actu non prædicetur, adhuc est genus, sed debet sumi pro aptitudinali prædicatione, qua potest de suis inferioribus prædicari, vndè id, quod tanquam forma cadit sub definitionem, est prædicabilitas: hæc autem prædicabilitas generis non est aliquod ens rationis, nam supponitur ad actualem prædicationem; actualis enim prædicatio est actus secundus prædicabilitatis; hæc autem actualis prędicatio non est actus secundus alicuius entis rationis, neque in ipso fundatur, sed in eo, quòd natura possit esse in pluribus.

In concretis formaliter definitur forma.

III. Præterea quando definitur aliquod concretum accidentale, definitio, ita cadit supra formam concreti, vt explicet tantum esse formæ: subiectum verò purè denominatiuè se habeat, & solum denominetur definiri: Sic cum dicitur Album esse disgregatiuum visus, sicuti denominatiuè subiectum disgregat visum, ita vt in definitione explicetur sola disgregatio, nihil de esse subiecti explicatur, sed denominatiuè tantùm se habet. Verùm implicat naturam in hac definitione purè denominatiuè se habere quod sic ostenditur. Id, quod definitur, est id, quod prædicatur, quod autem prædicatur, est id, quod intellectus tribuit inferioribus per actualem prædicationem, & in quo ipsa fundatur: Actualis autem prædicatio generis de speciebus fundatur formaliter in ipsa natura, nec denominatiuè tantum subest actuali prædicationi, sed formaliter cum sit formale obiectum apprehensionis, qua apprehenditur prædicatum, quando genus prædicatur de inferioribus.

2. ratio

In definitione concreti formaliter sumpti subiectum solum denominatiuè definitur.

IV. Tertiò declaratur. Si definere- 3. ratio.

tur

tur concretum naturæ,& secundæ intentionis, ita vt natura se haberet tantùm materialiter, secunda autem intentio formaliter sequeretur, quòd indiuiduum vt tale est, posset comprehendi sub definitione generis, quod tamen est falsum, quia nullo pacto potest prædicari de pluribus differentibus specie. Hæc autem sequela declaratur. Si natura definiretur tantùm materialiter, posset intellectus affigere alicui indiuiduo illud ens rationis, seu illam genereitatem; tunc autem haberetur aliquid materiale suppositum secundæ intentioni generis; ergo posset difinitio generis illi conuenire, nam haberet totum id,quod importat,& explicat talis definitio, tanquam formā, Confir. Vel definitio explicat aliquid de natura, vel non explicat. Primum non potest dici, nam quando definitur concretum accidentale, quod materialiter se habet, nullo pacto secundùm proprium esse explicatur in definitione. Sic quando definitur album, quod sit disgregatiuum visus, solùm explicatur, quod conuenit albedini, nihil verò de esse subiecti, quod illum habet. Si verò dicatur secundum; potest definitio de quocumque materiali intelligi, cui tamen sit applicata genereitas.

Reijci tur aduer sariorum respōsio. V. Sed dices. Natura habet fundamentaliter prædicabilitatem, & ideò definitio generis non potest intelligi de indiuiduo, cui affigatur genereitas, immò neque potest affigi. Sed hæc responsio facilè impugnatur: quando definitur aliquod concretum accidentale, in quocunque ponatur forma talis concreti, potest illi applicari definitio. Sic in quocunque fit albedo, verùm semper erit de illo, quod sit disgregatiuum visus; ergo si definitio generis non potest dici de quocunque, cui affigatur genereitas, non explicat naturam, vt quid materiale illius concreti. Rursus sola talis natura potest esse fundamentum genereitatis, & de sola tali natura potest dici, quòd prædicetur de pluribus differentibus specie, ergo natura secundùm suum esse aliquo modo saltem per hanc definitionem explicatur, & non purè materialiter se habet.

4. ratio. VI. Quartò argumentor. Ens rationis est non ens cōceptum ad modum entis, atque hinc fit, vt totum,quod ipsi conuenit,& quod in ipso intelligimus, mutuetur ab ente reali, ad cuius similitudinem concipitur, ita vt intellectus illi tribuat aliquam rationem entis realis, quàm antea in ente reali attigerat. Sic dum concipimus tenebras ad modum nigredinis, intellectus accommodat priuationi lucis esse nigredinis: dum concipimus angelos corporeos ad modum iuuenis pulcherrimi, intellectus illis attribuit esse iuuenis pulcherrimi. Ex hoc autem sequitur, vt non possit intellectus formare aliquod ens rationis, siue illud affigat enti reali, siue non, nisi prius cognouerit in ente reali illam rationem entis, quam attribuit enti rationis, & consequenter quandò explicabitur aliquod ens rationis, explicabitur aliqua ratio entis realis applicata non enti. Quo posito, sic formo rationem. Si definitio generis explicaret huiusmodi concretum naturæ, & genereitatis, ita vt natura esset id, quod materialiter definiretur; genereitas vero vt quo, & tanquam forma concreti explicaretur, quia genereitas est ens rationis, atque adeò non ens conceptum ad modum entis, definitio deberet ita explicare aliquid in genere, quod reperiretur extra ipsum genus. Hoc autem est falsum, quia, vt manifestum est, quod explicatur per definitionem, in nullo alio reperitur, quàm in genere: atque etiam Porphir. postquam tradidit definitionem, ex eodem cap. de Genere ostendit, quomodo conueniat soli generi. Sequela autem maioris prob nam cum ens rationis fit ad similitudinem entis realis, quod in ipso intelligitur, etiam in ente reali intelligitur, & quod ipsi tribuitur, potest tribui enti quoque reali, ad cuius similitudinem concipitur: sic dum concipimus angelum ad modum iuuenis, quicquid ipsi secundùm tale esse iuuenis tribuitur, potest etiam tribui iuueni reali, & si cōcretum illud Angeli, & entis rationis describeretur, vt tale concretum est, descriptio conueniret etiam iuueni reali, ad cuius similitudinem conciperetur. Atque hinc etiam fit, quòd cum definitio debeat soli generi conuenire, debeat genus formaliter constitui per aliquid reale, quia si proprium constitutiuum generis esset illud, quod importatur per aliquod ens rationis, constitutiuum generis non esset proprium illius, quod implicat. Immò daretur genus reale, ad cuius similitudinem conciperetur illud ens rationis, per quod genus constitue- quicquid est in ente rōnis, est etiam in ente reali.

re-

retur: nec enim potest dici, formale constitutiuum generis esse formale constitutiuum entis rationis, nempè, vt sit non ens ad modum entis conceptum: quia genera verè sunt aliquid, sed de hoc latius in sequentibus.

1. concl. Non definitur genereitas.

VII. Hinc dico secundò. In hac definitione nullo pacto definiri genereitatem, seu aliquam secundam intentionē. Prob. per hanc definitionem definitur id, quod de pluribus differētibus specie prędicatur; sed nullū ens rationis, siue genereitas, siue quodcunq; aliud prædicatur de pluribus specie differētibus; ergo nullo pacto genereitas definitur. Quòd definiatur id, quod de pluribus prædicatur,

1. ratio.

patet ex ipsa definitione. Minor probatur. Quia id prædicatur de pluribus, quod est in ipsis, & quod non est in ipsis nullo pacto potest prædicari. Prædicatio enim est iudicium intellectus enunciantis, rem ita esse: vndè id tantum prædicatur, quod per tale iudicium tribuitur subiecto; prædicari enim dicit attribui subiecto: vt autem prædicatio sit vera, id tantùm debet tribui subiecto, quod est in ipso, si enim aliquid amplius tribueretur, falsa esset prædicatio. Cum igitur genereitas nullo pacto sit in pluribus, de quibus genus prædicatur, nullo pacto potest de ipsis prædicari, atque; adeò nec definiri.

Id prædicatur, quod est in subiecto.

Aduersariorū responsio refutatur.

VIII. Occurrunt Auctores oppositæ sententiæ. Quòd aliud est id, quod prædicatur fundamentaliter, & aliud, quod prædicatur formaliter, seu quod est ratio formalis, cur natura prædicetur. Natura se sola accepta prædicatur fundamentaliter, Genereitas verò est ratio, seu id, quo formaliter habet natura, vt prædicetur. Sed hæc responsio non soluit difficultatem, & adhuc ratio manet in suo robore; argumentum enim probat, quòd Genereitas nullo modo prædicetur de pluribus differentibus specie, quia nullo modo est in illis, pro quo est aduertendum, quòd etiam si aliqua requirantur, vt natura prædicetur, quia tamen sunt conditiones, non prædicantur ipsa, neque vt quod, neque vt quo, sic abstractio, qua natura præscinditur ab inferioribus, requiritur, vt natura prædicetur, non tamen ipsa prædicatur, neque vt quod, neque vt quo: vndè si genereitas esset necessaria, vt natura prædicaretur, non tamen ipsa prædicaretur, neque vt quod, neque vt quo,

Cōditiones ad prædicationē nō prædicatur.

quia esset solùm conditio quædam. Deinde etiam directè impugnatur allata responsio. Quandò definitur genus, dicitur Esse id, quod prædicatur, non autem id, quo aliquid prędicatur; ergo non definitur genereitas, sed ipsa natura, quę prædicatur.

IX. Atque potest etiam efficacius vrgeri eadem responsio: Id definitur, quod prædicatur vt quid essentiale de pluribus differentibus specie: Definitur enim genus, esse, quod prædicatur in quid. Prædicari autem in quid, de aliquo est prædicari, vt quid ipsi essentiale; sed genereitas nullo pacto prædicatur in quid, seu vt quid essentiale, neque est ratio formalis, vt natura se habeat vt quid essentiale respectu inferiorum; ergo nullo pacto genereitas definitur. Confir. Genus nedum importat prædicationem, sed talem prædicationē, nempè prædicationem essentialem, seu quæ fiat secundum prędicatum essentiale subiecto; sed genereitas, neque est ratio, cur natura sit prædicatum, neque vt sit illi essentiale; ergo neque vt quo potest definiri. Confir. secundò. Quod secundùm se prædicatur, habet etiam rationem formalem, vt possit prædicari; sed natura ex se habet, vt sit prædicatum, nimirum ex vi suæ essentiæ; ergo etiam habet ex se, quòd possit prædicari. Maior patet, quia quod prædicatur constituitur in esse prædicati per rationem formalem prædicabilitatis. Minor verò explicatur. Natura secundùm sua essentialia descendit ad inferiora, de quibus prædicatur, cum igitur secundùm seipsam in iisdem inferioribus reperiatur, debet etiam secundùm seipsam habere, quòd possit poni, & habere rationem formalem, qua ponatur. Quomodo enim ponetur, nisi adsit ratio formalis, per quam habeat ponatur, cum ex vi talis rationis habeat natura exercitium essendi in inferioribus, neque enim ratio formalis, per quam sit in inferioribus, separari potest ab ipso actu essendi in illis. Modò cum prædicari de pluribus non sit aliud, quàm esse in illis, seu in illis poni per iudicium intellectus enunciantis naturam esse in illis: sicuti natura secundùm se ponitur ab intellectu in inferioribus, ita etiam secundùm se habet, quòd possit poni, & non per genereitatem, & proindè non habet à genereitate, quòd possit prædicari tan-

2. impugnatio.

Genus prædicatur, vt quid essentiale.

quam

quam a ratione formali.

tertia impugnatio.

X. Tertiò impugnatur eadem responsio. De quo nullo modo prædicari potest deffinitio, nullo pacto deffinitur per talem definitionem, sed de genereitate nullo modo prædicari potest definitio generis; ergo nullo modo per ipsam definitur. Maior est certa, quia definitio, & definitum dicuntur ad conuertentiam. Minor etiam facilis est, si attentè consideretur: neque enim valet dicere, Genereitas est id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie; si autem definiretur genereitas, deberet hæc prædicatio esse vera, quia definitio dicitur ad conuertentiam cum definito formali: & quamuis se habeat tantum, vt id quo, dummodo formaliter definiatur, semper de ipso verificatur definitio: Sic tam de albo, quàm de sola albedine dicitur, quòd sit id, quod disgregat visum. Quod autem genereitas non sit id, quod prædicatur, patet, quia de speciebus subiectis generi non potest dici, quod sint genereitas, neque enim ens rationis prædicari potest de ente reali.

De genereitate non verificatur definitio generis.

Secunda principalis ratio.

XI. Secundò principaliter prob. cōclusio. Quod prædicatur de pluribus inferioribus prædicatione quidditatiua, ita prædicatur, vt ex vi prædicationis descendat ad essendum in illis, non solùm secundùm id, quod prædicatur, sed etiam secundùm rationem formalem, vndè habet, vt prædicetur; genereitas verò nullo pacto potest ita descendere, vt sit in inferioribus, cùm sit ens rationis; ergo genereitas non includitur in eo, quod prædicatur, quia ex vi prædicationis descenderet ad inferiora. Cum igitur genus sit illud, quod prædicatur de pluribus specie differentibus, non potest aliquo pacto per talem definitionem definiri genereitas. Solum superest probanda maior huius rationis: cœtera enim clara sunt. Vt autem eam probemus supponendum est id, quod prædicatur coalescere ex duplici ratione, nempè materiali, seu re, quæ prædicatur, & ex formali, per quam res habet, vt possit prædicari. Certum autem est Genereitatem non posse definiri tanquam rem, quæ prædicatur, quia res, quæ prædicatur quidditatiuè identificatur cū subiecto, de quo prædicatur: solùm ergo posset definiri tanquam ratio formalis, per quam natura haberet, quòd

Ratio formalis cui aliquid prædicatur, etiam ipsa descendit ad inferiora.

prædicaretur: sed neque hoc pacto possit definiri per allatam definitionem, ostenditur. Ratio enim formalis, per quam habet aliquid, quòd possit prædicari, cum sit ratio faciens illud descendere ad inferiora per prædicabilitatem, debet ipsa pariter cum illo descendere, quia, dum descendit habet effectum formalem huius rationis, quæ facit descendere: effectus verò formalis non potest esse sine causa formali. Confir. Quod prædicatur ponitur in inferioribus ex vi illius copulæ, *Est*, seu illius affirmationis, qua intellectus affirmat aliquid esse; Ergo ex vi prædicationis totum id ponitur in inferioribus, supra quod cadit particula, *Est*, seu affirmatio; sed quando genus prædicatur de pluribus differentibus specie, particula, *Est*, cadit supra id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, prout tale est: genus enim potest affirmari de pluribus speciebus, solùm prout de pluribus potest prædicari, & id, supra quod cadit formaliter affirmatio, est illud, quod prædicatur de pluribus speciebus; ergo cum genereitas non possit ex vi prædicationis poni in inferioribus, non potest supra ipsam cadere affirmatio, & consequenter præcisa genereitate, habebitur totum id, quod prædicatur de pluribus speciebus: vndè si absque genereitate habetur definitum, non est dicendum, per talem definitionem genereitatem definiri.

3. ratio.

XII. Tertiò argumentor. Prædicari de pluribus, vel potest sumi pro actu primo, seu prædicabilitate, vel pro ipsa prædicatione formali, seu in actu secundo. Certum autem est, quòd quandò definitur, Genus esse id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, non potest intelligi de prædicatione formali in exercitio, quia hæc est actus intellectus iudicantis rem esse talem, non verò esse id, quod prædicatur de pluribus specie diuersis. Solùm ergo potest sumi pro prædicabilitate in actu primo. Quo posito, sic formo argumentum. Prædicabilitas in actu primo adæquatè considerata non dicit aliquam secundam intentionem; ergo quando definitur genus esse id, quod prædicatur, &c. non definitur aliquo pacto genereitas, quia definitio cadit supra id, quod dicit prædicabilitatem; quatenus est aliquid prædicabile, ita vt prædicabilitas sit ratio for-

Prædicabilitas in actu primo salua̓tur absq. secunda intentione.

malis, secundùm quam definitur. Quòd prædicabilitas in actu primo saluetur absque aliqua secunda intentione, prob. Illa enim est prædicabilitas in actu primo, in qua fundatur actualis prædicatio, actualis autem prædicatio, cum fit quoddam iudicium intellectus verum, fundatur tantùm in eo, quod re vera est à parte rei, non autem in aliqua secunda intentione, aut ente rationis: atque natura se sola per summmet esse adæquatè dicit totam prædicabilitatem fundamentaliter acceptam, vt concedunt etiam Auctores oppositæ sententiæ: tribuunt enim naturæ genericæ suam propriam prędicabilitatem fundamentalem, formalem verò dicunt consistere in genereitate. Quod tamen non rectè dicunt, quia prædicatio formalis non se tenet ex parte obiecti, sed ex parte intellectus; est enim actus illius enunciatiuus; & hæc prædicatio formalis non requirit ex parte obiecti aliquam aliam prædicabilitatem præter fundamentalem naturæ, quia sufficit intellectui naturam esse enunciabilem de inferioribus, quod ipsi conuenit ab intrinseco suo, & non per aliquam secundam intentionem.

Confir. XIII. Quod amplius declarari potest confirmando præcedētem rationem. Non quælibet natura potest de pluribus speciebus enunciari. sic natura humana licet possit enunciari de pluribus indiuiduis, non tamen de pluribus speciebus, quacunque secunda intentione superaddita, ergo posse enunciari de pluribus speciebus prouenit ab intrinseco naturæ, non ex secunda intentione, quia videlicet natura per suum esse intrinsecum habet, quòd possit esse in pluribus, quemadmodum in illis ponitur. Modò quando Genus actu prædicatur de pluribus specie diuersis, intellectus ex parte prædicati non concipit aliquam genereitatem, sed nudam naturam, quam per affirmationem coniungit cum inferioribus, ita vt ex parte obiecti illi tantum correspondeat natura ex vna parte considerata secundùm suum purum esse; ex alia verò inferiora, de quibus prædicatur, & identitas eiusdem naturæ cum inferioribus, & nihil aliud, vt attentè consideranti patebit: tunc autem ex parte obiecti interuenit genus, seu id, quod prædicatur de pluribus speciebus, simul cum tota prædicabilitate in actu primo, & quæ necessaria est, vt exerceatur per intellectum actualis prædicatio. Cum igitur genereitas non includatur in eo, quod prædicatur, neque ratione rei, quæ prædicatur, neque ratione prædicabilitatis, neque per talem definitionem definietur.

[Margin: Natura habet ex se prædicabilitatem.]

[Margin: Quid interueniat in prædicatione superioris de inferiori.]

[Margin: Responsio Thomistarum.] XIV. Occurrunt tamen Thomistæ ex doctrina Caiet. supracitati. Aliud esse prædicari essentialiter; & aliud Esse de essentia. [Margin: Caiet.] Prædicari essentialiter conuenit notioni generis, seu genereitati: Esse verò de essentia illorum, de quibus fit prædicatio, conuenit naturæ. Vndè cum in definitione allata à Porphirio definiatur id, quod prædicatur essentialiter, debet definiri genereitas. Verùm hæc doctrina omninò falsa est, & improbabilissima. [Margin: impugnatur.] Inquiro enim, quid intelligant per prædicari essentialiter, si non intelligunt prædicari, vt quid de essentia. Vel enim intelligunt rationem formalem actualis prædicationis: & non; quia hæc non se tenet ex parte obiecti, sed intellectus, cum sit actus illius. Vel intelligunt rationem formalem prædicabilitatis; & hæc non est aliqua secunda intentio, vt iam patet ex dictis. Præterea prædicari, quantum se tenet ex parte obiecti, nihil aliud dicit, nisi enunciari de subiecto; vndè id prædicatur, quòd de ipso enunciatur, & id prædicatur essentialiter, quod, vt quid essentiale enunciatur. [Margin: Prædicari essentialiter est prædicari, vt quid de essentia.] Confirmatur. Ratio formalis, quæ prædicatur, est id, quod formaliter ponitur in subiecto; nam in hoc consistit vis actualis prædicationis, prout se tenet ex parte intellectus, vt ponat in subiecto illam rationem, quæ ex parte obiecti formaliter prædicatur: prædicatio autem actualis, quando enunciat genus de speciebus, ponit in ipsis aliquid reale, non verò secundam intentionem. Et amplius declaratur efficacia huius rationis. Quod simpliciter prædicatur de aliquo, est id, quod ponitur in ipso; ergo, seruata proportione, quod prædicatur essentialiter, est id, quod, vt quid essentiale, ponitur in illo; ergo quando definitur Genus esse id, quod prædicatur essentialiter, ly Prædicari essentialiter non conuenit secundæ intentioni, sed illi rationi, quæ est essentialis speciebus. Accedit etiam, quòd prorsus doctrinam Thomistarum euertit, Quando Porphirius definit genus per prædicationem essentialem, quam ipsi tribuit, vocat prædicationem in quid; & etiam

idem

idem habet Arist. 1. Topicor. cap. 4. Prædicari autem in quid, est prædicari, vt quid essentiale, ly enim quid importat essentiam rei, siquidem ad interrogationem factam per quid, respondemus, explicando rei essentiam. Vndè cum genus sit id, quod prædicatur in quid, non potest esse aliquo pacto secunda intentio. Hinc etiam est, quòd tradunt communiter Dialectici, nimirum *Dici de* supponere *Esse in*, & proindè Prædicari essentialiter supponit esse in eo, de quo prædicatur, vt quid essentiale. Deniq; non video, quomodo possint asserere, quòd secundæ intentioni conueniat prædicari essentialiter, seu tanquam rationi, per quam natura habeat, quòd prædicatur essentialiter, nisi enim natura ex suis constitutiuis intrinsecis haberet, posse prædicari de pluribus, nullo pacto posset de iis enunciari.

Responsio Ruuij impugnatur. XV. Sed non minùs improbabilis est etiam responsio Ruuij, qui concedit, naturam quidem esse illã, quæ prædicatur formaliter, & genereitatem esse solam conditionem, vt prædicetur, & nihilominus asserit, genereitatem definiri, vt formale constitutiuum concreti, quo nihil absurdius excogitari potest. Si enim est tantùm conditio, quomodo est constitutiuum formale concreti. Deindè si est conditio, nullo pacto, neque, vt quod, neque vt quo, potest illi conuenire prædicari de pluribus speciebus: quòd si non conuenit, quomodo est id, quod definitur, cùm dicitur esse id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie? Generei-tas non conuenit generi, ãtequam prædicetur. Addo hanc secundam intentionem genereitatis non conuenire generi, antequam prædicetur, sed postquam facta est prædicatio. Quod ex eo ostenditur, quia intellectus fingit hanc secundam intentionem, tanquàm aliquod ens rationis cùm fundamento in re. Fundamentum autem in eo consistit, quòd intellectus abstrahit naturam ab inferioribus, & illam sic abstractam comparat ad ipsa, & videt naturam esse illis essentialem, & rursus inferiora esse specie diuersa; & nisi hæc omnia cognoscat, non habet fundamentum sufficiens ad fingendam secundam intentionem, quæ sit propria notio generis. Quòd si intellectus priùs hoc totum cognoscit, ex vi illius comparationis, & cognitionis, qua cognoscit inferiora esse quidditatiuè talia, enunciat naturam de illis, atque adeò prædicari conuenit priùs generi, quàm sit affectum aliqua secunda intentione: quomodo ergo definietur secunda intentio?

Tertia cõclusio. Definitur natura generica. XVI. Dico tertiò. In hac definitione generis definiri formaliter naturam genericam, prout præscindit ab hac, vel illa natura generica determinata. Sequitur hæc conclusio ex præcedentibus. Porphir. Atque hanc sanè fuisse intentionem Porphirij, colligitur ex eo, quòd, post generis definitionem, attulit exemplum de animali, tanquam id, cui conueniret definitio. Neque valet, si dicatur hoc exẽplum attulisse, tanquam de eo, quòd denominatiuè est genus; nam de eo, quod denominatiuè tantùm est genus, non verificatur definitio, sic definitio albedinis non verificatur de eo, quod solùm denominatiuè est album. Arist. Præterea hæc est sententia Arist. 1. Topicor. cap. 4. nam cum definisset genus, per prædicari de pluribus differentibus specie, subdit. *In eo sanè quod quid est prædicari talia dicuntur, quæcunque conuenit interrogatum assignare ad quod est propositum, quemadmodum de homine conuenit interrogatum quid est propositum, dicere, quod animal*. Ex quo sic colligo. Illud prædicatur in quid formaliter, & tanquam id, quod per talem definitionem definitur, quod assignatur interrogationi Quid est; modò animal, per Arist., est id, quod assignatur interrogationi Quid est; ergo animal formaliter est id, quod prædicatur in quid, & consequenter natura definitur, quando definitur, Genus esse id, quod prædicatur de pluribus specie differentibus. Quomodo accipiẽda cõclusio. Verùm ita debet intelligi posita conclusio, vt, cum dicitur, definiri naturam, internoscat id, quod definitur, & ratio formalis, secundùm quam definitur. Quod definitur, est ipsa natura, considerata secundùm suam essentiam: ratio autem formalis, secundùm quam definitur, radicaliter quidem, est ipsa vnitas, & aptitudo ad essendum in pluribus specie diuersis, proximè verò, & formaliter est ipsa prædicabilitas, quæ est passio metaphysica vniuersalis. Hoc igitur coniunctum ex natura vna vnitate communi, & apta ad essendum in pluribus, atque ex prædicabilitate, est id, quod definitur.

1. ratio. XVII. Sic autem exposita prob. conclusio. Definitio tradita formaliter, & non denominatiuè solùm saluatur in esse

intrinseco naturæ, ita vt explicet, quod essentialiter conuenit naturæ; ergo quod definitur est ipsa natura. Conseq. est euidens, nam id, per quamlibet definitionem definitur, quod per ipsam secundùm proprium esse explicatur. Anteced. autem sic ostenditur. Valet hæc propositio, Natura est id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie; ergo prædicari de pluribus differentibus specie intrinsecè imbibitur in natura. Quod autem de aliquo prædicatur in recto debet esse de eius essentia, alioquin falsa esset prædicatio. Nec potest dici, quòd solum denominatiuè prædicetur; nam prædicatio denominatiua non potest fieri in recto; licèt enim parieti albo conueniat disgregare visum, tamen si præcisa albedine consideretur, non poteſt dici Esse id, quod disgregat visum. Confirmatur. Quod dicitur ad conuertentiam cum definitione, est id, quod formaliter definitur, sed natura dicitur ad conuertentiam cum definitione generis: valet enim Natura est id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid; & è contra, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid, est natura: sic animal est aliquid, quod prædicatur de pluribus differentibus specie. Natura igitur est id, quod formaliter definitur.

Natura imbibit definitionem generis.

Confir.

XVIII. Atque hinc potest etiam elici valida confirmatio. Sumatur animal, & consideretur secundum esse essentiale, tunc certè nullum includit ens rationis, essentia enim animalis non constituitur per aliquod ens rationis, & tamen illi conuenit definitio generis; ergo per illam definitionem definitur tantum natura, prout est apta ad prædicandum de multis. Consequentia est certa, quia illud formaliter definitur, de quo prædicatur definitio. Anteced. prob. Animal secundùm esse essentiale est id, quod prædicatur de pluribus speciebus; vndè sic potest confici ratio iuxtà formam syllogisticam. Esse, quod de pluribus specie differentibus prædicatur, est genus; sed animal, & quæuis alia natura generica secundùm esse essentiale prædicatur de pluribus differentibus specie; ergo secundùm esse essentiale est formaliter genus, & formaliter definitur per talem definitionem. Quòd autem secundùm suum esse essentiale prædicetur de pluribus differentibus specie, etiam facilè prob. nam ipsummet animal est illud, quod per prædicationem ponitur in diuersis speciebus, & quod assignatur interrogationi factæ per quid de quacunque specie, de qua prædicatur animal; quod autem assignatur interrogationi factæ per quid, vt patet per Arist. allatum, est aliquid prædicans essentialiter, huiusmodi autem interrogationi assignatur ipsum esse animalis, non autem aliqua secunda intentio.

XIX. Secundò argumentor. Genus vt genus est, constituitur tanquam pars quidditatiua ipsius definitionis quidditatiuæ; ergo genus, vt genus est, dicit naturam realem, non autem secundam intentionem, & consequenter, cùm genus, vt tale est, definiatur per allatam definitionem definitur realis natura, non secunda intentio. Circa consequentiam non potest esse aliqua difficultas, quoniam cum definitio explicet essentiam rei, debet constare ex partibus essentialibus, quatenus essentiales sunt, vt autem sunt essentiales dicunt aliquid reale. Antecedentiam est certum, quòd scilicet definitio debeat constare ex genere, & differentia, tanquam ex partibus essentialibus. Solum posset quis occurrere, quod definitio constat ex materiali generis, non autem ex formali. Sed nihil prodest hæc responsio. Quoniam definitio constat ex parte metaphysica, quæ communis est omnibus speciebus, ita vt sit in statu proximo ad posse prædicari de illis. Cum enim dicitur Homo animal rationale, ly animal, quod intellectus tunc concipit, absque aliqua mutatione potest prædicari de omnibus speciebus, quod fieri non posset nisi definitio constaret ex genere formaliter sumpta. Confir. quoniam definitio potest prædicari de definito, & in hac prædicatione genus prædicatur, vt quid genericum; ergo in illa definitione se habet formaliter vt genus.

2. ratio.

Genus, vt genus est pars definitionis.

XX. Tertiò principaliter prob. Inter prædicata datur distinctio essentialis, ita vt quædam fundent prædicationem essentialem, quædam vero accidentalem; rursus quædam prædicationem genericam, quædam specificam. Hæc autem diuersitas in modo prædicandi, præsertim secundùm esse in quid, & secundùm esse in quale, non potest prouenire ab aliqua secunda intentione, sed solùm à natura quæ prædicatur, quia si non

3. ratio.

Modo diuersus prædicā di prouenit ab eo, quod prædicatur.

est de essentia, quod prædicatur, prædicatio non erit in quid: si vero sit de essentia erit in quid. Quod satis ex eo patet, quia quacunque secunda intentione posita, nunquam prædicatio erit in quid, nisi quod prædicatur sit de essentia: hinc statim ac aliquid prædicatur in quid, inferimus esse de essentia, & si non prædicatur in quid, colligimus non esse de essentia. Rursus etiam quod prædicetur de pluribus differentibus specie, aut de pluribus differentibus numero, prouenit ab ipsa quoque natura: hinc natura humana nunquam poterit prædicari de pluribus specie diuersis; ex eo enim, quòd natura potest esse in pluribus specie, vel numero diuersis, sequitur quòd de illis possit prædicari: & ratio à priori est: quia prædicatio superioris de inferioribps supponit identitatem prædicari cum ijsdem. Hoc autem posito sic argumentor. Ex ipsa natura prouenit differentia, quæ explicatur in definitione generis, per quam à cœteris prædicabilibus contradistinguitur, nempè prædicari in quid, & de pluribus specie diuersis, hoc enim habet, quia est in pluribus specie diuersis, vt quid essentiale: ergo quod definitur per illam definitionem, non est aliud, quàm natura. Prob. hæc consequentia. Nam in qualibet definitione id definitur, quod præbet differentiam quæ explicatur in definitione, quia cum definitio explicet essentiam rei, id per ipsam definitur, à quo habetur talis essentia, quæ explicatur. Modò prędicari in quid, & de pluribus speciebus habetur à natura generica, & proinde ipsa definitur.

Differētia, quæ explicatur in definitione generis fundatur in natura.

4. ratio.

XXI. Quarta ratio eiusdem conclusionis est. Si comparentur natura generica, & specifica adinuicem, ex vi sui met esse realis distinguuntur inter se, ita vt differentia habeatur penes intrinseca constitutiua naturæ: si quidem natura generica ex vi sui esse, est contrahibilis per plures differentias essentialiter diuersas, non verò natura specifica, sed solum per plures indiuiduationes. Rursus natura generica dicit tantum partem essentiæ; natura verò specifica dicit totam essentiam; ergo etiam constituuntur in esse generis, & species per propriū esse, & consequenter cum esse generis non dicat aliud formaliter, quàm naturam, & definitio explicet genus, vt genus est cadet supra naturam. Antecedens non indiget alia probatione, nam satis euidens est ex ijs, quæ in eiusdem explicatione dicta sunt. Consequens autem colligitur ex illo principio, quòd distinctiuum est etiam constitutiuum, & è contra; atque hoc principium ex ipsis terminis notum est, si modo vera significatio terminorum percipiatur, nam distingui ab aliquo, non est aliud, quam non esse illud; statim enim, ac cum aliquo in esse non communicat, ab ipso distinguitur & quale est esse, in quo non communicat cum alio talis est quoque distinctio: vnde hinc oriuntur diuersi gradus distinctionis. Quare quod formaliter dat tale esse, dat etiam distinctionem; hoc autem præstat constitutiuum, nam formali modo constituit esse, vnde etiam formaliter distinguit. Quamobrem cum naturæ per proprium esse distinguantur penes esse genericum, & penes esse specificum, oportet vt in ipsis ratio generis, atque species reperiatur, tanquam ipsarum constitutiuum.

Natura generica, & specifica ab intrinseco distinguuntur.

5. ratio.

XXII. Quintò prob. Genus formaliter sumptum est aliquid contrahibile per varias differentias, & venit in compositionem realem metaphysicam, per quam constituuntur species; ergo vt genus importat aliquid reale formaliter, quod enim non est reale, non est contrahibile per aliquid reale, neque vt pars venit in realem compositionem, vt intrinsecum constitutiuum compositi. Cū igitur per allatam definitionem definiatur id, quod est formaliter genus concludendum est, definiri naturam, non secundam intentionem, quia sola natura est aliquid reale ex parte generis. Quod autem genus secundùm rationem formalem generis sit quid contrahibile per reales differentias, & veniat in compositionem realem metaphysicam, itavt ratio, cur contrahatur, & veniat in talem compositionem, sit ratio formalis generis ostenditur ex modo contractionis; habet enim genus peculiarem modum contractionis, qui spectat ad peculiarem notionem generis, & quo à cœteris omnibus contradistinguitur. Hic autem peculiaris modus contractionis consistit in eo, quòd contrahatur, tanquam pars essentiæ metaphysicæ per differentias essentialiter diuersas. Cum igitur contrahi tali pacto non conueniat generi, nisi vt genus est, iam vt tale est dicit aliquid tali pacto contrahibile, atque

Genus pars realis metaphysica habēs peculiarem modum contractionis.

adeo.

adeo aliquid reale.

XXIII. Et possumus in confirmationem eiusdem rationis argumentari. Genus, prout est aliquid separatum à speciebus, & contrahibile per differentias, habet suum proprium terminum reale, ad quem ordinetur; ergo in ratione generis debet esse aliquid reale. Quòd habeat terminum realem, patet, quia ordinatur, vt sit in inferioribus, quæ realia sunt, rursus hic terminus est proprius generis, quia solùm genus potest esse in pluribus specie diuersis. Vis autem consequentiæ in eo consistit, quòd genus ordinatur, vt sit in pluribus specie diuersis reali modo, & per identificationem, atque hic ordo ab intrinseco illi competit, & sicuti terminus est realis, ita etiam ordo debet esse realis, præsertim quia nihil aliud dicit, nisi esse talis naturæ, quæ potest esse in illis inferioribus: quare natura illa habet suam propriam rationem, per quam constituatur in esse generis. Nec valet, si dicatur, id esse verum de genere materialiter sumpto, quia procedit de genere, vt est pars quædam metaphysica, vt autem est talis pars, dicit rationem formalem generis.

Genus habet terminum realem, ad quem ordinatur.

6. ratio

XXIV. Denique possumus in confirmationem addere, quòd illud formaliter definitur, quod formaliter prædicatur de pluribus speciebus, id autem formaliter prædicatur, quod est in ipsis. Est enim duplex prędicatio, alia intellectualis, quæ consistit in operatione intellectus, & alia obiectiua, quæ se tenet ex parte obiecti, quæ solet dici prædicatio fundamentalis, quatenus est fundamentum prędicationis intellectualis, quæ dicitur prędicatio formalis. Illud autem ex parte obiecti formaliter prędicatur, quod est formale obiectum prædicationis intellectualis: cum igitur prædicatio intellectualis formaliter in eo consistat, quòd sit iudicium intellectus, quo iudicando cognoscat aliquid esse in alio, id prædicabitur formaliter, quod est obiectum huius iudicij cognoscitiui, & quod cognoscitur esse in ipso subiecto: Prædicari enim formaliter ex parte intellectus consistit in eo, quòd intellectus indicatiuo modo percipiat aliquid esse in alio, vnde seruata proportione, quia id, quod cognoscitur esse in obiecto, est obiectum huius cognitionis indicatiuæ, ideo hoc, quod est in obiecto, prædicatur formaliter. Et sic quia in genere, quando prædicatur de inferioribus, ipsa natura præcisè cognoscitur esse in inferioribus per cognitionem iudicatiuam, non autem aliqua secunda intentio, alioquin falsa esset prædicatio, ideo sola natura est id, quod prædicatur formaliter, & ideo sola in illa definitio ne definitur.

Prædicatio obiectiua, & intellectualis.

Quid prædicetur formaliter ex parte obiecti.

Satisfit rationibus in oppositum.

SECTIO III.

I. PRima ratio, quæ contra nostram sententiam militat, est illa, qua vtebatur prima sententia, quia videlicet non potest dari aliqua natura realis communis omnibus generibus, siquidem genera summa nihil habent commune. Sed respondetur negando quod assumit. Imprimis enim etiam summa genera habent transcendentia, quæ sunt omnibus communia, & hæc sola sufficiunt, vt fundent prædicabilitatem, quia ipsa quoque prædicantur de pluribus. Deinde cum dicitur, Summa genera non habere aliquid commune, non debet intelligi, quòd non habeant aliquid commune simpliciter, sed solùm, quod non habeant aliquid commune determinatum genericum, & superius ad ipsa, alioquin non essent summa genera. Hoc autem rursus ita intelligi debet, quòd supra illa prima genera non detur aliquod genus, quod sit extra rationes ipsorum, quibus constituunt illa suprema genera, & consequenter in eadem linea prædicamentali non detur aliqua ratio determinata entis prior supremis generibus, sicuti contingeret, si supra substantiam daretur aliqua alia ratio determinata entis, quæ prius contraheret ens vt sic, antequam contraheretur per substantiam: non autem intelligi debet, quòd non habeant aliquid commune, quod inuoluatur in suis peculiaribus rationibus, quibus constituunt summa genera.

Ad primum.

Quomodo summa genera non habeant aliquid superius cõmune.

II. Pro cuius intelligentia adnotandum est; Ista suprema genera esse quasdam rationes, quas intellectus ab inferioribus præscindit, quæ supra se non habent alias rationes superiores, quæ importent aliquam determinatam rationem entis, quæ proximior sit ad contrahendum ens vt sic in determinato ge-

Quomodo omnia genera in aliquo cõueniant.

nere essendi. Sed postquam intellectus habet has rationes præcisas potest supra illas reflectere considerando, quam conuenientiam habeant inter se, prout sunt suprema genera, & tunc reperit in hoc conuenire, vt sint primæ rationes determinatæ ipsius entis ad determinatum modum essendi, atque vniuocum, & quòd respiciant inferiora, vt prima cõtrahibilia per veras differentias; rursus potest etiam has supremas rationes cũ alijs rationibus genericis comparare; & tunc percipit eum ijs conuenire in eo, quòd sint quædam naturæ, quæ de pluribus specie diuersis prædicãtur. stante ergo hac conuenientia omnium generum potest illam intellectus abstrahere, tanquàm quid commune omnibus generibus, etiam primis; quæ tamen non constituit supremum genus, sed est quid imbibitum in rationibus peculiaribus summorum generum, atque etiam aliorum, & est illa, quę definitur per allatam definitionem.

Ad secundam.

III. Ad secundam rationem pro eadem sententia dicimus in allata definitione ly prædicari non sumi secundò intentionaliter, sed primò intentionaliter nempè pro passione naturæ vniuersalis, & ideo negatur assumptum. Ad tertiam etiam patet ex dictis, negamus enim definiri concretum ex natura, & genereitate, sed definitur pura natura secundùm suum esse reale, & quatenus est prædicabilis de pluribus speciebus. Et ex hoc soluta manet quarta ratio, quæ volebat prædicabilitatem esse secundam intentionem, non verò passionem naturæ. Hinc ad confirmationem eiusdem rationis dicendum est, quòd licet possit fingi aliqua relatio rationis, quæ aduenniat naturæ, quando de pluribus prædicatur, non tamen definitio explicat hãc relationem, siue sit relatio prædicabilitatis, siue quæcunque alia, vt satis ex dictis constat. Hinc etiam solutum manet fundamentum tertię sententię, falsum enim supponit, scilicet naturæ præcisè sumptæ non conuenire prædicari. Cùm autem dicitur genus esse quoddam concretum, falsum est si intelligatur de concreto ex natura, & genereitate. si verò intelligitur de concreto metaphysico ex materia, & ratione formali prædicandi, verum quidem est, attamen hæc ratio formalis non est ens rationis, vt diximus.

Ad tertiã

Ad quartam.

Ad fundamentũ tertiæ sententiæ.

IV. Posset tamen rursus obijci contra nostram sententiam. Quod si esse genus conueniret naturę secundùm se, conueniret etiam cuicunque inferiori, siquidem natura secundùm se reperitur in vnoquoque indiuiduo. Hęc obiectio potest afferri etiam contra vniuersale, quam latè ibi discutiemus. Nunc breuiter dicendum est, quòd Genus, cum sit quoddam vniuersale, potest considerari, & secundùm esse Physicum, & secundùm esse Metaphysicum, de quo duplici vniuersali suo loco dicemus. Si igitur natura generica consideretur secundùm esse physicum, habet suam vniuersalitatem genericam physicam à parte rei, quatenus habet suum actum proportionatum, qui est esse in pluribus; est enim vniuersalitas in exercitio posita, & ideò consistit in actu, qui non est proportionatus, nisi prout facit naturam esse in pluribus; solùm enim prout respicit plura, habet rationem generis. Si verò loquamur de genere, prout est quoddam vniuersale metaphysicum, sicuti vniuersale metaphysicum requirit, vt natura sit separata ab inferioribus per præcisionem, ita etiam genus debet esse præcisum à suis inferioribus, vt acquirat rationem generis metaphysici, de quo nunc agimus, vnde obiectio non habet locum. Hæc autem præcisio non requiritur, tanquam formale constitutiuum, sed tanquam conditio, vt dicemus de vniuersali. Quare cum prędicari de pluribus conueniat naturę præcisæ ab inferioribus, non debet conuenire naturæ, prout est in vnoquoque indiuiduo. Rursus cum obijciunt. Ad Logicum non spectare agere de naturis rerum, & ideò debuisse à Porphirio definiri secundam intentionem. Dicimus etiam Logicum considerare naturas rerum, non quidem secundùm se, sed prout sunt primę intentiones, & termini simplices cõferentes ad prædicationem, syllogismum, definitionem, atque alia huiusmodi; & ideò Porphir. definiuit naturam genericam secundum prędicabilitatem, quia, prout dicit suam intrinsecam prædicabilitatem, valdè confert ad Logicum ad conficiendas propositiones, & alia huiusmodi.

Obiectio

Solutio.

Genus Physicũ, & Metaphysicũ, & de quo verificetur definitio.

Quomodo Logicus cõsideret naturã rerũ

An definitio Generis tradita à Porphirio sit quidditatiua, Disp. L.

Auctorum sententia.

SECTIO I.

I. DIscrepant inter se Auctores circa hanc definitionem, an videlicet sit quidditatiua, an potius descriptiua. Omnes autem procedunt iuxta suam opinionem circa definitum per hanc definitionem; Nos autem, qui diximus definiri naturam, consequenter inquiremus, an respectu ipsius sit quidditatiua? Antequàm autem ad quæstionem accedamus, aduertimus essentias rerum triplici modo explicari. Primò per partes, assignando videlicet partes ipsarum, siue physicas, siue metaphysicas, cuiusmodi sunt materia, & forma; genus & differentia. Secundò explicari possunt per aliquod accidens, quod tamen sit ipsis proprium, siue sit physicum, siue metaphysicum. Tertiò denique possunt per accidentia communia explicari, non per vnum tantùm, sed per plura, quæ faciant vnam collectionem, quæ solùm conueniat tali essentiæ. Est autem hoc discrimen inter hos modos; quòd primus formaliter explicat quidditatem, & immediatè secundùm se illam manifestat; & ideo hæc explicatio propriè dicitur definitio quidditatiua. In secundo autem modo non explicatur formaliter, & secundum se essentia, sed veluti à posteriori per aliquid necessariò consequens essentiam, & proindè, tanquam aliquid posterius ducit nos in eius cognitionem. Tertius autem modus valdè accidentalis est, quia licet illa collectio accidentium exigatur à tali essentia, non tamen adest intrinseca connexio, nec est adeo ipsi propria, vt saltem per Dei potentiam non possit essentia aliam collectionem accidentium habere. Vndè hic modus est merè descriptiuus, & solùm ex quadam connexione accidentali à posteriori ducit nos in cognitionem essentiæ. Secundus verò est descriptiuus, licèt non adeò accidentarius.

Triplex modus explicandi rerum essentias.

II. Hoc ergo adnotato Prima opinio nedum negat, Definitionem generis traditam à Porphirio esse quidditatiuã: Sed vult nec posse quidditatiuè definiri. Ita Albert. Magn. tract. 1. Prædicab. cap. 3. Villalpand. cap. de Genere. Et tribuitur hęc opinio Ammon. & Boet. cap. item de Genere, Solet autem fundari in eo, quòd Genus sit quoddam concretum accidentale ex natura, & Genereitate; concreta autem accidentalia, præsertim si inuoluant ens rationis, non possunt quidditatine definiri.

Prima opinio negans Genus posse quidditatiuè definiri. Albert. Magn. Villalp. Ammon. Boetius fundamẽta.

Verùm hæc ratio contra nos non militat, qui negauimus, Genus importare huiusmodi concretum. Secundò autem argumentantur. Vera definitio quidditatiua debet constare ex genere, & differentia; Genus autem, vt tale est, non potest habere genus, & differentiam, quod enim habet genus supra se, non est genus, sed species. Tertiò Genus, quod definitur comprehendit sub se suprema genera: ergò cum nihil possit esse genus supremi generis, nec etiam genus vt sic habebit genus, per quod definiatur. Quartò. Hoc genus comprehendit naturas substantiales, & accidentales, quæ nihil habent commune vniuocum; vndè cum genus non sit aliquid vniuocum, nec etiam potest definiri: quod enim vniuocum non est, definiri non potest definitione quidditatiua.

III. Secunda autem sententia est ex diametro huic opposita. Asserit enim, Genus, nedum posse quidditatiuè definiri, sed etiam per allatam definitionem à Porphirio ita definiri. Ita Scot. quæst. 15. Prædicab. Anton. Andreas cap. de

Secunda opinio de sui quidditatiuè.

Scot. An. ō. Andreas. Caiet.

Genere citatur etiam à Ruuio pro hac opinione Caiet. cap. de Genere quæst. 1. ad 1. atque sequuntur complures ex Scotistis. Fundamentum est, quia Porphir. definit genus, tanquam quoddam prædicabile, & tradit definitionem per Genus, quod est *Prædicabile*, & per differentiam, quæ consistit in tali modo prædicandi, nempè *Quidditatiuè de pluribus differentibus specie*; atque per talem definitionem explicatur tota essentia generis. Verùm non video, quomodo, cum Genus consistat formaliter per Scotum in ente rationis, ita vt formaliter definiatur secunda intentio, possit definitio esse quidditatiua, cùm ens rationis non habeat verum esse, aut veram essentiam. Solùm ergo potest dici esse quidditatiuam similitudinariè, sicuti entia quoque rationis habent similitudinariam essentiam.

Tertia opinio. Posse quidditatiuè definiri, sed nō definiri. D. Th. Soto. Tolet. Niger. Ruu. Sanchez. Auersa.

IV. Alij autem media via incedunt: vndè tertia opinio est Genus posse quidem quidditatiuè definiri, non tamen per hanc definitionem tali pacto definiri Ita D. Th. opusc. 48. cap. 2. Soto quæst. vnica de Genere circa finem. Tolet. in Logica quæst. 2. de Genere. Ruu. quæst. 3. Niger. in suo Clypeo quæst. 38. Sanchez. in Logica lib. 3. quæst. 5. conclus. 2. Auersa in Logica quæst. 10. sect. 2. qui tamen concedit præcisè potuisse definiri quidditatiuè suo modo, si sumatur genus pro sola secunda intentione, non autem si sumatur pro natura, aut concreto ex natura, & genereitate. Atque hanc sententiam sequuntur complures Recentiores: & videtur desumi ex ipso Prophir. qui eodem cap. de Genere ait, *Quod etiam describentes assignarunt Genus esse dicentes, quod de pluribus, &c.* Verùm hoc nihil prodest, nam multoties *Describere* sumitur pro definire, & *Definire* pro describere: vndè ex hoc nihil certi de eius mente potest elici. Fundant autem hanc sententiam in eo, quòd definitio traditur per prædicabilitatem, quæ est passio.

Quædam adnotantur pro vera sententia.

SECTIO II.

I. VT melius veram sententiam declaremus, & explicemus essentiam generis, oportet quędam prius fundamenta ponere, in quibus fundentur, quæ pro resolutione difficultatis sumus dicturi. Imprimis ergo certum esse debet, quòd definitio quidditatiua hic sumitur pro ea definitione, quæ immediatè, & formaliter explicat essentiam rei, tanquam per partes, siue physicas, siue metaphysicas, sed cum genus sit quid metaphysicum, si potest quidditatiuè definiri, solum per partes metaphysicas explicari potest. Verùm quod spectat ad has partes sufficit, quòd quocunque modo veniant in compositionem metaphysicam illius essentiæ, nec requiritur, vt magis hoc, vel illo modo componant essentiam, dummodo se habeant vt partes. Ex quo fit, & est valde adnotandum, vt quando genus se habet vt pars definitionis, prout se habet vt pars præcisè talis speciei, quæ definitur; non dicat suum modum peculiarem prædicandi, nempè quidditatiuè de pluribus differentibus specie; cuius rei ratio manifesta est, quia hic modus prædicandi tantùm illi conuenit in ordine ad plures species simul consideratas, vt terminum adæquatum suæ prædicabilitatis, non verò in ordine ad vnamquamque speciem seorsim acceptam, quia illa non est se sola terminus adæquatus, aut proportionatus: quocirca cum veniat tantùm in compositionem speciei secundùm esse naturæ, quod potest habere in illa specie, non venit in compositionem, prout dicit suum proprium modum prædicandi.

Genus non venit in compositionem speciei, prout dicit propriū modum prædicandi.

II. Præterea cum definitio debeat per partes explicare essentiam rei formali modo, vt sit quidditatiua; hinc fit, vt non possit genus quidditatiuè definiri, nisi in ipso assignentur partes metaphysicæ quidditatiuæ, quibus intrinsecè componatur. Hæ autem partes non possunt assignari in ipso, nisi aliquo pacto se habeat, vt quid specificum, saltem impropriè; debet enim includere compositionem metaphysicam ex partibus: hæ autem partes non possunt omnes esse ita peculiares ipsius, vt non conueniant alteri, quia tunc non essent plures partes essentialiter diuersæ, sed vna tantùm; Constitutiuum enim formale cuiuscunque rei vltimum & differentiale est vnicum tantùm. Quare si sunt plures partes metaphysicæ essentialiter diuersæ, non possunt omnes se habere, vt constitutiuum differentiale generis, sed aliqua ita erit ipsius, vt etiam sit alte-

Quid requiratur vt genus habeat partes metaphysicas.

Fff rius

rius, atque adeò saltem se habebit ad modum generis, si non erit propriè genus. Et quamuis in eadem vltima differentia alicuius rei constitutiua plures formalitates distingui possint; hæc tamen distinctio non est secundùm esse adæquatum, sed solùm secundùm diuersos respectus, & considerationes eiusdem rationis essentialis, vndè non sufficit ad constituendas diuersas partes essentiales, quarum vna se habeat, vt actus, altera verò, vt potentia, & quarum vna sit adæquatè extra aliam, ita vt possimus intelligare vnam alteri aduenire, vt perfectiuum illius, & idcircò vniuscuiusque essentiæ est tantùm vna adequata formalitas differentialis, quæ se habet, vt pars essentialia metaphysica.

In differentijs vltimis non possunt distingui plures partes.

III. Rursus vniuersale duplici modo considerari potest, vel in abstracto, prout dicit rationem formalem constitutiuam vniuersalis, quæ est vnitas, & aptitudo. Et in concreto, prout dicit naturam affectam vniuersalitate, nempe vnitate communi, & aptitudine. Atque in ordine ad inferiora hoc discrimen obtinet, secundùm hanc duplicem acceptionem, nam quando vniuersale, in concreto sumptum, diuiditur in genericum, & specificum, non diuiditur genus in species propriè dictas, sed tantùm in gradus vniuersalitatis subordinatos. Quando vero in abstracto consideratur, & concipitur illi aduenire præcise ratio essendi in pluribus speciebus, & ratio essendi præcisè in pluribus indiuiduis, ita vt concipiatur vna ratio contradistingui ab alia, tunc est diuisio generis in species, seu saltem rationis genericæ per differentias oppositas. Verùm licèt quando diuiditur in concreto, non sit diuisio generis in species, sed in gradus subordinatos, cum hoc tamen stat, quòd tale, & tale vniuersale habeat suas partes metaphysicas essentialiter diuersas, & quarum vna sit prior, & superior alia; tunc enim ratio talis vniuersalis aduenit vniuersali vt sic, & vniuersale indeterminatè sumptum sit hoc, aut illud vniuersale, & tali pacto interuenit compositio metaphysica ex diuersis rationibus, seu partibus metaphysicis, quarum vna sit adæquatè extra aliam. Hinc fit, quòd cum genus sit tale vniuersale, habeat ipsum quoque suas partes metaphysicas, quibus coalescat, nempe vniuersale vt sic, & tale vniuersale.

Duplex acceptio vniuersalis, & discrimen vtriusq. quo ad diuisionem.

IV. Denique illud etiam est aduertendum, quòd in genere duo possunt considerari, nempè modus prædicandi, seu essendi in pluribus, & natura ipsa, quæ est in illia. Hoc autem discrimen, est inter hæc duo, quòd si loquimur de modo prædicandi, seu essendi in pluribus specie diuersis, non potest genus secundùm hanc rationem poni sub genere formaliter accepto, seu sub modo prædicandi generico, & ratio manifesta est, quia idem non potest poni sub seipso, tanquam sub genere, nec potest esse species sui ipsius, modus autem prædicandi genericus est differentia constitutiua generis, & primò incipit esse in ipso, & non est in alio, nisi ratione generis. Si verò consideretur natura, quæ fundat hunc modum prædicabilitatis, non implicat, quòd habeat supra se genus, seu rationem aliquam superiorem, quæ quidem ratio, etsi respiciat plura essentialiter diuersa, tamen non ponitur sub genere, quatenus dicit illam rationem communem, sed solùm quatenus dicit modum prædicandi; Et non obstante, quòd vniuersale sit genus ad vniuersale genericum, & specificum, ponitur tamen sub ipso genere, non ratione naturæ, quam dicit communem vniuersali generico, & specifico, sed secundùm modum prædicandi.

Genus secundum naturã, & modũ prædicandi considerari potest, & hoc posteriori modo non habet genus.

Explicatur duplex acceptio generis.

SECTIO III.

I. GEnus solet à Logicis duplici modo considerari; nempè per modum partis respectu speciei: & per modum totius. Hæc duplex acceptio traditur ab ipsis, dum explicant, quomodo genus prædicetur de speciebus: asserunt enim prædicari de ipsis, vt est quoddam totum; sed nos de hoc infrà suo loco dicemus. Assignant autem hoc discrimen, inter genus consideratum, vt est quoddam totum, & vt est quædam pars. Quòd, vt est quoddam totum, dicit naturam abstractam ab omnibus speciebus, vt est animal, quod importat naturam animalem, seu sensitiuam, abstractam ab hoc, & illo animali specificè. Prout verò se habet vt pars, non consideratur, vt aliquid abstractum ab ipsis speciebus, sed vt pars præcisa talis speciei; cuiusmodi esset animalitas. Quòd si quæras,

Genus per modum partis, & per modũ totius.

quomodo genus, verbi gratia animal, sit totum, cum tamen non dicat totum esse specierum. Respondent. Dicere in confuso omnes species, & ideò non est totum actuale, sed potentiale, quia non dicit explicitè species, sed implicitè.

II. Verùm circa hanc doctrinam aduertendum est, quòd genus, etiam quando sumitur vt totum potestatiuum, adhuc verum est, in suo conceptu obiectiuo formaliter non dicere totum esse, aut omnium specierum, aut alicuius, sed solùm importat rationem communem omnibus speciebus. Quod satis ex eo conuincitur, quia secundùm suum conceptum obiectiuum formaliter sumptū dicit illa tantùm prædicata quidditatiua, quæ cōueniūt singulis speciebus, quæ sūt sub illo genere, illud enim tantùm dicit, quod est præcisè obiectiuè in intellectu, quia solùm habet esse suum esse obiectiuè in illo, quatenus se habet vt quid metaphysicum: illud autem solùm est obiectiuè in intellectu, quod ab ipso attingitur, & vt obiectum terminat cognitionem, quod fieri non potest, nisi formaliter manifestetur intellectui. Deindè hoc ipsum quoque ostendit ipsa præcisio, quia genus, etiam vt est quoddam totum potestatiuum, est quid præcisum à pluribus speciebus. Cum igitur præcisio superioris ab inferiori dicat secundùm cognitionem rationem communem separari à particularibus, non potest genus, vt est quoddam totum potestatiuum, importare totum esse speciei.

Genus, vt totum potestatiuū, non dicit totum esse speciei.

III. Atque amplius declarari potest hæc doctrina. Genus, vt quoddam totum potestatiuum, est quoddam vniuersale, quod potest de pluribus differentibus specie prædicari; rursus est quid contrahibile ad hanc, vel illam speciem: ex hoc autem manifestè sequitur, quòd non possit importare totum esse speciei, quia species dicit etiam esse differentiale, per quod constituitur in esse talis speciei. Genus autem non potest dicere differentias: si enim diceret differentias, quomodo posset de pluribus speciebus prædicari, vt quid indifferens? Quod enim ita de vno prædicatur, vt possit secundùm eandem rationem etiam de alio prædicari, non potest importare aliquid peculiare alicui ex illis, de quibus prædicatur. Quomodo enim animal, si importaret rationalitatem in suo conceptu, posset de boue prædicari? tunc enim verificaretur; quòd bos esset rationalis. Rursus si genus est quid contrahibile per differentias, etiam vt est totum potestatiuum, quomodo potest illas importare? nunc enim esset iam determinatum, & contractum. Quod autem genus, etiam vt quoddam totum potestatiuum, sit contrahibile per varias differentias colligitur ex ipsius indifferentia, quam debet habere, quia si esset hæc, aut illa species determinatè, aut simul omnes, non esset amplius genus, neque totum potestatiuum, sed actuale.

Genus, vt totum potestatiuū, debet esse indifferens.

IV. Ex his igitur manifestum fit, genus, sumptum etiam vt totum potestatiuum, reuera etiam respectu speciei esse partem, quia non importat de se totam essentiam illius, sed tantùm partem, & id solum, quod species habet commune cum alijs speciebus; quis enim dicat, esse animalis esse totum esse hominis, aut genus esse totam essentiam speciei, cum ad illam constituendam debeat coniungi cum differentijs? Certè hoc est vnum ex illis, quę nota sunt lumine naturæ: certum enim est, & euidentissimum, quòd totum importat totam rem: quod verò non importat totam rem, sed solùm aliquid de ipsa, non est totum, sed pars. Genus autem, vt quoddam totum potentiale, non importat formaliter totam essentiam speciei, vt per se patet. Quare est tantùm pars, & explicandum est, quomodo dicatur totum, etiam respectu speciei, cum tamen dicat tantùm partem essentiæ eiusdem.

Genus, vt totum po estatiuum, pars speciei.

V. Verùm circa hoc est aduertendum, quòd non dicitur totum simpliciter, sed potentiale, cum hoc autem stat, quod sit etiam pars. Totum enim potentiale illud dicitur, quod reuera formaliter non est totum in se, sed tantùm potest esse: sic igitur genus, licet in se formaliter sit pars, quia tamen per aduentum differentiæ potest fieri quoddam totum actuale, dicitur totum potentiale. Quod si inquiras, cur potius genus, quam differentia dicatur totum potentiale. Respondendum est, genus in compositione speciei se habere, vt partem materialem; in hac autem compositione metaphysica attenditur proportio ad compositionem physicam, quæ fit ex materia, & forma. Sicuti ergo in compositione physica materia dicitur totum potentiale, quia in potentia continet for-

Cur genus dicatur totū potētiale

mas: simili modo genus, cum se habeat vt pars materialis, dicitur continere in potentia differentias, atque adeo esse quoddam totum potentiale, seu, vt alij dicunt, potestatiuum.

VI. Alio etiam modo potest hæc doctrina explicari, assignando rationem, quomodo genus, cum semper sit pars speciei, dicatur tamen quoddam totum. Potest enim genus dupliciter considerari, nempe in abstracto, & in concreto, sicuti etiam qualibet alia natura. Hoc autem est discrimen, quòd in abstracto importat quamdam formam metaphysicam, quæ se habet, vt formale constitutiuum alicuius naturæ per se stantis in concreto verò importat eamdem naturam per se stantem. Quia autem omne concretum est quoddam totum; importat enim aliquid habens formam, & veluti ex forma, & subiecto constituitur, ideò, quando genus cõcipitur in cõcreto, concipitur ad modum cuiusdam totius. Atque hæc doctrina desumitur ex Diuo Thoma De ente, & essent. cap. 4. vbi docet, quòd rationalitas non est differentia, sed principium differentiæ, nempe formale, quia est forma metaphysica, qua constituitur concretum differentiæ, nimirum rationale, quam fortasse doctrinam desumpsit ex Auicen. 5. Metaph. cap. 6. vbi hoc ipsum docet. Hoc autem ipsum dicendum est etiam de genere, cum sit eadem ratio, ac de differentia. Quare genus erit quoddam totum, quatenus significat aliquid per se stans, & in concreto: semper tamen erit pars speciei, quia etiam in concreto est contrahibile per differentias in concreto sumptas, vt per se patet.

Genus in cõcreto, & in abstracto. In cõcreto quoddã totum

D. Tho.

Auicẽna

Quodnam sit proprium constitutiuum primi principij compositi Metaphysici.

SECTIO IV.

I. HAnc duplicem acceptionem generis ideo retuli, & explicaui, quia non solùm valdè confert ad intelligendam naturam generis, sed etiã quia necessaria erat, vt commodè possemus explicare proprium constitutiuũ ipsius. Vt enim videamus, an possit genus, seu primum principium compositi metaphysici quidditatiuè definiri, & adæquatè explicemus eiusdem essentiã, inquirendum est proprium constitutiuũ ipsius, quod se habet veluti differentia distinctiua, qua à cœteris omnibus distinguatur. Circa hanc verò difficultatem existunt varij modi dicendi, quos refert Auersa in Logica quæst. 10. sect. 1. & ibidem impugnat. Verùm, quia puto illos modos continere omnes veritatem aliquam, & vnumquemque explicare aliquam rationem propriam generis, seu explicare diuersos conceptus inadæquatos ipsius, idcircò in sequentibus id ostẽdemus, explicando per partiales conceptus propriam differentiam generis. Quod tamen ita debet intelligi, non quòd isti conceptus inadæquati ita se habeant, vt vnus sit omnino extra alium, sed quòd dicant eandem formam metaphysicam secundùm diuersas habitudines, & expressiores conceptus intellectam.

Auersa.

II. Primò igitur ad constituendum genus requiritur, vt possit inesse pluribus speciebus; seu si physicè loqui velimus, in illis multiplicari. Atque hoc putat Auersa loco citato esse adæquatum constitutiuum generis; addit, istas species debere esse species prædicabiles; hoc est, vt & ipsæ possint inesse pluribus indiuiduis, seu in ipsis multiplicari. Vndè reijcit alium modum dicendi, qui simpliciter asserebat Genus esse illud, quod potest multiplicari in pluribus, quæ sint dissimilis, & inæqualis perfectionis essentialis. Obijcit enim contra hunc modum dicendi, quòd si illæ species non essent multiplicabiles in pluribus indiuiduis, illud non esset genus. Deindè quia aliqui admittunt plura indiuidua eiusdem speciei inæqualis perfectionis. Denique quia possunt dari aliquæ species multiplicabiles in pluribus indiuiduis, & quæ sint æqualis perfectionis. Verùm hæc nullius sunt momenti, nam dicere, quòd illud non est genus, quod posset esse in pluribus essentijs diuersis, si huiusmodi essentiæ non possent multiplicari indiuidualiter; quicquid sit de veritate suppositi; voluntariè dicitur, & sine fundamento: siquidem vniuersale genericum habet pro formali termino in suis interioribus diuersitatem essentialem, hoc est diuersas essentias, & per hoc contradistinguitur à specifico, quod autem differentiæ per quas contrahitur, sint capaces multiplicationis indiuidualis, est per acci-

Possit multiplicari in pluribus speciebus spectat ad cõstitutiuum generis.

dens,

dens, & materialiter se habet ad ratione formalem termini ipsius generis. Quòd autem aliqui admittant plura indiuidua eiusdem speciei inæqualis perfectionis, hoc nihil refert, quia, si darentur, non differrent essentialiter, sed solùm indiuidualiter, & inæqualitas esset solùm secundùm esse indiuiduale. Denique cũ dicitur, posse dari species æqualis perfectionis, quicquid de hoc sit, sufficit si sint essentialiter diuersæ, quia per ly *Inaquale* debet intelligi tantum diuersitas essentialis: aut si sumitur pro maiori, vel minori perfectione, debet sumi sub disiunctione; hoc est, quod genus sit multiplicabile in pluribus, quæ sint inæqualis, aut saltem diuersæ perfectionis essentialis.

III. Quare existimo ad cõstitutiuum generis requiri, vt possit esse in pluribus essentialiter diuersis, præscindendo ab eo, quòd differentiæ essentialiter diuersæ, quibus est contrahibile constituant species indiuidualiter multiplicabiles, vel non; ita vt vtrumque, quantum est ex vi generis, possit contingere. Et quidem, quòd genus ab hoc præscindat, patet ex modò dictis, quia hæc multiplicatio indiuidualis naturæ specificæ est extrà rationem formalem termini ipsius generis, & præcisa hac multiplicatione intelligitur sufficienter natura generica eo ipso, quòd potest esse in pluribus essentialiter diuersis. Atque quòd posse esse in pluribus essentialiter diuersis spectet ad constitutiuum generis, colligitur ex definitione allata à Porphirio, dum definit genus per prædicari de pluribus differentibus specie. Cum enim prædicari supponat inesse, debet genus posse esse in pluribus specie diuersis. Atque hoc ipsum desumitur etiam ex Arist. 1. Topicor. cap. 4. vbi ipse quoque hanc eandem prædicabilitatem tribuit generi: atque hic etiam est communis sensus philosophorum. Et facilè ex eo conuincitur, quia datur duplex vniuersale aliud, quod potest esse tantùm in pluribus solo numero differentibus: & aliud, quod potest esse in pluribus essentialiter diuersis: & nulla alia diuersitas in vniuersali excogitari potest. Primum vniuersale constituit naturam specificam: secundùm verò naturam genericam. Atque hinc sequitur, vt etiam habeant suum modum proprium essendi in inferioribus, vt dicemus, quando agemus de vniuersali: quia enim vniuersale genericum respicit inferiora essentialiter diuersa, sequitur, vt sit in illis, vt quid contrahibile per differentias essentialiter diuersas, & proindè non dicit de se aliquam naturam vltimò completam in ratione essentiæ, sed adhuc perfectibilem.

Arist.

IV. Atque hinc sequitur alia ratio, quæ inuoluitur in proprio constitutiuo generis, nempè vt veniat in compositionem speciei, tanquam pars materialis; quod tamen non admittit Auersa loco citato, tanquam proprium, & vniuersale constitutiuum generis. Sed nihilominus ita docet D. Thom. De ente, & essent. cap. 3. §. *Et hoc patet modo, &c.* Caiet. ibid. Soncin. 4. Metaphys. quæst. 20. Auer. 7. Metaphys. com. 53. Scot. quæst. 16. Vniuer. & est sententia aperta Arist. 10. Metaph. tex. 24. vbi ita inquit. *Genus verò materia eius est, cuius genus dicitur, non vt quod Heraclidarum, sed vt quod est in natura*, Atque alibi etiam docet, genus esse potentiam, differentiam verò actum. Et facilè etiam ostenditur. Quòd enim genus pertineat ad constitutionem speciei, dubitari non potest, cum inuoluatur in intrinseca quidditate ipsius, & de ipsa prædicetur; quòd neque sit tota quidditas patet ex dictis sect. præcedenti, quia semper est pars quocunque modo sumatur, siue vt totum potestatiuum, siue vt pars; dicit enim semper aliquid contrahibile per differentias, si enim diceret totam essentiam speciei, esset tantum species, non verò aliquid commune pluribus speciebus, & indifferens ad prædicandum de vnaquaque.

Genus mater a speciei. D. Th. Caiet. Soncin. Auer. Scot. Arist.

V. Quòd verò veniat in compositionem, etiam vt pars materialis, sequitur ex dictis, nam venit in compositionem speciei tanquam aliquid commune, & contrahibile: quod autem est contrahibile, se habet vt potentia, atque adeo vt materia: contractiuum verò se habet vt forma, & determinatiuum generis, quod enim determinat aliquid potentiale, se habet vt forma illius: sic quia forma determinat materiam ad talem naturam, dicitur se habere vt forma; cum igitur differentia determinet genus ad talem essentiam specificam, & genus se habeat vt determinabile, & aliquid potestatiuum, se habebit vt pars materialis. Prætereà cum genus possit esse,

Quomodo genus sit pars potentia lis.

esse, tum cum hac, tum cum illa differentia, & præscindat ab omnibus, erit pars posita extrà differentias, & cum sit perfectibilis per differentias, iam erit pars potentialis extrà ipsas, vndè dubium non est, quin sit pars quædam potentialis, & ad modum materiæ se habens.

Rationũ Auersæ inefficacia.

VI. Neque rationes Auersæ aliquid in contrariũ concludunt, nam cum dicit, Hinc sequi, vt genus debeat perfectè præscindere à differentijs, quod tamen, inquit ipse, non est vniuersaliter verum, occurrendum est, semper genus debere perfectè præscindere, vt infra dicemus: deinde etiam si non perfectè præscinderet, tamen adhuc esset verum, quòd aliquo pacto præscinderet, & esset pars potentialis, quia adhuc esset contrahibile per varias differentias, & esset pars speciei. Vndè falsum est, quod air, Genus dicere totam essentiam speciei, quia hoc est contra rationem generis; quomodo enim genus dicet totam essentiam speciei, si de qualibet specie potest prædicari? tunc enim sequeretur, quòd esse vnius speciei prædicaretur de alia. Deindè cum ait, quòd etiã species esset pars, quia ipsi superaddantur indiuiduationes, & proinde esse partem materialem non posse esse constitutiuum generis, Neque aliquid conuincit, nam concedendum est, quòd etiam species sit pars materialis indiuidui, vt indiuiduum est: verùm genus non est quæcunque pars materialis, sed est pars materialis speciei, seu compositi essentialis metaphysici; indiuiduatio enim est extrà essentiam, quia per vltimam rationem specificam essentia est completa in ratione essentiæ: differentia verò est pars essentiæ, & idcò cum genus illam respiciat, vt compartem, est talis pars, quæ se habeat ad modum materiæ: & hoc conuenit solùm generi. Atque in casu nostrò id ferè contingit, quod proportione seruata contingit in rebus physicis. In his enim datur forma substantialis, & forma accidentalis; atque vnicuique formæ correspondet propria potentia, verùm formæ substantiali correspondet potentia, quæ est pars essentiæ physicæ: formæ verò accidentali correspondet ipsa essentia physica, quæ perficitur per accidentia accidentali modo. Sic igitur genus est pars essentiæ metaphysicæ, nempe speciei,

Etiam si genus nõ perfectè præscinderet, esset pars materialis.

& respectu differentiæ, quæ est forma eiusdem essentiæ, se habet vt materia. Species verò est pars indiuidui, & respectu indiuiduationis se habet vt materia. Cum hoc tamen stat, quòd sint diuersæ partes, & diuerso modo vnicuique proprio se habeant vt materia, sicuti etiam contingit in materia physica formæ accidentalis, & substantialis.

VII. Pergit vlterius Auersa, & rursus obijcit, quia cum genus sit quædam natura vniuersalis, debet comparari ad ea, respectu quorum est vniuersalis; atq; ex certo respectu ad ipsa desumi propria ratio constitutiua ipsius. Addit etiã quòd licet differẽtia respectu generis se habeat vt pars formalis, quia tũ differentia subalterna est contrahibilis per aliàs differentias essentialiter diuersas, se habebit tanquam pars materialis non minus, quàm ipsum genus. Sed neque hæc obiectio habet aliquam efficaciam: Quod enim ait proprium constitutiuum vniuersalis debere sumi ex certo respectu ad sua inferiora, hoc planè fatemur necessarium esse, sed addimus in hoc huiusmodi respectu generis inuolui, vt sit pars potentialis, quia genus ordinatur ad sua inferiora, vt contrahibile per ipsa, atq; adeò vt pars potentialis. Cum verò subdit, quòd etiam differentia est contrahibilis per diuersas differentias essentiales, atque hinc sequi, vt se habeat tanquam pars materialis, hoc etiam certum est, sed ob hanc rationem fit, quòd sit genus: species enim subalterna est genus respectu inferiorum specierum, respectu quarum est pars potentialis: vndè eadem differentia se habet vt forma respectu sui generis, & vt pars materialis respectu suarum differentiarum, & proindè cõstituit speciem subalternam, quæ simul etiam est genus.

Differentia subalterna pars potentialis, & actualis.

VIII. Denique obijcit, id non posse dici, nisi supponatur, in qualibet specie interuenire propriam differentiam, quòd tamen est falsum, quia sæpe differentia est communis etiam alijs speciebus, quæ sunt extra illud genus; vt esse viuens, quod est differentia corporis, & conuenit etiam substãtijs incorporeis. Sed neque hoc quidquam obest; quoniam, etiã si cõuenirent differentiæ alijs speciebus, quæ sunt extra illud genus, adhuc tamen verum est, quòd comparatæ ad ipsum se habent vt determinatiuum, & contractiuum respectu illius. Sic esse viuens,

Ponere differentiam cõmunem pluribus speciebus non tollit ab ipsa rationem actus, neq. à genere rationem potentiæ.

licet competat substantijs incorporeis, adhuc tamen determinat corpus, & facit, vt sit tale corpus, & est ratio quædam veniens in compositionem cum ipso corpore, quod complet, & perficit constituendo vnam naturam, seu cōpositum metaphysicum, vndè hoc non tollit, quin genus se habeat vt pars potentialis, & ad modum materiæ respectu differentiæ, etiam si differentia sit extra illud genus, quia adhuc est actus talis generis: sicuti in rebus physicis, quamuis aliquod accidens commune reperiatur in diuersis subiectis, adhuc tamen respectu vniuscuiusque est actus accidentalis.

Posse diuidi essentialiter spectat ad constitutiuum generis.

IX. Tertiò etiam in proprio constitutiuo generis inuoluitur quòd sit multiplicabile essentialiter, ad differentiam speciei, quæ est tantum multiplicabilis materialiter, seu entitatiuè: quæ diuisio illam imitatur, quæ fit secundùm partes integrales eiusdem rationis. Hoc autem tali pacto debet intelligi; Non quòd hæc diuisio essentialis, qua genus est diuisibile, ponatur in intrinseca natura generis, quia hoc non potest esse cùm vnaquçque ratio essentialis indiuisibilis sit in seipsa: sed quòd diuidatur essentialiter per differentias essentialiter diuersas ipsi superadditas, & ratione harum differentiarum constituantur aliqua diuisa essentialiter. Quòd autem hoc quoque sit proprium generis, facilè ostenditur; soli enim conuenit esse in pluribus differentibus specie, ita vt statim ac aliquid intelligitur commune pluribus speciebus, intelligatur etiam esse genus. At diuidi essentialiter, vt explicatum est, non aliud est, nisi poni in pluribus speciebus, vt commune constitutiuum ipsorum: cum igitur genus ex vi proprij constitutiui habeat, vt sit in pluribus speciebus, etiam habebit in proprio constitutiuo, vt possit diuidi essentialiter.

Obiectio Auersæ diluitur.

X. Vndè immeritò Auersa hoc quoque negat, spectare ad proprium constitutiuum generis, & obijcit contrà ipsum, quia sequeretur conceptum communem pluribus indiuiduis tantùm esse genus, quia indiuidua quoque distinguuntur inter se per suas proprias, & intrinsecas differentias, quam distinctionem retinent quoque si vnita sint, & continuata. Sed quicquid de hoc sit, an indiuidua retineant suam distinctionem,

Differentia, alia essentialis alia indiuidualis.

si vniantur, & continuentur, quod tamen falsum puto in partibus quantitatis, non tamen ex hoc sequitur, quòd diuidi per differentias intrinsecas non sit proprium constitutiuum generis; aliæ enim sunt differentiæ indiuiduales, & aliæ differentiæ essentiales: indiuiduales sunt extra essentiam rei, & faciunt differre solùm materialiter, seu entitatiuè: at essentiales sunt intra essentiam rei, & ideò dicuntur intrinsecæ, & faciunt differre essentialiter: quare diuidi per huiusmodi differentias conuenit soli generi, atque adeo imbibitur in constitutiuo ipsius.

XI. Deindè rursus vrget Auersa, quia si darentur aliqua, quæ ita per intrinsecas differentias diuiderentur, vt continuari non possent, & tamen non possent diuidi in plura indiuidua, tunc fatendum esset, rationem ijs communem esse genericam, quod tamen est contrà communem modum sentiendi, nec potest aliquo pacto dici, quia, si aliqua per intrinsecas differentias fierent solùm hæc, aut hæc, tunc certè ratio communis non esset generica, sed specifica, licet non possent continuari. Sed hæc obiectio procedit ex non recta intelligentia huius constitutiui. Quia quando dicitur, ad constitutiuum proprium generis pertinere, vt possit multiplicari per differentias intrinsecas, intelligi debet de differentijs intrinsecis essentiæ, atque adeò essentialiter diuersis. Et consequenter quandò dicitur genus diuidi in ea, quæ non sunt apta continuari, intelligendum est, quod non sint apta continuari ex vi essentialium differētiarum, per quas constituuntur, & hoc pacto intellecta doctrina non vrgetur obiectione facta; quia si illa, quæ non sunt apta, differant tantùm indiuidualiter, tunc illa impotentia ad continuari non orietur ex differentijs intrinsecis, & essentialibus; & ideò non erit illa, quam habent ea, in quæ genus diuiditur, sed aliundè prouenit, non ex intrinsecis differentijs.

Altera obiectio.

Quō genus diuidatur in ea, quæ non possint continuari.

Quodnam sit genus, sub quo collocatur primum principium cōpositi Metaphysici.

SECTIO V.

I. STatuimus proprium constitutiuum generis, seu primi princi-

cipij compositi metaphysici, quod se habet tanquam differentia constitutiua illius: nunc videndum est quodnam sit genus, sub quo collocetur huiusmodi principium. Et quidem attendendo ad differentiam, quam vt proprium constitutiuum generis statuimus, facile est etiã genus designare, si videlicet inquiramus, cuinam adueniat huiusmodi differentia: illud enim vniuscuiusque est genus, quod per differentiam propriam illius contrahitur. Cum igitur propria differentia generis sit posse esse in pluribus essentialiter diuersis, tanquam pars potentialis, & essentialiter diuisibilis, ex quo oritur prædicabilitas de pluribus specie diuersis in quid: atque hoc importet ipsam naturam, quatenus hæc de ipsa verificantur; sequitur, vt genus, sub quo constituitur hoc primum principium, seu cui aduenit hæc differentia, sit natura vt sic, quatenus vniuersalis est. Quod clarè ostenditur, nam posse esse in multis specie diuersis, vt pars potentialis, dicit quandam rationem vniuersalem determinatam, & facit, vt natura sit tale vniuersale, ergo cum in omni genere, ratio, quæ facit tale intra illud genus sit differentia adueniens rationi genericæ, habet etiam ratio talis vniuersalis aduenire vniuersali vt sic. Et consequenter vniuersale vt sic metaphysicè consideratum, erit genus ad talem vniuersalis rationem.

Genus naturæ genericæ.

II. Neque de hoc potest esse aliqua difficultas rem diligenter perpendentibus. Maior difficultas est, an hoc vniuersale statuatur pro genere in allata definitione à Porphirio. Variant enim inter se Doctores, quid in præfata definitione statuatur loco generis, quidam volunt loco generis constitui naturam, quæ de pluribus differentibus specie prædicatur, non quidem quatenus dicit rationem vniuersalis metaphysici vt sic, neq; quatenus coincidit cum definito, sed prout importat materiale definiti; cum enim definitum sit natura, quatenus substat secundæ intentioni, quatenus natura, vt pars materialis huius concreti substat secundæ intentioni, obtinet in hac definitione locum generis. Ita sentit Venet. cap. de Genere Ammon. ibi d. Ruuius quæst. 3. par. 2. quæst. vbi etiã citat Albertum Magn. tract. 3. prædicab. cap. 3. & 4. Et fundamentum est, quia quando definiuntur concreta accidentalia, subiectum ponitur loco generis, vt etiam docet D.Th. 1. de Interpret. lect. 4. & De ente, & essent. cap. 7. cum igitur hic definiatur concretum generis, quod coalescit ex natura, vt subiecto, & secunda intentione, vt forma, debet natura, tanquam pars materialis, stare loco generis.

I. opinio quid Porphir. constituat loco generis in hac definitione.

Venet. Ammon. Ruu. Albert. Magn.

D.Th.

III. Sed nihilominus hæc opinio reijcitur ex ijs, quæ disp. præcedenti dicta sunt; vbi ostendimus, quòd quando à Porphyrio definitur genus, non definitur aliquo pacto secunda intentio, sed sola natura præcisè accepta: & possumus vlterius contra ipsam argumentari ex dictis sect. præcedenti. Propria differentia constitutiua generis est, vt sit aliquid potens esse in pluribus specie diuersis, tanquam pars potentialis, ex quo sequitur prædicabilitas, tanquam passio, atque hoc constitutiuum, saltem secundùm prædicabilitatem, explicatur in hac definitione, ergo non potest natura, tanquam pars materialis, & vt subiectum concreti, poni in hac definitione loco generis. Conseq. prob. quia id ponitur loco generis, cui potest conuenire, tanquam differentia, hæc prædicabilitas, aut tanquam passio. Prædicabilitas autem de pluribus differentibus, vel conuenit tali naturæ vniuersali, tanquam passio, vel prædicabilitati vt sic, tanquam differentia, nullo autem pacto subiecto alicuius concreti accidentalis, ex ente rationis, & ente reali.

Impugnatur tertia opinio.

IV. Altera autem sententia magis probabiliter asserit. Porphyrium loco generis posuisse prædicabile vt sic, seu posse dici de multis. Ita sentiunt Auicenna cap. 6. suæ Logicæ, vbi asserit hoc esse genus in hac definitione, quæ valdè antiqua est ante Porphir. Caiet. in Logica cap. de Genere. Tolet. quæst. 3. de Genere. Villalpand. quæst. item 3. de Genere, atque alij complures. Et videtur suaderi, quia Porphyr. agebat de genere, quatenus est quoddam prædicabile, prout autem tale est, ponitur sub prædicabili vt sic. Verùm neque hæc opinio potest probari, nam vel genus definitur, vt quoddam concretum ex natura vniuersali, & prædicabilitate tanquam propria passione, vel vt natura quædam simplex potens esse in multis differentibus specie; si definitur vt quoddam concretum metaphysicum, tunc subiectum erit natura, & forma talis prædicabilitas,

Altera opinio. Genus in hac defin. esse prædicabile. Auicen. Caiet. Tolet. Villalp. reijcitur.

tas,

tas, non prout dicit secundam intentionem, sed prout dicit passionem aliquam realem metaphysicam; quia autem concretum ex natura, & passione est vnum accidentale, debet etiam accidentaria definitione definiri. In huiusmodi autem definitione non ponitur pro genere concretum genericè sumptum, quale esset prædicabile vt sic, sed ponitur subiectum passionis: accidens enim præsertim propria passio explicatur, & definitur per ordinem ad subiectum, neque huiusmodi definitiones accidentariæ traduntur per verum genus, sed solùm per subiectum. Si autem genus definitur, vt est quædam natura simplex, tunc debuit assignari proprium genus naturæ, nempè natura vniuersalis vt sic. Vndè nullo modo prædicabile, quatenus dicit concretum ex eo, quæ prædicatur, & prædicabilitate vt sic, potest esse genus in hac definitione.

Vera opinio. Genus in hac definit. esse naturam vniuersalem. Soto, Louanien. Titelm. Iauel.

V. Existimo igitur in hac definitione pro genere assignari naturam vniuersalem, quatenus vniuersalis est. Ita sentit etiam Soto in Logica quæst. vnica de Genere in responsione ad 4. & in cap. de proprio, Louaniens. cap. de Genere. Titelman. tract. de prædicabil. cap. 5. Iauel. in eodem tract. cap. 2. atque alij. Pro cuius intelligentia aduertendum est, Genus definiri, tanquam quamdam naturam simplicem, quæ potest venire in compositionem speciei, quia licet Porphyrius ageret de prædicabilibus, non tamen illa considerauit simpliciter, vt prædicabilia sunt, sed etiam secundùm propriam naturam; quod ex eo colligitur, quia de genere inquirit; quot modis dicatur; deinde cum determinasset in quanam significatione ipse illud sumeret, illud definiuit, & exemplum attulit de animali. Rursus dixit, esse id, quod prædicatur in quid, hoc est vt quid essentiale, vt supra, etiam ex Arist. 2. Topicor. cap. 4. explicauimus. Cum autem solùm, vt est quædam natura simplex, illi conueniat prædicari vt quid essentiale, ideo secundum naturam simplicem illud definiuit.

Explicatur defin.

VI. Sensus ergo definitionis est. Quòd genus sit natura vniuersalis, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie, sicuti si definiendo hominem diceremus, animal risibile. Ponitur autem passio loco differentiæ, quia notior est, quàm differentia, & vt simul manifestetur, quem modum prædicandi fundet natura generica. Quòd autem genus huiusmodi definitionis sit natura vniuersalis, colligitur ex ipsamet definitione. Dicitur enim genus esse id, quod prædicatur in quid de pluribus speciebus: illud ergo stat loco generis, quod importatur per illam particulam, *Id*: Vt ergo videamus, quid importet illa particula, inquirendum est, quid referant sequentes particulæ. Cum autem prædicari in quid, hoc est, vt aliquid essentiale, quod importatur per sequentes particulas, referant naturam vniuersalem, quia ipsa est id, quod prædicatur, dicendum est, quod ly, *Id*, importat naturam vniuersalem, atque adeò stet loco generis, quod contrahitur per differentiam assignatam in definitione: contrahitur autem natura vniuersalis: nam explicatur pro differentia id, quod tali modo prædicatur; Quod autem tali modo prædicatur, contrahit id, quod prædicatur vt sic. Cum autem id prædicetur de inferioribus, quod est in ipsis, sequitur, quòd natura vniuersalis sit illa, quæ prædicetur, & sit genus in tali definitione.

Genus posse quidditatiuè definiri, & quid de Porphyrij definitione dicendum.

SECTIO VI.

I. Ex dictis facilè colligitur, in quo consistat essentialiter genus, quod est primum principium compositi essentialis metaphysici. Esse videlicet partem essentialem constitutiuam plurium specierum ad modum partis materialis, ex quo sequatur tanquam passio, vt possit de illis, in quid, prædicari. Stante autem hac essentia generis dicendum est, posse quidditatiuè definiri, si videlicet dicatur, Esse vniuersale aptum esse in multis speciè diuersis. Seu esse subiectum compositi metaphysici. Quæ definitio potest alio modo formari secundùm analogiam ad subiectum physicum, vt videlicet sit subiectum metaphysicum, ex quo sit aliquid cum insit Dicitur *subiectum*, nimirum subiectum essentiale, quod sit pars essentialis compositi, quod sit cum essentialiter, & per se. Dicitur *metaphysicum*, vt contradistinguatur à physico, & denotetur, non esse vnam ali- Definit. quidditatiua generis.

quam entitatem, sed vnam aliquam formalitatem præcisam, quæ se habeat per modum potentiæ passiuæ. Dicitur, *Ex quo*, vt denotetur, esse partem materialem componentem. Additur, *Fit aliquid*, hoc est compositum metaphysicum, quod est species, quæ constat ex duplici parte; materiali, & formali, seu generica, & differentiali. Ponitur denique *Cum insit*, quia est principium intrinsecum constitutiuum talis compositi, & ideo debet in ipso remanere.

Genus posse quidditatiuè definiri.

II. Duo autem nunc nobis præstanda sunt. Primum est, vt ostendamus Genus posse quidditatiuè definiri. Alterum, allatas definitiones esse quidditatiuas. Et quòd spectat ad primum, facilè ostenditur. Illud enim potest quidditatiuè definiri, quòd habet partes quidditatiuas, per quas ipsius essentia explicetur, ita vt vna se habeat, tanquam determinatiua alterius, & ideo dicitur, veram definitionem debere constare ex genere, & differentia, non alia ratione, nisi quia sunt partes quidditatiuè essentiæ, quarum vna se habet vt determinatiua alteriùs. Modò genus, quòd est primum principium compositi essentialis metaphysici, coalescit ex huiusmodi partibus, ergo est quidditatiuè definibile. Superest nunc probanda minor. Dubium autem non est, Genus dicere talem rationem vniuersalis, vt patet ex ijs, quæ diximus in explicando eius cõstitutiuo, siquidem constituitur in esse generis per id, quòd potest esse in pluribus specie diuersis: hoc autem importat rationem talis vniuersalis, seu talis naturæ affectę tali vniuersalitate. Cum autem nõ possit adesse talis vniuersalitas, nisi etiã vniuersalitas vt sic, quia talis vniuersalitas est ratio contractiua vniuersalitatis vt sic, & in ea tantùm potest fundari, iam genus, cum importet rationem talis vniuersalis, dicet etiam vniuersale vt sic & rationem talis vniuersalis; atque vna erit contractiua, & determinatiua alterius; ratio enim talis vniuersalis contrahit, & determinat vniuersale vt sic. Constat ergo, quomodo genus habeat partes essentiales sufficientes, vt per ipsas possit definiri quidditatiuè ipsius natura.

Alio modo idem declaratur.

III. Quòd rursus potest declarari. Vel vniuersale cõsideratur, vt est quoddam concretum ex natura, & ratione formali vniuersalis, vel sumitur pro sola ratione formali vniuersalis, nimirum vnitate, & aptitudine. Primo modo, licèt quando diuiditur in genericum, & specificum non sit diuisio generis in species, quia non fit per differentias immediatè oppositas, sed per gradus subordinatos, quorum vnus includit alterum, vniuersale tamen vt sic est ratio quædam, quæ reperitur in vtroque gradu, & magis indeterminata, quam vterque illorum, ita vt ambo respectu illius se habeant vt rationes contrahentes, & determinantes, & consequenter vtraque simul cum ratione vniuersalis vt sic constituunt partes metaphysicas sufficientes ad definitionem, cum vna se habeat vt limitatiua alterius. Si verò secundo modo accipiatur vniuersale, iam etiam supra sect. 2. num. 3. diximus, quòd quando diuiditur per rationes constitutiuas vniuersalis generici, & specifici, est diuisio generis in suas species, vndè genus tali pacto sumptum, erit species vniuersalis; cur ergo non poterit quidditatiuè definiri cum propriè solæ species definiantur?

Quomodo genus sit species vniuersalis.

IV. Rursus confirmatur. Genus habet suum proprium constitutiuum, vt satis explicatum est sect. 4. huius disp. ergo est quidditatiuè definibile. Conseq. prob. Posito hoc peculiari constitutiuo generis, certum est, quòd per ipsum debet formaliter fieri tale, ita vt à cęteris omnibus distinguatur. Rursus certũ est, hoc peculiare constitutiuum non posse esse totale, & adæquatum constitutiuum generis, quia genus non est talis naturæ, vt se toto, & omninò ab omnibus alijs diuersum sit: habet enim aliquam conuenientiam, præcipuè cum cęteris vniuersalibus, vt est species. Quocirca hoc peculiare constitutiuum generis debet determinare, & contrahere aliquam rationem communem, ita vt illam trahat ad compositionem talis naturæ, quæ sit genus; ergo in genere interuenient ratio contrahibilis, & determinabilis, & ratio contractiua, & determinatiua. Cur igitur non poterit per has rationes essentia generis explicari quidditatiuo modo?

Definitiones allatas esse quidditatiuas.

V. Sed quod spectat ad definitiones initio sect. positas, quòd scilicet sint quidditatiuæ, etiam facilè ostenditur; Nam in prima dicitur Genus esse Vniuersale aptum esse in multis specie differentibus; hoc autem pacto explicatur genus per suas partes quidditatiuas formali

modo; quarum altera se habet, vt determinatiua, altera verò, vt determinabilis, traditur enim per vniuersale vt sic, & rationem talis vniuersalis: definitio autem, quæ traditur per tales partes quidditatiuas, essentialis est. Rursus cum dicitur esse subiectum compositi metaphysici, seu Esse subiectum metaphysicum, ex quo fit aliquid, cum insit, etiam per partes quidditatiuas explicatur genus: nam imprimis venire in compositionem speciei, tanquam partem essentialem materialem, diximus inuolui in proprio constitutiuo generis: hoc autem proprium constitutiuum generis ad nectitur rationi communi, nempe quòd sit principium intrinsecum compositi metaphysici. Atque etiam explicatur communitas generis, de qua posset dubitari, an in prædicta definitione explicaretur, cum de ipsa non fiat explicita mentio; cum enim dicitur, subiectum, indicatur ordo, quem dicit ad differentias, & consequenter, quòd ab ipsis sit denndatum,& possit cum vnaquaque vt pars materialis coniungi ad componendas species. Sicuti ex eo, quòd materia prima est subiectum formarum substantialium, sequitur, vt possit cum hac,vel illa coniungi, vnde in ipsamet ratione subiecti inuoluitur communitas intrinseca generis cum sua aptitudine, qua mediante potest esse in pluribus speciebus. Ex quibus patet vtramque definitionem, licet diuerso modo assignatam, esse tamen quidditatiuam.

Quomodo definitio Porphyrij sit quidditatiua.

VI. Quantum autem attinet ad definitionem Porphyrij existimarem quidditatiuam esse secundùm rem, & potest proculdubio modo quidditatiuo accipi. Traditur enim per verum genus, vndè quantum est ex hac parte quidditatiuo modo se habet. Quòd vero spectat ad differentiam, licet explicitè pro differentia ponatur proprietas, nempè prædicabilitas, tamen potest dici, quòd intelligatur de radice prædicabilitatis; imò cum prædicabilitas vniuersalis metaphysicè considerata nihil aliud sit formaliter, quàm ipsa aptitudo, quatenus dicit ordinem ad intellectum potentem enunciare vniuersale de inferioribus, dicendum est, quòd in ly *Prædicari, &c.* quod pro differentia assignatur, inuoluatur adæquatum proprium constitutiuum differentiale generis, quod est aptitudo ad essendum in pluribus specie diuersis, quia prædicabilitas hoc totum dicit,& insuper connotat intellectum potentē enunciare naturā de inferioribus.

Soluuntur rationes aliarum sententiarum

SECTIO VII.

Ad rationes primæ sententiæ.

I. PRima ratio, qua auctores primæ sententiæ nitebantur, probare, Genus non posse quidditatiuè definiri, ibidem soluta est, procedit enim ex falso supposito, quòd genus importaret concretum ex natura, & genericitate. Secunda autem ratio eiusdem sententiæ procedit ex eo, quòd genus non potest supra se habere genus, quia quod habet genus supra se, non est genus, sed species. Sed respondetur, quòd genus, quatenus genus, est species quædam vniuersalis, si vniuersale in abstracto consideretur; si verò consideretur formaliter, est gradus quidem formaliter limitatiuus vniuersalis vt sic, quia dicit talem rationem vniuersalis,& ideò ponitur sub vniuersali vt sic, tanquam sub ratione superiori. Quare concedendum est, quod genus, vt genus est, sit quædam species vniuersalis, atque adeò quòd tanquam species ponatur sub genere, seu saltem sub aliqua ratione superiori, quæ se habeat; vt pars metaphysica contrahibilis. Cum autem dicitur Genus, vt genus est, non posse esse speciem, hoc etiam verum est, quia est genus, secundum quod ordinatur ad sua inferiora, est autem species, prout respicit rationem superiorem: vndè secundùm diuersos respectus, & est genus, & est species. In ipso igitur duo possunt considerari, nempè ratio generis vt sic, secundùm quam continet sub se omnia genera; & quòd sit talis natura, seu tale vniuersale Primo modo non habet genus; secundo autem modo ponitur sub vniuersali, tanquam sub genere, Et licèt prout est tale vniuersale sit genus, tamen cum hoc stat, quòd ex vi talis vniuersalis ordinetur ad inferiora, & obtineat rationem generis: & quòd etiam ponatur sub vniuersali vt sic, & obtineat rationem speciei: vndè etiam vniuersale vt sic, vt suo loco dicemus, & habet sub se genus vt sic, quatenus dicit quandam naturam vniuersalem determinatam, & etiam est sub ipso genere, quatenus vniuersale vt sic est quæ-

Ad secundam.

Quomodo genus vt sic sit etiā species.

dam natura, quæ essentialiter respicit plura, quæ sunt diuersa per essentiales differentias supperadditas. Atque hoc totum prouenit ab intellectu nostro, qui potest facere varias præcisiones, & secundùm diuersas considerationes obiecta attingere. Neque hinc oritur aliquod inconueniens, quia licet idem sit simul genus, & species, id tamen habet secundùm diuersos respectus, & habitudines.

Ad 3. II. Tertia autem ratio tangit difficultatem, quomodo suprema genera possint habere genus. Cui respondendum est, quòd quando dicitur suprema genera non posse habere supra se genus, intelligi debet, quòd non habeant secundùm ordinem illorum graduum, quibus constituunt lineam prædicamentalem: sic substantia non habet supra se nisi ens, non autem aliud genus, quod conferat aliquem gradum entis determinatum intra eumdem ordinem prædicamentalem. (Qũo supremagenera non habeant genus.) Verùm potest intellectus, postquam distinxit huiusmodi gradus, qui habentur per primum ordinem abstractionis facere aliam abstractionem, in qua habeant aliquid cõmune: nam incipit intellectus abstrahere naturam à materia signata, quæ est prima abstractio: deindè ab hac natura abstracta abstrahit aliam rationem magis vniuersalem, & sic procedit, vsque dum peruenit ad summum genus, & hic dicitur primus ordo abstractionis. (Duplex ordo abstractionis.) Quandò igitur peruenit abstrahendo semper aliquid magis, & magis vniuersale ad primum genus, non potest aliquid amplius abstrahere, quod respectu inferiorum se habeat vt genus, sed tantùm potest abstrahere alias rationes, vt transcendentia. Postquam autem compleuit hunc ordinem abstractionis, potest alium ordinem abstractionis incipere, reflectendo videlicet supra illas rationes iam abstractas, potest rursus aliquid ab ipsis abstrahere: & dum illas adinuicem comparat potest percipere illam conuenientiam, quam habent atque abstrahere rationem communem talis conuenientiæ: & hoc pacto, genera summa possunt habere aliquid commune, nedum inter se, sed etiam cum alijs generibus inferioribus: in hoc enim conueniunt, quòd veniant in compositionem plurium specierum ad modum partis materialis; atque quòd sint naturæ prædicabiles de pluribus differentibus specie in Quid. Et hoc pacto possunt habere vnam aliquam rationem communem, quæ sit constitutiua vniuersalis vt sic, quod se habet vt genus respectu omnium generum, quo stante possunt summa genera, quatenus genera sunt: hoc est, Naturæ prædicabiles de pluribus specie diuersis definiri, quia habent rationem communem modo explicato, nempè vniuersale vt sic.

III. Denique ad vltimam rationem pro eadem sententia dicimus, quòd licèt genus vt sic sit quid commune omnibus naturis, tàm substantialibus, quàm accidentalibus, nihilominus adhuc potest definiri. (Ad 4.) Quia quicquid sit an substantia, & accidens conueniant vniuocè in aliqua ratione, nam posset dici, quòd conueniant in ratione entis, solùm verum esset, quòd non possent habere genus commune vniuocum secundùm primum ordinem abstractionis, quem modo explicauimus in responsione ad præcedentem rationem: (Qũo substãtia, & accidens possint vniuocè cõuenire in rõne generis.) attamen possunt habere aliquid commune vniuocum secundùm posteriorem abstractionem, quam facit intellectus, dum reflectit supra rationes iam abstractas. concipit enim intellectus rationem accidentis vt sic, & rationem substãtiæ vt sic, & illas inuicem comparando percipit conuenire in eo, quòd sint naturæ, quæ prædicentur de pluribus specie diuersis, & facta hac comparatione abstrahit rationem communem vniuersalis generici, quæ vniuocè participatur ab accidenti, & substantia: tàm enim accidens, quàm substantia æqualiter participant hanc rationem communem, quæ formaliter considerata est vna, & eadem in vtroque; quia quàmuis differant secundum esse materiale, non differunt tamen secundum formale vniuersalitatis, & secundum modum prædicandi, atque essendi in pluribus.

IV. Fundamentum quoque secundæ sententiæ, neque rectè procedit. (Ad fũdamẽtũ secudæ sententiæ.) Nam ostendimus in hac generis definitione, prædicabile nõ stare loco generis: quod si à Porphyrio, vt vult Scot. definiretur genus, vt prædicabile quoddam est, quia tali pacto esset quoddam concretum ex passione tanquam forma, & ex natura tanquam subiecto, non posset definitione quidditatiua definiri. Concreta enim accidentalia, cum non sint

vnum per se, neque vera quidditatiua definitione possunt explieari. Quare eum Scot. dieit prædicabile vt sic esse genus: si illud sumat in concreto, falsum est, esse genus propriè sumptum. Solùm ergo prædieabilitas vt sic posset esse genus ad hunc, vel illum modum prædieabilitatis. verùm tunc definiretur ratio prædieandi, non verò id, quod prædieatur, quod diei non potest, vt patet ex ipsa definitione. Quid verò dicendum sit de fundamento tertię sententiæ, constat ex dictis, nam si prædicabilitas sumitur in definitione pro passione, certè definitio non est totalitet quidditatiua; sed descriptiua: si verò sumatur, quasi explicet differentiam, erit definitio quidditatiua.

Quomodo genus contineat differentias. Disp. LI.

Punctus difficultatis, & Auctorum sententiæ.

SECTIO I.

I. GEnus continere in se differentias communiter tradi solet. Dubitatur autem, quem sensum faciat huiusmodi propositio, & quomodo verificari possit. Et quidem genus non continere in actu, & explicitè differentias, omninò certum est: hic enim modus continendi manifestè aduersatur ipsius naturæ, quia si tali pacto contineret omnes differentias, non esset genus vna quædam ratio communis, sed plures rationes aggregatæ, & quando veniret in compositionem speciei, non deberet intelligi ipsi superuenire aliquam differentiam, sed secum traheret totum esse speciei: quare neque necesse esset tradere definitionem per genus, & differentiam, sed sufficeret ponere genus. Rursus si tali pacto genus contineret differentias, eo ipso, quòd affirmaretur de vna aliqua specie, affirmarentur de ipsa omnes differentiæ, quod valdè absurdum est. Atque hæc sequela euidens est; nam quando genus affirmatur de specie: ex vi huius prædicationis ei tribuitur quicquid continet genus explicitè in suo esse formali. Denique ipsemet conceptus conuincit tali pacto non continere differentias: nam quando concipitur genus, vt animal, non concipimus aliquas differentias, quæ deberent concipi, si continerentur in ipso explicitè.

Genus nō continet explicitè differentias.

II. Prætereà etiam certum est. Genus non continere differentias, vt includens inclusum, ità vt tanquam per partes ex ipsis componatur eô ferè modo, quo species continet genus, & differentiam, quia licèt non dicat explicitè vtramque partem, tamen dieit naturam, quæ ex vtraque parte actu contenta coalescit. Atque hoc etiam facilè ostenditur; nam si tali pacto contineret differentias posset in illas tanquam in partes componentes resolui, & cum genus prædicaretur de specie, omnes differentiæ, sicuti etiam supra dicebamus, de ipsa dicerentur, quia prædicatur totum id, quod dicit genus in seipso. Deinde neque esset quid commune omnibus speciebus, Immo sequeretur, quòd esset aliqua essentia, quæ coalesceret ex differentijs oppositis, quæ seinuicem destruerent, quod est prorsus impossibile. Cum igitur certum sit, quòd non contineat differentias aliquo ex his duobus modis, solùm superest difficultas, an contineat in actu confuso, seu indeterminatè, itaut non dicat magis vnam, quàm aliam; seu an solùm contineat in potentia, ita vt sit solùm potentia receptiua illarum.

Genus nō continet differentias, vt includens inclusū.

III. Prima igitur opinio asserit, quòd genus contineat in actu confuso, & indeterminatè omnes differentias, non autem in sola potentia, ita vt licèt explicitè illas non dicat, lateant tamen in ipso. Hæc opinio refertur à Ruuio infrà citando, nullum tamen auctorem pro ipsa citat. Solet tamen obiter à multis hæc propositio vsurpari, Genus videlicet continere in confuso differentias: vnde etiam ab ijsdem hac ratione vocatur totum quoddam potestatiuum. Atque fundamentum habet in nonnullis

1. opinio

Differentias cōtineri I genere in confuso.

te-

Arist. testimonijs Arist. num. 1. Physic. tex. 5. inquit: *Vniuersale verò totum est quoddam, quippe cum multa complectatur, vt partes*, & lib. 7. tex. 31. ait: *Atque hic sermo significat genus ipsum non esse, quid vnum, sed ob hoc multa latere*. Praeterea cum genus praedicetur de specie, debet actu continere totum id, quod dicit subiectum, alioquin falsa esset praedicatio, non enim pars potest praedicari de toto. Atque hoc pacto censent differentias contineri à genere, quando de speciebus praedicatur, ij omnes, qui putant, praedicari non posse, nisi prout in confuso dicit differentias.

Secunda opinio. Genus solùm in potentia cõtinere differentias. D. Th. Albert. Magn. Iauel. Caiet. Soto. Tolet. Ruuius.

IV. Secunda autem sententia asserit genus continere differentias solùm in potentia, non autem in actu confuso, & indeterminatè. Ita docet D. Thom. 1. posterior. tex. 17. & opusc. 42., quod est de Natura Gener. cap. 9. initio, vbi inquit, Genus continere differentias potestate. Praeterea Albert. Magn. tract. 5. prędicab. cap. 4. Iauel. tract. 4. qui est de Praedicab. cap. 4. Caiet. in Logica cap. de Different. Soto ibid. Tolet. ibid. in exposit. tex. *§. posset tamen dubitare, &c.* Ruu. quaest. 4. de Genere, & alij complures, qui absurdum putant, & impossibile, genus continere in actu confuso, & indeterminato differentias omnes; quam sententiam, vt veram sectione sequenti explicabimus; vbi ostendemus, hanc continentiam in confuso omninò fictam esse absque aliquo fundamento.

Genus solùm in potentia continere differentias.

SECTIO II.

I. HAEc secunda opinio mihi certissima videtur: quare, vt illam explicemus, supponimus, quòd genus, prout est natura quaedam metaphysica apta ad essendum impluribus specie diuersis, habeat tantùm esse obiectiuè in intellectu: de quo non potest esse aliqua difficultas, cum nemo sit, qui vniuersale metaphysicum; prout importat aliquam naturam contrahibilem per differentias inferiorum, contendat esse à parte rei: natura namque acquirit hanc contrahibilitatem ex eo, quòd ab inferioribus per intellectum praescinditur. Hoc ergo posito sic argumentor. Vel differentiae continentur in genere secundùm esse proprium formale, quod dicunt, vel non. Alterum enim ex his debet necessariò verum esse, cum diuisio fiat secundùm contradictoria; Sed non potest dici, contineri in genere secundùm proprium esse formale, quia cum genus habeat tantum esse obiectiuum in mente, illud tantum in ipso continetur, quod à mente concipitur, dum autem intellectus concipit genus praecisè, non concipit esse formale differentiarum. Si verò dicatur non esse in genere secundùm proprium esse formale, sequitur, vt nullo modo in actu confuso in ipso reperiantur; neque enim potest aliquid secundum actum contineri in alio, nisi in ipso habeat aliquo pacto proprium esse.

Differentiae non continentur in actu confuso in genere.

1. ratio

2. ratio

II. Deindè inquiro, quid sit hoc contineri in actu confuso. Si enim dicatur ex eo contineri differentias in genere in confuso, quia distinctae ab intellectu non concipiuntur, quem sensum videntur nonnullii admittere: tunc rursus inquiro, an aliquo pacto ab intellectu concipiantùr, an verò nullo modo. Si aliquo pacto concipiantur, contrà, nam id tantùm ab intellectu concipitur, quòd ipsi manifestatur, vt terminus cognitionis: at quando intellectus praecisè concipit genus, nullo pacto ipsi manifestatur differentiae. Si verò nullo pacto concipiuntur, quomodo possunt aliquo pacto contineri in genere prout habet tantum esse obiectiuè in intellectu? Imò addo, quòd cum concipi ab intellectu sit ipsi manifestari, non possunt aliquo pacto ab ipso concipi differentiae, nisi secundùm proprium esse formale terminent intellectionem. Vel hoc contineri in confuso dicit, quòd concipiatur aliqua ratio, quae secundùm suum esse formale contineat indeterminatè tales differentias: & hoc neque potest dici, quia talis ratio haberet suum proprium esse formale determinatum, in quo solùm ad summum possent virtualiter latere differentiae, non autem possent contineri in ipso differentię in confuso secundùm esse proprium formale, quia hoc est omninò impossibile, nam esse proprium cuiuscunque differentiae contradistingueretur à tali ratione considerata secundùm suum esse formale, quomodo ergo haec ratio posset esse in confuso vnaquęque differentia? Deindè hoc certum

Illud tantum continetur in genere, quod manifestatur intellectui.

tum est quòd nō possunt differentiæ contineri in confuso in genere, nisi in ipso habeant suum esse actuale, quod tamen impossibile est, cum genus in sua ratione formali illud non includat.

3. ratio.

III. Tertiò argumentor: Genus præcisè consideratum abstrahit à speciebus, & consequenter à differentijs; ergo nullo pacto potest continere differentias in confuso. Antecedens est certum, quia genus importat quamdam naturam communem pluribus specie diuersis, & quæ venit in compositionem ipsorum, & potest de ipsis prædicari, quod fieri non posset, nisi ab ipsis abstraheret. Conseq. prob. Abstractio importat quamdam separationem eorum, quæ abstrahuntur, secundùm cognitionem, seu esse obiectiuum. Si igitur natura generica est abstracta à speciebus, & consequenter à differentijs, debet esse separata ab illis, quòd si est separata, quomodo potest includere differentias in esse confuso, cum esse separatum dicat esse aliquid contradistinctum? Confir. Genus importat gradum naturæ superiorem, & vniuersaliorem, quàm sit gradus differentiæ; ergo non potest includere differentias in actu confuso, quia se habet, vt quid contradistinctum ab ipsis, & gradus inferiores non possunt contineri in superiori. Rursus hoc confirmari potest. Genus, vt tale est, se habet vt quid contrahibile, & determinabile per differentias: ergo non potest continere illas in actu confuso. Anteced. certum est, quia si genus consideretur, aut vt est pars speciei, aut per modum totius potentialis, semper importat partem essentiæ specificæ, vt est quid commune omnibus, vndè consequenter se habet, vt quid indifferens, & per differentias determinabile. Conseq. etiam declaratur, quia si differentiæ continerentur in genere in actu confuso, continerentur in ipso tanquam formæ, atque adeo exhiberent effectum formalē, qui est limitare, contrahere, atque determinare genus: implicat enim, quòd differentia, atque alia quælibet forma ponatur in subiecto, & illi non exhibeat proprium effectum formalem: quare aut dicendum est differentias secundùm suum esse non contineri in genere, aut si cōtinentur, illi exhibere suum effectum formalem: hoc autem in genere est impossibile, quia non esset genus præcisè consideratum, sed omnes species simul; vndè neque esset aliquid commune prædicabile de pluribus differentibus specie.

Genus est separatū à differentijs.

Genus ex vi suæ cōtrahibilitatis excludit differentias.

IV. Constat ergo, Differentias contineri in genere, solum in potentia, quæ sententia desumitur ex Arist. 2. Posterior. tex. 17. vbi inquit: *Supponatur enim tale esse genus vt sit secundùm potentiam in plus*. Hoc est quòd plus contineat propter suam vniuersalitatem, quàm species, quia continet etiam alias differentias. Verùm hoc plus, seu has differentias continet in potentia, Atque hoc ipsum etiam tradidit Porphyr. in cap. De different., vbi de genere inquit: *Potestate quidem habet omnes, quæ sub se sunt, differentias, actu verò nullam*. Quo nihil dilucidius excogitari potest. Verùm quòd spectat ad modum continendi in potentia adnotare oportet, quòd continere in potentia non solùm dicit, quòd sit quædam potentia receptiua differentiarum, sed etiam quòd genus sit talis naturæ, vt veluti ab ipso differentiæ extrahantur. Quod etiam indicauit Tolet. loco supracitato. Id autem prouenit ex eo, quòd quando intellectus concipit genus, non aliud obiectum ad extrà secundùm esse reale illi correspondet, quàm indiuidua, cum nihil sit à parte rei, præter ipsa. Verùm tunc non concipit illa indiuidua secundùm esse adæquatum ipsorum: sed secundùm inadæquatum, quod dicit aliquam formalitatem potentialem, & contrahibilem. hæc autem formalitas, cum sit ipsum esse, quod est à parte rei, quod inadæquatè obijcitur, supposito quòd se habeat ad modum partis materialis, & potentialis, ita continet differentias, vt veluti ab ipsa extrahi possint, quia reuera illa ratio generis, prout est à parte rei, habet differentias sibi identificatas; quare accedente actu intellectus illas concipientis, veluti extrahuntur de illa potentiali ratione, ex eo quòd obiectum, quod antea intelligebatur tantùm secundum illam rationem potentialem, incipit intelligi etiam secundùm rationes differentiales determinatiuas potentialis.

Genus continet differentias in potentia. Arist. Porphyr.

Quid dicat differētiā cōtineri in potentia generis.

Sol-

Soluuntur rationes opposita sententia, & explicatur, quomodo vniuersale se habeat vt totum.

SECTIO III.

I. Primus locus Arist. in quo vocat vniuersale aliquod totum, exigit, vt explicemus, quomodo Vniuersale, & etiam genus se habeant vt totum. Supra enim diximus, Vniuersale, & Genus posse dici aliquod totum, nempè potestatiuum, seu potentiale, quatenus est in potētia qualibet species; sicuti materia physica dicitur totum potentiale, quia continet in potentia oēs formas, & potest fieri per eductionē formæ hoc vel illud totum. Rursus etiam diximus, alio modo posse dici quoddam totum actuale, quatenus scilicet concipitur ad modum per se stantis, & in concreto: tunc enim concipimus, coalescere ex forma, & subiecto, & fieri aliquid se habens vt quod. Verùm neutra ex his explicationibus videtur saluare mentem Arist. nam assignans rationem, cur vniuersale se habeat, vt aliquod totum, inquit, quia plura complectitur, vt partes; Verùm si intelligimus de toto potestatiuo, hoc non potest verificari, quia non complectitur actu plures differentias, sed tantùm in potentia, & consequenter neq; possunt se habere tanquam partes. Secunda quoque expositio non videtur apta, quippè quando Arist. inquit vniuersale complecti plura, tanquam partes, intelligit de inferioribus:

Modus essendi in alio, tanquam totū in partibus. Arist.

II. Quocirca vt verum sensum illius textus aperiamus. Sciendum est, alio etiam modo posse vniuersale, seu genus se habere tanquam aliquod totum, pro cuius rei declaratione recolendum est, quòd præter alios modos, quibus aliquid potest esse in alio, quos Arist. enumerat 4. Phys. tex. 23. hic etiam assignatur, quòd videlicet aliquid sit in alio tanquam totum in partibus. ait enim. *Alio modo vt totum in partibus: neque enim prater partes totum.* Vt autem aliquid dicatur esse in alio, tanquam totum in partibus, oportet, vt ità se habeat, vt comparatum ad aliquid ex ijs, in quibus est, non adæquetur per ipsum, adæquetur autem per omnia simul sumpta. Modò genus, & vniuersale sunt quædam naturæ, quæ aptæ sunt ad essendum in multis, & consequenter habent quandam latitudinem, qua se possunt extendere ad plura: hinc autem fit, vt quandò vniuersale concipitur esse in vno tantum inferiorum, non habeat in illo suum esse adæquatum, nam potest etiam esse in alijs, quare illud inferius se habet, vt pars illius termini, in quo potest vniuersale poni: atque quando vniuersale consideratur esse in omnibus suis inferioribus, se habet tanquam totum existens in suis partibus, quia vnumquodq; inferiorum est pars, in qua poni potest vniuersale, præsertim cum vniuersale secundùm esse reale non sit extra inferiora. Cum igitur vniuersale, tanquam totum sit in inferioribus, & inferiora habeant rationem partium, in quibus sit, sequitur, vt sit totum complectens plura, vt partes, nempè inferiora, quæ sub se continet. Vndè quando Arist. vocat vniuersale quoddam totum, loquitur de ipso, prout est actu in suis inferioribus. Imò etiam potest intelligi quo ad prædicationem, quòd genus, vt prædicabile, se habet vt totum, cum respiciat omnes species, tanquàm partes subiicibiles, & omnes simul adæquent prædicabilitatem ipsius, & vna quæque tantùm partialiter; & ideo vniuersale quodlibet comparatur vt totum prædicabile ad sua inferiora.

Quomodo vniuersale sit quoddam totum.

Illustratur Arist.

III. Alter verò locus ex 7. Phys. ita intelligi debet, vt in genere lateant multa; hoc est, vt in ipso sint diuersitates, siue æquiuocationes, vt etiam ibid. inquit ipse Arist. hæ autem diuersitates, & æquiuocationes habentur in genere, ratione differentiarum, non quòd in actu confuso hæ differentiæ contineantur in genere, vt volebat opposita sententia; sed ratione identificationis: nam cum differentiæ identificentur cum genere, idcircò genus positum à parte rei includit has diuersitates, loquitur enim ibi Arist. non de genere metaphysicè considerato, sed physicè, vt ex contextu colligitur: inquit enim *Etenim latio species habet, si id, supra quod sit motus species habet. Præterea si id, per quod sit motus, specie differat, latio quoque erit diuersa. Veluti si pedes sint, ambulatio est, si alæ, volatio. An non hoc, sed figuris alia est latio? quare quæ in æquali tempore magnitudinem eādem transeunt, ea celeritatis æqualis sunt, eamdem autem non differentem speciē, quæ si est, & motus non diuersus specie erit. Quare considerandum est, quanam sit differentia motus.* Atque

Explicatur Arist.

Quomodo in genere lateant æquiuocationes.

quæ hic sermo significat, Genus ipsum non esse quid vnum, sed ob hoc multa latere. Hæc Arist. Cum igitur Arist. ibi comparet motus physicos, quatenus fiunt à parte rei, & dicat aliquos differre specie, & ob id inferat latere multa in genere, manifestè colligitur, quòd loquitur Arist. de Genere, prout est à parte rei cum suis differentijs identificatum.

Genus debet denudari à differentijs vt possit prædicari.

IV. Ad rationem autem, quæ pro eadem sententia affertur, dicimus, non esse necesse, vt genus de speciebus prædicetur, contineri in ipso differentias in actu confuso, immò debet ab ijs denudari, sicuti natura specifica debet esse denudata ab indiuiduatione, vt de individuis prædicetur. Quomodo autem fiat huiusmodi prædicatio infra explicabimus.

An abstracta metaphysica sufficiant ad constituendum genus. Disp. LII.

Statuitur duplex abstractio Physica, & Metaphysica.

SECTIO I.

I. Non loquimur hic de abstractione, qua vniuersale abstrahit à suis inferioribus, quia per ipsam naturæ constituuntur in esse vniuersali metaphysico, quæ etiam solet dici abstractio à materia, quatenus naturę præscinduntur ab indiuiduatione, quæ appellatur materia signata: sed loquimur de illa abstractione, qua forma abstrahitur à subiecto, & facit, quòd res non amplius se habeant vt quòd, sed vt quo, ita vt non sint amplius constituta, sed rationes constituentes. Quærimus ergo, an ad constituendum genus sufficiant abstracta metaphysica, quæ important formam, seu principium constitutiuum alicuius essentiæ, an verò requiratur concretum illius naturæ, ita vt genus se habeat ad modum per se stantis.

II. Pro cuius intelligentia tenendum est, quòd duplex est abstractio, per quā consequenter constituitur duplex genus abstractorum, alterum Physicum, alterum Metaphysicum. Vnum autem genus abstractionis conuenit cum altero, quòd vtrumque abstrahit formam à subiecto; de hac enim abstractione modò loquimur. Sed differunt, quòd vnum abstrahit formam physicam à subiecto physico, atque adeò est realis, & constituit formam abstractam realiter distinctam à subiecto: sic albedo, & cœteræ huiusmodi formæ dicuntur abstracta physica. Alterum verò genus abstractionis fit metaphysico modo, & separat tantùm formam metaphysicam à subiecto metaphysico, atque adeò sic solùm secundùm rationem, per quam solùm forma abstracta distinguitur à subiecto, vt humanitas ab homine. Rursus differunt, quòd abstractio physica non est vltima abstractio, sed potest à forma physica abstracta adhuc fieri abstractio formæ metaphysicæ, sic ab albedine, quę est quoddam abstractum physicum, potest adhuc abstrahi aliquid, quod se habeat ad modum formæ metaphysicæ, nempè albedineitas, quæ se habet, vt ratio formalis constitutiua albedinis. At in abstractis metaphysicis non potest aliquid vlterius abstrahi, sed ipsa sunt vltima abstracta.

Duplex genus abstractionis Physicũ, & Metaphys.

III. Hanc tamen doctrinam non admittit Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 28. quæs. 13. sect. 5. qui ait, has formas physicas, vt albedinem, esse vltima abstracta, itaut secundùm rem significatam nihil possit abstrahi, quod sit magis abstractum in ratione formæ à subiecto, quàm ipsa forma physica: vnde albedineitas, & alia huiusmodi abstracta non important, nisi modum significandi diuersum, non vero diuersam rem significatam. Nihilominus eam tradit Scot. quæs. 16. prædicab. & in 1. dist. 2. quæs. 7. & omnino vera est eius sententia: nam si considerentur hæ formæ physicæ, dicunt aliquam entitatem, & suam propriam essentiam, cur igitur non poterit intellectus concipere tantùm essentiam non concipiendo entitatem? tunc autem efficietur aliqua maior abstractio, nam adhuc

Negat Fonseca aliquid posse abstrahi à physicis abstractis.

Opposita opinio Scot.

hue intellectus abstrahet aliquid à tali forma physica, siquidem separabit essentiam ab entitate.

IV. Confir. Hæc abstracta physica, quæ important formas physicas dicunt aliquid constitutum in tali esse, vndè interuenit constitutiuum essentiale, ergo poterit intellectus concipere hoc essentiale constitutiuum per modum formæ, non concipiendo aliquid entitatiuum. Quòd autem interueniat essentiale constitutiuum, euidens est, non enim potest esse constitutum sine constitutiuo; cum igitur habeatur tale esse constitutum, necessariò concedi debet aliquod essentiale constitutiuum: hoc igitur constitutiuum poterit ab intellectu præscindi, & abstrahi aliquid ab his formis physicis. Rursus dantur abstracta metaphysica substantiarum, quæ abstrahuntur ab entitate physica, dum intellectus concipit essentiam non concipiendo entitatem quæ distinguuntur tantùm ratione ab entitate reali, à qua desumuntur, ergo debent etiam dari abstracta metaphysica accidentium. Conseq. prob. quia si potest intellectus essentialia constitutiua per modum formæ metaphysicę abstrahere à substantiali entitate, cur non poterit etiam ab entitate accidentali? Atq; hoc ipsum experientia docet; possumus enim concipere sola essentialia cuiuslibet formæ accidentalis per modum formæ metaphysicæ constitutiuæ talis formæ physicæ. Deniq; ex genere suo essentia, & entitas ita se habent, vt sint separabiles secundùm rationem, alioquin neque etiam in substantiali entitate posset fieri hæc separatio, ergo etiam poterit fieri in accidentali entitate, non enim magis intrinseca entitas essentiæ accidentali, quàm substantiali, atque cum intellectus habeat virtutem præcisiuam, potest præscindere vbicunque interueniunt diuersæ rationes formales: in formis autem accidentalibus physicis interuenit, & formalitas essentiæ, & formalitas entitatis, itaut ex ijs coalescat concretum aliquod metaphysicum, nempè tale ens, ergo poterit intellectus separare in hoc concreto.

Ab abstractis physicis pōt abstrahi abstractū metaph.

V. Quod posset etiam declarari ex natura præcisionis metaphysicæ; hæc enim ex natura sua est maior, quàm sit separatio realis, cur ergo non poterit poni aliqua maior abstractio in formis physicis, quā habeant ex vi sui esse physici? Quare maneat tanquam certum formas physicas, dum abstrahunt à subiecto physico non habere totam illam abstractionem, quam possunt habere: sed posse vlteriùs ab ipsis abstrahi abstractum metaphysicum. Supposito ergo dari hæc duo genera abstractorum, difficultas procedit de metaphysicis, an videlicet sint sufficientia ad constituendam naturam, quæ sit genus respectu inferiorum suorum, nam de abstractis physicis non est difficultas, sic color assignatur tanquam genus diuersorum colorum, qualitas diuersarum qualitatum: atque idem patet facta inductione in diuersis formis physicis.

Variæ Opiniones.

SECTIO II.

I. Circa præsentem difficultatem sunt variæ opiniones, sed antequam eas proponamus sciendum est. quòd quando quærimus; an abstracta metaphysica sufficiant ad constituendum genus, possunt hæc abstracta comparari, respectu abstractorum minus vniuersaliū, vt cum cōparatur animalitas respectu rationalitatis, & irrationalitatis; vel possunt cōparari respectu inferiorum concretorum, vt si comparetur animalitas ad hominē, & alia huiusmodi. Atque secundùm hanc secundam comparationem conueniunt omnes, Abstracta non esse genera respectu inferiorum concretorum, neque enim possunt de ipsis prædicari. Sic non dicitur homo est animalitas, equus est animalitas; atque hoc nedum locum habet in generibus, sed etiam in speciebus, falsa est enim huiusmodi propositio. Petrus est humanitas; atque hoc in eo fundatur, quòd abstractum non potest prædicari de concreto solum ergo procedit difficultas in primo sensu comparando concretum genericum ad inferiora abstracta specifica.

Abstractū nō est genus respectu cōcretorū inferiorum.

II. Prima igitur opinio negat Abstracta metaphysica sufficere ad constituendum genus. Ita docent Scot. in 1. distinct. 2. quæst. 7. & distinct. 5. quæst. 1. & quæst. 16. Prædicabil. Lychet. citata distinct. 5. quæst. 1. Mayron. ibid. Anton. Andreas 3. Metaphys. quæst. 2. Caiet. de Ente, & essent. cap. 4. quam opinionem affirmat esse secundùm men-

1. opinio negās abstracta metaph. esse genus. Scot. Lychet. Mayron. Ant. And. Caiet. Nyphus.

tem D. Tho. Nyph. 3. Metaph. disp. 21. & alij complures, præsertim ex Scotistis. Atque probant hanc suam sententiam, primò, quia genus se habet per modum totius, hæc autem abstracta per modum partis. Secundò, quia huiusmodi abstracta, nedum abstrahunt à subiectis, sed etiam ab inferioribus, quæ autẽ abstrahunt ab inferioribus, nequeunt de ipsis prædicari, sic animalitas nihil aliud est, nisi natura animalis abstracta ab inferioribus.

2. opinio opposita. III. Secunda autẽ opinio concedit, posse cõstituere genus; & abstracta superiora posse prędicari de inferioribus specificè sũptis, sic animalitatẽ posse prędicari de humanitate, ita vt hæc propositio, humanitas est animalitas, vera sit. Ita Soto in Logica quæst. 3. vniuer. art. 2. Suarez in Metaph. disp. 6. sect. 10. num. 3. quamuis num. 17. subdat posse in illa voce, *Animalitas*, latere æquiuocationem, ita vt importet rationem formalem constitutiuam animalis præcisam ab omnibus inferioribus, & in hoc sensu falsa esset hæc propositio, vndè non deberet adhiberi sine distinctione. Atq; etiam Fonseca dum conciliat vtramque sententiam 5. Metaph. cap. 28. quæst. 13. sect. 4. hoc ipsum tradit; videlicet Abstracta, si sumantur prout sunt præcisa ab inferioribus, non esse genus respectu abstractorum minus vniuersalium: esse autem genus, si non præscindant ab inferioribus: & hoc pacto intendit conciliare vtramque sententiam. Quod si illi obijcias, nec etiam concreta communiora posse esse genera; quia quatenus præcisa sunt à minus communibus non possunt de illis prædicari. Respondet, hoc potius dicendum de abstractis, quàm de concretis, quia abstracta ex suo modo significandi aptiora sunt, vt sumantur quatenus præcisa sunt à suis inferioribus. Addit etiam Soto, quod nedum abstractum genericum potest prædicari de abstracto specifico, vt animalitas de humanitate, sed etiam de abstracto differentiali, vt animalitas de rationalitate: vndè, inquit ipse, formaliter hæc propositio est vera, Rationalitas est animalitas.

(Soto. Suarez. Fonseca.)

Fũdamẽta relatæ sententiæ. IV. Pro hac autẽ sententia arguunt primò. Animalitas, & quælibet alia abstracta generica sunt aliquid commune, quòd autem commune est, debet habere sua inferiora, de quibus prædicetur, inferiora autem abstractorum sunt abstracta minus vniuersalia. Secundò Abstracta specifica ita sunt diuersæ naturæ, vt tamen omninò non differant, sed habeant etiam aliquam conuenientiam: at hæc conuenientia non potest esse, nisi secundùm abstracta magis vniuersalia; ergo abstracta magis vniuersalia erunt genus respectu minus vniuersalium. Tertiò. Quia licet abstractum magis vniuersale explicitè non dicat totum id, quod dicit minus vniuersale, dicit tamen implicitè, atque adeo potest de illo prædicari; si autem potest prædicari, est etiam genus. Quarto Animalitas includitur in humanitate, cum non possit esse humanitas sine animalitate, non est autem in illa tanquam aliquid accidentale, sed tanquam aliquid de quidditate: ergo potest prædicari de illa, vt aliquid commune essentiale nomine abstracto, quia vt quid abstractum in ipsa reperitur.

Vera Sententia.

SECTIO III.

I. Plura sunt, quæ pro veræ sententiæ explicatione declarari debent. Vndè statuendum primò: Huiusmodi abstracta metaphysica ex natura abstractionis necessariò præscindere ab inferioribus, seu abstractis minus vniuersalibus, vt animalitas necessariò præscindit ab humanitate. Hoc autem declaratur desumpta analogia ex abstractis physicis: formæ enim physicæ, prout abstrahunt à subiecto, important tantùm suum proprium esse, quòd includunt ex vi suæ entitatis, & nihil aliud; ergo neque abstracta metaphysica aliquid aliud important, nisi quod dicunt ex vi suæmet formalitatis. Et consequentia ista tenet ex paritate rationis, quia cum abstracta physica dicant aliquam entitatem separatam à subiecto, & id tantùm dicant, quod importat talis entitas; sic abstracta metaphysica, quia abstrahuntur, & separantur, vt quædam formalitates, debent illud solum importare, quod includunt ex vi suæ formalitatis. Hæc autem abstracta metaphysica ex vi suæ formalitatis non important aliquo modo inferiora, alioquin formalitas rationis superioris esset formalitas rationum inferiorum, sic animalitas es- 1. concl.

(abstracta metaph. præscindũt ab inferiorib.)

ſet formaliter rationalitas, quod tamen eſt falſum. Deinde hoc ipſum ſecundò declaratur. Hæc abſtracta metaphyſica ex natura ſua habent eſſe ſeparatum. Et prout talia ſunt, exiſtunt tantum obiectiuè in intellectu, ergo non includunt aliquo pacto inferiora, ſed ab ijs præſcindunt. Conſequentia hæc explicatur, Quod ſeparatur ab aliquo non includit id, à quo ſeparatur, habetur enim ex vi ſeparationis, quòd vnum fiat extra alterum. Abſtracta autem metaphyſica quandò abſtrahuntur, ita ſeparantur, vt tantum illud eſſe ſumatur, quòd præciſè ex vi ſuæmet formæ dicunt. Cum igitur ex vi ſuæmet formæ non dicant inferiora, etiam ipſa ex vi abſtractionis relinquuntur, & conſequenter non includitur in ipſis. Rurſus cum hæc abſtracta exiſtat tantum obiectiuè in intellectu, & exiſtere obiectiuè in intellectu ſit cognoſci, id tantum res habent in ſe ſecundùm eſſe obiectiuum, quòd ab intellectu cognoſcitur: at dum hæc abſtracta cognoſcuntur, nullo pacto cognoſcuntur inferiora, ergo nullo pacto in ijs continentur, ſed omninò concluduntur. Denique hue omnia ea ſpectant, quibus probatum fuit Genus non dicere differentias in confuſo, ſed tantum in potentia, quæ cum proportione, & multò magis verificantur de his abſtractis genericis.

Secunda cōcluſio.

Abſtracta generica di ſtinguuntur formaliter à differentialibus.

II. Secundo ſtatuendum eſt Abſtracta generica comparata cum abſtractis differentialiter diſtingui ab ipſis ſaltem ratione cum fundamento in re. Ex quo fit, vnum abſtractum comparatum cum alio diſtinguantur inter ſe formaliter, hoc eſt habeant diuerſas formalitates, per quas inuicem in eſſe obiectiuo diſtinguantur. Vndè reijcitur opinio ſicuti, qui aſſerebat abſtractum genericum poſſe formaliter prædicari de differentiali. Quia licet inuicem identificentur, atque in ſenin identico vera ſit propoſitio, Rationalitas eſt animalitas, non tamen vera eſt ſimpliciter prolata: quod facilè oſtenditur; nam hæc abſtracta ex vi ſuæ ſignificationis important ſuas rationes formales, & nihil aliud, cum abſtractio fiat ſecundum tale eſſe; vndè etiam ex vi ſuorum conceptuum obiectiuorum diſtinguuntur inter ſe ſecundùm rationem, & ſecundum eſſe formale, & conſequenter vnum non eſt aliud, nec poteſt de ipſo affirmari. Confirmatur, quæ diſtinguuntur realiter à parte rei, ita ſe habent: vt falſum ſit dicere, quòd vnum ſit aliud, quia diſtinctio eſt ſecundùm illud eſſe, quod habent à parte rei; ergo eodem modo dicendum de ijs, quæ exiſtunt obiectiuè in intellectu; nimirum, vt quæ diſtinguuntur in hoc eſſe obiectiuo, ita ſe habeant, vt non poſſit dici Vnum eſſe aliud ſecundùm illud eſſe obiectiuum, quod habent. Hinc fit, vt quando duo ſimilia abſtracta habent eſſe obiectiuum in intellectu, poſſit vnū deſinere habere eſſe non deſinente, alio, quod fieri non poſſet ſi vnum eſſet aliud. Quare cum propoſitio ſimpliciter prolata, qua vnum affirmatur de alio cadat ſupra illud eſſe, quod habent extrema, quatenus ſunt extrema, & extrema in illa propoſitione habeant tantum eſſe obiectiuum, quo vnum diſtinguatur ab alio, ſequitur, vt propoſitio illa, rationalitas eſt animalitas, ſit falſa, quia cadit affirmatio ſupra illas formalitates, prout in eſſe obiectiuo inuicem diſtinguuntur, & facit ſenſum formalem.

Tertia cō cluſio.

Abſtractum genericum non poteſt prædicari de ſpecifico.

III. Dicendum eſt tertio Neque abſtractum genericum poſſe prædicari de abſtracto metaphyſico ſpecifico: vnde falſa eſt hæc propoſitio, Humanitas eſt animalitas, Hanc concedunt etiam auctores ſecundæ ſententiæ, ſuppoſito, quòd abſtractum genericum præſcindat ad inferioribus: cum autem oſtenſum ſit neceſſariò præſcindere, dicendum eſt non poſſe de ipſis prædicari etiam iuxta ipſorum principia. Cæterum quicquid ſit de hac doctrina, An quod præſcindit ab inferioribus, poſſit de ipſis prædicari, ſimpliciter probatur, quòd abſtractum genericum non poſsit prædicari de abſtractis ſpecificis, nam pars non poteſt prædicari de tota. Cuius rei ratio à priori eſt, quia prædicatum ſe habet, vt forma ſubiecti, ſi prædicatio ſit directa: ita vt ex natura ſua ſit aptum afficere ſubiectum tanquam forma illius. Hinc fit, ad hoc, vt prædicatio ſit vera, debere prædicatum adæquari cum ſubiecto: non quidem, quaſi dicat totum id, quod dicit ſubiectum, ſed quia afficiat totum ſubiectum, & ſe habeat, tanquam forma adæquans capacitatem ſubiecti, prout ſubſternitur tali prædicato, quòd ſi non adæquat, falſa eſt prædicatio, cum ex vi prædicationis importetur hæc adæquatio.

Prædicatum forma ſubiecti adæquas eius capacitatem.

IV. Quòd autem importetur huiuſmodi adæquatio ſubiecti, & prædi-

cati, ita declaratur. Prædicatio ex vi sua formali coniungit prædicatum, tanquam formam cum subiecto, ita vt applicentur ad inuicem tanquam vnibilia, & solum applicari possint ex vi huius vnibilitatis, sicuti in physicis rebus materia, & forma possunt tantum applicari ex vi suæ vnibilitatis. Cum igitur sint applicabilia ex vi vnibilitatis, sequitur, vt ex vi prædicationis applicentur tantum secundùm id, quo vnibilia sunt; vndè subiectum, secundùm quod subest prædicationi est secundùm se totum vnibile cum prædicto: itaque cum prædicatum, & subiectum ex vi prædicationis vniantur, quatenus ex natura sua vnibilia sunt, sequitur, vt subiectum debeat vniri cum prædicato, prout ex vi prædicationis subijcitur, & cum subijciatur secundùm totum suum esse debet etiam secundùm totum vniri, atque cum prædicatum debeat adæquare vnibilitatem subiecti, prout ipsi subijcitur, adæquabit etiam subiectũ modo explicato.

Cur pars non possit prædicari de toto.

V. Quocirca declarata manet illa communis propositio, quòd pars non possit prædicari de toto; quia videlicet non solum potest se habere, vt forma respectu subiecti; neque enim pars potest se habere vt forma totius, cum totum se habeat, vt forma partium, sed etiam quia non adæquat totum, vndè si prædicaretur, prædicatum non adæquaret subiectum. Neque valet, quòd definitio possit prædicari de definito, & tamen dicat partes, quia non dicit partem vnicam, sed partes omnes, quæ ex modo significandi, quia explicant essentiam rei, se habent, vt forma subiecti; dicunt enim expressiori modo id, quod dicit subiectum, quod non contingit, quando pars prædicatur de toto, non enim dicit expressiori modo, quod dicit subiectum, sed inadęquatè explicat esse illius, & idcircò nequit habere rationem formę: Sic etiam in rebus physicis non potest pars prædicari de toto, siue sit pars integralis, siue essentialis, non enim valet hæc propositio, homo est anima; neque ista, Corpus est brachium, quia videlicet prædicatum non adæquet subiectum.

Abstractum genericum pars abstracti specifici.

VI. Posita ergo, & declarata maiori huius argumenti, subijcimus minorem, quòd Abstractum genericum respectu specifici se habeat, vt pars essentialis respectu totius, vt animalitas respectu humanitatis: sequitur ergo manifesta consequentia, abstractum genericum non posse prædicari de specifico. Quòd autem abstractum genericum respectu specifici se habeat vt pars, nullam habeat difficultatem, quoniam sicuti species in concreto constat ex genere. & differentia, tanquam ex partibus essentialibus metaphysicis: ita etiam abstractum metaphysicum speciei, cum solùm differat à specie in cõcreto, quòd species in concreto dicit naturam specificam se habentem vt quod, Abstractum vero dicit eamdem naturam se habentem vt quo. Rursum abstractum metaphysicum speciei non dicit solum rationem communem generis in abstracto, sed dicit hanc rationem contractam per aliquam formam differentialem, ergo in hoc abstracto specifico interueniunt partes, quarum altera est abstractum genericum.

Quarta cõclusio.

Abstractum gener. cum non constituit genus prædicabile.

VII. Atque hinc sequitur quartum dictum. Quòd videlicet abstracta generica non sufficiant ad constituendum genus, vt est quoddam Prædicabile, Et hoc totum facilè concluditur ex dictis. Genus enim, vt est prædicabile quoddam, prædicatur de pluribus differentibus specie: seu est tale, vt ex eo, quòd potest esse in pluribus speciebus, tanquam ratio superior in inferioribus, constituatur in statu proximo prædicabilitatis respectu inferiorum. Modo si abstractum genericum comparetur cum concretis specificis, certum est non posse de ijs prędicari, quia vt dicimus abstractum non potest prædicari de concreto in recto, quia dicit aliquid minus, quàm subiectum prout subijcitur prædicato, adest enim in subiecto aliquid, ratione cuius non subijcitur prædicato, & proindè non valet prædicatio. Deindè non comparatur ad ipsa concreta, vt superius, sed vt pars componens, abstractum enim semper est pars concreti. Deindè si comparetur ad abstracta specifica, neque vt vidimus, potest prædicari, quia se habet vt pars essentialis respectu compositi essentialis, vndè neque in his est, vt quid superius. & ideò neque habet constitutiuum generis, neque eius propriam passionem.

VIII. Confir. totus hic diuersus. Genus est aliquid se habens vt quod, & ad modum per se stantis, non verò ad modum adiacentis; ergo cum abstra-

ctum non se habeat ad modum per se stantis, sed adiacentis alteri, nempè concreto, non potest sufficere ad constituendum genus, prout est quoddam vniuersale, seu prædicabile. Quòd autem genus, vt quoddam prædicabile est, importet aliquid ad modum per se stantis, euidens est, quia dicit aliquid abstractum à speciebus, ita vt in hac abstractione relinquantur solùm differentiæ, quibus relictis, natura statim euadit vniuersale genericum, dum autem relinquuntur solæ differentiæ specificæ, remanet natura superior ad modum per se stantis, & concreti, quia totum id, quod erat in speciebus, & indiuiduis se habebat ad modum concreti, & per se stantis. Rursus hoc etiam patet ex definitione allata à Porphyrio, quæ cadit supra aliquod concretum. Vndè vlterius argumentor. Vel concretum genericum constituit genus: vel non. Hoc secundum non potest dici, quia reuera importat naturam communem pluribus speciebus, & quæ est in statu proximo prædicandi de illis; sic animal est genus. & illi conueniunt, prout in concreto est, omnia requisita generis. Si ergo constituit genus, dicendum est abstracta generis non posse illud constituere, cum dicant aliquid minus, si enim in genere, prout se habet ad modum concreti, saluantur constitutiua generis, & ratio formalis ipsius, non saluabuntur sufficienter in abstracto generico: sic etiam ratio hominis vt homo est, non saluatur in humanitate.

Genus prædicabile aliquod per se stans.

IX. Vnde dicendum est quinto, quòd licet abstracta generica non sufficiant ad saluandum genus adæquatè, vt est quoddam vniuersale, & prædicabile, se habent tamen vt formale constitutiuum generis, ita vt tanquam rationes vt quo pertineant ad esse generis. Sic animalitas respectu animalis se habet vt quo: vndè tota formalis natura generis illis conuenit vt quo. Desumitur hæc sententia ex Auicenna 5. Metaphysicor. cap. 6. & D. Thom. de Ente, & essent. cap. 5. qui docent, rationalitatem non esse differentiam, sed principium differentiæ, nempè principium constitutiuū, quia est id, quo differentia constituitur in esse differentiæ. Vndè eodem modo dicendum est etiam de genere: quòd concretum sit genus: vt animal; Abstractum verò, vt animalitas, sit principium formale constitutiuum generis.

abstracta generica cōstituūt genus, nō vt rō genus.

Auicen. D.Th.

X. Declaratur, & simul probatur. Genus formaliter est aliqua natura, quæ potest esse in pluribus specie diuersis, ex qua sequatur prædicabilitas de ijsdem: hæc autem natura constituitur in esse generico formaliter per ipsum abstractum, & per illud habet, tanquam per formale constitutiuum, quòd illi conueniat esse in pluribus, sic animal habet formaliter per animalitatem, quòd possit esse in suis speciebus. Rursus genus se habet, vt pars potentialis constitutiua speciei, ita vt veniat in compositionem illius. Sed hoc reperitur in abstracto generico, tanquam in principio vt quo; vndè abstractum, tanquam formale constitutiuum seipsum exhibendo hoc ipsum communicat generi: Denique de ratione generis est, quòd sit diuisibile per differentias essentialiter diuersas, & quòd per ipsas contrahatur; sed id etiam conuenit abstracto, tanquam principio vt quo, nam se habet vt pars, quam possumus concipere esse vnibilem cum quolibet abstracto differentiali, quod importet differentiam diuisiuam generis, & proindè id habet genus ratione abstracti generici. Hinc etiam possumus concipere abstractum genericum esse in pluribus abstractis specificis, tanquam aliquid ipsis commune. Verùm sicuti illa abstracta se habent vt quo, ita etiam abstractum genericum, prout est aliquid ipsis commune. Deindè hoc vniuersaliter verum est, quòd abstractum dicit vt quo, & tanquam format totum, quod dicit concretum formaliter, sic albedo dicit totum, quod dicit album formaliter, vt album est, & ratio est, quia per abstractum constituitur formaliter in esse concreti: ergo etiam abstractum genericum dicet vt quo, quicquid dicit genus, vt genus est.

Explicantur rationes aliarum opinionum.

SECTIO IV.

I. Prima ratio, quam pro sua opinione confirmanda afferebant auctores primæ sententiæ, negantes abstracta metaphysica sufficere ad constituendum genus, vt est quoddam vniuersale, & prædicabile, in eo sensu, quo

Prima rō primæ sētentiæ inefficax.

afferebatur, nihil concludit, nam licet abstractum sit pars speciei, & præscindat ab inferioribus, non tamen hoc tollit, quin sufficiat ad constituendum genus: Imò quòd genus abstrahat ab inferioribus, necessarium est, cum sit essentialiter pars speciei, nec possit in confuso dicere differentias, vt supra ostensum fuit. Atque cum genus dicitur esse quoddam totum, intelligitur totum potestatiuum, nempè pars subiectiua, quæ potest fieri totum: quod sit totum prædicabile respectu specierum, quas sibi subjicit tanquam partes, in quibus sit, & de quibus prædicetur: quòd sit quoddam totum, seu concretum, vt suprà suo loco explicatum fuit. Vndè solùm potest argumentum habere efficaciam, si abstractum genericum intelligatur esse partem respectu concreti, eo pacto, quo abstractum, est pars concreti, non verò si intelligatur, esse partem speciei.

Secunda ratio insufficiés.

II. Secunda autem ratio tangit difficultatem, quomodò genus prædicetur de inferioribus, & quid requirat, & an vt quid abstractum ab ijs, possit de ipsis prædicari. Hoc autem infrà examinabimus. Nunc dicimus quantùm ad hoc eamdem rationem esse de abstracto generico, & de concreto, quia concretum quoque est quid præcisum ab inferioribus, & nullo pacto, neque in actu confuso includit differentias, sed solùm in potentia, & ideò si ex hoc capite non posset abstractum constituere genus, neq; etiam posset constituere concretum; vnde ratio ibi facta non procedit. Quòd etiam amplius ostenditur; nam quando quærimus, an abstracta metaphysica sufficiant ad constituendum genus, difficultas oritur ex eo, quod sunt talia abstracta, vndè si non sufficiunt, debet insufficientia poni ex vi talis abstractionis. Hæc autem abstracta ex vi talis abstractionis abstrahunt secundum formam à subiecto: ab inferioribus verò abstrahunt per aliam abstractionem; quod patet ex eo, quia etiam concretum generis potest ab inferioribus abstrahere: vndè cum possit haberi vna abstractio sine alia, concludendum est, non vnam esse tantum abstractionem, qua abstractum genericum abstrahit ab inferioribus, & subiecto, nec per abstractionem ab inferioribus constitui in esse abstracto, sed per abstractionem à subiecto. Ex vi ergo huius abstractionis debet sequi, quòd abstractum genericum non sufficiat ad constituendum genus, non verò ex eo, quòd abstrahat ab inferioribus.

Abstractum genericum quia abstrahit à subiecto, non quia abstrahat ab inferioribus.

Ad primum secundæ sententiæ.

III. Quod autem spectat ad rationes secundæ sententiæ, si aliquid conuincunt, solum vltimum nostrum dictum confirmant. Vndè ad primam dicimus, solum concludere, quòd abstractum genericum sit ratio quædam communis, non tamen se habens vt quod, sed tantum vt quo. Rursus quòd habeat differentias per quas diuidatur, & cum quibus veniat in compositionem pro constituendo abstracto metaphysico specifico, vt supra etiam diximus. Ex quibus sequitur, vt sit genus tantùm, vt quo, seu principium formale constitutiuum generis, non verò quòd sit genus vt quod; vnde sequitur, neque posse de inferioribus abstractis prædicari, vt diximus, cum sit pars illorum non adæquans subiectum, quatenus ex vi prædicationis ipsis substernitur.

Ad secundum.

IV. Atque eodem modo soluitur secunda ratio. Verum enim est, abstracta specifica non esse omninò diuersa, sed habere aliquam rationem communem, nempè abstractum genericum: hæc tamen ratio communis non se habet ad modum generis completi, sed ad modum rationis genericæ, seu formalis constitutiui generis, & eo ferè modo conueniunt, quo plura composita physica conueniunt in eodem subiecto physico: sic cum pars generica in compositione speciei se habeat vt pars subiectiua, sequitur, vt abstracta specifica non conueniant in aliquo genere, sed in subiecto metaphysico, seu in constitutiuo generis.

Ad tertium.

Ad tertiam autem rationem negatur assumptum: constat enim ex dictis in principio sect. præcedentis, quòd abstractum metaphysicum nihil aliud dicit, nisi suam propriam rationem formalem, & nullo modo inferiora.

Ad quartum.

Ad quartam verò rationem dicimus, quòd animalitas, & quodlibet aliud abstractum genericum includitur in suo abstracto specifico, vt pars essentialis in suo toto, non autem vt superius in suo inferiori: hinc fit, vt non se habeat ad modum generis completi, sed tantùm ad modum principij formalis generici, & non possit de tali abstracto prædicari, quia non adæquat eiusdem subijcibilitatem: sic etiam materia, & forma includuntur, vt quid essentiale in

in composito physico, non tamen in recto de eo prædicari possunt, quia se habent ad modum puræ partis componentis, non verò ad modum superioris; vndè solùm prædicari potest in obliquo, si videlicet dicatur, humanitas constat ex animalitate, non autem potest dici, est animalitas.

Obiectio. V. Sed adhuc obijci posset; Valet hæc propositio, Humanitas est natura sensitiua; ergo cum idem sit animalitas, ac natura sensitiua, poterit etiam dici, Humanitas est animalitas, & abstractum genericum poterit prædicari de specifico. Respondetur ex animalitate & rationalitate cõstitui naturam humanam, Responsio & ideò, cùm animalitas se habeat merè vt pars, non potest de humanitate prædicari; At natura sensitiua non est omnino idem, ac animalitas, quia natura sensitiua se habet, vt constitutum per animalitatem, animalitas verò vt formale constitutiuum, ideò natura sensitiua dicit aliquid amplius, & potest se habere vt genus respectu humanitatis: sicuti enim concreta habent sua genera, Quæ sint genera abstractorum. ita etiam abstracta. Verùm genera abstractorum specificorum non sunt ipsa abstracta generica, seu formæ, quibus constituuntur concreta generica, sed sũt aliquid præcisum ab abstractis specificis tanquam aliquid superius, quod ad ipsa comparatum adæquat talia abstracta specifica, illa sibi subijciens, tanquam eorumdem forma, atque se habet vt quod respectu illorum, quod inde prouenit, quia adhuc se habet, vt quoddam concretum, quòd per tales differentias diuiditur; sic natura sẽsitiua dicit aliquid coalescens ex forma, nempè animalitate constituente illud cocretum naturæ sensitiuæ. Natura enim sensitiua non est ita simplex, vt non possit aliquid magis abstractum ab ipsa separari, nempè forma sensitiui, quæ est ipsa sensitiuitas; & ideò, se potest habere per modum generis prædicabilis. Ex quo etiam infertur, quòd licet abstracta specifica sint abstracta respectu sui concreti, vt humanitas respectu hominis, in se tamen considerata ita se habent, vt possit aliqua forma ab ipsis separari, quæ sit magis abstracta, sic humanitas, quatenus importat naturam humanam, habet in se aliquam concretionem, quatenus constituitur per formam talis naturæ, quæ est ratio formalis humanitatis.

VI. Quòd si alicui hæc doctrina nõ placeret: nec facile perciperet has abstractiones, quæ tamen verè inueniuntur, si diuersę reflexiones considerentur, quas facere potest intellectus suprà idem obiectum, posset responderi etiam, abstracta specifica habere sua genera, quæ tamen in ratione prædicabilitatis adæquentur cum suamet subijcibilitate, ita vt comparari possint in eadem linea prędicamentali, tanquam superius, & inferius, ita vt abstracta specifica secundùm se tota subijciantur abstractis genericis, tanquam formis, quia abstracta generica seruant modum essendi in ipsis, tanquã aliquid superius in suis inferioribus, vt contingit in natura sensitiua, in natura humana; non sic autem contingit in abstracto generis, quia hoc respectu abstracti specifici non se habet, vt quid superius, sed merè vt pars, & ideò non potest prædicari de specifico abstracto.

Quomodo genus prædicetur de speciebus. Disp. LIII.

Quid sit prædicari in quid.

SECTIO I.

I. Dicitur genus prædicari in quid de differentibus specie, quòd se habet vt passio ipsius, vt iam patet ex dictis. Nunc explicandus est modus, quo prædicatur. Difficultas autem, est quid sit hoc prædicari in quid, per quod contradistinguitur, differentia, quæ prædicatur in quale quid. Deindè quomodo se habeat, quandò prædicatur de suis inferioribus, & an vt aliquid ab ipsis ab Ratio dubitandi. stractum. Atque, quod in hac difficultate dicitur de genere, intelligi potest

de

de specie quoque proportione seruata. Difficultas autem est, quid sit hoc prædicari in quid, & cur potius tribuatur generi, quàm differentiæ. Ratio dubitandi est; quia tam genus, quàm differentia sunt partes essentiales speciei, & ita se habent, vt si adinuicem comparentur, vna sit adæquatè extra aliam, vtrunque autem sit essentiale speciei; ergo nulla videtur ratio, cur potius id tribuatur generi, quàm differentiæ. Prima ergo expositio est Auersæ in Logica quæst. 10. sect. 3. Qui ait prædicari in quid non aliud esse, quàm prædicari substantiuè, prædicari verò in quale quid, esse prædicari quidem, vt quid de essentia, verùm adiectiuè. Addit tamen, quòd si loquamur de genere, & differentia, imò de quibuscumque alijs prædicatis essentialibus, non esse ex natura rei determinatum, quodnam potius ipsorum prædicetur substantiuè, & quodnam adiectiuè: sed posse aliquando vnum, & idem prædicatum vtroque modo prædicari. Vndè solum genus habet, vt prædicetur substantiuè, & differentia adiectiuè, quando prædicantur coniunctim, & immediatè vniuntur absque aliqua copula, vt cum dicitur Homo est animal rationale, illud enim, quod ponitur substātiuè, est genus; quod verò ponit adiectiuè est differētia. — Prima expositio. — Auersa.

II. Sed hæc explicatio non est admittenda, nam valdè grammaticalis est, nec declarat naturam rei ab intrinseco, sed solùm ex vocibus, & ex modo significandi conceptus per voces. Deindè siue genus, & differentia prædicentur coniunctim, vt contingit, quando definitio prædicatur de definitio, siue separatim, semper prædicantur vt genus, & vt differentia, ergo semper debet saluari, quòd alterū prædicetur in quid, alterū verò in quale quid, imò quando definitur genus à Porphyrio per Prędicari in quid, & Differentia in quale quid, intelligit de prædicatione propria, quæ vnicuique seorsum conuenit. Confir. Modus prædicandi in quid tantùm, est aliquid contra distinguens genus à differentia, cui conuenit prædicari etiam in quale, ergo cum propriam contradistinctiuum debeat sem per vnicuique conuenire, etiam prædicari in quid debet semper generi conuenire. Tertiò prædicari in quid fundatur in natura generis, prædicari verò in quale quid in natura differentiæ, ergo cum impossibile sit, Genus, & differentiam mutare propriam naturam, etiam impossibile erit, non conuenire ijs semper eumdem modum predicandi, & consequē ter non poterit genus prędicari modò adiectiuè, modo substantiuè, quia quando prędicabitur adiectiuè, non se habebit amplius vt genus. — Reijcitur. — Genus, & differentia sæpe eodē modo prædicantur.

III. Alij ergo aliter explicant, quid sit hoc prædicari purè in quid, & non in quale, asserentes, quòd prædicari purè in quid, est prædicari per modum totius: in quale autem per modum partis. Dicitur autem genus prædicari per modum totius, quia non prædicatur, vt quid abstractum ab inferioribus, sed prout illa dicit in confuso. Verùm neque hæc explicatio rem declarat; imò falsa est. Et inprimis genus non prædicatur, prout dicit sua inferiora in confuso, sed prout ab illis præscindit, vt dicemus. Sed quicquid de hoc sit, ostenditur falsitas huius explicationis, nam talis modus prædicandi fundatur in ipsomet genere, prout dicit propriam rationem generis, vndè debet illi conuenire, prout dicit rationem communem pluribus speciebus, ita vt in illa fundetur; ergo ex eo, quòd sit talis ratio communis, prædicatur purè in quid, non ex eo, quòd dicat in confuso inferiora. Secundò; prædicari purè in quid conuenit generi, prout est quid contradistinctum à differentia; ergo illi conuenit, prout est quædam pars speciei. Hoc antecedens prob. si quidem prædicatur in quid de pluribus differentibus specie, vndè hic modus prædicandi illi conuenit, prout respicit plura specie diuersa; & cum hęc plura specie diuersa sint terminus illius ordinis, quatenus diuersa sunt, debent vt talia, atque adeò secundùm differentias esse extra genus, quatenus respiciuntur, vt terminus talis prædicabilitatis, genus autem, prout est extra differentias, se habet vt pars, & consequenter hic modus prædicandi conuenit generi, prout est pars speciei. Confirmatur. Prædicari in quale quid conuenit differentiæ, prout est pars contradistincta à genere; ergo etiam prædicari purè in quid conuenit generi, vt est pars contradistincta à differentia, & consequenter, vt est quædam pars speciei. Hic enim modus prædicandi contradistinguit genus à differentia: si autem conuenit generi, vt est pars contradistincta à differentia, debet fundari in genere, prout est pars — Secunda explic. — Reijcitur. — Prædicari in quid conuenit generi, vt est pars speciei.

 con-

cet, debet illud, cui adiacet, se habere vt contradistinctũ à differentia. Rursus prædicari tali pacto prouenit ab intrinseca natura generis, quatenus genus est; ergo conuenit generi ex eo, quòd est pars speciei, non verò ex eo, quòd in confuso dicat inferiora, quia, prout est genus, est tantùm pars speciei, & aliquid præcisum, non verò dicens in confuso inferiora. Quartò argumentor. Omnis prædicatio de pluribus fundatur in communitate naturæ, & illi conuenit ex eo, quòd communis est; ergo talis prædicatio in communitate talis naturæ. Hinc modus prædicandi purè in quid de pluribus differentibus specie fundabitur in generica natura, quatenus, vt quid essentiale, est communis pluribus speciebus. Vt autem genus importat aliquid commune pluribus speciebus, est pars speciei, non autem dicit in confuso omnia inferiora.

IV. Vt igitur veram explicationem afferamus. Aduertendum est, In modo, quo genus de pluribus speciebus prædicatur, duo includi: Alterum quod est prædicari in quid, & Alterum quod est prædicari, sed non, in quale; vndè remanet, quòd prædicetur purè in quid. Quod licet videatur quid negatiuum, quatenus per negationem explicatur, fundatur tamen in aliquo positiuo, & facit, vt illud prædicari in quid, diuersimodè se habeat, dum est solitarium, quàm si esset coniunctum cum prædicari in quale. Prædicari autem in quid nihil aliud præcisè importat, quàm prædicari, vt aliquid de essentia subiecti; ly enim quid denotat quidditatem rei, nec de hoc est aliqua difficultas. Quòd autem hoc prædicari in quid sit aliquid solitarium, & contradistinctum à prædicari in quale quid, nihil aliud dicit, nisi quòd prædicetur, vt aliquid ad modum per se stantis. In quale autem quid, quòd prædicetur ad modum adiacentis, sed vt quid essentiale. Atque in hoc consistit totum discrimen inter modum prædicandi, qui conuenit generi, & modum prædicandi, qui conuenit differentijs. Ex quò etiam sequitur, quòd prædicari in quid importet rationem superiorem prædicantem de inferioribus; prædicari autem in quale quid, si prædicatio sit immediata, non importet rationem superiorem, quæ prædicetur de inferioribus, sed tãtum aliquid ad modum formæ prædicans de subiecto.

Duo includuntur in modo prædicandi generis.

Quid prædicari in quid. & in quale quid

V. Atque hæc explicatio colligitur ex doctrina Aris. nam 5. Metaph. tex. 19. docet, quòd differentia facit quale, ait enim, *Vno itaque modo qualitas dicitur substantia differentia*. Et affert exemplum de circulo, qui est qualis quædam figura, quatenus est sine angulis, in quo differt à cæteris figuris; cum igitur differentia ex natura sua se habeat vt qualitas, & faciat quale, se habet quoque per modum adiacentis, quia conuenit qualitati, illi adiacere, quod qualificat: atque cum modus prædicandi proportionetur modo essendi, prædicabitur per modum adiacentis. Rursus tex. 35. eiusdem lib. docet, quòd genus est illud, quod primo inest, atque quòd differentiæ dicuntur qualitates ipsius: sic enim inquit. *Item vt in rationibus, quod primum inest, quod dicitur in eo, quòd quid est, hoc genus, cuius differentiæ dicuntur qualitates*. Esse autem, quod primum inest, non aliud importat, quàm esse aliquid ad modum per se stantis, & consequenter, quando genus prædicatur de speciebus, quia in illis est, vt aliquid per se stans, & non alteri adiacens, etiam predicabitur ad modum per se stantis. Quinimò etiam Porphyr. cap. vltimo de prædicab. quando assignat discrimen inter genus, & differentiam, inquit. *Genera praiacere oportet, & informata specificis differentijs perficere species*. Et etiam cap. de different. dixerat, quòd Genus, & differentia seruant proportionem ad materiã, & formam. Materia autẽ est in composito, vt aliquid per se stans.

Ar. 5.

Differentia qualitas essentiæ.

Genus aliquod primò inest speciei.

Porphyr.

VI. Atque etiam ratione possumus hanc explicationem confirmare. Genus, & differentia se habent, vt partes constitutiuæ speciei, ita tamen vt differentia ex intrinseca sua ratione sit contractiua generis ipsum coarctando ad talem naturam specificam. Ex hoc autem fit, vt genus se habeat, vt aliquid per se stans, non autem alteri adiacens: in hoc enim debemus eodem pacto philosophari, ac in composito physico; vnde vel concipitur genus, vt aliquid per se stans, vel vt alteri adiacentis. Si primum admittitur, hoc est, quod nos intendimus, genus videlicet venire in compositionem speciei, vt aliquid per se stans. Si verò dicatur, quòd alteri adiaceat, iam non se habebit vt genus, sed vt differentia. Sequel. hæc ostenditur, nam si alteri adia-

Genus venit in compositionem speciei, vt aliquid per se stans.

cet,

vt aliquid perfectibile per illam rationem genericam; rursus debet esse aliquid magis commune, ita vt etiam in alio reperiatur, quàm in illo, in quo est illa ratio, quæ dicitur genus esse, atque adiacere, alioquin non posset intellectus distinguere inter adiacens, & id, cui adiacet, & concipere vnum alteri adnenire. Hoc autem est esse differentiæ, quia hæc ex natura sua est diuisiua generis, atque contractiua illius: vndè illi aduenit. Ecce ergo quomodo genus venit in compositionem speciei, vt aliquid per se stans, in quo etiam seruat analogiam ad materiam; differentia verò, vt aliquid alteri adiacens, in quo seruat analogiam ad formam; & idcircò, cum modus prædicandi sequatur modum essendi; quo aliquid est in alio, ideo genus prædicatur ad modum per se stantis; quod est prædicari purè in quid: differentia verò ad modum adiacentis, quod est prædicari in quale quid.

Diluitur primo obiectio Auersæ.

VII. Neque obstant, quæ obijcit Auersa citatus contra hanc expositionem. Nam cum ait, aliquando genus, & differentiam non se habere tanquam duas rationes cum perfecta præcisione, sed solùm per magis, & minùs explicitum conceptum. Quicquid enim de hoc sit, quod infra suo loco examinabimus, non tamen obstat ijs, quæ diximus. Nam licet verum esset, genus, & differentiam distingui tantùm secundùm conceptum magis, vel minùs explicitum, adhuc tamen verum esset, quòd genus se haberet, vt contrahibile, differentia verò vt contractiua, Implicat enim, aliquid esse genus, & non esse magis commune, quàm differentia, cum essentialiter petat esse in pluribus speciebus, quæ per diuersas differentias constituantur; ex quo sequitur, vt per quamlibet differentiam contrahatur. Quòd si genus contrahitur, & differentia contrahit, iam genus se habet ad modum per se stantis; differentia verò ad modum adiacentis; atque semper genus prædicabitur ad modum per se stantis, differentia vero ad modum adiacentis.

Altera obiectio.

VIII. Præterea obijcit idem Auersa Per accidens esse, quòd hoc prædicatum præcedat, vt aliquid per se stans, & aliud subsequatur, vt adiacens, nam ita vnum præcedit, vt possit econuersò se habere: & affert Arist. 7. Metaph. tex. 43. qui ait. *Ordo non est in substantia; quo namque modo intelligere oportet hoc quidem prius, illud verò posterius?* Sed neque hoc est alicuius momenti, imò assumit, quod est falsissimum. Quis enim dicat, rationem communem non esse priorem ex natura sua minùs vniuersali, & in compositione metaphysica illam non præcedere, cum ratio minùs vniuersalis fundetur in magis vniuersali? at genus est magis vniuersale, quàm sit differentia; cur ergo non erit prior differentia? Rursus si genus contrahitur, & diuiditur per differentiam, quomodo ex natura sua non erit prior differentia? Denique si differentia ex intrinseca sua ratione habet, quòd perficiat genus, quomodo non supponet genus, quod perficiat, & in quo fundetur.

Illustratur Arist.

IX. Neque Arist. oppositum docet, nam in illo ipso textu vocat genus id, quod primo inest, & ait, *Nihil enim aliud in definitione est, nisi, quod primum dicitur, genus, & differentia cætera verò genera sunt, & ipsum primum, & post hoc, quæ comprehenduntur differentia: vt puta ipsum primum est animal, consequens verò animal bipes.* Illorum autem verborum, quæ attulit Auersa, non attingit verum sensum: non enim ibi Arist. negat, quòd sit ordo inter diuersas rationes formales, seu partes definitionis, nempè genus, & differentiam, imò iuxtà expositionem Auer. ponit, ait enim ibidem

Auer.

Auer. *Et hoc posito erit manifestum, quòd si aliquis addiderit aliquam differentiam iteratam, quòd nugabitur; vt si dicatur in definitione hominis, quòd est animal bipes, de quo prædicantur duo pedes, ista enim differentia est superflua. Deindè dedit causam in hoc, & dicit, cum enim dicitur bibes, &c. Idest, & causa in hoc error est, quia posuimus, quòd bipes non significet substantiam similem substantiæ, quam significat illud, de quo prædicantur duo pedes, ita quòd quoddam ponatur ordinatum ante quoddam, sicut debent poni partes definitionis, cum isti duo sermones significant idem.* Atque verba Arist. ita vertit. *Cum ergo declaratum est, quòd definitio est sermo, qui est ex differentijs, & ex suis partibus, tunc erit manifestum, quòd si aliquis mutauerit definitionis tales, vt est definitio hominis, & dixerit ipsum esse Animal bipes, de quo prædicantur duo pedes; quòd hoc verbũ, de quo prædicantur duo pedes, est superfluum; cum enim dicetur bipes, non erit ordo in substantia;*

Ordo inter partes definitionis.

quoniam quomodo est intelligendum, quòd quaedam est ante, & quaedam post. Ex quibus patet, quòd tantùm abest, vt neget ordinem inter partes definitionis, vt maximè illum ponat.

Expositio Alexandri eiusdem tex.

X. Alexander autem ita explicat, vt per ly substantiam, in qua negat Arist. esse ordinem, intelligat genus, quod se habet ad modum materiae. Et inquit, *Ne quis autem dicat, quoniam definitionis partes ordinem quemdam tenere debent, vt hac praecedat, illa sequatur, idcircò aliquid superuacaneum contingere, adiecit illud (ordo autem non est in substantia) nec ob ipsum absurdum accidit (quomodo enim intelligere aliud posterius, aliud prius oportet) nam cum ea, qua vltimam differentiam praecedunt, materia sint, in materia autem, quà materia, non sit prius, & posterius, neque enim in are statua hac pars prior est, illa posterior, quomodo in definitione dicere licet, hac pars est prior, illa posterior.* Non negat igitur prioritatem, & posterioritatem inter genus, & differentiam, sed solùm in ipso genere iuxtà hanc expositionem.

Expositio D.Th.

Aliter quoque explicat D.Thom. Intelligit enim, non esse prius, & posterius in entitate, non verò secundùm rationes formales. Ait enim. *Ex hoc patet, quòd illa differentia, secundùm quod sunt multa, habent inter se ordinem determinatum. Non autem hoc potest intelligi, quòd in substantia rei sit aliquis ordo. Non enim potest dici, quòd hoc substantia sit prius, & illud posterius, quia substantia sit tota simul, & non per successionem, nisi in quibusdam defectiuis, vt sunt motus, & tempus. Vndè patet, quòd multa partes definitionis non significant multas partes essentia, ex quibus essentia constituatur, sicuti ex diuersis, sed omnes significant vnum, quod determinatur vltima differentia.* Ex quibus omnibus expositionibus colligitur alium esse sensum illorum verborum ab eo, quem ipsis tribuit Auersa.

Altera expositio

XI. Verùm addere ipse, quòd quando Arist. negat, esse ordinem in substantia, per substantiam intelligat vltimam differentiam solam, quae cum vna sit, & indiuisibilis, non potest habere partes, neque etiam metaphysicas, & ideò neque habet prius, & posterius. Haec antem expositio colligitur ex ipso textu, in quo loquitur, vt clarum est de definitione. Hanc autem definitionem dicet constare ex vltima differentia, tanquam ex forma. Cum enim prius dixisset, quòd genus se habet, tanquam materia, circa finem illius textus concludit. *Quare manifestum est, quòd definitio est ratio, qua ex differentijs est, & ex harum vltima secundùm rectum.* Hanc autem vltimam differentiam paulo autè dixerat esse substantiam, & speciem definitionis. Eius verba sunt. *Si igitur differentia differentia fiat, vna, qua vltima est, erit species, & substantia.* De hac igitur substantia, seu vltima differentia concludit, quòd in ea non sit ordo, vt pote quia non habet partes, inquiens, *Ordo verò non est in substantia; quo namque modo intelligere oportet hoc quidem prius, illud verò posterius?*

Tertia obiectio eiusdem Auersae.

XIII. Denique obijcit Auersa; quòd dantur quaedam differentiae, quae sunt communes alijs speciebus, vt esse mortale, quod est differentia per Porphyr. contradistinguens homines ab angelis, in quo tamen homo conuenit cum alijs corporeis viuentibus: Sic etiam substantia diuiditur in corpoream, & incorpoream, & corporea in viuentem, & non viuentem; & poterat etiam immediatè diuidi in viuentem, & non viuentem, deindè viuens in corpoream, & incorpoream, vndè viuens, quod in prima diuisione se habet, vt differentia, in secunda se habet, vt genus: & rursus corporeum, quod in prima diuisione, se habet, vt genus, in secunda. se habet vt adiacens, seu differentia. Resp. hanc obiectionem tantùm concludere, quòd ea, quae se habent vt genus respectu aliquorum, possint respectu aliorum se habere, vt differentia, quod non solùm accidit in his differentijs, sed etiam in omnibus subalternis, quae habent rationem generis, & differentiae comparatae ad diuersa. Cum igitur contingit, quòd idem sit genus, & differentia respectu diuersorum, etiam poterit se habere, modò tanquam aliquid per se stans; modo tanquam aliquid adiacens. Non hinc tamen sequitur, vt genus, quotiescunq; se habet vt genus, non sit id, quòd primò inest, tanquam aliquid per se stans, & differentia, quando se habet, vt differentia, non se habeat vt aliquid adiacens, quia cùm de ratione generis sit contrahi, & de ratione differentiae contrahere, nec possit contrahere, nisi adueniat generi; implicat genus se habere,

Idem genus, & differentia respectu diuersorum.

vt genus, & non ad modum per ſe ſtãtis, & differentiam ad modum adiacentis.

An genus prædicetur vt totum, vel vt pars de ſpeciebus. Auctorum Sententia.

SECTIO II.

I. DIſtinguí ſolent variæ generis acceptiones. Inquiunt enim, Genus poſſe conſiderari vt totum, & vt quãdam partem ſpeciei. Primò modo nedum dicit aliquid per modum concreti, tanquam habentis naturam: ſed inſuper dicit, quòd ſignificet in confuſo ipſa inferiora, ita vt quando prædicatur de aliqua ſpecie, ſignificet totam naturam illius ſpeciei: ſic quandò animal prædicatur de homine, dicit totam naturam humanam, quandò verò prædicatur de equo, dicit totam naturam equinam, & hoc pacto vocant genus totum potentiale. Differunt tamen inter ſe Auctores, nam aliqui dicunt, Genus tali pacto ſumptum continere in actu confuſo differentias, quatenus continet totam quidditatem ſpeciei, vt ſupra vidimus; quòd etiam indicat Suarez infrà citandus. Alij verò dicunt non continere in actu confuſo differentias, ſed tantùm ſignificare totam naturã ſpeciei ſub gradu vniuerſali ſuperiori; ità præcipuè Ruu. citandus. Rurſus poteſt ſumi genus, vt eſt quædam pars ſpeciei: quæ etiam dupliciter poteſt conſiderari, & prout actu componit ſpeciem, & dicitur pars actualis: & prout actu non componit, ſed poteſt componere, & dicitur pars potentialis. Vtroque autem modo conſiderata, non importat totam naturam ſpeciei, ſed partem præcisè, in quo differt à genere ſumpto, prout eſt quoddam totum potentiale.

Genus vt totum, & vt pars.

Genus vt pars actualis, & vt pars potentialis.

II. Hinc ortæ ſunt variæ opiniones, & Prima quidem aſſerit, quòd quandò genus prædicatur de ſpeciebus, non ſe habet vt pars, ſed vt totum potentiale, dicens explicitè rationem genericam ſuperiorem, in confuſo verò totam eſſentiam ſpeciei, de qua prædicatur. Ita ſentiunt ferè communiter præcipuè D. Th. de Ente, & eſſentia cap. 3. initio, vbi inquit. *Si animal non eſſet totum, quod eſt homo, ſed pars eius, non prædicaretur de eo, cum nulla pars integralis prædicetur de ſuo toto.* Et infrà ſubdit. *Si enim animal nominaret tantum rem talem, quæ habet quamdam perfectionem, vt poſſit ſentire, & moueri per principium in ipſo exiſtens, cum præciſione alterius perfectionis: tunc quæcunque alia perfectio vlterius ſuperueniret, haberet ſe ad animal per modum partis, & non ſicuti implicitè contenta in ratione animalis, & animal non eſſet genus: ſed eſt genus, ſecundùm quòd ſignificat rem quamdam, ex cuius forma poteſt prouenire ſenſus, & motus, quæcumque ſit illa forma, ſiue ſit anima ſenſibilis tantùm, ſiue ſit anima ſenſibilis, & rationalis ſimul.* Sequuntur Caiet ibid. Soto in Logica cap. de Gener. quæſ. vnica art. 2. Suarez in Metaph. diſp. 15. ſect. 11. num. 16. Picus in Logica quæſ. 5. de Genere, atque alij complures, quam etiam tribuunt Boet. lib. de diuiſionib. initio, & Scoto quæſ. 16. Prædicab. in reſp. ad 1. Fundant autem hanc ſuam ſententiam, quia licet pars poſſit denominatiuè, aut in obliquo prædicari de toto, non poteſt tamen abſolutè, & in recto, ergo niſi genus dicat totum eſſe ſpeciei, ſaltem in confuſo, non poterit prædicari de ipſa, alioquin pars prædicaretur in recto de toto. Secundò. Vt verificetur propoſitio, in qua dicitur, homo eſt animal, debet totum id, quod dicit ſubiectum, dicere etiam prædicatum, ergo quandò genus prædicatur de ſpeciebus, debet dicere quicquid dicit ſpecies.

Prima opinio Genus prædicari, vt totum potentiale.

D. Th. Caiet. Soto. Suarez. Ruuius. Boet. Scot.

III. Secunda autem opinio aſſerit. Quando genus prædicatur de ſpecie, ſe habere, vt partem actualem illius, ita vt quando animal prædicatur de homine, ſit illud ipsũ animal, quod conſtituit hominem, & prout eſt in ipſo homine. Tribuitur hæc opinio Caiet. cap. de Genere & Venet. cap. de ſpecie; & eam ſequuntur nonnulli alij. Fundant illam primò, quia Ariſt. 1. Poſter. cap. 4. docet, quòd definitio prædicatur de definito, atque etiam ſingulæ partes ipſius per ſe, partes autem definitionis ſunt actuales reſpectu definiti. Præterea quia etiam partes phyſicæ prædicantur de toto phyſico in concreto, nam dicitur, homo eſt corporeus: hoc autem debet à fortiori verificari de partibus metaphyſicis, cum minus diſtinguantur à toto metaphyſico, quàm pars phyſica à toto phyſico. Denique ſequeretur, quòd prædicatio generis non diſtingueretur à prædicatione ſpeciei, ſi genus prædicaretur, vt dicens totam eſſentiam, cum etiam ſpe-

Secunda opinio. Genus prædicari, vt partẽ actualem. Caiet. Venet.

Ariſt.

cies

cies in prædicando dicat totam essentiã.

1. Opinio Genus predicari, vt partem potentialem. IV. Sed tertia opinio est, quòd genus nō prædicetur de speciebus, vt pars actualis, neque vt totum potentiale, sed vt pars potentialis, nempe prout potest simul cum differentia componere speciē. Canter. Pro hac opinione Ruuius citat quendã Canterum cap. de Genere dub. 3. atque eam sequuntur nonnulli Recentiores. vtitur hæc sententia pro fundamento eodem medio, quo prima. Hoc est, quòd non potest aliquod prædicatum in recto de alio dici, nisi contineat totum id, quod dicit subiectum, vt autem genus est pars actualis non continet id, quod dicit alia pars speciei, sed vt est pars potentialis, vt enim potest vniri cum differentia illam continet in potentia, quod sufficit, vt dicatur continere totum, nempè vnã partem actu; alteram in potentia. Atq. hæ sunt opiniones, quæ in hac difficultate circumferuntur in scholis.

Quid in hac re dicendum sit.

SECTIO III.

I. VT nostram sententiam in hac re aperiamus, supponendũ est, vt latius declarabimus, quando agemus de vniuersali. In vniuersali non interuenire aliud, præter intellectionem prout importat verbum mentis repræsentatiuum obiecti, & ipsamet indiuidua realia à parte rei, siue possibilia. Vndè ex parte obiecti nihil aliud habetur, præter huiusmodi indiuidua, non quidem secundùm esse totale cognita, sed secundùm esse inadæquatum, nempè rationem communem, in quo conueniunt; vndè in tali cognitione Vniuersalis, obiectum reale intellectus est ipsum esse reale indiuiduorum secundùm rationem communem repræsentatum, quod est inadæquatè repræsentari. Applicando igitur hanc doctrinam ad præsentem materiam Genus, prout est quoddam vniuersale, ex parte obiecti, nihil reale positiuum importabit, nisi indiuidua ipsa inadæquatè cognita secundùm talem rationem communem genericam, vndè ille conceptus obiectiuus generis, verbi gratia animal, non erit aliud, quàm ipsa indiuidua sub tali ratione repræsentata; atque genus dicet quidem totam entitatem indiuiduorum ex parte obiecti, sed repræsentatam solùm secundùm ratio-

Genus ex parte obiecti dicit indiuidua inadæquatè cognita.

nem communem: & ratio illa communis generica erit entitas indiuiduorum inadæquatè concepta, quia intellectus non ponit præcisionem in obiecto realiter considerato, sed solùm in ordine ad cognitionem, quod ex eo fit, quia intellectus habet cognitionem non repræsentantem totum obiectum, sed tantùm partem.

II. Verùm non est necesse, vt intellectus, dum concipit has rationes communes, concipiat omnia indiuidua, quæ sub illis continentur, sed sufficit, vt concipiat plura, vel etiam vnicum tantùm, quia in ipso continetur tota ratio communis secundùm suum esse formale, licet non contineatur adæquatè secundùm totam suam communitatem. Sed hinc sequitur vnum maximè aduertendum. Videlicet nedum quando vniuersale concipitur, tanquam quoddam concretum, obiectum reale terminans cognitionem, esse reale esse indiuiduorum inadæquatè repræsentatum, sed etiam quando concipitur in abstracto, & sub quacunque alia formalitate metaphysica, idem habet locum. Hoc enim prouenit ex natura intellectionis, & obiecti. Intellectio enim, quando concipit aliquam realem formalitatem metaphysicam, habet obiectum reale, cum autem extra intellectum nihil reale sit, præter indiuidua, cum non detur vniuersale à parte rei extrà indiuidua, aut ratio aliqua metaphysica solitariè sumpta, idcirco semper quando intellectus concipit aliquam rationem formalem realem, debet illi necessariò correspondere, tanquam obiectum reale, fundans illam cognitionem, aliquod indiuiduum, à quo desumatur, tanquam ab eo, in quo reperitur ratio cognita.

Omnis cognitio alicuius realis fundatur in indiuiduis.

III. Præterea cum actu obijci intellectui dicat actualem cognitionem repræsentatiuam obiecti, quo cognoscitur, per quam habetur, quòd obiectum cognitum acquirat illud actu obijci, seu esse obiectiuè in intellectu; hinc fit, vt licet materialiter loquendo secundũ totam suam entitatem terminet illam cognitionem: si tamen formaliter loqui velimus, id tantùm formaliter obijcitur, quod per eamdem cognitionem repræsentatur. Habet enim cognitio, quòd sit repræsentatiua obiecti, vt similitudo, ipsius; & idcircò cum per ipsam habeatur esse obiectiuè in intellectu, quod

Illud solũ esse obiectiuè in intellectu, quod ipsi manifestatur.

ran-

tantùm in illa manifestatur erit obiectiuè in ipso, & si aliquid non manifestatur, licet inuoluatur in entitate obiecti, quod terminat cognitionem, non tamen erit formaliter obiectiuè in intellectu, sed solùm materialiter, nempè, vt quid identificatum cum illa ratione, quæ per talem cognitionem manifestatur.

Genus prædicatur, vt vniuersale.

IV. Denique hoc certum est. Quando genus prædicatur de inferioribus speciebus, prædicari, tanquam quoddam vniuersale habens esse obiectiuum in intellectu, supponitur enim constitutum in statu proximo prædicabilitatis, quod solum fit per id, quòd genus constituitur in esse vniuersali: Deinde modus proprius prædicandi, quem dicit genus, nempe in quid, vt quid commune pluribus speciebus, necessariò supponit, naturam, fundamentum huius modum prædicabilitatis, esse constitutam in esse vniuersali, quia prædicatur, vt quid commune, & indifferens ad omnes species. Ex hoc autem fit, vt cum genus prædicatur de suis speciebus, se debeat habere tanquam aliquod vniuersale, & aliquid præcisum ab ijs, de quibus prædicatur: esse enim vniuersale metaphysicum dicit, esse aliquid abstractum ab inferioribus; vndè cum animal prædicatur de homine, equo, & cœteris speciebus, importat aliquid commune ab ipsis abstractum, alioquin non esset genus, quod prædicaretur, sed aliquid determinatum specificè.

Genus prædicatur, vt pars speciei.

V. Ex his igitur colligitur resolutio difficultatis, quomodo videlicet genus prædicetur de inferioribus. Prædicatur enim de ipsis, vt pars speciei, abstrahens ab inferiorum differentijs, & importans solam rationem genericam communem: atque hoc pacto consideratum potest dici pars potentialis, seu totum potentiale, quia vt totum potentiale dicit tantùm, quòd formaliter importet suum esse formale, & potentialiter differentias. Sequitur hoc ex supradictis, vbi ostendimus, quòd genus, vt est totum potentiale, importat tantùm partem speciei, & tantùm in potentia continet differentias, non autem in actu confuso, vnde licet prædicetur tanquam totum potentiale de speciebus adhuc prædicabitur tanquam pars speciei. Et potest ratione confirmari hæc nostra opinio. Genus prædicatur de pluribus

1. Ratio. differentibus specie, tanquam quoddam vniuersale; ergo prout prædicatur, dicit tantum partem speciei formaliter loquendo, nempè gradum superiorem genericum. Hæc consequentia probatur; nam anteced. est notum. Vniuersale metaphysicum, vt tale est, intrinsecè abstrahit ab inferioribus, ita vt fiat vniuersale per separationem suiipsius ab ijs rationibus contractiuis, quibus determinatur ad tale, vel tale esse; ergo vniuersale genericum debet ex vi suæ abstractionis separari à differentijs specificis, quibus ad tale vel tale esse specificum determinatur, & consequenter prout prædicatur de speciebus, cum prædicetur, prout vniuersale est, prædicabitur, vt quid separatum à differentijs, & vt pars speciei: quomodo enim importabit totum esse speciei, si dum prædicatur, est separatum à differentijs inferiorum?

Genus, vt vniuersale, dicit tantum partem speciei.

Excluditur responsio.

VI. Posset tamen aliquis respondere iuxta doctrinā oppositæ sentētiæ. Explicitè quidē genus separari à differentijs inferiorum; illas tamen importare implicitè. Verùm hæc responsio non potest subsistere, nam totum esse generis, & cuiuscunque vniuersalis adest tantùm obiectiuè in intellectu, & consequenter, habet tantùm illud esse, quod ab inferioribus abstrahit intellectus: ergo cum abstrahat tantùm rationem genericam relinquendo rationes differentiales, tunc genus dicet tātùm rationem genericam, non verò differentiales. Confirmatur. Vel in hac abstractione intellectus relinquit rationes differentiales, vel non. Hoc secundum dici non potest, quia nisi relinqueret rationes differentiales, non abstraheret ab illis: Si autem relinquit, ergo illæ non sunt obiectiuè in intellectu: quòd si non sunt obiectiuè in intellectu; ergo genus nullo modo illas dicit. Et potest magis vrgeri eadem responsio. Quod est, nullo modo dicit, nisi fortè in potentia id, quòd non est, quia esse, & non esse sunt contradictoria, quæ ponunt totalem separationem, ergo quòd est obiectiuè in intellectu, non potest dicere id, quòd non est obiectiuè, quia adhuc seruatur eadem contradictio, sed quando genus secundùm esse obiectiuum abstrahitur à differentijs, tunc differentiæ non sunt in intellectu obiectiuè, genus autem est obiectiuè in ipso, ergo genus nullo modo dicit differentias. Con

Genus præcisù excludit differentias.

fir. Quæ à parte rei separantur entitatiuè ita se habent, vt vnum non includat ali-

quo

quo pacto entitatem alterius; hoc enim est de ratione separationis, vt entitatem vnius ponat extra entitatem alterius, ergo quæ separantur in esse obiectiuo, ita se habent, vt vnum sit extra esse obiectiuum alterius, adest enim eadem ratio formalis separationis secundùm tale esse obiectiuum. Cum autem genus abstrahitur ab inferioribus, separatur ab ipsis secundùm esse obiectiuum, & consequenter secundùm esse obiectiuum illa non includit.

2. ratio. VII. Secundo principaliter prob. Quando genus prædicatur de suis inferioribus, id tantùm prædicatur, quod habet esse obiectiuè in intellectu, sed tãtùm pars speciei habet esse obiectiuum in intellectu, ergo genus, prout est pars speciei, prædicatur de inferioribus. Maior huius argumenti est certa, nam genus prædicatur tantùm, prout habet esse vniuersale metaphysicum, atque adeo tantùm, prout habet esse obiectiuè in intellectu, neque enim genus, vt tale, est alio modo existit, quàm in esse obiectiuo. Deindè id etiam constat ex parte prædicationis: nam prædicatio est quoddam iudicium intellectus, quo mediante aliquid tribuit subiecto, non potest autem aliquid tribuere subiecto, nisi cognoscat id, quòd tribuit, & ideo hoc iudicium supponit primam apprehensionem, qua apprehendat id, quòd subiecto tribuit: fit autem per illud iudicium quædam coniunctio secundùm esse obiectiuum inter prædicatum, & subiectum. Min. autem probatur ex ijs, quæ suprà adnotauimus. Id tantùm formaliter loquendo est obiectiuè in intellectu, quòd manifestatur in cognitione quando obiectum apprehenditur, sed quando genus prædicatur de inferioribus, dum intellectus apprehendit genus, nullo pacto apprehendit inferiora, ergo, dum genus prædicatur, nullo pacto inferiora sunt in intellectu. Atque in confirmationem huius rationis addi potest doctrina oppositæ sententiæ. Asserunt enim illius auctores, quòd quando genus prædicatur de inferioribus, dicit implicitè totum esse speciei, sed ex hoc colligitur, quòd nullo pacto dicat, nam species in sua essentia includit differentiam secundùm suum esse formale acceptam, vndè si genus tunc diceret totum esse speciei, deberet dicere etiam differentiam: ex eo autem, quòd dicit implicitè, sequitur, quòd non dicat, quia nihil potest genus dicere in illo esse obiectiuo, quod non manifestetur in cognitione: implicat autem manifestari in cognitione, & non esse explicitè in esse obiectiuo, siquidem cognitio est expressiua obiecti, quatenus terminat illam cognitionem. Si igitur genus in esse obiectiuo includit differentiam, debet differentia secundùm proprium esse manifestari in illa cognitione; quod si manifestatur, genus illam dicit, explicitè, non verò implicitè. Quare dicendum est, aut non manifestari, atque adeo genus illam non dicere in esse obiectiuo formali, aut manifestari, & genus illam explicitè dicere.

Quando genus, vt genus est in esse obiectiuo nullo modo dicit differentias.

VIII. Tertia quoque ratio efficax est. Diligenter tamen attendenda est vis ipsius. Quando genus prædicatur de suis speciebus, se habet, vt quid indifferens ad quamlibet speciem, de qua potest prædicari; ergo prout prædicatur de illis, se habet tantùm vt pars, non verò dicit totam essentiam speciei. Antecedens communiter admittitur, & certum est, quoniam genus ita tribuitur vni speciei, vt nulla facta variatione in illo esse obiectiuo, quod concipitur ab intellectu, quando fit prædicatio, possit genus efferri de quacunque specie: atque id etiam ostendit essentia ipsius generis, quoniam vt genus est, habet tanquam propriam passionem, vt possit vnum, & idem de pluribus prædicari specie diuersis, atque secundùm suam propriam rationem ordinatur, vt sit in illis. Consequẽtia autem ostenditur; quia si genus diceret totam essentiam speciei, quando prædicatur, esset determinatum ad illam speciem; non enim potest importare totam essentiam speciei, nisi etiam importet proprium constitutiuum speciei, quod est differentia. Quando autem genus est coniunctum cum differentia, est iam determinatum, nec se habet, vt quid indifferens ad omnes species; & prout est indifferens importat tantùm rationẽ communem præcisè, quæ participabilis sit ab omnibus speciebus: hæc autem ratio præcisè est tantùm pars speciei, non tota species. Confir. quãdo genus prædicatur de specie, id, quod per prædicationẽ tribuitur speciei, est aliquid, quod habet commune cum omnibus alijs speciebus, ita vt secundùm ipsum vna species non discernatur ab alia; ergo quod prædicatur, importat tantùm partem præci- 3. ratio.

Genus prout i. differẽs, est tantùm pars speciei.

ſam ſpeciei, nam vna ſpecies habet tantùm partem eſſentiæ communem cum alia, non vero totam.

Aduerſariorũ reſponſio.

IX. Occurrunt auctores oppoſitæ ſententiæ aſſerentes, quòd genus, quando prædicatur de vna ſpecie, dicat totam eſſentiã illius ſpeciei implicitè, quando verò prædicatur de alia, dicat etiam totam eſſentiam illius; vndè ex ſe habet, quod dicat indeterminatè inferiora, quãdo verò prædicatur, determinatur, vt dicat totam eſſentiam ſpeciei, de qua prædicatur: quomodo autem fiat huiuſmodi determinatio, non explicant. Sed video poſſe dici, quòd fiat ratione ſubiecti, cui tribuitur prædicatum. Verùm ſi hæc reſponſio rectè perpendatur, non infringit vim argumenti, & contra ipſam colligi poteſt efficacia eiuſdem rationis. Quando genus prędicatur de aliqua ſpecie, vel determinatur ex vi prædicationis, vt dicat totam eſſentiam illius ſpeciei, vel non. Hoc ſecundum certè non admittent, cum ſit contradictorium reſponſionis, quam afferunt, debent ergo admittere primum membrum diuiſionis, ſed tum ſic argumentor; nõ poteſt genus determinari ex vi prędicationis, vt dicat totã eſſentiã ſpeciei, de qua prædicatur, niſi fiat proprium illius ſpeciei, hoc eſt niſi ſe habeat, vt quid determinatum per propriũ conſtitutiuum talis ſpeciei, hoc autẽ non poteſt dici, quia ſequeretur, quòd genus, quando prædicatur de illa ſpecie, non ſe haberet vt prædicatum commune, ſed vt proprium illius ſpeciei, ſiquidem importaret etiam proprium conſtitutiuum ſpeciei, & conſequenter adæquaretur cum illa ſpecie, nec latius pateret, quod eſt contra modum prædicandi genericum, quem ſeruat genus, etiam quando de vna ſola ſpecie prædicatur. Rurſus prædicatum genericum, quod tribuitur vni tantum ſpeciei ita ſe habet reſpectu illius, vt nulla facta mutatione in eſſe obiectiuo illius prædicati poſſit tribui alteri quoq; ſpeciei, ergo non dicit implicitè totam eſſe ſpeciei, alioquin illud ipſum prædicatum non poſſet tribui alteri ſpeciei, vt in ratione principali argumentabamur.

Impugnatur.

Genus ex vi ſui modi prædicandi ſe habet, vt quid cõmune.

X. Et amplius vrgeri poteſt eadem reſponſio. Genus, vt genus eſt, ſe habet vt prædicatum commune pluribus ſpeciebus, & vt tale prædicatur de vnaquaque, ita vt in actuali prædicatione ſeruet cõmunitatem prædicati, ſi quidem actualis prædicatio conformatur naturæ, quæ prædicatur; & ſi natura eſt aliquid prædicabile commune, etiam actualis prædicatio ſit ſecundùm aliquid commune; ergo cum genus importet ex ſe prædicatum commune pluribus ſpeciebus, etiam in actuali prædicatione debet hanc communitatem ſeruare: hoc autem non poteſt ſtare cum eo, quòd determinetur ab actuali prædicatione, vt dicat totam eſſentiam ſpeciei, quia tunc determinaretur, vt eſſet prædicatum proprium talis ſpeciei. Confirmatur. Si tota ſpecies, vel per modum definitionis prædicaretur de ſpecie, vel per modum propoſitionis identicæ, vt ſi diceretur, homo eſt animal rationale, aut Homo eſt homo, tunc prædicatum explicitè eſſet proprium talis ſpeciei, non alia ratione, niſi quia prædicatum explicitè importaret totum eſſe ſpeciei: ſimiliter ergo ſi genus importaret implicitè totum eſſe ſpeciei eſſet prędicatum implicitè proprium talis ſpeciei. Hoc autem eſt contra modũ prædicandi genericum, nam prædicatur vt aliquid commune: quòd ſi prædicatur vt aliquid commune, nullo modo poteſt eſſe proprium prædicatum alicuius determinatæ ſpeciei, alioquin non eſſet amplius prædicatum genericum. Confirmatur ſecundò. Prædicatio actualis conformatur prædicabilitati eiuſdem prædicati, quod tribuitur ſubiecto; ergo non poteſt prædicatio actualis determinare prædicatum, vt aliud importet, quàm importat ex natura ſua: ſed genus ex natura ſua importat tantùm partem ſpeciei, nam importat aliquid commune omnibus ſpeciebus; ita vt quicquid non eſt commune, ſit extra rationem generis; ergo non poteſt ab actuali prædicatione determinari, vt importet, quatenus eſt prædicatum genericum, totam naturam ſpeciei, alioquin actus ſecundus variaret actum primum, quod implicat.

Prædicatio actualis cõformatur rei, quæ prædicatur.

XI. Tertiò argumentor contra eamdem reſponſionem. Quando intellectus affirmat genus de pluribus ſpeciebus, vel percipit differentiam aliquam in prędicato generico, prout tribuitur vni ſpeciei, ac prout tribuitur alteri, vel non percipit: ſi percipit aliquam diuerſitatem, contra; tum quia prædicatum non eſſet aliquid commune vniuocum, quod æqualiter deſcenderet ad omnes ſpecies, vt ſupponimus debere eſſe; tum quia non eſſet vnum, & idem prædicatum genericum, ſed multiplex, vnde non

Genus cum prædicatur de ſpeciebus, nullam in ſe inuoluit diuerſitatem.

 eſ-

esset prædicatio generis de speciebus, tum quia hæc diuersitas non aliundè posset prouenire, nisi ab aliqua ratione propria illius speciei. de qua prædicatur, vt discurrenti patet; tunc autem non esset pura prædicatio generis de suis inferioribus, Tum denique quia intellectus non percipit hanc diuersitatē sed cognoscit, quòd rotum id, quod ex vi prædicati generici tribuit vni speciei, tribuit etiam alteri. Vnde debet admitti secundum membrum dilemmatis, quòd nullam percipiat differentiam. At ex hoc sequitur prædicatum genericum, prout prædicatur de aliqua specie determinata nō dicere aliquo modo totū esse speciei, alioquin haberet aliquā diuersitatē, quādo prædicatur de vna specie, ac quando prædicatur de alia. Confir. tota hæc ratio. Vt arguebamus in principali ratione, per prædicatum genericum vna species nullo pacto discernitur ab alia, sed omnino cum illa conuenit conuenientia perfecta, & vniuoca, quomodo ergo, quando tribuitur vni speciei, potest dicere totam naturam illius? Tunc enim ex eo, quod prædicatum genericum diceret totam naturam speciei implicitè, per ipsum vna species discerneretur ab alia.

Quarta ratio. XII. Tādem possumus in cōfirmatione eiusdem sententiæ arguere. Quando genus prædicatur de speciebus, id tantū prædicatur de illis, tanquam prædicatum genericum, quòd fundat talem modum prædicationis, qui proprius est generis: sed tantùm natura generica, prout dicit partem speciei, fundat illum modum prædicandi; ergo solum genus, vt dicit partem speciei, prædicatur. Nunc singulæ propositiones declarandæ sunt Et quod spectat ad maiorem, certa debet esse, nam modus prædicandi proprius generis fundatur in ipso, quatenus genus est, quare cum id tantùm prædicetur de speciebus ad modum generis, quod genus est, & nihil aliud præter ipsum: sequitur, quòd quando genus prædicatur de speciebus, id tantùm prædicetur, quod fundat modum prædicandi proprium generi. Deindè modus prædicandi adæquat totam prædicationem; prædicatio autem adæquatur cum prædicato, quare stante tali modo prædicandi, id tantùm, quod fundat talem modum prædicandi, prædicatur, quia hoc solum adæquatur cum ipso modo prædicandi mediante prædicatione. Maior quoque facilè ostenditur. Nam modus prædicandi genericus est in quid de pluribus differentibus specie, hoc autem prouenit à natura, quatenus communis est pluribus speciebus; sic autem accepta dicit præcisam partem speciei. Rursus modus prædicandi generiens est diuersus à modo prædicandi speciei; hic autem modus prædicandi proprius speciei prouenit à differentia, in qua sola fundatur, ergo modus prædicandi genericus fundabitur in sola natura generica, cum nullo pacto fundari possit in differentia. Maneat igitur Genus prædicari de pluribus differentibus specie, tanquam partem potentialem dicentem præcisam rationem, communem genericam, non verò totam naturam speciei: atque etiam posse dici, quòd prædicetur, vt quoddam totum potentiale, quia vt totum potentiale est, formaliter dicit tantùm partem speciei, quæ se habet ad modum materiæ, vt supra suo loco declaratum fuit, & solùm in potentia continet differentias.

Qu d præ dicetur, quādo genus prædicatur

Soluuntur rationes aliarum sententiarum Vbi quomodo Genus vt pars prædicetur.

SECTIO IV.

I. Adhuc restat difficultas, in qua præcipuè fundabatur prima sententia, Quomodo genus, vt pars, possit prædicari de specie, quæ est quoddam totum, cum non possit pars prædicari in recto de toto: neque enim dici potest, homo est corpus: homo est anima. Sed dicendum est, quod loquendo de partibus physicis essentialibus, etiam si aliqua ipsarum sit aliquod concretum, tamen respectu compositi, quod constituit, vel se habet vt abstractum talis concreti, si sit pars formalis, vel est merè substratum talis concreti, si sit pars materialis, vndè semper seruat rationes cuiusdam abstracti materialis, quòd sit abstractum non illa abstractione, qua superius abstrahitur à suis inferioribus, sed qua forma, & subiectum inuicem abstrahunt, vndè se habet, vt pars quidem, sed non vt quid superius subdens sibi alteram compartem; Pars physica essentialis se per se habet vt quo.

vndè

vndè tunc fit diuiſio ſecundùm partes ex æquo conſtituentes eumdem gradum entis. Si verò loquamur de partibus metaphyſicis, poſſent conſiderari, & in abſtracto, vt animalitas, & rationalitas, quæ ſunt partes naturæ humanæ, & in concreto, vt rationale, & animal, quæ ſunt partes hominis. Partes in abſtracto conſtituunt naturam in abſtracto; in concreto verò conſtituunt concretum naturæ. Dicimus ergo, quòd licet pars in abſtracto non poſſit prædicari de toto, ſiue ſe habeat ad modum abſtracti, ſiue concreti; poteſt tamen pars in concreto prædicari de toto in concreto ſumpto.

Pars in concreto prædicatur de toto in concreto.

II. Vt autem explicemus, quomodo id contingat. Sciendum eſt, quòd non poteſt aliqua prædicatio eſſe vera niſi prædicatum communi, vt cum ſubiecto. Poſita autem hac communicatione, non eſt neceſſe, prædicatum importare totum eſſe ſubiecti, ſiue explicitè, ſiuè implicitè, ſed ſufficit vt importet aliquid de ſubiecto, ſeu quod communicet cum ſubiecto, ita tamen, vt ex vi prædicati aliquo pacto explicetur huiuſmodi communicatio. Et ratio eſt, quia, quando enunciamus aliquid eſſe tale, vt hominem eſſe animal, nihil aliud facimus, quàm iudicatiua cognitione declarare illud, quod importat, tale prædicatum communicare cum tali ſubiecto, ſeu quòd ſubiectum, & prædicatum veniant in communionem eiuſdem eſſe, non verò ſenſus eſt, Prædicatum eſſe totum eſſe ſubiecti; quare ſufficit prædicatum reperiri in ſubiecto, & aliquo pacto ſignificare talem communionem. Quod totum confirmari poteſt ex myſterio Incarnationis. Quia enim verbum eſt vnitum perſonaliter cum natura humana, valet hæc propoſitio, Deus eſt homo, & licet homo prædicetur in concreto de Deo, non tamen dicit totum id, quod dicit ſubiectum, quia cum eſſe hominis realiter diſtinguatur ab eſſe Dei, non poteſt dicere, neque explicitè, neque implicitè eſſe Dei; quia tamen ſuppoſita vnione in perſonalitate importat, prædicatum communicare in eadem perſona, ideo valet propoſitio, Deus eſt homo. Quod manifeſtè indicat, in his propoſitionibus importari tantùm communicationem prædicati cum ſubiecto, non verò prædicatum explicare totum eſſe ſubiecti.

Prædicatio importat communicationem prædicati cum ſubiecto.

III. Verùm licet neceſſe non ſit, prædicatum importare totum eſſe ſubiecti, requiritur tamen, vt tali pacto ſe habeat, vt ſubſternat ſibi totum ſubiectum, hoc eſt vt cadat ſupra totum ſubiectum, & ob hanc rationem non poteſt pars abſtracti prædicari de toto abſtracto, quia illud non ſibi ſubſternit adæquatè. Atque huius neceſſitatis ratio reddi poteſt, quoniam in tali prædicatione iudicium enunciatiuum cadit ſupra totum eſſe ſubiecti, dicitur enim, quòd ſubiectum ſit tale, hoc eſt quod eſſe ſubiecti ſubijciatur tali prędicato, tanquam formæ, vndè cum ſimpliciter dicatur eſſe tale ſecundùm ſuum eſſe, intelligitur de toto ſuo eſſe, atque adeò ſecundùm totum eſſe debet ſubijci prædicato, quòd ſi non ſubijceretur, prædicatio non eſſet vera. Hoc autem totum ſaluatur, ſi pars in concreto abſtrahatur à toto concreto, hoc enim eſt diſcrimen inter partem abſtracti in abſtracto ſumptam, & inter partem concreti in concreto ſumptam, quod pars abſtracti non importat gradum entis ſuperiorem, vel inferiorem, ſed tantum formā conſtitutiuā talis gradus: pars verò concreti in concreto ſūpta importat gradū entis, vel ſuperiorem, vel inferiorem; vndè quando concretum diuiditur in partes in concreto ſumptas, diuiditur ſimul in diuerſos gradus, vt cum homo diuiditur in eſſe animalis, & rationalis, animal enim importat gradum entis ſuperiorem rationali.

Prædicatum cadit ſupra totum eſſe ſubiecti.

Diſcrimen inter partem abſtracti in abſtracto, & concreti in concreto ſumpta.

IV. Rurſus quando pars in concreto prædicatur de toto in concreto, tunc prædicatum importat communicationem, quam in eſſe habet cum ſubiecto, quod non accidit, quando pars in abſtracto prædicatur de toto in abſtracto; communicatio autem, quam importat prædicatum cum eſſe ſubiecti, in eo conſiſtit, quòd tam ſubiectum, quàm prædicatū ſunt aliquod concretum, & licet prędicatum diſtinguatur à ſubiecto in ratione formæ conſtitutiuæ concreti, non tamen diſtinguitur in ſubſtrato materiali, quòd ſubſternitur formæ concreti: neque enim prædicatum aliam rationem ſubiecti importat, cui adhæreat forma cōcreti, ac importet ſubiectum. Stante ergo vnitate huius ſubſtrati materialis, cui adhærent formæ concretorum; quæ importantur per prædicatum, & ſubiectum,

Prædicatum in concreto ratione eiuſdem ſubſtracti materialis cōmunicat cum ſubiecto.

habetur communicatio in esse eodem inter prædicatum, & subiectum, formæ enim concretorum, cum sint metaphysicæ, & puræ rationes formales, identificantur cum substrato materiali. Atque ex hoc fit, vt pars in concreto prædicari possit de toto in concreto, licet non importet totum esse subiecti, nam est prædicatum communicans in esse cum subiecto, & cū sit gradus superior substernit sibi totum subiectum, respectu cuius se habet, vt forma, cum gradus superior ex eo, quòd superior est, substernat sibi gradum inferiorem, sic animal substernit sibi hominem, & ideò potest de ipso in recto prædicari, quia subiectum importat veluti esse materiale, & prædicatum formam illius esse materialis, quæ ex vi concretionis in eodem esse materiali subiecti imbibitur.

V. Et per hæc patet ad primum fundamentum oppositæ sententiæ, in quo assumebatur, quòd pars non potest prædicari de toto, atque adeò nec genus, vt est pars speciei, de ipsa specie. Hoc enim non verificatur de parte in concreto sumpta respectu totius in concreto sumpti, quæ ratione concretionis potest de illo in recto prædicari, vt declaratum est. Hinc etiam ad secundum fundamentum dicitur, quòd ad hoc, vt verificetur, hoc esse illud, non est necesse prædicatum importare totum esse subiecti, sed sufficit communicare in esse cum subiecto, atque illud totum sibi subijcere, vt iam constat ex dictis, quod saluatur in genere respectu specierum, vt iam declarauimus.

Fūdamēta secundæ sententiæ in sufficientia.

VI. Fundamenta verò secundæ sententiæ in eo deficiunt, quòd tantum probant genus prædicari de speciebus, vt partem, non verò, vt partem actualem, quod erat probandum. Vndè ad auctoritatem Arist. ex 1. Poster. dicimus, id tantùm intendere, quòd non solùm definitio prædicetur de definito, sed etiam, quòd partes definitionis de ipso prædicari possint. Quod autem subiungitur partes definitionis esse actuales respectu definiti; Respondetur non esse actuales ex se; sed pars generica est actualis ex eo, quòd accipitur vt contracta per talem differentiam, quando verò sola prædicatur, quia definit contractio, definit esse actualis, & ideò prædicatur tantum vt pars, sed non vt actu communicata composito, sed vt abstracta. Arist. autem

Arist.

Quando partes definitionis sint actuales, quando non.

non docet, quòd prædicetur vt pars actualis, sed solùm, quòd partes definitionis possint per se prędicari de definito, non autem determinat modum prædicabilitatis.

VII. Secunda quoque ratio eiusdem sententiæ nihil conuincit. Nam licet verum sit, vt diximus, quòd pars metaphysica in concreto sumpta possit prædicari de toto metaphysico in concreto: alia tamen est ratio de parte physica sumpta in concreto, nam dum sumitur in concreto, dicit ipsum totum, vt cum dicitur Album, tunc enim ly Album nedum significat albedinem, sed etiam subiectum: pars verò in concreto metaphysica significat tantùm partem, non verò alteram compartem compositi: Cum igitur pars physica in concreto prædicatur de toto concreto, est prædicatio ad modum denominationis, vt cum dicitur, homo est corporeus, & in significatione æquiualet prædicationi in obliquo, nempè, quod sit habens talem partem, vt homo corporeus idem significat, ac homo habens corpus, quia corpus licet concretum in se, est tamen pars hominis, & materiale substratum illius. Denique neque argumentum conuincit, quod intendit, nam solùm probat partem posse prædicari de toto, non verò posse prædicari, vt partem actualem. Neque tunc valet processus à parte physica ad metaphysicam, quia pars physica non importat aliquod concretum, nisi prout importat ipsum totum, pars verò metaphysica potest importare aliquod concretum eiusdem concreti, à quo abstrahit, etiam prout abstrahit ab inferioribus, ex quo fit, vt cum debeat ab ijs abstrahere, quando prædicatur, non possit prædicari vt pars actualis, quia prædicatur, vt abstracta, quāuis re vera à parte rei sit in subiecto.

Pars Physica in concreto dicit ipsū totum.

VIII. Sed neque tertia ratio aliquid conuincit, namque quamuis genus prædicaretur, vt dicens totam essentiam speciei, adhuc distingueretur in modo prædicandi à specie, quia species prædicatur, vt dicens totam essentiam explicitè, genus, verò, vt dicens partem essentiæ explicitè, & partem implicitè. Deinde vt contra distinguatur, sufficit si prædicetur, vt pars potentialis, neque est necesse, vt prædicetur tanquam pars actualis. Fundamentum quoque tertiæ sententiæ nullius momenti est. Nam falsum est, vt de-

cla-

clarauimus, quòd prædicatum debeat dicere totum, quod dicit ſubiectum; vt prædicatio ſit vera. Deindè etiam, quòd genus, vt eſt pars, dicat totum id, quod dicit ſpecies, quia licet contineat in potentia alteram partem, non tamen illam dicit ſecundùm eſſe proprium ipſius. Quòd ſi diceret totum id, quod dicit ſubiectum, iam prædicaretur, vt totum potentiale, vt volebat prima ſententia, non verò vt pars.

Genus prædicatur, vt præciſũ, ſed ſupponens realem identificationẽ.

IX. Porrò ex dictis colligitur aliud eſſe, Genus prædicari, vt partem actualem ſpeciei, & aliud, eſſe identificatum cum ſpecie. Hoc enim ſecundum neceſſariò requiritur, quia prædicatio, in qua ſuperius de inferioribus prædicatur fundatur in eiuſdem identitate cum ipſis: non hinc tamen ſequitur, quòd prædicetur, vt pars actualis, nam prædicari vt pars actualis, dicit, quòd prædicetur vt pars metaphyſica actu vnita in ipſo toto, non verò vt abſtracta, & præciſa ab inferioribus, quod tamen eſt impoſſibile, nam genus debet prædicari de ſpeciebus, vt quid indifferens, & commune, & vt quid ſuperius de inferioribus: non poteſt autem ſe habere, vt indifferens, & ſuperius, niſi ſit præciſum ab inferioribus, atque adeò niſi ſe habeat, vt pars potentialis. Prædicatur igitur vt quid abſtractum, ſed tamen ſupponens identificationem, nam identificatio, & realis determinatio ſtat cum indeterminatione, & præciſione obiectiua.

Quodnam ſit correlatiuum generis. Diſp. LIV.

Auctorum opiniones.

SECTIO I.

I. GEnus, ſiuè ſecundùm rationem prædicabilis conſideretur, ſiuè vt eſt quoddam vniuerſale aptum ad eſſendum in pluribus, quod idem eſt, ac prout eſt principium compoſiti eſſentialis metaphyſici ad modum partis materialis, ſemper vt quid ordinatum ad aliud concipitur, atque hic ordo, cum ſit tranſcendentalis, eſt ipſi eſſentialis. Difficultas autem eſt, quinam ſit terminus huius ordinis. Ea autem, quæ poſſunt eſſe terminus huius ordinis ſunt ipſemet ſpecies, de quibus genus prædicatur, in diuidua earumdem ſpecierum, & differentiæ præcisè conſideratæ, prout ſunt principia formalia conſtitutiua ſpecierũ. Difficultas igitur in hoc ſita eſt, an hęc omnia ſint terminus huius ordinis, an aliquod tantum ex ipſis.

Vnũ adæquatum & inadæquatum.

II. Atque pro maiori facilitate huius quæſtionis notant auctores, quòd duplex correlatiuum alicuius ordinis reperiri poteſt. Alterum, quod ſit quidem primum, & immediatum correlatiuum illius, ſed non adęquatum. Alterum verò, quod ſit adæquatum. Differunt autem inter ſe hæc duo correlatiua, quòd primum, & immediatum, ſed non adęquatum nõ complectitur totum id, quod eſt terminus illius ordinis, ſed relinquit aliquid aliud, quod non includatur in immediato correlatiuo. Ex quo ſequitur, illud, quod ſpectat ad correlatiuum adæquatum, ſed non includitur in primo & immediato, non terminare ordinem primariò, ſed ſolum ſecundariò, quicquid enim primariò reſpicitur, includitur in primo, & immediato correlatiuo. Adæquatum autem correlatiuum includit totum id, quod terminat aliquem ordinem, & complectitur neceſſariò etiã primum, & immediatum. Afferunt exemplum de correlatiuo materiæ, nempè quòd primum, & immediatum ſit forma ſubſtantialis: adæquatum verò ſit forma ſubſtantialis, & accidentalis ſimul, atque in hoc patet, quomodo id, quod correlatiuo primo, & immediato ſuperadditur, tanquam incluſum in adæquato, ſecundariò reſpicitur a materia, quia ſecundariò ordinatur tantùm ad accidentia. Cum autem certum ſit, quòd ſpecies, ſi eſt correlatiuum generis, debet eſſe primum, cùm ratio ſpecifica intermediet inter genericam, & indiuidualem, ideò difficultas procedit, an ſit correlatiuum, & an ſit adæquatum.

Prima ſententia correlatiuũ generis eſſe ſubiicibile.

III. In qua difficultate variè opinãtur Doctores. Et prima opinio aſſerit, quod ſpecies nullo modo ſit correlatiuũ generis, nec primum, nec adæquatum,

ſed

sed neque esse indiuidua, sed correlatiuũ illius consistere in aliquo communi vniuoco rum speciei, tum indiuiduo, quòd vocatur subijcibile commune: atque hoc esse primum, & adæquatum correlatiuũ. Hæc opinio est quorumdam apud Louanienses, atque eam proximè secutus est Hurtad. in Logica disp. 5. sect. 1. §. 9. Atque in eam inclinat etiam Auersa in Logica quæst. 10. sect. 5. §. *Ex hac conclusione*, & fundamentum huius sententiæ est, quia tam species, quàm indiuidua subijciuntur generi, & consequenter conueniunt in ratione subijcibilitatis; cum igitur possit concipi in illis ratio aliqua communis, qua mediante terminent genus, debet hæc ratio statui pro adæquato correlatiuo ipsius. Neque obstat, quòd species immediatè subijciatur generi, indiuidua verò mediatè, nam illa quoque, vt tali pacto se habent, possunt habere vnam aliquam rationem communem, & vniuocam; sic ratio substantiæ est vniuoca respectu corporis vt sic, & talis corporis, cum tamen ad tale corpus non descendat, nisi mediante corpore vt sic.

Commune speciei, & indiuiduo Hurtad. Auersa.

IV. Contra hanc tamen sententiam communiter obijci solet, quòd genus definitur per ordinem ad speciem, vt constat ex definitione, quam tradidit Porphyr. ita vt nec possit intelligi genus, nisi intelligatur cum ordine ad species, vt species sunt, ergo species, vt species sunt, obtinent rationem correlatiui, non verò aliquid commune subijcibile. Atque cum genus ratione termini debeat distingui à specie, non potest respicere aliquid subijcibile commune sub ratione formalis subijcibilis, nã etiã species haberet pro termino formali subijcibile, vt subijcibile, indiuidua enim sunt termini speciei, & dicunt rationem formalem subijcibilis, qua illi subijciuntur. Deindè genus, vt genus, debet diuidi per differentias essentialiter diuersas, vndè ordo ad tales differentias est ipsi essentialis; ergo terminus huius ordinis erit aliquid inuoluens hanc essentialem diuersitatem. Alia etiam contrà hanc opinionem affert Fonseca sect. 2. quæst. infra citandæ, sed quia non vrgent, ea omittimus.

Obiectio contra ipsam.

V. Secunda igitur sententia est Louaniensium in Logica cap. de Genere, qui asserunt, speciem esse correlatiuum generis, nedum primum, & immediatum, sed etiam adæquatum. Quando verò genus refertur ad indiuidua. (Concedunt enim referri) non habere amplius rationem generis, aut alterius ex quatuor prædicabilibus, sed seruare rationem cuiusdam attributi innominati. Quod tamen est difficile intellectu, cum enim, prout respicit indiuidua, respiciat plura, deberet induere aliquam rationem vniuersalis: omne autem vniuersale reducitur, vel ad genericum, vel specificum, vt suo loco dicturi sumus. Fundant tamen hanc suam sententiam, quia Porphyr. cap. de specie assignans correlatiuum generis, inquit esse speciem. Deindè quia indiuidua, vt talia sunt, non differunt specie: genus autem, vt genus est, respicit solùm ea, quæ differunt specie. Solent nonnulla obijci contrà hanc sententiam, sed quia sunt fundamenta sententiæ mox afferendæ, nunc ea ommittimus.

Secunda opinio. Correlatiuum generis adæquatum esse speciem.

VI. Tertia denique sententia asserit, immediatum, & primum correlatiuum generis esse speciem, mediatum verò indiuidua, ita vt species, & indiuidua sint adæquatum correlatiuum. Atque hæc sententia ferè communis est, præsertim apud Recentiores. Eam autem tradunt Scot. quæst. 17. Vniuer. Fonseca. 5. Metaph. cap. 28. quæst. 14. sect. 3. Connimb. in Logica quæst. 1. de specie. Auersa quæst. 10. sect. 5. licet in primam quoque inclinet, vt ibid. diximus. Et tribuitur etiam Auicen. 1. par. Logicæ, dum agit de specie. Ammon: Albert. Caiet. in prædicab. & etiam Porphyr. cap. de specie, vbi inquit, Genus, nedum esse genus respectu specierum sub se contentarum, sed etiam respectu indiuiduorum, ad quæ refertur. Atque pro ipsa arguunt primò. Genus est aptum ad essendum in pluribus, ita tamen, vt proximè sit in speciebus, mediatè verò in indiuiduis, ergo tam ad species, quàm indiuidua dicit ordinem. Secundò, quia genus, vt genus est, respicit ea, quæ differunt specie, indiuidua autem diuersarum specierum differunt specie, ita vt primariò, quæ specie differunt, sint ipsæ species, secundariò verò indiuidua. Addunt etiam hi auctores, quod vna, & eadem habitudine genus respiciat species, & indiuidua, nam eodem actu, quo est in pluribus speciebus, est etiam in pluribus indiuiduis, & consequenter etiã eadẽ aptitudine, qua potest esse in speciebus, potest etiam esse in indiuiduis. Deindè si con-

Tertia opinio. adæquatum correlatiuũ esse species, & indiuidua.
Scot.
Fonseca.
Connimb.
Auersa.
Auicen.
Ammon.
Albert.
Caiet.
Porphyr.

concipi debet adæquata aptitudo, nedum erit ad species, sed etiam ad indiuidua, quod ex eo patet, quia si natura generica esset realiter separata ab inferioribus, eadem potentia, qua posset esse in speciebus, posset etiam esse in indiuiduis.

Propria Sententia.

SECTIO II.

Terminus formalis, & materialis relationis.

I. Vt autem nostram sententiam explicemus, præter terminum Immediatum, & Adæquatum ordinis, quo genus respicit suum correlatiuum, potest assignari alia diuisio termini, nempè in Materialem, & Formalem; atque hæc diuisio habet locum etiam respectu cuiuscumque relationis, siue transcendentalis, siue prædicamentalis. Terminus autem formalis est ille, qui propriè à tali relatione respicitur, & participat rationem formalem correspondentiæ, qua correspondeat suo correlatiuo formaliter sumpto: sic ratio filij erit terminus formalis relationis paternitatis. Terminus verò materialis est ille, qui materialiter tantùm se habet respectu alicuius ordinis, quod ex eo contingit, quia est vnitus cū termino formali, vt esse substātiam est ratio materialis termini in filio respectu relationis paternitatis. Sic etiā respectu potentiæ visiuæ color sub ratione coloris est terminus formalis, sub ratione autem albi, viridis, & aliorum colorum, aut sub ratione qualitatis, erit terminus materialis. Hoc autem interest inter terminum materialē, & formalem, quòd formalis per se terminat ordinem, & habet correspondentiam cum illo; materialis verò nec per se terminat, nec per se habet correspondentiam, sed solùm habet, quòd sit vnitus cum formali.

Indiuidua correlatiuū generis materiale.

II. Et quidem si loquamur de correlatiuo generis materialiter sūpto, dictum est inuoluere etiam indiuidua, ita vt coalescat ex esse specifico, & indiuiduali, quia licet inter se formaliter distinguantur, identificantur tamen adinuicem, & esse indiuiduale est contractiuum speciei, ita vt mediante esse specifico contrahat etiam esse generi eum. Stante ergo hac identificatione, qua esse indiuiduale identificatur cum esse specifico ad constituendum vnum esse completū, sequitur, quòd indiuidua saltem materialiter se habeant vt terminus, etiam prout indiuidua sunt respectu illius ordinis, quem dicit genus ad suum formale correlatiuum. quare difficultas est, an sint etiam terminus formalis.

Prima conclusio correlatiuum generis, vt est pars speciei est sola differentia.

III. Dicendum est ergo primò. Genus, vt genus est, & quatenus se habet vt pars constitutiua speciei, respicere tantùm differentiam in ratione compartis, seu actus, ita vt differentia sit adæquatum correlatiuum ipsius. Hæc conclusio potest primò declarari ex proportione ad materiam, & formam; licet enim materia respiciat accidentia, non tamen illa respicit, vt propria perfectibilia, sed vt perfectibilia communia, quia sunt etiam perfectibilia formæ; sed respicit tantùm vt perfectiones substantiæ, & vt probabilius puto, recipiuntur in composito, non in sola materia. Quicquid tamen de hoc sit; hoc certum est, quòd materia respicit tanquam compartem, cum qua constituat vnum per se, solam formam, quæ est correlatiuum adequatum potentiæ ipsius materiæ, quatenus substantialiter perfectibilis; ergo etiam à simili genus, quatenus est pars essentialis speciei, respicit in ratione compartis solam differentiam, vt correlatiuum adæquatum; nam ita se habet, proportione seruata, differentia ad genus, sicut forma ad materiam, & sicuti accidentia sunt extrà essentiā compositi substantialis, ita etiam ratio formalis indiuiduationis est extrà essentiam compositi essentialis metaphysici, & respectu illius se habet, vt quid accidentale.

Secunda ratio, Terminus potentiæ debet illi correspondere in ratione actus proportionati.

IV. Secundò prob. Terminus per se alicuius ordinis, per quem constituatur aliquid in esse potentiæ, debet habere correspondentiam cum tali potentia in ratione actus proportionati; at sola differentia habet proportionatam correspondentiam cum genere, vt est quædam pars potentialis speciei; ergo sola differentia est terminus adæquatus huius ordinis. Maior declaratur ex eo, quòd ordo trāscendentalis cōsurgit ex coaptatione, qua correlatiua possunt inuicem coaptari in tali, vel tali ratione: vndè ordo transcēdentalis in ratione potentiæ in eo consistit, vt correlatiua possint simul coaptari in ratione actus & potētiæ; ex quo fit, vt potentia debeat proportionari cum actu, & actus cum potentia, atque correspondere exigentiæ eiusdem potentiæ. Atque hinc fit, vt illud tantùm

pos-

possit esse terminus adæquatus exigentiæ potentiæ, quod illi correspondet, quod verò non correspődet,nullo pacto possit ingredi terminum adæquatum; si enim non correspondet exigentiæ, nec etiam proportionatur potentiæ in ratione actus; quomodo ergo erit terminus illius, cum tantùm ordinetur ad actum? Quòd autem sola differentia correspondeat exigentiæ generis, quæ erat minor assumpta, probatur. Nam genus est potentia quædam metaphysica, quæ compleri debet essentialiter, ita vt complementum sit constitutiuum talis, vel talis essentiæ, sed sola differentia habet, vt possit essentialiter complere genus in ratione talis, vel talis essentiæ. Rursus genus est quid contrahibile,ita tamen,vt per contractionem diuidatur ad diuersas species; ergo solæ differentiæ essentiales possűt esse actus proportionati respectu generis.Confir. Genus est quædam pars metaphysica essentialiter incompleta; ergo terminus correspondens exigentiæ generis debet esse complementum essētiale, indiuiduatio autem non est huiusmodi, & idcò non correspondet exigentiæ generis.

Sola differentia actus proportionatus generis.

1. ratio. V. Tertio argumentor. Genus in suo termino distingui debet à specie;ergo terminus ipsius est differentia essentialis, non indiuidualis. Conseq. hæc est clara; nam cum species sit contrahibilis per indiuiduationem, si etiam genus haberet pro termino indiuiduationem,esset per ipsam contrahibile, non secus ac species, vndè genus in se esset species. Quòd autem debeant distingui, negari non potest, cum genus, & species habeant conceptus diuersos essentialiter. Vndè in confirmationem eiusdem rationis addo. Formalitas generis, & formalitas speciei in ratione contrahibilis, & potentiæ metaphysicæ, sunt diuersæ; ergo etiam terminus ipsarum debet esse formaliter diuersus. Quòd si genus habet pro termino etiam indiuiduationem, & non solas differentias essentiales, iam à specie non distingueretur.

terminus formalis generis, & speciei diuersus.

Occurritur responsioni. VI. Posset tamen dici. In eo distingui à specie, quòd species respicit solam indiuiduationem,vt terminum, & actum adæquatum; genus verò respicit differētias,& indiuiduationes. Verùm huiusmodi responsio auget difficultatem;nam quæro,an ordo ille transcēdentalis,quem dicit genus ad indiuiduationem, illum dicat quatenus genus est, an non? Primum dici non potest, quia quatenus genus est,esset etiam species, si quidem ille ordo ex se est constitutiuus speciei. Si autem non dicit; ergo indiuiduatio non pertinet ad formalem terminum generis. Secundò. Indiuiduatio, vt talis est, in ratione termini specificat speciem, & illam constituit in esse speciei; ergo cum non possit esse specificatiuum, nisi sit etiam specificatum, implicat indiuiduationem esse terminum generis, nisi illud constituat in esse speciei, vndè genus cōtradistinctum à specie esset simul genus, & species. Tertiò. Genus, vt tale est, dicit tantùm ordinem ad illű terminum, cum quo potest venire in compositionem, tanquam cum actu sibi proportionato, constituendo vnam essentiam; non potest autem venire in compositionem cũ indiuiduatione, quia indiuiduatio est terminus speciei, & actus ipsius, vt species est,quarè cum genus non dicat eamdem formalitatem, quam dicit species, non habebit proportionem cum indiuiduatione, tanquam cum actu; idem enim actus nő potest proportionari cum diuersis potentijs formalibus. Confir. seruata proportione ad potentias physicas, in quibus actus, qui est proportionatus alicui potentiæ, ita est proprius illius, vt non possit esse alterius: ergo etiam in his actibus metaphysicis, actus, qui correspondet vni potentiæ non potest correspondere alteri, & consequenter cum indiuiduatio sit proprius terminus speciei, quæ respectu ipsius est potentia metaphysica essentialiter diuersa à genere, non poterit correspondere generi; nam eodem modo,seruata proportione, specificatur potētiæ metaphysicæ à suis terminis metaphysicis,quo physicæ specificantur à physicis.

Actus proportionatus vni potētiæ non correspődet alteri.

VII. Alio modo possent occurrere eidem rationi. Videlicèt in hoc genus differre à specie,quòd species respicit solam indiuiduationem, & primariò;genus verò respicit primariò differentias essentiales; secundariò vero indiuiduationes. Verùm hæc responsio nihilo melior est præcedenti, & corruit ob easdem rationes;nam quocunque modo terminus, siue actus respiciatur, semper specificat potentiam,in eo enim consistit specificatio, quòd potentia ordinetur ad talem actum; vndè siue primariò, siue secundariò, semper ab ipsa specificatur; ergo ge-

Altera responsio. Impugnatur.

genus, vt genus est erit etiam species, si secundariò ad esse indiuiduale ordinatur: Secundò actus, qui est proprius alicuius potentiæ, ita cum ipsa proportionatur, vt nullo pacto, neque primariò, neque secundariò possit eum alia proportionari; ergo cum indiuiduatio sit terminus proprius speciei, nullo pacto poterit correspondere generi. Confirmatur. Ordo ad aliquem actum, & terminum oritur ex coaptatione, quæ potest esse inter talem actum, et potentiam, qua præcisa tollitur omnis ordo: sed hæc coaptatio non potest esse inter genus, & indiuiduationem, cum enim coaptetur cum specie, quæ diuersa est à genere, non poterit cum ipso coaptari, quia idem terminus, aut actus non potest eum diuersis subiectis coaptari. Quòd autem respiciat ratione differentiæ sibi adiunctæ id est respicere tantùm vt terminum materialem, non vt formalem, quia hoc non ponit coaptabilitatem formalem; non autem est respicere secundariò; quia cum aliquid ad aliud secundariò ordinatur, adhuc seruat coaptibilitatem, & proportionem cum illa perseipsum immediatè.

Ordo potentiæ, & termini ex ipsorũ coaptabilitate oritur.

VIII. Hinc potest vlterius reijci allata responsio, & simul addi quarta ratio in confirmationem nostræ conclusionis. Genus non vnitur per se immediatè cum indiuiduationibus, sed tantùm medijs differentijs essentialibus, ergo adæquatum correlatiuum formale in ratione actus sunt tantùm essentiales differentiæ, non autem indiuiduationes; Antecedens est certum, quia indiuiduatio non afficit immediatè genus, cum non sit contractiua illius, sed speciem, & ita illam afficit, vt supponat aduenisse generi rationem differentialem, ipsa verò rationi differentiali adueniat, vt patet inductione facta; atque cum hic ordo sit in rebus secundùm essentiam consideratis, erit necessarius, nec poterit se aliter habere. Conseq. declaratur, quia actus debet vniri cum eo, cuius est actus immediatè: deindè si indiuiduatio vnitur immediatè cum differentia, & differentia cum genere, nec alia ratione indiuiduatio vnitur cum genere, nisi quia vnitur cum differentia, sequitur, vt sit tantùm actus differentiæ, non verò generis, cuius actus adæquatus erit tantùm differentia, quia ab hoc tantùm perficietur secundùm suam potentiam.

4. ratio.

Genus recipit indiuiduationẽ solam ratione differentiarum.

IX. Confir. Si genus respiceret, vt actum, indiuiduationem, deberet habere potentiam perfectibilem, nedum per illam, sed etiam per differentias essentiales, hinc autem sequitur debere habere duplicem potentiam, quia cum duplex sit actus formalis, nempè indiuiduatio, & differentia essentialis, & potentiæ per actus distinguantur, & multiplicentur, duplex quoque erit potentia: hoc autem implicat, quia genus, vt tale est, dicit tantùm vnam rationem potentiæ, quæ venit in compositionem cum sua cõparte. Rursus indiuiduatio ita est ratio formalis constitutiua indiuidui, vt tale ést, vt tota essentia specifica materialiter se habeat respectu illius actus; ergo non potest genus, vt genus est, ex se dicere ordinem, vt pars materialis ad indiuiduationem, sed tantùm dicet ratione sibi adiunctæ differentiæ, atque adeò indiuiduatio erit terminus formalis differentiæ, aut ad summum speciei, vt species est, non verò generis, vt genus est. Tertiò Confir. Præcisa à genere ratione differentiali non remanet in ipso amplius capacitas ad recipiendam indiuiduationem; ergo ex se nullum dicit ordinem ad ipsam. Consequentia non indiget probatione, quia certum est, quòd ordo ad aliquem actum ponit formaliter in subiecto capacitatem ad ipsum. Antecedens prob. quia indiuiduatio recipitur solùm in ratione differentiali immediatè, non verò in genere propter subordinationem horum graduum, sed solùm genus recipit differentiam, quæ in se recipit indiuiduationem, ergo in genere, vt genus est, nulla est capacitas ad indiuiduationem.

Genus formaliter ex se nõ est capax indiuiduationis.

X. Denique actus cuiuscunque potentiæ debet cum ipsa adæquari, ita vt afficiat totam capacitatem ipsius in suo genere; indiuiduatio non potest adæquari cum capacitate generis, vt genus est, nam capacitas generis, vt talis est, exigit, quòd tali actu afficiatur, quo mediante se extendat ad plures species: hoc autem nequeunt præstare indiuiduationes, quia hę solùm extendunt genus ad plura indiuidua, & consequenter non adæquant capacitatem generis. Neque valet, si dicatur posse genus etiam extendi ad plura indiuidua, quia extendi ad plura indiuidua est proprium speciei, nec potest conuenire generi, quatenus genus est, alioquin vt genus est, non

4. ratio.

Indiuiduatio nõ adæquatur cum capacitate generis, vt genus est.

esset diuersum à specie. Hinc orti sunt diuersi gradus in linea prædicamentali, ita essentialiter sibi inuicem subordinati, vt vnus supponat alium, & in ipso fundetur, & vnus sit actus alterius, & primus non possit affici ab vltimo absque intermedio: ex quo euidenter sequitur, vltimum non esse actum primi, sed intermedij, & intermedium primi.

Secunda conclusio correlatiuũ generis non est quid cõmune speciei, et īdiuiduo

XI. Secundò dicendum est. Neque genus respicere tanquam terminum differentiam, & indiuiduationem simul sumptas, sub aliqua ratione vtrique communi. Sequitur ex dictis in relatione primæ opinionis, atque si attentè considerentur, quæ modo in præcedenti conclusione dicta sunt, proculdubio, hanc etiam conuincunt, & possunt facilè applicari omnes rationes. Deinde peculiari quoque ratione prob. Genus, vt genus est, respicit differentiam essentialem, sub ratione talis actus, nempè essentialis & constitutiui speciei; ergo non potest illam respicere sub aliqua ratione communi etiam indiuiduationi. Anteced. explicatur; nam genus, vt genus, perfectibile est essentialiter, ita vt, dum perficitur, contrahatur ad aliquam naturam, cõmunem quidem pluribus, sed magis determinatam; hoc autem solùm præstari potest à differentia, quatenus est actus essentialis; ergo cum quælibet potentia respiciat actum secũdùm illam rationem, qua est ab ipso perfectibilis, genus respiciet differentiam secundùm rationem actus essentialis constitutiui alicuius naturæ determinatæ, sed communis. Hinc etiam consequentia facilis est, quia si genus respicit differentiam sub ratione talis actus, vt diximus, respicit illam, vt differentia est, atque hæc erit ratio formalis, secundùm quam differentia respicietur, quæ, vt patet, non potest esse communis indiuiduationi, cùm sit proprium constitutiuum differentiæ.

Tertia cõclusio. Genus nullo modo respicit indiuidua.

XII. Dicendum est tertio. Genus nullo modo respicere indiuidua, vt correlatiuum formale, neque vt genus, neque vt prædicabile est, sed solùm vt terminum materialem, vt diximus initio sect. Vndè adæquatum correlatiuum generis est sola species, quæ se habet, vt terminus formalis communicabilitatis genericæ, & prædicabilitatis ipsius generis. Sequitur ex dictis in prima cõclusione, atq; rationes ibi factæ possunt cũ proportione applicari. Deindè prob. Tota habitudo, quam dicit genus, vt genus est, se habet in ratione generis, ita vt sit talis habitudo adæquatè sumpta, formale constitutiuum generis; genus enim, vt tale est, importat tantùm formale constitutiuum sui ipsius, & consequenter tota habitudo, quam importat, est formale constitutiuum generis; sed vt genus est, non potest dicere habitudinem ad indiuidua, ergo nullo pacto dicet, & consequenter nõ erunt terminus formalis ipsius. Minor declaratur. Alia est habitudo ad ea, quæ differunt specie, & alia ad ea, quæ differunt numero, quod satis ex eo patet, nam habitudo ad ea, quæ differunt numero, est propria speciei, ita vt per ipsam constituatur in esse specie vndè per ipsam quoque definitur, Habitudo verò ad ea, quæ differunt specie, est constitutiua generis; ergo genus, vt genus est, non potest respicere ea, quæ differunt numero, cum hæc habitudo sit propria speciei, non verò generis.

Tota habitudo generis ad inferiora est in ratione generis.

Confir.

XIII. Quod potest amplius confirmari. Species definitur per ordinem ad ea, quæ differunt numero, atque ex vi huius habitudinis intelligitur species, tanquam quoddam vniuersale diuersum à genere; ergo per eamdem habitudinem non potest intelligi genus, vt genus est, neque per ipsam definiri, quoniam ex vi huius habitudinis non intelligeretur, vt genus, sed vt species; posita enim eadẽ habitudine, & eodem termino, etiam eadem essentia intelligitur; quare cum genus, vt genus, non sit species, nullo pacto potest dicere habitudinem ad indiuidua, tanquam ad terminum formalem. Preterea, si habitudo ad ea, quæ differunt specie, & habitudo ad ea, quæ differunt numero, sunt essentialiter diuersæ, nam vna est constitutiua generis, altera verò speciei, quomodo potest vtraque concurrere ad cõstituendam essentiam generis, quæ formaliter consistit in vnica tantùm habitudine? Possent hic afferri illæ responsiones, quas attulimus in tertia ratione pro prima conclusione, sed ibi sufficienter impugnatæ sunt.

2. ratio.

XIV. Secundò prob. Totum fundamentum, cur genus deberet dicere ordinem ad indiuidua, esset, quia genus diuideretur per differentias, & differentiæ per indiuiduationes. Ex hoc tamen non rectè colligitur indiuidua esse terminum formalem generis, sed tantùm mate-

ria-

tialem, quoniam genus non est per se in ipsis indiuiduis, vt indiuidua sunt, sed est per se in speciebus, species autem sunt per se in indiuiduis. Vndè sic argumentor; ratio formalis, seu aptitudo essendi in indiuiduis non habetur ex vi generis formaliter, sed ex vi speciei; ergo cum tota habitudo ad terminum fundetur in eo, quòd possit esse in illo, & genùs ex se formaliter, vt tale est, non habeat istam aptitudinem, vt possit esse in indiuiduis, nec etiam ad ipsa dicit habitudinem, tanquam ad terminum formalem. Quòd autem genùs ex se formaliter, non habeat hanc aptitudinem, ostendi potest, tum quia hæc aptitudo est proprium constitutiuum speciei, & formaliter habetur ratione differentiæ; tum quia posse esse in pluribus, dicit posse in illis diuidi, & posse esse in pluribus indiuiduis dicit posse indiuidualiter diuidi. Genus autem, quando ex se formaliter diuiditur, non diuiditur indiuidualiter, sed essentialiter, vnde ex se formaliter habet, quòd possit esse in pluribus speciebus, & his mediantibus in pluribus indiuiduis. Quod etiam declarari potest exemplo animæ, & corporis. Anima enim essentialiter constituitur per ordinem ad corpus organicum, quod est terminus formalis ipsius in ratione subiecti; licet autem corpus organicum habeat adiunctam rationem corporis vt sic, non tamen sequitur rationem corporis vt sic esse terminum formalem animæ; sic etiam corpus est subiectum motus, & constat ex materia, & forma, non tamen sequitur, materiam, aut formam seorsim ordinari ad motum, tanquam ad proprium terminum formalem. Sic ergo licet species habeat adiunctam indiuiduationem, non sequitur, indiuiduationem esse formalem terminum generis, nec ex eo, quòd potest esse in indiuiduis ratione specierum, sequitur, ratione sui habere formaliter hanc aptitudinem.

Genus ex se formaliter non dicit aptitudinē ad essendum in indiuiduis.

3. ratio. XV. Tertiò. Habitudo ad indiuidua non incipit, nisi in ratione specifica, seu differentiali, tanquam in eo, quod formaliter illam continet; ergo genùs, vt genùs est, non dicit formaliter hanc habitudinem. Consequentia est euidens, quia si, vt genus est, diceret hanc habitudinem ad indiuidua, intrinsecè imbiberetur in esse formali ipsius, atque adeò in ipso inciperet, nec deberet expectari aduentus differentiæ, vt adduceretur talis habitudo. Tota difficultas consistit in Antecedenti huius rationis. Nihilominus ostendi potest, quia imprimis vbi incipit habitudo ad indiuidua, incipit habitudo speciei, in genere autem, vt tale est, non potest incipere talis habitudo. Deinde genus ordinatur ad species, & quando à specie fit transitus ad indiuidua, variatur ratio formalis termini; ergo si prima ratio formalis termini, nempè esse specificum specificeat habitudinem constitutiuam generis, non potest ratio formalis indiuiduationis eamdem habitudinem terminare; atque adeò in ipso genere non incipiet habitudo ad indiuidua. Confir. Si comparetur genus præcisè sumptum cum indiuiduatione præcisè sumpta, non habet habitudinem ad illam; ergo habitudo ad indiuidua incipit tantùm ratione differentiæ infimæ. Conseq. est euidens. Quia si genus ex se diceret hanc habitudinem, etiam præcisa differentia illam retineret, Anteced. suadetur. Genus præcisa differentia non potest vniri cum indiuiduatione, alioquin posset dari aliquod indiuiduum, quod non esset in aliqua specie infima, quod implicat, imò etiam, quando genus vnitur simul cum differentia cum indiuiduatione, ita vnitur, vt ipsum immediatè vniatur cum differentia sola, differentia verò cum indiuiduatione; atque iste ordo, & subordinatio ita essentialis est, vt nullo pacto possit mutari. Si autem genus ex se diceret habitudinem ad indiuidua, posset immediatè, vel se solo, vel saltem simul cum differentia vniri cum indiuiduatione, quia hæc habitudo fundatur in aptitudine ad essendum in ipsomet termino.

Habitudo ad indiuidua incipit in differentia Ifima

Confir. XVI. Et in confirmationem eiusdem rationis etiam arguitur. Posita aptitudine generis ad essendum in speciebus, & nulla alia. Rursus posita aptitudine in speciebus ad essendum in indiuiduis, habetur sufficiens aptitudo, vt vniantur metaphysico modo omnes gradus entis pro constituenda vna natura completa indiuidua, ita vt genus non ex se formaliter habeat, quòd sit in indiuiduis, sed trahatur tantùm à differentia ratione vnionis, quam habet cum ipsa ad essendum in illis; ergo non est necessaria aliqua alia habitudo, nisi quòd

genus ordinetur ad ſpecies, ſpecies verò ad indiuidua, quia habitudo fundatur tantùm in aptitudine, quòd ſi non eſt neceſſaria, neque debet admitti, quia agitur de conſtituendis rerum eſſentijs coaleſcētibus ex diuerſis gradibus entis, in quibus non debent admitti, quæ neceſſaria non ſunt.

Confir. ſecundo.

Secundò confir. principaliter eadem ratio. In ſpecie, vt talis eſt, incipit noua habitudo, quæ non erat in genere, ex vi differentiæ aduenientis, quæ eſt propria ſpeciei, & nulli alteri conuenit, ergo in ſpecie incipit habitudo ad indiuidua, Ex quo fit, vt genus præciſa differentia, & ſe ſolo conſideratum extra ſpeciem non habeat habitudinem ad indiuidua, atque eius adęquatum correlatiuum ſit ſola ſpecies.

Quomodo in ſpecie inſ... incipiat habitudo ad indiuidua

Vt autem efficacia huius cōfirmationis percipiatur explicari debent, tum Antecedens, tum conſequentia. Et quòd ſpectat ad antecedens, certum eſt, ſpeciem, vt talis eſt, dicere ſuam propriam rationem vniuerſalis, per quam à genere contradiſtinguitur, & importare aptitudinem ad eſſendum in talibus inferioribus, quæ conſtitutiua ſit ſpeciei in eſſe ſpeciei, & in ipſa tantùm reperiatur; omnis autem aptitudo importat etiam ordinem ad aliquem terminum ſibi correſpondentem: vndè manet certum, In ſpecie, vt talis eſt, incipere aliquam habitudinem ad inferiora ex vi ſuæmet aptitudinis, qua ſpecies poteſt eſſe in inferioribus. Hinc etiam colligitur conſequentia; quia omnia inferiora, vel differunt numero, vel plus, quàm numero. Genus habet aptitudinem ad eſſendum in pluribus, quæ differant plusquam numero, hoc eſt ſpecie, & ad illa dicit ordinem. Species igitur cum debeat habere aliquam aptitudinem, & habitudinem, quæ non ſit in genere, vtpotè quia in ipſa incipit, non poteſt eſſe alia habitudo, quàm ad indiuidua; atque adeò hæc non erit in genere, vt iam patet.

Quarta ratio.

XVII. Denique argumentor. Genus collatum cum indiuiduis eiuſdem ſpeciei non habet rationem generis; ergo neque collatum cum indiuiduis diuerſarum ſpecierum, & conſequenter reſpectu indiuiduorum nullo modo obtinet rationem generis: quòd ſi non obtinet rationem generis, neque etiam dicit habitudinem, quia omnis habitudo, quam dicit, vt ſuprà etiam argumentabamur, eſt in ratione generis.

Genus reſpectu indiui-

Antecec. ab aliquibus conceditur præcipuè ab Auerſa citata quæſt. 10. ſect. 5. concluſ. 4. ab aliquibus verò negatur, contrà quos eſt probandum.

...uorum ...on habet rationem generis.

Si genus comparetur cum indiuiduis eiuſdem ſpeciei, non illi conuenit reſpectu ipſorum formale conſtitutiuum generis, neque propria paſſio. Conſtitutiuum enim generis eſt, quòd poſsit eſſe in pluribus ſpeciebus, & de illis prædicari, quod ipſi non conuenit prout comparatur ad indiuidua eiuſdem ſpeciei. Neque valet dicere, habere rationem generis, quia non habet rationem ſpeciei, cum etiam prædicetur de ipſa ſpecie. Nam comparatum ad indiuidua eiuſdem ſpeciei non habet formaliter rationem aliquam vniuerſalis, quia non habet ex ſe aptitudinem ad eſſendum in illis. Quando enim attenditur aliquod vniuerſale, debet attendi reſpectu propriorum inferiorum, quæ reſpectu generis ſunt plures ſpecies; atque vniuerſale, ita ſe habet reſpectu ſuorum inferiorum, vt immediatè deſcendat per ſe ad illa: genus autem non deſcendit ad indiuidua per ſe immediatè, quare genus nullam obtinet formaliter rationem vniuerſalis reſpectu indiuiduorum. Conſequentia deducta ex hoc antecedenti etiam oſtenditur; quando enim genus comparatur ad indiuidua diuerſarum ſpecierum, ſolùm poteſt acquirere rationem generis, non quia plura ſint indiuidua, quia hoc conuenit etiam indiuiduis eiuſdem ſpeciei, ſed quia ſunt ſpecie diuerſa; ergo cum ratione diuerſitatis ſpecificæ acquirat eſſe generis, neque tunc erit genus, quia diuerſitas ſpecifica non habetur, niſi ratione differentiarum, quibus ſpecies illæ conſtituuntur. Quòd ſi ex vi indiuiduorum formaliter non acquirit eſſe generis, neque vt genus eſt formaliter dicit habitudinem ad ipſa, ſed ſolùm ad diuerſas ſpecies, ſub quibus ipſa continentur. Confirmatur eadem conſequentia. Vel genus collatum ad indiuidua diuerſarum ſpecierum habet rationem generis ex eo, quòd ſunt plura, vel ex eo, quòd differunt ſpecie. Non quia ſunt plura, quia hoc ipſum conuenit etiam indiuiduis eiuſdem ſpeciei. Si autem ex eo, quòd ſunt ſpecie diuerſa formaliter, ergo non indiuidua, ſed diuerſæ ſpecies faciunt, tamquam termini, quòd ſit genus. Quòd ſi non habet formaliter ratione indiuiduorum,

quòd

quòd sit genus, iam neque indiuidua sunt terminus formalis ipsius, sed solùm materialis, vt supra dictum fuit.

Satisfit rationibus aliarum sententiarum.

SECTIO III.

Ad rationes primæ sententiæ.

I. Neque fundamenta aliarum sententiarum satis firma sunt, sed ex dictis facilè euerti possunt. Et quòd spectat ad rationes pro prima sententia. Cum dicitur, species, & indiuidua conuenire in hac ratione, quòd subijciantur generi. Hoc subijci formaliter loquendo importat tantùm secundam intentionem; correlatiuum autem generis, quatenus vniuersale quoddam metaphysicum est, importat aliquid reale, quod fit prima intentio. Si verò non sumatur secundo intentionaliter, tunc dicit, quòd sint rationes metaphysicæ, in quibus possit reperiri genus. Cæterùm quia genus non est per se immediatè in indiuiduis, sed tantùm ratione specierum, à quibus trahitur ad essendum in illis, idcircò neque indiuidua, vt talia sunt, per se subijciuntur generi, sed speciei tantùm, & ratione speciei generi.

Ordo respicit formaliter illam solam rationem, cum qua habet correspondentiam.

Atque hinc fit, vt genus non respiciat secundùm se indiuidua, quatenus subijcibilia, neque adsit hæc ratio communis speciei, & indiuiduis, ad quam ordinetur genus. Deindè non quotiescunq; adest aliqua ratio communis pluribus, quod ad illa ordinatur respicit illam rationem formaliter, sed vlterius requiritur, vt habeat correspondentiam cum ipsa. Sic colores habent rationem communem entis, nec tamen oculus illos respicit secundùm talem rationem, quia potentia visiua non habet correspondentiam cum ipsa, sed solùm secundùm rationem coloris. Sic ergo in casu nostro licet species, & indiuidua in hoc conuenirent; quòd subijcerentur generi, tamen quia genus, vt quædam pars potentialis coaptatur cum differentia, vt differentia est, idcirco illam respicit sub ratione actus essentialis, non verò sub ratione subijcibilis.

Ad fundamentum secundæ sententiæ.

II. Circa fundamentum secundæ sententiæ, cum qua concordamus nihil occurrit dicendum. Solùm aduertendum, quòd genus non refertur per se ad indiuidua, sed omnis habitudo ad illa est ratione speciei; vnde genus non habet ex se, quòd possit esse in illis, sed tantùm ratione speciei, in qua reperitur: quare respectu ipsorum, vt etiam Sectione præcedenti dictum fuit, non obtinet aliquam rationem vniuersalis, cum non sint propria inferiora ipsius, cum solùm vniuersale sit tale respectu propriorum inferiorum, vndè genus respectu solarum specierum obtinet rationem vniuersalis. Malè tamen asseritur ab ijsdem Auctoribus, Genus per se ordinari ad indiuidua, vt talia sunt, & non esse aliquod ex quinque prædicabilibus, neque vniuersale genericum, aut specificum, cum tamen omne vniuersale sit, aut genericum, aut specificum, vt suo loco ostendemus.

Ad rationes tertiæ sententiæ.

III. In tertia sententia affertur auctoritas Porphyr. cap. de specie. Verùm ibi non docet, Genus referri ad indiuidua, tanquam ad proprium, & formale correlatiuum: sed solùm quòd de indiuiduis prædicetur, ait enim. *Cum igitur supera semper de inferis prædicentur, species quidem de indiuiduo, genus autem de specie, ac indiuiduo, & generalissimum genus de genere, vel de generibus, si plura media, subalternaque sint, & de specie, atque indiuiduo prædicabitur.* Verùm hæc prædicatio non erit immediata, sed mediata, quod in eodem cap. indicauit, nam antea dixerat, Illud, quod prædicatur, vt quid superius sine medio de indiuiduis, esse speciem. *Atque omninò* (inquit) *id omne, quod est ante indiuidua, & de ipsis sine medio prædicatur, species erit duntaxat.* Ex hoc autem, quòd Genus prædicetur de indiuiduis, non sequitur indiuidua esse formale correlatiuum ipsius; sed solùm genus esse in illis, non quidem immediatè, & per se; sed ratione speciei, cuius est pars. Vt autem tali pacto sit in indiuiduis non est necesse, vt quatenus pars potentialis, sit in potentia ad indiuiduationes, atque ordinetur ad indiuidua, tanquam ad terminum: sed sufficit, vt possit esse in specie, tanquam pars potentialis, & species possit esse in indiuiduis, vt sectione præcedenti explicatum est.

Explicatur Porphyr.

Ad primam.

IV. Ad primam autem rationem eiusdem sententiæ constat ex dictis sect. præcedenti, quid dicendum sit; cum enim dicitur, Genus aptum esse, vt sit in speciebus, & his mediantibus in indiuiduis, verùm hoc quidem est; sed hinc sequitur nō respicere indiuidua; vt pro-

prium

prium correlatiuum formale, quia genus ex se ita habet aptitudinem ad essendum in speciebus, vt ad ipsas solas terminetur, nec vlterius extendatur: ratione autem differentiæ, formaliter loquendo, incipit aptitudo ad essendum in indiuiduis, & ideo hæc aptitudo non est in genere, sed in specie, & sola species refertur formaliter ad indiuidua, non verò genus, sed tantùm materialiter, prout est in speciebus. Secunda quoque ratio soluitur ex dictis. Nam quando dicitur, genus prædicari de ijs, quæ differunt specie; ea, quæ differunt specie, sunt quidem terminus generis, important tamen, & materiale, & formale eiusdem termini: Formale sunt ipsæ species, quæ sunt in indiuiduis, materiale verò ipsa indiuidua; vndè si formaliter tantùm loqui velimus, genus erit, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, sed quatenus differunt specie: qua reduplicatione facta, solùm pro correlatiuo generis importatur species, non verò indiuidua. Hinc patet falsum esse, quod adducunt auctores illius sententiæ; Genus videlicet eadem habitudine, qua respicit species, respicere etiam indiuidua, quia nullo modo indiuidua specificare possunt habitudinem genericam, neque genus se habet, vt genus, prout respicit indiuidua. Vndè falsum quoque est, quòd si genus esset natura separata, posset eadem potentia esse in speciebus, & indiuiduis, quia ex se nullo pacto haberet potentiam ad essendum in illis, sed tantùm ratione speciei, in cuius compositionem veniret. Maneat ergo, genus secundùm se præcisè consideratum non habere formaliter aliquam habitudinem ad indiuidua, tanquam ad terminum formalem, sed totam huiusmodi habitudinem haberi ex vi differentiæ vltimæ, & reperiri formaliter in sola specie, ita vt genus solùm à specie insima trahatur ad essendum in indiuiduis.

Ad secundam.

Quomodo Genus prædicetur de indiuiduis. Disp. LV.

Punctus difficultatis, & Auctorum sententiæ.

SECTIO I.

I. Genus prædicari de indiuiduis, ita certum est, vt non possit in controuersiam verti. Solùm dubitari potest de modo, quo prædicetur. Vt autem punctus difficultatis aperiatur, præmittimus, indiuidua posse dupliciter considerari. Primò quidem secundùm esse physicum, & materiale, & hoc pacto important totam naturam rei, prout dicit quamdam entitatem completam, quæ inuoluit omnes gradus entis, vt Petrus, hoc enim indiuiduum, nedum important esse indiuiduale formale, sed etiam totam naturam humanam, in qua inuoluitur gradus genericus, & specificus, & quicquid à prima ratione entis vsque ad ratione indiuidualem intermediat. Altero autem modo considerari possunt indiuidua secundùm esse formale tantùm, & tunc important illam solam rationem formalem, qua constituuntur in esse indiuiduali, in concreto tamen sumptam, quæ dicit esse Indiuiduale cuiuscumque indiuidui. Quamuis autem, quando intellectus cognoscit vniuersale metaphysicum, aut ipsa indiuidua formaliter sumpta, & præcisè considerata, nihil ex parte obiecti reale correspondeat præter indiuidua physica; nihilominus etiam verum [illegible] uòd interueniat præcisio intellectus, [illegible] ua, licet non ponatur distinctio in obiecto secundùm esse reale physicum, ponitur tamen secundùm esse reale obiectiuè, ita vt ex vi præcisionis non concipiantur indiuidua secundùm esse adæquatum, sed inadæquatè, vel secundùm aliquam rationem communem, vel secundùm aliquam rationem particularem, quia videlicet cognitio illa præcisiua inadæquatè tantùm repræsentat huiusmodi indiuidua. Hinc quando concipitur genus formaliter, concipitur ratio aliqua communis pluribus speciebus, atque indiuiduis, quando verò concipiuntur indiuidua secundùm esse formale, concipiuntur ipsa indiuidua physica,

Indiuidua secundum esse materiale, & formale considerata.

qua-

quatenus vnumquodque habet suam propriam vnitatem indiuidualem incommunicabilem. Difficultas igitur præsentis disputationis in eo sita est, quomodo genus formaliter sumptum, prout importat illum conceptum communem præcisum, prædicetur de indiuiduis formaliter sumptis, nempè an prædicetur per se immediatè, an verò mediatè, hoc est mediante specie.

Prima opinio. Genus prædicari de indiuiduis formaliter sumptis immediatè. Auicenna D. Th. Hurtad.

II. In qua difficultate Prima opinio asserit, Genus prædicari de indiuiduis formaliter sumptis per se, & immediatè, ita vt eius prædicatio non dependeat à specie, qua mediante de indiuiduis prædicetur, sed possit indiuiduum formaliter sumptum immediatè substerni prædicato generico. Quam opinionem Ruuius infra citandus tribuit Auicen. non tamen citat locum, & etiam nonnullis alijs. Solet etiam citari D. Th. opusc. 55. circa medium, vbi inquit *Cum habemus hoc animal, intellectus considerans, antequam deueniamus ad formam hominis, apprehendit formam vniuersalem in hoc indiuiduo, scilicet animal*. Et hanc opinionem sequitur Hurtadus in Logica disp. 4. sect. 5. Quòd si quæras, quomodo, cum genus prædicetur immediatè de indiuiduis formaliter sumptis, distinguatur à specie, quæ ipsa quoque prædicatur immediatè de indiuiduis, respondet Auicen. vt refert Ruuius distingui à specie, quia species solùm de indiuiduis prædicatur; genus verò etiam de speciebus. Alij verò respondent, Genus distingui à specie, quia genus prædicatur, vt quid incompletum, species verò, vt quid completum.

Fūdamētum huius sententiæ.

III. Prob. Hurtad. hanc sententiam. Si videam à longè, quod sæpe contingit, aliquod indiuiduum animal, & percipiam aliquam operationem, quæ indicet esse animal, non verò hoc, aut illud animal, vt esset motus progressiuus, tunc iudico, illud esse animal, non verò hoc, aut illud, ergo animal, quod est genus, immediatè prędicatur de indiuiduo, nam tunc cognosco rationem animalis esse indiuiduam, non cognoscendo, in quanam specie sit, & possum de tali indiuiduo enunciare esse animal; non verò tale animal. Addit in confirmationem eiusdem rationis. Quia fieri potest, vt abstraham rationem communem animalis à pluribus animalibus, & ignorem, quęnam animalia sint in specie, & tamen sint diuersarum specierum; tunc autem talis ratio abstracta poterit immediatè de ipsis prædicari; quod enim ab aliquo abstrahitur, potest immediatè de ipso prę dicari; tunc autem ratio generica immediatè abstrahitur ab indiuiduis.

Secunda opinio. Genus prædicari immediatè de indiuiduis ad modū speciei.

IV. Secunda sententia procedit cum distinctione; & asserit Genus, vt genus est, non prædicari immediatè, & per se ipsum de indiuiduis, sed per speciem: prædicari tamen per seipsum, & immediatè per modum speciei; atque huiusmodi prædicationes ad secundum prædicabile reduci debere. Ita Ruuius in Logica quæst. 6. de specie, & alij Recentiores. Pro cuius intelligentia aduertit idem Ruuius. Genus non prædicari per seipsum immediatè, nisi de indiuiduis genericis, vndè in his prædicationibus significatur natura, vt immediatè participata ab indiuiduis, & non mediante aliqua specie; vnde nec debet considerari, vt contrahibilis per differentias essentiales, sed vt completa ex genere, & differentia, ex quo fit, vt in his prædicationibus sumatur per modū speciei. Atque hinc etiam colligitur fundamentum huius sententiæ, quoniam natura contrahibilis immediatè ad indiuidua se habet ad modum speciei infimæ; quando autem genus prædicatur de indiuiduis, se habet, vt immediatè contrahibile per ipsa; atque adeò debet etiam concipi, vt quid completum, atque per modum speciei, quod enim non est completum in natura, non est immediatè contrahibile ad indiuidua.

3. opinio. Genus mediatè prædicari de indiuiduis. Albert. Magn. Iauel.

V. Tertia opinio simpliciter asserit, Genus non prædicari per seipsum immediatè de indiuiduis, sed solùm de specie, & hac mediante, etiam de indiuiduis, in quo contradistinguitur à specie, quæ immediatè de suis indiuiduis prædicatur. Ita docet Albertus Magnus tract. 4. de prædicabil. cap. 1. Et hanc opinionem innuit Iauel. tract. de Quinque Prædicab. cap. 2. ¶. *secundò dicitur, &c.* vbi docet indiuidua solùm mediante speciem subijci generi. Et fundamentum huius sententiæ est, quia tam species, quàm indiuidua constant ex suis partibus: species autem per se constat ex genere, & differentia tanquam ex partibus essentialibus, indiuidua verò per se non constant ex genere, tanquam ex parte, sed ex specie, & indiuiduatione, vndè participant naturam genericam, non per se

pri-

primò, sed quia participant naturam speciei, quæ includit genus. Hinc genus immediatè solùm de specie prædicatur, de indiuiduo verò mediante specie.

Vera sententia.

SECTIO II.

I. Tertia sententia, quam modo retulimus, proculdubio vera est, si tamen cum aliqua distinctione accipiatur. Quare recolenda est duplex illa acceptio indiuiduorum, quam initio sect. præcedentis tradidimus, nempè secundùm esse materiale, & physicum: & secundùm esse formale, quatenus important præcisè esse indiuiduale. Si igitur primo modo accipiantur, negari non potest, Genus prædicari de ipsis immediatè, & per seipsum. Et ratio à priori reddi potest; quia, vt fiat aliqua prædicatio immediata, non aliud requiritur, nisi quòd prædicatum, & subiectum, dum inuicem comparantur, ita se habeant, vt prædicatum se habeat ad modum formę, si prędicatio sit directa, vt contingit in casu nostro; subiectum verò per seipsum immediatè sit susceptiuum talis prædicati. Hoc autem totum saluatur, quando genus prędicatur de indiuiduis physicè acceptis, nam indiuidua secundùm esse physicum, vt adnotauimus, important totam essentiam physicam; cum autem hęc essentia physica includat genus, quando genus abstrahitur, remanet in ipsis ratio, per quam possint substerni tali prędicato generico ab ipsis pręciso. Quod amplius declarari potest. Indiuidua secundùm esse physicum includunt genus sibi identificatum; ergo quando genus comparatur ad indiuidua secundùm esse physicum, comparatur prędicatum se habens ad modum formę cũ subiecto, quod est aptum per seipsum substerni tali prędicato: nam reuera esse physicum indiuidui, cum in se formaliter includat rationem genericam, subijcitur secundùm se tali prędicato, sic non alia ratione species subijcitur generi, nisi quià includit, vt fuimet constitutiuum, etiam genus. Sed etiam indiuiduum physicè sumptum includit, vt constitutiuum sui ipsius genus, quod imbibitur in toto esse physico ipsius. Et hoc est discrimen inter id, quòd genus prędicetur immediatè de specie, & immediatè de indiuiduo physico, quòd primo modo sola species formaliter subijcitur generi; secundo verò modo subijcitur immediatè indiuiduum physicum, seu illud esse physicum, quod imbibit etiam indiuiduationem, quia in toto illo esse entitatiuo reperitur ratio generica intimè inclusa.

Prima conclusio Genus predicatur immediatè de indiuiduis physicè acceptis.

Quid requiratur ad immediatam predicationem.

II. Confir. principaliter. Quælibet natura physica indiuidua coalescit ex pluribus prædicatis metaphysicis, ita vt considerata secundùm esse adæquatum, omnia illa formaliter includat; ergo quando aliquod ex his prædicatis metaphysicis abstrahitur; & comparatur ad tale esse physicum, se habet, vt forma respectu illius, & ipsum, vt subiectum, nam est talis naturæ, vt secundùm suum esse sit susceptiuum talis prædicati. Quòd si secundùm suum esse se habet, vt subiectum, iam potest immediatè per prædicationem cum ipso coniungi tale prædicatum. Atque si radicem huius veritatis inquiramus, indè prouenit, quòd genus possit immediatè prædicari de indiuiduis physicè acceptis, quia cum dubiũ non sit, genus posse prædicari immediatè de specie ratione differentiæ, per quã immediatè contrahitur: Cum indiuidua secundùm esse physicum includant esse differentiæ, & esse speciei, nam important totam naturam physicam; hinc fit, vt de ipsis ratione differentiæ, & speciei possit immediatè prædicari.

III. Secundò dicendum est cum tertia sententia. Genus per seipsum immediatè non prædicari de indiuiduis formaliter acceptis, sed tantùm mediante specie. Hæc sententia est procul dubio ipsius Porphyr. cap. de specie, vbi ait: *Atque omnino id omne, quod est ante indiuidua, & de ipsis sine medio prædicatur, speciei erit dumtaxat, & nullo modo generis rationem subibit*. Quibus verbis ponit, tanquam proprium constitutiuum, & contradistinctiuum speciei à genere, prædicari immediatè de indiuiduis. Quare, si genus immediatè de indiuiduis formaliter sumptis prædicaretur, per Porphyr. non esset vllo pacto genus, sed solùm species; atque hæc opinio si attentè consideretur, vera omnino, atque facilis apparebit. Possumus autem rationem reddere à priori cum proportione ad præcedentem. Non potest aliquid de alio immediatè prædicari, nisi inuicem comparentur, vt vnibilia tanquam for-

Secunda conclusio Genus mediatè de indiuiduis prædicatur. Porphyr.

ma

ma, & subiectum, ita vt subiectum per seipsum sit aptum, vt immediatè substernatur tali prædicato, tanquam formæ sibi connaturali; at si genus præcisè sumptum comparetur cum indiuiduis formaliter acceptis, non se habet tanquam forma, cui immediatè substernantur indiuidua; ergo non potest immediatè de ipsis prædicari. Quòd autem indiuidua formaliter accepta non sint apta, vt immediatè per se substernâtur generi prob. Nam non sunt propria inferiora generis, sed speciei, cōtrahunt enim per se immediatè speciem, non autem genus, sed tantùm mediante specie; quare cū illud tantùm per se immediatè substernatur ratio ni superiori, quod se habet, vt proprium inferius ipsius, non poterunt indiuidua formaliter sumpta esse apta, vt immediatè substernantur generi.

...ratio. IV. Atq; hoc etiam alio modo declarari potest. Prædicatio, præsertim rationis superioris de inferiori, fūdatur in eo, quòd prædicatū sit in subiecto, & modus prædicandi sequitur modum, quo prædicatum est in subiecto, vndè si prædicatū est in subiecto, vt quid ipsi essentiale, etiā modus prædicandi est essentialis. Hinc etiam in casu nostro genus prędicabitur de indiuiduis formaliter sumptis eo modo, quo est in ipsis, & omninò implicabit, quòd alio modo prædicetur, quia sicuti prędicari debet conformari rei, sicuti est, ita etiam modus prædicationis. Genus autem non est immediatè in indiuiduis formaliter sumptis, sed tantùm mediatè, nēpè mediante specie, non enim genus, & esse indiuiduale formaliter loquendo immediatè vniuntur; sed genus vnitur cum differentia, ex qua vnione resultat species, quæ postea cum esse indiuiduali vnitur: vndè species est illa, quæ immediatè per se cum indiuiduis vnitur. Quod etiam confirmari potest, quoniam genus est quoddam vnibile, tanquam essentialiter perfectibile, & in hoc consistit eius potentialis vnibilitas, vt possit vniri cum aliquo actu, quo essentialiter perficiatur, vnde genus est immediatè vnibile cum differentia sola, quia hæc est actus essentialis ipsius, cum igitur esse in alio, & esse vnibile cum ipso idem sint, hinc fit, genus non posse esse immediatè per seipsum in indiuiduis, & consequenter, nec immediatè prædicari. Accedit etiam essentialis subordinatio, quæ est inter gradus entis; minus enim vniuersalis supponit magis vniuersalem; vndè ratio specifica supponit genericam, & indiuidualis specificam, ita vt sine specifica nequeat efficere genericam.

Modus prædicandi proportionatur modo essendi.

V. Nec valet, quod ait Ruuius loco citato sect. præcedenti. Genus quidem non prædicari per seipsum immediatè de indiuiduis specificis, prædicari tamen immediatè de indiuiduis genericis, vt animal vt sic de hoc, & illo animali. Non inquam valet hęc responsio, quia vel vocat indiuidua generica ipsa indiuidua physica participantia rationem generis, & in hoc sensu verum quidem est, genus immediatè prædicari de ipsis, vt diximus: verùm quod præcipuè controuertitur non est, an genus prædicetur immediatè de indiuiduis physicis; sed an prædicetur immediatè de indiuiduis formaliter acceptis. In quo sensu falsum est, quod ait Ruuius; Dari videlicet indiuiduum generis præcisè, quia in vnoquoque indiuiduo est vna tantùm ratio formalis indiuiduationis, quæ non aduenit generi per se immediatè, sed tantùm speciei, & consequenter non potest dari indiuiduum generis, quod non sit etiam indiuiduum speciei. Imò si formaliter loqui velimus; indiuidua formaliter sumpta dicunt præcisè, quòd sint indiuidua: & si alicuius indiuidua dicenda sunt, solius speciei erunt indiuidua, quia formaliter loquendo sola species indiuiduatur. Quare cum dicitur, Hoc animal est animal, tunc genus non prædicatur formaliter de indiuiduo generis, sed de aliquo indiuiduo physico, quod per ly Hoc animal importatur: ly enim, hoc animal, stat demonstratinè, & proindè genus prædicatur de indiuiduo physico, quandò immediatè prędicatur, quod indè colligitur, quia illud indiuiduum importat esse animalis, quod non includitur in indiuiduo formaliter considerato, sed solùm materialiter secundùm esse physicum.

Reijcitur responsio Ruuij.

Expenduntur fundamenta aliarum sententiarum.

SECTIO III.

I. Quod spectat ad fundamētum, & doctrinam primæ sentētię. Non rectè Auicēna assignat discrimen in modo prędicandi inter genus, & speciē, quòd genus nedum prędicetur de indiuiduis, sed etiā de speciebus. Species verò

de solis indiuiduis. Non quia, vt ait Rubius, sequatur, Genus, & speciem differre per differentiam negatiuam, & non positiuam; hæc enim sequela falsa est; quia genus haberet talem modum prædicandi positiuum, quo se extenderet immediatè, tum ad species, tum ad indiuidua: species verò haberet talem modum prædicandi positiuum, quo se extenderet solùm ad indiuidua. Species ergo, & genus differrēt per hos modos prædicandi positiuos, qui cum sint inter se positiuè diuersi, etiā genus, & species per differentias positiuas differrent. Sed ex eo capite hæc doctrina Auicennæ reijcienda est, quia sequeretur, speciem non esse extrà genus præcisè cōsideratum, quod cum falsum sit, hinc sequitur, genus non posse immediatè prædicari de indiuiduis formaliter sumptis. Hæc verò sequela ostenditur, quia in eo, in quo est aliqua proprietas: est etiam essentia correspōdens illi proprietati. Cùm igitur proprietas speciei sit prædicari de pluribus indiuiduis immediatè, si hæc prædicatio conueniret generi, in ipso quoq; reperiretur essentia speciei, & esset simul genus, & species, seu essentia speciei includeretur in essentia generis.

Discrim: inter prędicationem generis, & speciei nō rectè assignatur ab Auicēna

II. Sed neque satisfacit aliarum responsio ibidem allata, quòd videlicet genus distinguatur à specie ex eo, quòd prædicatur de indiuiduis vt quid incompletum, species verò vt quid completum: nam licet verum sit, genus prædicari, vt quid incompletum, hinc etiam fit, vt non possit prædicari immediatè de indiuiduis; si enim species prædicatur de illis, vt quid completum, & immediatè, iam non poterit genus eum, sit quid incompletum prædicari immediatè: quod enim species prædicetur immediatè, prouenit ex eo, quòd sit quid completum, quia ex eo, quòd est quid completum potest immediatè vniri, cum esse indiuiduali: genus verò, quia est quid incompletum, non potest immediatè vniri, nec immediatè prædicari.

Neque ab aliis rectè assignatur.

III. Fundamentum autem eiusdem sententiæ tantùm probat nostram primā conclusionem. Cum enim à longè conspicimus aliquod indiuiduum animal, & percepta aliqua operatione colligimus esse animal, non discernendo quodnam animal sit, tunc cognoscimus quidem rationem animalis esse immediatè in tali indiuiduo, sed illud esse indiuiduum physicum, quod dicit totam completam naturam, quæ licet non percipiatur secundùm speciem formaliter, percipitur tamen materialiter, quia percipitur secundùm suam entitatē physicam, in qua scit intellectus inuolui aliquam essentiam specificam, licet illam non attingat, eum propter distātiam nullum appareat signum, ex quo illam arguat: & ideò illud indiuiduum est aptum, vt immediatè substernatur prædicato generico animalis, quia substernitur secundùm esse physicum, nō verò secundùm esse formale. Nec valet si dicatur, tunc speciem, qua mediante conuenit indiuiduo, esse animal, non cognosci formaliter; & ideò non tolli, quin prædicatio sit immediata, quia nos non dicimus, illam prædicationem de indiuiduo esse mediatam, sed concedimus esse immediatam. Addimus tamen illi prædicato non substerni indiuiduum formaliter consideratum, sed tantùm secundùm esse physicum, & materiale. Neque propterea necessarium est, vt ratio speciei attingatur secundùm suam propriam formalitatem, sed sufficit, vt intellectus attingat indiuiduum secundùm suam entitatem physicam, quia cum in illa includat esse animalis, potest tali prędicato immediatè substerni: tunc autem deberet attingi formaliter esse speciei, quando prędicatio esset mediata. Hinc patet etiam ad confirmationem. Verum est enim, illud prædicatum posse immediatè prędicari de subiecto, à quo abstrahitur; sed etiam verum est in casu allato, genus animalis abstrahi ab indiuiduo physico, de quo potest immediatè prædicari; non verò ab indiuiduo formaliter sumpto: impossibile enim est, genus immediatè abstrahi ab illo sic considerato, quia si relinquitur in abstractione tantùm esse formale indiuiduale, debet abstrahi totum reliquum esse, in quo inuoluitur etiam esse speciei; & ideò genus solum non potest abstrahi, nisi prius abstrahatur species, deindè à specie abstrahatur genus.

Ad fundamentū eiusdē sententiæ.

IV. Sed neque fundamentum secundæ sententię rectè procedit. Imò falsum est, quod in eo assumitur, scilicet genus prędicari de indiuiduis generis immediatè ad modum speciei, vt quid immediatè contrahibile per indiuidua. Inquiro enim, quid genus importet, quando tali pacto prędicatur, an importet naturam genericam præcisè, an verò totam essentiā speciei. Si importat solam naturā genericā,

Ad fūdamentū secundæ sententiæ.

Genus non potest prædicari ad modum speciei. & nullo modo naturam specificam, quomodo potest prædicari ad modum speciei, aut quomodo potest esse immediatè contrahibilis per indiuidua, cùm sola species immediatè ad illa contrahatur. Si verò importat totam essentiam speciei: ergo quod prædicatur, non est genus, sed species. Et miror, quomodo Ruuius non aduerterit maximam implicantiam, quæ in hoc inuoluitur; quòd scilicet id, quod prædicatur sit genus, & quòd sit immediatè contrahibile ad indiuidua, cùm sit contrà rationem generis contrahi immediatè ad illa, alioquin sequeretur, si esset immediatè contrahibile, quòd non esset diuisibile per differentias essentiales, neque respiceret plura specie diuersa, in quibus posset esse. Deindè genus, quod tunc prædicaretur de indiuiduis immediatè, vt cum dicitur, Petrus est animal, eodem modo significat, & eumdem conceptum importat, ac si prædicaretur de pluribus specie diuersis, & potest de facto prædicari nulla in ipso facta mutatione, & solùm id importat, quod importat, vt abstractum ab omnibus differentijs, tunc autem non se haberet ad modum speciei, neque esset immediatè contrahibile ad indiuidua, sed se haberet ad modũ generis.

An, & quomodo genus requirat plures species. Disp. LVI.

Status quæstionis.

SECTIO I.

I. Definitur genus à Porphyrio, vt vidimus, esse id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid, per quam definitionem innititur, genus requirere plures species, tanquã terminum correlatiuum, in quibus possit esse. Nunc difficultas insurgit, an hoc ita sit essentiale generi, vt implicet saluari genus, si non potest habere plures species, an verò in vnica tantùm specie saluari possit, etiam si impossibile sit, esse in alijs. Rursus, si genus requirit plures species, quomodò illas requirat; an videlicet actu existentes, an verò sufficiat, vt sint possibiles. Denique supposito, quòd sufficiat plures species possibiles, quomodo debeant esse possibiles, an sufficiat potentia logica, an verò requiratur, quòd sint possibiles potentia physica.

II. Atq; hæc sunt præcipua capita huius difficultatis: vndè etiam existunt variæ opiniones, sed antequam eas referamus, declarandum est, quid sit potentia physica, & quid potentia logica. Potentia igitur physica, prout ad præsens negotiũ facit, solet explicari, quòd sit illa, quæ importat rei possibilitatem physicam, seu naturalem: hic enim potentia physica, & logica sumuntur pro potentia passiua, quæ se tenet ex parte obiecti possibilis, vndè nihil aliud dicit, nisi ipsam rei possibilitatem. Dicitur autem illa possibilitas naturalis, quæ est talis in ordine ad causas naturales, & consequenter dicit, quòd res possit esse ex vi causarũ naturalium, naturali modo operantiũ; vnde quærere, an genus requirat species possibiles potentia physica, idem est, ac si quæratur, an requirat tales species, quæ possint existere ex vi causarum naturalium. Hinc autem potentia logica dicet pariter rei intrinsecam possibilitatem, verùm per hoc contradistinguitur à physica, quod nõ respicit causas naturales; sed solùm super naturales, & dicitur logica, quia importat tantùm non repugnantiam rei, seu nõ implicantiam. Vndè quærere, an sufficiant generi species possibiles potentia logica, idem est, ac quærere, an sufficiat, quòd species possint produci à causa sola supernaturali. Potentia Physica, & potentia Logica.

III. Verùm circa hanc duplicem potentiam est aduertendum, quòd non rectè quidam distinguunt inter potentiam Physicam, & Logicam; quòd Physica dicat positiuã rei possibilitatẽ: Logica verò tantùm non repugnantiã negatiuã. Vndè addunt, potentiam physicam dicere quamdam propensionem ad actum; logicã verò merè negatiuè se habere respectu illius. Non, inquam rectè distinguunt, quia etiam, quòd est possibile potẽtia logica, est ali- Potentia logica dicit positiuã possibilitatẽ

aliquid positiuum, cum possit esse effectus causæ positiuæ, & ab illa recipere esse positiuum, dum ponitur in actu; vndè etiam prout est possibile, erit quid positiuum, non quidem actu existens, sed potens existere, quia possibilitas, & existentia variant tantùm statum rei, non verò ipsum esse, nec faciunt, quòd aliquid de positiuo transeat ad negatiuum. Deindè, si quod est possibile solùm potentia logica non esset aliquid positiuè possibile, nihil esset in seipso, quomodo ergo esset possibile? Et sicuti, si quod est possibile potentia logica, poneretur in actu, quoad esse positiuum non differret ab eo, quod esset in actu per potentiam physicam; ita neque si considerentur secundùm statum possibilitatis, ita different inter se, vt vnum sit positiuum, alterum negatiuum. Quòd si possibile potentia logica dicit aliquid positiuum, & eiusdem potentia, seu possibilitas erit positiua, cùm non sit aliquid superadditum rei possibili, sed ipsa res, cùm vnumquodque secundùm suum esse intrinsecum sit possibile; sicut etiam possibilia potentia physica habent suam possibilitatem sibi identificatam, quæ non distinguitur ab ipsorum esse.

IV. Rursus nec video, quomodo rectè dicatur, quòd possibilia potentia physica inclinent ad actum essendi; possibilia verò potentia logica non inclinēt, sed negatiuè se habeant. Si enim considerentur possibilia potentia physica nihil aliud dicunt, nisi sua prædicata quidditatiua, seu suam essentiam, quam possunt participare, & connotant causam, in qua virtualiter contineantur, & à qua possint accipere suum esse; vndè si hæc inclinatio se teneat ex parte obiecti, nihil aliud potest dicere, nisi ipsum esse rei possibilis, cum nihil aliud ex parte obiecti interueniat. At totum hoc reperitur in possibilibus potentia logica, quoniam ipsa quoque ex parte obiecti dicunt positiuum esse possibile, quod ab intrinseco suo est possibile, vndè etiam ab intrinseco ordinantur ad actualem existentiam, non secus ac ordinatur, quod est possibile potentia physica; si igitur possibilia potentia physica dicunt inclinationem, etiam illam dicent possibilia potentia logica. Deinde hæc quoque potentia logica connotat causam positiuam, in cuius virtute hæc possibilia contineantur, à qua possint recipere

Inclinatio ad essendū nō debet tribui potētiæ physicæ, nisi etiam tribuatur logicæ.

esse; quare nullum est discrimen, propter quod dicatur, aliqua positiuè esse possibilia, & habere inclinationem ad essendum, aliqua verò esse possibilia tantùm negatiuè, & non habere hanc inclinationem. Sed solùm in eo differunt Potentia Physica, & Logica, quòd physica respiciet causam naturalem, logica verò supernaturalem, vt diximus.

SECTIO II.

Aliorum opiniones.

I. His igitur præmissis, prima opinio sentit, quòd ad saluandam rationem generis non requirantur necessariò plures species, siue actu existentes, siue tantùm possibiles; sed sufficiat vnica species, in qua genus reperiatur. Hanc opinionem refert Auersa infra citandus. Si autem obijcias; quòd Porphyr. definiuit genus per ordinem ad plures species, Respondetur, quòd definiuit genus, prout regulariter reperitur, quia regulariter loquendo habet plures species, non verò prout est, saluata tamen eiusdem natura. Atque huius sententiæ fundamentum videtur sumi ex eo, quòd generi sufficit, vt veniat in compositionem speciei, tanquam pars metaphysica materialis, hoc autem potest habere, etiam si non possit esse in pluribus speciebus, sed in vna tantùm, quia adhuc in illa saluabitur, vt sit ars materialis speciei. Fauent huic sententiæ Caiet. in Logica cap. de specie. In ente, & essent. cap. 4. pluribus in locis, & 1. par. quæst. 13. artic. 9. §. *Aduerte, &c.* Ferrar. 2. contra Gent. cap. 73. §. *Ad secundum, &c.* dum concedunt posse dari aliquod vniuersale, licet non possit esse in pluribus.

1. opinio. Generi sufficere vnicā speciem.

II. Altera autem sententia est omnino huic opposita, & asserit genus nedum requirere plures species, sed etiam debere esse in actu, nec sufficere, quòd sint possibiles, aut quòd vna existat, & cœteræ fieri possint. Ita sentiunt grauissimi Auctores, Boet. lib. de diuisionib. Alexand. lib. 1. Natur. quæst. cap. 11. D. Tho. 1. posterior. cap. 5. lect. 12. & in 1. distinct. 19. quæst. 4. artic. 2. Soto in Logica quæst. de specie, Tolet. ibid. in resp. ad 3. Fonseca 5. Metaphys. cap. 28. quæst. 15. sect. 3. Flandria lib. 1. de Demonstrat. quæst. 17. artic. 2. Venet.

2. opinio. Requirere plures species actu. Boet. Alex. D. Th. Soto. Tolet. Fonseca. Flandria. Venet.

Niger. Arist.

cap. de specie. Niger quæst. 4. sui Clypei, & complures alij, præsertim ex Thomistis. Et putant hanc sententiam esse Arist. 3. Metaphys. tex. 10. Vbi ait, *Necesse etenim est vniuscuiusque generis differentias & esse, & vnamquamque vnam esse*. Fundamentum huius sententiæ sumunt ex ipsa natura generis, quæ cum de se sit incompleta essentialiter, per differentias, debet perfici, & constitui in diuersis speciebus, non potest autem per vnicam differentiam habere suam adæquatam perfectionem, & ideo hinc fit, vt actu requirat plures species. Præterea non possunt differentiæ aduenire generi, nisi illud diuidant, quòd si diuiditur, ponitur, etiam in pluribus speciebus; non enim potest intelligi diuisio generis, nisi fiat per diuersas differentias, atque adeò nisi ponatur in pluribus speciebus. Tertiò Differentiæ, quæ diuidunt genus, sunt inter se oppositæ; ergo non potest genus reperiri cum vna differentia, nisi etiam reperiatur cum alia, quia existente vno contrario, debet etiam aliud existere, vt docet Arist. 2. de Cœlo tex. 18. Alia quoque argumenta congerunt Auctores huius sententiæ, sed vel nihil probant, vel solùm, quòd genus requirat quidem plures species, non tamen actu existentes.

Tertia opinio. Requirit plures species saltem possibiles. Albert. Magn. Ianel. Scot. Anton. Andreas. Gratia dei. Ruuius. Auersa.

III. Tertia sententia media via procedit, & asserit genus quidem requirere plures species, ita vt si in vna tantùm specie esset, non esset possibile, quòd esset genus. Addit tamen non esse necesse, vt huiusmodi species actu existant sed sufficere, vt sint possibiles. Ita sentit Albert. Magn. tract. 3. prædicabil. cap. 3. quamuis cap. præcedenti videatur in oppositam sententiam inclinare, nimirū debere has plures species esse actu. Præterea Ianel. tract. de prædicab. cap. 2. §. *Secundo dicitur quod prædicatur, &c.* Scot. quæst. 18. Prædicabil. Anton. Andreas. cap. de Genere Gratia Dei ibid. lect. 4. dub. 3. Ruuius in Logica quæst. 4. de specie. Auersa in Logica quæst. 10. sect. 4. qui tamen asserit aliquo pacto verificari posse, quòd genus requirat actu plures species, vt videlicet existat secundùm plures gradus formales essentiales, quos habet ratione differentiarum, & quia magis ad splendorem Vniuerso confert, quod cum pluribus speciebus genus existat. Atque hanc sententiam sequuntur ferè communiter Recentiores.

Verùm adhuc auctores huius sententiæ inter se discrepant, nam quidam volunt sufficere species esse possibiles potentia logica, seu in ordine ad Dei omnipotentiam; vt præsertim Auersa. vt colligitur ex ijs, quæ docet sect. 4. de vniuersali in communi. Alij verò requirunt, vt sint possibiles potentia physica, & in ordine ad causas naturales.

IV. Quòd autem requiratur potentia physica, nec sufficiat Logica probant. Quia genus debet esse aptum ad essendum in multis, non erit autem aptum, nisi habeat potentiam physicam: sicut mortuorum corpora, licèt habeant non repugnantiam, & potentiam logicam ad resurrectionem, non tamen dicuntur habere aptitudinem. Præterea partes compositi physici, quæ faciunt vnum compositum per se, debent esse positiuè, & ex natura sua aptæ ad vnionem, nec sufficit, si habeant non repugnantiam; ergo cum etiam genus constituat vnum compositum metaphysicum simul cum differentia, debet esse positiuè aptum, nec sufficit non repugnantia, non enim materia dicitur apta ad constituenda plura composita per non repugnantiam. Tertiò; quòd genus sit diuisibile per plures differentias conuenit illi ab intrinseco, per quod contradistinguitur à differentijs infimis, quæ sunt omnino indiuisibiles per alias differentias; ergo conuenit per positiuam aptitudinem, & non per non repugnantiam; potentia enim, quæ conuenit ab intrinseco principio, conuenit per positiuam aptitudinem.

Quid in hac re dicendum sit.

SECTIO III.

Prima conclusio. Genus requirit plures species.

Porphyr. Arist.

I. IN hac difficultate hoc mihi planè certissimum videtur, quòd genus requirat plures species, ita vt si natura non possit esse in pluribus speciebus, non possit habere rationem generis. Atque præter communem consensum omnium scholarum cum auctoritate Porphyr. definientis genus per ordinem, ad plures species, & expressè docentis, quòd genus debet prædicari de pluribus speciebus, adest etiam pro hac conclusione auctoritas Arist. qui 4. Topicor. cap. 3. loco 19. inquit. *Quoniam autem omnis generis plures species inspi-*

cien-

cuendum, si non contingit alteram speciem esse dicti generis; Nam si non est, manifestum, quòd non erit genus omnino, quod dictum est. Et cap. 6. loco 61. *Amplius ad construendum, perspiciendum, si de quibus assignatum est genus, in eo quod quid est prædicatur, cum non sit vna assignata species, sed plures, & differentes*. Et rursus pergit, supponendo, quòd genus requirat plures species Atque id etiam colligitur ex loco citato sect. præcedenti nempè 3. Metaph. tex. 10. cum inquit *Necesse etenim est, vniuscuiusque generis differentias, & esse, & vnumquamque vnam esse*. Idque passim in tota philosophia docet.

1. ratio. II. Et prob. hæc conclusio. Genus est quoddam vniuersale; ergo necessariò requirit plures species. Conseq. tenet, quia vniuersale est aptum esse in multis; hæc autem multa, in quibus potest esse, non sunt sola indiuidua, quia tunc non esset genus: debent igitur esse plures species, & consequenter genus ratione vniuersalitatis requirit plures species. Tota difficultas consistit in Antecedenti, quod debet negari ab ijs, qui oppositum sentiunt, nō enim negari potest, genus petere esse in pluribus speciebus, si genus quatenus vniuersale est, consideretur, quia vniuersale requirit inferior proportionata, per quæ immediatè contrahatur; non enim dici potest, sufficere, si sit in pluribus indiuiduis, mediante aliqua differentia, in quo contradistinguatur à specie, quæ est in illis immediatè, quia tunc non conueniret sibi ipsi esse in pluribus inferioribus, sed differentiæ; deindè illa non propriè esset vniuersalitas generica, sed specifica. Cum enim vniuersalitas consistat in quodam ordine naturæ superioris ad inferiora, vniuersalitas specificatur ab inferioribus, in quibus natura potest esse, plura autem indiuidua constituunt vniuersalitatem specificam, non verò genericam. Nihilominus hoc anteced. probatur, nam genus magis abstrahit ab esse indiuiduali, quàm species; ergo si species ex eo, quòd abstrahit ab indiuiduis, acquirit communitatem, qua potest esse in pluribus, etiam illam acquiret genus, imò maiorem, quia hoc habet maiorem abstractionem: vndè si species ex vi abstractionis acquirit, quòd sit communis pluribus indiuiduis, genus acquiret, quòd sit commune pluribus speciebus. Præterea genus necessariò fundatur in aliquo gradu entis cōmunicabili pluribus specie diuersis, omnis enim ratio generica necessariò reducitur ad aliquod ex decē prædicamentis: rursus contrahitur ab aliqua differentia essentiali, quæ simul cum ipsa constituat speciem; ergo debet etiam genus habere aliquam communitatem, non enim ratio communis aduenit rationi incommunicabili. De hac ergo communitate inquiro, an respiciat plura specie diuersa, an verò solo numero. Si respicit plura specie diuersa; ergo requirit plures species, in quibus possit esse. Quòd autem respiciat plura solo numero diuersa, dici non potest, nam tunc esset immediatè contrahibilis ad indiuidua, & se ipso esset genus vnibile cum indiuiduis: rursus differentia non contraheret genus, quia esset æquè commune, ac ipsa. Rursus genus continetur sub vniuersali vt sic, nam potest esse in pluribus per modum superioris in inferioribus; quod autem tali pacto potest esse in pluribus, est vniuersale. Denique omne, quod est, aut vniuersale est, siue commune, aut singulare, & incommunicabile, & quod abstrahit ab indiuiduatione, & singularitate commune est, Genus autem abstrahit à singularitatè, & indiuiduatione, quare negari non potest, quin sit aliquod vniuersale.

Genus vt genus vniuersale magis abstractum, quam species.

III. Secundò declaratur nostra conclusio. Dantur aliqua genera, quæ habent plures species, in quibus multiplicantur, & respectu illarum obtinent rationem vniuersalis determinati: atque hæc ratio vniuersalitatis determinata nō est alia, quàm generica: & huiusmodi naturæ, quatenus ordinantur ad plures species, in quibus reperiri possunt, sunt naturæ genericæ, ita vt participent rationem generis ex eo formaliter, quòd ordinantur ad plures species; ergo quodlibet genus necessariò requirit plures species, in quibus reperiatur. De antecedenti nulla erit difficultas, si fiat inductio per aliqua genera, quæ nobis nota sunt; reperiemus enim, hæc genera, vt v. g. substantiam, corpus, animal, & alia huiusmodi constitui in esse generis per id, quòd possunt esse in pluribus speciebus, & per hoc contradistinguuntur à speciebus, quæ possunt esse solùm in pluribus indiuiduis. Deindè si quis contenderet, non consistere in ratione generis per hoc, quòd possunt esse in pluri- 2. ratio.

Naturæ ex eo, quòd possunt esse in pluribus speciebus, cōstituuntur in esse genericas.

bus

bus speciebus, quæro, quid conferat, & quam formalitatem tribuat hoc posse esse in pluribus speciebus. Certè importat formaliter aliquam rationem vniuersalitatis determinatam; quænam igitur ratio vniuersalitatis erit huiusmodi? certè cum non sit vniuersalitas specifica, non alia esse poterit, quàm generica. Prætereà species ex eo formaliter, quòd potest esse in pluribus indiuiduis, acquirit rationem talis vniuersalitatis, per quam constituitur in esse speciei; ergò etiam genus ex eo, quòd potest esse in pluribus speciebus, acquirit talem vniuersalitatem, qua constituitur in esse generis. Sed nimis euidens est, & vt principium receptum in philosophia naturali, ex eo formaliter, quòd possunt esse in pluribus speciebus, constitui in esse generis.

IV. Restat ergo, vt ostendamus deductionem consequentiæ. Videlicet indè sequi, quodlibet genus requirere plures species, in quibus possit esse; quod facilè fiet, supposito principio certo, & euidenti, scilicet cuiuscunque essentiæ vnam tantùm esse rationem formalem constitutiuam illius, ita vt eadem essentia requirat semper idem constitutiuum, quia cùm constitutiuum se habeat in genere causæ formalis, quale est constitutiuum, tale quoque erit constitutum: & quoniam quælibet variatio in rationibus formalibus mutat omnino essentias, & ex vna facit aliam essentialiter diuersam, hinc fit, vt eadem essentia, & natura requirat semper idem constitutiuũ formale, nec possit haberi talis natura, nisi habeatur tale constitutiuum, & variato constitutiuo varietur quoque constitutum, seu essentia, & natura. Modò si semel in aliquo talis ratio formalis est constitutiua talis naturæ, in quocunque sit talis natura, reperietur necessariò eadem ratio formalis. Hinc sic argumentor. In illis naturis, quæ multiplicari possunt in pluribus speciebus, posse esse in pluribus speciebus est ratio formalis, qua constituuntur in esse generis; ergo non potest natura participare essentiam generis, nisi habeat hanc rationem formalem, nempè posse esse in pluribus speciebus, alioquin si haberetur esse generis sine hac ratione formali, haberetur constitutum sine proprio constitutiuo, seu variaretur constitutiuum, nõ variato constituto, q̃ implicat, vt declarauimus.

Eadem essentia ex eodẽ sẽper cõstitutiuo.

V. Tertiò prob. nostra conclusio ex modo existendi, quem habet genus. Neque enim genus est aliqua natura existens à parte rei, sed solùm existit obiectiuè in intellectu, & importat naturã præcisam, & separatam ab esse, tùm indiuiduali, tùm specifico, ita vt diuersa sit formalitas generis obiectiua, ac formalitas speciei, & indiuidui. Ex hoc autẽ elicitur, Genus requirere plures species, in quibus existat; atque efficacia huius consequentiæ declaratur. Quandò genus importat suam formalitatem contradistinctam à formalitate speciei, & indiuidui, necessariò interuenit distinctio rationis cum fundamento in ipsis obiectis realibus, ratione cuius interueniat virtualis distinctio: hoc autem fundamentum nullum aliud esse potest, nisi quòd natura generica existat in diuersis speciebus contracta per diuersas differentias; quod sic ostenditur. Intellectus, dum abstrahit genus, habet tale fundamentum, vt cognoscat rationem obiectiuam generis esse diuersam à ratione differentiali, & se habere, tanquam potentiam, cui adueniat differentia, tanquam actus. Si autem genus esset in vnica tantùm specie, non haberet intellectus fundamentum distinguendi has duas formalitates contrahibilis, & contractiui; nec percipere posset, quænam esset contrahibilis, & quænam contractiua, vt contingit in rationibus differentialibus, in quibus etiam si possit intellectus distinguere diuersas rationes inadæquatas, vel in ordine ad diuersas operationes, vel ad aliquid aliud, non tamen distinguere potest contrahibile, & contractiuum. Sic igitur, si genus esset in vnica tantùm specie, non posset intellectus ponere debitam distinctionem inter ipsum, & differentiam, sed illud quoque conciperet ad modum differentiæ, nec posset assignare rationem contrahibilis, & contractiui.

Nisi genus esset in pluribus speciebus, nõ posset intellectus inter ipsum, & differẽtiã distinguere.

VI. Video, posse aliquem respondere, Ideò nos non posse distinguere genus à differentia, nisi videamus reperiri in pluribus speciebus, quia cognoscimus tantùm ex discursu rerum essentias, non verò per propriam speciem. Non hinc tamen fieri, quòd genus requirat esse in pluribus speciebus, sed posse esse in vna tantùm, & tunc alius intellectus, qui cognosceret res per proprias species posset cognoscere genus absque eo, quod

Reijcitur responsio

illud

illud cognosceret ordinari ad plures species. Attamen hæc responsio non enervat vim argumenti. Nam cum genus non sit tale à parte rei, sed tantùm existat obiectiuè in intellectu, adhuc verum est in intellectu humano pro hoc statu non posse habere esse, nisi sit in pluribus speciebus à parte rei, quia hoc supponitur tamquam fundamentum illius distinctionis, qua mediante, acquirit esse formale in intellectu. Deindè etiam respectu cuiuscunque intellectus, supposito pro nunc, quòd possit fieri vniversale ab aliquo alio intellectu, præter humanum, de quo nunc non disputamus; semper debet interuenire distinctio rationis, siue sit cognitio intuitiua, siue abstractiua, neque enim genus potest formali modo habere suum esse, nisi sit quid præcisum ab omni differentia, atque huiusmodi distinctio debet esse cum tali fundamento in re, vt intellectus concipiat genus ad modum contrahibilis; differentiam verò ad modum contractiui: Quodnam igitur erit hoc fundamentum, aut cur potius in genere, quàm in differentia ponet contrahibilitatem? neque enim dici potest, quòd à parte rei illam habeat, quia à parte rei est vna tantùm indiuisa essentia, atque hæc contrahibilitas resultat posita distinctione rationis, & ideò resultat, quia natura generica concipitur communis pluribus speciebus, & ex eo, quòd intellectus illam cognoscit in pluribus speciebus, cōcipit vt contrahibilem.

Genus formaliter est quid distinctum ratione ab inferioribus cum fundamento

VII. Sed vt magis præcedens conclusio confirmetur, ponimus secundam. Implicat natura aliqua, quæ non sit vltima differentia alicuius; sed se habeat ad modum potentiæ metaphysicæ, cui possit aduenire aliqua differentia essentialis, & non sit communis pluribus speciebus, seu implicat, quòd non sit contrahibilis per plures differentias essentiales. Vndè omnis ratio metaphysica essentialis, quæ concurrit ad constituendam aliquā essentiam, aut est vltima differentialis, cui possit tantum aduenire indiuiduatio; aut est communis pluribus speciebus, si videlicet illi potest aduenire aliqua ratio essentialis. Hinc in idem coincidunt, esse partem materialem alicuius essentiæ, aut potentiam metaphysicam, & esse pluribus speciebus communicabile. Sufficit tamen, hanc communicabilitatem posse haberi saltē per Dei potentiam. Hæc autem conclusio habet solùm locum in rebus creatis, vt per se patet, quia in Deo nulla est pars potentialis, aut ad modum materiæ se habens.

Secunda cōclusio. Implicat naturā essentialiter incōpleta, & non pluribus speciebus cōmunicabilis.

VIII. Et possumus pro hac conclusione argumentari. Pars illa potentialis, quæ interueniret ad componendam illam essentiam metaphysicam, esset necessariò communicabilis, ita vt communicaretur alieni speciei, atque si hæc species posset esse in pluribus indiuiduis, ipsa quoque ratione speciei pluribus indiuiduis communicaretur; ergo debet habere communitatem, qua possit pluribus speciebus communicari. Hæc consequentia ex eo declaratur, quòd quotiescunque ponitur in aliquo communitas, debet poni talis communitas, quæ proportionetur cum esse ipsius, ergo cum talis natura potentialis possit ex se communicari alicui differentiæ essentiali, debet in ipsa poni communitas respectu differentiarum essentialium; vndè si semel ponitur in ipsa communitas respectu differentiæ alicuius, debet etiam poni respectu aliarum, alioquin non esset communicaa; dum autem communicatur alieni speciei, debet necessariò habere communitatem. Confir. Natura illa potentialis se haberet, vt quid in completum in ratione essentiæ; ergo si habet communitatem, vt sit illi proportionata, debet esse talis, qua communis sit pluribus differentijs, quia debet communitas reddere naturam incommunicabilem proportionato modo, nempe, tanquam partem essentialem incompletam, non potest autem vt talis communicari, nisi communicetur pluribus speciebus.

1. ratio

Communicabilitas proportionatur naturæ.

IX. Posset aliquis respondere. Talem naturam potentialem non esse pluribus communem, sed solùm posse vniri cum vnica differentia, & illi communicari per modum potentiæ, eo pacto, quo materia communicatur formæ. Et sicuti iuxta aliquos in Cœlis datur materia, quæ est solùm vnibilis cum vnica forma, nempè illa, quam habet, ita etiam talis natura esset vnibilis per modùm partis potentialis, cum vnica sola differentia. Sed licèt hæc responsio habeat aliquam apparentiam, falsam tamen doctrinam continet. Et imprimis falsum puto, posse dari materiam physicam, quæ sit vnibilis cum vnica tan-

Responsio

Impugnatur.

tùm

tum forma; quicquid tamen de hoc sit, nam suo loco disputandum erit; alia est ratio de potentia physica, & alia de metaphysica, potentia enim physica est vnibilis cum forma, tanquam entitas quædam ex natura sua potentialis, ita vt intrinsecè includat rationem potentiæ entitatiuæ: pars autem potentialis metaphysica est vnibilis cum differentia, non quia secundùm se sit potentia, sed quia abstrahitur, & separatur à determinatiuo; & ex eo, quòd separatur à determinatiuo, remanet communis, quod sic ostenditur. Nam omne determinatiuum determinat naturam, & facit, quòd sit hæc, vel illa, proportione seruata ad ipsum determinatiuum, vndè determinatiuum indiuiduale facit, vt sit hæc indiuidualiter, determinatiuum verò specificum, vt sit hæc specificè: cùm igitur natura separatur à determinatiuo, remanet indeterminata, & indifferens, neque amplius est hæc, aut illa, ergo remanet etiam communis, quia indifferens, & commune idem sunt. Confirmatur. Determinatiuum naturæ coarctat naturam, & limitat, vt sit hæc: sic quando pars ista potentialis vniretur cum differentia, cum qua potest vniri, fieret hæc natura determinata; ergo præcisò determinatiuo natura remanet communis, alioquin nisi esset communis, non coarctaretur à determinatiuo, vt esset hæc, sed illo præcisò adhuc esset hæc, quod tamen est falsum.

Natura præcisò determinatiuo est communis.

X. Atque rursus contra eamdem responsionem insto. Ratio ista potentialis se haberet, vt fundamentum, in quo fundaretur alia ratio, quæ esset compars eiusdem essentiæ; ergo ratio ista potentialis importaret gradum entis superiorem, & diuersum ab illo, quem importaret altera pars essentiæ; vnus enim gradus entis non fundatur, nisi in superiori, & qui magis accedat ad ens, vt sic, isti enim gradus seruant inter se subordinationem, ita vt vnus tali pacto fundetur in alio, vt qui est fundamentum alterius, magis accedat ad rationem entis, quam ipsum. Si autem pars illa potentialis importat gradum entis, qui magis accedat ad rationem entis vt sic, quàm accedat differentia, quæ in ipsa fundatur, debet etiam esse magis vniuersalis, quia quo magis gradus entis accedit ad ens vt sic, sit

Gradus essentiæ, quo propinquior enti eo vniuersalior.

etiam vniuersalis. Cum enim ens vt sic sit vniuersalissimus gradus, viciniores ipsi sunt etiam vniuersaliores. Quòd si ista pars potentialis est magis vniuersalis, quàm pars, quæ ipsi aduenit, etiam habebit communitatem, quæ sit respectu plurium specierum, quia vniuersalitas idem est, ac communitas, & communitas illius partis potentialis debet esse talis, qua insit pluribus, vt pars potentialis, quod fieri non potest, nisi sit in pluribus speciebus. Rursus quia gradus specificus fundat indiuidualem, gradus specificus ex natura sua est vniuersalior, quàm indiuidualis, quoniam indiuidualis non potest aliquo pacto pluribus communicari, specificus verò potest pluribus indiuiduis communicari. Atque si hic dicatur, dari etiam gradum specificum, qui non potest pluribus communicari, vt putant Thomistæ contingere in angelis, quia hoc modo non est examinandum, sufficit gradum specificum ex natura sua habere, quòd possit pluribus indiuiduis communicari, quod si in aliquo contingit oppositum, id est per accidens, ex eo, vt inquiunt ipsi, quod neque habet materiam, neque dicit ordinem ad ipsam, ergo ex eo etiam, quòd gradus ille potentialis fundat alium gradum essentiæ, debet posse communicari pluribus gradibus essentialibus ex natura sua, atque id illi semper conueniet, cùm nequeat aliquod impedimentum assignari tollens hanc communicabilitatem.

XI. Tertiò insto contrà eamdem responsionem. Vel pars illa materialis essentiæ communicabilis est, vel incommunicabilis, alterum enim ex his debet conuenire, cum sint immediatè opposita. Si est cõmunicabilis pluribus necessariò erit communicabilis pluribus speciebus, nam debet esse communicablis illis, quibus potest inesse; hæc antẽ ratio materialis præcisè cõsiderata potest tantùm pluribus speciebus inesse, vndè illa cõmunicabilitas, qua ex seipsa est immediatè cõmunicabilis, erit respectu pluriũ species; nec dici potest, quod sit incommunicabilis, quia in rationibus metaphysicis, non põt aliqua esse incommunicabilis, nisi participet naturam formalem incõmunicabilitatis, quę si metaphysicè loqui velimus, nulla alia est, nisi indiuiduatio: ideò enim indiuidua habent esse incommunicabile,

Sola indiuiduatio ratio formalis incommunicabilitatis.

quia participant rationem formalem indiuiduationis; cùm igitur natura illa potentialis sit denudata ab omni indiuiduatione, non poterit esse incommunicabilis. Confir. Non potest haberi effectus formalis sine causa formali; ergo nec incommunicabilitas sine ratione formali incommunicabilitatis; sed illa natura potentialis non habet aliquam rationē incommunicabilitatis, quia est denudata ab omni indiuiduatione; ergo nec erit incommunicabilis. Atq; huc spectat illa diuisio, quam tradit Arist. cap. de substant. qua substantia diuiditur in primam, & secūdam, quæ cum adæquata sit, debet hæc natura potētialis sub alterutro membro comprehendi, vel tanquam natura totalis, vel tanquam pars. Certum autem est, non posse comprehendi sub substantia prima, quia hæc continet tantùm indiuidua; erit igitur aliqua substantia secunda; omnis autem substantia secunda est communicabilis.

2. ratio. XII. Secundò principaliter prob. conclusio. Pars ista materialis esset vnibilis cum aliqua differentia essentiali, cū qua constitueret vnum per se, cùm enim non sit natura completa, sed tantùm pars principalis, debet necessariò vniri cum alia comparte, quæ afferat complementū magis determinatum, atque adeò quod determinet illam naturam incompletam ad aliquod esse determinatum, & consequenter faciat, illam differre à quocumq; alio, quod non participat tale esse determinatum; ergò debet huiusmodi pars potentialis esse vnibilis cum pluribus differentijs, ratione quarum ponatur in pluribus speciebus. Hæc autem consecutio declaratur. Pars illa essentialis, quæ vnitur cum hac parte potentiali, se habet ad modum differentiæ, & facit, vt natura, quæ per has partes constituitur, differat ab alia natura, ex eo, quòd affert determinatam essentiam: ex hoc autem sequitur, vt pars illa potentialis debeat supponi in alia specie, quia differentia est talis naturæ, vt limitet, & coarctet rationem, cui aduenit, illam diuidendo: neque enim ratio differentialis adæquat totam latitudinem, & capacitatem rationis potentialis, cui aduenit, & ideò ita limitat, & coarctat ad talem essentiam determinatam, vt etiam relinquat in alia specie. Atque dici potest, quòd non se habeat ad modum rationis differētialis, quia euidens est, seipsa formaliter conferre talem rationem essentiæ determinatæ, & facere, vt sit hæc, & non alia natura, quod soli differentiæ conuenit. Deiode dum hæc ratio facit, naturam, quam constituit, differre, debet facere differre ab alio, à quo alioquin non differret, præcisa hac differentia, quòd enim differt à quo cunque alio, non indiget alia ratione, per quam vlterius differat; ergo debet facere differre ab aliqua natura participāte eam dem rationem potentialem; quicquid enim aliud assignetur, à quo faciat differre, superfluum erit, superaddere illam rationem differentialem, quia natura potētialis ex se ab illo differret: cum differat à quocunque alio, quod non est ipsa. Cōfir. Ratio illa, quæ aduenit rationi potentiali, pertinet ad vltimum constitutiuum rei, cum autem constitutiuum idem sit, ac distinctiuum, erit etiam ratio differentialis talis naturæ: nō potest autem exercere rationem differentiæ, nisi faciat differre ab aliqua alia natura, quæ participet eamdem rationem potentialem, quia talis natura constituta per partem potētialem, & actualem iam ex se differt, vt dictum est, ab omni eo, quod non habet illam partem potentialem.

Natura nō potest contrahi per vnam differentiam, nisi sit per aliam contrahibilis.

XIII. Tertia ratio est. Pars illa potentialis ex se est in potentia, vt cum vna aliqua parte actuali coniungatur, vt per se euidens est, ergo poterit etiam coniungi cum alijs, & mediātibus illis esse in pluribus speciebus. Vis autem huius consequentiæ explicatur. quoniam hæc ratio potentialis non est ex se constituta in vltimo complemento naturæ; alioquin non esset pars potentialis, vnde importabit aliquam rationem vlterius perfectibilem essentialiter intrà eumdem ordinem: quo stante, sequitur, vt sit vna aliqua ratio potens suscipere diuersas perfectiones, & coniungi cum diuersis differentijs, quod sic ostenditur; quoniam intra eumdem ordinem, seu genus erunt possibiles plures rationes perfectiuæ illius potentialis; cum enim diuina essentia sit finitè in infinitum imitabilis, poterunt per participationem haberi plures rationes, quæ perficiant rationem illam potentialem intrà idem genus, vt si ratio ista ponatur esse Viuens, & dicatur, Hoc viuens posse vniri cum vnica tantùm differentia, tunc sic possumus arguere; Diuina essentia est in infinitum imitabilis; ergo possunt excogitari plures rationes viuentis, quæ perficiant vi- 3. ratio.

Natura essentialiter perfectibilis, poterit diuersimode perfici.

viuens vt sic, & consequenter viuens nō erit vnibile cum vnica tantùm differentia. Confir. Saltem possibilis est differentia opposita, seu quæ fundet negationem illius, cum qua dicitur esse pars potentialis vnibilis; ergo pars illa potentialis poterit cum illa vniri, & saltem esse in duplici specie. Quòd autem sit possibilis opposita differentia, constat ex eo, quòd differentia, quæ ponitur possibilis, est limitata; vnde potest habere consortium alterius differentiæ, quæ vel tollet ipsam, vel non tollet; si tollet erit immediatè opposita; si autem non tollet, tunc erunt possibiles plures aliæ intrà eamdem rationem potentialem. Secundò confir. Ratio illa potentialis erit in suo esse indeterminata, cum possit suscipere actum determinatiuum, & se habebit dicens quamdam rationem in suo genere determinabilem intrà tale genus; ergo, quantùm est de se, poterit suscipere quodcunque determinatiuum, quod sit possibile intra tale genus, vnde ex se non erit determinata, quòd sit vnibilis cum vna tantùm differentia: neque enim potest dici, esse possibilem vnam tantùm differentiam, quia si est differentia habens oppositionem, erit possibilis altera opposita, si verò non habet oppositionem erunt possibiles plures differentiæ, quia sufficit, quòd afferant aliquam perfectionem, quam parti potentiali superaddant, quæ multiplex potest excogitari stante infinita imitabilitate diuinæ essentiæ. Verùm omnis differentia debet habere aliquam oppositionem, vt suo loco dicturi sumus.

4. ratio. XIV. Denique sumo essentiam illam, quæ coalescit ex hac parte potentiali, & ex alia actuali, & inquiro, an secundùm hanc partem potentialem conueniat cum aliqua alia natura completa, à qua tamen etiam differat, vel non conueniat. Si primum admittitur, negari non potest, quin pars illa potentialis sit in pluribus speciebus, siquidem reperitur in pluribus naturis, quæ partim inter se differunt, partim conueniunt, vndè & prædicabitur in quid de differentibus essentialiter. Si verò non conuenit cum alijs naturis; ergo tota illa pars potentialis spectat ad vltimum distinctiuum talis naturæ, quam constituit; illud enim spectat ad vltimum constitutiuum cuiuscunque rei, quod illi soli conuenit; hinc autem sequitur, vt non possit esse pars potentialis illius naturæ, nam vltimum constitutiuum cuiuscunque rei se habet, vt actus, & differentia talis essentiæ, vnde non potest esse pars potentialis eiusdem.

Pars potentialis est actu ratio conuenit tia cum alijs naturis.

Genus non requirere plures species actu.

SECTIO IV.

I. Vidimus hucusque, genus necessariò requirere plures species, in quibus possit esse; nunc pro resolutione alterius puncti difficultatis, ponimus tertiam conclusionē. Non esse necesse, has species actu existere, sed sufficere, quòd sint possibiles. Requiritur tamen, vt cognoscātur ab intellectu, in quo genus obiectiuè existit. Addimus hanc vltimam partem conclusionis, quia genus est quoddam vniuersale abstractum ab inferioribus, quia autem hæc abstractio fit cum fundamento, & fundamentum in eo consistit, vt intellectus cognoscat naturam communem pluribus, seu esse in pluribus speciebus, ex quo sumit motiuū fingendi illam distinctionē, ideò debet intellectus abstrahens genus ab inferioribus, cognoscere plures species, in quibus tale genus reperiatur, vt habere possit fundamentum talis abstractionis. Hinc fit, vt per accidens genus requirat plures species actu existentes, quia intellectus noster percipit tantùm existentia; per se tamen, vt diximus in conclusione, non requirit illas existentes, quia adhuc si intellectus cognosceret aliquam naturam cōmunem pluribus speciebus possibilibus, adhuc illa natura esset generica, & posset tanquā genus obiectiuè esse in intellectu.

Tertia cōclusio. Genus nō requirit plures species actu existentes.

II. Atq; hæc conclusio ex eo euidenter ostendi potest, quòd præcisa existentia specierū, potest haberi tota ratio quidditatiua generis sumpti, nedum primò intētionaliter, sed etiā secundò intentionaliter; ergo non est necesse, vt genus habeat species actu existentes, vt obiectiuè existat in intellectu. Antecedens declaratur, nam genus primò intentionaliter sumptum dicit tantùm naturam cōmunicabilē pluribus speciebus, quæ importat tantùm prædicata quidditatiua alicuius naturę; hęc autē prædicata quidditatiua saluantur etiam in possibilibus, species enim possibiles dicunt eamdem essentiam, quam dicerent, si actu existerent, & 1. ratio.

In possibilibus reperitur natura generica.

consequenter dicunt eamdem naturam genericam, quam dicerent, si actu existerent: & sicuti saluatur essentia cuiuscunque possibilis præcisa existentia, ita etiam saluatur essentia generis, quæ in possibilibus reperitur. Si verò loquamur de genere secundò intentionaliter sumpto, licèt hoc non pertineat ad metaphysicum, verum tamen est, quòd non requirat species actu existentes, quia dependet tantùm ab intellectu concipiente naturam pluribus speciebus communem, & in ea fingente genereitatem, quod præstare potest, etiam si species actu non existant. Solùm dici posset, Genereitatem esse quandam relationem fictam ad modum prædicamentalis, & idcircò requirere species actu existentes. Verùm non est relatio realis, & ideò neq; requirit terminum realiter existentem: sed sicuti habet esse tantùm in intellectu, ita sufficit, terminum esse obiectiuè in intellectu.

III. Immò hinc elicitur confirmatio pro nostra sententia. Ex duplici enim capite excogitari potest, genus requirere species actu existentes, vel quia debeat in illis actu existere, vel quia debeant species esse actualis terminus ipsius generis. Primum non potest dici, quia si loquimur de genere, vt est quoddam vniuersale metaphysicum, nedum debet reperiri in speciebus, sed debet esse ab ipsis præcisum. Si verò loquimur de natura generica physicè considerata, prout est fundamentum vniuersalis metaphysici, debet quidem reperiri in pluribus speciebus, non tamen est necesse, species actu existere, sed sufficit, quòd ab intellectu cognoscantur: at hoc simpliciter fieri potest, etiam si actu non existant, sed merè sint possibiles. Sed neq. ex alio capite inferri potest, requiri species actu existentes, nam relatiua non requirunt maiorem actualitatem in terminis, quam habeant ipsa, quare cum genus existat solum obiectiuè in intellectu, ad summum requiret in termino obiectiuam existentiam. Accedit, quòd genus, si metaphysicè consideretur, dicit tantùm ordinem transcendentalem ad speciem, qui non requirit existentiam in termino.

Species non debent existere, vt in illis genus existat, neq. vt terminent ipsius ordinem.

2. ratio.

IV. Secundò principaliter argumentor. Quòd species actu existant, non est necessarium ad genus, neque vt constitutiuum illius, neque vt conditio requisita; ergo ex nullo capite potest genus requirere existentiam specierum, nulla enim alia causa remanet, vndè oriatur hæc necessitas: si enim genus, præcisa existentia specierum, habet suum constitutiuum, & conditiones requisitas, ad quid vltra requiritur existentia specierum? Antecedens ergo declaratur, & quidem, quòd non sit necessaria existentia specierum, vt constitutiuum generis, euidens est, nam genus est quid essentiale speciebus, non autem existentia. Deindè cum genus sit quoddam vniuersale, de suo formali constitutiuo importat tantùm talem aptitudinem, & talem vnitatem, nempè qua sit vnum in pluribus speciebus, in quo, vt patet, nulla inuoluitur ratio existentiæ: Sed neque potest esse necessaria existentia specierum, vt conditio, quia licèt aliqua necessaria sint, vt conditio, aut propter existentiam, aut propter operationem, aut propter aliquid aliud, nunquam tamen requiruntur propter essentiam, nisi etiam, vt conditio, pertineat ad constitutionem talis essentiæ; essentiæ namque rerum dicunt sua pura constitutiua, & nihil aliud. Cum igitur possit haberi adæquata essentia generis absque eo, quòd species existant, neque enim, vt concipiatur natura potens esse in pluribus speciebus, necesse est, concipere existentiam specierum; concludendum est, genus ex nullo capite requirere species actu existentes.

Genus neque vt constitutiuū, neq. vt conditionē requirit existentiam specierū.

Essentiæ nō requirunt aliquid, vt conditionem.

3. ratio.

V. Tertia ratio principalis est, quia essentiæ rerum sunt omninò independētes ab existentia, vtpotè quia sunt necessariæ, existentia verò contingens, & illas supponit completè constitutas in suo esse essentiali; vndè prædicatum essentiale, vtpotè necessarium, non dependet ab existentia, seu à contingenti: hinc essentiæ sunt priores actuali existentia, & omninò absolutæ à quacunque dependentia, respectu actualis existentiæ. Genus igitur metaphysicè sumptum dicit aliquid de essentia specierum, nempè partem potentialem præcisam à differentijs inferiorum, & importat prædicatum de essentia specierum; ergo vt tale est, prius est existentia specierum, & absolutum à quacunque dependentia, quam posset habere ab actuali existentia specierum, neque enim necesse est, species actu existere, vt concipi possit ab intellectu.

Existentia specierum supponit genus constitutū in suo esse.

VI. Quar-

4. ratio.

VI. Quartò etiam probatur. Posset Deus eleuare nostrum intellectum ad cognoscendas plures species possibiles, quibus cognitis, posset intellectus ab ijs abstrahere rationem communem, in qua conuenirent: tunc autem haberetur genus obiectiuè in intellectu absq; eo, quòd species actu existerent; ergo genus non requirit species actu existentes. Quòd tunc intellectus posset abstrahere genus, nulla erit difficultas, si consideretur vis precisiua intellectus, tunc enim illæ species haberent suam rationem communem, in qua conuenirent; hæc autem est vis intellectus, vt quoties cognoscit plura in aliqua ratione conuenire, possit abstrahere rationem conuenientiæ. Et potest hæc ratio confirmari. Si plures species actu existant, tunc poterit intellectus ab ipsis abstrahere rationem communem genericam, neque de hoc est aliqua difficultas; abstrahat igitur, & postquam abstraxit, destruat Deus omnes illas species, tunc adhuc genus obiectiuè erit in intellectu, qui illud abstraxit, ex vi facultatis recordatiuæ; habet enim intellectus ex vi huius facultatis, vt possit habere conceptum illorum, quæ alias intellexit, etiam si desierint esse: quare cum genus metaphysicè consideratum, tantùm obiectiuè existat in intellectu, tunc genus habebit suum esse, absque eo, quòd species actu sint.

Genus abstrahi potest à speciebus possibilibus.

5. ratio.

VII. Denique in confirmationem huius conclusionis addere possumus. Vniuersale vt sic non requirere inferiora actu existentia; atque etiam scientia, quæ versatur circa vniuersalia, non requirit existentiam sui obiecti, atque adeò nec inferiora illius vniuersalis, quod considerat, actu existere. Cùm igitur saluetur ratio vniuersalis vt sic, & etiam talis vniuersalis, absque eo, quòd eorumdem inferiora existant, cur genus requiret species actu existentes? imò cum scientiæ versentur circa obiecta, vt plurimum genericè sumpta, nec requirant, quòd actu existant in suis inferioribus, concludendum est, quòd genus non requirat species actu existentes: quia tunc haberetur ratio obiecti generici absque eo, quòd existant eiusdem inferiora.

Vniuersale non requirit inferiora actu existentia.

Quarta conclusio.

Sufficit species generis esse possibiles potentia logica.

VIII. An autem hæ species debeant esse possibiles potentia physica, an verò logica, pro resolutione huius puncti ponimus quartam conclusionem. Ad genus sufficiunt species possibiles potentia logica, modo supra explicato. Vbi tamen est aduertendum, quòd si quis fortè per potentiam logicam intelligeret aliquam aptitudinem naturæ confictam ab intellectu, quæ sit ens rationis, & adfigatur alicui naturæ, quæ de se non possit esse in pluribus, vt ponunt Caiet. 1. par. quæst. 13. §. *Aduerte hic*, &c. & Ferrar. 2. contra Gent. cap. 73. §. *Ad secundum*, &c. quos etiam supra citauimus, in naturis angelicis respectu indiuiduorum. Volunt enim, naturam cuiuslibet angeli non posse esse in pluribus indiuiduis, posse tamen intellectus abstrahere illam ab indiuiduatione, & fingere in ipsa aptitudinem, qua possit poni in pluribus. Si inquam, nomine potentiæ logicæ, intelligatur hæc aptitudo ficta ab intellectu, ita vt natura non connotet potentiam aliquam actiuam, à qua poni possit in pluribus, tunc quidem fatendum est, non sufficere potentiã logicam ad constituendum genus. Si tamen natura connotet aliquam potentiam actiuam, licèt supernaturalem, a qua poni possit in pluribus, quocumque modo se habeat, tunc dicimus, sufficere potentiam logicam, & in hoc sensu procedit conclusio.

1. ratio.

IX. Et potest probari. Vniuersali vt sic sufficit, vt possit esse in pluribus, potentia logica, & in ordine ad quamlibet potentiam actiuam, vt suo loco dicemus; ergo etiam tali vniuersali, nempè generi sufficit sua inferiora esse possibilia potentia logica, & in ordine ad quamlibet causam actiuam. Conseq. tenet à paritate rationis, seruata proportione, quia vniuersale vt sic non differt à tali vniuersali, nisi quia respicit inferiora vt sic, & tale vniuersale talia inferiora specie, vel numero diuersa; non autem differt, quia in illis requirat maiorem, aut minorem possibilitatem. Et militat eadem ratio, quia si adest potentia actiua, potens ponere naturam genericam in pluribus speciebus, verè illa natura poterit esse in pluribus speciebus, atque cum potentia actiua supponat intrinsecam possibilitatem in obiecto, debet etiam supponi, talem naturam ab intrinseco posse esse in pluribus speciebus, alioquin neque posset poni: quocumque autem modo possit esse, parum refert, quia semper erit in pluribus.

Ad genus sufficit, quod per aliquam potentiã actiuam possit esse in pluribus speciebus.

2. ratio. X. Secundò possumus argumentari destruendo fundamentum oppositæ sententiæ: Ideò enim, inquiunt illius Auctores, non sufficit potentia logica, quia per hanc genus non redditur aptum ad essendum in pluribus speciebus, sed solùm habet non repugnantiam, sed reuera constituitur aptum; ergo sufficit potentia logica. Min. declaratur. Quia tota aptitudo generis ad essendum in pluribus speciebus, & cuiuslibet vniuersalis in suis inferioribus fundatur in identitate eiusdem cum illis; qua supposita, si natura ab inferioribus abstrahatur, ex vi illius identitatis natura remanet apta; sed eodem modo natura, quæ est possibilis in pluribus potentia Logica, identificatur cum suis inferioribus, sicuti natura, quæ est possibilis potentia physica; ergo si abstrahatur, eodem modo remanebit apta. Confir. Natura, quæ est possibilis in pluribus potentia Logica, est possibilis in illis, vt aliquid positiuum per positiuam identificationem; ergo si consideretur, vt abstracta, poterit per potentiam positiuam esse in pluribus, actus enim positiuus supponit aptitudinem, & potentiam positiuam, cum debeat illi proportionari; & consequenter natura illa erit apta, cum non alia ratione illi negetur aptitudo, nisi quia non esset possibilis in pluribus per potentiam positiuam, sed solùm per non repugnantiam.

Potentia logica naturæ ad essendũ in pluribus stat cum aptitudine.

3. ratio. XI. Rursus prob. eadem conclusio. Posita potentia actiua, à qua natura illa, quæ habet sua inferiora possibilia potentia logica, potest poni in illis, sequitur huiusmodi naturam verè, & positiuè posse esse in illis; ergo ad genus constituendum sufficit, quòd habet species possibiles potentia logica. Antecedens videtur notum ex ipsis terminis; quia adest potẽtia actiua potens habere suum actum; & si potentia actiua potest aliquid facere, illud quoque fieri potest, implicat enim, quòd non possit aliquid fieri, & adsit potentia actiua, vt patet in impossibilibus, quia enim hæc non possunt fieri, vt chymera, neque in Deo est potentia actiua ad illa facienda, licet sit omnipotens. Rursus si non potest haberi actus illius, quod est possibile potentia logica, nunquam illud fieri posset, vndè nec mortui possent resurgere, cum per auctores illius sententiæ habeant tantùm potentiam logicam ad reuiuiscendum. Maneat ergo, quòd natura, quæ habet tantùm potentiam logicam ad essendum in pluribus, possit actu positiuo esse in illis. Hinc consequentia prob. nam ad formale constitutiuum generis nihil aliud requiritur, nisi vt sit natura quædam potens esse in pluribus speciebus. Vndè hinc elicitur confirmatio eiusdem rationis. Posita natura in pluribus speciebus positiuè, potest de illis prædicari in quid; ergo cum genus sit illud, quod potest prædicari de pluribus speciebus in quid, verè natura illa constituet genus.

Natura, quæ possibilis est potentia logica, verè poni potest in pluribus, & cõstituit genus.

XII. Verùm pro complemento huius doctrinæ aduertendum est, quòd licet ex vi suæ essentiæ genus non requirat plures species actu existentes; vt tamen existat vt genus, & vt vniuersale physicum; debent etiam plures species existere. Et ratio in promptu est, quia debet habere suum actum proportionatum, quem non habet in vnica specie. Imò addo, quòd ad hoc, vt genus existat cum suo actu adæquato requirit in actu omnes suas species possibiles, & si aliqua non existet, non erit in actu secundùm totam suam adæquationem. Atque in hoc sensu locutus est Alexander, quando lib. 2. Natur.quæst. cap. 11. dixit, genus requirere plures species actu, scilicet vt existat tanquam genus. Ibi enim intendit declarare, quomodo verum sit, quòd ait Arist. 1. de Anima tex. 8. Vniuersale, aut nihil esse: aut posterius esse; & inquit, quòd aut nihil est, quia propriè vt tale non existit; cum sit præcisum ab indiuiduis, aut si est aliquid, posterius est, hoc est secundùm subsistendi consequentiam ipsis singularibus, & ad hoc propositum ait, *Quòd autem sit hoc vt posterius, clarum: dum enim est animal, non necesse est animal vt genus esse; potest enim ex suppositione etiam vnum aliquod animal esse, quoniam non in eius substantia ipsum vniuersale. Sed si sit animal, vt genus, necesse est, & animal esse, & sublata quidem substantia animata sensitiua, nec vtique animal erit vt genus, impossibile enim est, quòd non est, esse in pluribus. Si tamen sublatum fuerit animal vt genus, non necesse est, & substantiam animatam sensitiuam sublatam iri, potest enim in vno esse, vt dixi.* Hæc Alexander.

Quomodo genus requirat plures species actu.

Alex. Arist.

Quomodo vniuersale sit posterius singularibus.

XIII. Atque etiam D. Th. quando 1. Poster. lect. 12. ait, genus requirere plu-

plures species, non intelligit, quòd sint actu existentes; sed solùm quia sint in rerum natura, nempè possibiles; ait enim. *Vel potest dici, quòd non est possibile inuenire aliquod genus, cuius vna tantum fit species; Genus enim diuiditur in species per oppositas differentias, oportet autem si vnum contrarium inuenitur in natura, & reliquum inueniri. vt patet per philosophū in 2. de Cœlo, & Mundo: & ideo si vna species inuenitur, inuenitur & alia.* Ex quibus patet, non loqui de existentia actuali, sed tantùm debere reperiri plures species, an autem actu existant, an verò sint tantùm possibiles, parum refert. In distinct. autem 19. lib. 1. sentent. quæst. 4. artic. 2. in corpore, docet, Vniuersale requirere plura inferiora, vel actu, vel potentia, & quòd genus habet semper plures species actu.

Verùm in hac doctrina, cauenda est æquiuocatio. Quando enim dicit Genus debere habere actu plures differentias, seu species, ly *Actu* non importat existentiam, quasi illæ species debeant existere. Sed ly *Actu* cadit supra pluralitatem, & sensus est, Genus debere habere species, quæ actu sint plures, ex eo videlicet, quòd diuiditur per differentias essentiales, & oppositas, quæ non possunt simul communicare, & ideò ponut actualem pluralitatem, quæ semper actualis est, siue species actu existant, siue sint possibiles. Atque hunc esse verum sensum, colligitur ibidem, quia subdit solùm in speciebus posse contingere, vt aliqua respiciat plura inferiora tantùm in potentia, actu verò non habeat pluralitatem illorum, quia videlicet tota materia illius formæ fit actu in vno indiuiduo: atque ponit exemplum de Sole.

Aliarum sententiarum fundamenta dissoluuntur.

SECTIO V.

Ad funda-mentum primæ sententiæ. I. Circà fundamentum primæ sententię nihil occurrit dicendum; pręter ea, quę in præcedentibus tetigimus; ne tamen firmum relinquere videamur, dicimus, Generi quidem conuenire esse partem materialem speciei, sed simul quoque requirere, vt possit esse in pluribus speciebus. Imò, vt abundè probatum fuit, eo ipso, quòd aliqua ratio est pars materialis alicuius essentiæ, etiam habet, vt possit constituere diuersas species componendo, cum pluribus differentijs. Quare, licet, quando est in vna specie, adæquatè genus intelligatur, tanquam pars materialis, quia se totum in illa exercet, vt pars materialis: quia tamen etiam cum hac parte materiali stat indifferentia, quæ est necessariò imbibita in ipsa, ideò non potest esse materialis pars, nisi possit esse in pluribus speciebus. Esse partē materialem, esse posse esse in pluribus.

II. Ad primum autem pro secunda sententia concedendum est, Debere genus perfici per plures differentias, cum diuisione tamen, atque adeò respicere plures species, actu quidem plures; non verò actu existentes. Qualis enim est hæc consequentia, Genus debet perfici per plures differentias: ergo requirit plures species actu existentes? quæ enim connexio est inter exigentiam plurium specierum, & earumdem existentiam? an non potest genus habere plures species, etiam si actu non existant? sic eadem portio materiæ perfici potest per plures formas, & habet ex natura sua, quòd possit perfici, ita vt si non posset perfici, neque esset talis natura, & tamen quis dicat debere illas formas actu existere? imò si argumentum aliquam vim haberet, inferret, quòd omnes species deberent actu existere, quia per omnium differentias genus est actu perfectibile, vndè cum existat genus substantiæ, & accidentis, sequeretur debere existere omnes species, tùm substantiæ, tùm accidentis: atque cum possibilia, vel substantiæ sint, vel accidentia, sequeretur omnia possibilia de facto existere, quod tamen falsum est. Deinque non video, quomodo non possit Deus destruere omnia animalia, conseruando vnam tantùm speciem. Tunc autem quis neget animal conseruaturum omnia sua essentialia, atque adeò posse etiam esse in pluribus speciebus, cum id habeat ex vi suæ essentiæ? cur ergo non erit genus? Eodem modo procedit etiam secunda ratio. Diuiditur quidem genus, quando illi adueniunt differentiæ, & ideò requirit quidem species actu plures, non autem actu existentes: ipsa enim quoque possibilia seruant suam diuisionem, & pluralitatem, quare solùm ex hac diuisione generis facta per differentias inferri potest, genus debere actu esse in plu- Ad primum secundæ sententiæ. Ad secundum.

pluribus speciebus possibilibus, nec requiri, quòd sint existentes; sed concipi poterunt plures species possibiles, quæ inuoluant naturam genericam, tanquam partem materialem constitutiuam ipsarum.

Ad tertiã

III. Tertia etiam ratio soluenda est negando, quòd posito vno contrario in actu existentiæ debeat poni alterum existens, vt contendit argumentum, sed sufficit posito vno contrario, dari, & alterum in rerum natura, siue possibile, siue existens. Quia hoc est de ratione contrarietatis, vt requirat plura extrema, & ideò posita contrarietate debent poni extrema contraria, & posito vno contrario debet poni, & alterum, contrarium enim est alicui contrarium. Atque hic est sensus illius tex. 18. lib. 2. de Cœlo. Solùm enim ibi cõtendit Arist. posito vno contrario debere poni, & alterum. Verùm hic est aduertendum, quòd Arist. ibi posteà infert existentiam alterius contrarij, non ex vi contrarietatis, sed ex subiecta materia, cui applicauit contrarietatem; applicauit enim terræ, & igni, tanquam partibus vniuersi. (quomodo autem ignis sit pars vniuersi, & quid dicat, vt talis est, nunc non inquirimus, & aliò explicationem remittimus) Quia autem putauit vniuersum habere necessariam existentiam, & consequenter etiam partes ipsius, ideò hoc posito, & supposito, quòd dato vno contrario, detur, & alterum, sequitur debere existere ignem, si terra existit; ignem quidem ex vi contrarietatis, existentem autem ex necessaria existentia vniuersi. Deindè quis secundùm nostram fidem dicat, Deum destruere non posse vnum contrarium, vt humiditatem, altero conseruato, certè nedum apparet aliqua implicantia; sed supposita sana doctrina implicat contrarium asserere.

Quomodo posito vno contrario, detur, & alterum.

Arist. il lustratur.

Ad rationes pro tertia sententia.

IV. Ad rationes autem tertiæ sententiæ; quæ probant genus non esse aptum ad essendum in pluribus, nisi hæc plura possibilia sint potentia physica; si per aptitudinẽ intelligitur aliquid possibile per naturales causas, ita vt vniuersale sit naturaliter aptum ad essendum in pluribus, negamus vniuersale exigere esse in pluribus secundùm hanc aptitudinem. Si autem per hanc aptitudinem intelligatur possibilitas rei intrinseca; tunc quidem concedimus, vniuersale exigere hanc aptitudinem; verùm sufficit potentia logica, vt saluetur talis potentia, quia hæc quoque importat intrinsecam rei possibilitatem; implicat enim, aliquid esse possibile, & non inuoluere intrinsecam possibilitatẽ, qua possibile sit, quia possibilitas obiecti necessariò supponitur à potentia actiua, qua mediante reduci potest ad actum. Vndè hanc aptitudinem, & possibilitatem habent quoque mortuorum corpora ad resurrectionem. Hinc ad secundùm dicimus, quòd stante hac potentia logica, genus ab intrinseco suo est aptum, vt veniat in compositionem metaphysicam simul cum differentia pro constituenda specie, quod satis ex eo patet, quòd est identificabile cum differentia. Atque etiam soluta manet tertia ratio. Non enim negamus, genus ab intrinseco, & positiuè esse diuisibile per oppositas differentias, sed dicimus id saluari, posita sola potentia logica; quia, vt adnotauimus sect. 1. hæc non est quid negatiuum, sed possibilitas positiua in ordine ad causam supernaturalem.

De diuisione Generis.
Disp. LVII.

Quædam generis diuisiones.

SECTIO I.

I. Cum genus sit illud, quod inest pluribus speciebus, & de illis prædicatur, ita vt importet aliquam communem naturam; iuxtà diuersas naturas, quibus conuenit in esse, nonnullæ generis diuisionis assignantur. Et primò quidem diuiditur in Genus supremũ, seu generalissimum importans primam partem potentialem, quæ veniat in compositionem metaphysicam cum aliqua alia ratione determinata, seu differentia, ita tamen vt sit extrà ipsam differẽtiam, &

Genus aliud supremum aliud subalternũ, & quid vtrumque sit.

& differentia extrà rationem genericam, vt infra suo loco ostendemus. Genus verò subalternum est illud, quod non est prima pars potentialis, quæ veniat in compositionem, sed habet suprà se aliud genus: Quare hoc est discrimen inter hæc duo genera, quòd supremum est pura pars potentialis, excludens à se omnem veram, & propriam compositionem metaphysicam, quæ fiat ex genere, & differentia. Genus verò subalternum non excludit à se hanc compositionem, sed dicit aliquid completum ex genere, & differentia, ita tamen, vt sit adhuc perfectibile per alias differentias, quæ ipsi adueniant. Hinc duplex ordo in genere subalterno considerari potest, alter, quem habet, prout est perfectibile per vlteriores differentias, & secundùm hunc comparatur ad sua inferiora, & obtinet rationem generis, quatenus hæc inferiora sunt inter se essentialiter diuersa, alter verò ordo est ad genus, ex quo, tanquam ex parte potentiali constat, & secundùm hanc rationem non est genus, sed species, quia importat aliquid, quod componitur ex genere, & differentia, & quod sub genere ponitur, tanquam aliquod membrum diuidens genus superius, vt contingit quando substantia diuiditur in corpoream, & incorpoream; tunc enim substantia corporea est genus subalternum, si comparetur ad ea, quæ ipsi subijciuntur, seu quatenus est aliquid diuisibile, & perfectibile per vlteriores differentias: est verò species, si comparetur ad substantiam vt sic, quia constat ex ipsa, tanquam ex parte potentiali, & superaddit, tanquam differentiā, rationem corporei.

Duplex ordo in genere subalterno.

II. Sed hic dubitare aliquis posset. An de ratione generis supremi sit, vt non habeat suprà se aliud genus; an verò substerni possit alicui generi superiori. Pro cuius difficultatis solutione. Dicendum est, quòd si secundùm rem loqui velimus; certum est, Genus supremum posse quidem habere supra se aliquam rationem transcendentalem, vt est ratio entis; non tamen habere potest suprà se aliquid, quod sit propriè genus, neque enim rationes transcendentales sunt genus, cum intrinsecè imbibantur in differentijs, quod est contrà rationem generis, vt dicemus infrà; & ratio facilis est, quia si est supremum genus, non potest habere aliud genus suprà se, alioquin esset species illius generis, quod suprà se haberet. Aliud tamen est loqui de assignatione supremorum generum, quia in hac, vel propter facilitatem doctrinæ, vel alia de causa, poterunt pro supremis assignari, quæ non sint simpliciter suprema, sed solùm in aliquo ordine, & intra aliquam latitudinem graduum essentialium, vt sunt gradus abstractionis primi ordinis, de quibus supra dicebamus, posse intellectum suprà ipsos reflectere, & abstrahere adhuc aliquid omnibus commune, etiam supremo generi illius abstractionis.

An genus supremum habeat supra se aliud genus.

III. Genus autem supremum etiam multiplex est, & subdiuiditur in varias naturas, quæ adhuc suprema genera sunt; sicuti enim diuisio generis vt sic in summum, & subalternum, prouenit ex diuersis gradibus entis, quorum alij se habent, vt puræ partes potentiales, alij verò ita se habent, vt partes potentiales, vt etiam sint actus respectu alterius partis potentialis: ita etiam cum reperiantur diuersi gradus entis, qui se habent vt primæ partes potentiales in compositione metaphysica, nec in se includunt aliquam aliam huiusmodi compositionem, nempè ex genere, & differentia, debent constituere plura genera summa. Hæc autem decem communiter solent assignari, scilicet substantia cum reliquis prædicamentis. Verùm quia in hac diuisione non diuiditur genus secundùm rationem generis; sed secundùm diuersos gradus entis, non est cur illam expendamus modò, posset enim dubitari, quomodo se habeat, an sit immediata, quæ requirunt longiorem tractationem.

Genus summum multiplex esse secundùm diuersos gradus entis.

IV. Genus quoque subalternum subdiuidi solet in infimum, & intermedium. Differunt inter se hæc duo genera, quia genus infimum ita est pars potentialis, vt non habeat sub se aliud genus, sed tantùm sit perfectibile per differentias constitutiuas specierum infimarum. Intermedium autem habet adhuc sub se aliud genus; vndè se habet vt perfectibile per alias differentias genericas, sed minus vniuersales, in quo differt, vt dictum est, à genere infimo, & à genere summo differt per id, quòd supra se habet aliud genus.

Diuisio generis subalterni in infimum, & intermedium.

Genus intermedium nõ differt essentialiter à summo.

An autem hoc genus intermedium differat essentialiter ab infimo resoluemus infrà. Solum hic aduertere oportet, quòd in ratione generis non differt essentialiter à genere summo, quia vtrumque respicit plura ita essentialiter diuersa, vt etiam differant genere, cum genus infimum respiciat solùm ea, quæ differunt specie. Quòd autem genus summum sit purè pars potentialis, non verò actus respectu alterius partis potentialis, sicuti conuenit generi intermedio, hoc parum refert, quia esse speciem, quod illi conuenit ex eo, quòd est actus alterius partis, non conuenit generi subalterno, siue intermedio, aut infimo, quatenus genus est; neque est aliqua differẽtia contractiua generis formaliter, sed tantùm materialiter sumpti, hoc est prout importat talem naturam, quæ nedum respicit inferiora, sed etiam habet superius: vndè ex hoc capite genus intermedium, & summum differunt tantùm materialiter essentialiter, quia revera discrimen est in essentia naturæ genericæ, non verò essentialiter formaliter. Quòd autem esse speciem non sit differentia generis formaliter sumpti, ostenditur, nam genus formaliter sumptum ordinatur ad inferiora, vndè cum differentia, quæ aduenit generi, debeat seruare proportionem ad ipsum, sicuti constituit tale genus, ita debet constituere talem ordinem ad inferiora: nam sicuti ordo ad inferiora specie diuersa constituit genus vt sic, ita talis ordo ad inferiora constituet tale genus; quod est valdè aduertendum propter ea, quæ sumus mox dicturi.

Quod cõstituat te genus.

V. Atque hæ sunt diuisiones generis, quæ communiter assignari solent. Et solùm circa hanc vltimam occurrit aduertendum, quòd si attendantur naturæ genericæ secundùm esse, quod important, plura sunt genera intermedia, atque etiam infima, prout sunt diuersæ naturæ genericæ, de quibus non potest tradi certa doctrina, cum sint saltem per Dei potẽtiam in infinitum multiplicabiles. Hoc solum certum est, quòd genera, quæ modò extant, siue intermedia, siue infima, finita sunt, neque enim datur infinitum cathegorematicũ. Alia autem diuisio generis, quam tradit Aversa in Logica quæst. 10. sect. 6. §. *Tertiò præterea, &c.* in genus, quod perfectè præscindit à differentijs, & est extrà illas, ita vt non

Aversa.

sit de ipsarũ conceptu, & in genus, quod non perfectè præscindit, procedit ex supposito, quòd detur tale genus, quòd non sit perfectè extrà differentias, quod infra examinabimus, & falsum esse ostendemus, & ideo hæc distinctio nulla est. Similiter hic est aduertendum, quòd in genere eodem non sunt distinguendæ diuersæ habitudines essentialiter, videlicet alia, qua respiciat species, & alia qua respiciat indiuidua speciei, aut etiam species specierum, quia, vt supra ostendimus, genus non dicit habitudinem ad indiuidua specierum, sed solùm ad species, quæ immediatè sub ipso ponuntur, & ad differentias constitutiuas ipsarum. Nec satis percipio, quomodo Aversa loco modò citato sequenti §. asserat in genere considerari posse plures habitudines, quæ distinguantur essentialiter, prout termini sunt essentialiter diuersi, vt sunt indiuidua, & species, cum tamen supra sectione quinta docuerit, genus eadem habitudine generica respicere species, & indiuidua, ita vt respectu indiuiduorum diuersarum specierum seruet habitudinem genericam, quod tamen non potest intelligi, nisi sit vna essentialiter cum habitudine, qua respicit species sibi subiectas.

Reijcitur distinctio in genus perfectè præscindens, & nõ perfectè præscindens.

In genere nõ sunt distinguendæ diuersæ habitudines.

Reijcitur Aversa.

Genus formaliter non esse speciem atomam. Prima opinio.

SECTIO II.

I. POsitis his diuisionibus generis difficultas insurgit, an genus possit diuidi in plures species: hoc est, an possint dari plures species, quæ diuidant genus, quatenus genus est, & prout importat suam rationem formalem, an verò genus vt sic secundum suum esse, sit species athoma, nec vlterius possit diuidi. Et pro maiori intelligentia aduertere oportet, Genus posse cõsiderari, et secundùm esse formale, & secundùm esse materiale: secundùm esse formale importat suum proprium constitutiuum, quo constituitur in esse generis; vndè cum genus sit quoddam vniuersale, formaliter dicit talem vnitatem, & aptitudinẽ, nempè vnitatem genericam, & aptitudinem ad essendum in pluribus speciebus, ex qua oriatur prædicabilitas de ijsdem: secundùm autem esse materiale importabit

Genus materialiter, & formaliter sumptum.

naturam illam, quæ in se habet hanc vnitatem, & aptitudinem, & veluti ipsi substernitur. Atque si genus hoc pacto consideretur, certum est, multiplicari, nec esse vnum specie athoma, quia dantur plures naturæ inter se essentialiter diuersæ, vt per se patet. Non hinc tamen fit, vt ex hoc capite multiplicetur genus secundùm esse formale, atque secundùm esse generis illas naturas inter se differre, sed solùm sicuti multiplicantur, secundùm esse materiale, ita etiam tantùm materialiter differunt; quæ tamen est differentia essentialis materialis; quia est secundùm quidditatem naturæ, quæ substernitur esse formali generis. Quærimus ergo, an genus secundùm esse formale sit vnum specie athoma, an verò sit vnum genericè, ita vt diuidatur in plures species importantes diuersas rationes generis.

Prima opinio. Genus est capax diuersitatis secundum esse formale. Auersa.

II. Auersa in Logica quæst. 10. sect. 6. putat genus esse capax, diuersitatis secundùm esse formale, & consequenter non esse vnum specie athoma, sed posse diuidi in diuersas species, ita vt diuersitas proueniat ab ipsa natura, & redundet etiam in ipsam genereitatem. Probat primò, quia alia est communitas naturæ, verbi gratia animalis respectu hominis, & equi, ac sit communitas substantiæ respectu corporeæ, & incorporeæ, sicuti etiam alia est relatio similitudinis, quæ in communitate fundatur: hæc autem diuersitas, cum sit secundùm communitatem naturæ, erit etiam secundùm genus formaliter sumptum. Secundò: si natura esset realiter separata ab inferioribus, & haberet aptitudinem, vt esset in illis: aptitudo substantiæ ad essendum in suis inferioribus, esset essentialiter diuersa ab aptitudine quantitatis, qua posset esse in suis, & sic de reliquis; ergo de facto poni debet hæc diuersitas in aptitudine naturæ præcisæ ab inferioribus, cum eodem modo se habeat seruata proportione. Tertiò. Aptitudo substantiæ ad sua inferiora concipi potest diuersis actibus successiuè, tunc autem aptitudo concepta per vnum actum erit diuersa numero ab aptitudine concepta per alium actum; ergo cum magis differat aptitudo quantitatis ad sua inferiora concepta per diuersos actus, quàm differat aptitudo substantiæ, dicendum est aptitudinem substantiæ differre ab aptitudine quantitatis essentialiter, & cum aptitudo spectet ad esse formale generis, discrimen erit secundùm esse formale. Quartò, iuxtà varias conuenientias, & diuersitates naturarum, debent etiam dari diuersi gradus vniuersalitatis, vndè dabitur conceptus vniuersalitatis genericæ conuenieus naturis substantialibus, in quo omnes naturæ substantiales genericè conueniant, & differant à genericis naturis aliorum prædicamentorum. Denique quia diuersitas relationum, & habitudinum non solùm desumi debet ex vario modo respiciendi, sed etiam ex diuersitate subiectorum, & terminorum; cum autem genera sint in diuersis naturis, & habeant terminos diuersos, quædam enim habent pro termino species athomas, quædam species, quæ etiam sunt genera, ideò etiam in habitudine generis ad inferiora erit formalis diuersitas. Hæc Auersa, quæ licet ipse intelligat de genereitate, quatenus est secunda intentio, intelligi tamen possunt de formali constitutiuo generis, quod iuxta nostram sententiam non est genereitas, prout est secunda intentio, sed vnitas communitatis, & aptitudo ad essendum in pluribus speciebus.

Communis sententia, Genus esse speciem athomam, adprobatur.

SECTIO III.

I. NOn dari plures species generis formaliter sumpti, sed secundùm suum esse formale non posse diuidi, & ad modum speciei athomæ se habere, ita vt solùm pluribus generibus conueniat, tanquam indiuiduis naturæ genericæ formaliter acceptæ, non verò tanquam speciebus, communis opinio docet, vndè omnes naturæ genericę, quot quot sunt, & quamcunque diuersitatem habeant, si considerentur, prout participant rationem formalem generis, nihil aliud sunt, quàm indiuidua generis. Genus, species athoma in ratione generis.

Atq; hanc sententiam verissimam puto, & est conformis ijs, quæ trademus de vniuersali in communi, vbi ostendemus duplex tantùm esse vniuersale, nempè genericum, & specificum ex eo, quòd termini, seu inferiora in ratione termini for-

formaliter non recipiant aliam variationem.

1. ratio. II. Atque suadetur hæc sententia, quoniam si considerentur omnia genera formaliter in ratione generis, seu infima sint, siue suprema, siue intermedia; aut siue sint genera substantiæ, siue alterius prædicamenti, sunt definibilia vnica definitione, quæ explicet formaliter totum esse genericum, quod participant; atque hæc definitio est illa, quæ traditur de genere vt sic; nam de vnoquoque valet dicere, quòd sit id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid; atque per hanc definitionem explicatur totum esse formale genericum ipsius; ergo dicendum est, omnia genera esse constituta in vna specie athoma, quæ sit genus vt sic. Consequentia tenet, quoniam, quæ sunt definibilia eadem definitione, quæ adæquatè explicet totum esse ipsorum, conueniunt in vnica specie athoma. Anteced. continet duas partes: & prima est, quòd omnia genera sint definibilia vnica definitione, de quo nulla est difficultas, quia de quocũque genere debet verificari, quòd posit prædicari de pluribus differentibus specie, alioquin non participaret rationem generis. Altera autem pars est, quòd hæc definitio adæquatè explicat totum illud esse formale genericum, quod habent, & declaratur. Nam omne esse genericum, quod participatur à quocunque genere, debet esse in ordine ad sua inferiora; ratio enim formalis generis consistit in habitudine ad inferiora. Huiusmodi autem definitio adæquatè explicat totam habitudinem, quam vnaquæque natura generica habet ad inferiora: quod sic ostenditur: Vt enim adæquatè explicetur aliqua habitudo, sufficit, si intelligatur subiectum ordinari ad terminum sub illa ratione, qua terminat illam habitudinem, nec aliud requiritur, statim enim, ac intelligitur terminus secundùm rationem formalem termini, & subiectum ad illud ordinari, adæquatè intelligitur habitudo, quia sicuti non potest intelligi habitudo sine termino, ita intellecto adæquatè termino secundùm suam rationem formalem, vt terminante habitudinem; etiam adæquatè intelligitur habitudo. Cum ergo termi ons habitudinis genericæ sint species, quatenus differunt essentialiter, eo ipso, quòd intelligitur habitudo ad species diuersas, intelligitur adæquatè habitudo, quam potest habere genus in ratione generis. Confirmatur. Posita habitudine generis ad species, vt species sunt, vel adhuc superest aliqua alia habitudo generica, vel non. Si non superest; ergo hac intellecta, adæquatè intelligitur omnis habitudo generica. Non potest autem dici, quòd superfit, quia habitudo generica est tantùm ad species, vt species sunt. Quocirca cum definitio illa explicet habitudinem generis ad species, vt species sunt, adæquatè explicat totam habitudinem genericam.

Omnia genera adæquatè definiuntur vnica definitione in ratione generis.

Habitudo generis adæquatè terminatur per species, vt species sunt.

2. ratio. III. Atque hinc secundò prob. eadem sententia. Non potest variari formaliter aliqua habitudo, nisi etiam varietur terminus illius secundùm esse formale, quo terminat: habitudo enim specificatur, & constituitur à termino; vnde illo inuariato, inuariata manet habitudo. Sic ergo cùm genus formaliter sumptum consistat in illa habitudine transcendentali, quam dicit natura ad inferiora, non potest poni in genere secundùm esse formale considerato aliqua diuersitas, quæ non ponatur etiam in eiusdem termino formali. Terminus autem generis formalis sunt species secundùm rationem speciei; aut differentiæ secundùm rationem actus perfectiui ipsius generis: atque in hac ratione formali termini nulla potest contingere diuersitas essentialis; siquidem quòd aliqua species sit talis species, aut aliqua differentia talis differentia, non variat rationem formalem differentiæ, aut speciei, sed tantùm rationem materialem, nam prouenit hæc diuersitas à natura, quæ substernitur rationi formali speciei, & differentiæ. Quod adhuc declarari potest, quoniam ratio differentiæ formaliter importat tantùm aliquam perfectionem essentialem, quæ sit diuisiua generis: species verò importat aliquid constitutum ex genere, & differentia, atque hæ sunt præcisè rationes formales, quæ terminant habitudinem generis, secundùm has autem rationes formales non est excogitabilis aliqua diuersitas essentialis: siquidem neque in formis physicis variatur ratio actus essentialis, quamuis vnaquæque forma importet talem, & talem naturam formæ. Similiter etiam in cõposito physico, quãuis sint diuersa composita, non tamen

Termini habitudinis genericæ, ô diuersificaturi secundùm esse formale.

ex

ex hac diuersitate variatur ratio formalis compositi. Cum igitur non varietur terminus formalis, neque variabitur habitudo generis secundùm esse formale.

Tota diuersitas in generibus materialis.

IV. Et potest tota hæc ratio confirmari. Tota diuersitas, quæ in generibus, speciebus, & differentijs excogitari potest, prouenit à natura, quæ substernitur rationibus formalibus generis, differentiæ, & speciei, ergo non potest causare diuersitatem secundùm esse formale generis, quia hæc tantùm desumenda est ex terminis formaliter acceptis; aut est attendenda secundùm esse formale generis, non secundùm naturam, quæ substernitur, quia, vt diximus, hæc diuersitas est tantùm materialis. Anteced. declaratur discurrendo per singulas partes. Et imprimis si consideretur genus, potest in illo diuersitas reperiri, vel quia sit genus substantiale, vel accidentale, aut aliqua alia huiusmodi diuersitas; rursus, quòd ita sit genus, vt sit etiam species, vel non sit species, vel quòd species ipsius sint infimæ, vel subalternæ: atque hæc est tota diuersitas, quæ in genere excogitari potest; quia diuersæ conuenientiæ, & similitudines oriuntur ex eo, quòd genus sit talis, vel talis natura. Tota autem hæc diuersitas non est secundùm esse formale generis, sed secundùm materiale; nam contingit secundùm naturam, quæ substernitur aptitudini, & vnitati: quod ex eo colligitur, quia hæc diuersitas non importat diuersam habitudinem ad inferiora, sed solùm diuersam rem, quæ referatur, vt quòd sit substantia, aut accidens. Similiter etiam contingit in differentijs, & speciebus, nam de vtrisque est eadem ratio, cum species sequiatur naturam differentiæ, à qua constituitur. Tota enim diuersitas, quæ potest in illis contingere, est quòd importent talem, vel talẽ naturam, aut quòd sint vlterius diuisibiles per alias differentias, vel non sint vlterius diuisibiles: hæc autem diuersitas originatur ex eo, quòd substernitur rationi formali speciei, nempè ex illa essentia, & quidditate, quam importat differentia, vel species, quæ, vt diximus, est tantùm diuersitas materialis; atque idem contingit in omni alia diuersitate, quæ assignari potest, vt discurrenti patebit.

3. ratio. V. Tertiò. Si genus non esset species athoma, sed adhuc secundùm esse formale esset diuisibile per varias differentias; quæro de his differentijs, an dicerent rationem formalem generis, an non. Primum dici non potest, quoniam non essent diuersæ ab ipso genere, vt sic, sed essent ipsum genus; de ratione autem differentiarum est, vt importent rationem formalem diuersam à generica, vt contrahere possint genus, & illud constituere in tali specie. Vndè necessariò alterum membrum admitendum est. Quòd si istæ differentiæ sunt diuersæ à ratione formali generis, non poterunt amplius respicere species sub ratione speciei, quia per hunc respectum constituitur ratio formalis generis. Si autem non possunt respicere species secundùm rationem speciei, non poterunt conferre aliquem gradum genericum, quo genus vt sic constituatur in esse talis generis, quia propria inferiora sunt species, quatenus spe[illegible] & variata hac ratione infer[illegible] habetur amplius ratio generica [illegible] patet in specie, quia enim species respicit inferiora sub ratione indiuidui, quæ est diuersa à ratione speciei, variatur essentia, & non habetur amplius aliqua ratio generica. Confirmatur. Non possunt dari huiusmodi rationes differentiales, nisi habeant diuersam rationem formalem termini, ac habet genus, alioquin non essent formaliter diuersæ ab ipso. Hinc autem fit, vt non possint dari, quia differentiæ debent esse perfectiuę generis, & illi afferre aliquod complementum intrà eamdem rationem: sic quando animal perficitur ab aliqua differentia, nempè rationali, differentia illa affert aliquem gradum vitæ complectiuum animalis, vt sic: hoc autem non potest contingere, quando habitudines variantur in ordine ad diuersos terminos formales, quia sicuti in terminis vna formalitas est extrà aliam, nec illam perficit intrà eumdem ordinem, quoniam prout specificat aliquam habitudinem, non se habet, vt potentia perfectibilis, sed vt actus specificans; ita etiam vna habitudo debet necessariò esse extrà aliam, neq potest vna ab alia perfici, nisi adsit vnica ratio formalis, quæ tribuat habitudinem genericam simul, & specificam, vt contingit in habitudine potentiæ vt sic, & talis potentiæ, quæ est vna habitudo, quia habet vnam rationem obiectiuam, quæ est ad

Differentiæ important diuersam formalitatem à genere.

obiectum vt sic, & tale obiectum. Hoc autem non potest contingere in differentijs, quæ adueniant generi, quia genus respicit speciem sub ratione speciei, & exhaurit totam istam rationem formalem, quę de se est vltima, nec est vlteriùs perfectibilis per aliquam rationem, quę illi superueniat, & tribuat aliquem alium gradum intrà rationem speciei, quia species, vt species est, formaliter importat tãtùm compositionem metaphysicam ex genere, & differentia, vt dictum est.

Soluuntur rationes in oppositum.

SECTIO IV.

I. POsset omnibus rationibus in oppositum vnico verbo satisfieri; [...] licet totam illam diuersitatem, quæ [...] inuincunt, non esse secundùm formale generis, sed tantùm materiale: ne tamen aliquis scrupulus remaneat, omnibus singillatim respondebimus.

Ad rationes oppositæ sententiæ.

Cũ igitur in prima dicitur; Aliam esse communitatem substantiæ respectu corporeę, & incorporeæ, ac sit communitas animalis respectu rationalis, & irrationalis; respondetur. Posse communitatem considerari materialiter, prout dicit rem communem, & sic concedimus, quòd sic diuersa communitas. Si verò loquimur de communitate formaliter accepta; hoc est de ratione formali, per quam habet talis natura, quòd sit communis, & sic negamus, quòd sit diuersa, quia tam in animali, quàm in substantia dicit, quòd sit vnitas naturæ aptæ ad essendum in pluribus essentialiter diuersis; atque eodem pacto dicendum est de relatione similitudinis.

Communitas alia materialis, alia formalis.

II. Similiter etiam ad secundam rationem responderi debet. Videlicet si natura esset separata ab inferioribus, alia esset aptitudo substantiæ ad essendum in suis inferioribus, alia aptitudo animalis, seu quantitatis, loquendo de materiali aptitudine, prout importat naturam aptam, seu quidditatem; non verò si loquamur de aptitudine formali: & hoc modo dicendum est etiam de facto de natura identificata cum inferioribus, & ab ijs præcisa, habet enim diuersam aptitudinem materialem, non formalem. Ad tertiam autem negatur, Aptitudinem substantiæ ad sua inferiora conceptam diuersis actibus esse numero diuersam, si obiectiuè consideretur: sed est semper eadem, non quidem identitate numerali, quia non habet propriè vnitatem numeralem, cum hæc sit propria indiuiduorum, sed eadem suamet vnitate intrinseca formali, quia semper dicit eamdem rationem substantiæ communicabilem pluribus, secundùm quam non contingit aliqua diuersitas, quia hoc est peculiare formalitatum, vt in illis omnis diuersitas sit essentialis. Addo tamen, quòd si loquamur de aptitudine secundò intentionaliter sumpta, potest quidem contingere, vt sit diuersa numero, si videlicet ad modum entis realis habentis vnitatem numeralem concipiatur; Tunc tamen negari debet, aptitudinem substantiæ ad sua inferiora formaliter acceptam, in ratione aptitudinis differre plus quàm numero ab aptitudine animalis, seu plus differre, quàm duas aptitudines eiusdem substantiæ, sed solùm magis differret ratione naturæ substratæ, sed etiam si in rigore loqui velimus, cum hæ secundæ intentiones fundentur in naturis formaliter acceptis, atque ijsdem proportionentur, & sequantur earumdem naturam, vtpotè explicatiuæ illarum; dicendum, neque in illis contingere, distinctionem esse formalem, quia cum proportione de ipsis loquendum est, ac de essentijs. Insuper dico aptitudinem substantiæ, & quantitatis ad inferiora differre tantùm materialiter, seu secundùm naturam aptam, non verò formaliter.

Ad secundam.

Ad tertiam.

Quomodo differant aptitudines diuersarum naturarum respectu inferiorum.


III. Quarta verò ratio falsum assumit. Videlicet ex eo, quòd dentur diuersæ naturæ genericæ, quæ spectant ad diuersa prædicamenta debere etiam dari diuersos gradus vniuersalitatis genericæ, non enim ex diuersificatione subiecti, seu esse materialis diuersificatur forma, seu esse formale, vt iam diximus. Hæc autem diuersitas naturarum, ex qua habent, vt spectent ad diuersa prædicamenta, est tantùm secundùm esse materiale, quod substernitur esse formali generico. Ad vltimam, quid dicendum sit, patet ex dictis; quòd enim aliquæ species sint athomæ, aliquæ etiam sint genera, non inferunt diuersitatem in termino formali habitudinis genericæ, quia solùm terminat

A quartam.

Ad quintam.

hanc

hanc habitudinem genericam ex vi ratio nis formalis constitutiuæ speciei; quòd verò sit etiam genus, aut non sit, prouenit ex natura materialiter accepta; quia videlicet si est vlterius perfectibilis per aliàs differentias essentiales, obtinet etiam rationem generis, non tamen prout terminat habitudinem alterius generis. Atque etiam aliæ huius modi diuersitates, quæ excogitari possunt in terminis habitudinis genericæ proueniunt ex termino materialiter accepto, non verò formaliter, vt etiam suprà diximus. Atque hæc de primo principio obiecti metaphysici; cætera, quæ disputari possent, infrà commodiori loco tractabimus. Nunc de altero principio agemus.



DE ALTERO PRINCIPIO OBIECTI METAPHYSICI





Lterum principium obiecti metaphysici necessariò concedēdū est, quod sit altera pars essentialis cōstitutiua eiusdē obiecti; non enim componitur ex vna tantùm parte, sed necessariò ex pluribus, ex quorum vnione resulter. Sicuti enim hæ partes essentiales reperiuntur in composito physico, quæ sunt materia, & forma, ita etiam cum proportione assignari debent in composito metaphysico. Hoc igitur alterum principium correspondens generi, appellatur differentia, quia ex genere, & differentia constituitur species, quæ est compositum metaphysicum. Itaque cum de primo principio huius compositi egerimus, alterum adgrediendum est.

De nomine, significatione, diuisione, & existentia Differentiæ.

Disp. LVIII.

Nomen, & propria Differentia significatio.

SECTIO I.

I. NOmen differentiæ aliquam dissimilitudinem, seu potius separationem, qua vnum ab alio separetur, seu discernatur, importat. Adeò nota vox est, vt non indigeat aliqua explanatione, Vt autem perfectè propriam significationem teneamus, sciendum est, quòd aliud est Diuersitas; aliud Differentia. Diuersitas enim propriè sumpta tollit omnem conuenientiam, quæ fit secundùm essentiam, ita vt non relinquat speciem, aut genus commune, sed solùm transcendentia; Vndè accidens, & substantia erunt inter se diuersa, quia non conueniunt in aliquo determinato genere, sed solùm in ratione entis, & cæteris transcendentibus. Imò neque aliquando conueniunt in transcendentibus, sed etiam secundùm ipsa differunt, vt contingit in Deo, & creaturis, nam vt suo loco ostendimus, Deus non est ens, sed aliquid eminentius suprà ipsum ens: vndè secundùm hanc quoque rationem transcendentalem interuenit diuersitas. Differentia verò ita vnum separat ab alio, vt præter conuenientiam in transcendentibus, relinquat etiam aliquam aliam, aut genericam, aut specificam: sic homo, & lapis dicuntur differre, quia ita habent diuersam essentiam, vt tamen in aliquo genere, nempè substantiæ corporeæ conueniant. Aliud Diuersitas, aliud Differentia, & quid vtraq. sit.

II. Atque tota hæc doctrina desumitur ex Arist. 5. Metaph. tex. 16. vt ibidem etiam adnotant expositores, præsertim D. Tho. Arist. enim ibi ait. *Differentia verò dicuntur quæcumque diuersa sunt, cum idem quid sint, modò non sint* Arist. il lustratus.

idem numero, sed aut specie, aut genere, aut proportione. Et hoc quoque docet in Metaph. tex. 12. ponens discrimen inter diuersitatem, & differentiam: ait enim. *Differentia verò, & diuersitas aliud est. Diuersum namq; est illud, à quo diuersū non est necesse aliquo esse diuersum*. Nempe quia potest se toto esse diuersum, & nō in aliquo tantùm. Deindè explicat, quid sit esse Differens. *Differens verò ab aliquo, aliquo differens est; quare necesse est, aliquid idem esse, quo differunt; hoc verò idem, aut genus, aut species est; omne namque differens, aut genere, aut specie differt*. Verùm tamen est, quòd diuersitas etiam latè sumitur, & importat omne id, quod quocunque modo non est idem; & hoc pacto Idem, & Diuersum opponuntur. quod docuit etiam Arist. citatis locis; nam in 5. Metaphys. inquit, *Diuersa verò dicuntur, quorum aut species plures, aut materia, aut ratio substantiæ. Et omnino diuersum dicitur oppositè ad id, quod idem dicitur*. & lib. 10. text. 11. ait, quòd diuersum, & simile multipliciter dicuntur, & quòd Diuersum, & Idem opponuntur. Quia igitur hic differentia propriè sumitur, importabit tantùm rationem quamdam, quæ faciat differre ea, quæ in aliquo conueniunt. [Diuersitas latè sumpta.]

III. Rursus, si cum rigore loqui velimus, aliud formaliter est Differentia, & aliud Distinctio, vt purè distinctio est. Quod maximè aduertunt Theologi in 1. distinct. 4. propter mysterium Trinitatis, in quo interuenit quidē pluralitas, & distinctio personarum, non tamen concedunt vnam personam differre ab alia, aut quòd sit aliud ab alia, licet concedant esse aliam ab alia. Inquiunt enim, quòd Esse aliud, seu differre propriè sumptum, importat dissimilitudinem in essentia: vnde in Symbolo D. Athanas. habetur: *Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti. Sed Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna est diuinitas*. Quia scilicet esse Alium, aut distingui importat tantùm distinctionem personalem, si fit secundùm naturas completas, seu indiuidualem si sit secundùm aliquid aliud. Differre verò, aut esse Aliud importat distinctionem secundùm essentiam. Quare licet differentia non sit sine distinctione, potest tamen reperiri distinctio sine differentia. Differentia igitur propriè sumpta importat aliquam rationem, quæ ponat dissimilitudinem in essentia. [Aliud distinctio, aliud differentia.] [D. Athanas.]

IV. Statuto igitur hoc conceptu proprio differentiæ, prout contradistinguitur à diuersitate, & pura distinctione, dubitari nullo pacto potest, an detur. Res enim ita se habent, vt licet quædam omnino diuersæ sint, vt diximus de Deo, & creaturis, substantia, & accidenti; aliquæ tamen habent inter se aliquam essentialem conuenientiam, vt sunt substantiæ omnes, accidentia omnia, & vniuersaliter omnes species, quæ in aliquo genere conueniunt. Verùm plurima ex his, quæ in aliquo conueniunt, habent etiam aliquid, per quod differunt plusquàm indiuidualiter, nempè secundùm aliquid essentiale, vt contingit in ijs, quæ tantùm genere vnum sunt. Hæc autem habent aliquid, quod obtineat rationem differentiæ, per quā in aliquo esse naturæ dissimilia sunt; quare sub communi conceptu differentiæ continentur ea omnia, quæ ponunt aliquam diuersitatem, quæ sit secundùm aliquam essentiam. [Existentia differentiæ.]

Variæ acceptiones Differentiæ, & Metaphysica existentia.

SECTIO II.

I. Valde amplus est cōceptus differentiæ hucusque explicatus, quia complectitur, quicquid ab alio facit quocunque modo differre, nec importat proprium conceptum differentiæ metaphysicæ, quæ est alterum principiū compositi metaphysici. Ideò aliquæ acceptiones, quibus hic communis conceptus Differentiæ diuiditur considerandæ sunt. Vt igitur desumitur ex Porphyr. cap. de Different. Dupliciter potest Differentia considerari, & prout facit Alterum; & prout facit Diuersum, seu aliud. Atque per has duas acceptiones diuiditur communis conceptus differentiæ, quatenus importat aliquam rationē, quæ facit differre. Differentia, quæ facit alterum, est differentia accidentalis, & ideò dicitur facere alterum, quia ponit diuersitatem, quæ est extrà essentiam. Differentia autem, quæ facit aliud, est differentia essentialis, quæ dicitur facere aliud, quia variat essentiam, & [Differentia alia facit Alterum, alia facit aliud.]

& facit diuersam ab alia. Atque hæc diuisio indè originem trahit, quòd ex rationibus, quæ faciunt differre, aliquæ sunt de essentia, aliquæ verò accidentales sunt. Verùm quia rationes, quæ faciunt differre, & accidentales sunt, possunt duplici modo se habere respectu subiecti, hinc etiam oritur alia subdiuisio differentiæ. Si enim ita accidentaliter se habeat, vt non solùm conueniat tali subiecto, sed etiam alteri, erit differentia communis, quia pluribus conueniet: & si conuenit vni tantùm subiecto, cuiusmodi est risibilitas respectu hominis, erit differentia propria. Atque hinc originantur illæ acceptiones differentiæ, quas trahit Porphyr. citatus, videlicet differentiæ Communis, Propriæ, & Proprijssimæ, intelligens nomine proprijssimæ differentiam essentialem, quæ dicitur proprijssima, quia magis, quàm cæteræ facit propriè differre, quia facit differre secundùm essentiam.

Differentia communis, Propria, & Proprijssima

An hæc diuisio sit adequata Ratio dubitandi.

II. Hic autem dubitari solet, an huiusmodi diuisio sit adæquata, ita vt complectatur omnes differentias. Non enim videtur complecti, quoniam dantur indiuiduales differentiæ, quæ non spectant neque ad differentiam, quæ facit aliud, cum non sint essentiales; neque ad differentiam, quæ facit alterum, cum non sint accidentales. Rursus passiones non sunt differentiæ proprijssimè, seu quæ faciant aliud; neque etiam faciunt alterum, cum nō sint separabiles, quemadmodum debet esse huiusmodi differentia. Denique ipsamet genera faciunt differre, sic animal facit differre hominem à planta, & tamen non spectat, neque ad differentias proprias, aut communes, cum non sit accidens; neque ad proprijssimas, quia hæc aduenit generi, non autem est genus. Et propter hæc videtur allata diuisio inadæquata, & insufficiens.

Esse adæquatam.

III. Nihilominus dicendum est esse adæquatam, & sufficientem. Quod ex eo ostendi potest, quoniam traditur per differentias immediatè oppositas, & fundantes contradictionem. Nam cum dicitur Differentia, alia est, quæ facit aliud, & alia, quæ facit alterum; idem est, ac si dicatur; alia est, quæ est de essentia, & alia, quæ non est de essentia, sed tamen facit differre. Hæc autem est contradictio, quæ necessariò debet complecti totam latitudinem differentiæ, & procedit hæc diuisio per membra immediatè opposita, quia esse de essentia immediatè opponitur omni, quod non est de essentia. Et sicuti, quando ens diuiditur in substantiam, & accidens, est adæquata diuisio, ita etiam, quando differentia diuiditur in essentialem, & accidentalem, quia essentialis importat substantiam rei, accidentalis verò accidentiā. Similiter etiam, quando differentia, quæ facit alterum, subdiuiditur in communem, & propriam, subdiuisio est adæquata, quia in eo fundatur, quòd aliquid conueniat vni soli, & non conueniat vni soli, sed pluribus, quod cum importet contradictionem, necesse est, omnes differentias, quæ faciunt alterum, contineri sub altero ex his membris.

Ad rationes dubitandi.

IV. Neque rationes dubitandi sunt alicuius momenti. Nam quod spectat ad differentiam indiuidualem, quamuis Moderni aliqui putent, essentialem esse, cum implicet indiuiduum sine ipsa intelligi, & ideò reduci ad differentiam, quæ facit Aliud; hoc tamen non rectè affertur, quia sicuti indiuiduatio est extrà essentiam rei, ita etiam differentia indiuidualis. Nec etiam rectè Ruuius in Logica quæst. 1. de Different. asserit, reduci ad differentiam essentialem, quia est secundùm modum intrinsecum essentiæ, quia reuera non facit differre essentialiter, & ideò, cum non participet rationem propriam differentiæ essentialis, non potest sub illa contineri. Melius ergo dicimus, vt adnotauimus sect. præcedenti num. 3. Non esse propriè differentiam, sed puram distinctionem, & ideò non debet sub aliquo ex prædictis membris contineri.

Differentia indiuidualis nō est propriè differentia.

Ad secundam. Soto. Mercat. Tolet.

V. De proprietatibus autem Soto, Mercatus, quibus etiam accedere videtur Tolet. omnes in Exposit. cap. de Differen. sentire videntur, huiusmodi differentias non pertinere ad hanc diuisionem. Sed non rectè, quia reuera sunt rationes, quæ faciunt differre, & comprehenduntur sub communissimo conceptu differentiæ vt sic, cur ergo non debent spectare ad hanc diuisionem, si est sufficiens, & adæquata? Alij autem volunt reduci ad differentiam proprijssimam. Sed nihilo melius, nam differentia proprijssima facit aliud, hæ verò passiones propriè non faciunt aliud, cum formaliter non diuersificent in essentia. Sistendum est igitur

Passiones differentia, quæ facit alterum.

in communi doctrina, & asserendum; has passiones constituere differentias accidentales, proprias tamen, quod ex eo patet, quia faciunt alterum, cum int extrà essentiam rei. Vndè Porphyr. in cap. de Different inquit, *Vniuersaliter ergo omnis differentia addita alicui* (hoc est suprà essentiam) *alteratum facit*. Differentia autem, quæ facit alterum non est necesse, vt sit realiter separabilis, sed sufficit, si possit cogitatione separari ab essentia, quod optimè contingit in passionibus rerum.

Porphyr.

Ad tert. 8

IV. Quod autem spectat ad Genus, considerari potest, quatenus genus est, & ratio quæ eam conuenientiæ respectu plurium specierum, & hoc pacto non potest exercere rationem differentiæ. Si verò consideretur, prout vnum distinguit ab alio, tunc potest exercere rationem differentiæ, sic animal est ratio differre faciens substantiam à non viuente. Spectat autem genus, quatenus differentia est, ad proprijssimam. Cum autem dicitur, quòd hæc aduenit generi, non autem est genus, intelligitur, quòd ita adueniat generi, vt respectu illius non habeat rationem generis: potest tamen habere ratione alterius. Posset etiam hic inquiri de formis substantialibus, ad quodnam membrum prædictæ diuisionis pertineant. Et breuiter respondendum est; reuera pertinere ad differentiam proprijssimam, quia constituunt essentiam, & consequenter etiam illam distinguunt. Verùm tamen est, quòd si considerentur, vt formæ physicæ, non sunt differentiæ prædicabiles, neque vt tales spectant ad tertium prædicabile, quia hoc continet tantùm differentias, quæ possunt prædicari in quale quid: vndè solùm spectant ad differentiam proprijsimam, quatenus complectitur quiequid facit Aliud.

Quomodo genus differentia proprijssima

Formæ substantiales differentia proprijssima.

VII. Rursus potest Differentia alio modo diuidi, vt facit Porphyr. citato cap. de Different, nemdè in Separabilem, & in separabilem. Separabilis est, quæ separari potest ab eo, cuius est differentia, & complectitur tantùm differentias communes, quia sola accidentia communia separari possunt, non verò propria. In separabilis est, quæ separari non potest ab eo, cuius est differentia, & complectitur differentiam, tùm Proprijssimam, tùm Propriam. Vndè Porphyr. hanc rursus subdiuidit in eam, quæ per accidens est inseparabilis, & est differentia propria, quæ dicitur per accidens inseparabilis, quia non potest quidem separari, attamen in non prouenit, quia ingrediatur essentiam illius, cuius est differentia, & in eam, quæ per se est inseparabilis, quia videlicet ingreditur constitutiuum essentiæ, & est differentia proprijssima.

Differentia, alia separabilis, alia inseparabilis.

VIII. Verùm vt deueniamus ad propriam differentiam, quæ est alterum principium obiecti metaphysici, excludendæ sunt, & differentiæ communes, & differentiæ propriæ, quia hæ tantùm accidentaliter se habent respectu essentiarum, non verò illas constituunt in suo esse; quare hæc erit tantùm differentia pro prijssima. Verùm quia hæc, vt modò dictum fuit, & differentiam prædicabilem, & nõ prædicabilem importat quæ tamen faciat aliud, ideò potest sumi, & Physicè, & Metaphysice. Verùm physicè sumpta non est differentia, quæ spectet ad tertium prędicabile, neque principium obiecti metaphysici, sed compositi physici, nam est forma, per quem ipsum constituitur, tanquam per principium intrinsecum formale. Solùm igitur ad nostrum propositum facit differentia proprissima metaphysicè sumpta, quæ sola constituit tertium prædicabile. Atque hic obiter adnotandæ sunt duæ conditiones, quæ conueniunt huic differentiæ metaphysicè sumptæ, quarum etiam meminit Porphyr. citato cap. de different. Quarum prima est, vt debeat ingredi definitionẽ, quod ex eo ipsi conuenit, quia est alterum principium compositi metaphysici, & facit aliud, vndè necessariò debet poni in definitione Illius, cuius est differentia. Altera conditio est, vt non suscipiat magis, & minus, in quo etiam contradistinguitur à communi, & propria, quæ possunt suscipere magis, & minus, licet non omnes suscipiant. Assignat rationem Porphyr. ibidem, cur differentiæ non suscipiant magis, & minus, quia cum genus non admittat magis, & minus, neque etiam debet admittere differentia, cum in constitutione speciei pari modo se habeant. Deindè differentia est vltima ratio quidditatiua rei, quod autem constituit alicuius quidditatem, non potest suscipere magis, & minus, nam rerum essentiæ consistunt in indiuisibili, vt docet Arist. 8. Metaph. tex. 10. Si au-

Differentia, quæ est principium obiecti metaphysici

Differentia ingreditur definitionẽ.

Non suscipiat magis, & minus.

Arist.

tem differentiæ susciperent magis, & minus, etiam reciperent essentiæ, quæ ipsis constituuntur.

IX. Quòd verò hæ differentiæ metaphysicæ, & proprijssimæ concedendæ sint, nemo dubitare potest, quia licet Nominales ponant vniuersale in actu intellectus, non verò in obiecto, adhuc tamen concedunt huiusmodi actibus correspondere obiectum, nempè indiuidua, diuersimodè tamen considerata, prout diuersimodè se habeant actus huiusmodi. Atque obiecta sic considerata, vel stant loco generis, vel differentiæ, prout secundùm diuersum esse ab intellectu attinguntur. Potest autem existentia harum differentiarum ostendi. Cum enim dentur genera, quæ sunt rationes quædam potentiales, debet dari altera ratio, quæ illis correspondeat, tanquam essentiale complementum. Et sicuti in rebus physicis ex eo, quòd videmus, quędam ita transmutari, vt mutent essentiam, & nomen, colligimus formas substantiales, quæ constituant diuersa composita physica, ita etiam ex eo, quòd in essentijs metaphysicis videmus, quædam ita se habere, vt participent diuersum nomen, & essentiam, debemus concludere, dari quasdam formas metaphysicas, quæ constituant huiusmodi diuersas essentias. Quod inde etiam colligitur, quia metaphysicè loquendo, videmus, quædam ita inter se conuenire, vt tamen etiam differant, vt si compararetur homo cum lapide; & etiam quædam magis differunt, quædam minus; sic minus differunt leo, & homo, quam homo, & lapis; debent ergo concedi diuersi gradus entis constituentes has differentias. Et ex ipsis quoque formis substantialibus id efficaciter demonstrare possumus. Supposito enim, res physicas substantialiter inter se differre, etiam diuersæ differentiæ metaphysicæ concedendæ sunt, quoniam ab hoc esse physico substantiali abstrahi possunt diuersa prædicata metaphysica, quæ diuersificent diuersas essentias metaphysicas, & huiusmodi prædicata constituent differentias, quas inquirimus. Atque hæ differentiæ passim traduntur ab Arist. qui ipsarum existentiam, tanquam certam supponit.

Existentia differētię metaphy sicæ.

Quid sit differentia.
Disp. LIV.

Explicatur quidditas Differentiæ.

SECTO I.

I. Constituta existentia Differentiæ, reliquum est, vt quid sit, inuestigemus. Loquimur autem tantùm de differentia metaphysica, quæ constituit tertium prædicabile, quia hæc sola constituit compositum metaphysicum. Porphyr. autem in Prædicab. cap. de Different. affert diuersas definitiones, quibus eius quidditas explicari solet. ac primò quidem ait, differentiam esse illam, ratione cuius species habet aliquid supra genus, inquit enim. *Has itaque* (hoc est differentias constitutiuas speciei) *definientes, Differentiam, inquiunt, eam esse, qua species excedit genus. Homo nanque plusquam animal habet rationale, atque mortale; animal enim nihil istarum est.* Rursus aliam definitionem subdit. Quod videlicet differentia sit illa, quæ de pluribus differentibus specie in quale quid prædicatur, inquit enim. *Definiunt ipsas, et hoc pacto. Differentia est id, quod de pluribus differentibus specie, & hoc ipso quale quid est prædicatur. Rationale enim, & mortale de homine, hoc ipso quale quid est homo, sed non hoc ipso, quod quid est prædicatur. Nam si interrogabimur, quid est homo, accomodatè dicemus, animal. At si, quale est animal, interrogabimur, Rationale, mortal que accommodatissimè respondebimus.* Pergit etiam idem Porphyr. alias explicationes colligere, & docet Differentiam esse illam, quæ diuidit ea, quæ sunt sub genere. *Describunt* (inquit) *tales differentias, & hoc modo. Dif-*

Variæ differentiæ definitiones. Porphyr.

ferentia est id, quod suapte natura ea, quæ sunt sub eodem genere, separat: rationale enim, ac irrationale, equum, & hominem separat, quæ sub eodem, vt patet, genere quod quid est animal, collocantur. Denique aliam definitionem addit, quæ potius communissimum conceptum differentiæ explicat, quàm differentiam metaphysicam: est enim huiusmodi. *Differentia est id, quo singula differunt.* Vt autem videamus, an vera sint, explicandum est, in quo nam consistat conceptus proprius formalis differentiæ.

Differentia pars speciei. Porphyr.

II. Et primò quidem certum debet esse, quòd differentia metaphysica, de qua modo loquimur, importat aliquam partem essentialem constituentem speciei, seu compositi metaphysici, quod etiam declarauit Porphyr. citatus, dum inquit *Exactius autem ea, quæ ad differentiam pertinent pertractantes. Differentiam, inquiunt, non quoduis eorum esse quæ separant ea, quæ sub eodem genere collocantur; sed id, quod ad substantiam rationemque confert, & quod pars eius est rei, cuius differentia dicitur esse.* Cuius rei rationem à priori reddere possumus, quoniam dantur aliquæ essentiæ, quæ, ita inter se conueniunt, vt seruent tamen aliquam disconuenientiam in ipsa met essentia. Huiusmodi autem disconuenientia non est secundùm totam essentiã, sed secundùm partẽ, quia ex eo, quòd huiusmodi essentia partim conueniat cum alia, partim non conueniat, possumus in illa partes distinguere, nempè aliam, secundùm quam conueniat, & aliam, secundùm quam differat; atque hæc secundùm quam differet constituet differentiam, quæ erit pars intrinseca constitutiua talis essentiæ.

Differentia pars actualis speciei.

III. Verùm huiusmodi partes non quomodocumque se debent habere, sed determinato modo debent inuicem ordinari, concurrunt enim ambæ ad constituendam vnam speciem, quæ est quoddam vnum per se compositione metaphysica. Atque cum ex ijs, quæ sunt diuersæ rationis non possit fieri vnum per se, nisi ordinentur adinuicem, tanquàm actus, & potentia; Ita etiam partes compositionis metaphysicæ debent ordinari vt actus, & potentia metaphysico modo se habentes, vt constituant vnum compositum metaphysicum; atque cum genus se habeat, vt pars potentialis, vt suo loco dictum est, consequenter differentia se habebit, vt pars actualis, seu vt actus metaphysicus respectu generis. Hanc tamen doctrinã fortasse non admittet Auersa, vt consequenter loquatur ad ea, quæ tradidit de genere quæst. 10. suæ Logicæ sect. 1. §. *primus deinde &c.* Vbi affert opinionem asserentium, genus constitui per id, quòd in suis inferioribus se habeat, vt pars materialis, & illam reijcit. Nihilominus hic est communis sensus Doctorum, atque traditur à Porphyr. cap. de Differenc; vbi inquit. *Nam cum res è materia, formaque consistent, aut ex talibus similitudine rationis, vt statua ex ære quidem, vt ex materia constat, ex figura autem, vt ex forma. Sic & homo communis, qui quidem est species, ex genere, & differentia constat, similitudinem rationis subeuntibus cum materia, atque forma.* Quinimò eadem doctrina desumitur etiam ex Arist. 8. Metaph. tex. 9. vbi ait. *Aliquid de aliquo significat ratio definitiua, & oportet hoc quidem vt materiam, illud verò vt formam esse.* Si igitur definitio constat ex partibus, quarum alia se habet vt genus, alia vt differentia, ita vt quæ se habetur genus, se habeat ad modum materiæ, reliquum est, vt quæ se habet tanquam differentia, se habeat ad modum formæ.

Auersa.

Porphyr.

Arist.

Quomodo differentia sit actus.

IV. Ratio autem huius doctrinæ petenda est, tùm ex natura generis, tùm ex natura differentiæ: ex natura quidem generis desumitur, quia sicuti in physicis ex eo, quòd datur materia prima substantialiter incompleta, colligimus, deberedari complementum substantiale, quod compleat illam potentiam; ita etiam, cum genus sit quid potentiale, debet concedi substantialis actus, qui illud compleat, & perficiat; hic autem actus erit differentia: actus enim, & potentia sunt correlatiua, & vno posito, debet poni & aliud; atque cum genus se habeat vt quid commune, potens esse in pluribus per contractionem, debet esse etiam quid contrahibile, & consequenter illi correspondere contractiuum tanquam actus, cum quò vniatur. Deindè ex parte quoque differentiæ. Quia de ratione ipsius est, vt faciat differre ea, quæ alioquin cõuenirent, vndè participare debet rationẽ distinctiui; Solius autem actus proprium est distinguere, vndè si distinguit ea, quæ conueniunt, debet aduenire tanquam actus illi rationi, in qua conueniunt, quo ratio communis ad tale esse determine-

tur

tur, ita vt distinguatur ex vi huius determinationis à quocunque participante eamdem rationem.

Differentia constitutiua pluralitatis.

V. Secundò etiam ad constitutiuum differentiæ requiritur, vt sit ratio quedam, per quam habeat genus, vt possit pluribus inesse, seu in pluribus multiplicari, atque hoc illi necessariò debetur, vt correlatiuum generis; genus enim est quoddam vniuersale, quod aptum est esse in pluribus; debent ergo illi aliqua plura correspondere, quibus mediantibus habere possit suum actum. Verùm hæc plura sunt species, quarum vltimum constitutiuum sunt differentiæ, quę ponunt pluralitatem in inferioribus, nempe in speciebus, in quibus potest esse genus, & proinde differentia ex natura sua habet, vt sit ratio quædam, per quam genus habeat, vt possit esse in pluribus, tùm quia ipsa vnitur cum genere; tanquam actus cum potentia, vt dictum est, tùm quia constituit in inferioribus pluralitatem, est enim ratio diuisiua, & constitutiua pluralitatis.

Differentia diuisiua generis, & quomodo.

VI. Atque hinc sequitur tertium, quòd requiritur ad constitutiuum differentiæ, videlicet vt sit ratio multiplicatiua generis multiplicatione essentiali; seu quòd sit ratio, per quam genus essentialiter diuidatur: non quia hæc diuisio ponatur intrinsecè in essentia generis nam hæc consistit in indiuisibile ita vt nullo pacto possit diuidi; Sed quia dum differentiæ adueniunt generi, efficiunt, vt constituantur diuersæ species, in quibus reperiatur genus: vndè genus solùm diuidetur, quatenus ponitur in pluribus essentialiter diuisis diuisio tamen formaliter est tantùm secundùm differentias, vsque etiam debetur differentiæ, quia est contractiua generis, cum enim genus sit diuisibile in plura essentialiter diuersa, tanquam quid contrahibile, debet necessariò contractiuũ esse ratio formalis, per quam genus diuidatur. Atque hoc etiam sequitur ex natura differentiæ. Non enim genus, vt suo loco ostensum fuit, potest coniungi cum vna tantùm differẽtia, sed cum pluribus, alioquin neque illa esset vera differentia; hinc fit vt ex genere suo non possit differentia adæquate totam latitudinem generis, sed ita adueniat generi, vt illud relinquat in tali statu, vt possit alias differentias recipere; quo stante, necessariò diuidi debet, quando per aliquam differentiam contrahitur, quia ita trahitur ad illam, vt etiam relinquatur cum alia, & dum ponitur in pluribus distinctis, diuiditur non ratione sui, sed ratione pluralitatis, quam habent inferiora.

Quomodo definitiones allatæ à Porphyrio rectè naturam differentiæ explicent.

SECTIO II.

I. Explicata quidditate differentiæ, facilè est inspicere, an allatæ definitiones à Porphyrio rectè naturam differentiæ explicent. Et aduertendum est, has definitiones, quas initio sect. præcedentis recensuimus non cadere suprà aliquas secundas intentiones, aut entia rationis, sed suprà naturas differentiales metapysicè acceptas, seu cõceptus obiectiuos reales metaphysicos, qui important rationes completiuas naturarum metaphysicarum. Atque in huius rei confirmationem sufficiunt, quæ diximus de definitione generis, quibus probatum fuit, per illam definiri naturam realem genericam, quæ cum proportione præsenti materiæ applicari possunt. Quod etiam patet, si considerentur singulæ definitiones; omnes enim explicant ipsas naturas reales differentiarum vt consideranti patebit. Et propterea etiam Porphyr. quando posuit exemplum ad explanandas huiusmodi definitiones adhibuit reales naturas, vt pote quia ipsæ per tales definitiones explicabantur. Atque, etiam addere possumus huiusmodi definitiones explicare id, quod nos tradidimus in declaranda quidditate differentiæ; illud autem est reale constitutiuum realis differentiæ metaphysicæ. Deindè hoc certum est, quòd differentia quatenus ingreditur definitionem, est aliquid reale, quia importat partem essentiæ realis; illæ autem definitiones accommodantur differentiæ, quatenus est pars quædam definitionis; quod satis patet inductione Nam cum dicitur, quòd differentia diuidit genus, & facit differre, quæ sunt sub eodem genere: quod est illa, qua species excedit genus, hæc omnia verificantur de differentia, prout est quid reale metaphysicum; nam tali pacta considerata aliquid addit suprà genus; diuidit genus, & ponit diuersitatem inter naturas, & essentias metaphysicas, quæ coalescunt ex genere, & differentia. Solùm dubitari posset de

Definitiones differentiæ cadunt suprà rationes differentiales reales.

illa

illa definitione, quæ traditur per prædicabilitatem. Sed dicendum est, quòd non intelligitur de prædicabilitate logica, sed metaphysica, quæ importat naturam metaphysicam, quatenus in ordine ad intellectum est enuntiabilis de pluribus differentibus specie, vt dictum fuit etiam de genere: quod ex eo colligitur, quia hæc prædicabilitas, per quam definitur differentia, est coniuncta cum tali modo prædicandi, & per ipsum contracta, nempè in quale quid, qui, cum importet modū, quo differentia realis metaphysica est in illis, de quibus prædicatur, debet esse realis, & consequenter etiam prædicabilitas, quæ per ipsum determinatur.

Differentia specie excedit genus

II. Quod igitur spectat ad definitiones. Prima quidem, in qua dicitur, differentiam esse illam, qua species genus excedit, rectè explicat naturā generis, quam uis aliter sentiat Petrus Gregor. in Syntaxi tom. 1. lib. 2. cap. 10. contrà communem sensum omnium philosophorum. Et quidem rectè explicare, indè ostenditur, quia explicat formale constitutiuum speciei, quod est differentia; species enim ratione sui formalis constitutiui excedit genus, quia cum constet ex genere, & differentia, non potest genus excedere, nisi ratione differentiæ. Genus enim licet, vt diximus, contineat in potentia differentias, non tamen continet in actu, siue distincto, siue confuso, atque ideò importat tantùm formaliter loquendo partem essentiæ specificę: species enim importat quoddam totum constitutum ex partibus essentialibus, quia autem totum excedit partem, ideò species, cum sit quoddam totum, excedit genus: excedit autem ratione alterius compartis, nempè differentiæ. Vndè cum dicitur, differentiam esse illam, qua species excedit genus, idem est, ac si diceretur esse id, quo species formaliter, & tanquam per partem actualem constituitur in esse speciei, & ex vi huius constitutionis excedit genus.

Petrus Gregor.

Arist.

III. Atque pro confirmatione huius doctrinę est etiam Arist. 6. Topicor. cap. 3. loco 8. vbi tradens modum ad cognoscendum, an aliqua sit vera differentia specifica, ait apponendam esse generi, & videndum, an cum ipso constituat speciem. Inquit enim. *Similiter autem & si verificatur quidem & non facit apposita generi speciem, nam manifestum, quòd non erit hæc specifica differentia generis, nam omnis specifica differentia cum genere speciem facit.* Et 10. Metaph. tex. 24. docet, quòd ea, quæ specie diuersa sunt, per aliquid diuersa sunt, quod ipsis inest. *Diuersum autem specie* (ait) *ab aliquo diuersum aliquid est, & hoc ambobus inesse oportet.* Atque hæc definitio explicat differentiam, quatenus est actus generis ipsum perficiens, vt iam constat ex dictis.

In quo consistat excessus speciei supra genus ratione differentiæ.

IV. Quia tamen diuerso modo intelligi potest, quòd species excedat genus, ideò videndum est, in quonam consistat huiusmodi excessus. Et quidem cum dictum sit, excedere illo excessu, quo totum excedit partem, atq; cum species sit totum essentiale, necessariò excessus in eo consistet, quod species importet aliquā maiorem essentiam, non quidem intensiuè, sed secundùm complementum, quia videlicet importet aliquid completum essentialiter, quod non importat genus, cum sit pars essentialis. Imò cum totum essentiale dicat ampliorem perfectionem, quàm dicat pars, quia importat perfectionem integram alicuius essentiæ, ideò species excedet genus, etiam secundùm quantitatem perfectionis, quia enim differentia addit nouam perfectionem supra genericam, ideò species ratione differentiæ abundat suprà genus in quantitate perfectionis essentialis. Accedit etiam, quòd in nobilitate species excedit genus ratione differentiæ, quia se habet vt pars potentialis, differentia verò vt actus: ex genere autē suo nobilior est actus, quàm potentia, vt colligitur ex Arist. 9. Metaphys. tex. 16. & 17. Ideò species excedit genus ratione differentiæ, tùm secundùm accessionem noui gradus, & nouæ perfectionis, tùm etiam secundùm nobilitatem.

Arist.

Differentia diuidit ea, quæ sunt sub genere.

V. Altera quoque definitio, qua dicitur, Differentiam diuidere genus, seu potius ea, quæ sunt sub genere, optima est, quia, vt vidimus, De ratione differentiæ est, vt sit ratio quædam, per quam genus formaliter multiplicetur in inferioribus, vt explicatum est supra. Atq; mediante hac multiplicatione habet genus, vt essentialiter diuidatur, seu ponatur in pluribus essentialiter diuisis; Et melius dicitur, vt inquit Porphyr. Diuidi ea, quæ sunt sub genere, nempè species, nam ipsæ sunt, quæ formaliter differunt, atque diuiduntur. Et hæc doctrina est etiā Arist. 6. Topicor. cap. 3. loco 8. vbi hæc habet. *Omne genus ijs, quæ è diuerso diuiduntur, differentijs diuiditur, vt animal*

Arist.

gres-

gressibili, & volatili, & acquatili, & bipedi. Hoc enim est de natura differentiæ, vt diximus, quòd hoc pacto diuidat genus, ex eo, quòd non adæquat totam latitudinem ipsius, & idcircò dicitur genus diuidere, licet genus in specie ratione differentiæ contineatur, quia vna differentia non trahit ad se genus secundùm totam latitudinem, cum ex intrinseca sua ratione habeat, vt ordinetur ad plura. Atque differentia ita diuidit genus, vt coarctet, & limitet ad aliquam peculiarem speciem. Cum enim differentia sit aliquid limitatum, & importet peculiarem gradum entis, idcircò etiam contrahit, & limitat genus ad certam naturam, & cum vnaquæque differentia id præstet, sequitur, vt dum cum pluribus vnitur, diuidatur.

Quid differentia de finitione dicendù.

VI. In tertia autem definitione, qua dicitur, differentiam esse illam, qua singula inter se differunt, cum explicetur tantùm communissimus conceptus differentiæ, vt etiam initio sect. præcedentis adnotauimus, non potest adæquatè explicari natura differentiæ metaphysicæ, cum non faciat solùm differre, sed tali modo differre, nempè essentialiter; quod etiam adnotauit Porphyr. nam cum attulisset hanc definitionem, statim subdit. *Exactius autem ea, quæ ad differentiam spectant, pertractantes, differentiam inquiunt, non quoduis eorum esse, quæ separant ea, quæ sub eodem genere collocantur, sed id, quod ad substantiam, rationemque confert, & quòd pars eius est rei, cuius differentia dicitur esse*. Constat ergo, quòd hæc definitio explicet tantùm conceptum genericum differentiæ metaphysicæ, non verò propriam rationem; & vt adæquata esset, deberet tali pacto tradi. Differentia est illa, qua species differunt inter se essentialiter. Altera autem definitio, quæ traditur per prædicabilitatem, maiorem difficultatem continet, & ideò in sequentibus eam examinabimus.

Quomodo differentia prædicetur in quale quid.

SECTIO III.

Ratio dubitandi.

I. Definitur differentia à Porphyr. quòd sit illa, quæ prædicatur in quale quid de pluribus differentibus specie. Hinc autem oritur difficultas, quomodo possit in quale quid prædicari. Et ratio dubitandi est, quia quale, & quid videntur modi prædicationis se inuicem destruentes: Prędicari enim in quid est prædicari, vt quid essentiale. Prędicari vero in quale, est prædicari, vt quid extrà essentiam. Itaque cum esse extrà essentiam, & esse quid essentiale sint rationes incompossibiles, erunt etiam incompossibiles hi modi prædicandi in quid, & in quale. Neque dici potest, quòd differentia respectu vnius prædicetur in quid, & in quale respectu alterius, nam Porphyr. intelligit, quòd respectu eiusdem prædicetur in quale quid, & hoc necessariò dicendum est, vt contradistinguatur à cœteris prædicabilibus, nam etiam species prædicatur in quid, proprium verò, & accidens in quale, vndè vt differentia habeat distinctum modum prędicandi, debet respectu eiusdem prædicari in quale quid.

Quid sit prædicari in quale quid.

II. Pro solutione huius difficultatis declarandum est, quid sit hoc prędicari in quale quid. Communiter autem dicunt importare talem modum prędicationis, quo congruenter possit satisfieri interrogationi, quæ fit per quale. Quod docet Porphyr. quoque cap. de Differentia, nam cum tradidisset definitionem, declarat, quid sit hic modus prędicandi, & ait: *Nam si interrogabimur, quid est homo, accommodatè dicemus animal; at si quale animal est, interrogabimur; Rationale, mortaleque, accommodatissimè respondebimus*. Verùm non adhuc soluta est difficultas, neque explicatur, quomodo simul stent hęc duo, nempè prędicari in quale, & in quid; quoniam interrogationi, quæ fit per quale, accommodatè respondemus per quamlibet qualitatem accidentalem, quę cum non sit de essentia, non potest prędicari in quid, vndè Arist. quoque in Prædicamento qualitatis ait, *Qualitatem verò dico, qua quales quidam dicuntur*. Si igitur qualitas reddit quale, optimè interroganti, quale est hoc, potest respondere per quamlibet qualitatem, vt si dicatur, qualis est paries, responderi potest, esse album.

Porphyr.

Arist.

Quale importat prædicatũ extrà essentiã.

III. Igitur adnotandum. Quòd quale importat quidem prædicatum, quod sit extrà quidditatem illius, quod qualificatur. Etenim Quale dicit concretum quoddam coalescens ex subiecto, & for-

ma.

ma. Omnis autem forma est extrà quidditatem sui subiecti, quia supponit subiectum saltem in aliquo priori naturæ præcedere: vndè etiam forma, quæ qualificat aliquod subiectum, se habet, vt quid adiacens ipsi, & conferens illi suum effectum formalem, quo in tali esse per quamdam qualificationem constituatur. Hoc autem totum conuenire potest differentiæ, quæ & est forma quædam metaphysica, quæ aduenit generi, tanquam subiecto metaphysico, & est extrà quidditatem ipsius, prout est quædam pars componens speciem; vndè, & genus ex eo, quòd secundùm suum esse peculiare est denudatum omni differentia, potest coniungi, quantum est de se, cum hac, vel illa differentia, componendo diuersas species:

Differentia denominat genus per modum formæ adiacentis.

IV. Insuper etiam, quia differentia, nedum est extrà quidditatem generis, sed etiam ita illud afficit, vt contrahat ad determinatam essentiam, ita vt mediante hac contractione constituatur talis natura: atque indè fit, vt concretum illud naturæ denominetur tale, denominatione per modum formæ adiacentis; hinc fit vt differentia habeat rationem qualitatis, quatenùs qualificat genus, & concretum talis naturæ.

Arist.

Quod etiam docuit Arist. 4. Topicor. cap. 4. loco 71. *Et quoniam differentia quidem qualitatem generis semper significat, genus autem differentia non; nam qui dicit gressibile, quale quid animal significat.* Et idem habet etiam 5. Phys. tex. 18. vbi inquit *Qualitatem non eam dico, quæ in substantia est (est enim, & differentia qualitas) sed eam, quæ est passiua, &c.* Quod repetit quoque in Metaph. lib. 5. tex. 19. *Quale dicitur vno modo differentia substantiæ, vt pote quale animal homo, quoniam bipes, equus vero quadrupes, & circulus qualis quadam figura, quoniam absque angulis est. tanquam differentia, qua secundùm substantiam qualitas sit Vno itaque modo qualitas dicitur substantiæ differentia.* Cœterùm differentia, prout est qualitas quædam, potest sumi, & in concreto, & in abstracto, hoc secundo modo dicit formam illam, quæ vt quo se habens est qualificatiua generis; in concreto verò dicet ipsum qualificatiuum, vt quod; & licet se habeat vt quod, adhuc seruabit naturam differentiæ, & poterit aduenire generi, quia adhuc erit gradus inferior entis potens ipsum ad determinatam essentiam contrahere.

Duplex genus qualitatis.

V. Verùm aliquid esse quale, potest duplici modo contingere, vel secundùm accidens, vel secundùm substantiam, seu essentiam. Primo modo erit quale, si forma qualificans constituat vnum per accidens cum subiecto qualificato, itaut nedum sit extrà essentiam illius, sed neque illud substantialiter perficiat; sed merè accidentaliter se habeat, nec afficiat vnum per se. Secundùm autem substantiam aliquid erit quale, si forma qualificans constituat vnum per se cum subiecto, quod qualificatur, ita vt simul cum ipso compleat vnam essentiam, & licet sit extrà quidditatem subiecti, non tamen se habeat respectu illius, vt accidentale, sed vt substantiale perfectiuum; cuiusmodi est etiam forma substantialis respectu subiecti. Atque hoc duplex genus qualificationis desumitur ex Arist. supra citato tex. lib. 5. Phys. vbi ponit aliam qualitatem, quæ sit secundùm substantiam, & aliam, quæ sit qualitas passiua merè accidentaliter se habens respectu subiecti. Atque si metaphysicè loqui velimus, hæc qualitas secundùm substantiam est differentia essentialis, quod rursus declarauit idem Arist. 11. Metaph. sum. 4. cap. 3. vbi ait, *Quale autem dico, non quod in substantia (si quidem differentia quale est) verùm passiuum quale, quo dicitur res pati, aut impossibilis esse.*

Quomodo differentia prædicetur in quale quid.

VI. Et ex his colligitur solutio totius difficultatis. Vndè dicimus Differentiam prædicari de eo, in quo est eo modo, quo ipsi inest, quia ad veritatem prędicationis, nedum requiritur, quòd prędicatum insit subiecto, atque talem inexistentiam exprimat, sed etiam, quòd exprimat modum, quo ipsi inest. Cum igitur differentia sit qualitas quædam metaphysica, quę est secundùm substantiam, hoc est secundùm essentiam, hinc ita inest speciei, vt sit pars constitutiua illius, & essentialis. Verùm quia non inest speciei, nisi quatenus vnitur generi, & illi vnitur per modum adiacentis, & qualificantis, ideò modus ipsius essendi in specie, & in eis, de quibus dicitur species, est quidem essentialis, sed cum adiacentia, qua dum inest speciei, adiacet generi. Et ideò cum prędicatio debeat explicare modum,

quo prædicatum adiacet subiecto, debet differentia importare prædicationem in quale quid, vt explicetur, quod sit prædicatum constituens aliquam essentiam, dum adiacet generi. Non enim quando differentia prædicatur, vt differentia, est in subiecto, de quo prædicatur, nisi adiaceat generi. Vndè etiam Porphyr. explicans, quomodo in quale differentia prædicetur, declarat id respectu generis, dum ait, *Nam si interrogabimur, quid est homo, accommodatè dicemus animal; at si quale animal est, rationale, mortaleque, accommodatissimè respondebimus*. Vbi vides, quòd differentia se habet vt prædicans in quale mediante adiacentia, qua generi adhæret, quia interroganti, quale animal est homo, respondetur, Rationale. Et propterea Arist. quoque citato loco lib. 4. Topicor. docet, quòd genus magis exprimit quidditatem, quàm differentia, dum ait. *Deindè quoniam secundùm eius quid est assignationem magis conuenit genus, quàm differentiam dicere; Nam qui animal dicit hominem, magis indicat quid est homo, quam qui gressibile*. Quod ita debet intelligi, non quòd genus sit principalius constitutiuum essentiæ specificæ, cum principalius constituatur à differentia, quoniam ipsa est proprium constitutiuum illius, sed quia, cum essentiæ habeant modum essendi per se, & genus se habeat vt quid per se stans, differentia verò vt ad iacens, ex hoc capite genus importat principalius quidditatẽ in ratione quidditatis, quatenus quidditas est aliquid per se stans.

Porphyr.

Arist.

Quomodo genus importet principalius quid ditatem.

VII. Hinc patet ad rationem dubitandi initio allatam. Verùm enim est, quòd respectu eiusdem, idem non potest esse prædicatum in quid, & in quale, quia esse prædicatum quidditatiuum, & esse extrà essentiam se inuicem destruunt; neque respectu eiusdem id conuenit differentiæ, nam se habet vt prædicatum in quid respectu speciei, cum sit pars essentialis ipsius; & est prædicatum in quale, si immediatè loquamur respectu generis, quia est extrà quidditatem illius, & illi adiacet, mediante autem genere etiam respectu speciei. Quia tamen, dum differentia prædicatur de specie, aut de ijs, quæ continentur sub illa, prædicatur, vt diximus, ex eo, quòd adiacet generi, ideò adæquatus modus prędicandi ipsius explicat, quòd sit pars quidditatiua speciei, & adiaceat generi. Vndè vlterius observandum est, quòd differentia potest etiam in quid præcisè prædicari, absque eo, quòd prædicetur in quale: verùm tunc prædicabitur de suis inferioribus immediatis, & se habebit vt genus, vel vt species, & ad modum per se stantis, non autem, vt differentia, quia vt se habeat tanquam differentia, debet se habere, vt quid adiacens, & non prædicari de inferioribus speciei, nisi mediante specie, immediatè autem prędicatur tantùm de specie, vt quid adiacens generi. Atque hoc vniuersaliter verificatur de omni differentia positiua, etiam si explicetur per modum negatiui, vt est irrationale; non quòd negatiuum prædicetur in quale quid de positiuo, sed quia negatiuo subest positiuum, quod per negationem explicatur.

Ad rationem dubitandi.

Allatam definitionem non explicare rectè definitum.

SECTIO IV.

I. Dicitur in præfata definitione, quòd differentia prædicatur in quale quid de pluribus specie diuersis. Vltimæ autem particulæ difficultatem faciunt, ne videatur rectè tradita. Vt enim aliqua definitio rectè procedat, debet cum definito adæquari, & non potest adæquari, nisi sub se contineat omnia, quę sub definito continentur. Difficultas verò ex eo oritur, quòd dẽtur vltimę differentiæ, vt nunc supponimus, quæ vni tãtùm speciei conueniant, tunc enim huiusmodi differentiæ nõ possunt de pluribus differentibus specie prędicari, quia de ijs solùm prędicatur differentia, de quibus prædicatur species: hæ autem species infimæ de pluribus tantùm numero differẽtibus prædicantur. Pro solutione autẽ varias expositiones Doctores excogitarũt.

II. Et prima quidem expositio est Caiet. in Logica cap. de differentia. Soto ibid. quæst. vnica in respons. ad 6. qui asserunt, huiusmodi definitionem complecti etiam differentias vltimas. Vt autem saluent, quomodo differẽtiæ vltimæ cõpetat prædicari de pluribus specie diuersis, inquiunt, quòd definitio non debet intelligi positiuè, sed negatiuè. Declarant autẽ, nempè quòd differentiæ vltimæ duo im-

Prima expositio. Caiet. Soto.

important, & quòd ſint differentiæ, & quòd ſint tales differentiæ, hoc eſt conſtitutiuæ ſpeciei infimæ. Si igitur differentiæ vltimæ conſiderentur, vt differentiæ ſunt præcisè, illis non repugnat prædicari de pluribus differentibus ſpecie: vndè ſi definitio intelligatur negatiuè, hoc eſt, Differentia eſt id, cui non repugnat prædicari de pluribus differentibus ſpecie, conueniet etiam differentijs vltimis. Quòd autem in tali ſenſu Porphyr. definierit differentiam, cauſa fuit, inquit Soto, quia differentia debet definiri per ordinem ad ſpeciem, cuius eſt pars, cum igitur non conuertatur differentia, vt talis eſt, cum ſpecie vltima, debuit definiri per indifferentiam ad prædicari de pluribus ſpeciebus.

Impugnatur.

III. Verùm hæc expoſitio nullo pacto ſubſiſtere poteſt, & primò redarguitur, quia hæc definitio procedit poſitiuo modo, non autem negatiuo: quomodo autem, cum negatiuum, & poſitiuum contradictoriè opponantur, poſitiua definitio debet negatiuo modo accipi. Secundò. Quod definitur, eſt aliquid poſitiuum, cum igitur definitio debeat explicare quidditatem rei, quomodo ſi rectè traditur, poteſt explicare aliquid negatiuum? Tertiò. Definitio, quando applicatur ſingulis, quæ continentur ſub definito, debet ſemper eodem modo ſumi, & pro eodem ſemper ſupponere, non autem cum æquiuocatione; ſi autem vera eſſet hæc expoſitio, quando definitio applicaretur differentijs ſubalternis, acciperetur poſitiuè, quia illis poſitiuè conuenit prædicari de pluribus differentibus ſpecie: quando verò applicaretur differentijs vltimis, intelligeretur negatiuè, vndè ſupponeret cum æquiuocatione. Quòd ſi dicas, ſemper intelligi negatiuè, tunc non conueniret differentijs ſubalternis, neque ipſarum naturam explicaret, cum poſitiuè de pluribus differentibus ſpecie prædicentur. Quartò, ſicuti differentiæ vltimæ, vt differentia eſt, non conuenit prædicari de pluribus differentibus numero, ſed ſolùm, vt vltima eſt, ita neque ſubalternæ conuenit, vt differentia eſt, prædicari de pluribus differentibus ſpecie, ſed ſolùm, vt ſubalterna eſt: differentiæ verò vt ſic, vt eſt pars ſpeciei, & prout differentia eſt, non minùs repugnat prædicari de pluribus differentibus ſpecie, quàm prædicari de pluribus differentibus numero; vndè ſi definitur,

Definitio debet tradi per id, quod conuenit definito.

vt differentia eſt, non debuit definiri per prædicari de pluribus differentibus ſpecie, cum ab illo abſtrahat. Quod ſi definitur per illud, quòd non repugnat, etiam debuit definiri per prædicari de pluribus differentibus numero, quia hoc quoque illi non repugnat. Deinde quis concedat, rectè definiri genus, quando definitur per differentias illi non repugnantes? hæc enim non eſt definitio. Deindè non ſufficeret ponere vnam differentiam, ſed deberent poni omnes; differentiæ autem, vt differentia eſt, poteſt conuenire, & prædicari de pluribus differentibus ſpecie, & de pluribus differentibus numero.

Prædicari de pluribus ſpeciebus nō poteſt vllo pacto conuenire differētiæ infimæ.

IV. Atque, ſi vera eſſet hæc doctrina, ſequeretur etiam, quòd definitio generis conueniret ſpeciei; ſi quidem etiam illi per non repugnantiam, vt ipſi explicant, poſſet conuenire prædicari de pluribus differentibus ſpecie, ſi videlicet conſideretur, non vt talis natura eſt, verbi gratia tale animal, ſed vt natura vt ſic, nempè animal. Vndè homo poſſet definiri per animal irrationale, quia ratione generis illi non repugnat eſſe irrationalis, & vniuerſaliter loquendo, omnes ſpecies poſſent definiri per definitionem alterius ſpeciei ſibi oppoſitæ, quia ratione generis illi non repugnat differentia oppoſita. Nec minùs rectè definiretur per prædicari de pluribus differentibus numero, quia hoc quoque conuenit non repugnanter differentiæ vt ſic: quod tamen non poteſt eſſe, quia tunc vnius rei plures eſſent definitiones, quod eſt falſum, quia ſicuti vnius rei vna eſt tantùm eſſentia, ita vna quoque definitio. Addo etiam, quamlibet definitionem debere explicare quidditatem rei prout eſt in ſe, quare cum differentiæ vt ſic, quatenus eſt contracta ad vltimam, repugnet poſſe prædicari de pluribus differentibus ſpecie, quia eſſe vltimam ponit hanc repugnantiam in differentia, ideò non poteſt hæc definitio illi competere per non repugnantiam, ſed omninò illi repugnabit; illud enim coniunctum ex differentia vt ſic, & tali differentia repugnanter ſe habet ad prædicandū de pluribus differentibus ſpecie. Quòd ſi dicatur definiri differentiam infimam ſolùm in ratione differentiæ vt ſic, non debet addi *Specie differentibus*, quia hoc illi non competit, vt differentia eſt, vndè falſa eſſet definitio, nam plus explicaret, quàm eſſet in definito.

quo prædicatum adiacet subiecto, debet differentia importare prædicationem in quale quid, vt explicetur, quod sit prædicatum constituens aliquam essentiam, dum adiacet generi. Non enim quando differentia prædicatur, vt differentia, est in subiecto, de quo prædicatur, nisi adiaceat generi. Vndè etiam Porphyr. explicans, quomodo in quale differentia prædicetur, declarat id respectu generis, dum ait, *Nam si interrogabimur, quid est homo, accommodatè dicemus animal; at si quale animal est, rationale, mortaleque, accommodatissimè respondebimus*. Vbi vides, quòd differentia se habet vt prædicans in quale mediante adiacentia, qua generi adhæret, quia interroganti, quale animal est homo, respondetur, Rationale. Et propterea Arist. quoque citato loco lib. 4. Topicor. docet, quòd genus magis exprimit quidditatem, quàm differentia, dum ait. *Deindè quoniam secundùm eius quid est assignationem magis conuenit genus, quàm differentiam dicere; Nam qui animal dicit hominem, magis indicat quid est homo, quam qui gressibile*. Quod ita debet intelligi, non quòd genus sit principalius constitutiuum essentiæ specificæ, cum principalius constituatur à differentia, quoniam ipsa est proprium constitutiuum illius, sed quia, cum essentiæ habeant modum essendi per se, & genus se habeat vt quid per se stans, differentia verò vt adiacens, ex hoc capite genus importat principalius quidditatẽ in ratione quidditatis, quatenus quidditas est aliquid per se stans.

Porphyr.

Arist.

Quomodo genus importet principalius quidditatem.

VII. Hinc patet ad rationem dubitandi initio allatam. Verùm enim est, quòd respectu eiusdem, idem non potest esse prædicatum in quid, & in quale, quia esse prædicatum quidditatiuum, & esse extrà essentiam se inuicem destruunt; neque respectu eiusdem id conuenit differentiæ, nam se habet vt prædicatum in quid respectu speciei, cum sit pars essentialis ipsius; & est prædicatum in quale, si immediatè loquamur respectu generis, quia est extrà quidditatem illius, & illi adiacet, mediante autem genere etiam respectu speciei. Quia tamen, dum differentia prædicatur de specie, aut de ijs, quæ continentur sub illa, prædicatur, vt diximus, ex eo, quòd adiacet generi, ideò adæquatus modus prędicandi ipsius explicat, quòd sit pars quidditatiua speciei, & adiaceat generi. Vndè vlterius obseruandum est, quòd differentia potest etiam in quid præcisè prædicari, absque eo, quòd prædicetur in quale: verùm tunc prædicabitur de suis inferioribus immediatis, & se habebit vt genus, vel vt species, & ad modum per se stantis, non autem, vt differentia, quia vt se habeat tanquam differentia, debet se habere, vt quid adiacens, & non prædicari de inferioribus speciei, nisi mediante specie, immediatè autem prędicatur tantùm de specie, vt quid adiacens generi. Atque hoc vniuersaliter verificatur de omni differentia positiua, etiam si explicetur per modum negatiui, vt est irrationale; non quòd negatiuum prædicetur in quale quid de positiuo, sed quia negatiuo subest positiuum, quod per negationem explicatur.

Ad rationem dubitandi.

Allatam definitionem non explicare rectè definitum.

SECTIO IV.

I. Dicitur in præfata definitione, quòd differentia prædicatur in quale quid de pluribus specie diuersis. Vltimæ autem particulæ difficultatem faciunt, ne videatur rectè tradita. Vt enim aliqua definitio rectè procedat, debet cum definito adæquari, & non potest adęquari, nisi sub se contineat omnia, quę sub definito continentur. Difficultas verò ex eo oritur, quòd dētur vltimę differentiæ, vt nunc supponimus, quæ vni tātùm speciei conueniant, tunc enim huiusmodi differentiæ nō possunt de pluribus differentibus specie prędicari, quia de ijs solùm prędicatur differentia, de quibus prædicatur species: hæ autem species infimæ de pluribus tantùm numero differētibus prædicantur. Pro solutione autē varias expositiones Doctores excogitarūt.

II. Et prima quidem expositio est Caiet. in Logica cap. de differentia. Soto ibid. quæst. vnica in respons. ad 6. qui afferunt, huiusmodi definitionem complecti etiam differentias vltimas. Vt autem saluent, quomodo differētiæ vltimæ cōpetat prædicari de pluribus specie diuersis, inquiunt, quòd definitio non debet intelligi positiuè, sed negatiuè. Declarant autē, nempè quòd differentiæ vltimæ duo

Prima expositio. Caiet. Soto.

im-

importent, & quòd sint differentiæ, & quòd sint tales differentiæ, hoc est constitutiuæ speciei infimæ. Si igitur differentiæ vltimæ considerentur, vt differentiæ sunt præcisè, illis non repugnat prædicari de pluribus differentibus specie: vndè si definitio intelligatur negatiuè, hoc est, Differentia est id, cui non repugnat prædicari de pluribus differentibus specie, conueniet etiam differentijs vltimis. Quòd autem in tali sensu Porphyr. definierit differentiam, causa fuit, inquit Soto, quia differentia debet definiri per ordinem ad speciem, cuius est pars, cum igitur non conuertatur differentia, vt talis est, cum specie vltima, debuit definiri per indifferentiam ad prædicari de pluribus speciebus.

Impugnatur. III. Verùm hæc expositio nullo pacto subsistere potest, & primò redarguitur, quia hæc definitio procedit positiuo modo, non autem negatiuo: quomodo autem, cum negatiuum, & positiuum contradictoriè opponantur, positiua definitio debet negatiuo modo accipi. Secundò. Quod definitur, est aliquid positiuum, cum igitur definitio debeat explicare quidditatem rei, quomodo si rectè traditur, potest explicare aliquid negatiuum? Tertiò. Definitio, quando applicatur singulis, quæ continentur sub definito, debet semper eodem modo sumi, & pro eodem semper supponere, non autem cum æquiuocatione; si autem vera esset hæc expositio, quando definitio applicaretur differentijs subalternis, acciperetur positiuè, quia illis positiuè conuenit prædicari de pluribus differentibus specie: quando verò applicaretur differentijs vltimis, intelligeretur negatiuè, vndè supponeret cum æquiuocatione. Definitio debet tradi per id, quod conuenit definito. Quòd si dicas, semper intelligi negatiuè, tunc non conueniret differentijs subalternis, neque ipsarum naturam explicaret, cum positiuè de pluribus differentibus specie prædicentur. Quartò, sicuti differentiæ vltimæ, vt differentia est, non conuenit prædicari de pluribus differentibus numero, sed solùm, vt vltima est, ita neque subalternæ conuenit, vt differentia est, prædicari de pluribus differentibus specie, sed solùm, vt subalterna est: differentiæ verò vt sic, vt est pars speciei, & prout differentia est, non minùs repugnat prædicari de pluribus differentibus specie, quàm prædicari de pluribus differentibus numero; vndè si definitur, vt differentia est, non debuit definiri per prædicari de pluribus differentibus specie, cum ab illo abstrahat. Quod si definitur per illud, quòd non repugnat, etiam debuit definiri per prædicari de pluribus differentibus numero, quia hoc quoque illi non repugnat. Deinde quis concedat, rectè definiri genus, quando definitur per differentias illi non repugnantes? hæc enim non est definitio. Deindè non sufficeret ponere vnam differentiam, sed deberent poni omnes; differentiæ autem, vt differentia est, potest conuenire, & prædicari de pluribus differentibus specie, & de pluribus differentibus numero. Prædicari de pluribus speciebus nō potest vllo pacto conuenire differentiæ infimæ.

IV. Atque, si vera esset hæc doctrina, sequeretur etiam, quòd definitio generis conueniret speciei; si quidem etiam illi per non repugnantiam, vt ipsi explicant, posset conuenire prædicari de pluribus differentibus specie, si videlicet consideretur, non vt talis natura est, verbi gratia tale animal, sed vt natura vt sic, nempè animal. Vndè homo posset definiri per animal irrationale, quia ratione generis illi non repugnat esse irrationalis, & vniuersaliter loquendo, omnes species possent definiri per definitionem alterius speciei sibi oppositæ, quia ratione generis illi non repugnat differentia opposita. Nec minùs rectè definiretur per prædicari de pluribus differentibus numero, quia hoc quoque conuenit non repugnanter differentiæ vt sic: quod tamen non potest esse, quia tunc vnius rei plures essent definitiones, quod est falsum, quia sicuti vnius rei vna est tantùm essentia, ita vna quoque definitio. Addo etiam, quamlibet definitionem debere explicare quidditatem rei prout est in se, quare cum differentiæ vt sic, quatenus est contracta ad vltimam, repugnet posse prædicari de pluribus differentibus specie, quia esse vltimam ponit hanc repugnantiam in differentia, ideò non potest hæc definitio illi competere per non repugnantiam, sed omninò illi repugnabit; illud enim coniunctum ex differentia vt sic, & tali differentia repugnanter se habet ad prædicandū de pluribus differentibus specie. Quòd si dicatur definiri differentiam infimam solùm in ratione differentiæ vt sic, non debet addi *Specie differentibus*, quia hoc illi non competit, vt differentia est, vndè falsa esset definitio, nam plus explicaret, quàm esset in definito.

 V. Ita-

quo prædicatum adiacet subiecto, debet differeutia importare prædicationem in quale quid, vt explicetur, quod sit prædicatum constitueus aliquam essentiam, dum adiacet geueri. Non enim quaudo differentia prædicatur, vt differeutia, est in subiecto, de quo prædicatur, nisi adiaceat generi. Vndè etiam Porphyr. explicaus, quomodo in quale differentia prædicetur, declarat id respectu generis, dum ait, *Nam si interrogabimur, quid est homo, accommodatè dicemus animal; at si quale animal est, rationale, mortaleque, accommodatissimè respondebimus*. Vbi vides, quòd differentia se habet vt prædicaus in quale mediante adiacentia, qua generi adhæret, quia interroganti, quale animal est homo, respondetur, Rationale. Et proptereà Arist. quoque citato loco lib. 4. Topicor. docet, quòd genus magis exprimit quidditatem, quàm differentia, dum ait. *Deindè quoniam secundùm eius quid est assignationem magis conuenit genus, quàm differentiam dicere; Nam qui animal dicit hominem, magis indicat quid est homo, quam qui gressibile*. Quod ita debet intelligi, non quòd genus sit principalius constitutiuum essentiæ specificæ, cum principalius constituatur à differentia, quoniam ipsa est proprium constitutiuum illius, sed quia, cum essentiæ habeant modum essendi per se, & genus se habeat vt quid per se stans, differentia verò vt adiacens, ex hoc capite genus importat principalius quidditatē in ratione quidditatis, quatenus quidditas est aliquid per se stans.

Porphyr

Arist.

Quomodo genus importet principalius quidditatem.

Ad rationem dubitandi.

VII. Hinc patet ad rationem dubitaudi initio allatam. Verùm enim est, quòd respectu eiusdem, idem non potest esse prædicatum in quid, & in quale, quia esse prædicatum quidditatiuum, & esse extrà essentiam se inuicem destruunt; neque respectu eiusdem id conuenit differeutiæ, nam se habet vt prædicatum in quid respectu speciei, cum sit pars essentialis ipsius; & est prædicatum in quale, si immediatè loquamur respectu generis, quia est extrà quidditatem illius, & illi adiacet, mediante autem genere etiam respectu speciei. Quia tamen, dum differentia prædicatur de specie, aut de ijs, quæ continentur sub illa, prædicatur, vt diximus, ex eo, quòd adiacet generi, ideò adæquatus modus prędicandi ipsius explicat, quòd sit pars quidditatiua speciei, & adiaceat generi. Vndè vlterius obseruandum est, quòd differentia potest etiam in quid præcisè prædicari, absque eo, quòd prædicetur in quale: verùm tunc prædicabitur de suis inferioribus immediatis, & se habebit vt genus, vel vt species, & ad modum per se stantis, non autem, vt differentia, quia vt se habeat tanquam differentia, debet se habere, vt quid adiacens, & non prædicari de inferioribus speciei, nisi mediante specie, immediatè autem prędicatur tantùm de specie, vt quid adiacens generi. Atque hoc vniuersaliter verificatur de omni differentia positiua, etiam si explicetur per modum negatiui, vt est irrationale; non quòd negatiuum prædicetur in quale quid de positiuo, sed quia negatiuo subest positiuum, quod per negationem explicatur.

Allatam definitionem non explicare rectè definitum.

SECTIO IV.

I. Dicitur in præfata definitione, quòd differentia prædicatur in quale quid de pluribus specie diuersis. Vltimæ autem particulæ difficultatem faciunt, ne videatur rectè tradita. Vt enim aliqua definitio rectè procedat, debet cum definito adæquari, & non potest adęquari, nisi sub se contineat omnia, quę sub definito continentur. Difficultas verò ex eo oritur, quòd dētur vltimę differentiæ, vt nunc supponimus, quæ vni tātùm speciei conueniant, tunc enim huiusmodi differentiæ nō possunt de pluribus differentibus specie prędicari, quia de ijs solùm prędicatur differentia, de quibus prædicatur species: hæ autem species infimæ de pluribus tantùm numero differētibus prædicantur. Pro solutione autē varias expositiones Doctores excogitarūt.

II. Et prima quidem expositio est Caiet. in Logica cap. de differentia. Soto ibid. quæst. vnica in respons. ad 6. qui asseruut, huiusmodi definitionem complecti etiam differentias vltimas. Vt autem saluent, quomodo differētiæ vltimæ cōpetat prædicari de pluribus specie diuersis, inquiunt, quòd definitio non debet intelligi positiuè, sed negatiuè. Declarant autē, nempè quòd differentiæ vltimæ duo

Prima expositio. Caiet. Soto.

im-

importans, & quòd sint differentiæ, & quòd sint tales differentiæ, hoc est constitutiuæ speciei infimæ. Si igitur differentiæ vltimæ considerentur, vt differentiæ sunt præcisè, illis non repugnat prædicari de pluribus differentibus specie: vndè si definitio intelligatur negatiuè, hoc est, Differentia est id, cui non repugnat prædicari de pluribus differentibus specie, conueniret etiam differentijs vltimis. Quòd autem in tali sensu Porphyr. definierit differentiam, causa fuit, inquit Soto, quia differentia debet definiri per ordinem ad speciem, cuius est pars, cum igitur non conuertatur differentia, vt talis est, cum specie vltima, debuit definiri per indifferentiam ad prædicari de pluribus speciebus.

Impugnatur.

III. Verùm hæc expositio nullo pacto subsistere potest, & primò redarguitur, quia hæc definitio procedit positiuo modo, non autem negatiuo: quomodo antem, cum negatiuum, & positiuum contradictoriè opponantur, positiua definitio debet negatiuo modo accipi. Secundò. Quod definitur, est aliquid positiuum, cum igitur definitio debeat explicare quidditatem rei, quomodo si rectè traditur, potest explicare aliquid negatiuum? Tertiò. Definitio, quando applicatur singulis, quæ continentur sub definito, debet semper eodem modo sumi, & pro eodem semper supponere, non autem cum æquiuocatione; si autem vera esset hæc expositio, quando definitio applicaretur differentijs subalternis, acciperetur positiuè, quia illis positiuè conuenit prædicari de pluribus differentibus specie: quando verò applicaretur differentijs vltimis, intelligeretur negatiuè, vndè supponeret cum æquiuocatione. Quòd si dicas, semper intelligi negatiuè, tunc non conueniret differentijs subalternis, neque ipsarum naturam explicaret, cum positiuè de pluribus differentibus specie prædicentur. Quartò, sicuti differentiæ vltimæ, vt differentia est, non conuenit prædicari de pluribus differentibus numero, sed solùm, vt vltima est, ita neque subalternæ conuenit, vt differentia est, prædicari de pluribus differentibus specie, sed solùm, vt subalterna est: differentiæ verò vt sic, vt est pars speciei, & prout differentia est, non minùs repugnat prædicari de pluribus differentibus specie, quàm prædicari de pluribus differentibus numero; vndè si definitur,

Definitio debet tradi per id, quod conuenit definito.

vt differentia est, non debuit definiri per prædicari de pluribus differentibus specie, cum ab illo abstrahat. Quod si definitur per illud, quòd non repugnat, etiam debuit definiri per prædicari de pluribus differentibus numero, quia hoc quoque illi non repugnat. Deinde quis concedat, rectè definiri genus, quando definitur per differentias illi non repugnantes? hæc enim non est definitio. Deindè non sufficeret ponere vnam differentiam, sed deberent poni omnes; differentiæ autem, vt differentia est, potest conuenire, & prædicari de pluribus differentibus specie, & de pluribus differentibus numero.

Prædicari de pluribus speciebus nõ potest vllo pacto conuenire differētiæ infimæ.

IV. Atque, si vera esset hæc doctrina, sequeretur etiam, quòd definitio generis conueniret speciei; si quidem etiam illi per non repugnantiam, vt ipsi explicant, posset conuenire prædicari de pluribus differentibus specie, si videlicet consideretur, non vt talis natura est, verbi gratia tale animal, sed vt natura vt sic, nempè animal. Vndè homo posset definiri per animal irrationale, quia ratione generis illi non repugnat esse irrationalis, & vniuersaliter loquendo, omnes species possent definiri per definitionem alterius speciei sibi oppositæ, quia ratione generis illi non repugnat differentia opposita. Nec minùs rectè definiretur per prędicari de pluribus differentibus numero, quia hoc quoque conuenit non repugnanter differentiæ vt sic: quod tamen non potest esse, quia tunc vnius rei plures essent definitiones, quod est falsum, quia sicuti vnius rei vna est tantùm essentia, ita vna quoque definitio. Addo etiam, quamlibet definitionem debere explicare quidditatem rei prout est in se, quare cum differentiæ vt sic, quatenus est contracta ad vltimam, repugnet posse prædicari de pluribus differentibus specie, quia esse vltimam ponit hanc repugnantiam in differentia, ideò non potest hæc definitio illi competere per non repugnantiam, sed omninò illi repugnabit; illud enim coniunctum ex differentia vt sic, & tali differentia repugnanter se habet ad prædicandũ de pluribus differentibus specie. Quòd si dicatur definiri differentiam infimam solùm in ratione differentiæ vt sic, non debet addi *Specie differentibus*, quia hoc illi non competit, vt differentia est, vndè falsa esset definitio, nam plus explicaret, quàm esset in definito.

quo prædicatum adiacet subiecto, debet differentia importare prædicationem in quale quid, vt explicetur, quod sit prædicatum constituens aliquam essentiam, dum adiacet generi. Non enim quando differentia prædicatur, vt differentia, est in subiecto, de quo prædicatur, nisi adiaceat generi. Vndè etiam Porphyr. explicans, quomodo in quale differentia prædicetur, declarat id respectu generis, dum ait, *Nam si interrogabimur, quid est homo, accommodatè dicemus animal*; *at si quale animal est, rationale, mortaleque, accommodatissimè respondebimus*. Vbi vides, quòd differentia se habet vt prædicans in quale, mediante adiacentia, qua generi adhæret, quia interroganti, quale animal est homo, responderetur, Rationale. Et proptereà Arist. quoque citato loco lib. 4. Topicor. docet, quòd genus magis exprimit quidditatem, quàm differentia, dum ait. *Deindè quoniam secundùm eius quid est assignationem magis conuenit genus, quàm differentiam dicere; Nam qui animal dicit hominem, magis indicat quid est homo, quam qui gressibile*. Quod ita debet intelligi, non quòd genus sit principalius constitutiuum essentiæ specificæ, cum principalius constituatur à differentia, quoniam ipsa est proprium constitutiuum illius, sed quia, cum essentiæ habeant modum essendi per se, & genus se habeat vt quid per se stans, differentia verò vt adiacens, ex hoc capite genus importat principalius quidditatè in ratione quidditatis, quatenus quidditas est aliquid per se stans.

Porphyr. | Arist. | Quomodo genus importet principalius quidditatem.

VII. Hinc patet ad rationem dubitandi initio allatam. Verùm enim est, quòd respectu eiusdem, idem non potest esse prædicatum in quid, & in quale, quia esse prædicatum quidditatiuum, & esse extrà essentiam se inuicem destruunt; neque respectu eiusdem id conuenit differentiæ, nam se habet vt prædicatum in quid respectu speciei, cum sit pars essentialis ipsius; & est prædicatum in quale, si immediatè loquamur respectu generis, quia est extrà quidditatem illius, & illi adiacet, mediante autem genere etiam respectu speciei. Quia tamen, dum differentia prædicatur de specie, aut de ijs, quæ continentur sub illa, prædicatur, vt diximus, ex eo, quòd adiacet generi, ideò adæquatus modus prędicandi ipsius explicat, quòd sit pars quidditatiua speciei, & adiaceat generi. Vndè vlterius obseruandum est, quòd differentia potest etiam in quid præcisè prædicari, absque eo, quòd prædicetur in quale: verùm tunc prædicabitur de suis inferioribus immediatis, & se habebit vt genus, vel vt species, & ad modum per se stantis, non autem, vt differentia, quia vt se habeat tanquam differentia, debet se habere, vt quid adiacens, & non prædicari de inferioribus speciei, nisi mediante specie, immediatè autem prędicatur tantùm de specie, vt quid adiacens generi. Atque hoc vniuersaliter verificatur de omni differentia positiua, etiam si explicetur per modum negatiui, vt est irrationale; non quòd negatiuum prædicetur in quale quid de positiuo, sed quia negatiuo subest positiuum, quod per negationem explicatur.

Ad rationem dubitandi.

Allatam definitionem non explicare rectè definitum.

SECTIO IV.

I. Dicitur in præfata definitione, quòd differentia prædicatur in quale quid de pluribus specie diuersis. Vltimæ autem particulæ difficultatem faciunt, ne videatur rectè tradita. Vt enim aliqua definitio rectè procedat, debet cum definito adæquari, & non potest adęquari, nisi sub se contineat omnia, quę sub definito continentur. Difficultas verò ex eo oritur, quòd dètur vltimę differentiæ, vt nunc supponimus, quæ vni tâtùm speciei conueniant, tunc enim huiusmodi differentiæ nõ possunt de pluribus differentibus specie prędicari, quia de ijs solùm prędicatur differentia, de quibus prædicatur species: hæ autem species infimæ de pluribus tantùm numero differẽtibus prædicantur. Pro solutione autẽ varias expositiones Doctores excogitarũt.

II. Et prima quidem expositio est Caiet. in Logica cap. de differentia. Soto ibid. quæst. vnica in respons. ad 6. qui asserunt, huiusmodi definitionem complecti etiam differentias vltimas. Vt autem saluent, quomodo differẽtiæ vltimæ cõpetat prædicari de pluribus specie diuersis, inquiunt, quòd definitio non debet intelligi positiuè, sed negatiuè. Declarant autẽ, nempè quòd differentiæ vltimæ duo im-

Prima expositio. Caiet. Soto.

important, & quòd sint differentiæ, & quòd sint tales differentiæ, hoc est constitutiuæ speciei infimæ. Si igitur differentiæ vltimæ considerentur, vt differentiæ sunt præcisè, illis non repugnat prædicari de pluribus differentibus specie: vndè si definitio intelligatur negatiuè, hoc est, Differentia est id, cui non repugnat prædicari de pluribus differentibus specie, conueniet etiam differentijs vltimis. Quòd autem in tali sensu Porphyr. definierit differentiam, causa fuit, inquit Soto, quia differentia debet definiri per ordinem ad speciem, cuius est pars, cum igitur non conuertatur differentia, vt talis est, cum specie vltima, debuit definiri per indifferentiam ad prædicari de pluribus speciebus.

Impugnatur.

III. Verùm hæc expositio nullo pacto subsistere potest, & primò redarguitur, quia hæc definitio procedit positiuo modo, non autem negatiuo: quomodo autem, cum negatiuum, & positiuum contradictoriè opponantur, positiua definitio debet negatiuo modo accipi. Secundò. Quod definitur, est aliquid positiuum, cum igitur definitio debeat explicare quidditatem rei, quomodo si rectè traditur, potest explicare aliquid negatiuum? Tertiò. Definitio, quando applicatur singulis, quæ continentur sub definito, debet semper eodem modo sumi, & pro eodem semper supponere, non autem cum æquiuocatione; si autem vera esset hæc expositio, quando definitio applicaretur differentijs subalternis, acciperetur positiuè, quia illis positiuè conuenit prædicari de pluribus differentibus specie: quando verò applicaretur differentijs vltimis, intelligeretur negatiuè, vndè supponeret cum æquiuocatione. Quòd si dicas, semper intelligi negatiuè, tunc non conueniret differentijs subalternis, neque ipsarum naturam explicaret, cum positiuè de pluribus differentibus specie prædicentur. Quartò, sicuti differentiæ vltimæ, vt differentia est, non conuenit prædicari de pluribus differentibus numero, sed solùm, vt vltima est, ita neque subalternæ conuenit, vt differentia est, prædicari de pluribus differentibus specie, sed solùm, vt subalterna est: differentiæ verò vt sic, vt est pars speciei, & prout differentia est, non minùs repugnat prædicari de pluribus differentibus specie, quàm prædicari de pluribus differentibus numero; vndè si definitur,

Definitio debet tradi per id, quod conuenit definito.

vt differentia est, non debuit definiri per prædicari de pluribus differentibus specie, cum ab illo abstrahat. Quod si definitur per illud, quòd non repugnat, etiam debuit definiri per prædicari de pluribus differentibus numero, quia hoc quoque illi non repugnat. Deinde quis concedat, rectè definiri genus, quando definitur per differentias illi non repugnantes? hæc enim non est definitio. Deindè non sufficeret ponere vnam differentiam, sed deberent poni omnes; differentiæ autem, vt differentia est, potest conuenire, & prædicari de pluribus differentibus specie, & de pluribus differentibus numero.

Prædicari de pluribus speciebus nô potest vllo pacto conuenire differentiæ infimæ.

IV. Atque, si vera esset hæc doctrina, sequeretur etiam, quòd definitio generis conueniret speciei; si quidem etiam illi per non repugnantiam, vt ipsi explicant, posset conuenire prædicari de pluribus differentibus specie, si videlicet consideretur, non vt talis natura est, verbi gratia tale animal, sed vt natura vt sic, nempè animal. Vndè homo posset definiri per animal irrationale, quia ratione generis illi non repugnat esse irrationalis, & vniuersaliter loquendo, omnes species possent definiri per definitionem alterius speciei sibi oppositæ, quia ratione generis illi non repugnat differentia opposita. Nec minùs rectè definiretur per prędicari de pluribus differentibus numero, quia hoc quoque conuenit non repugnanter differentiæ vt sic: quod tamen non potest esse, quia tunc vnius rei plures essent definitiones, quod est falsum, quia sicuti vnius rei vna est tantùm essentia, ita vna quoque definitio. Addo etiam, quamlibet definitionem debere explicare quidditatem rei prout est in se, quare cum differentiæ vt sic, quatenus est contracta ad vltimam, repugnet posse prædicari de pluribus differentibus specie, quia esse vltimam ponit hanc repugnantiam in differentia, ideò non potest hæc definitio illi competere, per non repugnantiam, sed omninò illi repugnabit; illud enim coniunctum ex differentia vt sic, & tali differentia repugnanter se habet ad prædicandū de pluribus differentibus specie. Quòd si dicatur definiri differentiam infimam solùm in ratione differentiæ vt sic, non debet addi *Specie differentibus*, quia hoc illi non competit, vt differentia est, vndè falsa esset desfinitio, nam plus explicaret, quàm esset in definito.

gressibili, & volatili, & acquatili, & bipedi. Hoc enim est de natura differentiæ, vt diximus, quòd hoc pacto diuidat genus, ex eo, quòd non adæquat totam latitudinem ipsius, & idcircò dicitur genus diuidere, licet genus in specie ratione differentiæ contineatur, quia vna differentia non trahit ad se genus secundùm totam latitudinem, cum ex intrinseca sua ratione habeat, vt ordinetur ad plura. Atque differentia ita diuidit genus, vt coarctet, & limitet ad aliquam peculiarem speciem. Cum enim differentia sit aliquid limitatum, & importet peculiarem gradum entis, idcircò etiam contrahit, & limitat genus ad certam naturam, & cum vnaquæque differentia id præstet, sequitur, vt dum cum pluribus vnitur, diuidatur.

Quid dicendum de certia definitione.

VI. In tertia autem definitione, qua dicitur, differentiam esse illam, qua singula inter se differunt, cum explicetur tantùm communissimus conceptus differentiæ, vt etiam initio sect. præcedentis adnotauimus, non potest adæquatè explicari natura differentiæ metaphysicæ, cum non faciat solùm differre, sed tali modo differre, nempè essentialiter; quod etiam adnotauit Porphyr. nam cum attulisset hanc definitionem, statim subdit. *Exactius autem ea, quæ ad differentiam spectant, pertractantes, differentiam inquiunt, non quoduis eorum esse, quæ separant ea, quæ sub eodem genere collocantur, sed id, quod ad substantiam, rationemque confert, & quòd pars eius est rei, cuius differentia dicitur esse*. Constat ergo, quòd hæc definitio explicet tantùm conceptum genericum differentiæ metaphysicæ, non verò propriam rationem; & vt adæquata esset, deberet tali pacto tradi. Differentia est illa, qua species differunt inter se essentialiter. Altera autem definitio, quæ traditur per prædicabilitatem, maiorem difficultatem continet, & ideò in sequentibus eam examinabimus.

Quomodo differentia prædicetur in quale quid.

SECTIO III.

Ratio dubitandi.

I. DEfinitur differentia à Porphyr. quòd sit illa, quæ prædicatur in quale quid de pluribus differentibus specie. Hinc autem oritur difficultas, quomodo possit in quale quid prædicari. Et ratio dubitandi est, quia quale, & quid videntur modi prædicationis se inuicem destruentes: Prędicari enim in quid est prædicari, vt quid essentiale. Prędicari vero in quale, est prædicari, vt quid extrà essentiam. Itaque cum esse extrà essentiam, & esse quid essentiale sint rationes incompossibiles, erunt etiam incompossibiles hi modi prædicandi in quid, & in quale. Neque dici potest, quòd differentia respectu vnius prædicetur in quid, & in quale respectu alterius, nam Porphyr. intelligit, quòd respectu einsdem prædicetur in quale quid, & hoc necessariò dicendum est, vt contradistinguatur à cœteris prædicabilibus, nam etiam species prædicatur in quid, proprium verò, & accidens in quale, vndè vt differentia habeat distinctum modum prędicandi, debet respectu eiusdem prædicari in quale quid.

Quid sit prædicari in quale quid.

II. Pro solutione huius difficultatis declarandum est, quid sit hoc prędicari in quale quid. Communiter autem dicunt importare talem modum prędicationis, quo congruenter possit satisfieri interrogationi, quæ fit per quale. Quod docet Porphyr. quoque cap. de Differentia, nam cum tradidisset definitionem, declarat, quid sit hic modus prędicandi, & ait: *Nam si interrogabimur, quid est homo, accommodatè dicemus animal; at si quale animal est, interrogabimur; Rationale, mortaleque, accommodatissimè respondebimus*. Verùm non adhuc soluta est difficultas, neque explicatur, quomodo simul stent hęc duo, nempè prędicari in quale, & in quid; quoniam interrogationi, quæ fit per quale accommodatè respondemus per quamlibet qualitatem accidentalem, quę cum non sit de essentia, non potest prędicari in quid, vndè Arist. quoque in Prædicamento qualitatis ait, *Qualitatem verò dico, qua quales quidam dicuntur*. Si igitur qualitas reddit quale, optimè interroganti, quale est hoc, potest responderi per quamlibet qualitatem, vt si dicatur, qualis est paries, responderi potest, esse album.

Porphyr.

Arist.

Quale importat prædicatū extrà essentiā.

III. Igitur adnotandum. Quòd quale importat quidem prædicatum, quod sit extrà quidditatem illius, quod qualificatur. Etenim Quale dicit concretum quoddam coalescens ex subiecto, & forma.

ma. Omnis autem forma est extrà quidditatem sui subiecti, quia supponit subiectum saltem in aliquo priori naturæ præcedere: vndè etiam forma, quæ qualificat aliquod subiectum, se habet, vt quid adiacens ipsi, & conferens illi suum effectum formalem, quo in tali esse per quamdam qualificationem constituatur. Hoc autem totum conuenire potest differentiæ, nam & est forma quædam metaphysica, quæ aduenit generi, tanquam subiecto metaphysico, & est extrà quidditatem ipsius, prout est quædam pars componens speciem; vndè, & genus ex eo, quòd secundùm suum esse peculiare est denudatum omni differentia, potest coniungi, quantum est de se, cum hac, vel illa differentia, componendo diuersas species:

Differentia denominat genus per modum formæ adiacentis.

IV. Insuper etiam, quia differentia, nedum est extrà quidditatem generis, sed etiam ita illud afficit, vt contrahat ad determinatam essentiam, ita vt mediante hac contractione constituatur talis natura; atque indè fit, vt concretum illud naturæ denominetur tale, denominatione per modum formæ adiacentis; hinc fit vt differentia habeat rationem qualitatis, quatenus qualificat genus, & concretum talis naturæ.

Arist.

Quod etiam docuit Arist. 4. Topicor. cap. 4. loco 71. *Et quoniam differentia quidem qualitatem generis semper significat, genus autem differentia non; nam qui dicit gressibile, quale quid animal significat.* Et idem habet etiam 5. Phys. tex. 18. vbi inquit *Qualitatem non eam dico, quæ in substantia est (est enim, & differentia qualitas) sed eam, quæ est passiua, &c.* Quod repetit quoque in Metaph. lib. 5. tex. 19. *Quale dicitur vno modo differentia substantiæ, vt pote quale animal homo, quoniam bipes, equus verò quadruples, & circulus qualis quædam figura, quoniam absque angulis est, tanquam differentia, quæ secundùm substantiam qualitas sit. Vno itaque modo qualitas dicitur substantiæ differentia.* Cœterùm differentia, prout est qualitas quædam, potest sumi, & in concreto, & in abstracto, hoc secundo modo dicit formam illam, quæ vt quo se habens est qualificatiua generis: in concreto verò dicet ipsum qualificatiuum, vt quod; & licet se habeat vt quod, adhuc seruabit naturam differentiæ, & poterit aduenire generi, quia adhuc erit gradus inferior entis potens ipsum ad determinatam essentiam contrahere.

Duplex genus qualificationis.

V. Verùm aliquid esse quale, potest duplici modo contingere, vel secundùm accidens, vel secundùm substantiam, seu essentiam. Primo modo erit quale, si forma qualificans constituat vnum per accidens cum subiecto qualificato, itaut nedum sit extrà essentiam illius, sed neque illud substantialiter perficiat; sed merè accidentaliter se habeat, nec afficiat vnum per se. Secundùm autem substantiam aliquid erit quale, si forma qualificans constituat vnum per se, cum subiecto, quod qualificatur, ita, vt simul cum ipso compleat vnam essentiam, & licet sit extrà quidditatem subiecti, non tamen se habeat respectu illius, vt accidentale, sed vt substantiale perfectiuum; cuiusmodi est etiam forma substantialis respectu subiecti. Atque hoc duplex genus qualificationis desumitur ex Arist. supra citato tex. lib. 5. Phys. vbi ponit aliam qualitatem, quæ sit secundùm substantiam, & aliam, quæ sit qualitas passiua merè accidentaliter se habens respectu subiecti. Atque si metaphysice loqui velimus, hæc qualitas secundùm substantiam est differentia essentialis, quod rursus declarauit idem Arist. 11. Metaph. sum. 4. cap. 3. vbi ait, *Quale autem dico, non quod in substantia (si quidem differentia quale est) verùm passiuum quale, quo dicitur res pati, aut impossibilis esse.*

VI. Et ex his colligitur solutio totius difficultatis. Vndè dicimus Differentiam prædicari de eo, in quo est eo modo, quo ipsi inest, quia ad veritatem prędicationis, nedum requiritur, quòd prędicatum insit subiecto, atque talem inexistentiam exprimat, sed etiam, quòd exprimat modum, quo ipsi inest. Cum igitur differentia sit qualitas quædam metaphysica, quę est secundùm substantiam, hoc est secundùm essentiam, hinc ita inest speciei, vt sit pars constitutiua illius, & essentialis. Verùm quia non inest speciei, nisi quatenus vnitur generi, & illi vnitur per modum adiacentis, & qualificantis, ideò modus ipsius essendi in specie, & in eis, de quibus dicitur species, est quidem essentialis, sed cum adiacentia, qua dum inest speciei, adiacet generi. Et ideò cum prędicatio debeat explicare modum,

Quomodo differētia prædicetur in quale quid.

important, & quòd sint differentiæ, & quòd sint tales differentiæ, hoc est constitutiuæ speciei infimæ. Si igitur differentiæ vltimæ considerentur, vt differentiæ sunt præcisè, illis non repugnat prædicari de pluribus differentibus specie: vndè si definitio intelligatur negatiuè, hoc est, Differentia est id, cui non repugnat prædicari de pluribus differentibus specie, conueniet etiam differentijs vltimis. Quòd autem in tali sensu Porphyr. definierit differentiam, causa fuit, inquit Soto, quia differentia debet definiri per ordinem ad speciem, cuius est pars, cum igitur non conuertatur differentia, vt talis est, cum specie vltima, debuit definiri per indifferentiam ad prædicari de pluribus speciebus.

Impugnatur. III. Verùm hæc expositio nullo pacto subsistere potest, & primò redarguitur, quia hæc definitio procedit positiuo modo, non autem negatiuo: quomodo autem, cum negatiuum, & positiuum contradictoriè opponantur, positiua definitio debet negatiuo modo accipi. Secundò, Quod definitur, est aliquid positiuum, cum igitur definitio debeat explicare quidditatem rei, quomodo si rectè traditur, potest explicare aliquid negatiuum? Tertiò. Definitio, quando applicatur singulis, quæ continentur sub definito, debet semper eodem modo sumi, & pro eodem semper supponere, non autem cum æquiuocatione; si autem vera esset hæc expositio, quando definitio applicaretur differentijs subalternis, acciperetur positiuè, quia illis positiuè conuenit prædicari de pluribus differentibus specie: quando verò applicaretur differentijs vltimis, intelligeretur negatiuè, vndè supponeret cum æquiuocatione. Quòd si dicas, semper intelligi negatiuè, tunc non conueniret differentijs subalternis, neque ipsarum naturam explicaret, cum positiuè de pluribus differentibus specie prædicentur. Quartò, sicuti differentiæ vltimæ, vt differentia est, non conuenit prædicari de pluribus differentibus numero, sed solùm, vt vltima est, ita neque subalternæ conuenit, vt differentia est, prædicari de pluribus differentibus specie, sed solùm, vt subalterna est: differentiæ verò vt sic, vt est pars speciei, & prout differentia est, non minùs repugnat prædicari de pluribus differentibus specie, quàm prædicari de pluribus differentibus numero; vndè si definitur, vt differentia est, non debuit definiri per prædicari de pluribus differentibus specie, cum ab illo abstrahat. Quod si definitur per illud, quòd non repugnat, etiam debuit definiri per prædicari de pluribus differentibus numero, quia hoc quoque illi non repugnat. Deinde quis concedat, rectè definiri genus, quando definitur per differentias illi non repugnantes? hæc enim non est definitio. Deindè non sufficeret ponere vnam differentiam, sed deberent poni omnes; differentiæ autem, vt differentia est, potest conuenire, & prædicari de pluribus differentibus specie, & de pluribus differentibus numero.

Definitio debet tradi per id, quod conuenit definito.

Prædicari de pluribus specie nò potest vllo pacto conuenire differentiæ infimæ.

IV. Atque, si vera esset hæc doctrina, sequeretur etiam, quòd definitio generis conueniret speciei; si quidem etiam illi per non repugnantiam, vt ipsi explicant, posset conuenire prædicari de pluribus differentibus specie, si videlicet consideretur, non vt talis natura est, verbi gratia tale animal, sed vt natura vt sic, nempè animal. Vndè homo posset definiri per animal irrationale, quia ratione generis illi non repugnat esse irrationalis, & vniuersaliter loquendo, omnes species possent definiri per definitionem alterius speciei sibi oppositæ, quia ratione generis illi non repugnat differentia opposita. Nec minùs rectè definiretur per prędicari de pluribus differentibus numero, quia hoc quoque conuenit non repugnanter differentiæ vt sic: quod tamen non potest esse, quia tunc vnius rei plures essent definitiones, quod est falsum, quia sicuti vnius rei vna est tantùm essentia, ita vna quoque definitio. Addo etiam, quamlibet definitionem debere explicare quidditatem rei prout est in se, quare cum differentiæ vt sic, quatenus est contracta ad vltimam, repugnet posse prædicari de pluribus differentibus specie, quia esse vltimam ponit hanc repugnantiam in differentia, ideò non potest hæc definitio illi competere per non repugnantiam, sed omninò illi repugnabit; illud enim coniunctum ex differentia vt sic, & tali differentia repugnanter se habet ad prædicandũ de pluribus differentibus specie. Quòd si dicatur definiri differentiam infimam solùm in ratione differentiæ vt sic, non debet addi *Specie differentibus*, quia hoc illi non competit, vt differentia est, vndè falsa esset definitio, nam plus explicaret, quàm esset in definito.

Altera ex positio. Boet. D. Th. Simpl. Scot. Auer. Auicen. Alpharab. Albert Magn. Iauel. Tolet. Louaniẽs Burleus Villalpãd Anton. Andreas. Tartaret. Ægid. Fonseca. Ruuius. Hurtad. Auersa.

V. Itaque alij probabilius procedentes censent, hanc definitionem non conuenire differentijs vltimis. Ita Boet. lib. 4. in Porphyr. in explicatione allatæ definitionis D. Th. 2. Poster. cap. 14. Simpl. in Antepraedicam. cap. 3. regul. 2. Scot. quæst. 27. Prædicab. Auer. Auicen. Alpharab. quos citat, & sequitur Albert. Magn. trac. 5. prædicab. cap. 6. Iauel. tract. de prædicab. cap. 3. Tolet. cap. de Different. Louaniens. ibid. Burleus, Villalpand. Anton. Andreas. Tartaret. Ægid. ibid. Fonseca 5. Metaph. cap. 28. quæst. 17. sect. 3. Ruuius quæst. 7. de Differen. Hurtad. in Logica disp. 6. sect. 1. §. 5. Auersa in Logica quæst. 11. sect. 2. & communiter Recentiores. Vndè aliqui inquiunt Porphyr. erraste in tradenda hac definitione, quia non complectitur quicquid continetur sub definito. Alij verò, vt Albert. Magn. non definijsse differentiam vltimam, vt talis est, quia differentiæ formaliter sumptæ conuenit tantùm per se diuidere genus, & constituere speciem, quòd autem sit vltima, per accidens se habet; quæ autem per accidens conueniunt, in definitionibus non ponuntur: vndè putat, quòd differentia vltima fuerit definita, vt participat rationem differentiæ vt sic. Sed non rectè, quia si definita fuisset differentia vt sic, & secundùm ea, quæ per se illi conueniunt, vt differentia est, nempè prout diuidit genus, & constituit speciem, non debuisset poni in definitione, *de Differentibus speciæ*, quia hoc non conuenit differentiæ, vt differentia est, alioquin omni differentiæ, etiam vltimæ conueniret, sed tantùm conuenit differentiæ genericæ.

Burl.

VI. Alij autem, vt Burleus, inquit, quòd Porphyr. non definiuit vltimas differentias, quia fuit in sententia Platonicorum, qui putabant, non dari differentias vltimas simplices, sed compositas esse, ita vt differentia hominis v. g. esset Rationale Mortale, quare iuxtà ipsos omnis differentia simplex pluribus speciebus conueniebat. Verùm neque hæc responsio conformis est doctrinæ Porphyr nam cap. vltimo Prædicab. inquit, *Differentia quidem sæpè in pluribus speciebus consideratur, species verò in solis his, quæ sub specie sunt indiuiduis est*. Si igitur per ipsum differentia est sæpè in pluribus speciebus, ergo non semper, & consequenter admisit differentias vltimas; & proindè neque alij rectè respondent, quòd non cognouerit differentias vltimas, quia si admisit differentias, quæ sint in pluribus speciebus, & alias, quæ sint in vnica, vt colligitur ex allata authoritate, non video, quomodo non cognouerit differentias vltimas. Alij denique, vt præsertim Ruu. aiunt definijsse tantùm differentias non vltimas, quia hæ sunt notiores, & magis frequenter in definitionibus adhibentur. Verùm neque hæc responsio satisfacit, quoniam agebat Porphyr. de differentia in communi, & prout constituit tertium prædicabile, hæc autem complectitur omnes differentias, tam infimas, quàm subalternas.

Alia sua definitio nõ est differentiæ vt sic.

VII. Dicendum itaque, Hanc definitionem, si accipiatur tanquam explicatiua differentiæ metaphysicæ in communi non esse rectè traditam, quia non complectitur differentias vltimas, vt iam patet ex dictis, & quia etiam traditur per aliquid materiale; quòd enim differentia conueniat pluribus speciebus, non habet ex vi rationis formalis differentiæ, sed ex natura, quæ substernitur rationi formali, quæ materialiter se habet. Vndè hæc definitio complectitur tantùm differentias subalternas, non verò infimas, quæ debuissent explicari, nedum secundùm rationem formalem differentiæ, sed etiam materialem, quia ex hac habent, quòd ab infimis contradistinguantur. Atque, quòd spectat ad Porphyr. non puto quidem erraste, nam mediocriter instructus in Philosophia suppositis differentijs vltimis, cognosceret, illam definitionem ipsis non conuenire; neque ex eo reprehendendus, quòd cum ageret de differentia, vt sic, prout constituit tertium prædicabile, attulerit definitionem, quæ non conueniat differentiæ vt sic; quia cum introductoriam tantùm doctrinam traderet, contentus fuit rudem quamdam cognitionem differentiæ exhibere; atque ideò congessit plures definitiones differentiæ, quæ tunc circumferebantur, vt per illas differentiam explicaret, prout alij aliter explicabant: quod satis patet ex modo, quo affert illas definitiones, nam semper tanquam ab alijs traditas illas recenset; & proindè posuit etiam definitionem explicantem communissimum conceptum differentiæ, quando dixit, Differentiam esse illam, qua singula differunt.

An,

An, & quomodo differentia constituat vniuersale. Disp. LX.

Differentiam non esse vniuersalem respectu speciei.

SECTIO I.

Punctus difficultatis.

I. EXplicata natura, & quidditate differentiæ superest, vt videamus, an constituat aliquod vniuersale, & respectu cuius vniuersalis sit. Quòd enim aliquo pacto participet rationem vniuersalis colligitur ex definitione tradita à Porphyr. cum illam definierit per Prædicari in quale quid de pluribus differentibus specie, quæ cum conueniat differentiæ subalternæ, infima prædicabitur in quale quid de pluribus differentibus numero; vndè cum prædicari de pluribus consequatur rationem vniuersalis, vtraque differentia participabit aliquo pacto rationem vniuersalis. Quæritur ergo, respectu cuius habeat hanc vniuersalitatem. Quia autem vniuersale non est vniuersale ad seipsum, sed in ordine ad aliud, ideò si differentia participat aliquo pacto rationem vniuersalis debet in ordine ad alterum illam participare. Ad quatuor autem potest differentia comparari, nempè ad genus, cuius est differentia; ad speciem, quam constituit; ad inferiora speciei; & denique ad alias inferiores differentias, vt si corporeitas, quæ est differentia substantiæ compararetur ad rationem animati, & inanimati, quæ sunt differentiæ inferiores. Dubitari igitur potest, respectu quorum ex his obtineat rationem vniuersalis.

Differentia non est vniuersalis respectu generis.

II. In hac autem re certum esse debet, quòd si differentia comparetur ad genus, cuius est differentia, non potest habere rationem vniuersalis, quod manifestè conuincitur obseruata natura vniuersalis, vniuersale namque est prius natura respectu illius, cuius est vniuersale, quia se habet vt intrinsecum constitutiuum illius. Differentia autem, nedum non prior est natura ipso genere, sed etiam est posterior, quia illi aduenit, & in ipso fundatur, neque est intrinsecum constitutiuum generis, vt per se patet. Deindè Vniuersale est aliquid potentiale, & contrahibile respectu illorum, ad quæ ordinatur, vt vniuersale. Econtrà autem se habet differentia, nedum enim est aliquid potentiale, & contrahibile per genus, sed ipsa est illa, quæ contrahit genus, & genus respectu illius se habet, vt quid potentiale. Denique differentia neque est aliquid superius genere, neque quid abstractum ab ipso, cũ potius genus abstrahatur à differentijs: vniuersale autem debet esse quid superius respectu sui termini, & quid ab eo abstractum.

Duplex vniuersale, genericum, & specificũ

III. Rursus certum est, vt dicemus, cum agemus de Vniuersali in communi. Omnia vniuersalia reduci, vel ad Generi cum, vel ad Specificum: quia hæ duæ tantùm species vniuersalis propriè dicti reperiuntur; cuius rei ratio hic potest breuiter insinuari, Nempè quia vniuersale specificatur per ordinem ad suum terminum, qui dicit ipsa inferiora, in quibus esse potest. Hæc autem inferiora sunt tantùm duplicis rationis, quoniam, vel distinguuntur solùm indiuidualiter, vel etiam essentialiter: neque præter hos duos modos distinctionis aliquis alius excogitari potest, sumendo ly Essentialiter pro omni distinctione, quæ fit formaliter secundùm aliquod esse formale, & ly Indiuidualiter, pro distinctione, quæ fit à parte rei inter rem, & rem physicè consideratam; Itaque cum vniuersale specificetur per ordinem ad terminos, quatenus inuoluunt pluralitatem, & duplex tantùm sit pluralitas, duplex quoque tantùm erit vniuersale, genericum, & specificum. Ea igitur vniuersalitas, quam participabit differentia, ad aliquam speciem vniuersalis ex prædictis pertinebit.

IV. His

Prima opinio. Differentiam esse vniuersalem respectu speciei. Tolet. Caiet.

IV. His itaque constitutis. Quod primùm examinandum occurrit, est, an differentia comparata ad speciem, quam constituit, sit vniuersalis. In qua difficultate nonnulli Recentiores cum Tolet. cap. de Different. dub. 4. qui citat Caiet. asserunt, Differentiam verè respectu speciei, quam constituit habere rationem vniuersalis, quia prædicatur de ipsa, tanquam de subiecto vniuersali. Atque pro hac opinione arguunt primò, quia differentia prædicatur de specie, & non tanquam aliquid singulare; ergo tanquam aliquid vniuersale. Secundò, differentia in ratione prædicabilis, siue metaphysici, siue logici, immediatè respicit speciem, & valet ista causalis, quia prædicatur de specie, prædicatur etiam de indiuiduis; ergo cum prædicabile, & vniuersale constituatur in esse vniuersalis, & prædicabilis per immediatum ordinem ad ea, respectu quorum est vniuersale, debet differentia respectu speciei esse vniuersalis. Confir. vt causalis sit vera, non requiritur veritas antecedentis, neque consequentis, sed tantùm illationis. Cum igitur indiuidua non sint causa, vt differentia prædicetur de ipsis, erit causa prædicatio de specie, & ideò differentia immediatè prædicabitur de specie. Tertiò. Dum differentia respicit speciem, respicit aliquid vniuersale, quod est inferius ad ipsam differentiam virtualiter, quatenus continet plura inferiora; ergo cum ordo specificetur à termino, debet differentia per ordinem ad speciem constitui in esse vniuersali. Quod etiam confirmari potest. Quoniam eodem genere prædicationis differentia prædicatur de specie, & de inferioribus contentis sub illa: si igitur de illis prædicatur, vt quid vniuersale, etiam eodem modo de specie prædicabitur. Quartò. Proprius modus prædicandi differentiæ illi conuenit respectu speciei, de qua prædicatur in quale quid, & respectu illius non respectu generis, quod diuidit, habet rationem tertij prædicabilis; ergo etiam respectu speciei habet rationem vniuersalis, cum respectu illius habeat propriam prædicabilitatem, quæ ex genere suo est vniuersalis.

Opposita sententia vera. Hurtad. Sanchez. Auersa.

V. In oppositum tamen sunt alij auctores, præsertim Hurtad. in Logica disp. 6. sect. 2. Sanchez in logica lib. 3. cap. de Different. quæst. 25. conclus. 1. Auersa item in Logica quæst. 12. sect. 3. atque alij complures. Et hæc opinio colligitur ex doctrina Veterum Philosophorum, & sanè vt vera tenenda est. Principale antem fundamentum statui potest ex conceptu vniuersalis, quod ex natura sua aptum est esse in multis, vt tradit Arist. & omnes admittunt, etiam Auctores oppositæ sententiæ; atque hic est conceptus essentialis constitutiuus vniuersalis: quare terminus illius, in ordine ad quem habet rationem formalem vniuersalis, debet continere pluralitatem, ita vt pluralitas sit ratio formalis talis termini, qua ablata non possit amplius specificare vniuersale, alioquin vniuersale non esset aptum ad essendum in multis ex vi suæ naturæ. Si autem differentia compararetur ad speciem, non potest habere rationem vniuersalis respectu illius, quia in ipsa deficit ratio formalis termini specificatiui vniuersalis, nempè pluralitas; species enim, vt talis est, importat tantùm naturam essentialiter vnam, & pluralitas solùm habetur ab ipsius inferioribus. *Differentia nō est vniuersalis respectu speciei.*

VI. Neque valet, si dicatur, Speciem habere suam virtualem pluralitatem, quatenus continet sub se inferiota, quoniam omnis terminus formalis specificatiuus alicuius ordinis debet formali modo participare rationem specificatiuam talis rationis, alioquin non poterit specificare: sic quod est virtualiter color non potest specificare potentiam visiuam; quod est virtualiter actus substantialis non potest specificare potentiam substantialem; ergo, cum ratio formalis specificatiua vniuersalis, sit pluralitas inferiorum, dum hæc pluralitas non repetitur in specie, non potest specificare vniuersale. Addo, quòd si sufficeret ad specificandum vniuersale hæc virtualis pluralitas, seu quòd species contineat sub se inferiora, posset quælibet ratio generica specificare illas potentias, seu illos ordines, qui specificantur ab aliqua ratione contenta sub illo genere, vndè quoniam potentia visiua specificatur à colore, posset dici, quòd specificetur à qualitate vt sic, quod nemo admittet. *Præcluditur effugium.* *Vniuersale specificatur à pluralitate formali.*

VII. Deindè possumus argumentari. Vniuersale non est tale, nisi respectu aliquorum inferiorum, à quibus abstrahit, tanquam gradus entis superior contrahibilis ad ipsa, & se habens vt pars potentialis. hoc autem non potest conuenire differentiæ in ordine ad speciem; ergo differentia in ordine ad ipsam *Secunda ratio.*

non

Quomodo differentia reſpectu ſpeciei non participet conditiones vniuerſalis.

non habet rationem vniuerſalis. Minor declaratur, quo ad ſingulas partes. Et imprimis ſpecies comparata ad differentiam non ſe habet vt quid inferius, nam cum ipſa adæquatur, quod non conuenit inferiori reſpectu ſuperioris, quia ſemper ſuperius latius patet, quàm inferius. Deindè neque poteſt differentia eſſe gradus entis ſuperior, quoniam ſe ipſa formaliter conſtituit gradum entis ſpecificum. Denique non eſt quid contrahibile ad ſpeciem, & ſe habens vt pars potentialis, quia in ſpecie obtinet rationem partis actualis, & contractiui. Quod etiam confirmari poteſt. Vniuerſale non poteſt eſſe formale conſtitutiuum ſuimet termini, vt terminus eſt, de ratione namque termini eſt, vt ſit diſtinctus aliquo modo ab eo, cuius eſt terminus; ſed differentia, vt differentia eſt, conſtituit ſpeciem in ratione ſpeciei, vt eius formale coſtitutiuum; ergo non poteſt in ordine ad illam habere rationem vniuerſalis. Prætereà non poteſt differentia habere rationem vniuerſalis, niſi abſtrahat ab eo, reſpectu cuius eſt vniuerſalis, cum vniuerſale metaphyſicum debeat abſtrahere à ſuo termino: ſi autem differentia abſtrahat à ſpecie, non remanet amplius ſpecies, ſed tantùm genus, ſicuti ſi ſpecies abſtrahat ab indiuiduis, remanent tantùm indiuiduationes; ergo non poteſt differentia eſſe vniuerſalis in ordine ad ſpeciem, quia ſi concipiatur differentia abſtracta non remanet amplius ſpecies, quæ ſit terminus huius ordinis.

3. ratio. VIII. Tertiò argumentor. Quando efficitur vniuerſale per abſtractionem ab eo, in quo eſt, fit quædam ſeparatio, qua vniuerſale ſeparatur ab eo, in quo erat, ita tamen, vt in hac ſeparatione interueniant duæ partes, altera contrahibilis, & altera contractiua, & quæ eſt contrahibilis conſtituat vniuerſale, quæ verò eſt contractiua, fit terminus vniuerſalis. Certum eſt autem, quòd differentia exiſtit in ſpecie, vt pars conſtitutiua illius, vndè vt habeat rationem vniuerſalis debet abſtrahi; ſi autem abſtrahantur, in hac abſtractione interueniunt duæ partes nempe differentia, & genus. Differentia quidem, quæ ſe habet, vt pars contractiua, genus verò vt pars contrahibilis. Si igitur differentia eſſet vniuerſalis reſpectu ſpeciei, ſequeretur, quòd eſſet contrahibilis à genere,

Quod in aliquo habet rationem vniuerſalis, habet etiam rationem contrahibilis.

& genus contractiuum, & genus perficeret differentiam, & alia huiuſmodi quæ cum abſurda ſint, concludendum eſt, quòd differentia non ſit vniuerſalis reſpectu ſpeciei. Præterea accedit etiam, quòd differentiæ ſunt termini, qui terminant vniuerſalitatem generis, ſaltem vt quo, Quomodo ergo poterit genus terminare vniuerſalitatem differentiæ; ſi autem differentia eſſet vniuerſalis reſpectu ſpeciei, genus terminaret eius vniuerſalitatem. Confir. hæc ratio. Differentia eſt in ſpecie, tanquam pars determinatiua talis eſſentiæ, & tanquam limitatiua generis; ergo non poteſt eſſe in illa ad modum vniuerſalis, & conſequenter neque reſpectu ſpeciei habere rationem vniuerſalis. Quòd differentia ſit in ſpecie tanquam pars determinatiua, & limitatiua, euidens eſt, nam limitat genus, & trahit ad talem eſſentiam, ita vt tale eſſe determinatum ſpeciei proueniat à differentia. Hinc etiam declaratur conſequentia; quoniam quando vniuerſale ponitur in aliquo, ſe habet tanquam contrahibile, & determinabile, nam debet illi ineſſe eo modo, quo conuenit vniuerſali, vt ſic; cum autem vniuerſale ex intrinſeco ſuo conceptu importet quamdam latitudinem, qua ſe ad plura extendat, & quamdam communitatem; ſequitur vt quando ponitur in aliquo, debeat poni per contractionem, atque adeò, vt quid contrahibile, ita vt exerceat ſuam vniuerſalitatem, & communitatem; Itaque, cum in ſpecie ſit differentia vt contractiuum, & genus vt contrahibile, non poteſt differentia reſpectu ſpeciei eſſe vniuerſalis. Rurſus duo vniuerſalia; vt talia ſunt, non poſſunt vniri ad coſtituendum vnum tertium, ſed vnum debet vniri ſecundùm rationem vniuerſalis, alterum ſecundùm rationem contractiui, ſeu termini vniuerſalis; at in ſpecie genus eſt illud, quod vnitur cum differentia vt vniuerſale; ergo non poteſt differentia vniri cum genere ſub ratione vniuerſalis, alioquin quod eſt potentiale cum eo, quod ſimiliter eſt potentiale vniretur ſub ratione potentialis, quod fieri non poteſt, & ideo differentia reſpectu ſpeciei non poteſt ſe habere vt vniuerſale.

Duo vniuerſalia non poſſunt vniri ambo ſecũdùm rationem vniuerſalis.

IX. Poſſet tamen quis obijcere. Quoniam dantur quædam differentiæ, quæ non adæquantur cum vna ſpecie, ſed conueniunt pluribus, vt Eſſe conti- Obiectio

nuum

nuum, quod nedum reperitur in quantitate per manenti, sed etiam in successiua. Quantitas enim diuiditur in permanentem, & successiuam, vtraque autem in Continuam, & Discretam; ergo datur aliqua differentia, quæ respectu specierum de pluribus prædicetur, atque adeò Vniuersalis sit. Propter quod Auersa citata quæst. 12. suæ logicæ sect. 3. putat, hoc genus differentiarum vniuersale esse respectu speciei. Sed tamen neque propter hoc admittendum est, aliquam differentiam vniuersalem esse respectu speciei, quia quicquid sit, an eadem differentia possit per modum differentiæ reperiri in pluribus speciebus, quod infrà examinabimus, Hoc tamen certum est, quòd cum ipsa non possit ponere diuersitatem, neque etiam potest constituere diuersas species, & consequenter diuersitas specierum aliundè erit. Vel igitur hæ rationes, ex quibus habetur diuersitas specierum, ita se habent, vt illis adueniat illa differentia communis, & tunc se habebunt vt genera, atque adeò ratio differentialis non erit vniuersalis respectu illarum, quia vniuersale ordinatur ad inferiora, non autem ad superiora, cuiusmodi sunt genera. Si autem illæ rationes constitutiuæ diuersarum specierum non ita se habent, vt illis adueniat huiusmodi differentia, sed ipsæ adueniant differentiæ, tunc ratio differentialis erit genus, quia diuidetur per varias rationes constitutiuas diuersarum specierum: vndè vniuersalitas illi conueniet, tanquam generi, non tanquam differentiæ; & ideò tunc habebit vniuerlalitatem, quia se habebit vt ratio superior respectu inferiorum: & ita sanè dicendum est, quia semper ratio, quæ conuenit pluribus, prior est natura sua, & superior quacunque alia, quæ conueniat paucioribus.

Auersæ. Respõsio.

X. Neque rationes pro opposita sententia valdè vrgent. Nam licet verum sit, Quicquid est, aut vniuersale esse, aut singulare, non sequitur, differentiam respectu speciei habere rationem vniuersalis, licet vniuersalis sit, quia potest respectu alterius obtinere hanc vniuersalitatem, quæ, quomodo se habeat, infrà explicabimus. Cum autem quæritur, quomodo de specie prædicetur, an vt vniuersalis, an verò vt particularis. Respondetur, quòd si quæratur, Quid sit id, quod prædicatur; dicimus id, quod de specie tanquam differentia prædicatur, esse aliquid vniuersale modo infrà explicando: si verò quæratur modus prædicationis, quia modus prædicationis dicit modum inexistendi, quo prædicatum inest subiecto: differentia autem inest speciei, tanquam pars essentialis contractiua generis, & vt quo constituens vniuersalitatem specificam, ideò in prædicatione quoque, quæ est in Quale quid, hic modus inexistentiæ explicatur. Quare differentia respectu speciei prædicatur tanquam formale constitutiuum illius, & vt quid vniuersale, non quidem respectu speciei, quia idem non est vniuersale respectu sui ipsius, seu causa formalis non est vniuersalis respectu sui effectus formalis, sed respectu illorum, ad quæ vt vniuersalis ordinatur species, quia constituit vniuersalitatem ipsius.

Ad rationesin oppositum.

Quomodo diffe- rētia prædicetur de speciebus vt vniuersalis.

XI. Hinc ad secundam rationem dicimus, quòd species, vt species est, includit tanquam formale constitutiuum differentiam, & ideò non potest differentia respicere speciem, vt species est, neque mediatè, neque immediatè, quia cum sit formale constitutiuum illius, respiceret seipsam, quod fieri non potest. Si verò consideretur species, non in ratione formali speciei, sed vt est quoddam totum, tunc differentia ordinatur ad speciem, vt pars ad totum, & cum se habeat ad modum contractiui, non potest habere rationem vniuersalis. Accedit etiam, quòd si haberet rationem vniuersalis respectu ipsius, haberet respectu generis, quod fieri non potest. Si autem differentia compararetur ad inferiora speciei, sicuti species respicit illa immediatè, ita etiam formale constitutiuum speciei, quod est differentia, debet immediatè respicere, non quidem vt quod, sed vt quo, hoc est tanquam constitutiuum illius, quod respicit. Neque confirmatio vrget. Nam verum quidem est, Differentiam, quatenus attenditur proprius modus prædicandi ipsius, qui est in Quale quid, immediatè prædicari de specie, tanquam formale constitutiuum ipsius, & ratione speciei de eius inferioribus, non hinc tamen sequitur, prædicari de specie, vt vniuersale quoddam, quod sit tale in ordine ad ipsam, sed sufficit, quòd prædicetur vt vniuersale, vt quo, constituens formaliter vniuersalitatem speciei, vt dictum est.

Ad secundam.

Quomodo differentia se habeat, cõparata ad speciẽ

XII. In

Ad tertiũ.

XII. In tertia quoque ratione falsum assumitur. Falsum enim est, vt vidimus, speciem formaliter esse terminum differentiæ, quia vt talis includit ipsam differentiam; non potest autem terminus includere, tanquam proprium constitutiuum, quod ad ipsum ordinatur. Deindè falsum quoque est, Vniuersale, vt tale, esse terminum specificatiuum vniuersalis, hoc enim implicat, quoniam specificans, & specificatum debent sibi inuicem correspondere, vt sibi mutuo coaptabilia; vniuersale autem; cum sit quid potentiale debet esse coaptabile cum suo termino, tanquam potentia cum actu, vndè vniuersale, vt tale est, cum non habeat rationem actus, sed potentiæ, non potest correspondere vt terminus alteri vniuersali. Terminus igitur vniuersalis erunt eiusdem inferiora, quatenus inuoluunt aliquam pluralitatem, & contrahunt ipsum ad diuersa; neque in termino Vniuersalis sufficit continentia virtualis inferiorum, neque virtualis pluralitas: sed debet illa formaliter continere, quia formalis pluralitas est ratio formalis specificatiua. Ad confirmationem verò dicendum est Differentiam semper eodem modo prædicari de specie, ac de inferioribus speciei, quia semper prædicatur, vt differentia, & in quale quid: sed non prædicatur eadem habitudine, nam sicuti idem modus prædicari potest respicere plura, ita etiam ratione illarum potest habere diuersas habitudines. Respectu igitur speciei non habebit habitudinem vniuersalis, sed solùm formæ constitutiuæ vniuersalitatis eiusdem, respectu verò inferiorum illam habebit modo infrà explicando.

Terminus vniuersalis debet se habere per modũ actus.

Idem modus prædicãdi cũ diuersa habitudine respectu differentiæ.

XIII. Ad vltimam denique rationem negatur consequentia. Quia licèt respectu speciei habeat rationem differentiæ, & in ordine ad illam prædicetur, vt differentia, non hinc tamen sequitur, vt respectu illius, habeat rationem vniuersalis: quia licet prædicabilia importent aliquid commune, & vniuersale, non tamen est vniuersale respectu cuiuscunque, de quo prædicatur, sed solùm est vniuersale, quando ad plura ordinatur, in quibus esse possit tanquam ratio superior in suis inferioribus, & licet omne, quod est vniuersale, tale sit respectu illorum, de quibus propriè prædicatur; hæc tamen prædicabilitas potest habere plures terminos, & ideò non est necesse: vt respectu cuiuscunque habeat rationem vniuersalis, sed sufficit, si habeat respectu vnius.

Ad quartum.

Prædicabile non est vniuersale respectu cuiuscũque de quo prædicatur.

Quomodo respectu inferiorum speciei differentia sit vniuersalis.

SECTIO II.

I. **D**Ifferentiã esse vniuersale quoddam respectu inferiorum speciei, quam constituit, negant auctores illi, qui putant habere suam vniuersalitatem in ordine ad ipsam speciem, quos sect. præcedenti recensuimus. Atque fundamentum desumunt ex eo, quòd de inferioribus speciei non prædicatur immediatè, sed media specie: nam est vera ista prædicatio, Petrus est rationalis, quia vera est ista, Homo est rationalis: vniuersale autem sicuti inest immediatè ijs, respectu quorum est vniuersale, ita etiam de ijsdem debet immediatè prædicari. Accedit etiam, quòd modus prædicandi proprius differentiæ, qui est in quale quid, non ordinatur ad indiuidua, neque enim differentia indiuiduis adiacet, sed tantùm ad speciem, atque adeò neque etiam vniuersalitas eiusdem est in ordine ad inferiora speciei.

Prima opinio. Differentiam non esse vniuersalem respectu inferiorũ speciei.

II. Hoc tamen non obstante, ij, qui negant, Differentiam esse vniuersalẽ respectu speciei, concedunt esse vniuersalem respectu inferiorum speciei, quam constituit. Ita præcipuè Hurtad. in Logica quæst. 6. sect. 2. Auersa item in Logica quæst. 12. sect. 3. quia, inquit ipse, licet differentia non dicatur immediatè de inferioribus speciei, hoc tamen non obstat, nam neque genus immediatè dicitur de indiuiduis speciei, & tamen habet rationẽ vniuersalis respectu illorum. Deindè differentia suo modo dicitur immediatè de inferioribus speciei, idest non mediantibus alijs, respectu quorum prius differentia vniuersalis sit, quia illa prima plura, de quibus differentia dicitur, sunt inferiora speciei, quam constituit. Verùm hæc doctrina mihi probari non potest, quoniam supra suo loco ostendimus, quòd genus nullo modo ordinatur ad indiuidua speciei, neque respectu illorum habet rationem vniuersalis. Deindè vniuersale ita debet immediatè dici de suis inferioribus, vt immediatè ipsis inexistat, & seipso immediatè vt quid potentiale cum illis coniungatur; nec sufficit,

Opposita sententia Hurtad. Auersa.

Eius fundamentũ.

Reijcitur.

vt ait Auersa quòd non mediantibus alijs pluribus, de ijs prædicetur, supposito, quòd cum ipsis immediatè non vniretur.

Differentia vniuersalis respectu inferiorũ speciei.

III. Vt igitur, quid nobis videtur, aperiamus. Existimo, nullo pacto negari posse, differentiæ conuenire aliquam vniuersalitatem respectu inferiorum suæ speciei. Atque hoc conuincitur, quia differentia prædicatur de ijs in quale quid; atque huiusmodi prædicatio non est impropria, seu remota, & materialis, quæ solùm identicè vera sit, sed est prædicatio formalis, qua significatur, differentiam inexistere inferioribus speciei, vt proprium constitutiuum illorum, vndè inferiora speciei se habent, vt formale specificatiuum talis prædicationis, & propterea Porphyr. definiuit differentiam subalternam per prædicari de pluribus differentibus specie in quale quid. Cum igitur terminus specificatiuus talis prædicationis habeat rationem formalem specificatiuam etiam vniuersalis, nempè inferioritatem, & pluralitatem, dicendum, quòd constituat differentiam formaliter in esse vniuersalis.

Differentia respectu inferiorũ speciei seruat proprium modum prædicabilitatis.

IV. Cæterùm adhuc etiam verùm est, quòd huiusmodi prædicabilitas, cum sit rationis communis in ordine ad inferiora, nedum est prædicabilitas consequens vniuersale, sed etiam importat proprium modum prædicandi ipsius differentiæ, nempè in quale quid, atque adeò differentia se habet, vt prædicatum per modum adiacentis, seu forma se habentis vt quo, non autem ad modum per se stantis. Ex quo fit quòd cum differentia adiaceat tantùm generi, tanquam subiecto sibi proportionato, non posset se habere, vt prædicatum per modum adiacentis, nisi respectu speciei, quam constituit, & respectu indiuiduorum se habebit tantùm vt prædicatum adiacens ratione speciei; Hoc tamen non obstabit, quin respectu inferiorũ speciei obtineat vniuersalitatem sibi proportionatam.

Vniuersale vt quod & vt quo

V. Vt autem hoc explicemus, aduertendum est: duplici modo contingere posse, vt aliquid sit vniuersale, nempè vt quod, & vt quo. Illud erit, vt quod, vniuersale, quod respectu inferiorum se habebit vt quid inexistens ipsis ad modum per se stantis, ac cum prædicatio sequatur modum inexistentiæ, etiam de ipsis prædicabitur, vt aliquid per se stans, quia hoc propriè importat aliquid esse tale, vt quod, vt videlicet sit tale per se stans. Vniuersale autem, vt quo, erit illud, quo formaliter constituitur vniuersale vt quod, seu erit ratio, qua vniuersale per se stans dicet talem naturam vniuersalem, quod idem est, ac si dicatur, esse formam vniuersalis. Nomine autem formæ intelligitur, non sola vnitas, & aptitudo præcisè considerata, sed ipsa natura vt quo considerata. Quare vniuersale vt quo erit abstractum vniuersalis, vt esset animalitas, & rationalitas: vniuersale autem vt quod erit concretum, vt animal, & rationale. Verùm hic aduertendum est, quòd cum ex differentia, & genere constituatur vnum compositum metaphysicum, quod dicitur species, semper differentia respectu speciei se habebit, vt aliquod abstractum, etiam si in se considerata se habeat ad modum concreti, quia potest vnum concretum esse abstractũ respectu alterius concreti, si videlicet respectu illius habeat rationem formæ.

Cõclusio Quomodo differentia sit vniuersalis respectu inferiorum speciei.

VI. Atque ex his colligitur resolutio totius difficultatis. Videlicet, differentiam esse vniuersalem respectu inferiorum speciei, vt quo, & immediatum, & per modum adiacentis, non verò vt quod; quæ conclusio indè ostenditur, quia differentis, quatenus differentia, non potest se habere vt quod, cum sit essentialiter forma speciei, vndè etiam obtinebit rationẽ vniuersalis tantùm vt quo, & per modum adiacentis, seu abstracti constituentis vniuersale vt quod, scilicet specificum; neque de hoc potest esse aliqua difficultas, cum vnumquodque sit vniuersale eo modo, quo est, & quod non est per se stans, neque potest esse vniuersale per se stans. Rursus certum est, speciem esse immediatum vniuersale respectu suorum inferiorum per se stans, cum immediatè ab ipsis contrahatur. Cum igitur species constituatur in esse vniuersali vt quod per differentiam, atque ab ipsa habeat, tanquam à ratione vt quo, vt possit esse in suis inferioribus, manifestè sequitur, differentiam tanquam formale constitutiuum speciei esse vniuersale vt quo respectu inferiorum eiusdem speciei, ita tamen, vt semper sit respectu illorum, tanquam vniuersale adiacens, & ita obtineat vniuersalitatem respectu eorumdem, vt non ordinetur ad essendum in ipsis, nisi simul: & semel ordinetur ad essendum in specie, tanquam formale constitutiuum.

VII. Et

A solutio nē in oppositum.

VII. Et hinc etiā patet solutio rationis in oppositum; nam cū dicitur differētiam prædicari de inferioribus speciei, mediante specie, & non immediatè, ita deber intelligi, quòd sicuti non potest esse in inferioribus speciei, nisi sit in specie, illam constituendo, ita neque possit de iisdem prædicari, nisi simul prædicetur de specie: non tamen ita debet intelligi, quòd immediatè prædicetur de specie, & non de eiusdem in inferioribus, quia modus prædicandi differentiæ immediatè respicit, tùm speciem, tanquam illam, quam constituit, tùm etiam inferiora speciei, tanquam terminum vniuersalis ad quem ordinatur. Quod satis ex eo patet, quia si species immediatè prædicatur de proprijs inferioribus, cur non prædicabitur etiam formale constitutiuum speciei, ratione cuius species habet, quòd immediatè ordinetur, vt sit in ijs? vndè si species prædicatur vt quod immediatè, differentia prædicabitur immediatè vt quo, atque eius prædicatio erit in quale, & immediate. Atque hoc valdè præ oculis habendum est, quòd differentia ex natura sua, nedum ordinatur vt sit in specie, sed etiam vt possit coniungi cum inferioribus speciei, licet requirat, tanquam conditionem, vt simul cum genere vniatur constituendo speciem, alioquin, nisi ordinaretur, vt immediatè vniretur cum inferioribus speciei, non posset esse formale constitutiuum illius. Vndè modus quoque prædicandi proprius differentiæ, quia est vniuersalis se habentis vt quo, est etiam in ordine ad inferiora speciei, neque requiritur, vt ipsis adiaceat, sed sufficit, si adiaceat generi, vt prædicetur de inferioribus speciei, ita vt, quantum est de se, non comparetur ad ipsa, vt aliquid per se stans, sed vt alteri adiacens: quod enim alteri adiacet, etiam si comparetur alicui, cui non adiaceat, se habet adhuc vt aliquid adiacens.

Quomodo differētia prædicetur immediatè, tū de specie, tū de ipsius inferioribus.

Differentiam respectu differentiarum inferiorum non habere rationem vniuersalis docet Fonseca.

SECTIO III.

I. POtest denique differentia comparari ad inferiores differentias, seu ad illas, quæ minus latè patent, & inquiri, an respectu illarum habeat rationem vniuersalis. Hæ autem differentiæ inferiores, nedum possunt esse specificæ, seu essentiales, sed etiam indiuiduales; quæ licet propriè non sint differentiæ, habent tamen aliquam rationem differentiæ, quatenus diuidunt indiuidua. Si autem obtinent differentiæ aliquam rationem vniuersalis, certum est, debere esse, vel geneticam, vel specificam, quia hæ duæ tantùm species vniuersalis reperiuntur. Verùm hic aduerti debet. Differentias inferiores duplici modo considerari posse. Primò quidem, quatenus simplices sunt, nec inuoluunt complexionem alterius differentiæ, vt rationalitas. Altero autem modo accipi possunt, prout sunt quid complexum ex pluribus differentijs simplicibus, nempè ex differentia inferiori, & superiori, vt esset sensitiuum rationale, quod coalesceret ex rationalitate, & sensibilitate. Difficultas autem procedit de differentijs vtroque modo acceptis.

Differentiæ simplices, & cōplexæ.

II. Fonseca 5. Metaph. cap. 8. quæst. 18. sect. 2. absolutè negat, Differentias superiores respectu inferiorum obtinere rationem generis, aut speciei, siue complexè, siue incomplexè accipiantur, & consequenter nec vniuersalis. Quod spectat ad differentias comparatas ad inferiores incomplexas, probat primo; quoniam genus, aut species deber includi in ijs, quorum est genus, aut species, tanquam essentiale constitutiuum: hoc autem non potest dici de differētia superiori respectu inferioris, quoniam superior bis includeretur in specie constituta per inferiorem, nempè & ratione sui, seu vt superior differentia, & ratione differentiæ inferioris, in qua vt constitutiuum includeretur, quod non potest esse. Deindè differentia latius patens, & superior non prædicatur prædicatione directa, & naturali de differentijs inferioribus minus latè patentibus, cum non se habeant, vt forma illarum. Tertiò. Differentiæ sunt primò diuersæ, & simpliciter simplices, nec duæ differētiæ possunt inuicem differre per alias differentias: si autem differentiæ, vt tales sunt, haberent genus, quod esset quædam differentia superior, deberent concedi aliæ differentiæ, quæ essent extrà essentiam illius generis, & complerent speciem, quibus genus contraheretur ad hanc, vel illam differentiam, & sic differentiæ differrent inter se per alias differentias. Et

Opinio Fonsecæ.

Differentias superiores nō habere rationē vniuersalis respectu inferiorū incōplexarum.

rursus de his differentijs, per quas differentiæ differrent, quæri posset, quomodo differant; & cur, quæ latius patent, sint genera respectu earum, quæ minus patent, & sic deberent concedi aliæ differentiæ, quibus differrent, & sic procederetur in infinitum.

Differentiam superiorem non habere rationem vniuersalis respectu inferiorū cōplexarum.

Arist.

III. Quòd verò neque respectu differentiarum complexarum sint genera, aut species probat, quia hæ differentiæ complexæ, nempè superior, & inferior, non constituunt vnum per se, quale debet esse omne ens specificum; quoniam ex duobus actibus non fit vnum per se, vt docet Arist. 3. metaph. cap. 6. & lib. 7. cap. 13. & est communiter receptum, sed alterum debet esse actus, alterum potentia; seu materia, & forma, duæ autem differentiæ, nempè superior, & inferior, inuicem comparatæ non se habent, vt actus, & potentia, sed vt duo actus respectu tertij, nempè generis; sicuti qui plures formas admittunt in eadem materia, non dicunt vnam esse actum respectu alterius, sed omnes respectu materiæ. Secundò. Si differentiæ superiores essent genera respectu inferiorum, prout dicunt illam complexionem, ita vt hæc complexa essent species, deberet concedi hæc complexa esse vniuersalia respectu indiuiduorum, vt sensitiuum rationale respectu indiuiduorum hominum; hoc autem non potest dici, quia non possunt esse vniuersalia, tanquam accidens, aut proprium, vt per se patet, nam pertinent ad essentiam indiuiduorum, non vt genus, aut species, quia non prædicantur purè in quid, sed neque possunt esse vniuersalia tanquam differentiæ, quia differentia non constat ex genere, & differentia, sed est quid simplex, et mediat inter genus, quod diuidit, & speciem, quam constituit: hæc autem complexa non mediant tali pacto, vt patet in sensitiuo rationali, nam quatenus includit sensitiuum, non diuidit animal in ordine ad constitutionem hominis; quatenus verò includit rationale non diuidit corpus animatum in ordine ad constitutionem animalis; tùm quia differentia eadem diuideret duplex genus non subalternum, vt rationale diuideret animal, & sensitiuum, quod fieri non posse, docet Arist. in Anteprædicam. cap. 4. quòd autem illa non essent genera subalterna, patet, nam neque sensitiuum ponitur sub animali, neque animal sub sensitiuo.

Arist.

Quomodo superiores differentiæ respectu inferiorum sint vniuersales.

SECTIO IV.

Opposita sententia. Auersa.

I. Nihilominus his non obstantibus alij docent, Differentiam vtroque modo consideratam habere rationem vniuersalis, siue generici, siue specifici, respectu differentiarum inferiorum, idque tradit inter alios Auersa in Logica quæst. 12. sect. 3. Additque quòd in toto rigore habet rationem generis, aut speciei, si sumatur ad modum per se stantis. Vt autem, quid nobis dicendum videatur, aperiamus, adhuc distinctio illa de Vniuersali vt quod, & vt quo adhibenda est, quam sect. 2. huius disp. num. 5. explicauimus, & ibi videri potest: atque hac distinctione adhibita facilis erit resolutio totius difficultatis.

Prima cōclusio. Differentia nō est vniuersalis vt quod respectu inferiorū differentiarum.

II. Itaque Dicò primo. Differentiæ præcisè consideratæ, vt differentiæ sunt, non possunt respectu inferiorum differentiarum se habere, tanquam vniuersale vt quod. Atque hæc conclusio, si attentè consideretur, certa est, & ferè ex ipsis terminis nota. Si enim accipiatur vniuersale, vt quod, se habet vt aliquid per se stans, & est id, quod inest; & prædicatur respectu inferiorum in quid præcisè; & vt fundamentum totius esse, quod inferiora participant: quòd autem se habet ad modum fundamenti, est per se stans; quomodo enim esset fundamentum, nisi per se staret? sic non alia ratione materia prima debet esse per se subsistens, nisi quia est fundamentum, substentans formas substantiales. At differentiæ eo ipso, quòd sunt differentiæ, non possunt, vt tales, esse aliquid per se stans, cum ex natura sua sint formæ generi adiacentes, & necessariò prædicentur, vt quid inexistens, & in quale quid; ergo secundùm rationem differentiæ non possunt se habere, tanquam vniuersalia vt quod.

Secunda conclusio Differentiæ non sunt completè genera, aut species.

III. Hinc sequitur secunda conclusio. Differentiæ respectu inferiorum, siue complexarum, siue incomplexarum, non se habent tanquam genera, aut species, vt quod; atque adeò si genus, & species consideretur cum omni suo com-

plemento, non sunt in omni rigore species, & genera. A quo, licet videatur dissentire Auersa, facilè tamen probatur. Cum enim differentiæ non sint vniuersalia vt quod, neque etiam possunt esse talia vniuersalia vt quod, quia ablata ab aliquo ratione communi, aufertur etiam correspondens determinata, sic quod non est animal, non potest esse tale animal; ergo quod non est vniuersale vt sic vt quod, neque erit tale vniuersale vt quod. Deindè genus, & species respectu suorum inferiorum se habent, tanquam fundamentum, in quo per inexistentiam fundantur rationes cōtrahentes, differentia verò cum sit ex natura sua inexistens, nec possit se habere, vt differentia est, ad modum per se stantis, non potest esse fundamentum inferiorum, atque adeò nec esse genus, aut species cum omni suo complemento.

Tertia conclusio Differentia superior est genus, vel species vt quo respectu inferiorũ incomplexarum.

IV. Dico tertio. Si differentia comparetur ad inferiores differentias in complexas, siue essentiales, siue indiuiduales, habet rationem generis, vel speciei vt quo, non verò vt quod: seu se habet differentia superior vt formale constitutiuum generis, vel speciei, quæ ab inferioribus differentijs diuiditur: vndè habitudo ipsius est in ordine ad contractiua. Probatur. Differentia superior est formale constitutiuum alicuius speciei subalternæ, quæ comparata ad inferiora habet rationem generis, & talis ratio generis, quæ formaliter constituit aliquam speciem subalternam; vt si animalitas comparetur ad inferiora, nempè rationale, & irrationale, se habet, vt constitutiuum generis, quoniam animal, prout animal, respectu inferiorum est genus; ergo differentia superior respectu inferiorum se habet, tanquam genus vt quo, quoniam esse genus vt quo nihil aliud est, nisi esse formale constitutiuum generis vt quod, huiusmodi autem differentia seipsa formaliter constituit aliquod compositum, quod est genus subalternum, & ex vi talis differentiæ habet plures species sub se.

2. ratio.

V. Secundò argumentor. Quod diuiditur per differentias essentiales, se habet, vt genus vt quo, aut vt quod; si enim diuiditur, tanquam aliquid se habens vt quod, erit genus vt quod; si verò diuiditur tanquam formale constitutiuum generis, diuiditur tanquam genus vt quo; similiter idem quoque dicendum de specie respectu differentiarum indiuidualium: Sed differentia superior diuiditur vt quo ab inferioribus, ergo se habet tanquam genus, vel species vt quo. Minor ista declaratur, quia differentia ista superior reperitur in pluribus inferioribus, siue speciebus, siue indiuiduis, quod fieri non posset, nisi diuideretur, & per diuisionem poneretur in pluribus. Nec valet, si dicatur diuidi tantùm materialiter, hoc est ad diuisionem generis, vel speciei superioris, non verò formaliter, ita vt diuisio immediatè cadat suprà ipsam; nam hoc est falsum, quia diuisio illud per se immediatè, & non ratione alterius diuidit, quod ex se ordinatur, vt sit in illis, tanquam ratio quædam communis; communitas enim facit formaliter diuisibile in plura: at differentia superior ab intrinseco suo habet, vt sit quid commune pluribus, quod patet ex prædicatione, quæ ipsi conuenit: si ergo ex se habet, vt sit quid commune pluribus, etiam ex se erit formaliter diuisibilis per differentias.

Differentia superior diuiditur ab inferioribus.

VI. Confir. principaliter. Ratio potentialis cōtrahibilis importans gradum entis superiorem, se habet etiam vt vniuersale, vel genericum, vel specificum, & si se habet vt quo, erit vniuersale vt quo; sed differentia superior se habet vt quo, & est quid potentiale, & contrahibile respectu differentiarum inferiorum; ergo respectu illarum erit genus, aut species vt quo. Min. declaratur. Differentia superior est vt quo aliquis gradus vlteriùs perfectibilis intrà eumdem ordinem, vt animalitas est adhuc perfectibilis in genere viuentis, quoniam non habet totum, quod potest habere intrà talem rationem: hinc quando genus subalternum, quod constituitur per differentias superiores, coniungitur cum differentijs inferioribus, & per illas contrahitur, huiusmodi coniunctio fit ex vi differentiæ constitutiuæ talis generis subalterni, ita vt id, secundùm quod genus contrahitur, habeatur à tali differentia; animal enim contrahitur secundùm rationem animalis, quam habet ab animalitate. Quod ex eo quoque confirmari potest, quoniam differentia superior, & inferior inuicem subordinantur, & important diuersos gradus, quorum vnus fundatur in alio, ita tamen, vt vnus mi-

nus pateat altero; ergo debet differentia minus patens aduenire contrahendo magis patenti, quia ficuti gradus, qui fe habent vt quod, vnus aduenit alteri, & illum contrahit, ita etiam conftitutiua graduum, quæ funt differentiæ.

Quarta conclufio. Differentia fe habet vt genus, aut fpecies refpectu inferiorũ, fi vt cõplexe, fiue ac cipiantur.

VII. Quartò dicendum eft. Si differentia fuperior comparetur ad inferiores complexas effentiales, fe habet tanquam genus vt quo in ordine ad fpeciẽ, etiam vt quo fe habentem. Et proportione feruata, fi differentiæ inferiores complexæ coalefcant ex fuperiori effentiali, & inferiori Indiuiduali; tunc fuperior comparata ad has inferiores indiuiduales fe habebit vt fpecies in ordine ad indiuidua, vt quò confiderata. Quod fpectat ad primam partem huius conclufionis, quòd videlicet differentia fuperior refpectu inferiorum complexarum fe habeat, tanquam genus vt quo, non eft neceffaria alia probatio, nam patet ex dictis in conclufione præcedenti. Secunda autem pars, quòd inferiores differentiæ complexè fe habeant, tanquam fpecies, vt quò, probatur. Nam fpecies eft illa, quæ coalefcit ex genere, & differentia: feu ratione fuperiori, & inferiori; ergo quod cõftat ex ratione fuperiori, & inferiori, & fe habet vt quo, erit fpecies vt quo, quia dicet conftitutiua fpeciei. Confir. ex animali, & rationali fit vna fpecies, quæ fe habeat, vt quod; ergo ex animalitate, & rationalitate fiet eadem fpecies, fe habens vt quo; fi enim fumantur fimul animalitas, & rationalitas, nõ differunt ab animali rationali, nifi quòd animal rationale fe habet vt quod: animalitas verò, & rationalitas fe habent vt quo. Præterea concretum, & abftractum in hoc folùm differunt, quòd abftractum dicit conftitutiuum concreti, fe habens, vt quo; concretum verò fe habet vt quod, & inuoluit ipfum abftractum: differentiæ autem completæ important adæquatum conftitutiuum fpeciei, tanquam cuiuifdam concreti: vndè fpecies tanquam concretum inuoluit differentias complexas, tanquam fui cõftitutiuum adæquatum.

Soluuntur rationes Ponfecæ.

SECTIO V.

Ad primũ.

I. Argumentabatur primò Ponfeca, quòd differentiæ fuperiores non poffent effe genera, aut fpecies refpectu inferiorum incomplexarum, quoniam genus, aut fpecies debet includi in fuis inferioribus; differentia autem fuperior non includitur in inferiori. Cui quidem argumento concedi debet, quòd differentia fuperior non includatur in inferiori, fi incomplexè fumatur. Non hinc tamen fequitur, vt non poffit effe genus, aut fpecies vt quo, quia tunc folùm genus, & fpecies includi debet in inferioribus, quando fe habent ad modum cuiufdam totius, non verò prout fe habent ad modum compartis in abftracto, quoniam in tantùm debet genus, aut fpecies includi in fuis inferioribus, in quantum eft pars conftitutiua illorum; tunc autem inferiora important per modum cuiufdam totius, quod coalefcat ex genere, & differentia; non verò includi debet in inferioribus, quatenus funt rationes contractiuæ generis, aut fpeciei, & fimul cum ipfis conftituunt quoddam totum: vnde genus habet duplicem habitudinem, alteram ad fpeciem, quam conftituit, refpectu cuius fe habet vt pars in ordine ad totum, & aliam ad differentiam, refpectu cuius fe habet tanquam pars ad compartem. Atque hoc verum eft, nedum de genere, confiderato vt quo, fed etiam vt quod. Si verò comparetur differentia fuperior ad inferiores complexas: tunc includitur in illis, quia illa complexio fit ex fuperiori, & inferiori.

Quomodo genus, & fpecies includantur in inferioribus.

Ad fecundam.

II. Secunda ratio peteret, cur differentia fuperior non poffit in recto prædicari de inferiori: cuius rei rationem fupra affignauimus difp. 53. fect. 4. quia videlicet pars, fe habens ad modum abftracti, non poteft prædicari de toto, aut altera parte, fed vt prædicetur, fe debet habere ad modum concreti, vt ibidem explicauimus. Ex hoc verò prouenit, vt differentia fuperior non poffit in recto de inferioribus prædicari. Cum tamen fit genus, aut fpecies vt quo, eft formale conftitutiuum alicuius prædicati in concreto, quod poteft in recto prædicatione directa, & naturali prædicari, tanquam genus, aut fpecies de fuis inferioribus in concreto fumptis. Quare differentia fuperior refpectu inferiorum eft prædicatum, vt quo, ordinatum ad prædicationem directam, & naturalem, & hoc fufficit, vt fuperio-

Cur differentia fuperior nõ prædicetur in recto de inferiori.

res

res differentiæ se habeant, tanquam genera, aut species vt quo.

Ad tertiū.

Differentiæ superiores nō includuntur in inferioribus incōplexis.

III. Ad tertium dicitur, quòd licet differentiæ superiores se habeant, vt genera respectu inferiorum, aut vt species, non hinc tamen sequitur, vt debeant includi in ipsis, quia se habent vt quo. Neque item hinc sequitur, quòd differentiæ non sint primò diuersæ, saltem secundùm rationes prædicamentales, quia non ordinantur differentiæ superiores ad inferiores, tanquam genera constitutiua, ita vt debeant in ipsis includi; sed ordinantur, tanquam genera ad suas differentias contractiuas, & diuisiuas, & ideò non sequitur, vt in ipsis debeant includi. Quare neque sequitur processus ille in infinitum, neque debere concedi differentias super alias differentias, vt ibid. inferebatur. Si verò comparantur ad complexas, comparantur quidem, tanquam ad species, & in ipsis includuntur eo pacto, quo genus includitur in specie, neque concedendæ sunt aliæ differentiæ, quibus contrahuntur, quia contrahuntur eo pacto, quo contrahitur genus ad speciem, nempè per differentias simplices, quia tunc solùm differunt à genere, tanquam abstractum à concreto.

Ad rationes alterius partis eiusdem sententiæ.

Differentia superior est quid potentiale respectu inferioris.

IV. Quod spectat ad alterum caput difficultatis, de differentijs superioribus comparatis ad inferiores complexas; Ad primam rationem, qua Fonseca contendebat, non posse habere vllo pacto rationem generis, aut speciei; negatur, illud complexum ex differentia superiori, & inferiori non esse vnum per se, quia optimè fit ex illis vnum quoddam essentiale complexum, se habens vt quo, neque enim posset esse compositum essentiale, nisi esset vnum per se. Ad probationem dico. Falsum esse, differentiam superiorem non se habere vt quid potentiale, respectu inferioris, si quidem cum superior sit ratio fomalis constitutiua generis in esse generis, nisi esset quid potentiale, non posset genus, vt tale est, coniungi cum suis inferioribus, & efficere vnum per se cum illis. Quare necessariò concedendum est, superiorem differentiam se habere, vt quid potentiale respectu inferioris, & ideò talem complexionem esse vnum per se. Quod autem dicitur de pluribus formis physicis informantibus eamdem materiam; licet, negari posset, esse eamdem rationem; tamen dicimus, quòd in ipsis quoque vna subordinatur alteri, vt quid potentiale, & ab ipsa perfectibile, & solùm respectu materiæ, quam informant, se habent, vt actus, respectu verò alterius formæ, vt potentia.

Ad secundum.

V. Denique ad aliam rationem pro eadem parte respondetur. Illud complexum ex differentia superiori, & inferiori, etiam respectu indiuiduorum, si sit complexum ex differentia infima, se habere vt vniuersale, eo modo, quo est species, nempè vt quo. Cum enim illud complexum dicat abstractum speciei, seu partes eiusdem in abstracto sumptas, & simul vnitas, constituunt etiam vniuersale specificum, vt quò se habens, quia non differt ab ipsa specie, nisi penes esse abstractum. Atque ex hoc fit, vt nedum in quid prædicari possit, sed nullo modo: non enim valet, Petrus est animalitas rationalis; si tamen in concreto sumatur, statim prædicabitur in quid, quia se habebit, vt quid per se stans, quod sufficienter indicat, esse vniuersale vt quò, quia per solùm transitum ad esse concretum potest prædicari. Addo tamen, quòd si illud complexum comparetur ad aliquam rationem sibi ipsi superiorem, habebit rationem differentiæ, vt si sensibilitas rationalis comparetur ad corpus, & tunc prædicabitur de inferioribus, vt differentia in quale quid, & habebit aliam vniuersalitatem, quam diximus habere differentiam. Ad primam autem instantiam dico, quòd illa differentia erit complexa, & ideò debet includere compositionem ex differentia generica, & inferiori; seu debet constare ex genere, vt quo se habente, & alia differentia: illæ autem solæ differentiæ sunt simplices, quæ sunt incomplexæ. Ad secundam. Differentiam complexam suo modo mediare inter genus, & speciem. Cum enim importet duplicem differentiam, debet mediare duplici mediatione; nimirum vt superior mediet inter genus, quod diuidit, & speciē, quam ipsa constituit, non verò debet, vt quid complexum mediare, sed secundùm partes complexionis. Ad vltimam negatur sequela, quòd scilicet diuidat duplex genus non subalternum; sed tantùm diuidet idem genus, vt quod se habens, & vt quo, seu diuidet constitutiuum, & constitutum. Differentia enim superior, quæ est genus vt quo respectu

Differentia superior complexa est vniuersale vt quo respectu inferioris cōplexæ, aut indiuidui.

in-

inferioris complexæ : se habet, vt formale constitutiuum generis vt quod, sub quo ponitur illud complexum; quare si sensitiuum sumatur, non pro passione, sed pro differentia, erit idem, ac animalitas, quæ est formale constitutiuum animalis, vndè sensitiuum rationale diuidens sensitiuum vt sic, quatenus sumitur, vt differentia, diuidet genus vt quo; hoc est formale constitutiuum generis animalis; diuidens verò animal, diuidet genus vt quod.

Corollarium ex præcedenti doctrina.

SECTIO VI.

An differentia cõstituat peculiare vniuersale.

I. EX dictis hucusque colligi potest, An differentia differat in sua vniuersalitate à cæteris vniuersalibus. In quare ferè communiter sentire videntur, quòd sit diuersum vniuersale à cæteris. Verùm alij econtrà censent, (Auersa.) nempè ij, qui putant duo esse tantùm vniuersalia, genericum, & specificum. Atque Auersa in Logica quæst. 12. sect. 4. ait, Differentiam confundi cum genere, vel cum specie, quamuis habere possit modum prædicandi diuersum, quia si concipiatur ad modum per se stantis, se habebit vt genus, aut species; si verò concipiatur ad modum adiacentis, se habebit vt differentia, & in hoc consistit totum discrimen; vndè idem prædicatum essentiale se potest habere, vt differentia, & vt genus, aut species.

II. Verùm licet Auersa in hoc rectè procedat, quòd non ponat differentiam distinctum vniuersale à generico, aut specifico; tamen probari non possunt eius fundamenta, (Reijciuntur fundamenta Auersæ.) Videlicet quòd verùm non sit differentiam dicere tantùm partem essentiæ per modum actus, & formæ; & ex natura rei non sit determinatum, quòd hæc, vel illa pars in essentijs se habeat, vt materialis, & formalis, & possit contingere, differentiam dicere totam essentiam, vt cum non perfectè præscindit à genere Hæc enim omnia falsa sunt; vt enim suprà ostendimus, & genus se habet vt pars materialis, & differentia vt pars actualis, & fomalis, atque id habent ex natura rei, quia licet differentia possit se habere, vt pars materialis respectu aliarum differentiarum, vt docet Arist. 7. (Arist.) Metaph. tex. 43. ait enim *At verò oportet etiam, diuidi differentia differentiarum, vt potè animalis differentia est habere pedes, rursus animalis pedes habentis differentiam scire oportet prout pedes habet.* Tamen tunc non se habet, vt differentia, sed vt genus, & in ordine ad illud genus, cuius est differẽtia, sẽper erit pars actualis. Imò addo impossibile esse, quòd dicat totam essentiam; si enim differentia ex natura sua est contractiua generis, & determinatiua essentiæ, quomodo non erit necessarium, vt à genere distinguatur, & importet partem tantùm essentiæ contradistinctam ab alia parte contrahibili. Rursus si cõtrahit, & determinat partem contrahibilem, etiam necessariò se habebit ad modum partis formalis. sed de his fusè dictum est supra.

III. Itaque, vt ex supradictis colligitur, debet quidem concedi proprius modus prædicandi differentiæ, non tamen propria vniuersalitas distincta à generica, aut specifica. (Differentia habet propriũ modum prædicandi, nõ propriã vniuersalitatem.) Et quidem de modo prædicandi proprio differentiæ, nulla potest esse difficultas, quoniam ita prædicatur in quid, vt simul etiam prædicetur in quale, & vt quid adiacens. Quòd verò non habeat propriam vniuersalitatem distinctam ab vniuersalitate generis, & speciei, colligitur ex Arist. 1. Topicor. cap. 3. vbi ait *Differentia cum sit generalis, cum genere ordinanda est*. Si igitur differentia generica ex Arist. cum genere computanda est, etiam specifica cum specie debebit computari. Atque etiã consonat quod docet lib. 1. de Part. animal. cap. 5. circa finem, vbi omnia prædicata communia essentialia reducit ad genus, aut speciem. Et ratio euidens est, quia differentiæ sunt formalia constitutiua generum, & specierum; vndè, vt diximus, important vt quo ipsorum vniuersalitatem, & in eo tantùm distinguuntur, quòd se habent per modum abstracti, seu formæ, & proinde non possunt importare nouam vniuersalitatem suprà vniuersalitatem generum, aut specierum, cum præcisa differentia constitutiua ipsorum, non remaneat amplius earumdem vniuersalitas. Habet autem proprium modum prædicandi, & non propriam vniuersalitatem, quia illum obtinet in ordine ad genus, respectu cuius non est vniuersalis; prædicatur enim solùm de specie in quale quid, vt potè quia in ipsa sola adiacet; vndè non omnis prædicabilitas consequi-

tur

tur vniuersale, sed tantùm prædicabilitas de pluribus; differentia autem non prædicatur de pluribus secundùm proprium modum prædicandi, nisi ratione speciei, respectu cuius illum exercet.

Quotuplex sit differentia. Disp. LXI.

Dari differentias infimas, quæ sint vnius tantùm speciei. Sect. I.
Differentiam infimam, & subalternam nõ constituere duas species formales differentiæ. Sect. II.

Dari differentias infimas, quæ sint vnius tantùm speciei.

SECTIO I.

I. Explicata natura differentiæ secundùm se consideratæ, restat, vt eiusdem diuisionẽ consideremus. Non loquimur autem de illa diuisione, qua diuiditur in communem, propriam, & proprijssimam, seu in essentialem, & accidentalem. (Differentia subalterna, & infima.) Sed loquimur solùm de differentia specifica quæ est alterum principium compositi metaphysici: Solet autem diuidi hæc differẽtia in subalternam, & infimam. Subalterna est, quæ cõstituit speciem subalternam, quæ etiã genus est: vndè adhuc est diuisibilis, vt constitutiuũ generis, per vlterioresdifferentias, & cõuenit pluribus speciebus. Infima verò cũ vna tantùm specie infima adæquatur: nec vlterius est diuisibilis per alias differentias, & ideò constituit speciem infimam, nec alteri speciei conuenit. Circà hanc autem diuisionem dubitatur, an rectè sit tradita, & solutio pendet ex eo, an dentur huiusmodi differentiæ infimæ quæ vni tãtùm speciei conueniant. Si enim dantur, certè erit rectè tradita, quoniam sub his duobus membris claudentur omnes differentiæ proprijssimè, & diuident differentiam vt sic. Vel enim differentia conuenit pluribus speciebus, & erit subalterna: vel non conuenit pluribus speciebus, sed vni tantùm; & erit infima.

II. Quòd autẽ non dẽtur differentię infimæ, quæ cũ vna sola specie adæquentur, sed proprium constitutiuum specierum infimarum esse quid complexum èx pluribus differentijs, quarum vnaquæque seorsim sumpta sit cõmunis pluribus speciebus, videtur esse mens Porphyrij, nam definiuit differentiam per prædicari de pluribus differentibus specie, & in Cap. De ijs, quæ generi, & differentiæ communia sunt, inquit. Vnius speciei esse vnum tantùm genus, plures autem differentias, & in Cap. de Different. & alibi ad explicandam naturam speciei vtitur pluribus differentijs, vt ad explicandam naturam hominis vtitur Rationali, & Mortali. (Prima opinio Non dari differẽtias infimas. Porphyr.) Quinimò hæc quoque videtur esse mens Arist. quoniam 2. Poster. cap. 14. dũ ageret de definitione speciei, inquit, singulas partes definitionis maiores esse re definita, ambas tamen simul vnitas cum ipsa conuerti; quòd si differentia latius patet, quàm species iam non adæquatur cũ ipsa. Rursus 1. Topicor. cap. 7. ait, Genus, & differentiam esse prædicata inconuertibilia cum specie, & lib. 6. eiusdem operis ca. 3. loco 16. docet, speciem non posse prædicari de differentia, quia differentia de pluribus prædicatur, quàm species. (Arist.) Et lib. 1. eiusdem item operis cap. 3. reducit differentiam ad genus, quoniam generica est, ait enim, ***Etenim differentia, vt est generica, simul generi adiungenda.*** Denique lib. 1. de Partib. animal. cap. 3. Indicat, in congruum esse admittere tot differentias vltimas, quot sunt species. Atque asserunt, hanc sententiam fuisse Platonicorũ, & in eã videntur inclinare Auer. 7. Metaph. com. 45. Themist. 2. Poster. cap. 20. Philop. ibid. c. 14. quãuis Auer. videatur potius velle, vnam speciem habere plures differentias, quarum tamen vna alteri subordinetur. Et hanc quoque opinionẽ amplecti videtur Sõcin. 4. Metaph. quest. 20. cõclus. 2. in 1. probat. Linconiẽs. 2. Post. com. 30. Burleus cap. de Different. (Auer. Themist. Philop. Soncin. Burleus. Liconiẽs.)

III. Nihilominus dicendum est, Dari has differentias infimas, quæ cum vna tantùm specie adæquentur, vt docent cõmuniter Philosophi, tam Veteres, quàm Recentiores præsertim Alexand. 4. Topicor. cap. 2. vbi habet, Differentiam esse æqualem speciei, si accipiatur illa, quæ propriè constituit speciem, & idem habet 7. Metaph. c. 12. Simpli. in Antepræd. Auicenna in sua Logica cap. 10. D. Th. 2. Poster. cap. 14 & 7. Metaph. cap. 12. Albert. Magn. trac. 5. suæ Logicæ cap. 6. D. Bonauent. in 2. dist. 1. art. 6. quæst. 2. (Cõclusio. Dari differẽtias infimas. Alexand. Simpl. Auicen. D. Th. Albert. Magn. D. Bonauent.)

Scot. Philop. Zabarel. Suarez. Auersa. Fonseca. Venet. Tolet. Soto. Sanchez. Porphyr. Arist.

Scot. quæst.27. Vniuer. Philop. 1. Prior. cap. 1. Zabarel. 2. Poster. tex. 60. Suarez. in Metaph. disp. 5. sect. 11. num. 23. Auersa in Logica quæst. 13. sect. 3. Fonseca 5. Metaph. cap. 28. quæst. 17. Cæteri verò id potius, tanquam certum supponunt, vt Venet. Tolet. Soto. Sanchez cap. de Differentia. Imò si diligenter doctrina Porphyrij examinetur, idem sensisse reperiemus, nam citato cap. De ijs, quæ prædicabilibus communia sunt, ait *Differentia autem proprium est plerumque in multis formis contineri*. Atque in interrogat. & respons. ad Cathegor. Arist. cap. 38. ait *Cum dixeris, differentiam de pluribus speciebus efferri, numquid rem ita, vt se habet, explicasti?* & respondet. *Non ita planè, sed vt plerumque esse consueuit, reperiuntur enim aliqua, quæ speciebus adæquantur, sicuti est leuitas, & grauitas, quarum altera ignis, altera terra est*. Præterea Arist. quoque huiusmodi differentias admittit Nam 2. de Partib. animal. inquit de speciebus *Non enim desunt, quarum vna tantum sit differentia, cætera autem supernatanea sit* Et 7. metaph. tex. 42. & 43. Docet, definitionem debere constare ex duabus partibus ad minus, nempè genere, & differentia. Rursus debere diuidi differentias intermedias, donec ad infimam, & indiuisibilem deueniatur, & quòd differentia vltima constituat rei substantiam. Eius verba sunt. *Sic semper procedi vult, donec ad indifferentia deueniatur: tum autem tot species pedis erunt, quot differentiæ, & pedes habentia animalia æqualia differentijs. Si igitur hæc ita se habent, manifestum est, quòd vltima differentia rei substantia erit, & definitio.* Vbi aduerte, quòd dicit, tot futuras species, quot differentias: quæ omnia saluari nequeunt, nisi per differentias infimas.

2. ratio.

IV. Atque etiam possumus pro hac sententia ratione arguere. Vnaquæque species habet propriam essentiam, quæ sibi soli conuenit; ergo habet propriam differentiam, quæ cum ipsa adæquetur. Vtraque autem pars argumenti declaratur, & quòd spectat ad Antecedens, quod procedit de specie infima, & completa; huiusmodi species ex natura sua, vt infima est, non communicat in esse cum quacunque alia specie, sed ab ipsa contradistinguitur, ita vt habeat diuersam essentiam à quacunque alia specie; ergo habet propriam essentiam, quæ sibi soli

Vnaquæque species infima habet propriam essentiã, et quę adęò differentiam.

conueniat. Quod etiam confirmari potest, inquirendo, an essentia huius speciei in ipsa sola reperiatur, an in aliqua alia; si primum admittitur; ergo iam talis essentia est propria talis speciei, & non alterius. Si verò in alijs quoque reperitur; rursus inquiro, an illæ species sint ab hac diuersæ, an non: hoc secundùm dici non potest, quia non essent plures species. Si verò sunt diuersæ; ergo illa essentia erit diuisibilis per plures differentias essentialiter diuersas; atque adeò non erit essentia vnius speciei infimæ. Altera autem pars argumenti, nempè consequentia prob. Quoniã supposito, quòd talis species habeat propriam essentiam, quæ nulli alteri conueniat, debet necessariò concedi proprium constitutiuum talis essentiæ. Essentiæ autem constituuntur per prædicata quidditatiua; ergo debet habere proprium prædicatum quidditatiuum, quod nulli alij conueniat: hoc autem prædicatum erit differentia athoma, & cum tali specie adæquata.

V. Neque rectè respondetur. Hoc proprium constitutiuum non esse aliquã differentiam simplicem, sed aliquid complexum ex pluribus differentijs simplicibus. Hoc enim dici non potest, quoniam hoc complexum non importabit aliquam essentiam simplicem, & indiuisibilem, sed aliquid diuisibile; vndè metaphysicè loquendo, non cõferet vnum esse, sed multiplex, & consequenter non constituet essentiam propriã talis speciei. Confir. essentia talis speciei ita est propria illius, vt secundùm proprium esse essentiale non possit alteri conuenire, & secundùm hoc consistat in indiuisibili; ergo nõ potest esse aliquid complexum, siquidem hoc complexum nõ importaret aliquod esse proprium talis speciei, quia non fundaret prædicatum simplex, quod soli tali speciei conueniret: sed quodcunque prædicatum ex ipso desumeretur, conueniret alteri. Secundò arguo contrà eamdẽ responsionem. Hoc complexum ex pluribus differentijs deberet esse vnum per se, alioquin non constitueret vnam essentiã propriam talis speciei, sed esset vnum aggregatum per accidens. Non possunt autem plures differentiæ constituere vnũ per se, nisi vna se habeat vt actus, altera vt potentia. Quòd si vna se habet vt potentia, altera vt actus, quæ se habet vt potentia, cum sit pluribus communis, non potest constituere essentiam propriam talis

Excluditur respõsio.

Quomodo plures differentię simul sumptæ nõ possint cõstituere propriam essentiã speciei infimæ.

spe-

speciei, sed se habebit vt genus, quia est pars potentialis conueniens pluribus, illa autem non potest esse essentia propria alicuius speciei, in qua talis species cum alijs conuenit, ergo remanebit tantùm altera differentia, quæ se habebit ad modum actus, quæ possit esse proprium constitutiuum talis speciei; sed neque hæc potest esse, quoniam connenit pluribus. Non potest igitur proprium constitutiuum sumi ex aliquo complexo, sed necessariò petendum est ex aliquo incomplexo.

VI. Secundò prob. nostra sententia. Species infima, vt talis est, constitui debet per aliquod esse sibi proprium, & quod se habeat ad modum actus simpliciter, nec sit contrahibile per alias differentias; ergo debent concedi differentiæ simplices, quæ cum tali specie concertantur. Anteced. ostenditur. Si talis differentia est propria talis speciei, vt infima est, debet participare conditiones illius, cum tale sit constitutiuum, quale est constitutum; quare cum species infima non sit vlteriùs diuisibilis per alias, sed habeat proprium esse per modum actus constituentis talem essentiam, debet etiam concedi, constitutiuum talis speciei habere totum suum esse ad modum actus non vlterius contrahibilis per alias differentias: vndè tale constitutiuum excludet a se omnem potentialitatem, quia si hanc includeret, esset vlteriùs contrahibile; esset enim ratione huius potentialitatis vlteriùs perfectibile. Hinc etiam consequentia declaratur. Quoniam si constitutiuum talis essentiæ esset quid complexum ex pluribus differentijs, vna tantùm illarum se posset habere per modum vltimi actus; aliæ verò se haberent, vt quid potentiale; quod ex eo colligitur, quòd istæ differentiæ importarent diuersos gradus entis, quorum alter alteri subordinaretur, & vnus tantùm obtineret rationem vltimi, atque adeò solus haberet rationem actus, quia gradus alteri subordinatus habet rationem potentiæ. Deindè quælibet ex his differentijs esset quid potentiale, vt potè communis pluribus, quia potest coniungi cum illis, quatenus diuersa sunt, atque adeò diuersa importans diuersos actus distinctiuos; quomodo ergo hoc complexum erit simpliciter actus? Nec potest dici, quòd illud coniunctum habeat rationem actus simpliciter: quia quando omnes partes sunt quid potentiale; etiam totum est quid potentiale; nec stare potest, Esse simpliciter actum cum communitate.

Constitutiuum infimæ speciei debet esse indiuisibile per alias differentias.

VII. Confir. principaliter. Quod est proprium constitutiuum alicuius speciei, ita conuenit illi, vt nulli alteri conueniat; atque secundùm totum illud, quod dicit proprium constitutiuum, non potest species conuenire cum alia specie; alioquin non esset illud constitutiuum secundùm se totum proprium talis speciei. Rursus constitutiuum est etiam distinctiuum; Cum igitur quod distinguit aliquid ab alio, debeat se habere ad modum actus, & soli conuenire, sequitur, vt tale constitutiuum secundùm se totum habeat rationem actus: hoc autem conuenire non potest tali complexo, quoniam secundùm illud totum species constituta, partim cum vna, partim cum altera conueniret. Rursus non esset secundùm se totum distinctiuum talis speciei, neque totum se haberet ad modum actus, vndè concludendum, non posse proprium constitutiuum talis speciei consistere in hoc complexo ex pluribus differentijs. Confir. Secundò quælibet species athoma habet aliquem gradum essentiæ sibi proprium, qui cum ipsa reciprocatur, alioquin quomodo esset talis species, quæ ab omni alia contra distingueretur? non enim potest distingui secundùm omnes gradus, cum in pluribus cum alijs conueniat, ergo secundùm aliquem tantùm, in quo non conueniat. Hic autem gradus potest esse solùm aliqua differentia simplex, non autem aliquid complexum ex pluribus, quoniam plures communes non constituunt vnicum gradum, sed plures, cum vnaquæque ex natura sua sit constitutiua luimet peculiaris gradus. Neque dici potest hos plures gradus esse omnes proprios talis speciei, quoniam secundùm vnumquemque cum alijs speciebus conuenit Itaque, nisi darentur differentiæ vltimæ simplices, species athomæ non haberent aliquem gradum essentiæ, qui cum ipsis conuerteretur.

Species infima in vnico tantùm gradu essentiæ cū ipsa reciprocabili ab alijs distinguitur.

VIII. Tertiò possumus argumentari in rebus physicis quælibet natura in specie athoma, coalescit ex aliqua forma, quæ secundùm se spectata distinguitur essentialiter ab omni alia forma physica, quæ non est eiusdem rationis, ergo etiam quælibet species metaphy-

Qualibet species infima habet propriam essentiã de sũptam à propria forma physica.

fica debet habere aliquam differentiam; quæ cum ipsa sola conuertatur. Consequentia tenet, quoniam esse metaphysicum desumitur à physico per abstractionem; si igitur forma physica habet in se talem essentiam, quæ cum ipsa sola conuertatur, poterit intellectus abstrahere talem gradum essentiæ, qui erit proprius talis speciei, & se habebit ad modum actus, & vltimæ differentiæ, qua talis essentia constituatur. Confir. Vnaquæque essentia, seu species habet passiones sibi proprias, siue physicas, siue metaphysicas, quæ cum ipsa reciprocantur; ergo habet etiam proprium gradum essentiæ, qui sit simplex, & radix talis proprietatis, quoniam simplex proprietas à simplici tantùm gradu pronenire potest: & sicuti illud complexum importaret gradus pluribus speciebus communes, ita etiam fundaret proprietates pluribus speciebus communes.

4. ratio.

IX. Denique Ex eò quòd simplex differentia accedit generi, potest constitui aliqua species subalterna; ergo per simplicem quoque differentiam potest constitui species infima, non enim est maior ratio de subalterna, quàm de infima. Quòd si subalterna habet differentiam simplicem sibi propriam, cur non habebit infima, cum compositio speciei semper eodem modo fiat? Imò cum in rerum essentijs sit idem, Posse, et Esse? Si species infima potest constitui per differentiam simplicem, de facto constituetur. Confirmatur essentiæ sunt sicuti numeri, vt docet Arist. 8. Metaph. tex. 10. quia sicuti constituuntur, & variantur numeri, per additionem, vel subtractionem cuiuslibet vnitatis, ita etiam essentiæ per additionem, vel subtractionem cuiuslibet formalitatis; ergo sicuti vnitas, quæ variat, & constituit numerum, est indiuisibilis, & simplex; ita etiam differentia, quæ variat, & constituit speciem, debet esse in genere suo simplex, & indiuisibilis.

Differentia constituens essentiã debet esse simplex, & indiuisibilis.

Explicatur Porphyr.

X. Neque obstat, quod ex Porphyr. in contrarium affertur, si quidem in illa definitione non est complexus omnes differentias, cur autem id factum fuerit, suo loco explicatum est. Cum autem inquit, quòd vnius speciei est vnum tantùm genus, plures autem differentiæ, loquitur de differentijs subordinatis; nam species per vnam differentiam differt ab aliquibus, per aliam ab alijs, non verò quòd non dentur vltimæ differentiæ simplices, quod colligitur ex verbis ipsius, ait enim. *Præterea genus quidem vnum in vna quoque specie est, vt est in homine animal; differentia verò plures, vt rationale, mortale, mentis, atque scientia susceptiuum, quibus ab expertibus rationis differt*. Cum autem vtitur complexis differentijs ad exemplificandum, illis vtitur pro simplicibus vltimis, quæ quoniam multoties ignotæ sunt, ad complexas recurrendum est.

XI. Quod verò spectat ad illa loca Arist. & ad primum ex 2. Poster. ibi docet, quòd quædam differentiæ per se spectatæ latius patent re definita, coniunctim verò sumptæ cum ipsa adæquantur, & exemplum affert de numero ternario, cui conuenit esse numerum Imparem, & Primum imparem. Esse autem primũ, & esse imparem seorsim sumpta latius patent, quàm numerus ternarius. Verùm est aduertendum, quòd quando hæ differentiæ seorsim considerantur, diminuuntur, nec dicunt id totum, quod dicunt applicatæ tali subiecto, & ideò latiùs patent. Imparitas enim, quæ conuenit numero ternario, est talis imparitas, quæ consurgit ex tribus vnitatibus ex quo sequitur, vt sit simul prima imparitas. Hæc autem imparitas non debet sumi pro imparitate vt sic, sed tali imparitate: talis autem imparitas resultans ex tribus vnitatibus cum numero ternario conuertitur; quia autem non possumus explicare talem imparitatem conceptu proprio, vtimur pluribus communibus simul coagmentatis, qui si separentur, quia tunc diuersimodè supponunt, ac anteà supponebant, ideò seorsim latius patent, simul verò non latius patent, quia plures conceptus communes sumuntur pro vnico simplici adæquato talis speciei, qui vt, dictum est, in numero ternario est talis imparitas consurgens ex tribus vnitatibus, ex quo sequitur, vt in numero sit prima imparitas. Et hoc pacto explicari potest etiam Porphyr. quando vtitur differentijs complexis.

Arist. explicatur 2. Poster. cap. 14.

Quomodo per differentias cõplexas significentur incõplexæ.

XII. In cap. autem 7. lib. 1. Topicor. non dicit absolute, Differentiam non conuerti cum genere, sed omne prædicatum vel conuerti, vel non conuerti cum re, de qua prædicatur. Rursus subdit prædicatum, quod non conuertitur, vel esse eorum, quæ in definitione ponuntur,

7. Topicor. c. 1.

tur,

tur, & sic non posse esse nisi genus, aut differentiam; vel eorum, quæ non ponuntur in definitione, & tunc erit accidens. Quia autem in definitione ponuntur differentiæ mediæ, seu subalternæ, ideò Arist. intelligendus est, quòd si prædicatum non conuertitur, & sit differentia, debeat esse differentia intermedia. Atque hæc explicatio colligitur ex doctrina, quam ibi tradit. Nam docet, Proprium dici ad conuertentiam; consequenter autem assignari debet propria radix huius proprietatis, quæ consequenter dicetur ad conuertentiam.

lib. 6. Topicor. c. 3. Cum autem lib. 6. cap. 3. ait, quòd Differentia prædicatur de pluribus, quam species, loquitur similiter de differentia subalterna, vt colligitur ex doctrina, quam tradit lib. 4. eiusdem operis cap. 2. loco 20. vbi inquit *Nam accidit de æqualibus, aut pluribus, quàm speciem dici. Differentia enim semper de æqualibus, aut pluribus, quàm species dicitur.* Si ergo aliquando differentia de æqualibus cum specie dicitur, iam erit infima, quia ibi loquitur de specie completa, non autem de subalterna: & quando dicitur de pluribus, erit subalterna. Similiter autem

lib. 1. Topicor. c. 3. cum lib. 1. reducit ad genus differentiam, intelligit de subalterna. & in 1. de Partib. animal. loquitur de differentijs sensibilibus accidentalibus, vt esse bipedem, esse plumiferum, & alijs huiusmodi,

lib. 1. de Partib. animal. c. 3. vt patet, non autem de essentialibus, & illas, inquit, incongruum esse, quòd tot assignentur, quot sunt species infimæ.

Differentiam infimam, & subalternam non constituere duas species formaliter differentes.

SECTIO II.

Differentiam infimam, & subalternam constituere species formaliter diuersas, Opinio Auersæ.

I. Explicata diuisione differentiæ in infimam, & subalternam, ad complementum doctrinæ restat videre, an huiusmodi diuisio sit generis in species, an aliquo alio modo se habeat. Et quidem Auersa quæst. 12. suæ logicæ sect. 4 putat differentiam infimam, & subalternam constituere duas species essentialiter diuersas, sicuti constituunt duas species vniuersalis genus, & speciē. Cuius rei fundamentū desumit ex eo, quòd vna dicitur de pluribus differentibus specie, alia verò de pluribus solo numero diuersis, vndè cum habeant terminos diuersos suæ prædicabilitatis, debent inter se distingui. Alij econtra, & ferè communiter putant non esse diuersas species formaliter, sed tantùm materialiter. Verùm quia hi ponunt rationem formalem vniuersalis, & cuiscunque prædicabilis in aliqua secunda intentione, idcircò putant non differre in secunda intentione; sed solùm in natura subiecta secundæ intentioni. Nobis verò, qui ponimus prædicabilitatem, & vniuersalitatem intrinsecam naturæ tanquam quid reale metaphysicum, aliter procedendum est. Opposita sententia.

Differentia infima, & subalterna, differunt essentialiter materialiter.

II. Itaque certum esse existimo, differentias infimas, & subalternas differre essentialiter in quidditate, quam important. Hoc evidenter patet ex diuersitate specierum, quas constituunt, nam subalterna constituit speciem, quæ est genus, & vlterius contrahibilis per alias differentias essentiales; Infima verò constituit speciem, quæ non est contrahibilis per alias differentias essentiales: hæc tamen diuersitas est in quidditate naturæ importatæ per talem differentiam, non verò secundùm rationem formalem differentiæ, & ideò non potest causare diuersas species formales, sed tantùm diuersas materialiter essentialiter; hoc est, secundùm rationem materialem: atque similis diuersitas reperitur inter ipsas differentias subalternas, & inter infimas, si inuicem comparentur, quod ex eo patet, quòd tum per infimas, tum per subalternas constituuntur species essentialiter diuersæ, quòd si hæc diuersitas causaret diuersitatem differentiarum secundùm esse formale, sicuti species possibiles sunt finitæ in infinitum, ita eodem modo deberent multiplicari species differentiæ formaliter sumptæ.

Differentia infima & subalterna differunt in vniuersalitate.

III. Nihilominus etiam verum est. Quòd si differentia infima, & subalterna considerentur secundùm vniuersalitatem, quam habent, differunt inter se essentialiter, non quidem tanquam vniuersalia, vt quo, sed tanquam formalia constitutiua vniuersalis, eo pacto, quo differunt genus, & species. Et facilè ostenditur, supposito, quòd genus, & species differant formaliter in ratione vniuersalis; eo enim pacto, proportione seruata, differunt constitutiua, quo differunt constituta, cum constituta ha-

beant

beant à cõstitutiuis, quòd formaliter inter se differant; ergo cũ differentia infima sit formale constitutiuum speciei infimæ, & subalterna sit formale constitutiuum generis subalterni; sicuti genus subalternum differt formaliter essentialiter à specie infima; ita etiam differt eiusdem constitutiuum à constitutiuo speciei infimæ. Præterea, quæ differunt specie, & quæ differunt solo numero important diuersam rationem formalem termini specificatiui vniuersalis; ergo rationes vniuersales, quæ, vt quo, ad ipsa ordinantur, debent inter se essentialiter differre.

Cõclusio. Differentia Ifima, & subalterna non constituũt diuersas species formales differentiæ.

IV. At si consideremus differentiam infimam, & subalternam in ratione formali differentiæ, dicendum, est non constituere diuersas species formales differentiæ, sed differentiam, vt sic, secundùm suam formalem rationem, esse speciem infimam non vlterius diuisibilem, nec in ratione differentiæ, nec in ratione prædicabilis. Quod indè suaderi potest, quia omnes differentiæ, tam infimæ, quàm subalternæ habent eumdem modum prædicandi, nempè in quale quid, nec aliquo pacto differunt inter se in modo prædicandi, sed solùm in re, quæ prædicatur, quæ respectu modi prædicandi se habet materialiter; ergo differentia vt sic in ratione formali differentiæ, importat speciem athomam, quia si esset vlterius diuisibilis per infimam, & subalternam, deberet diuidi secundùm modum prædicandi, qui conuenit differentiæ, vt differentia est. Quòd autem non diuidatur secundùm modum prædicandi patet, quoniam infima, & subalterna nullo modo differunt in modo prædicandi; & prædicari in quale quid adæquatè dicit modum prædicandi cuiuslibet differentiæ.

Idem modus prædicandi omnium differentiarum.

Et potest Confir. hæc ratio ex eo, quod habet Arist. 10. Metaph. tex. 25. vbi docet, Diuersitatem secudùm materiam, nó facere differre specie, sed solùm diuersitatem secundùm formam; ait enim, *Quæcunque in ratione* (hoc est forma) *contrarietates sunt, speciei differentiam faciunt; quæcunque verò in consumpto materia minimè faciunt*. Cum igitur modus prædicandi sit veluti forma prædicabilium: quidditas verò, quæ ipsi substernitur, sit materia, non potest aliquod prædicabile subdiuidi secundùm suum esse formale, nisi subdiuidatur modus prædicandi: hoc autem non contingit, quando differentia diuiditur in infimam, & subalternam.

Arist.

Sola forma faci. differre essentialiter.

V. Secundò argumentari possumus. Differentia in suo conceptu proprio formali habet, quòd diuidat genus, & constituat speciem, tanquam pars formalis, & actualis conferendo determinatam essentiam: quòd verò conferat hanc, vel illam, habetur ex ratione materiali eiusdem differentiæ: & propriè loquendo differentia, vt talis est, non ordinatur ad inferiora, sed ad ipsum genus, quoniam ad id tantùm potest ordinari, cui tribuere potest suum effectum formalem, differentia autem soli generi conferre potest suum effectum formalem, cum effectus formalis ipsius sit diuidere, & contrahere, & facere differre: respectu autem inferiorum oppositum exercet, nam se habet vt quid diuisibile, & contrahibile, quod repugnat differentiæ, vt differentia est. Rursus, vt differentia est, se habet veluti forma adiacens, & ideò prædicatur in quale, vt autem est forma adiacens, potest solùm ad genus ordinari, cui tribuat suum effectum formalem; ergo cum differentia, vt talis est, debeat considerari in ordine ad genus, non possunt multiplicari diuersæ species formales differentiæ. Hæc consequentia explicatur, quia omnes differentiæ respectu generis, formaliter loquendo, eodem modo se habent, nempè, vt actus essentiales complentes, & determinantes potentiam generis; & quòd aliqua differentia sit adhùc diuisibilis per alias, vel non sit vlterius diuisibilis, hoc illi conuenit in ordine ad inferiora, non in ordine ad genus, & ideò tantùm materialiter, non secundùm rationem formalem differentiæ: quod etiam patet, quia considerato ordine differentiæ ad inferiora, non se habet amplius, vt differentia, sed vt genus, aut species, vndè ordo differentiæ ad inferiora non constituit diuersas species differentiæ formales: & cum diuersitas huius ordinis non distinguat, non possunt aliundè distingui.

5. ratio.

Differentia, vt differentia, dicit tantum ordiné ad genus.

Quo-

Quomodo differentia proprijſſima ſe habeat ad alias differentias.

Diſp. LXII.

Punctus difficultatis, & aliorum ſententia. Sect. I.
Propria ſententia. Sect. II.

Punctus difficultatis, & aliorum ſententia.

SECTIO I.

I. EXplicata natura, & diuiſione differentiæ proprijſſimæ, conſideranda qnoque eſt habitudo ipſius ad alias differentias, nempè communem, & propriam. Et difficultas in eo conſiſtit, quomodo differentia vt ſic, prout importat communiſſimum conceptum differentiæ, dicatur de his tribus generibus differentiarum, ſeu, an Proprijſſima differentia conueniat vniuocè cum communi, & propria, an verò tantùm æquiuocè; ita vt differentia vt ſic importet tantùm nomen, non verò conceptum aliquem communem. Vt autem, à facilioribus incipientes, ad punctum difficultatis deueniamus, hoc mihi certum videtur, quamuis Caiet. Cap. de different. oppoſitum cenſeat, Differentiam hic ſumi debere, non pro aliqua ſecunda intentione, ſed pro natura ipſa, quæ ſecundæ intentioni ſubſternitur, vt communiter docent, præſertim Auicen. Albert. Magnus, & alij Cap. de Different, quos ſequitur etiam Run. citato Cap. quæſt. 2. Atque hoc ſequitur, vt ſuprà etiam diximus, ex ijs, quę conueniunt differentiæ, vt differentia eſt, diuidit enim genus diuiſione metaphyſica, limitat, & conſtituit ſpeciem, quatenus eſt aliquod reale compoſitum metaphyſicum; quare cum habeat effectus reales metaphyſicos, debet ipſa quoque eſſe quid reale metaphyſicum. Accedit etiam, quòd rerum eſſentiæ metaphyſicè conſideratæ, differunt inter ſe ſecundùm eſſe reale metaphyſicum, vndè concedendum eſt, formale conſtitutiuum talis differentiæ, quod reale ſit: neque enim ſecunda intentio ponit diſtinctionem realem in eſſe reali metaphyſico, atque quod dicitur de differentia proprijſſima, debet etiam intelligi de Communi, & Propria, nam hæ quoque faciunt differre realiter, ita vt differentia, quæ eſt ſecundùm ipſas, præcedat formationem cuiuſcunque ſecundæ intentionis. difficultas igitur procedi de differentia proprijſſima ſecundùm eſſe metaphyſicum conſiderata, & comparata ad Communem, & Propriam, prout reales ſunt.

Caiet. Quomodo hic debeat ſumi differētia. Auicen. Albert. Magn. Run.

II. Et circà hoc illud etiam mihi certùm videtur, Differentiam vt ſic non eſſe ſolùm nomen æquiuocum ad proprijſſimam, & cœteras differentias. In quo conueniunt omnes, excepto Nigro in ſuo Cleipeo quæſt. 52. in reſponſ. ad 1. qui putat eſſe ſolùm nomen æquiuocum. Et id euidenti ratione conuincitur, quoniam æquiuoca, præter nomen, nihil aliud habent commune, quod importetur per illud nomen. Si autem comparetur differentia proprijſſima cum communi, & propria, habent hoc commune, præter nomen, vt ponant realem differentiam ſecundùm eſſe; quare ex parte obiecti adeſt aliquid reale, quod importatur per hoc nomen *Differentia*, quod ab omnibus realibus differentijs participatur, nempè ratio formalis faciens differre, quando autem nomen ex parte obiecti importat aliquid commune, non poteſt eſſe æquiuocum.

Differentia nō eſt quid æquiuocum ad proprijſſimam, & cæteras. Niger.

III. Statuto igitur, Differentiam vt ſic non eſſe aliquid æquiuocum reſpectu omnium differentiarum. Aliqui aſſerunt, & ferè communiter, eſſe quid analogum, ita vt Proprijſſima differentia ſit principale analogatum, reliquæ verò minus principalia analogata. Ita tenet Albert. Magn. tract. 5. Prædicab. cap. 1. Caiet. & Soto cap. de Differēt. Scot. quæſt. 23. prædicab. Runius quæſt. 2. de different. Auerſa in Logica quæſt. 12. ſect. 1. §. *Quarto vlterius communiter &*, Huius autem opinionis fundamentum eſt, quia differentia proprijſſima facit differre ſubſtantialiter, reliquæ verò tantùm accidentaliter. quæ verò differunt eſſentialiter differunt ſimpliciter: quæ verò differunt accidentaliter, differunt tantùm ſecundùm quid: vndè hæ differentiæ inæqualiter participant rationem differentiæ vt ſic, quatenus realiter facit differ-

Differentiam eſſe quid analogum ad proprijſſimam, & cœteras. Albert. Magn. Caiet. Soto. Scot. Runius. Auerſa.

re.

re. Vndè quæ differunt accidentaliter, potius in se recipiunt ea, quæ differunt, quam ipsa differant. Hinc etiam inferunt, quòd conueniant analogicè in differentia secundo intentionaliter sumpta, quia secundæ intentiones debent primis proportionari, cum in ipsis fundentur: si igitur differentiæ primò intentionaliter sumptæ cõueniunt tantùm analogicè: etiam secundò intentionaliter acceptæ analogicè tantùm conuenient. Qualis verò sit hæc analogia, non conueniunt inter se; nam Aliqui volunt esse Attributionis, vt indicat Scot. loco citato, quoniam differentia proprijssima est simpliciter talis, aliæ verò dicuntur differentiæ ex quodam vsu,& per attributionem ad differentiam simpliciter. Alij verò volunt esse analogiam Proportionis, quia ratio, quæ per nomen importatur, participatur ab omnibus secundùm proportionem: & interuenit etiam proportio proportionum, quia ita se habet differentia proprijssima ad illud, quod facit differre, sicuti se habet differentia communis, & propria ad sua subiecta, proportione seruata. Quidam verò, vt Louaniens. in Logica cap. de Different, & alij Recentiores, volunt, differentiam vt sic, prout importat communissimum conceptum vniuocè conuenire his tribus speciebus.

Qualis analogia sit.

Differentiã vt sic vniuocã esse ad omnes differentias. Louaniẽs.

Propria Sententia.

SECTIO II.

Cõclusio Differentia vt sic vniuoca, respectu omnium.

I. VErùm loquendo de abstractissimo conceptu differentiæ dicendum est, Hunc esse communem differentiæ proprijssimæ, Propriæ, atque communi; communitate vniuoca, ita tamen, vt prius diuidatur, vt suprà exposuimus differentia vt sic, in essentialem, & accidentalem. Accidentalis verò in Propriam, & communem, & semper diuisio fiat secundùm rationem vniuocam. Hoc autem probatur primò, quoniam quotiescunque ratio aliqua communis habet talem conceptum obiectiuum, qui in seipso nullo modo includat differentias inferiorum, huiusmodi conceptus est perfectè vnus, & æqualiter participabilis ab inferioribus, nullam in se includens diuersitatem, quia omnis diuersitas, si aliquam haberet non aliundè prouenire, quàm ex eo, quòd non perfectè præscinderet à differentijs, quibus cotrahitur. Hoc ergo stante, quod communiter ab Auctoribus quoque oppositæ sententiæ admittitur, sequitur, rationem differentiæ vt sic vniuocè se habere respectu proprijssimæ,& aliarum. Sumo enim differentiam proprijssimam; & ab ipsa aufero quicquid illi conuenit, vt proprijssima est, videlicet, quòd sit differentia quidditatiua, prædicans in quale quid, constituens speciem, & diuidens genus, tunc remanet tantùm ratio, quæ facit differre realiter vt sic, & nihil aliud; quòd enim faciat hoc, vel illo modo differre, prouenit, quia est differentia proprijssima. Possum autem concipere rationem facientem differre, realiter præcisè absque eo, quòd faciat hoc, vel illo modo differre, sed simpliciter, quòd faciat realiter differre: hic autem conceptus erit communis omnibus realibus differentijs, & erit perfectè vnus, quia non includet differentias inferiorum; dicet enim hanc tantùm præcisam rationem faciendi differre, & nihil aliud, vt concipienti patet; hæc autem ratio, cum importet quid commune omnibus differentijs, non potest dicere aliquid de differentijs inferiorum.

Cõceptus omninò præcisus differẽtię vt sic.

II. Et possumus in confirmationem eiusdem rationis argumentari destruendo fundamentum oppositæ sententiæ. Ideò enim inquiunt Auctores illi, Differentia vt sic est analoga ad Proprijssimam, & reliquas, quia proprijssima facit differre simpliciter, & essentialiter, reliquæ verò tantùm accidentaliter, & secundùm quid. Modò ex hoc non potest colligi aliqua analogia; quia quòd proprijssima faciat differre essentialiter, & simpliciter, illi conuenit, non vt differentia est præcisè, sed vt proprijssima est, ratione videlicet suæ differentiæ: sic etiam ratione differentiæ cõuenit Communi: & Propriæ, vt faciat differre secundùm quid, & tantùm accidentaliter ea, quibus insunt tales differentiæ. Hæ autem differentiæ separari possunt à ratione differentiæ vt sic, & potest concipi tantùm conceptus importans rationem facientẽ differre realiter vt sic, tunc autem nulla aderit analogia, nam præcisum fuit totum id, à quo prouenire poterat diuersitas.

Diuersitas in differẽdo habetur à differentijs, quibus cõtrahitur differẽtia vt sic.

III. Secundò prob. Non datur aliqua analogia, in qua eadem ratio communis participetur intrinsecè ab analogatis omni- 2. ratio.

nibus, sed ab vno tantùm participatur intrinsecè, à reliquis verò extrinsecè, vel participant diuersas rationes, quæ sint vnum, non vnitate conceptus obiectiui, sed vnitate proportionis, vt suo loco dicturi sumus. Cuius rei ratio hic breuiter assignari potest. Quia si vna ratio formalis participaretur ab omnibus analogatis, participaretur æqualiter: cum enim omnis ratio formalis consistat in indiuisibili, est etiam perfectè vna, & secundùm se totam participatur à quocunque participatur, atque adeò æqualiter: si enim inæqualiter partiparetur, secundùm magis, & minus participaretur: magis autem, & minus non saluatur sine diuisibilitate, vndè non esset vna ratio formalis communis omnibus, sed diuersa, aut esset diuisibilis, quod implicat, cum omnis ratio formalis consistat in indiuisibili.

Ratio formalis, quæ intrinsecè à pluribus participatur, æqualiter participatur.

Quo posito sic conficitur ratio. Vnaquæque differentia, tam proprijssima, quàm communis, & propria intrinsecè participant rationem formalem differentiæ, quæ in ea consistit, quòd faciat differre realiter; atque facere differre realiter est vna simplex formalitas, quæ consistit in indiuisibili, & constituit communissimum conceptum differentiæ vt sic; ergo participatur æqualiter, & vniuocè ab omnibus differentijs; vndè saluatur definitio Vniuocorum, quòd in his differentijs sit idem nomen, & etiam eadem ratio substantiæ importata per nomen: nam nomine differentiæ importatur ratio faciens differre; atque hæc, vt vna est, atque eadem saluatur in quauis differentia.

3. ratio.

IV. Tertiò argumentor inquirẽdo, An differentia propria, & communis participent rationem formalem differentiæ, an non. Hoc secundum dici non potest, quia nõ essent reuera differentiæ, sed aliquid aliud, quod tamen est falsum, cum reuera faciant differre realiter. Ita sicuti propriè participant rationem entis, & secundùm esse, quod conferunt, faciunt differre, ita debent esse realiter, & propriè differentiæ. Si igitur participant rationem formalem differentiæ; ergo vniuocè conueniunt in ratione differentiæ vt sic cum differentia proprijssima. Sequela hæc probatur, quia cuiuscunque essentiæ vna est tantùm ratio formalis, quæ inuariabilis est, & indiuisibilis, ita vt essentialiter varietur per quamcunque mutationem, quæ in ipsa fiat, & constituatur alia essentia. Si igitur cæteræ

Cuiuscũque essentiæ vna tantùm ratio formalis.

differentiæ, nempè propria, & communis participant rationem formalem differentiæ, debent vniuocè conuenire cum differentia proprijssima, nam habẽt eamdem omninò rationem formalem cum differentia proprijssima.

V. Possent etiam pro hac sententia aliæ rationes excogitari, sed quæ adduximus, sufficienter illam conuincunt. Neque obstat fundamentum oppositæ sententiæ, ex dictis enim solutum manet; Nam tota illa inæqualitas, quam assignant penes differẽtiam proprijssimam, & reliquas species, prouenit à differentijs, quibus contrahitur differentia vt sic ad illas species, non verò est secundùm rationem communẽ, de qua modò agimus. Neque etiam valet, si obijciatur, debere rationem vniuocam esse extra differentias, quibus contrahitur; differentiam verò vt sic non esse extrà differentias, quibus contrahitur ad proprijssimam, communem, & propriam: hoc enim falsum est, vt patet ex supradictis, nam optimè habere possumus conceptum differentiæ vt sic, nihil cogitando de differentijs, quibus ad suas species contrahitur. Similiter etiam neque in nostra sententia valet, quòd accidentali, & substantiali nihil potest esse vniuocum; hoc enim non admittimus, cum posuerimus ens vt sic vniuocum ad accidens, & substantiam: Quòd si hoc non esset verum, neque huic nostræ sententiæ obstaret, quoniam solùm verum esset, nihil esse vniuocum accidentali, & substantiali, si attendantur gradus entis, qui inuicem subordinantur, tanquam ratio superior, & inferior, & habentur per directas abstractiones. Si autem intellectus super istos gradus directa abstractione abstractos reflectat, & inuicem comparet, potest per abstractionem reflexam aliquid abstrahere, in quo vniuocè conueniant. Sic licet substantiæ, & accidenti nihil esset vniuocum, importans gradum entis superiorem ab ipsis abstractum abstractione directa, potest tamen intellectus substantiam, & accidens inuicem comparare, non in ratione entis, sed in ratione vniuersalis, aut differentiæ, aut aliqua alia, quæ ipsis conueniat ex eo formaliter, quòd sunt accidens, & substantia, & tunc facta præcisione poterit abstrahi aliquid vniuocum ipsis commune.

Ad fundamentũ in oppositũ.

Occurritur obiectioni.

An differentiæ diuidentes genus debeant esse contrariæ, Disp. LXIII.

Quid alij sentiant.

SECTIO I.

Quorundam opinio. Differentias opponi priuatiuè.

I. SOncinas infrà citandus refert quorumdam opinionem, qui putant, differentias diuidentes genus non esse contrarias positiuè, sed tantùm priuatiuè, quia videlicet non se expellunt ab eodem subiecto, neque enim fieri potest, vt idem animal modò sit rationale, posteà irrationale, quod necessarium esset ad contrarietatem, vndè non potest, neque in quantitate, neque in substantia esse contrarietas. Solùm ergo differentiæ diuidentes genus opponuntur priuatiuè, quia vna quodam modo est priuatio alterius; cum enim species eiusdem generis sint inæquales in perfectione, perfectissima, quæ est aliarum mensura, censetur vt habitus; reliquæ verò imperfectiores se habent, vt priuationes eiusdem, & ideò perfectissima explicatur nomine positiuo, vt Rationale, reliquæ verò nomine priuatiuo, vt irrationale. Hanc etiam sententiam sic explicatã sequitur Soto in Logica quæst. 2. de Substantia in responsione ad 2. confir. 4. argum.

Soto.

Altera opinio ponens positiuã contrarietatem. Soncin. Anton. Andr. Iauel. Zimara. D. Th. Auer.

II. Secunda autem sententia asserit, differentias esse positiuè contrarias. Ita Soncin. 10. Metaph. quæst. 24. Anton. Andr. ibid. quæst. 5. Iauel quæst. 18. Zimara theorem. 12. atque Soncin. illam tribuit D. Th. & Auer. & eam sequuntur quam plures alij. Verùm ita explicant hanc contrarietatem, vt non ponant perfectam contrarietatem positiuam, sed tantùm imperfectam. Vt autem explicent, quid sit contrarietas perfecta, tres ponunt conditiones; quarum prima est, quòd sit inter formas maximè distantes sub eodem genere, inter quas cadunt omnia, quæ sunt eiusdem generis, tanquam aliquod medium de vno, & alio extremo participans. Altera conditio est, quòd sint acquisibiles per motum, ita vt aptæ sint inesse successiuè eidem subiecto. Tertia verò conditio, quòd hæ formæ sint actiuæ ad inuicem, ita vt possint se mutuò ab eodem subiecto expellere. Verùm hæc conditio non ab omnibus requiritur. Differentiæ igitur diuidentes genus defectu harum conditionum non possunt habere perfectam contrarietatem, sed tantùm imperfectam, quia sub eodem genere maximè distant, non tamen ab vna ad aliam deuenitur per continuam transmutationem.

III. Atque hanc contrarietatem, quam tribuunt differentijs, tribuunt nonnulli etiam formis substantialibus, vt præsertim Iauel. & Soncin. locis citatis, quia sub eodem genere maximè distant, non tamen sunt perfectè contrariæ, tùm propter defectum aliarum conditionum, quæ ad perfectam contrarietatem requiruntur, tùm etiam, quia sunt formæ afficientes subiectum potentiale, & substantialiter perfectibile, & ideò neque possunt acquiri per motum, quia ens potentiale non est subiectum motus: debent autem formæ, quæ habent perfectam contrarietatem per motum acquiri posse. Hoc autem ideò adnotaui, ne quis fortasse putaret, ex eo, quòd substantiæ nihil est contrarium, neque has differentias posse esse contrarias. Verùm alij inter formas substantiales nõ admittunt contrarietatem; nisi quatenus fundant differentias contrarias, vt præsertim Soncin. loco citato, & volunt esse tantùm disparatas.

Qualis contrarietas sit admittenda.

SECTIO II.

I. ET quidem aliquam contrarietatem differentijs diuidẽtibus genus concedendam, euidens est, & id docẽt apertè Arist. pluribus locis, sed præsertim 10. Metaph. tex. 24. vbi habet hæc verba. *Necesse igitur, hanc differentiã generis diuersitatẽ esse; dico namque differentiam generis diuersitatem, quæ diuersum hoc ipsum facit. Contrarietas igitur hæc erit. Patet namque inductione, cuncta namque oppositis diuiduntur, & quòd contraria in eodem genere sint ostensum est, contrarietas enim perfecta differentia erat, omnis verò specie differẽtia est alicuius aliquid, quare hoc, & idem, & genus in ambobus. Ideò in eadẽ coordinatione prædicamenti sunt omnia contraria, quæcunque nõ genere differunt, &*

Arist.

Differentiæ sunt cõtrariæ.

in-

inuicem maximè diuersa; perfecta namque differentia, & simul inuicē non fiunt. Differentia ergo contrarietas est. Hoc enim est diuersa specie esse, quod cum in eodem genere sint, contrarietatem habent indiuidua existentia. Quibus verbis apertè indicat, differentias esse cōtrarietas, & facere, quòd ea, quæ differunt specie, contrarietatem inter se habeant. Et infra etiam in eodē tex. subdit. *Etenim differentiam necesse est esse cōtrarietatē eius, à quo specie differt; hæc autem his solis inest, quæ in eodē genere sunt.*

II. Atque possumus hoc ipsum ratione confirmare. Differentiæ debent diuidere genus, atque inuicem se incommunicabiliter habere; ergo debent inter se esse contrariæ. De antecedenti nulla est controuersia, quoniam si constituunt species essentialiter diuersas, debent necessariò diuidere genus in illas species, atque cum vna sit extrà aliam essentialiter, debent se habere incommunicabiliter. Conseq. igitur prob. nam cōtrarietas in eo cōsistit, quòd aliquæ ex opposito se habeant: & quod dicit vnum nō solùm non importetur ab alio, sed etiā ex vi ipsius auferatur; Differentiæ autē, quæ diuidunt genus, hoc pacto se habent inter se; nam seinuicem excludunt ab eodem subiecto, seu genere, ita vt posita differentia diuidente genus, ita possibile sit simul cum ipsa adesse aliam differentiam, quæ simul diuidat genus, alioquin genus non diuideretur. Præterea quæ inter se diuersa sunt, vel disparatè sè habent, vel ex opposito, seu contrariè; sed differētiæ diuidentes genus, nō se habent disparatè; quę enim disparata sunt, possunt simul reperiri, vt patet in candore, & dulcedine, quæ simul sunt in lacte; quæ verò ex opposito, & contrariè se habent, non possunt simul reperiri, sed seinuicem tollunt: & hoc est discrimen inter disparata, & contraria; ergo cum differentiæ diuidentes genus non possint esse simul, sed seinuicem tollant, non erunt disparatæ, sed contrariæ.

Opposi tio differentiarū positiua, nō priuatiua.

III. Rursus hæc contrarietas, quę est inter differentias diuidentes genus, non potest esse priuatiua, aut contradictoria, sed necessariò erit positiua. Hoc facilè suadetur. Oppositio namque priuatiua, aut cōtradictoria est inter terminos, quorum alter est positiuus, alter negatiuus: etenim etiam priuatio est negatio formę in subiecto apto, & ista oppositio, quę est inter differentias, est inter terminos ambos positiuos, quia vtraque differētia est positiua. Vndè licet aliquando altera differentiarum diuidentiū genus explicetur per terminos negatiuos, vt mortale, & immortale; corporeum, & incorporeum, & aliæ huiusmodi, sunt tamen quid positiuum, & solùm explicantur per aliquid negatiuum, quatenus ex eo, quòd adueniunt generi, excludunt oppositam differentiam; vndè habent annexam priuationem illius, & ideò per nomen importans priuationē oppositæ differentiæ explicantur. Neq. valet, quòd vna species sit altera imperfectior, & cōsequēter per imperfectiorē differentiā constituatur; licet enim vna differētia sit altera imperfectior, adhuc tamē est aliquid positiuū, & prout est positiua, habet oppositionem cum altera.

IV. Restat igitur, vt sit oppositio positiua, seu contrarietas, nō verò relatiua, vt per se patet, neque enim differentię diuidentes genus, prout diuidunt, se habent vt correlatiua, cū vt tales sunt nō ordinētur inter se, sed ad genus. Solùm explicādum est, qualis nā oppositio positiua sit, & præsertim: an perfecta, an verò imperfecta. Quà in re illud certū existimo, quòd ad perfectam contrarietatē positiuā non requiratur, vt formæ contrariæ per mutuam actionem se inuicē expellant ab eodem subiecto: quod patet exemplo plurimarum qualitatum, quibus communiter adscribitur perfecta contrarietas, nō tamen actiuæ sunt, vt cōtingit in coloribus albedine, & nigredine, & alijs huiusmodi fecūdis qualitatibus, quæ actiuæ nō sunt, & proindè nō possunt se mutuò expellere ab eodem subiecto: & etiam iuxtà aliquorum opinionem in humiditate, & siccitate, quæ sunt contrariæ, & tamen non sunt actiuæ, vt ipsi asserunt. Atque etiā si causam inuestigare volumus, possumus illam assignare. Quoniam prima ratio contrarietatis incipit ex maxima distātia formarum; vndè si quatenus contrariæ sunt, deberent esse actiuæ, huiusmodi actiuitas sū dari deberet in hac maxima distātia, quod tamen est falsum siquidem prius conuenit qualitati esse actiuam, quàm maximè distare; constituuntur enim in suo esse, per id, quòd sint virtutes operatiuæ, vt patet in calore, & specificantur per ordinem ad terminum, quem possunt producere, ex eo autem, quòd constituuntur in tali esse, sequitur, vt maximè distent. Defectu igitur huius conditionis, non deficiet oppositio differentiarum à perfecta contrarietate.

Contrarietas positiua in ter differentias.

Perfecta contrarietas nō requirit actiuitatē formarū.

V. Altera verò conditio, quam requirunt ad perfectam contrarietatem positiuam, vt videlicet formæ possint acquiri per motum, & quòd fieri possit trãsitus ab extremo ad extremum per quãdam continuam trasmutationem, quamuis necessaria communiter censeatur, id tamen potius verum est iuxtà communem vsum, & acceptionem, qua nunc contrarietas vsurpari solet, quàm secundùm naturam contrarietatis positiuæ. Si enim propriua conceptus contrarietatis positiuæ inspiciatur, prout propriè saluat rationem formalem contrarietatis, non apparebit necessaria hæc conditio. Duo enim hæc continua transmutatio ab extremo ad extremum importat in ipsis formis (loquor autem de ipsis formis, quoniam certum est, hanc continuam trasmutationem, prout actualis est, non constituere contrarietatem, sed solùm ad illam pertinere prout importat aliquam conditionem formarum, si modò necessaria est, contrarietas enim saluatur etiam, quando non adest actualis transmutatio) duo, inquam, potest hæc transmutatio in formis importare, & quòd se inuicem tollant ab eodem subiecto ratione incompossibilitatis, & maximæ distantiæ: alterum verò, quòd habeant quamdam latitudinem, & diuisibilitatem, ratione cuius possit fieri ista continua transmutatio, & per partes seinuicem tollere. Primum quòd importatur, certum est esse necessarium constitutiuum contrarietatis; alterum verò non videtur necessarium ad illam, sed sufficere maximam distãtiam sub eodem genere, nam ista latitudo reperitur etiam in qualitatibus, quæ non habent contrarium, vt contingit in lumine, quare non potest esse formale constitutiuum contrarietatis, quia vbicunque poneretur, deberet poni contrarietas. Neque dici potest partiale tantùm constitutiuum, quia hic non loquimur physicè, vt possint interuenire partes eiusdem essentiæ, sed metaphysicè: in rebus autem metaphysicis cuiuscunque rei vna est tantùm simplex, & indiuisibilis formalitas, qua posita, ponitur constitutum, & ablata aufertur. Et hoc quoque verum est in compositis metaphysicis, quæ pariter per vnicam tantùm formalitatem constituuntur, quæ se habet loco differentiæ, & formæ metaphysicæ; & quamuis supponant alias rationes formales, quæ concurrant ad constitutionem eiusdem rei, ita tamen se habent, vt sine illis esse non possit, & ijs positis statim ponatur constitutum: sic posita rationalitate, in quocunque esset, poneretur homo. Sic igitur, si hæc latitudo esset formale constitutiuum contrarietatis, quamuis requireret alias rationes formales, quæ ad eamdem contrarietatem constituendam concurrerent: necessariò tamen posita hac latitudine, poneretur contrarietas, quod tamen est falsum. Econtrà tamen posita illa maxima distantia sub eodem genere, habetur contrarietas, etiam si non intelligatur latitudo aliqua qualitatis, quia ex vi illius distantiæ formaliter habent, quòd se mutuo tollant.

Formam posse diuisibiliter acquiri non necessarium ad contrarietatem.

IV. Atque si rectè perpendatur doctrina Arist. Ad contrarietatem formaliter sumptam nihil aliud requirit præter maximam distantiam sub eodem genere, nam 5. Meteph. cap. 10. tex. 16. explicans, quid nam sint contraria, inquit *Contraria dicuntur, quæ non possunt simul eidem adesse, cum eorum sint, quæ secundùm genus differunt, & quæ plurimum differunt, cum in eodem genere sint; quæue plurimum differunt, cum in eodem susceptiuo sint, ac etiam quæ plurimum differunt, cum eorum sint, quæ sub eadem potentia sunt, & quorum differentia maxima, aut simpliciter, aut secundùm genus, aut secundùm speciem.* Quibus verbis solùm meminit plurimæ distantiæ, & differentiæ, quæ requiritur ad contrarietatem; non verò exigit latitudinem aliquam. Et in conformitatem eiusdem doctrinæ hæc quoque docet 10. Metaph. tex. 13. *Cum autem contingit inuicem differre, quæ differunt, & plus, & minus, est etiam quædam maxima differentia, & hanc dico contrarietatem. Quod autem maxima differentia est, manifestum est ex inductione. Quæ enim genere differunt, non habent ad se mutuo viam, sed plus distant, & non conueniunt; illis verò, quæ specie differunt generationes ex contrarijs, tanquam ex vltimis sunt, distantia verò vltimorum maxima est, quæ etiam contrariorum.* Et post pauca, *quòd igitur contrarietas est differentia perfecta, ex his patet.* Ex quibus colligitur ad contrarietatem nihil aliud requiri præter distantiam. Vndè etiam sic argumentor Differentia constituit formaliter contrarietatem; ergo perfecta differentia perfe-

Sola distãtia sub eodẽ genere saluat contrarietatem.

ctam contrarietatem. Hinc quia colores medij non perfectè distant, hoc est non habent totam illam distantiam, quæ potest esse sub genere coloris, non dicuntur perfectè contrarij. Rursus rerum essentiæ consistunt in indiuisibili, & in sua simplicitate, ac indiuisibilitate includunt totam perfectionem, quam possunt habere, ita vt nec maiorem, nec minorem habere possint illa, quę requiritur ad constituendum earumdem esse formale; ergo si in sola maxima distantia sub eodem genere saluatur ratio formalis cõtrarietatis, saluatur perfecta contrarietas. Quòd autem saluetur ratio formalis contrarietatis certum est, quia non posset esse contrarietas nisi esset ratio formalis constitutiua illius. Quod etiam confirmari potest. Cuiuscoque essentiæ est vna tantùm ratio formalis, qua ablata aufertur statim essentia, & qua posita ponitur; debet igitur in maxima distantia saluari ratio formalis contrarietatis, quia in illa reperitur contrarietas; si autem in maxima distantia reperitur essentia contrarietatis, debet reperiri perfectissima contrarietas, vt iam patet ex dictis.

Cõclusio. Differentiæ sunt contrariæ perfectà cõtrarietate. VII. Itaque dicendum existimo Differentias diuidentes genus esse contrarias positiuè perfecta contrarietate. Hæc tamen contrarietas non erit contrarietas physica, sed tantùm metaphysica, quia cum extrema sint metaphysica, solùm metaphysicam contrarietatem habere possunt. Ex quo fit, non esse necesse, vt ita se excludant differentiæ ab eodem subiecto, vt idem subiectum modo sit cum vna, modo cum alia differentia, vt contendebat prima sententia, quia non sunt in illo tanquam in susceptiuo physico, nec tanquam formæ physicæ, quæ possint ex subiecto recedere; sed sunt in genere, tanquam in susceptiuo metaphysico, cum quo identificantur, & ideo non debet subiectum posse ab vna in aliam mutari, quia in hoc non consistit formaliter cõtrarietas; sed si hæc conditio reperitur in cõtrarijs physicis, prouenit ex conditione formarum physicarum.

VIII. Quòd autem differentiæ sint contrariæ perfecta contrarietate metaphysicè sumpta, ex eo confirmatur; quoniam, vt vidimus, perfecta contrarietas nihil aliud dicit, nisi maximam distantiam sub eodem genere: differentiæ autem, & sunt sub eodem genere, vt per se patet, & etiam maximè distant, quoniam datur perfecta differentia contractiua generis, qua nõ potest dari perfectior, & hæc habet maiorem distantiam, quæ possit esse à differentia contractiua eiusdem generis, quæ sit omnium imperfectissima. Cum igitur participent maximam distantiam sub eodem genere, erunt etiam perfectè contraria. Rursus, quòd maximè distent patet in differentijs immediatis, quarum altera per negationem alterius explicatur, quia videlicet perfectè tollit oppositam differentiam. Si igitur perfectè tollit oppositam differentiam, etiam maximè ab illa distat, quia nihil de ipsa participat, neque aliquo pacto ad ipsam accedit propter aliquam similitudinem, aut participationẽ. Deindè possumus argumentari, vt suprà argumentati sumus. Hæ differentiæ participant rationem formalem, atque adeò essentiam contrarietatis; ergo participant perfectam contrarietatem, quoniam qualibet essentia includit necessariò totam illam perfectionem, quæ possibilis est intrà talem essentiam.

IX. Solùm contrà hæc posset obijci, quòd sequeretur, substantiam habere contrarium, si vna differentia esset alteri contraria, quoniam imbibitur in ipsa substantia, & spectat ad formale constitutiuum talis, & talis substantiæ. Obiectio Occurrunt autem huic obiectioni diuersimodè Auctores. Variæ solutiones. Alij enim dicunt, quòd licet differentiæ sint contrariæ, non tamen sequitur, ea, in quibus imbibuntur differentiæ, contraria esse. Verùm hoc prorsus voluntariè dicitur, & sine vllo fundamento, imò omnino implicat, quomodo enim potest esse, vt ea, quæ habent contrarietatem, inuoluantur in aliquo, tanquam constitutiua, & illud non habeat contrarietatem? hoc enim idem est, ac si dicatur, posse dari causam formalem exhibitam subiecto absque effectu formali. Auer. Alij verò dicunt, vt Auer. quòd cum dicitur, substantiam non habere contrarium, intelligitur de substantia completa, quæ secundùm se totam non habet contrarium, quia licet habeat ratione formarum, non tamen habet ratione subiecti. Alij verò non habere contrarium perfectum, seu quòd importet perfectam contrarietatem. Requirunt autem isti ad perfectam contrarietatem illam latitudinẽ, de qua suprà di-

xi-

ximus, ratione cuius forma per motum successiuè acquiritur. Et quidem, quòd substantia non habeat contrarium cum hac conditione sufficit ad ea omnia saluanda, quæ defectu contrarij, vel ipsi tribuuntur, vel ipsi denegantur; quomodo autem substantia non habeat contrarium suo loco explicabimus.

Omne genus diuisibile per cõtrarias differentias.

X. Sed hic inquiri posset. An omne genus diuidatur per differerentias contrarias, an verò possit diuidi per disparatas. Quod dicendum videtur saltem de ijs generibus, quæ habent sub se plures species immediatas; sed dicendum, omne genus necessariò esse diuisibile per differentias contrarias. Et ratio breuiter assignari potest, quia inter differentias, quæ diuidunt genus, datur necessariò ordo perfectionis, ita vt detur maximè perfecta differentia, quæ tali generi adueniat, ita vt illa sit vltimus terminus perfectionis, quæ tali generi per differentias conferri possit. Rursus etiam dabitur alia differentia huic opposita, quæ dicat minimam perfectionem, quam ratione differentiarum possit habere genus. Hæ igitur differentiæ maximè distabunt, quia ita distant, vt non possint amplius distare, neque enim aut suprà vnam, aut infrà aliam dari potest alia differentia, & ideò hæ sunt vltimi termini possibiles, atque maximè distantes. Quam doctrinam videntur tradidisse etiam Arist. 10. Metaph. tex. 13.

Arist.

vbi ita inquit. *At qui, quod maximum est in quoque genere perfectum est; etenim maximum est, cuius non est excessus. Perfectum verò, extrà quod non est possibile aliquid habere; finem namque habet perfecta differentia, quemadmodum cætera perfecta dicuntur, eò quòd habent finem, extrà finem autem nihil est, vltimum enim in re omni est, & continet, quare nihil extrà finem est, nec indiget aliquo, quod perfectum est. Quòd igitur contrarietas est differentia perfecta, ex his patet.* Quibus verbis indicat perfectam differentiam esse contrarietatem, & illa perfectè differre, vltra quæ non potest dari alia differentia, siue secundùm maiorem perfectionem, siue secundùm minorem.

Ad dentur differentiæ intermediæ.

XI. Rursus posset aliquis quærere, An inter contrarias differentias dentur differentiæ mediæ, quæ immediatè adueniant eidem generi, quibus adueniunt oppositæ, & sicuti in coloribus inter albedinem, & nigredinem, quæ sunt contrariæ, dantur colores medij, qui participant de vtroque extremo, ita etiam inter duas differentias oppositas possint dari aliæ intermediæ, quæ de vtroque extremo participent. Huic difficultati cum distinctione respondendum est, nam, vel loquimur de differentijs immediatè oppositis, & de his certum est non admittere differentias intermedias, sed ipsæ complent totam latitudinem generis, alioquin si haberent differentias intermedias, non essent immediatè oppositæ, quia hoc est immediatè opponi, non habere medium in tali oppositione. Si verò loquamur de differentijs nõ immediatè, oppositis, supposito, quòd dentur, inter has reperiri possunt mediæ, quæ secundùm quamdam similitudinem ad vtrumque extremum accedant, habeant tamen propriam formalitatem diuersam ab vtroque, quod forte potest contingere in differentijs vltimis, fieri enim potest, vt à perfectissima ad imperfectissimam sit transitus per minus perfectas.

An differentiæ superiores includantur formaliter in inferioribus.

Disp. LXIV.

Punctus quæstionis, & sententia affirmatiua.

SECTIO I.

I. Solet differentia distingui in inferiorem, & superiorem. Nomine autem differentiæ inferioris non intelligimus solam differentiam infimam sed quamcunque, quæ sub alia ponitur, seu quæ minus latè patet, quàm alia, vt esset Corporeum, & sensibile, licet enim sensibile non sit differentia infima, quia

ta-

tamen ponitur sub corporeo, & minus patet, quàm corporeum, ideò appellatur differentia inferior. Et differentia superior erit illa, quæ sub se habet aliam differentiam, & quæ ipsa magis patet. Eadem igitur differentia potest esse superior, & inferior respectu diuersorum, vt sensibile respectu corporei erit inferior; respectu rationalis superior. Quærimus ergo in præsenti disputatione, an si comparetur differentia superior cum inferiori, formaliter includatur in illa.

Differentia Formaliter, & materialiter accipitur

II. Pro quo est aduertendum, quòd differentia potest dupliciter considerari Formaliter, & Materialiter. Consideratur materialiter, si accipiatur, prout est vnum quid cum genere, & se habens vt quod, quia tunc dicit genus, veluti materialem partem, in qua reperiatur gradus formalis differentialis, & tunc potius est species, quàm differentia. Consideratur autem formaliter, si accipiatur, vt importat gradum præcisum differentialem constitutiuum speciei, & se habentem vt quo respectu illius. Præsens autem difficultas non procedit de differentia considerata vt quod, & materialiter, quia tunc certum est, differentiam superiorem includi in inferiori, quia tunc inferior secundùm totum suum esse adæquatum dicit totam naturam, & importat etiam genus, quod dicit differentiam superiorem, tanquam formale constitutiuum illius: vndè vera est huiusmodi propositio; Rationale est sensibile, facit tamen sensum identicum, non formalem. Sed procedit de differentia sumpta vt quò, & formaliter, an videlicet in conceptu inferioris formaliter includatur differentia superior.

Prima opinio Differentias superiores includi in inferioribus.

III. Et quamuis pars affirmatiua improbabilis videatur, eam tamen defendit Soncin. 7. quæst. 37. inquit tamen oppositam esse probabiliorem, & se hanc defendere solùm exercitij gratia citatur à Ruu. etiam Canterus Cap. de different. Prob. autem à Soncin. hæc opinio, quoniam quicquid de aliquo prædicatur in abstracto, includitur in formali conceptu illius: differentia autem superior in abstracto prædicatur de inferiori in abstracto, vt patet ex 7. Metaph. tex. 43. vbi habetur *Fissio namque pedum aliqua peditas est*. Peditas autem, & fissio sunt differentiæ superior, & inferior in abstracto acceptæ. Præterea si differentia

Soncin.

superior non includeretur in inferiori, differentia esset conceptus simpliciter simplex, quod tamen est falsum, cum non sit simplicior conceptu generis generalissimi, quod tamen est resolubile saltem in conceptum talis generis, & conceptum entis; quòd autem esset simpliciter simplex, patet, quoniam non esset conceptus resolubilis in plures conceptus. Tertiò differentiæ essent prima genera, quoniam nõ haberẽt genera suprà se, quod primis tantùm generibus conuenit; nec prodest, si dicatur, habere in directè, quia habere indirectè, non tollit, quin sit primum genus. Quartò non potest concipi formaliter differentia inferior, vt rugibile, nisi etiam concipiatur superior, vt sensibile; ergo superior est de conceptu inferioris. Anteced. declaratur, nam consequentia est euidens. Rugibile dicit principium operationum leoninarum, non potest autem concipi principium operationum leoninarum, nisi concipiatur formaliter principium operationum sensitiuarum, atque adeo differentia superior; operatio enim leonina est formaliter sensitiua, & ideò requirit principium, quod sit formaliter sensibile: vndè cum sit formaliter sensatio ab eo principio, à quo habet, vt sit leonina, debet etiam habere, vt sit sensatio: & eodem pacto philosophari possumus de cæteris differentijs, seruata proportione. Arguunt etiam ex Arist. eodem tex. 43. lib 7. Metaph. vbi docet nihil referre, quòd ponantur in definitione omnes differentiæ intermediæ, an verò sola vltima, nam vltima includit omnes: & insuper habet, quod vltima sit tota substantia speciei, & ideò in definitione non posse aliam superiorem addi, quia eadem differentia repeteretur.

Sententia negatiua adprobatur.

S E C T I O II.

Opposita sententia Differentiæ superiores non includi in inferioribus vera. Scot. Capr. Anton. Andreas. Suessan. Zimara. Fonseca. Tolet.

I. Nihilominus sententia negans differentiam superiorem esse de conceptu inferioris, vt vera tenenda est. Eam sequuntur Scot. in 4. dist. 11. quæst. 3. §. Ad rationes &c. & 7. Metaph. quæst. 17. Capr. in 1. dist. 8. ar. 2. ad 5. argum. Anton. Andreas 7. Metaph. quæst. 15. Suessan. disp. 16. Zimara Verbo Differentia. Fonseca 5. Metaph. cap. 28. quæst. 18. Sect. 2. Tolet. cap. de Sub-

stan-

Soto, Rubius, Hurtad. D. Th. stantia, dub. 2. Soto in Logica quæst. vnica de Genere in respons. ad 3. quamuis addat, quòd mediatè in ea includatur, quatenus videlicet includitur in specie, quam constituit, & hæc species, quæ se habet tanquam genus respectu inferioris differentiæ includitur in specie, quæ per inferiorem differentiam constituitur. Verùm hoc non facit ad propositum, quia difficultas non procedit in hoc sensu. Prætereà Rub. in Logica quæst. 5. de Differentia, Hurtad. item in Logica disp. 6. sect. 3. Et desumitur ex D. Th. 1. contra Gent. cap. 17. & 3. Metaph. lect. 8. vbi docet, differentiam non participare genus. Quòd si non participat genus, neque participabit superiorem differentiam, quæ est constitutiua generis.

Arist. II. Atque hæc sententia est secundùm doctrinam Arist. nam 4. Topicor. cap. 2. loco 18. ait *Neque videtur participare differentia genus, nam omne quod participat genus, vel species, vel indiuiduum est. Differentia autem, neque species, neque indiuiduum; manifestum igitur, quoniam non participat genus differentia; quare neque impar species erit, sed differentia, quoniam non participat genus.* Ex quo sic arguo. Differentia per Arist. non participat genus; ergo differentia inferior per ipsum non includit formaliter superiorem; cum enim superior constituat genus, si includeret superiorem, includeret etiam genus. Rursus ibid. loco 22. ait, *De pluribus enim genus, quàm differentiam oportet dici, & non participare differentiam.* Et lib. 6. cap. 3. loco 15. inquit *Non de differentia, sed de quibus differentia, genus videtur prædicari, vt animal de homine, & boue, & de alijs gressibilibus animalibus, non autem de ea differentia, quæ de specie dicitur, nam si de vnaquaque differentia animal prædicatur, multa animalia de specie prædicabuntur, nam differentiæ de specie prædicantur.* Ex his igitur constat iuxta mentem Arist. genus seu eiusdem constitutiuum formale, quod est differentia superior, non includi formaliter in inferiori; tum quia ait de pluribus prædicari, quàm inferior, tum quia docet, superiorem differentiam non prædicari de inferiori, quæ vera non essent, si superior includeretur formaliter in inferiori.

1. ratio. III. Atque ex his locis elicitur prima ratio pro hac sententia. De pluribus prædicatur differentia superior, quàm inferior, ita vt inferior formaliter sumpta nequeat de illis omnibus prædicari, de quibus prædicatur superior: non enim rationale potest prædicari de ijs omnibus, de quibus prædicatur sensibile, si autem differentia inferior includeret formaliter superiorem, posset de ijsdem prædicari, quia importaret totum id, quod dicit superior. Sed posset quis efficaciam huius rationis eneruare dicendo, quòd differentia inferior, nedum dicit id, quod dicit superior, sed etiam aliquid amplius, & ideò non potest de quocunque prædicari, de quo prædicatur superior, sicuti neque species de quocunque prædicatur, de quo prædicatur genus, licet species formaliter includat genus. Verùm, vt argumentum maneat in suo robore, insistendum est, Falsum est igitur, quòd species includat formaliter genus, sed tanquam partem materialem includat. Deindè quando vnum includitur formaliter in alio, de quo hoc dicitur, dicitur etiam illud, quia includi formaliter est esse idem formaliter; ergo si differentia superior includitur in inferiori formaliter, de quo dicitur inferior, dicetur etiam superior. Prætereà si differentia inferior dicit aliquid suprà superiorem, & ideircò non potest prædicari de omni eo, de quo prædicatur superior. Quæro, quid sit hoc, quod dicit, an sit proprium constitutiuum illius, seu propria ratio formalis? certè nihil aliud esse potest, quoniam ratione ipsius non potest prædicari de omnibus illis, de quibus dicitur differentia superior. Quæro rursus, an hoc, quod dicit suprà differentiam superiorem, includat illam; an non? Non potest dici, quòd includat, quoniam si includeret formaliter, non esset aliquid suprà differentiam superiorem; rursus neque obstaret, quin posset prædicari de ijs omnibus, de quibus superior dicitur. Cum igitur hoc, quod dicit supra differentiam superiorem, sit propria ratio differentiæ inferioris, iam inferior, vt talis, non includet superiorem.

Differentia inferior non dicitur de omnibus, de quibus superior.

2. ratio. IV. Secundò argumentor, Differentia inferior est formale constitutiuum speciei: superior autem, vt superior est, formaliter constituit genus: vndè ex vnione harum differentiarum consurgit species saltem, vt quo, quia vt quo importat totum esse speciei si igitur differentia inferior includeret formaliter superiorem

pe-

Differentia ſuperior, & inferior diuerſæ rationes formales.

periorem, eſſet ſpecies, non differentia, quia vt quo diceret totum eſſe ſpeciei. Rurſus differentia ſuperior, & inferior ſunt diuerſæ rationes formales, quarum vna eſt conſtitutiua generis, alia vero eſt conſtitutiua ſpeciei; ergo non poteſt ſuperior formaliter includi in inferiori, ſiquidem tunc non poſſent præſtare, quod præſtant, ſed differentia ſuperior conſtitueret ſpeciem, ſicuti conſtituit inferior. Denique ſuperior, vt talis eſt, ſe habet vt quid magis commune, quàm inferior, rurſus eſt vt quo quid contrahibile per inferiorem, vndè inferior ſe habet vt quid contractiuum, ergo non poteſt vna formaliter includi in alia, quia contractiuum non includitur in contrahibili, aut è contra, nec magis commune includitur formaliter in minùs communi.

3. ratio.

V. Tertiò argumentari poſſumus ex illo principio. Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, quod habet vniuerſalem veritatem, ſi intelligatur, vt eo modo ſint eadem inter ſe, quo ſunt eadem vni tertio; vndè ſi ſunt eadem realiter vni tertio, ſunt eadem realiter inter ſe; ſi ſunt eadem formaliter, etiam formaliter ſunt eadem inter ſe. Atque hoc ita debet intelligi, vt adæquatè ſint eadem cum illo tertio: quòd ſi non ſint eadem adæquatè, neque etiam ſunt eadem inter ſe. Verùm quando contingit aliqua eſſe idem formaliter cum aliquo tertio, adæquatè ſunt idem cum illo, quoniam eſſe formale conſiſtit in indiuiſibili, & ideò ſi vnum cum alio eſt idem formaliter, eſt etiam idem adæquatè, quia ratione indiuiſibilitatis non habet aliquam latitudinem: quòd ſi non eſſet idem adæquatè, non eſſet idem formaliter, quia ratione inadæquatæ identificationis haberet vndè formaliter diſtingueretur.

Quæ ſunt idem formaliter, & ſit idem adæquatè.

Hoc autem principio poſito, & ſic explicato, ſequitur, vt non poſſit differentia ſuperior includi formaliter in inferiori, quia ſi includeretur formaliter in illa, eſſet idem formaliter cum ipſa. Ex hoc autem ſequeretur hoc abſurdum, quòd differentiæ oppoſitę diuidentes genus eſſent idem formaliter, nam vtraque eſſet inferior reſpectu ſuperioris genericæ, vndè vtraque cum ipſa eſſet idem formaliter: ſtante ergo illo principio, quòd ea, quæ ſunt idem formaliter cum aliquo tertio, ſunt idem formaliter inter ſe, hæ duæ differentiæ, cum ſint idem formaliter cum ſuperiori, erunt etiam idem formaliter inter ſe. Atque hinc elici poteſt alia confirmatio. Differentiæ ex natura ſua habent, quòd faciant differre: debent autem facere differre aliqua, quæ alioquin non differrent. Hoc autem, quod faciunt differre, eſt genus, cui adueniunt, quod conſtituitur in eſſe generis per differentiam ſuperiorem; ergo non poteſt differentia ſuperior formaliter includi in inferiori. Conſeq. prob. quia differentia ſuperior accipit ab inferiori, tanquam à cauſa formali, rationem differendi: quod autem accipit differentiam ab alio, non poteſt includi in illo. Rurſus differentia ſuperior, & inferior ſe habent vt partes conſtitutiuæ einſdem eſſentiæ conſerentes diuerſos gradus entis, quorum alter ſe habet vt quid potentiale, alter verò vt quid actuale: partes autem eſſentiales conſtituentes aliquam eſſentiam, & præſertim actus, & potentia, ſe debent ita habere, vt vna ſit extrà aliam.

4. ratio

VI. Quarta quoque ratio pro eadem ſententia efficax eſt. Differentiæ inferiores, vel ſunt conceptus ſimplices, vel compoſiti. Si dicatur eſſe conceptus ſimplices, non poſſunt formaliter continere ſuperiores, neque enim ſuperiores ſunt eadem omnino formalitas cum inferiori, vt per ſe patet: poſſumus enim ſaltem ſuperiorem concipere ſine inferiori: ſi autem eſſet eadem formalitas ſimplex cum inferiori non poſſet ſuperior concipi ſine inferiori. Si igitur inferiores continerent ſuperiores, non eſſent conceptus ſimplices, ſed compoſiti, & in alios reſolubiles, quod tamen falſum eſt, nam deberent reſolui in conceptus non æqualiter vniuerſales, ſed in vnum altero magis vniuerſalem, vt ſcilicet reſoluatur in aliquem conceptum, qui importet differentiam ſuperiorem: hoc autem dici non poteſt, quoniam, ſi differentiæ diuidentes genus inuicem comparentur, prout illud diuidunt, ſecundùm ſe totas differunt, nec poſſunt importare aliquid excepta ratione entis, in quo non ſint diuerſæ, & quod generi adueniat, alioquin non eſſent differentiæ in ordine ad tale genus ſecundùm ſe totas, ſed eſſent compoſitæ ex differentia, & non differentia, quod tamen dici non poteſt. Et rurſus

Differentiæ non ſunt conceptus cōpoſiti.

confirmatur. Si differentiæ non essent conceptus simplices, sed compositi ex eo, quòd includerent differentias superiores, sequeretur, quòd haberent aliquid commune, quod autem, in aliquibus se habet vt ratio communis, non potest in illis exercere rationem differentiæ: & proindè in differentijs, vt differentiæ sunt, esset aliquid, quod non esset differentia, quod omnino implicat.

Expenditur doctrina Soncin.

VII. Nec possum hic non reprobare, quod dicit Soncin. loco citato in sect. præcedenti, dum respondet ad argumenta in oppositum. Videlicet differentias diuidentes aliquod genus includere omnes alias superiores, tanquam aliquid commune, in quo conueniant, non tamen tanquam aliquid, quod diuidant; hoc enim mihi videtur omninò implicare; quia licet differentia superior, quæ in inferioribus includitur, & est illis communis, non se habeat vt genus completè, se habet tamen tanquam genus vt quo, seu vt formale constitutiuum generis, atque adeò etiam vt quo est diuisibilis. Rursus esse quid commune diuisibile non est aliud, nisi tanquam aliquid superius poni in diuersis inferioribus non alia ratione, nisi quia vniuersale est quid commune diuisibile; ergo si hoc commune, quod habent differentiæ, quo conueniunt in differentia superiori, ponitur in pluribus diuersis, vt quid commune superius, iam debet esse aliquid diuisibile per tales differentias. Quòd si est aliquid diuisibile, iam erit aliquid extrà ipsas differentias, & consequenter non includetur formaliter in illis.

5. ratio.

VIII. Accedit etiam pro eadem sententia, quòd sequeretur, differentiam superiorem respectu inferioris esse quid transcendens, quod nullo pacto dici potest. Sequel. declaratur: nam illud est transcendens, quod imbibitur in inferioribus, & non tanquam formale constitutiuum illorum, importans eorumdem propriam quidditatem; sic ens est quid transcendens, quia imbibitur in inferioribus formaliter, non tamen dicit propriam rationem formalem ipsorum. Si autem differentia superior includeretur formaliter in inferiori, non esset proprium constitutiuum illius, quia, vt patet, alia est formalitas differentiæ inferioris, & alia est formalitas differentiæ superioris; vndè si superior includitur in inferiori, erit quid transcendens. Quòd autem differentia superior non sit quid transcendens, ostenditur. Vel enim illi conueniret esse aliquid transcendens ratione differentiæ vt sic, vel ratione talis differentiæ: non potest dici, quòd ratione differentiæ vt sic illi conueniat esse transcendens, tum quia differentia vt sic non constitueret proprium prædicabile, neque constitueret peculiarem gradum entis, aut determinatam naturam: tum quia id conueniret cuicunque differentiæ etiam infimæ: at respectu cuius infima erit transcendens? Sed neque dici potest, quòd esse transcendens illi conueniat ratione talis differentiæ, quia quod semel ex genere suo non est transcendens, non potest fieri transcendens: & ratio, quæ additur rationi non transcendenti, nequit esse transcendens; cum igitur differentia vt sic non sit transcendens, neque talis differentia poterit esse transcendens.

Quid sit esse transcendens.

Occurritur rationibus primæ sententiæ.

SECTIO III.

Ad primam.

I. NOn magnam continent difficultatem rationes pro prima sententia, si attentè considerentur, vndè ad primam, quam adferebat Soncin. resp. quòd quãuis differẽtia superior possit de inferiori prædicari in recto prædicatione identica, quia realiter sunt vnum, & idem; non tamen prædicari potest in recto prædicatione formali, seu quæ faciat sensum formalem; vndè si formaliter hæc propositio, Rationalitas est sensibilitas, accipiatur, aut rationale est sensibile, falsa est. Vndè ad probationem minoris dico, quòd quando Arist. loco ibi citat. dicit, quòd Fissio est aliqua peditas, non est prædicatio, qua superior differentia prædicetur de inferiori: aduertenda est enim illa particula *Aliqua*, neque enim dicit, quòd Fissio sit peditas, sed quòd sit aliqua peditas: Et sensus est, vt colligitur ex eo, quòd ibi docet, quòd Fissio est aliqua differentia peditatis. Docuerat enim, quòd genus diuiditur per differentias, & rursus, quòd differentia debet diuidi per alias differentias: & postea subdit, quòd si diuidatur animal habens

Differentia superior solùm identice de inferiori prædicatur.

Arist. illustratus.

pe-

pedes, debet diuidi in illud, quod habet pedes fissos, & in illud, quod habet pedes non fissos, quia hæ sunt differentiæ pedis: & immediatè hæc habet. *Fissio namque aliqua peditas est; & sic semper procedi vult, donec ad indifferentia* (hoc est indiuisibilia) *deueniatur: tum autem tot species pedis erunt, quot differentia, & pedes habentia animalia æqualia differentijs.* Quod etiam manifestè colligitur ex illa particula *Aliqua* Si quidem si differentia superior prædicaretur de inferiori, Fissio non esset aliqua peditas, sed simpliciter peditas: ly enim *Aliqua* coarctat, & limitat peditatem, vt sit talis peditas: talis autem peditas formaliter est differentia peditatis, non ipsa peditas.

Ad secundum. II. Ad secundam rationem dicimus. Differentiam non habere minorem simplicitatem, quàm habeant genera generalissima: nã sicuti ista sunt resolubilia in propriũ conceptum, & conceptum entis, ita quoque differentiæ sunt resolubiles in proprium conceptũ, & conceptum entis, nam ens quidditatiuè de ipsis prædicatur, vt suo loco ostendimus. Non hinc tamen sequitur, vt sint summa genera, quia summa genera, nedum excludunt à seipsis compositionem, sed etiam sunt tales partes, quæ veniunt in compositionem, nempè primæ partes potentiales per se stantes, & quæ non possunt se habere tanquam actus respectu alterius partis potentialis magis vniuersalis: hoc autem non conuenit differentijs; nam neque sunt primæ partes potentiales, imò se habent, vt partes actuales respectu alterius magis vniuersalis, neque sunt partes per se stantes, sed alteri adiacentes, & ideò licet in simplicitate adæquent summa genera, non sunt tamen summa genera, quia desunt cætera requisita. Vndè ex his soluta manet: tertia quoque ratio. (Differentia æquè simplices ac summa genera, non tamen summa genera, & quare.)

Ad quartum. III. Quarta verò ratio falsum assumit, videlicet non posse concipi formaliter differentiam inferiorem sine superiori, nam inferior trahit ad se superiorem, illam coarctando, & limitando. Vndè vna se habet vt coarctatiua, & limitatiua, alia verò vt coarctabilis, & limitabilis. Cum igitur habeant diuersas rationes formales, cur non poterit concipi vna sine alia, & inferior sine superiori? Ad probationem autem respondetur; Rugibile, siue Rationale, siue quamcunque aliam differentiam inferiorem non esse simpliciter principium operationum, quæ propriæ sunt talis speciei, quia hæ operationes dependẽt à tota natura, quatenus importat talem essentiam completam: solùm ergo differentia inferior est principium talium operationum, quatenus tales sunt, vt rationalitas est principium humanarum operationum, quatenus humanæ sunt; potest autem concipi principium humanarum, aut leoninarum operationum, si modò leo habet sibi proprias, vt tales sunt, absque eo, quòd concipiatur esse principium operationum earundem, quatenus dependent à superiori differentia; quia sicuti superior differentia facit illas operationes esse in gradu superiori, vt esse sensitiuum facit illas operationes esse sensitiuas, ita differentia inferior facit, vt sint constitutæ in tali gradu; Hinc negamus, quòd operatio leonina, vt talis est, sit formaliter sensitiua, aut sensatio: dicit enim, vel leonina est, tantùm aliquid proprium ipsius leonis: esse autem sensitiuam dicit aliquid commune cum operationibus cæterorum animalium. (Operationes secundùm diuersos gradus, dependent à diuersis differentijs.)

IV. Quod autem spectat ad auctoritatem Arist. Cum ait non esse ponendas in definitione differentias intermedias, sed sufficere, si ponatur genus, & differentia vltima, Aduertere oportet, Arist. non loqui de quocunque genere, sed de proximo; quia autem genus proximum includit, nedum differentiam, quæ est immediatè superior differentiæ vltimæ, sed etiam omnes alias superiores, ideò si ponerentur intermediæ committeretur vitium, & eadem differetentia repeti deberet ait enim ibidẽ. *Patet autem hoc, si quis transponat tales definitiones, vt puta hominis, dicens. Animal bipes habens pedes; superfluum enim est, habens pedes dicto bipede*: vndè non dicit, ibi non esse ponendas intermedias differentias, sed vltimam non esse repetendam; & suprà dixerat, sufficere definitioni genus, scilicet proximum, & vltimam differentiam. Ad alteram verò partem eiusdem auctoritatis, in qua dicitur vltimam differentiam esse totam essentiam speciei, intelligenda est, quòd sit tota substantia, seu essentia, quæ se habet ad modum actus, vndè posito genere proximo, & addita differentia vltima, habetur tota quidditas, & substantia rei, quæ per definitionem explicanda est. Cum enim suprà (Illustratur Arist.) (Quomodo vltima differentia sit tota substantia.)

docuisset saltem per duas partes debere tradi definitionem, quarum altera sit genus, altera differentia, subdit postea. *Si igitur hæc ita se habeant, manifestum est, quòd vltima differentia, rei substantia erit, & definitio; Si quidem non oportet crebrò eadem in definitionibus dicere, superfluum namque est*. Itaque Arist. vult vltimam differentiam esse substantiam rei, non quidem adæquatè, sed quæ se habeat per modum actus, atque, complendo partem potentialem, constituat rei essentiam, seu substantiam. Quod etiam confirmant subsequentia verba, dum ait. *Si igitur differentia differentiæ fiat, vna, quæ vltima est, erit species, & substantia*: hoc est, erit formale constitutiuum speciei, quia cætera se habebũt vt genus: vbi aduertendum est, quòd nomine substantiæ hic intelligit speciem formaliter sumptam, & prout importat partem actualem: quæ est formale constitutiuum speciei.



DE PRIN-

DE PRINCIPIIS OBIECTI METAPHYSICI INVICEM COMPARATIS.





Xplicata natura principiorum obiecti metaphysici, nempè generis, & differentiæ: nunc explicandum nobis est, quomodo se habeant ad inuicem, dum concurrunt ad constituendum suum compositum, nempè naturam specificam, & quomodo fiat huiusmodi compositio. Aliqua enim secundùm huiusmodi habitudinẽ ijs conueniunt: qua præcisa non conuenirent. Quocircà cum ex natura sua ordinentur inuicem, vt constituant speciem, ea quoque, quæ sumus pertractaturi, conducent ad magis intelligendas ipsorum naturas, quæ alioquin cognosci perfectè non possent, nisi etiam secundùm hanc habitudinem considerarentur.

An differentia sit perfectior genere.

Disp. LXV.

Punctus difficultatis, & aliorum opiniones.

SECTIO I.

I. PRima difficultas, quæ in hac comparatione se statim offert, est, an differentia debeat esse perfectior genere, cum quo vnitur ad constituẽdam speciem; cum enim species habeat suam propriam, & essentialem perfectionem, in qua inuoluuntur diuersi gradus perfectionis subordinati, vt genericus, & differentialis; quæritur, an huiusmodi gradus perfectionis differentialis importet aliquam maiorem perfectionem, quàm importet genericus, ita vt his gradibus inuicem cõparatis, nobilior sit differentialis, quàm genericus. In qua re hoc indubitatum est apud omnes, quòd quotiescunque differentialis eleuat genericum ad naturam perfectioris gradus, vt cum intellectiuus aduenit substantiæ, & illam eleuat ad gradum naturæ intellectiuæ, tunc perfectior est differentialis gradus, quàm genericus, & quamdam nobiliorem perfectionem communicat speciei, quam constituit: & consequenter cum nobilitas essentiæ desumatur à principaliori parte, tunc natura illa specifica recipit suam nobilitatem à differentia, per quam constituitur. Itaque solùm difficultas remanet de differentia, quæ non eleuat genus ad naturam perfectioris gradus. Differentia eleuans genus, nobilior ipso genere.

II. In qua difficultate Prima opinio refertur à Ruuio, quam dicit esse aliquorum Recentiorum, quia asserunt, non esse necesse, vt differentia sit nobilior genere, quod contrahit, sed posse esse minùs perfectam, vel æquè perfectam. Fundamentum huius opinionis est, quia si differentia esset perfectior genere, quod Prima opinio. Differentias non esse perfectiores genere semper.

contrahit, deberet etiam esse radix perfectioris operationis: si autem non est principium perfectioris operationis, neque potest esse perfectior differentia; dantur autem huiusmodi differentiæ, quæ non sunt principium perfectioris operationis, vt constat in diuersis speciebus brutorum, in quibus nulla est perfectior operatio ijs sensitiuis, quæ communes sunt omnibus speciebus: & hoc ipsum quoque contingit in angelis. Imò quædam species brutorum habent imperfectiores operationes, quàm cœteræ, vndè carent pluribus sensibus, & habent gradum sentiendi imperfectiori modo participatum, atque adeò genus sensitiuum potest imperfectioribus differentijs contrahi.

Opposita sententia.

III. Altera verò opinio asserit, Differentiam debere esse semper perfectiorem genere, cum quo vnitur ad constituendam speciem, saltem quò ad hoc, vt reddat naturam genericam intrà suum genus, seu gradum magis determinatam. Hæc sententia deinitur ex D. Th. 1. par. quæst. 50. ar. 4. in resp. ad 1. vbi inquit. *Dicendum, quod differentia est nobilior genere, sicut determinatum in determinato, et proprium communi, non autem sicut alia, & alia natura*. Et similia habet quæst. 75. ar. 7. in respon. ad 2. vbi pariter inquit *Differentia specifica vltima est nobilissima, in quantum est maximè determinata, per modum, quo actus est nobilior potentia*. Et in 2. dist. 13. quæst. 1. ar. 6. ad 1. ita docet *Differentia non est nobilior genere, sicut natura vna est nobilior altera, vel sicut forma vna nobilior est alia, quia differentia nullam formam dicit, quæ implicitè in natura generis non contineatur. Sed dicitur genere nobilior sicut determinatum indeterminato*. Atque hanc sententiam sequitur Caiet. citato loco quæstionis 50. 1. par. Soncin. 4. Metaph. quæst. 20. ar. 1. Ruuius in Logica cap. de different. quæst. 6. Cœteri verò de hoc non disputant, sed potius supponunt differentiam esse nobiliorem genere.

D. Th. Caiet. Soncin. Ruu.

Propria Sententia.

SECTIO II.

I. QVando differentia in constitutione speciei comparatur cum genere, quod contrahit, duo in vnoquo que considerari possunt. Alterum est, quòd veniant in talem compositionem in ratione actus, vel potentiæ. Alterum verò est perfectio, quam inuoluit ratio actus, & potentiæ: licet enim esse actum, & potentiam idem fit cum perfectione, quam genus, & differentia important, potest tamen considerari præcisè ratio actus, vel potentiæ formaliter non considerando perfectionem, quæ sub illa inuoluitur; & rursus considerari perfectio, nulla habita ratione, quòd sit actus, vel potentia: vndè sumpta vna natura specifica, & cum alia comparata, attendi potest perfectio illa, quæ vtrique communis est non attendendo, quòd se habeat per modum potentiæ, & potest etiam attendi illa perfectio, secundùm quam differunt, non attendendo, an se habeat per modum actus. Atque possumus secundùm vtrâque acceptionem comparare differentiam cum genere, & inquirere, an debeat esse ipso perfectior.

Differentia, & genus secundùm duplicē rationem cōsiderari possūt.

II. Rursus, quia multoties contingit aliquam naturam constitui ex diuersis entitatibus, vt ex materia, & forma, ex anima, & corpore, imò etiam ex diuersis naturis subordinatis, quarum vna se habeat vt materia, altera verò vt forma, vt contingit in homine, qui constat ex natura spirituali, & corporea tanquam ex partibus essentialibus: idcircò ex huiusmodi partium vnione desumitur aliqua differentia, quæ vel ex ipsa coniunctione consurgat, vel ab aliqua tantùm parte proueniat, ita vt talis differentia non importet aliquem gradum perfectionis, quo talis essentia constituatur in esse, sed importet tantùm aliquam conditionem naturæ, aut determinationem, quæ vni parti contingat ex eo, quòd cum altera coniungatur, aut aliquid aliud simile, quod, vt dictum est, non dicat aliquem positiuum gradum perfectionis essentialis, vt est mortalitas in homine, quæ non dicit aliquam perfectionem essentialem in ipso; sed conditionem talis naturæ, quæ oritur ex coniunctione animæ cum corpore, quæ potius imperfectio est. Aliæ verò sunt differentiæ, quæ important semper aliquem gradum perfectionis positiuum constitutiuum talis naturæ. Sed hic quoque gradus perfectionis, vel potest comparari ad genus, quod est in eadem simplici entitate, in qua etiam reperitur differentia, vt Esse

Diuersa acceptio differentiæ.

in-

intellectiuum respectu substantiæ, quatenus identificatur cum anima. Vel potest hic gradus perfectionis, quem importat differentia comparari cum tota natura perfecta, quæ constet ex pluribus entitatibus, vt est esse corporeum in homine, quod comparatur ad totam naturam humanam, quæ tamen differentia etiam distinguit hominem à cæteris substantijs spiritualibus, atque hæc differentia desumitur ab vnica tantùm parte, stantibus ergo his conditionibus differentiæ, & diuersis acceptionibus, etiam diuersimodè de perfectione differentiæ loquendum est.

Prima conclusio Differentia vt actus, perfectior genere. III. Loquendo igitur de differentia accepta, prout est actus generis, dicendum est, semper esse nobiliorem genere, quod afficit. Huius rei ratio præcipua est, quoniam actus ex genere suo est nobilior potentia; ergo si genus se habet vt quid potentiale, differentia verò vt actus generis, semper secundùm hanc rationem perfectior erit differentia, quàm genus. Quòd actus ex genere suo sit nobilior potentia conceditur ab omnibus, & est satis euidens, ita vt tanquam pro primo principio soleat accipi: quo tamen non obstante, adhuc potest declarari hæc propositio; & imprimis, quia Actus nobilior potentia. ens per essentiam, quod est omnium nobilissimum, & perfectissimum, est totaliter purus actus, quòd si actus non esset nobilior potentia, sed econtrà deberet hoc ens nobilissimum se habere potius per modum potentiæ, quàm per modum actus, quod tamen fieri non potest, imò à se excludit omnem rationem potentiæ. Hinc etiam fit, vt quantò magis aliquid accedit ad actum, & recedit à potentia, eò sit perfectius. Præterea potentia, vt potentia est, dicit capacitem alicuius perfectionis, quam in se non habet, vndè saltem negatiuè imperfecta est, & consequenter est eleuabilis ad aliquam maiorem perfectionem: actus verò comparatus ad potentiam econtra se habet, non enim habet, vt Secundò. actus est, capacitatem alicuius perfectionis, sed est perfectio, quam potest se communicare potentiæ, & illam eleuare ad maiorem perfectionem. Ex quo manifestè concluditur, quòd actus comparatus ad potentiam sit semper ex genere suo ipsa nobilior. Et possumus, magis in particulari hanc doctrinam applicando, pro confirmatione eiusdem conclusionis argumentari. Genus se habet, vt quid indeterminatum, & potentiale, & importat aliquem gradum naturæ vlteriùs perfectibilem, vndè est veluti quædam inchoatio naturæ. Econtrà differentia, quia se habet per modum actus, est complementum talis entis potentialis, & illud determinat, conferendo gradum magis certum, quo constituat naturam: & si talis differentia sit vltima, complet vltimatè talem naturam, & se ipsam formaliter exhibendo, trahit naturam de esse potentiali ad esse actuale, & determinatum, & facit, quòd consurgat talis species; ergo cum differentia perfectionem potentialem reducat ad actum, formaliter seipsam exhibendo, erit etiam nobilior genere.

IV. Secundò argumentor. Si differentia, & genus comparentur in ratione actus, & potentiæ, genus subternitur differentiæ, tanquam perfectibile perfectiuo. Differentia verò se habet vt perficiens genus, ita vt magis ab ipsa dependeat natura in sui constitutione, quàm à genere: & sicuti quod magis accedit ad rationam actus, perfectius est, ita etiam in compositione naturæ specificæ, quia differentia se habet tanquam actus, & ratione ipsius natura magis accedit ad rationem actus, quàm ratione generis, idcircò perfectior erit differentia, quam genus. Quod etiam declarari potest ex proportione ad materiam, & formam physicam, quia enim forma physica substernit sibi materiam, tanquam potentiam substantialem perfectibilem, & reducit ad actum secundum id, quod erat in potentia, hinc fit, vt forma, quatenus actus est, sit perfectior materia, quatenus quædam potentia est. Similiter igitur dicendum est in forma, & materia metaphysica, seu genere, & differentia, vt differentia sit nobilior genere, quia tanquam pars actualis illud sibi substernit, & perficit reducendo ad actum eius potentiam. 2. ratio. Genus perfectibile, differentia verò perfectiua.

V. Si verò loquamur de differentijs, prout dicunt proprium gradum perfectionis, vt perfectio est præcisè, & hęc differentia sit in eadem entitate, in qua est genus, siue hæc sit vna, siue multiplex entitas, ita vt tum genus, tum differentia in vna, seu multiplici entitate fundetur, semper maior erit perfectio, & nobilior, quam importat diffe- Secunda conclusio Differentiæ, quæ dicunt proprium gradum perfectionis, sunt nobiliores proprio genere præcisè accepto.

ren-

rentia, quàm sit illa, quam importat genus. Seu etiam quotiescunque differentia dicit aliquem gradum positiuum perfectionis, quo genus in suo ordine magis recedat à ratione entis vt sic, & magis accedat ad esse specificum infimum, semper differentia erit nobilior genere, & confertet illi excellentiorem perfectionem in ratione perfectionis, quàm in seipso dicat. Hæc conclusio probari potest ex quadam inductione facta in gradibus entis, posita enim ratione entis communissima, quilibet gradus, qui ipsi superadditur, maiorem perfectionem importat, quàm dicat ipsummet ens; sic dum enti superadditur gradus substantiæ, ratio substantiæ dicit quamdam maiorem perfectionem, quàm dicat ratio entis; rursus dum substantiæ vt sic aduenit esse corporeum, & incorporeum, tam ratio corporei, quàm incorporei dicit quamdam nobiliorem perfectionem, quàm dicat ratio substantiæ vt sic, quia licet substantia vt sic sit perfectio simpliciter simplex, quæ in vnoquoque est melior ipsa, quàm non ipsa, non tamen sequitur, vt sit nobilior, & perfectior, quàm esse corporis, si seorsim consideretur, sed solùm habet, quòd sit perfectio simpliciter simplex, quia non inuoluit aliquid repugnans cum alia maiori perfectione, vt esset spiritualitas, & huiusmodi: de se verò intrà ordinem entis substantialis importat minorem perfectionem, quàm importet esse corporis, cum solùm sit fundamentum respectu esse corporei, quod dicit perfectionem substantialem, quæ in ipso esse substantiali vt sic fundatur. Similiter quoque fieri potest inductio in cœteris gradibus entis, in quibus reperiemus semper illum, qui est fundamentum alterius, minus perfectum esse. Atque hoc etiam conspicitur in formis physicis subordinatis: si enim hæ formæ conceduntur, ita se habent, vt illa sit imperfectior, quæ alteri subordinatur; illa verò perfectior, quæ aliam sibi subordinat, vt contingit in forma carnis, & cœteris partialibus respectu animæ, quibus subordinantur: sic etiam idem continget in formis elementaribus, si manent actu in mixto. Imò hoc nedum contingit in formis, sed etiam in causis efficientibus, in quibus maiorem perfectionem dicit causa subordinans sibi aliam, quàm importet causa subordinata, quæ

Subdi cõuenit minùs perfecto.

semper in virtute causatiua imperfectior est. Atque hoc prouenit ex natura subordinationis, seu ex eo, quòd aliquid alteri substernitur; Subdi enim conuenit minus perfecto, si recta regula seruetur, atque rectus ordo: si enim duo sint, quorum alterum perfectius sit in aliquo genere, & prout sunt in illo genere, debeat vnum alteri subdi, certè maior erit ratio, vt subdatur imperfectius, quàm perfectius. Quod etiam locum habet in moralibus, cum igitur in rerum naturis seruetur optimus ordo, dicendum est, quòd quoties diuersi gradus perfectionis ita se habent, vt vnus alteri substernatur, tanquam fundamentum, maiorem perfectionem importet ille, qui alium sibi subdit, quàm qui alteri subditur. Itaque cum semper differentia subdat sibi genus, quandocunque in eadem entitate, atque in eodem ordine reperiuntur, dicendum est, quòd perfectio, quam importat differentia, sit maior, quàm perfectio naturæ genericæ.

VI. Secunda ratio, quæ etiam confirmat præcedentem à priori est. Differentia importat talem perfectionem, quæ est communicabilis generi, & dum communicatur, illud magis extrahit ab esse potentiali, & facit accedere ad rationem actus. Res enim vnaquæque, præcisò suomet esse, nihil est; supposita tamen causa, à qua possit participare esse, est aliquid potentiale. Si igitur illi communicetur ratio entis, incipit esse aliquid, & contra distingui à nihilo, & de potentia incipit exire in actum: si autem superueniat ratio talis entis, tunc magis recedit à nihilo, & ab esse potentiali, & magis accedit ad actum, quando additur alia, & alia ratio entis, quarum vna determinet aliam; cum igitur differentia superaddat aliam rationem entis & perfectionis, facit, vt magis accedat ad rationem actus. Ex hoc autem optima consequentia deducitur nostra conclusio, videlicet maiorem esse perfectionem, quam importat differentia, quàm sit perfectio generis: & vis consequentiæ in eo consistit, quòd illa perfectio, quæ magis accedit ad actum, maior est, quàm illa, quæ minus accedit, si quidem per perfectionem participatam res ponitur in actu, & consequenter illa perfectio, quæ facit rem magis in actu, maior est, quia actus est perfectio, & maior actus maior perfectio. Ergo cum dif-

Quo magis aliquid participat de actu, magis participat de perfectione.

differentia se habens vt quo conferat hanc perfectionem generi, & faciat, vt natura participet maiorem rationem actus ex eo, quòd formaliter participet differentiam, debet differentia importare maiorem perfectionem, quàm importet genus.

VII. Confirmatur principalis ratio. Perfectio, quæ ex intrinseco suo se habet per modum actus, maior est illa, quæ se habet per modum potentiæ, & nobiliori modo reddit perfectum id, cuius est perfectio; sed perfectio differentiæ se habet per modum actus, & perfectio generis per modum potentiæ; ergo perfectior est differentia secundùm rationem perfectionis, quàm sit genus, & nobiliori modo perficiet speciem, quàm perficiat genus. Maior huius confirmationis declaratur, quia sicuti si comparantur ad inuicem actus, & potentia, ille est nobilior, quàm potentia, ita etiam perfectio, quæ ab intrinseco suo se habet per modum actus, erit nobilior, quàm sit perfectio, quæ ab intrinseco suo se habet per modum potentiæ. Sic videmus in Deo, eius totam perfectionem, quia se habet per modum actus puri, longè maiorem esse, & nobiliorem quacunque alia perfectione excogitabili: imò quia natura intellectualis se habet per modum actualis intelligere, ex hoc capite est nobilissima, nempè quia actus ex genere suo importat perfectionem, & perfectio, quæ se habet ad modum actus, excedit illam, quæ se habet ad modum potentiæ, præsertim si sint intrà eumdem ordinem. Minor autem eiusdem confir. satis clara est, quoniam genus est, quod contrahitur, & determinatur à differentia, ita vt importet perfectionem aliquam ab intrinseco suo determinabilem, & consequenter potentialem. Differentia verò importat perfectionem correspondentē huic potentiali, nempè actualem, determinatiuam, & contractiuam, vndè se habet per modum actus: suprà enim ostendimus, differentiam esse partem essentialem constitutiuam speciei, quæ se habet per modum actus, genus verò se habere per modum potentiæ.

Actus ex genere suo includit maiorem perfectionē, quàm potentia.

VIII. Tertia ratio desumenda est ex gradu entis, quem confert differentia: supponimus enim, quòd differentia sit intrà eumdem ordinem, & gradum, in quo est genus, quia si sit in diuerso, ita vt extrahat genus ad altiorem ordinem, certum est, vt diximus initio sect. præcedentis, esse perfectiorem genere. Si igitur sit intrà eumdem ordinem cum genere, adhuc debet esse perfectior genere, quia intrà talem ordinem dicit nobiliorem, & perfectiorem gradum, quàm dicat genus. Quod sic ostenditur. Quod ab intrinseco suo intrà aliquam rationem est magis determinatum, & magis actuale, est etiam magis perfectum; sic quod magis est determinatum intrà rationem vitæ, est magis perfectum in ratione vitæ: quod magis determinatum est intrà rationem substantiæ corporeæ, est magis perfectum in ratione substantiæ corporeæ, & sic in singulis fieri potest inductio, & ratio à priori est, quia magis peruenit ad suum complementum, & intrà rationem eamdem acquirit intensiuè maiorem perfectionem, sed differentia, quæ est intrà eumdem ordinem respectu generis, est aliquid magis determinatum; ergo dicit etiam maiorem perfectionem.

3. ratio.

Magis determinatum, magis quoq. perfectū.

IX. Et hinc elici potest alia confirmatio principalis. Differentia perficit genus intrà eumdem ordinem illi conferendo aliquam perfectionem essentialem, quæ simul cum generica concurrit ad cōstituendam vnam, & eamdem essentiam; ergo maior, & nobilior est perfectio differentiæ, quàm sit perfectio generis. Vtraque pars argumenti declaratur; & quod spectat ad antecedens, certum est, quòd differentia, & aduenit generi, & dicit aliquam perfectionem, vndè prædicatur etiam in quale quid, quia adiacet generi; si igitur adiacet generi, & dicit aliquā perfectionem intrà eumdem ordinem, debet consequenter illam perfectionem communicare generi, atque illud perficere, vndè differentia, & genus se habebunt vt perfectiuum, & perfectibile. Consequentia autem tenet ex natura perfectibilis, & perfectiui: perfectibile enim ex natura sua, quamuis dicat aliquam perfectionem, si tamen ab alio in eodem genere sit perfectibile, dicet minorem perfectionem, & minus nobilem, quàm dicat perfectiuum: quia quod est perfectibile, dicit quamdam perfectionem deficientem, & veluti quamdam solam inchoationem perfectionis. Quod autem est perfectiuum in eodem genere dicit complementum talis perfectionis, & sicuti in artificialibus, quod habet formam artis tantùm inchoatam,

Genus inchoatio naturæ, & differentia complemētū, & ideò ipsâ genere perfectior.

non autem perfectam, imperfectius est illo, quod habet eã formam perfectam, ve esset forma statuæ, ita vt ratio illa complementi perfectior sit, quàm ratio illa inchoationis: ita etiam in rerum essentijs dicendum est, quòd magis perfecta sit differentia, quæ dicit complementum naturæ, quàm genus, quod dicit tantùm inchoationem naturæ. Et ideò videmus etiam operationes, quatenus sequuntur vltimum gradum specificum, perfectiores esse, quàm quatenus sequuntur gradum genericum, quia prout sequuntur gradum genericum, dicunt tãtùm quamdam communem rationem operationis, quæ valdè imperfecta est propter suam indifferentiam, & communitatem.

Tertia cõclusio. Quæ differentia nõ sit perfectior.

X. Si verò loquamur de differentijs, quæ important quidem aliquem gradum perfectionis, sed tantùm in aliqua parte eiusdem naturæ fundantur, quæ ab alia parte entitatiuè distinguatur, vt esse corporeum in homine, tunc licet illa differẽtia dicat maiorem perfectionem, quàm dicat genus proprium, in quo fundatur, prout tamen cadit suprà totam naturam, & illam distinguit à substantia purè spirituali, non est perfectior natura illa, quam distinguit, quia non est propriè differentia, quæ fundetur in illa, tanquam in genere, neque desumitur ab intrinseco esse totius naturæ, sed solùm à parte. Et eodem modo philosophari debemus de cœteris huiusmodi differentijs, ita vt conclusio posita intelligatur tantùm de illis, quæ dicunt proprium gradum perfectionis metaphysicæ, quatenus afficit proprium genus, & in eamdẽ entitatem cum ipso conuenit, ita vt genus fundet talem differentiam, & sit quid perfectibile per ipsam, sit tamen hæc entitas pars alicuius naturæ, ad quam comparetur differentia.

Quarta cõclusio. Differentiæ, quæ non dicũt propriũ gradum perfectionis, non sunt perfectiores genere.

XI. De differentijs verò, quæ non dicunt proprium gradum perfectionis, sed tantùm, aut determinationem, aut aliquam aliam conditionem, non est necesse, vt sint perfectiores genere; imò nec possunt esse cum non dicant aliquem gradum perfectionis superadditum, & cõsequenter neque habent proprium genus, quod perficiant. Dicuntur autem differentiæ, quamuis aliquando sint imperfectiores, quia sunt propriæ alicuius speciei, in qua solùm reperiuntur, & ideò per ipsas talis species ab omni alia cõtradistinguitur, & hac ratione sunt differentiæ. Igitur differentia essentialis, quæ constituit speciem, dum simul cum genere coniungitur, & importat aliquem gradum perfectionis essentialis, quo genus perficitur, semper dicit aliquam nouam perfectionem superadditam generi, quæ, etiamsi sit intrà eumdem ordinem, in quo est genus, semper tamen ipso nobilior est, & perfectior, vt iam dictum est.

Dissoluitur fundamentum in oppositum.

SECTIO III.

I. FVndamentum primæ sententiæ Sect. 1. relatum tangit difficultatẽ, quomodo Bruta, & angeli differãt inter se; hæc autem difficultas non est huius loci, nec commodè explicari potest; quare illa omissa cõcedimus, quòd si differentia debet esse principium alicuius operationis, debet esse principium operationis perfectioris, quàm sit genus, cum sit perfectior genere. Verùm addimus, quòd differentia, & genus metaphysicè consideratum, quatenus conueniunt in vnam entitatem, non sunt principium distinctarum operationum physicarum, quia nulla forma operatur physicè, nisi prout est constituta in aliqua vltima specie, quod solùm habet ex vi differentiæ vltimæ, quæ sola complet speciem. Et ex hoc, quòd genus se solo non sit principium alicuius operationis physicæ, sed solùm simul cum vltima differentia, sequitur, eamdem operationem vtrique tribui secundùm diuersos gradus, sed secundùm perfectiorem differentiæ.

Genus solùm cum differentia principiat operationes.

II. Quòd si in viuentibus dantur diuersæ operationes, quarum aliquæ dicuntur consequi gradum genericum, vt sentire in homine, indè euenit, quia dantur diuersi gradus vitæ, seu diuersæ portiones in ratione viuendi; quæ ita se habent, vt possint & vnitæ existere in eadem forma physica, & separatæ reperiri. his autem portionibus vitæ correspondẽt diuersæ operationes, atque adeò conformiter ad gradus vitæ hæ operationes reperiuntur, & in eodem viuente, & separatæ; vndè quia eadem portio vitæ reperitur in pluribus viuentibus, & consequenter etiam operationes, quæ talem gradum consequuntur, hinc fit, vt aliquæ operationes dicantur genericæ, quatenus in pluribus viuentibus reperiun-

Omnes operationes animæ abeunt vltima differentia.

riun-

riuntur. Reuera tamen quandò sunt in vno, & eodem viuente, sicuti omnes gradus vitæ continentur in vltima differetia animæ adæquatè sumpta, nam hi gradus in tali anima aliquo pacto differunt ab ijsdem gradibus, prout sunt in alia anima, cum non habeant eumdem modum essendi, ita etiam operationes omnes proueniunt ab vltima differentia adæquatè sumpta; verùm hæc magis explicanda suo loco relinquimus.

III. Ad aliam autem partem, in qua dicitur, quòd neque in angelis dantur perfectiores operationes gradu generico, sicuti neque etiam in brutis. Respondetur, neque dari perfectiores, neque imperfectiores, sed omnes angelos, & omnia bruta habere easdem operationes vitales. Quòd si aliqua bruta carent aliqua operatione vitali, vt ibidem tangitur, id est per accidens, quatenus anima non reperit in tali corpore organa requisita ad tales operationes; quòd si ex defectu operationum valeret arguere imperfectiorem differentiam, etiam argui deberet genus imperfectius, quia desunt operationes genericæ. Igitur ex defectu operationum non licet arguere, quòd differentia sit imperfectior genere: aut ex eo, quòd in his viuentibus non sint operationes perfectiores, quàm importentur per genus, quia potius argui deberet defectus differentiarum: quàm imperfectio. Solùm liceret arguere, differentias esse imperfectiores genere, si haberent operationes vitales imperfectiores, quàm essent genericæ, supposito tamen, quòd à solo genere præcisè accepto possent prouenire aliquæ operationes. Quomodo autẽ res se habeat, melius suo loco explicabitur. hoc autem sufficit pro solutione argumenti.

An genus, & differentiæ inuicem perfectè præscindant.

Disp. LXVI.

Sententia Auersa negatiua.

SECTIO I.

I. CVm genus, & differentia concurrant tanquã partes ad constituendam speciem, Difficultas est, an ita se debeant habere, vt vna sit omnino extrà aliam, saltem secundùm rationem, quod est adæquatè præscindere adinuicem, ita vt haberi possit conceptus obiectiuus naturæ genericæ absque eo, quòd aliquo modo concipiatur differentia; & è contrà, an etiam haberi possit conceptus obiectiuus differentiæ absque eo, quòd concipiatur genus, & hoc solùm in præsenti disputatione quærimus; nam an à parte rei aliqua distinctione distinguantur, patebit ex ijs, quæ infrà dicturi sumus de gradibus essentiæ. Et licet hæc quæstio videatur ferè coincidere cum illa alia, quam supra agitauimus, an scilicet differentia superior formaliter includatur in inferiori, reuera tamen, licet ab ea aliqualiter dependeat, diuersa est; nam hæc procedit de genere, & non de differentia, & non solùm quærit, an differentia includat suum genus, ita vt sine ipso concipi non possit, sed etiam an omninò excludat, & an genus similiter omninò excludat differentiam.

II. In qua difficultate prima sententia est Auersæ in Logica quæst. 13. sect. 5. qui docet, non esse necesse, vt genus, & differentia inuicem perfectè præscindãt; sed aliquando contingere posse, vt non perfectè præscindant. Distinguit enim duplex genus differentiarum; aliud videlicet, quod non est proprium alicuius generis, sed potest etiam in alio reperiri, & genus quoque esse potest sine tali differentia; & hoc genus differentiarum perfectè præscindere a genere, quod contrahit, & genus quoque perfectè præscindere à differentijs. Aliud verò genus differentiarum est, quod est proprium alicuius generis, & cum illo tantùm reperitur. Et hoc inquit ipse, non perfectè præscindere à genere, neque econtrà genus à differentijs. Citat etiam pro hac sententia D. Th. 7. Metaph. lect. 12. & de Ente. & essent. cap. 3. quibus in locis

Prima opinio. Genus & differentiam non præscindere necessario inter se adæquatè. Auersa. D. Th.

vocat genus quoddam totum, & inquit, quòd implicitè includat totam essentiam speciei, & id infert ex eo, quòd prædicatur de specie. Citat pariter Soncin.
Soncin. 7. Metaph. quæst. 37. vbi docet, quòd differentia superior formaliter includatur in inferiori, & quæst. 39. vbi ait, Tam differentiam, quàm genus dicere totam essentiam speciei, sed diuerso modo. Sed nos suprà suo loco hoc non adprobauimus, cum ageremus de genere; vbi docuimus, secundùm suum esse formale importare tantùm partem speciei, & solùm in potentia continere differentias. Atque D. Th. solùm docet, genus cum prædicatur de specie, debere aliquomodo significare totum; non autem dicit simpliciter, quòd significet totum, vt colligitur ex illo citato loco Metaph. quomodo autem genus importet tantùm partem speciei, & significet per modum totius, explicatum fuit, cum egimus de genere.

Fūdamēta recitatæ sentētiæ. III. Conatur autem pluribus Auersa suam sententiam confirmare, & primò arguit, ex Arist. 7. Metaph. tex. 43. vbi docet, Differētias communiores debere diuidi per minus communes, & has rursus per alias non disparatas, sed proportionatas, si fieri potest, quæ includant naturam communem, vt animal debet diuidi per differentias habentis pedes, & non habentis: habens autem pedes non debet diuidi, per plumiferum, & impiume, sed per habens pedes
Arist. fissos, & non fissos: & subdit Arist. rationem. *Hæ pedis differentia sunt, fissio namque pedum aliqua peditas est*. Nec valet, ait Auersa, quòd cum dicit, Fissionem esse aliquam peditatem, si dicatur esse aliquam differentiam pedis, quia differentia sic assignata includit naturam diuisam, & probat esse differentiam peditatis, quia est quædam peditas. Et ibidem quoque docet: quòd differentia vltima est rei substantia, & definitio; quod esse non posset, nisi diceret totam essentiam speciei, & 7. Phys. tex. 31. Docet, genus non esse quid vnum, sed includere multa, quod indicat ipsum imperfectè præscindere à differentijs.

Secundū. IV. Præterea format inductionem in diuersis ordinibus entium, & arguit secundò, Spiritualitas, & corporeitas, si sumantur, quatenus differentiæ conuenientes soli generi substantiæ, non autem accidentibus, tunc essentialiter sunt differentiæ substantiales; ergo non adæquatè præscindunt à genere substantiæ, quod contrahunt, alioquin si præscinderent ab esse substantiali, & accidentali, essent magis communes, quàm genus, quod contrahunt, & ipsæ potius deberent determinari, & contrahi, quàm esse determinatiua. Rursus substantia spiritualis non potest diuidi, nisi per differentias tantæ, & tantæ perfectionis, vt patet in angelis: hæ autem differentiæ includent genus, sic etiam viuens, dum diuiditur in vegetatiuum, sensitiuum, & intellectiuum, differentiæ includunt genus. Sic etiam quando quantitas diuiditur in permanentem, & successiuam, in continuam, & Discretam; cum magnitudo diuiditur in lineam, & superficiem, si differentiæ sumantur, prout sunt propriæ talium generum, necessariò includent naturam communem, quam diuidunt. Sic etiam eadem inductio fieri potest in prædicamento qualitatis, & relationis. Et addit, quòd si in genere relationis assignentur differentiæ propriæ, debent esse essentialiter relatiuæ, atque adeò includere ipsum genus.

V. Tertiò arguit, quia nulla est necessitas ponendi hanc perfectam præcisionem; imò si hoc esset necessarium ad constituendum genus, potius dicendum esset, tunc genera non dari, quando differentiæ sunt propriæ talis generis. Neque hæc præcisio sufficit ad saluandum discrimen inter transcendentia, & non transcēdentia; nam eadem ratio, quæ cogit in non transcendētibus ponere differentias perfectè præscindentes, militabit etiam in transcendentibus: vt si hæc ratio diceatur esse, quòd genus sit aliquod totum, aut aliquid complexum. Denique arguit. In tantum potest aliquod prædicatum præscindi à subiecto, de quo dicitur, in quantum potest etiam dici de alio, vt animal potest præscindi ab homine, quia dicitur etiam de leone, & alijs. Si verò non possit de alio dici, sed illi tantùm conueniat, non poterit præscindi. Si autem differentia sit propria alicuius generis, & certæ speciei, non poterit de alio dici; ergo neque poterit à genere præscindi.

(Right margin: "Tertium." beside "V. Tertiò arguit"; "Quartū." beside "ratio diceatur esse ... Denique")

Com-

Communis sententia D. Th. & Arist. auctoritate munita.

SECTIO II.

Communis sentē. tia, Genus & per, & differentias mutuò perfectè præscindere.

Capr. Soncin. Suessan. Zerbius. Fonseca. Suarez. Ruuius. Hurtad.

I. Communis tamen sententia est in oppositum, & asserit, Genus debere esse extrà conceptum differentiarum, & differentias quoque extrà conceptum generis, ita vt inuicem adæquatè præscindant. Hanc sentētiam tradunt Capr. in 1. dist. 2. quæst. 2. Suessan. 7. Metaph. disp. 16. Soucin. 4. Metaph. quæst. 20. ar. 2. Zerbins ibidem quæst. 16. Fonseca. 5. Metaph. cap 28. quæst. 18. Suarez in Metaph. disp. 6. sect. 9. Ruuius in Logicæ quæst. 5. de differentia. Hurtad. intem. in Logica disp. 6. sect. 2. & alij complures passim hanc doctrinam supponunt potius, quàm disputent, vt cum agunt de vniuocatione; hoc enim requirunt ad conceptum vniuocum, vt perfectè præscindat à differentijs; imò etiam aliqui, vt non inuoluatur in conceptu differentiarum, quamuis hoc nos non admittimus; atque communiter docent, genus debere esse aliquid commune vniuocum. Et Scotistæ præcipuè recipiunt hanc doctrinam, cum inter genus, & differentiam ponant distinctionem ex natura rei, quam volunt præcedere operationem intellectus. Et ab ipsis desumitur in ijs locis, in quibus agunt de vniuocatione entis, de distinctione graduū in essentia, & alibi, vndè non est necesse illos singillatim pro hac sententia referre, cum omnes, quotquot sunt, hanc doctrinam recipiant.

Auctoritas. D. Th.

II. Atque præcipuè D. Th. 1. par. quæst. 3. ar. 8. ad 3. & 1. contra Gent. cap. 17. & opusc. 42. de Natur. gener. cap. 1. hanc sententiam docet. vbi ait. *Ens autem genus esse non potest, vt docetur in 2. Metaph. & in 3. nulla enim differentia participat genus.* Et post pauca. *Similiter differentia non pertinet ad naturam generis, sed genus continet differentias potestate, & ideò differentia non participat genus, quia cum dico. Rationale, significo aliquid, quod habet rationem, nec est de intellectu Rationalis, quòd sit animal: illud autem, quod participatur, est de intellectu participantis. Nulla autem differentia potest accipi, de cuius intellectu non sit ens; vndè manifestum est, quòd ens non potest habere differentias, sicuti habet genus, & ideò ens genus non est.*

Genus est à conceptu differentiarum.

Et opusc. 48. De Prædicam. cap. 5. eadem habet, inquit enim. *Quòd autem ens non possit esse genus, sic patet. Vt enim dictum est. Illud est genus, quod ita se habet ad suam differentiam diuisiuam, quòd differrentia significet aliquid explicitè, quòd non significat ipsum genus, licet implicitè ambo totum dicant, vndè genus est extrà intellectum differentiarum.* Et paulò post *Differentia conueniunt in genere, sicut in quodam determinabili secundùm rationem per eas, quod est extrà intellectum earum, sicut rationale, & irrationale conueniunt in animali.* Atque hæc similia habet pluribus alijs in locis præsertim 3. Metaph. lect. 8. Quæ apertè indicant ponere perfectam præcisionem inter genus, & differentiam.

III. Imò hæc sententia desumitur etiam ex Arist. 3. Metaph. tex. 10. vbi docet, Genus non posse includi in proprijs differentijs, & ideò ens, & vnum non posse esse genus, quoniam in omni differentia includuntur; inquit autem. *Non est autem possibile, neque ipsum vnum entium esse genus, nec ipsum ens; necesse etenim est vniuscuiusque generis differentias & esse, & vnam quamque vnam esse. Impossibile verò est, aut species generis de proprijs differentijs prædicari, aut genus absque suis speciebus. Quare si vnum, aut ens genus est, nulla differentia, nec vnum, nec ens erit.* Neque valet responsio Auerroës, dum ait, procedere dubitanter, & disputare de sententia aliquorum, qui dicebant, genera esse rerum principia, & ad hominem contrà ipsos argumentari, ex vna parte sequi, quòd ens, & vnum debeat esse principium, & ex alia parte non posse esse genera, & principia, quia ipsi ponebant genera, tanquam partes rerum. Verùm enim quidem est, quòd intendit impugnare sententiam asserentium principia rerum esse genera, sed ad hoc præstandum assumit principia certa, & quæ alibi tradiderat: videlicet Genus habere differentias, & de illis non posse prædicari; quam doctrinam non ponit dubitanter, neque ex aliorum sententia, cum alibi asseuerauter illam tradiderit. Stante ergo hac doctrina, quòd genus non possit de proptijs differentijs prædicari, infert, neque ens vnum posse esse genus, & consequenter nec principium, si principia sunt ipsa genera. Efficacia autem illationis in eo consistit, quòd sequeretur hoc absurdum,

Auctoritas Arist.

Genus nō posse de proprijs differentijs prædicari.

dum, quòd nulla differentia esset ens, aut vna, quia, si genus non posset de ijs prædicari, neque in ijs includeretur, alioquin si includeretur, posset etiam prædicari. Si igitur ens esset genus, neque posset in differentijs includi, neque de ijs prædicari.

IV. Atque hæc doctrina confirmatur etiam ex eo, quòd tradit 6. Topicor. cap. 3. loco 15. vbi inquit, *Non de differentia, sed de quibus differentia genus videtur prædicari, vt animal de homine, & boue, & de alijs gressilibus animalibus; non autem de differentia, quæ de specie dicitur, nam si de vnaquaque differentia animal prædicabitur, multa animalia de specie prædicabuntur, nam differentiæ de specie prædicantur*. Docet igitur, Genus non posse prædicari de differentijs; quòd si differentia ab ipso non præscinderet, prædicari posset, sicuti ens prædicatur de differentijs, quia ab ipso non præscindunt. Rursus 4. Topicor. cap. 2. loco 18. clarius idem habet, ait namque. *Neque videtur participare differentia genus, nam omne, quod participat genus, vel species, vel in diuiduum est, differentia autem, neque species, neque indiuiduum; manifestum igitur, quoniam non participat genus differentia*. Si igitur differentia non participat genus, quomodo non præscindet ab ipso?

Prima pars eiusdem sentententiæ confirmatur.

SECTIO III.

Duplex acceptio differentiæ.

I. Hic etiam illa duplex acceptio differentiarum, quam supra tradidimus, adhibenda; nam nomine differentiarum possumus intelligere aliquas conditiones, seu determinationes naturæ, quæ non important aliquem gradum essentialis perfectionis, & de his non loquimur, quia cum non dicant propriam rationem essentialem, neque perfectè possunt à genere præscindere, sed potius sunt quædam modificationes illius: quæ quia ipsum determinant, & conueniunt tantùm tali speciei, solent, vt diximus, appellari differentiæ. Vel nomine differentiarum possumus intelligere quosdam gradus perfectionis essentialis, qui superadduntur generi, & simul cum ipso constituunt speciem, tanquam contrahibile, & contractiuum, seu tanquam duo principia metaphysica, & de his modò loquimur, quia sunt propriè differentiæ constitutiuæ essentiarum.

Prima conclusio Genus adæquatè præscindit sepe à differentijs.

II. Circa ergo has differentias secundo modo acceptas ponimus primam conclusionem, in qua priorem partem communis sententiæ amplectimur: nempe genus debere adæquatè præscindere à differentijs, quibus contrahitur, siue hæ differentiæ ipsi tantùm conueniant, siue etiam alteri. Atque pro hac conclusione possumus primò arguere. Si genus non perfectè præscinderet à differentijs, ita vt non posset haberi purus conceptus genericus absque eo, quòd in ipso includerentur differentiæ, necessariò concedendum esset, Differentias posse prædicari de ipso genere in quid præcisè quod tamen constat, esse falsum; Non enim valet hæc propositio animal, vt tale est, rationale est, quòd si facta hac reduplicatione propositio est falsa, iam genus secundùm suum proprium conceptum obiectiuum præscindit a differentijs, neque illas includit. Sequela antem huius rationis, in qua tota difficultas consistit, declaratur, quia prædicatio quidditatiua in eo fundatur, quòd prædicatum insit subiecto, vt quid ipsi intrinsecum: sic genus non alia ratione in quid prædicatur de specie, nisi quia inest ipsi vt quid intrinsecum; si igitur genus ita haberet suum proprium conceptum obiectiuum, vt nō perfectè præscinderet à differentijs, tunc differentiæ includerentur in intrinseco conceptu generis, & tanquam aliquid essentiale, quia conceptus purus obiectiuus includit solùm, quæ sunt ipsi essentialia, atque adeò differentiæ possent in quid prædicari de genere.

Occurritur responsioni.

III. Neque valet, si dicatur contineri in genere tantùm implicitè, non autem explicitè. Quia imprimis neque species dicit explicitè genus, & differentiam, sed solùm essentiam, & naturam quæ ex genere, & differentia consurgit, implicitè autem dicit partes, & tamen potest genus de specie in quid prædicari. Rursus quæro, Quid sit hoc contineri implicitè, non verò explicitè in genere; vel enim contineri implicitè dicit, quòd sint in genere secundùm proprium esse formale; vel quòd non sint actu, sed tantum potentia, hoc est, quòd possit illas habere, sicuti potest materia recipere

for-

formas, si sunt tantùm in potentia, & non actu: vt nos suo loco docuimus; ergo genus secundùm suum esse proprium præscindit à differentijs, si quidem illas non habet in se actu, sed tantùm potest habere, & sicuti materia adæquatè distinguitur secundùm esse physicum à forma, quia actu illam non continet in sua entitate, ita etiam genus adæquatè præscindet à differentijs, quia actu illas non continet. Si verò contineri implicitè dicis, quòd actu sint in illo; ergo actu poterunt de illo prædicari, quia prædicatio in eo fundatur, quòd prædicatum inuoluatur in esse intrinseco subiecti.

Quando côcipitur genus, nô concipiû- tur differentiæ. Præterea vel concipiuntur ab intellectu differentiæ, quando concipitur genus; vel non concipiuntur. Primum dici non potest, quia experimur, quando nos concipimus animal, non concipere aliquid de rationalitate, aut irrationalitate. Si ergo non concipiuntur; ergo animal secundùm illud esse, quo objicitur intellectui, non includit differentias, quia illud tantùm est obiectum actuale intellectus, quod terminat intellectionem, & per ipsam manifestatur. Cum autem tunc nullo pacto objiciantur intellectui differentiæ, & objiciatur genus, iam ab ipsis adæquatè præscindet. Confirmatur. Quæro enim, quid sit vnum ab alio præscindere, certè nihil aliud est, nisi vnum cognosci sine alio; ergo cum tunc genus cognoscatur omninò sine differentijs, omninò etiam ab ipsis præscindet.

Confir. IV. Confirmatur principalis ratio. Abstractum generis, vt animalitas adæquatè præscindit à differentijs; ergo etiam concretum eiusdem generis. Consequentia tenet, quia eadem est ratio de concreto, ac de abstracto, cum concre-

Abstractû generis abstrahit à differê. tijs. tum per eandem rationem constituatur vndè quod dicit abstractum, vt quo, dicit concretum vt quod: si igitur abstractum generis non dicit differentias, sed ab ijs omnino præscindit, neque concretum illas dicet. Antecedens prob. Quia differentiæ nullo pacto in sensu formali possunt prædicari in recto de genere; non enim valet, animalitas est rationalitas. Deinde quia abstractum dicit tantùm formam præcisè, qua aliquid constituitur in tali esse, & nihil aliud: atque si hæc forma abstracti non imbibit intrinsecè aliquam formalitatem, illam non dicit, quia non est necessaria, vt tanquam forma concurrat ad constituendum tale concretum. Modò differentia, vt talis est, non concurrit ad constituendum concretum generis, quia genus constituitur in suo esse per aliquam vniuersaliorem rationem, non autem per formalitatem differentiæ, eû hæc constituat speciem. Confirmatur secundò. Confir. secundò. Differentia habet ab intrinseco suo, quòd adiaceat generi, & ideò prædicatur in quale quid de specie, quia venit in eius compositionem, vt pars adiacens, & soli generi potest adiacere; ergo si differentia adiacet generi, non inuoluitur in esse intrinseco ipsius, quod enim alteri adiacet est extrà esse ipsius, ergo si differentiæ sunt extra genus, iam ab ipsis genus adæquatè præscindit.

V. Secunda principalis ratio est. 2. ratio. Natura generica venit in compositionem cum pluribus differentijs ad constituendas plures species: seu si alicui hic modus loquendi minus placet, simul cum pluribus differentijs constituit diuersas species, ita vt sit illis quid commune, atque ad illas differêtias ordinetur. Hinc fit, vt eû non sit maior ratio de vna, quàm de alia, vel debet ab omnibus præscindere, vel à nulla. Sed nô potest dici, à nulla præscindere, ergo ab omnibus. Quòd genus nô possit nô præscindere à differentijs, sic ostêditur. Natura generica cum hac, & illa differentia côponit diuersas species. Sumo illam naturam genericâ, qua tanquâ per aliquid commune plures species constituuntur; & inquiro, an, prout dicit rationem illam communem, inuoluat in suo esse differentias, vel non inuoluat. Si dicitur, quòd inuoluat, hoc manifestè falsum est, & impossibile, quoniam sicuti secundùm suum esse commune inuoluitur vt constitutiuum in qualibet specie sibi subiecta, ita etiam ex vi sui esse, quod tali speciei communicaret, traheret secum omnes alias differentias, quas in suo esse inuolueret: & consequenter quælibet species participaret rationem aliarum specierum, quod manifestè implicat, quando enim aliquod esse communicatur alteri, communicatur etiam quicquid in ipso continetur; vndè rationale esset irrationale, & alia huiusmodi absurda sequerentur. Si verò in suo esse non continet differentias; ergo ab ijs adæquatè præscindit, quia hoc est ab alio præscindere secundùm rationem, non contineri in esse formali ipsius.

VI. Atque si hæc ratio attentè consi-

Præcluditur effugium.

sideretur, excludit illam responsionem, quæ afferri posset, videlicet genus dicere in confuso differentias, & sub disiunctione, ita vt dicat semper vel vnam, vel aliam: nam præter quàm quòd hæc responsio suprà impugnata fuit, cum ageremus de præcisione entis ab inferioribus, reijcitur etiam ex modò allata ratione, quia videlicet genus inuoluitur in qualibet suarum specierum, vt intrinsecum, & commune constitutiuum, ita vt illud esse, quod genus communicat vni speciei, communicet etiam alteri, alioquin non esset quid commune, quod de pluribus differentibus specie prædicaretur; ergo in hoc esse communi, quod pluribus speciebus communicat, non possunt inuolui, neque explicitè, neque implicitè differentiæ, quia si in ipso inuoluerentur, sicuti cuilibet speciei communicat tale esse commune, ita etiam communicaret differentias. Deindè quid est hoc inuoluere differentias sub disiunctione in cõfuso? quòd enim modò vnam, modò aliam differentiam inuoluat implicitè, est omninò impossibile; quia quod est idem, præsertim si sit aliqua ratio formalis, semper inuariatum manet: & quod semel in suo esse inuoluit, semper inuoluit, ita vt non possit aliqua ratio formalis aliquid dicere, & posteà non dicere, seu aliud importare, quia tunc variarentur rationes formales, & esset multiplex ratio: quod sanè contingeret, si genus sub disiunctione diceret in confuso differentias, nam modò diceret vnam, modò diceret aliam, quod fieri non potest, cum sit vna, & eadem ratio communis pluribus.

Genus ex eo, quòd cõmunicatur pluribus speciebus, denudatur omni differentia.

Confir.

VII. Et hinc sumitur confirmatio pro eadem principali ratione. Species habent aliquid, in quo non differunt, sed conueniunt, & habent etiam aliquid, in quo differunt. Illud autem, in quo vna species cum alia conuenit, & illud, in quo differt, non possunt esse vnum, & idem formaliter, vt per se patet, ergo illud, in quo differt, formaliter loquendo non erit illud, in quo conueniet, & consequenter vnum poterit in sensu formali negari de alio: sic dicitur, Animalitas non est rationalitas. At quando duo inuicem negantur, in eo sensu, in quo negantur, vnum non includitur in alio, ergo genus secundùm esse formale non includet differentias, quia in sensu formali de ipso negantur, & consequenter ab ijs præscindet. Rursus genus in suo esse, quod dicit, vt genus est, inuoluit communicabilitatem, qua pluribus speciebus communicatur, differentia verò in suo esse inuoluit incommunicabilitatem, quia contrahit genus, neque habet illam vniuersalitatem, quam in proprio esse importat genus; ergo differentia non potest inuolui in esse generis, quia communicabile non communicat secundùm esse formale cum incommunicabili: si igitur, dum concipitur natura generica, debet concipi aliquid communicabile pluribus speciebus, non poterit genus, prout dicit aliquid communicabile, inuoluere differentias, sed ab ijs præscindet.

Genus opponitur differentijs in ratione cõmunicabilis, & incommunicabilis.

VIII. Tertiò prob. Genus est vnica ratio communis vniuoca; non potest autem saluari vniuocatio, nisi à se omninò excludat differentias; ergo stante vniuocatione generis, debet perfectè à differentijs præscindere. Quòd ratio communis vniuoca debeat excludere differentias, docent communiter omnes, & sequitur ex natura vniuocationis, nam vniuocatio facit, vt ratio communis vnitate proportionata sibi, sit vna: Vnitas autem proportionata rationi communi debet esse vnitas secundùm esse formale, quia debet esse vnitas secundùm illud esse, quo ratio vniuoca est vna, est autem esse formale: hinc autem fit, vt in sua formalitate non possit genus, seu quælibet alia ratio communis vniuoca includere differentias, tunc enim ratione ipsarum includeret diuersitatem, quæ ex natura sua pugnat cum vnitate: diuersitas enim in rationibus formalibus illas multiplicat, atque opponitur priuatiuè vnitati; & ideò quod est vnum in sua ratione formali, non potest in eadem includere diuersitatem; quòd si non potest includere diuersitatem, neque includet differentias, cum hæ formaliter ponant diuersitatem. Hinc communiter pro eodem sumitur esse perfectè vnum, & non includere differentias. Quòd verò genera sint rationes vniuocæ, communiter admittitur: quòd si quis id gratis negaret, facilè conuincitur, quia species eiusdem generis participant idem nomen, & eamdem definitionem, si genera sint species subalternæ; si verò non sint species subalternæ, adhuc perfectè

3. ratio

Ratio vniuoca excludit differentias.

con-

conueniunt in eodem conceptu simplici, vt esset ratio substātiæ, quæ vniuoca est, & omninò eiusdem rationis in omnibus.

Confir. IX. Et addi potest confirmatio desumpta ex conditione vniuersalis, quoniam vniuersale ex natura sua respicit differentias, tanquam terminum suæ vniuersalitatis, per quem specificatur: vndè genus, cum sit quoddam vniuersale, debet respicere differentias, per quas contrahitur, cum igitur debeat terminus esse extrà id, quod terminat, debent differentiæ, quæ terminant genus, esse extrà ipsum, ita vt dum concipitur genus ordinari ad differentias, per quas contrahitur, debeat concipi contradistinctum ab ipsis. Hinc est, quòd vniuersale dicitur abstrahere ab inferioribus, quia dum formatur ab intellectu secundùm esse metaphysicum, intellectus concipit solùm naturam communem ordinabilem ad inferiora, in quibus possit esse. Quòd si inuolueret inferiora, non abstraheret ab ijs, & consequenter neque posset ad illa ordinari, tanquam ad terminum. Et adhuc hæc ratio vrgeri potest. Vniuersale est aliquid contrahibile per sua inferiora, & genus aliquid contrahibile per differentias; hoc autem est de ratione contractiui, vt non possit esse intrà contrahibile, quia si contrahibile in suo esse inuolueret contractiuum formaliter, ex vi sui esse formalis non esset contrahibile, sed contractum, quia posito contractiuo in contrahibili, exhibet suum effectum formalem, qui est reddere contractum; quare si in aliqua ratione formali inuolueretur contractiuum, illa erit ex se formaliter contracta, non autem contrahibilis.

Genus respicit differentias, tanquam terminum et quo sum vniuersalitatis.

4. ratio. X. Quartò argumentor, & ratio procedit à priori, in quantum patitur præsens materia. Natura generica dicit suam propriam rationem formalem, qua constituit genus, & venit vt partiale constitutiuum in compositionem speciei: atque sicuti omnes aliæ rationes formales, & essentiæ debet consistere in indiuisibili, quemadmodum docet Arist. 8. Metaph. tex. 10. & esse sicuti numerus. Rursus differentia dicit aliam rationem formalem, quæ in constitutione speciei est aliquid superadditum generi, ita vt ratio generica, & differentialis sortiantur diuersas definitiones, ergo non potest genus in suo esse formali inuoluere differentias. Atque hæc consequentia sequitur ex proportione rationum formalium, seu essentiarum ad numeros, & ex earumdem indiuisibilitate. Imprimis enim vnus numerus ita se habet, vt à se formaliter sumpto excludat omnem alium numerum, quis enim dicat numerum ternarium formaliter, vt talis est, includere quaternarium? similiter igitur contingit in essentijs, & formalitatibus, quia vna formalitas aliud importat, quàm importet alia, & ideò non potest vna aliam includere, nisi pertineat ad suum essentiale constitutiuum. Quis autem dicat differentiam pertinere ad formale constitutiuum generis? Rursus, quod est indiuisibile, excludit à se quicquid non est ipsum; & si est indiuisibile formaliter excludit quicquid non est ipsum formaliter, quia indiuisibilitas constituit rem in se vnam, & non communicantem in esse cum alia, ergo cum genus secundùm suum esse formale sit indiuisibile, & non sit formaliter differentia, illam à seipsa excludet.

Arist. Vna ratio ex vi suæ indiuisibilitatis excludit quamcumque aliam.

5. ratio. XI. Quinta quoque ratio efficax desumitur ex oppositione differentiarum, & earumdem diuersitate, quæ omninò facit, ne in vna, & eadem formalitate generis possint includi. Et quantum est ex parte diuersitatis cōficitur ratio. Quę sunt idem formaliter cum vno tertio, quia esse formale est indiuisibile, sunt idem adæquatè cum ipso, & consequenter, etiam inter se. Si igitur differentię includerentur in genere formaliter sumpto, vna quoque includeretur in alia, quia vna includeretur in genere, in quo includitur alia: atque cum genus sit vna simplex formalitas, dum includeretur in genere, includeretur etiam in alis differentia. Rursus oppositio facit, vt differentiæ se inuicem excludant, & sint simul incompossibiles, atque vt vna tollat aliam; hinc est, quòd si adueniunt generi, ipsum diuidunt in plures species, ergo cum genus, vt genus est, non habeat in seipso diuisionem, non potest in se ipso formaliter habere differentias: imò si vnam includeret in suo esse formali, non includeret aliam ratione oppositionis, quam vna habet cum alia. Non est autem maior ratio, cur potius vnam includat, quàm alteram: quia si differentiæ essent de conceptu generis, ita vt ab ipsis non præscinderet, vna esset

Differentiæ ratione oppositionis nequeunt includi in genere præcisè accepto.

etiam de conceptu alterius; quod enim est de conceptu generis, est etiam de conceptu illius, quod dicit genus, quatenus genus est, quod quàm absurdum sit, ostendit oppositio, quam habent inter se differentiæ.

6. ratio. XII. Atque possumus etiam sextò argumentari. Vel differentiæ secundùm suum esse formale includuntur in genere, vt genus est, vel non: neque enim si includuntur aliquo alio modo, possunt verè includi, cum nihil aliud dicant differentiæ, quàm proprium esse: formale; quare si includuntur in genere, secundùm suum esse formale debent includi. Si igitur dicatur; Non includi, hinc sequitur, genus adæquatè ab ipsis præscindere, cum præscindere non sit aliud, quàm non includere aliquid in suo esse formali. Si verò dicatur includi secundùm suum esse formale, hinc sequitur, vt debeant illi præbere suum effectum formalem, & constituere speciem, quia tunc species constituitur, quando differentia est in genere. Ex quo sequitur hoc absurdum, genus, vt genus, esse speciem, & partem essentiæ esse totam essentiam, quia species non aliud dicit, nisi differentiam, & genus; & sequitur etiam, Vniuersale non præscindere ab inferioribus. Nec soluitur ratio, si dicatur, genus implicitè tantùm continere differentias, quia vel hoc implicitè continere dicit, quòd sint in ipso secundùm proprium esse formale, & sic recurrit ratio facta: vel dicit, quòd non sint in ipso secundùm esse formale, & tunc nullo pacto erunt in illo, quia nullo alio modo esse possunt.

Differentiæ solum secundù esse formale possét includi in genere.

7 ratio. XIII. Et rursus insto. Genus aliquo modo præscindit à differentijs, vt ipse quoque Auersa concedit, & per se euidens est, quoniam alius est conceptus obiectiuus differentiarum, & alius conceptus obiectiuus generis; ergo perfectè præscindit. Hæc consequentia ex eo vim habet, quòd non potest dari ista imperfecta præcisio, sed si est, perfecta est, quod sic ostenditur. Vnum præscindere ab alio est, non esse illud, seu illud in se non inuoluere. Modò si genus non inuoluit differentias, perfectè non inuoluit, quia cum continere differentias consistat in indiuisibili, & ipsæ quoque differentiæ sint indiuisibiles, vel illas omninò continet, vel nullo modo, quia non potest partim continere, partim non continere. Nec valet, si dicatur imperfectè præscindere, quia continet implicitè; Quia quæro, an cum hoc esse implicitò stet, quòd contineantur differentiæ secundùm proprium esse in genere; vel quòd non contineantur: hæc enim sunt contradictoria, quorum alterum debet verificari, & sic recurrit ratio facta. Deinde vnitas, & pluralitas, cum perfectè opponantur, vnitas perfectè præscindit à pluralitate; genus autem dicit vnitatem, differentiæ verò inuoluunt pluralitatem; ergo ab ijs perfectè præscindit, quia si non à differentijs, neque etiam à pluralitate præscinderet. Denique Confit. etiam ad hominem. Ideò non possunt differentię præscindere à genere per ipsum Auersam, quia reperiri non possunt sine tali genere; sed genus cum qualibet differentia collatum potest sine illa reperiri; ergo perfectè ab illa præscindet, & consequenter ab vnaquaq.

Impossibilis imperfecta præcisio generis.

Altera pars eiusdem sententię.

SECTIO IV.

I. Altera pars, quam ponit communis sententia est, quòd etiã differentiæ præscindant à genere, non quidem tanquam quid superius ab inferiori, cum differentiæ non sint quid superius respectu sui generis, sed quòd tanquam inferius non includant genus in proprio obiectiuo conceptu formaliter sumpto; ita vt concipi possint differentiæ absque eo, quòd concipiatur genus, tanquam quid inclusum in ipsis; & hoc est differentias præscindere à genere. Vndè sequitur, esse de ratione generis, vt sit pars metaphysica constitutiua speciei, ita tamen, vt sit omninò extra differẽtias, & differentiæ extrà ipsum. Atque hæc pars communis sententiæ sequitur ex dictis suprà de differentia disputatione 64. sect. 2. vbi ostendimus, differentiam superiorem non inuolui formaliter in conceptu inferioris: ex quo fit, vt neque inuoluatur genus, cum genus constituatur per differentiam superiorẽ. Atque rationes omnes ibidem factæ possent præsenti conclusioni applicari, vt per eas discurrenti patebit.

Secunda conclusio. Differentiæ præscindunt perfectè à genere.

II. Nihilominus suppetunt etiam aliæ peculiares rationes pro hac conclusione, quarum prima desumitur ex discrimine, quod est inter rationes transcendẽtes, & non transcendentes. Rationes enim

tran-

Non transcenden. non imbuitur in suis differentijs.

transcendentes ita se habent, vt imbibantur in differentijs suorum inferiorum, ita vt inferiora nequeant concipi, nisi etiam concipiantur rationes transcendentes; vt patet in ratione entis, & cæteris transcendentibus: non enim concipi possunt inferiora entis, nisi concipiantur esse entia, sic non potest concipi substantia, nisi concipiatur esse ens; non potest concipi accidens, nisi concipiatur esse ens, & sic de reliquis inferioribus, vt patet facta inductione per singula. At verò rationes non transcendentes oppositum sibi vindicant, vt videlicet non imbibantur in differentijs inferiorum, vt quid pertinens ad essentiale constitutionem ipsarum. Genericæ autem naturæ non sunt rationes transcendentes, vt per se patet, & omnes concedunt, sed sunt rationes prædicamentales determinatæ, & ideo non possunt inuolui in differentijs suorum inferiorum; sed optimè concipi poterunt differentiæ absque eo, quòd aliquo pacto concipiantur genera. Hinc autem est, quòd negant Philosophi, præsertim Arist. supracit. in sect. 2. Ens esse genus, quia est transcendens, & imbibitur in suis differentijs; hoc enim requirunt ad rationem generis; vt non sit transcendens, nec inuoluatur in differentijs, quibus contrahitur.

Responsio. Impugnatur.

III. Video aliquem occurrere posse. Transcendentia, & non transcendentia non in hoc distingui, quòd illa imbibantur in suis inferioribus, hæc verò non imbibantur, sed discrimen in hoc consistere, quòd transcendentia vagentur per omnia prædicamenta, non transcendentia verò spectent ad determinatum prædicamentum. Verùm licet hoc quoque discrimen interueniat inter transcendentia, & non transcendentia; alterum tamen concedi debet, videlicet transcendentia ex eo, quòd sunt transcendentia, debere includi in differentijs suorum inferiorum; & non transcendentia non debere includi. Vndè sic argumentor. Transcendentia ex eo, quòd sunt transcendentia, debent includi in omnibus prædicamentis; ergo etiam in differentijs suorum inferiorum. Conseq. probatur, quia non minus se habent, vt transcendentia respectu prædicamentorum, quàm se habeant respectu suorum inferiorum, in quibus omnibus ex vi transcendentiæ debent reperiri; ergo etiam in suis inferioribus ex vi transcendentiæ debent includi. Confir. Esse transcendens non dicit aliud, quàm per omnia transcendere, & vagari, ita vt in illis reperiatur: ergo transcendentia ex vi suæ transcendentiæ debent in omnibus suis differentijs reperiri. Quòd si ad transcendentiam sufficeret, aliquam rationem transcendere per plura prædicamenta, accidens, quoque esset transcendens; quia per nouem prædicamenta vagatur. Secundò argumentor contrà eamdem responsionem. Transcendentia habent, vt includantur in differentijs suorum inferiorum, vt per se patet. Quæro ergo, an id habeant ex vi suæ transcendentiæ: an verò ex alio capite. Si primum admittitur: ergo in hoc differunt transcendentia à non transcendentibus, quòd ex vi transcendentiæ debent includi in differentijs suorum inferiorum. Si verò habent ex alio capite, quæro vndè hoc proueniat: certè non ex alio capite pronenire potest, nisi ex illo, quòd sint tales rationes: quia cum hoc illi conueniat ex vi suæ essentiæ, debet conuenire, quatenus tales rationes sunt; sed quatenus tales rationes, sunt transcendentia, ergo ex vi transcendentiæ habent, quòd imbibantur in differentijs inferiorum. Confirmatur. Imbibi in differentijs inferiorum formaliter dicit aliquam transcendentiam, quia dicit rationem communem vagari, & transcendere per esse intrinsecum suarum differentiarum, quomodo ergo imbibi in differentijs inferiorum non conuenit ex vi transcendentiæ formaliter? Quare cum quotiescunque affirmatio est causa affirmationis, negatio quoque fit causa negationis, dicendum est, quando ponitur aliquid transcendens, debere poni aliquid, quod imbibatur in differentijs suorum inferiorum, & quando ponitur non transcendens, non debere in ijsdem differentijs imbibi.

Transcendentia ex vi transcendentiæ debent in suis differentijs reperiri.

2. ratio

IV. Secunda ratio pro eadem conclusione, quæ etiam præcedentem confirmat, desumitur ex doctrina, quam suprà adduximus ex Arist. sect. 2 qui docet, Genus non posse prædicari de differentijs, vndè sic conficitur ratio. Quando aliqua ratio intrinsecè includitur in alia, ita vt hæc non possit ab illa præscindere, potest ratio inclusa de includente prædicari, vt patet de ratione entis, quæ, quia in vnaquaque formalitate includitur,

Genus nō prædicatur de differentia in sensu formali.

tur, potest etiam de vnaquaque prædicari in recto prædicatione quidditatiua, etiam si talis ratio in abstracto sumatur: vndè vera est huiusmodi propositio, animalitas est ens, rationalitas est ens: genus autem non potest in recto prædicari de differentijs in sensu formali. Quis enim non videt, falsam esse hanc prædicationem, Rationalitas est animalitas? quòd autem debeat prædicari patet, quia prædicatio in eo fundatur, quòd prædicatum contineatur in subiecto, & eo modo, quo continetur, debet prædicari, Si igitur in suo esse formali differentia contineret genus, posset de ipsa prædicari in sensu formali.

1. ratio. V. Tertiò probatur, & ratio est à priori. Tam genus, quàm differentia habent suam propriam formalitatem, ita vt alia sit formalitas generis; & alia formalitas speciei, quod per se euidens est, siquidem genus importat aliquid magis commune, quàm importet differentia, ita vt de quocunque dicitur genus, non possit dici differentia. Rursus differentia determinat genus, ipsum verò determinatur; atque alia generi conueniunt, quæ non conueniunt differentiæ, atque econtrà; quod fieri non posset, nisi haberet aliam, & aliam formalitatem; & ipsamet experientia demonstrat hoc ipsum: nam experimur, aliud nos formaliter concipere, quando concipimus genus, & aliud, quando cōcipimus differentiam; hanc enim concipimus, tanquam rationem aliquam superuenientem generi, qua species constituatur, vndè debet necessariò importare aliquam rationem formalem suprà rationem formalem generis; hoc autem stante, sequitur, vt differentia debeat præscindere à genere, nec possit in suo esse formali illud includere; quod sic ostenditur. Quæ inter se mutuò distinguuntur, ita se habent, vt se quoque mutuò excludant, nec vnum contineatur in alio; Sed genus, & differentia mutuò distinguuntur; ergo etiam ita se habent, vt se mutuò excludant, & vnum non contineatur in alia: atque hæc ratio militat etiam pro prima conclusione, quòd videlicet neque genus contineat differentias. Maior huius argumenti est certa, & patet inductione facta in omnibus; sic quæ distinguuntur realiter, & entitatiuè, ita se habent, vt vnius entitas sit extrà entitatem alterius: quæ distinguuntur specie, ita se habent, vt vnius essentia sit extrà essentiam alterius, & idem patet in cœteris generibus distinctionum; & ratio etiam reddi potest, quia distinctio facit, vt vnum non sit aliud secundùm illam rationem, secundùm quam distinguuntur; ponit enim distinctio separationem, seu tollit communicationem in esse; vndè quæ distinguuntur formaliter, vnum non est aliud secundùm esse formale, sed est extrà illud, quia ex vi distinctionis est ablata communicatio in esse formali. Minor quoque probatur. Generica natura, & differentia habent suas proprias rationes formales indiuisibiles, quarum vna non est alia, & tam genus, quàm differentia, sicuti habent proprium constitutiuum, ita etiam habent proprium distinctiuum, quælibet enim formalitas distinguit illud, in quo repetitur ab omni alio, quod non est eadem formalitas: vna enim formalitas excludit à se omnem aliam formalitatem, quæ non est ipsa, & ex vi sui esse indiuisibilis formaliter loquendo non communicat cum ipsa, ergo cum genus, & differentia habeant diuersas rationes formales, habent etiam propria distinctiua, per quæ inuicem formaliter contradistinguuntur: & consequenter nec differentia, vt talis est, includit genus, nec genus differentiam.

Quæ habent diuersas formalitates se inuicem formaliter excludunt.

VI. Et quamuis aliquis dicere posset, Ens quoque præscindere à suis inferioribus, & habere diuersam formalitatem ab ipsis; non tamen ipsa præscindere ab ente; ideò licet genus præscindat à differentijs, & habeat diuersam formalitatem ab illis, non tamen ipsa præscindent a genere; nihil tamen proficeret, quoniam diuersa est ratio. Ens enim est fundamentum cuiuscunque realitatis, imò formale constitutiuum illius, ideò licet habeat diuersam rationem formalem ab inferioribus, quatenus importat realitatem vt sic, non autem aliquam determinatam realitatem; non tamen inferiora habent rationem formalem ab ipso omninò diuersam, quasi à sua ratione formali ipsum includant, sed intrinsecè, & formaliter ipsum imbibunt: cum enim rationes inferiorum intrinsecè, & formaliter sint reales, dicunt etiam intrinsecè, & formaliter constitutiuum realitatis, nempè rationem entis; & idcircò licet ipsum ens ab inferioribus præscindat, non possunt tamen inferiora ab

Præcluditur effugium.

Cur inferiora nō præscindant ab ente.

ipso

ipso præscindere. Non sic in differentijs respectu generis; neque enim includunt in sua intrinseca ratione genus, vt proprium constitutiuum, alioquin differentiæ essent communes, sicuti etiam est genus, nec possent ipsū contrahere.

4. ratio. VII. Quartò probari potest eadem conclusio desumpta argumentatione ex natura generis, & differentiæ: si enim genus, & differentia inuicē comparentur, se habent tanquam rationes oppositæ, nam genus se habet per modum potentiæ, differentia verò per modum actus; genus se habet vt quid commune contrahibile, differentia vt contractiuum generis: rursus genus est quid vniuersale, differentiæ verò sunt termini huius vniuersalitatis, quæ omnia important quamdam oppositionem relatiuam; actus enim, & potentia; contractiuum, & contrahibile; vniuersale, & terminus vniuersalitatis relatiuè opponuntur; ergo non potest differentia in suo formali conceptu aliquo pacto includere genus. Vis consequentiæ in eo consistit, quòd ea, quæ opponuntur, seinuicem excludunt; hinc quæ realiter relatiuè opponuntur etiam realiter distinguuntur, vt constat in diuinis personis, quæ non alia ratione distinguuntur realiter, nisi quia reali oppositione relatiua opponuntur: vndè quæ relatiuè formaliter opponuntur, distinguentur formaliter, ita vt secūdùm esse formale vnum sit extrà aliud: hoc autem contingit in genere, & differentia, quæ habent rationes formales relatiuè oppositas.

Genus, & differentia relatiuè opponūtur.

Confir. VIII. Et amplius hæc ratio confirmatur. Differentia ex natura sua, cum sit contractiua generis, debet illi aduenire, & adiacere, & ideò prædicatur in quale quid, vt alibi sæpe dictum est; ergo differentia secundùm suum conceptum præscindet à genere; quomodo enim adiacebit, & illud contrahet, si in seipsa genus inuolueret? idem enim esset, ac si diceretur, idem adiacere sibi ipsi, atque seipsum contrahere. Quòd si quis dicat sufficere, si genus sit explicitè extrà differentiam, nec obstare, quòd sit implicitè in ipsa, non ideò soluit rationem factam; nam differentia, & genus se habent, vt adiacens, & subiectum; ita tamen, vt differentia adueniat generi, prout dicit suam rationem formalem, & etiam genus recipiat differentiam, prout pariter dicit propriam rationem formalem; vndè ratio formalis differentiæ est illa, quæ aduenit; ratio formalis generis est illa, cui aduenit; ergo genus, & differentia secundùm proprias rationes formales se inuicem excludunt, quia secundùm rationes formales vna aduenit alteri. Quòd si secundùm rationes formales se inuicem excludunt, perfectè inter se præscindunt, quia præscindere secundùm rationes formales, non est aliud, quàm vnam rationem formalem aliam à se excludere. Confirmatur, dum ex his rationibus formalis vna aduenit alteri, possunt concipi, vt adæquatè contradistinctæ secundùm has rationes formales; sed quæ adæquatè inuicem contradistinguuntur, etiam perfectè præscindunt; ergo genus, & differentia inuicem perfectè præscindunt: Secundò confirmatur. Ex eo, quòd genus, & differentia ita se habent, vt differentia adueniat generi, prout ambo dicunt suas rationes formales, sequitur, vnum debere esse extrà aliud, prout dicit suam rationem formalem, ergo nullo modo potest genus includi in conceptu proprio differentiæ. Prob. consequentia, quia genus, vt genus est, dicit tantùm suum proprium conceptum, & rationem formalem, & nihil aliud, & secundùm hanc est extrà proprium conceptum differentiæ; quod autem semel secundùm proprium esse est extrà aliud, non potest aliquo pacto esse in illo.

Genus secundùm esse formale se habet, vt subiectū, differētia vt adiacens.

5. ratio. IX. Quintò argumentor, & inquiro, quid intelligatur, quando dicitur, genus includi implicitè in differentia, non verò explicitè, & ideò differentiam non perfectè præscindere à genere. Vel enim intelligitur id, quod concipitur, quando concipitur differentia, esse realiter etiā genus, seu esse entitatem illam, quæ etiam genus includit, & hoc impertinens est ad perfectam, vel imperfectam præcisionem: quia in ijs quoque, quæ inuicem perfectè præscindunt, quando vnum concipitur, alterum quoque concipitur materialiter, & secundùm esse reale, quia secundùm esse reale vnum est aliud, & quando intellectus percipit aliquam formalitatem, id, in quod tendit intellectus, est obiectum reale, in quo diuersæ formalitates identificantur, inadæquatè tamen repræsentatum. Si verò intelligitur illud, quod formaliter repræsentatur, quando repræsentatur dif-

In præcisione totum obiectum materialiter cōcipitur.

fe-

ferentia, includere etiam genus in suo esse formali sed implicitè; quæro an includat quatenus repræsentatur, an verò non includat. Si includit quatenus repræsentatur; ergo non includit implicitè, sed explicitè, quia totum id, quod habet, prout repræsentatur, est terminus cognitionis, & ab ipsa attingitur; quod autem attingitur à cognitione, & per ipsam repræsentatur, explicitè est in illa, quia manifestatur intellectui: quod tamen in casu nostro est falsum: nam quando intellectus concipit præcisè differentiam, non illi per talem cognitionem manifestatur genus. Si verò dicatur non includere quatenus repræsentatur: ergo includit tantùm materialiter, & ratione identificationis, non verò secundùm esse præcisum, quia totum esse præcisum cuiuscunque rei, quæ præscinditur, est obiectiuè formaliter in intellectu, & repræsentatur, quia præscindi ab alio, est esse sine alio. Rursus cum differentia sine genere cognoscatur, vt experimur, cur ab illo non perfectè præscindet?

Soluuntur rationes Auersa.

SECTIO V.

Ad primum. I. PRima ratio, quam pro opposita sententia adferebat Auersa, desumebatur ex Arist. 7. Metaph. tex. 43. Et quamuis quomodo hic textus intelligendus sit, suprà explicauerimus, nihilominus hic addimus, Arist. ibi docere, *Arist. illustratus* quòd quando contingit differentiam diuidi, debet diuidi per differentias proportionatas, vt etiam intelligit ipse Auersa. Verùm nomine differentiarum proportionatarum, non debent intelligi differentiæ, quæ non præscindant à genere, *Per quas differentias debeat diui di genus.* sed differentiæ, quæ sint in eodem ordine, & in eadem serie cum ipso genere. Sunt autem eæ, quæ important aliquam rationem determinantem genus intra eumdem ordinem, & dicunt determinatè, quod genus dicit vt quid commune, sic quia genus corporis dicit rationem corporis in communi, differentia proportionata dicet aliquam rationem, qua fiat tale corpus. Et vt simpliciter dicam, semper diuisio generis, seu differentiæ intermediæ debet fieri per alias differentias, quæ sint differentiæ constituentes vnum per se cum genere, quod colligitur ex textu allato, dum Arist. ait, quòd animal habens pedes, non debet diuidi per Plumiferum, sed per habens pedes fissos, & non fissos, quia nimirum ratio plumiferi, & implumiferi comparata cum ratione habendi pedes non facit vnum per se. Cum autem inquit, quòd fissio est aliqua peditas, intelligi debet, vt suprà explicauimus, quòd est aliqua differentia peditatis, quod satis colligitur ex illa particula determinatiua, *Aliqua.* Nec proficit Auersa in sua impugnatione, quia fissio, vt fissio est, nullo modo imbibit peditatem, vt patet ex dictis sect. præcedenti, & optimè possumus concipere fissionem, vt fissio est, absque eo, quòd concipiamus peditatem, nisi fortè concipere volumus fissionem adhærere peditati; cum enim fissio, vt fissio est, sit ratio determinatiua peditatis, & peditas sit quid per ipsam determinabile, cur non poterimus concipere determinatiuum absque determinabili? quòd si possumus concipere, quis dicet, inuoluere rationem diuisam? Quòd si quis contendat fissionem esse modum, & ideò non posse concipi sine subiecto peditatis; tunc dicimus neque importare verum gradum essentiæ, sed tantùm modificationem; nos verò loqui de differentijs, quæ important verum gradum essentiæ. Rursus neque ibidem Arist. dicit, vltimam differentiam esse totam speciem, & totam rei substantiam, sed esse speciem, & rei substantiam: debet autem intelligi, esse speciem, & rei substantiam, tanquam formale cõstitutiuum illius per modum actus, quia genus se habet vt pars materialis, & ideò differentia dicitur rei substantia, quia ab ipsa principaliter dependet, tanquam à proprio constitutiuo, & distinctiuo. Cum autem in 7. Phys. ait, in genere latere multa, intelligit quidem ratione differentiarum, non loquitur tamen de genere formaliter sumpto, sed specificatiuè; hoc est quod continet sub se multa, vt communiter interpretantur.

II. Secunda verò ratio, quæ procedit ab inductione facta per diuersas differentias, posset vnico verbo expediri, *Ad secundum.* negando illas differentias includere rationem communem, quam diuidunt. Nihilominus ad singula capita respondebimus. Et primò cum dicitur, quòd spiritualitas, & corporeitas sunt differentiæ substantiales, & ideò debent in-

cludere rationem substantiæ, quam dividunt, concedendum est, esse differentias substantiales, sed negandum ex hoc capite includere rationem formalem substantiæ vt sic. Et ratio est, quia non dicuntur substantiales, quasi sint formaliter substantia, quia tunc non essent substantiales, sed substantia: sicuti etiam, qui admittunt modos substantiales, licet concedant, esse substantiales, non tamen concedunt, nec possunt concedere, quòd inuoluant rationem formalem substantiæ, quia tunc non essent amplius modi, sed res, & perfectiones substantiales. Sic ergo in differentijs dicendum est, non esse substantiales, quia inuoluant rationem formalem substantiæ, sed quia sunt intrà eumdem ordinem, in quo est substantia, & sunt rationes contrahentes substantiam, & determinantes in genere substantiæ, & simul cum ipsa constituentes vnam essentiam, quibus mediantibus magis accedat ad esse actuale. Vndè substantia potest dupliciter considerari, & prout dicit vnam completam essentiam actuatam, seu habentem vltimum actum, quem potest habere, & hoc pacto est vna quædam natura tota substantialis, quæ dicitur substantialis, quia tota illa perfectio fundatur, tanquam in primo fundamento, in substantia: & hoc pacto quicquid est intrinsecum tali naturæ, est substantiale, vt pote perfectio fundata in substantia: vndè omnes differentiæ, contrahentes substantiam, sunt substantiales, quia in ipsa ratione substantiæ fundantur. Vel potest considerari substantia, prout dicit rationem formalem substantiæ; & sic dicit tantùm fundamentum, neque hoc pacto differentiæ sunt substantiales, quia non sunt ipsa ratio formalis substantiæ, sed ab ipsa contradistinguûtur. Cum verò obijcitur, quòd si præscinderent à substantia, essent magis vniuersales differentiæ, quàm genus; dicimus, duplici modo aliquid ab alio præscindere posse, vel tāquam rationē superiorē, & contrahibilē, & hoc pacto ratio præscindens est magis vniuersalis: vel potest præscindere tanquam ratio contractiua, & inferior, & tunc nedum non est magis vniuersalis, sed etiam minus vniuersalis; & hoc pacto differentiæ præscindunt à genere, quod contrahunt, quod nihil aliud est, nisi genus esse extrà ipsas, & ipsas extrà genus. Hinc differentiæ contrahentes genus sub

Differentiæ substātiales. cur sic dicantur.

Quomodo differētia præscindat à genere.

stantiæ non præscindunt ab esse substantiali, sed à substantia; sed neque ab esse accidentali, cum ab illo contradistinguantur.

III. Similiter cum dicitur, substantiam spiritualem non posse diuidi, nisi in differentias dicentes tantam, & tantam perfectionē; supposito huiusmodi perfectionem esse superadditā generi, vt necessariò dicendum est, si genus per differentias diuiditur, tunc differentiæ importantes tantam, & tantam perfectionem non includent genus, sed solam perfectionem superadditam; neque in oppositum affertur aliqua ratio: imò ex dictis sect. præcedenti constat, non posse includere. Sic etiam quando viuens diuiditur in vegetatiuum, sensitiuum, & Rationale; differentiæ diuidentes nullo modo includunt genus; neque enim dicunt formaliter sumptæ esse viuens vt sic, sed tale viuens, vt constat, si in abstracto considerentur: neque enim rationalitas dicit rationem vitæ vt sic: sed talis vitæ. Quòd si diceret, sequeretur, genus superaddi generi, dum differentia includens genus, adueniret generi.

IV. Circà autem illam inductionem, quā facit Auersa in Prædicamento quantitatis: essent multa dicenda, sed quia dependent à pluribus quæstionibus, quæ de quantitate agitari solent, & præcipuè an illæ diuisiones sint diuisiones in veras species, ideò illa omittimus: & solùm dicimus, quòd si quantitas diuiditur per veras differentias, debent differentiæ præscindere à genere: quòd si non præscindunt, neque diuisio fiet per veras differentias: neque propter aliquem casum particularem negandum est, quod ex natura sua conuenit differentiæ: sed potius negandum, illas esse differentias, cum non participent rationem differentiæ propriè dictæ. Non possumus autem hic non adnotare, quòd quantitas permanens, & successiua non sunt veræ species: nam successiua solùm importat tempus, & motum. sunt autem quanta non ratione sui, sed alterius: nam tempus est quantum ratione motus: motus verò ratione magnitudinis, suprà quam fit; & dubitari solet, an sit aliquid præter magnitudinem, & mobile. Quantitas autem discreta, prout dicit rationem formalem discretionis, seu diuisionis, dicit aliquid negatiuum, nempè ablationem vnitatis, & ratione huius ne-

Omnis verò diuisio si est per differentias præscindētes à genere.

Motus & tēpus nō sunt quāta per se.

ga-

gatiui non dicit veram differentiam, & ideò non facit ad casum nostrum. Continuitas verò in quantitate continua, vel non est aliud, quàm ipsa extésio partium, seu ipsa vnitas quantitatis, quæ est passio talis entis: & ideò non constituit veram differentiam. Linea verò, & superficies sunt potius partes magnitudinis, quàm species. Similiter etiam dicendum de prædicamento qualitatis, quòd quotiescunque contingit in ipso fieri diuisionem per veras differentias, semper differentiæ præscindent à genere, & genus ab ipsis: sic etiam in cæteris prædicamentis. Cum autem vrget. Differentias, quæ diuidunt genus relationis vt sic, esse relatiuas, & ideò includere rationem diuisam: eodem modo dicimus esse relatiuas, quo diximus differentias diuidentes substantiam esse substantiales, nec est necesse eadem repetere, eadem enim est ratio seruata proportione de differentijs diuidentibus substantiam, & diuidentibus relationem, supposito, quòd sint veræ differentiæ: & hoc pacto expedita manet tota illa inductio.

Ad tertiã. V. Ad tertiam rationem respondetur, iam ex dictis constare, quæ necessitas vrget ponendi perfectam præcisionem inter genus, & differentiam. Cum autem addit potius tunc dicendum esse, Genera non dari, quomodo id affirmabitur, si habetur aliqua ratio pluribus communis, quæ specie differunt? Deindè etiam si differentiæ sint propriæ alicuius generis, adhuc genus illud potest reperiri sine hac, vel illa differentia, cur ergo non perfectè præscindet ab ipsa? Rursus differentia est minus cõmunis, quàm genus, & est contractiua illius, cur igitur non perfectè præscindet ab ipso, aut quomodo potius dicendum est illud non esse genus? Atque hæc perfecta præcisio sufficienter saluat discrimen inter non transcendentia, & transcendentia, quia licet transcendentia perfectè præscindent ab inferioribus, vt suprà suo loco diximus, inferiora tamen non præscindunt à transcendentibus, sed illa in suis differentijs essentialiter imbibunt. Ratio autem, cur perfectè præscindant, est, quia habent diuersas formalitates, quia habent oppositionem, & aliæ huiusmodi, vt iam patet ex dictis.

Ad quartam. VI. Ad vltimam rationem pro eadem sententia dicimus. Licet ex eo, quòd vnum prædicatum possit esse sine eo subiecto, de quo dicitur, sit motiuum, & fundamentum, vt vnam rationem ab alia præscindamus, non tamen necesse est, vt id interueniat quotiescunque fit præcisio respectu cuiuscunque rationis præcisæ; sed sufficit, vt vna ratio ab alia cum tali fundamento præscindatur: tunc autem sequitur, quòd si ratio præcisa non sit transcendens, etiam ea, à qua præscindit, ècontra ab ipsa præscindat, vt contingit in genere, & differentia: cum enim genus præscindat à differentia, & non sit transcendens, è contrà differentia quoque præscindet à genere. Ad idò etiam, Posse fieri præcisionem, etiam si nulla ex rationibus præcisis reperiatur sine illa, à qua præscindit, dummodo adsit aliquod aliud fundamentum huius præcisionis, vt contingit, quando præscindimus passionem metaphysicam à proprio subiecto, tunc enim, neque subiectum reperitur sine propria passione, neque propria passio sine subiecto, & tamen inuicem adæquatè præscindunt, cum propria passio non sit de essentia subiecti, sed se habeat veluti accidens metaphysicum.

An differentia sit propria vnius tantùm generis.

Disp. LXVII.

Titulus quaestionis, & Auctorum sententia.

SECTIO I.

I. CVm differentia, vt hucusque visum est, perfectè præscindat à genere, & nihilominus ipsi adueniat, difficultas insurgit, an debeat esse propria illius generis, cui aduenit, & etiam speciei, quam constituit, ita vt vni tantùm generi aduenire possit, & vnam tantùm speciem constituere. Duo autem sunt differentiarum genera, vt suo lo- Punctus difficultatis.

loco ostendimus, nempè Subalternarum, & Infimarum, & de vtrisque potest esse dubitatio. Hæc autem quæstio duo capita difficultatis continet: quorum primum est, an differentia ita adueniat vni generi, vt non possit alteri aduenire: alterum verò, an sit propria vnius tantùm speciei, an verò ad constitutionem alterius concurrat, ita vt vniuersalior sit specie, quam constituit: & species contrahatur, & determinetur ad tale esse non per vnicam differentiam, sed per combinationem plurium. Et quidem quod spectat ad differentias infimas, an sint propriæ tantùm speciei, quam constituunt, difficultas determinata est suprà disp. 61. sect. 1. vbi ostendimus, dari differentias simplices infimas, quæ conuertuntur cum specie, quam constituũt, vndè de his tantùm dubitatur, an sint propriæ generis, cui adueniunt. De differentijs verò subalternis, vtrumque caput difficultatis examinandum est.

Prima opinio. Nullas differentias esse proprias, vnius tãtùm speciei. Alexand. Simpl. Soncin. Burleus Lĩconsẽ.

II. Prima ergo sententia nullas agnoscit differentias proprias vnius tantùm speciei, & vnius tantùm generis, sed vult omnes latius patere, quam species, quæ per ipsas constituuntur, & per consequens posse aduenire diuersis generibus. Ita Alexand. 1. Topicor. cap. 3. propè medium. Simpl. in Prædicam. com. 10. Soncin. 4. Metaph. quæst. 20. ar. 2. conclus. 1. ratione 1. Burleus. Cap. de different. Linconcens. 2. Poster. tom. 30. & alij, quos loco modo citato retulimus. Pro hac autem sententia præter fundamenta desumpta ex auctoritate Porphyr. & Arist. quæ ibidem attulimus, nullum aliud affertur, & ideò cum ibi explicata sint, non sunt amplius repetenda.

Secunda opinio. Differentias esse proprias vnius tãtùm generis. Auer. D. Th. D. Bonauent. Scot. Albertus Magn. Philop. Zabarel. Soto. Tolet. Fonseca. Suarez.

III. Altera verò sententia est opposita, & putat, differentias debere esse proprias vnius tantùm generis; cui adueniant, & vnicam tantùm speciem posse constituere, Ita vt species constituantur per differentias simplices, non autem per combinationem plurium. Ita Auer. 7. Metaph. com. 42. & Cap. vltimo prædicab. initio. D. Th. 2. Poster. lect. 13. & 7. Metaph. lect. 12. D. Bonauent. in 2. dist. 1. ar. 6. quæst. 2. Scot. quæst. 27. Vniuer. Albert. Magn. tract. 5. Prædicab. cap. 6. Philop. 1. Prior. cap. 1. Zabarel. 2. Poster. tex. 70. Soto Cap. de Different. quæst. vnica. 2. part. quæst. Tolet. item Cap. de Different. Fonseca 5. Metaph. cap. 28. quæst. 17. sect. 2. Suarez in Metaph. disp. 15. sect. 11. num. 23. & alij citato Cap. de Differ. Verùm complures ex his, præsertim Suarez, Soto, & Fonseca loquuntur tantùm de differentijs vltimis: quid verò sentiant de subalternis, non explicant: Puto autem, vt colligi potest ex eorundem doctrina, idem quoque de subalternis sentire. Afferunt auctoritatem Porphyr. & Arist. quam nos quoque cum ageremus de differentijs vltimis citato loco attulimus, quam hic non est necesse repetere, cum ibi videri possit; præsertim quia auctoritates illæ non procedunt de qualibet differentia, neque quòd debeat esse propria vnius tantùm generis, sed solùm quòd dentur aliquæ differentiæ, quæ adæquentur cum speciebus, quas constituunt, & has indicant esse vltimas.

Tertia sententia. Aliquas differentias esse proprias vnius speciei, aliquas non.

IV. Tertia sententia est veluti media, & docet, dari differentias, quæ sint propriæ vnius tantùm speciei, & vni tantùm generi conueniant, & etiam dari differentias, quæ pluribus generibus conueniant, & pluribus speciebus. Si autem quæras, quænam sint istæ differentiæ; respondet, non esse subalternas, aut infimas determinatè, sed illas, quæ non præscindunt à genere, esse proprias illius tantùm generis, & illius tantùm speciei, quam constituunt, siue subalternæ sint, siue infimæ. Si verò perfectè præscindant, non esse proprias illius generis, & speciei, sed cum alijs quoque generibus constituere alias species. Quòd si rursus quæras, quænam sint illæ differentiæ, quæ præscindant à genere, & quæ non præscindant; ait quæ non sunt propriæ vnius generis, præscindere; quæ verò sunt propriæ vnius generis, non præscindere; & sic committit circulum. Hanc sententiam tradit Auersa in Logica quæst. 13. sect. 3.

Auersa.

V. Vtramque autem partem probar, videlicet aliquas differentias non esse vnius generis, & speciei, & aliquas esse proprias. Quod spectat ad primam, vtitur primò inductione, nam quando corpus substantiale diuiditur in viuens, & non viuens, differentia viuentis est magis ampla, quàm sit corpus substantiale, & reperitur in alio genere nempè in substantia spirituali: sic etiam quantitas continua, quando diuiditur in permanentem, & successiuam, hæ dif-

ferentiæ non sunt propriæ ipsius, sed reperiuntur etiam in discreta, & constituunt duas species, numerum, & orationem. Differentia quoque intellectualitatis conuenit, & actibus intellectus, & habitibus eiusdem intellectus. Secundò argumentatur, quia nulla apparet implicantis, cur non possint in aliqua specie esse plura prædicata, quorum vnumquodque seorsim plus pateat, quàm species, coniunctim verò cum ipsa adæquentur. Rursus neque implicat, quòd aliquod prædicatum adiacens distinguat speciem ab alijs speciebus, quę sunt in eodem genere, & faciat conuenire cum alijs, quæ sunt alterius generis. Quòd si dicas, quando differentia magis patet, quàm species, non debere sumi in tota sua latitudine, sed sub ratione magis propria, & determinata, vt successionem, quæ est differentia constitutiua temporis, debere sumi pro tali successione, instat inquirendo, vndè differentia habeat illam determinationem. Si dicatur, habere à genere, cui adiungitur, ergo præcisa à genere non erit propria talis generis. Vel determinatur per aliquam aliam rationem inclusam in conceptu talis differentiæ; & hoc dici non potest, quia præcisa ab illo genere, est prorsus indifferens ad ipsum, vel ad aliud, nec aliquid peculiare includit, quo determinetur ad tale genus. Alteram verò partem probat, quia sensitiuum est differentia adæquata animalis, & vni tantùm generi conuenit; & quia non implicat, quòd formetur talis conceptus, qui ita sit proprius, & adæquatus talis speciei, vt nulli alteri conueniat, & qui sit differentia vni tantùm generi conueniens.

Propria sententia.

SECTIO II.

I. Quoniam distinctio generum, & differentiarum, & quarumcunque aliarum formalitatum, quæ non distinguuntur physicè, sed tantùm metaphysicè, accedente operatione intellectus, pendet ab ipsomet intellectu concipiente huiusmodi formalitates, & ponente distinctionem, cum fundamento tamen in re, quatenus vnam aliquam entitatem concipit: hinc fit, vt valdè difficilis reddatur perfecta assignatio generum, & differentiarum. Cum enim intellectus non perfectè attingat essentias rerum, ita vt adæquatè illas cognoscat, sed multoties, & fortasse semper contingat partem tantùm cognoscere, & partem ignorare, sequitur, vt neque perfectè possit attingere omnes conuenientias, & dissimilitudines, quas habet cum alijs rebus, & neque plenè cognoscere, an vna ratio formalis immediatè afficiat alteram, an verò mediatè: an sit propria vnius generis, an verò nō: & omninò redditur difficilis assignatio generum, & differentiarum qualiter se habeant in hac, & in illa essentia, quia propter ignorationem alicuius formalitatis, aliquæ differentiæ videri poterunt propriæ, aliquæ verò non propriæ. Nihilominus tamen considerando naturam generis, & differentiæ possumus, quantum fieri potest in præsenti materia, certam doctrinam tradere.

Vndè difficultas assignandis generibus, & differentijs.

II. Itaque Dico primò. Non solùm certum esse, vt diximus suprà citato loco sect. præcedenti, dari differentias infimas, quæ simplices sint, & adæquentur cum speciebus; sed etiam necessarium esse, omnes differentias constitutiuas specierum infimarum esse huiusmodi. Hæc conclusio est contrà primam, & tertiam sententiam, nihilominus est cum auctoribus secundæ sententiæ, præcipuè Suarez. Atque si diligenter perpendatur doctrina, quam tradit Arist. 7. Metaph. tex. 43. reperiemus, hanc fuisse ipsius mentem, docet enim, quòd quando subdiuiduntur differentiæ intermediæ subdiuidendæ sunt quousque ad differentias non amplius diuisibiles deueniatur, ait enim, *Et sic semper procedi vult, donec ad indifferentia* (hoc est indiuisibilia) *deueniatur.* Cum autem in diuisione differentiarum non possumus vlteriùs procedere, certum est, nos deuenisse ad vltimas; quia illa est vltima differentia, in qua vltimò sistitur, nec potest vlteriùs superaddi alia differentia. Cum igitur hæc differentia sit per Arist. indiuisibilis, erit etiam simplex, nec poterit pluribus speciebus conuenire, quia diuideretur, dum in pluribus speciebus poneretur. Præterea ibid. docet, quòd vltima differentia, quæ est indiuisibilis, est rei substantia, & definitio; ergo vltima differentia, quæ simplex est, propria est vnius tantùm speciei: quomodo enim esset definitio, & substantia talis speciei, nisi es-

Prima conclusio. Omnes species infimæ constituuntur per proprias differentias.

Arist.

eſſet propria illius? definitio enim debet conuerti cum definito.

1. ratio.

III. Atque poſſumus pro hac concluſione Primò argumentari proſequendo rationem, quæ colligitur ex textu allato. Si differentiæ vltimæ non eſſent propriæ ſpeciei, quam conſtituunt, ſed reperirentur in pluribus, non eſſent vltimæ, & indiuiſibiles; ergo non poſſent conſtituere ſpecies vltimas. Sequel. anteced. probatur, quia niſi eſſent propriæ vnius tantùm ſpeciei, dum ponerentur in pluribus, diuiderentur, ſicuti diuiditur genus, quando ponitur in pluribus ſpeciebus: diuidi enim in his rationibus formalibus nihil aliud eſt, niſi quòd vna cum pluribus diuerſis coniungatur; ſic genus diuiditur, quia vnitur cum pluribus differentijs; ſic autem quælibet differentia eſſet diuiſibilis, & nulla daretur indiuiſibilis, quia nunquam ad illam deueniretur, quod implicat, quia in diuiſione differentiarum, deueniendum eſt ad aliquam vltimam, & quæ vlteriùs non poſſit diuidi, ne concedamus proceſſum in infinitum. Conſeq. etiam prob. quia ad conſtituendas ſpecies vltimas requiritur aliquod vltimum, & indiuiſibile, cum conſtitutiuum debeat eſſe proportionatum conſtituto; vt igitur conſtituatur ſpecies vltima requiritur aliquod conſtitutiuum, quod in ſuo genere ſit vltimum, atque adeò aliqua differentia vltima. Quòd ſi differentia non eſſet propria ſpeciei, ſed indiuiſibilis, & poſſet poni in pluribus per diuiſionem, iam illa differentia non eſſet vltima, nec poſſet ſpeciem vltimam conſtituere.

Species vltimæ nõ niſi per differentias vltimas.

Occurritur reſpõſioni.

IV. Quòd ſi dicas, illam combinationem differentiarum eſſe vltimum conſtitutiuum ſpeciei, non rectè hoc dicitur, nam illa complexio differentiarum nullum aliud eſſe dicit, niſi illud, quod dicunt differentiæ ſeorſim ſumptæ; vndè cum ipſæ non dicant aliquid vltimum, & indiuiſibile, nec etiam illud dicet talis complexio. Secundò, quia neceſſariò in ſubdiuiſione differẽtiarum deueniendum eſt ad aliquid indiuiſibile, & quod ſit vltima differentia; ergo per hanc conſtituetur ſpecies infima, nec vnquam deueniemus ad aliquam vltimam ſpeciem, niſi etiam deueniamus ad aliam vltimam differentiam. Tertiò quandocunque plures rationes ſunt indeterminatæ, & diuiſibiles, etiam ſi coniungantur, non poteſt conſurgere aliquid determinatum, & indiuiſibile, quia ad aliquid tale conſtituendum requiritur aliqua ratio formalis, quæ, vt quo, ſit determinata, & indiuiſibilis; hinc differentia determinat genus, quia vt quò eſt determinata; ſi verò coniungerentur duo genera æqualia, non fieret aliquid magis determinatum, ſed illud complexum haberet indeterminationem vtriuſque; ergo neque poteſt conſtitui aliqua ſpecies infima, & indiuiſibilis, niſi per aliquam differentiam vltimam indiuiſibilem, & conſequenter propriam talis ſpeciei. Cõfir. quando differentia ſubalterna vnitur cum ſuo genere, illud coniunctum retinet indifferentiam, & diuiſibilitatem differentiæ ſubalternæ, & in tantum genus per ipſam determinatur, in quantum illa differentia ſubalterna ſe habet vt determinatiuum; ergo etiam quando vniuntur duæ rationes diuiſibiles, quæ ſint magis communes, quàm ſpecies, quam conſtituunt, illud complexum retinebit diuiſibilitatem, & indeterminationem illarum differentiarum, & conſequenter non poterit conſtituere aliquam ſpeciem vltimam indiuiſibilem, & non vlteriùs eſſentialiter determinabilem.

2. ratio.

V. Secundò prob. eadem concluſio. Species infima debet habere ſuum formale conſtitutiuum talis conditionis, vt ratione ipſius poſſit immediatè vniri cũ indiuiduatione. Hoc autem fieri non poteſt, niſi differentia, per quam conſtituitur, ſit indiuiſibilis, & propria talis ſpeciei. Maior huius argumenti nota erit, niſi ignoratur natura ſpeciei infimæ; hæc enim eſt talis conditionis, vt non poſſit vlteriùs diuidi per differentias eſſentiales, ad differentiam ſpeciei ſubalternæ, quæ eſt diuiſibilis per alias differentias eſſentiales, vndè formale conſtitutiuum talis ſpeciei debet eamdem conditionem participare. Quòd verò differentia conſtitutiua ſpeciei non poſſit hanc conditionem participare, niſi ſit indiuiſibilis, & propria talis ſpeciei, declaratur: quoniam ſi conueniret pluribus ſpeciebus, reſpectu illarum ſe haberet vt genus, quia de ipſis prædicaretur, & ijs inexiſteret, tanquam eſſentiale commune conſtitutiuum, in quo conſiſtit eſſentia generis: genus autem eſt diuiſibile per plures differentias eſſentiales, nec eſt immediatè vnibile cum indiuiduatione. Solùm ergo, quod eſt proprium vnius ſpeciei tantùm, poteſt

Quale ſit conſtitutiuum ſpeciei infimæ.

immediatè vniri cum induiduatione.

3. ratio.

VI. Tertiò. Si posset dari species aliqua infima, quæ non constitueretur per differentiam sibi propriam, sed per combinationem plurium; quæro, an illa combinatio plurium differentiarum constituat vnum per se, an non constituat? Hoc secundùm dici non potest, quia illa essentia non esset vnum per se, quod est contrà rationem cuiuscunque essentiæ, quæ magis, quàm quoduis aliud compositum requirit vnitatem per se. Non potest autem esse vnum per se, nisi vna sit actus, altera verò potentia; seu vna contrahibilis, altera contractiua. Quo stante sequitur, vt non possit constitui vltima species ex combinatione differentiarum. Quod sic ostenditur; Ex combinatione harum differentiarum, illa, quæ se habebit vt contrahibilis, & vt potentia respectu alterius, se habebit etiam vt genus: illud enim est genus, quod contrahitur, & determinatur per aliquam aliam differentiam essentialem superadditam, seu quod tanquam potentia vnitur cum aliqua alia ratione essentiali, quæ se habeat, vt actus, & vt contractiuum: quod autem se habet vt genus in aliqua compositione metaphysica, non potest constituere speciem vltimam. Rursus altera differentia, quæ cum hac combinatur, neque poterit constituere speciem vltimam, quod pariter ostenditur. Nam hæc differentia non est propria talis speciei, sed conuenit etiam alteri, & est quædam ratio communior, quàm sit species infima; ergo non potest esse formale constitutiuum speciei infimæ. Neque potest recurri ad coniunctum, quia coniunctum ex genere, & differentia est quædam species sequens naturam differentiæ: species autem integra, cum inuoluat genus, non potest esse formale constitutiuum speciei infimæ. Deindè hoc coniunctum sequitur naturam suæ differentiæ, quæ cum sit quid commune pluribus speciebus, non potest esse formale constitutiuum speciei infimæ.

Ratio, quæ se habet per modum potentiæ, nõ potest exercere rationẽ differentiæ infimæ.

4. ratio.

VII. Quartò possumus argumentari ex proportione ad compositum physicum. Intelligimus enim essentias metaphysicas cum proportione ad physicas. Quodlibet ergo compositum physicum, quod essentialiter differat à cæteris, habet aliquam formam physicam sibi propriam, ita vt sit actus substantialis physicus essentialiter differens ab omni alia forma, qua constituitur diuersum compositum physicum; ergo in compositis quoque metaphysicis quælibet species infima, quæ est essentialiter diuersa ab alia debet habere suam propriam differentiam, quæ se habeat per modum actus metaphysici constituentis talem essentiam. Consequentia tenet à proportione seruata, quia enim compositum physicum est essentialiter diuersum non communicans in tali essentia cum alio, exigit suum proprium constitutiuum formale, quod est actus substantialis nulli alteri conueniens, ergo etiam compositum metaphysicum, seu essentia metaphysica debet habere suum proprium constitutiuum, quod nulli alteri conueniat: hoc autem constitutiuum erit differentia, quia hæc, seruata proportione, in composito metaphysico correspondet formæ substantiali in composito physico: atque hæc ratio habet etiam efficaciam pro speciebus subalternis, de quibus mox agemus. Et potest in hunc modum præcedens ratio confirmari. Species infima importat vnam aliquam integram essentiam, qua complete constituitur aliqua natura physica, ergo species infima debet habere aliquam differentiam sibi propriam. Hæc consequentia declaratur, quia natura physica, ratione formæ, qua constat, habet aliquid in illa entitate imbibitum, ita sibi proprium, vt nulli alteri conueniat: hinc secundùm illam formam distinguitur ab omnibus alijs naturis, quod fieri non posset, nisi in ipsa includeretur aliquid proprium talis naturæ. Modò cum natura physica, præsertim forma, importet vnam simplicem essentiam physicam, in qua non est distinctio aliqua, nisi ponatur ab intellectu; potest intellectus in tali essentia ponere huiusmodi distinctionem, qua mediante concipiat tantùm, quod est proprium talis naturæ: vndè cum differentia sumatur ab esse physico, quod erit proprium talis naturæ physicæ, erit differentia propria talis speciei. Atque vt tali pacto formetur distinctio, adest sufficiens fundamentum, quia dum intellectus cognoscit aliquid competere vni tantùm naturæ, & non alteri, potest illud præcisè concipere, nam cognoscit non esse illud formaliter, in quo conuenit cum alia natura.

Proportio compositi metaphysici ad physicum.

In vnaquaq. essentia aliquid proprium illius.

VIII. At-

Proprietates in quarto modo radicantur in aliquo gradu essẽtiæ proprio speciei.

VIII. Atque hæc confirmatio rem satis declarat à priori, & possumus adhuc addere, quòd quælibet natura physica, quæ est ab alia essentialiter distincta, habet etiam suas proprietates, quæ sibi in quarto modo conueniunt, per quas etiam à posteriori colligimus, talem essentiam esse ab omni alia distinctam, seu diuersam. Harum autem proprietatum principium, seu radix est essetnia: quare necessariò concedendum est; quòd in tali essentia sit aliquis gradus, seu aliqua ratio formalis, à qua proueniant huiusmodi proprietates; atque hic gradus, seu formalis ratio debet esse propria talis naturæ, alioquin si alteri conueniret, in illo quoque causaret easdem proprietates, quod implicat, alioquin illæ proprietates non essent in quarto modo. Poterit igitur intellectus præcisè concipere hunc gradum essentiæ, qui est principium talis proprietatis, & se habebit per modum vltimæ differentiæ, quæ adæquetur cum tali specie, dum illam facit differre ab omni alia. Nec dici potest, illam combinationem differentiarum esse principium huiusmodi proprietatis, quia illa combinatio non dicit alium gradum essentiæ præter illos, quos important tales differentiæ, qui non sunt vnus gradus, sed multiplex, & ideò non dicunt gradum essentiæ, qui propriè correspondeat, tanquam radix, huic proprietati.

Secunda conclusio. Species subalternæ habẽt proprias differentias.

IX. Secunda conclusio. Etiam in speciebus subalternis concedendæ sunt differentiæ, quæ sint propriæ talium specierum, & cum ipsis adæquentur; atque omnes species subalternæ per tales differentias constitui debẽt. Hæc conclusio sequitur ex præcedenti, si rectè perpendatur, cum eadem sit ratio, proportione seruata. Et desumitur etiam ex Arist. 6. Topicor. cap. 2. loco 41. vbi ait. *Nam non videtur eadem differentia duorum generum esse non continentium seinuicem: si autem non accidet, & speciem in duobus generibus esse non continentibus seinuicem. Infert enim vnaquaque differentia proprium genus*. Et possunt rationes adductę pro præcedenti conclusione proportionaliter pręsenti applicari. Deindè etiam specialiter probatur. Species subalternæ, vt tales sunt, habent aliquam essentiam sibi propriam, per quam contradistinguuntur ab omni alia specie, quę non est eiusdem essentię, ergo habent etiam aliquam differentiam

Species subalternæ habẽt propriã essẽtiã, atque adeo cõstitutiuum.

sibi propriam, per quam contradistinguantur. De antecedenti nulla est difficultas, quia si vna species distinguitur ab alia, debet etiam habere propriam essentiam, per quam distinguatur, cum idem sit constitutiuum, & distinctiuum; alioquin per quid quæso distinguetur essentialiter, si non distinguitur per suam essentiam? Consequentia igitur probatur, quia dum hę species habent propriam essentiam, habent etiam proprium gradum essentię, quo constituantur. Neque enim dici potest esse combinationem plurium differentiarum, quia si nulla ex ijs diceret aliquem gradum proprium talis speciei, neque etiam diceret illa combinatio, cum nullam aliam essentiam importet pręter illam, quem dicunt differentię: combinatio verò, vt combinatio est, dicit tantùm coniunctionem talium differentiarum: non autem aliquem gradum essentiæ; at species in ratione speciei dicit aliquam rationem formalem essentiæ.

Confir.

Differentiæ, & genera ex diuersis gradibus essentiæ.

X. Confir. hæc ratio. Differentiæ, & genera desumuntur iuxtà diuersos gradus essentiæ importantes aliquam rationem formalem constitutiuam essentiæ, ita vt secundùm diuersos gradus multiplicentur genera, & differentiæ: atque si hi gradus simul vniantur, non per hoc amittunt suam multiplicationem, sicuti neque amittunt propriam rationem formalem, vt patet, quando vniuntur genus, & differentia: vndè quando combinantur plures differentiæ, quæ alioquin essent inter se diuersæ, non per hoc tollitur multiplicitas graduum; ergo per hanc combinationem non constituitur, tanquam per constitutiuum vt quo, siquidem ex hac conbinatione habetur multiplicitas graduum, & non aliquis gradus, qui constituat talem speciem. Quod ex eo quoque vrgeri potest, quia hi gradus per quamcunque combinationem, sicuti retinent suam rationem formalem, ita etiam retinet suam communitatem; sic dum genus vnitur cum differentia, intrinsecè habet propriam communitatem. Per hanc igitur combinationem in gradibus intrinsecè consideratis, quos important tales differentiæ, non habetur aliquid proprium, quod talem speciem constituere possit: combinatio verò cum formaliter dicat solam vnionem horum graduũ, non dicit aliquẽ gradum essentiæ, qui constituat speciem.

XI. Se-

Confir. ſecundo.

XI. Secundò confirmatur eadem ratio. Species infima debet conſtitui per differentiam ſibi propriam, quæ importet aliquem gradum eſſentiæ; ergo etiam ſubalterna. Conſequentia nedum tenet ex paritate, & proportione, ſed etiam quia eſt eadem radix huius neceſſitatis in vtraquè. Ideò enim ſpecies infima debet conſtitui per differentiam propriam, quia, vt talis ſpecies eſt, dicit aliquam peculiarem eſſentiam, quæ ſit vltimum complementum alicuius naturæ; atque hæc peculiaris ratio eſſentiæ non poteſt ſaluari in aliqua combinatione formaliter ſumpta, vt combinatio eſt, ſed debet eſſe aliqua ratio formalis eſſentiæ, & ideò requirit differentiam, quæ dicat talem gradum eſſentiæ. At ſpecies quoque ſubalterna dicit propriam rationem formalem eſſentiæ, quia in ratione eſſentiæ ab omni alia diſtinguitur, & dicit rationem quamdam, qua ſuperiùs genus accedit magis ad vltimum complementum naturæ perfectæ: non poteſt autem magis accedere, niſi per aliquam rationem formalem eſſentiæ: & vt ſpecies ſubalterna eſt, dicit aliquod completum metaphyſicè in ratione eſſentiæ, conſtans ex ſuis partibus metaphyſicis; ergo cum ſpecies, vt ſubalterna eſt, habeat conſtitutiuum ſibi proprium, quod ſit ratio formalis eſſentiæ, & pars quædam metaphyſica propria illius ſpeciei, neceſſariò conſtitui debet per differentiam ſimplicem ſibi propriã, quia ſi conſtitueretur per combinationem plurium, non haberetur aliqua ratio formalis eſſentiæ, & aliqua pars metaphyſica, quæ eſſet propria talis ſpeciei.

Eadẽ neceſſitas eſt in ſpecie infima, quæ in ſubalterna ponẽd propriã differentiam.

2. ratio.

XII. Secundò principaliter probatur concluſio. Inter gradus eſſentiæ datur ordo, ita vt vnus fundetur in alio, alioquin conſtituerent vnum aggregatum, non verò vnirentur, vt actus, & potentia, neque conſtituerent vnum per ſe, quod eſſet magnum abſurdum. Hic ordo autem in eo conſiſtit, quòd in conſtitutione eſſentiæ vnus adueniat alteri, tanquam fundamento, in quo fundetur. Atque in hoc ordine hoc quoque eſſentialiter requiritur, vt vnus gradus ſit contractiuus, & determinatiuus alterius, atque hæc neceſſitas indè prouenit, quia rerum eſſentiæ incipiunt ab ente, & tendunt ad vltimum complementum, quod eſt ratio aliqua conſtitutiua infimæ ſpeciei; vnde per gradus intermedios eſſentia accedit magis, & magis ad ſuum complementum, & eſſe determinatum: hoc autem fieri non poſſet, niſi dum vnus gradus adueniet alteri, ipſum contraheret, & determinaret. Modò ſi ſpecies ſubalterna conſtituitur per combinationem plurium differentiarum, hæ differentiæ importabunt diuerſos gradus, & propter rationem allatam vnus alteri adueniet, tanquam actus potentiæ: & illum contrahet. Inquiro ergo; an poſita illa differentia, quæ ſe habet, vt quid potentiale, ſit conſtituta ſpecies ſubalterna: certè non eſt conſtituta, quia hæc differentia cum ipſa non adæquatur; & ſi eſſet conſtituta, non eſſet neceſſe, vt ſuperueniret alia. Manet igitur adhuc genus in ſua potentialitate, nec adhuc conſtituitur hæc ſpecies, quæ dicitur conſtitui per combinationem. Sed nec per ſuperuenientem poteſt conſtitui, quia, vt ſupponimus, neque illa differentia eſt propria talis ſpeciei.

Ordo neceſſarius inter gradus eiuſdem eſſentiæ.

XIII. Confirmatur ratio facta. Conſtitutiuum alicuius ſpeciei, cum ſit etiam diſtinctiuum ipſius, ſe debet habere totum vt actus, nec potentiale, quà tale eſt, poteſt ſpeciem conſtituere; ergo non poteſt prima differentia, quæ in tali combinatione ſe habet, vt quid potentiale conſtituere aliquam ſpeciem, & conſequenter nec illa combinatio, cum non ſit actus ſecundùm ſe totam. Præterea ſi hæc combinatio ita ſe habet, vt includat differentiam, quæ adueniat alteri, tanquam contractiuum, iam hæc combinatio erit aliquod compoſitum metaphyſicum ex genere, & differentia, quia coaleſcit ex gradu potentiali, & actuali. Hoc autem omninò tollit, vt non poſſit concurrere vt differentia ad conſtituendam ſpeciem ſubalternam, tum quia hæc combinatio inuoluit vnam differentiam, quæ ſe habet vt genus, vndè aliquid ſe habens vt genus, exerceret rationem differentiæ: tum quia ſpecies integra conſtans ex genere, & differentia non poteſt conſtituere tanquam formale conſtitutiuum ſpeciem, neque enim poteſt formale conſtitutiuum ſpeciei eſſe ſpecies ſub ratione ſpeciei, quia tunc eſt quoddam totum, ſed debet eſſe differentia, quæ ſit pars ſpeciei. Rurſus adhuc in confirmationem einſdem rationis inſto. Vel iſtæ differentiæ, quæ inuicem combina-

Confir.

Formale conſtitutiuũ ſpeciei totũ vt actus.

tæ

tæ constituunt speciem subalternam, se habeant vt gradus subordinati in eadem essentia, vel non. Si se habent vt gradus subordinati, ergo vltimus tantùm, qui aduenit, constituit differentiam, quia alij respectu huius se habebunt vt potentiales, & erunt rationes conuenientiæ cum aliqua alia specie; atque adeò per simplicem differentiam constituetur species subalterna. Quòd si non erit differentia adæquata, & conuertibilis cum tali specie, neque poterit illam constituere, vndè nullum aderit constitutiuum formale talis speciei, quod implicat. Quòd si non se habent, vt gradus subordinati, ergo quando adueniunt generi, cum sint differentiæ diuersæ, & non subordinatæ, diuident genus, & non constituent vnicam speciem, sed multiplicem: tunc enim genus diuiditur, quando ipsi adueniunt plures differentiæ inter se non subordinatæ: & ratio est, quia cum non sint subordinatæ, non possunt vniri inter se, & consequenter diuidunt genus, cui adueniunt.

Differentiæ subordinatæ nō omnes cō stituunt speciem, sed vltima.

Non subordinatæ diuidunt genus.

3. ratio. XIV. Tertia ratio principalis desumitur ex natura speciei subalternæ. Formale constitutiuum talis speciei debet habere talem conditionem, vt reddat illam immediatè vnibilem cum differentia inferiori, per quam potest contrahi species subalterna, quia sicuti constitutiuum formale speciei infimæ debet illam reddere vnibilem immediatè cum indiuiduatione; ita constitutiuum subalternæ debet reddere suam speciem aptam, vt vniatur cum differentijs inferioribus; atque tale debet esse constitutiuum, vt sicuti secundùm se totum constituit speciem, ita etiam secundùm se totum sit ratio illam vniendi cum differentia inferiori. Hoc autem non potest conuenire constitutiuo speciei subalternæ, nisi sit vna simplex differentia, quæ cum ipsa adæquetur; nam si esset combinatio multarum, non possent hæ plures differentiæ simul vniri cum vna alia differentia; nam dicerent, si essent vnibiles, multiplicem rationem potentiæ, quarum vnaquæque adæquaretur cum differentia inferiori, vna autem differentia potest tantùm vniri cum vna potentia sibi adæquata. Quòd si non sunt vnibiles, neque possunt esse formale constitutiuum differentiæ subalternæ.

Quale sit constitutiuū formale speciei subalternæ.

4. ratio. XV. Quartò rursus argumentor. Constitutiuum formale speciei subalternæ debet esse talis conditionis, vt faciat illam differre ab omni eo, quod non participat talem differentiam, & tribuat illi aliquod esse commune pluribus speciebus inferioribus, quæ constituuntur per illam speciem subalternam, tanquam per genus; atque hoc constitutiuum debet adæquari, & conuerti cum specie, quam constituit: hoc autem non potest conuenire combinationi plurium differentiarum, sed requirit vnam differentiam simplicem; quod sic declaratur. Si ponatur hæc combinatio plurium differentiarum, quælibet illarum est ratio conuenientiæ cum aliqua alia specie, quæ specificè sit diuersa, ergo nulla ex his differentijs potest esse ratio, cur distinguatur ab omni alia specie, & consequenter nec esse formale constitutiuum speciei subalternæ. Confirmatur. Quod est ratio vni speciei conueniendi cum cæteris, se habet in illa vt ratio generica: sed posita hac combinatione, quælibet ex his differentijs est ratio, cur species conueniat cum alia; ergo quælibet differentia ex illis se habet, vt ratio generica, non verò vt ratio differentialis: & quod se habet, vt ratio generica, in aliqua specie non potest esse formale constitutiuum talis speciei.

Combinatio differētiarum non facit speciē ab omni alia differre.

XVI. Nec prodest, si recurratur ad combinationem, quia combinatio non tollit, quin per vnamquamque differentiam conueniat cum alijs speciebus, & consequenter quin vnaquæque se habeat vt genus: ex combinatione autem plurium generum, quæ se habeant vt genera in eadem specie, non potest consurgere ratio differentialis: sic licet genus in constitutione speciei combinetur cum differentia, non hinc fit, vt non se habeat vt genus, & vt ratio conuenientiæ, nec potest huiusmodi combinatio induere rationem differentiæ, sed solùm ratio differentiæ est in re combinata. Rursus constitutiuum speciei subalternæ debet esse aliqua ratio essentiæ, quæ reddat vnibilem talem speciem cum differentia inferiori, vt modò dicebamus, & prout reddit vnibilem sit propria talis speciei; ideò cum species subalterna non sit vnibilis cum differentijs inferioribus ratione alicuius combinationis formaliter sumptæ, sed tantùm ratione alicuius gradus essentiæ, non potest illa combinatio habere rationem formalem constitutiuam speciei subalternæ: non enim ratione

Excluditur effugium.

com-

combinationis formaliter sumptę potest illam habere, cum combinatio non sit gradus essentiæ: sed nec ratione rei combinatæ, cum nulla differentia combinata sit propria talis speciei. Quòd si dicatur resultare quid tertium, quod sit proprium talis speciei: quęro de hoc tertio, an sit diuersa formalitas ab vnaquaque differentia combinata, an non. Si ponitur distincta formalitas: ergo iam species constituitur per vnam formalitatē differentialem sibi propriam quod nos intendimus. Si verò non ponitur distincta formalitas; ergo non habetur aliquis gradus essentiæ proprius talis speciei, ratione cuius sit vnibilis cum differentijs inferioribus. Accedit etiam, quòd vnaquęque species debet distingui à quacunque alia formaliter, vndè habere debet proprium formale constitutiuum: atque cum hęc distinctio sit secundùm essentiam, non potest hoc formale constitutiuum esse aliud, quàm aliqua formalitas, & aliquis gradus essentię. Rursus formale, & proprium constitutiuum alicuius speciei secundùm se totum est proprium illius, ita vt sit distinctiuum speciei secundùm totum, quod in se dicit: at illa combinatio differentiarum secundùm se totam non distinguit talem speciem; imò secundùm nihil, quia secundùm vnamquamque formalitatē, importatam per differentias, est ratio conuenientię cum alijs speciebus: secundùm verò combinationem formaliter sumptam est etiam ratio conuenientię, quia in alijs quoque speciebus hęc combinatio reperitur. Denique ad multiplicationem graduum essentialium, & formalitatum, multiplicantur etiam essentię: nam sunt sicuti numeri, vt quęlibet additio, & imminutio illas variet: ergo cum in hac combinatione differentiarum includantur plures gradus essentiales, vnusquisque illorum multiplicabit species, seu, si sunt subordinati, constituent plures species subalternas, quarum vna sit genus respectu alterius, & sic vna ex illis differentijs constituet vnā speciem, sub qua continebuntur omnia, quę participant talem differentiam, & alia differentia constituet aliam speciem, sub qua continebuntur omnia, quę talem differentiam participant.

Aliud effugium.

Qualibet formalitas multiplicat species.

XVII. Tertia conclusio. Differentię possunt esse proprię vnius tantùm generis, siue subalternę sint, siue infimę, ita vt vnico tantùm generi possint aduenire. Sequitur hęc conclusio ex duabus precedentibus, quia si differentia tam infima, quàm subalterna, est propria vnius tantùm speciei, nempè illius, quam constituit, sequitur etiam, vt sit propria vnius tantùm generis, quia si adueniret pluribus generibus, conueniret etiam pluribus speciebus. Et hoc quidem sufficeret pro probatione huius conclusionis, cum tanquam aliquid consequens ex præcedentibus deducatur: sed nihilominus ipsa quoque habet suas peculiares rationes, quibus potest confirmari. Vndè primò arguitur ex absurdo, quod sequeretur. Si aliqua differentia nō esset propria vnius generis, sed pluribus conueniret, sequeretur, ea, quę sunt eiusdem speciei, differre genere; hoc autem prorsus implicat stante regula identitatum, & distinctionum, quę vera est, vt videlicet maior identitas inferat etiam minorem, sic quę sunt eadem numero sunt etiam eadem essentia, specie, & genere, & consequenter etiam identitas specifica infert genericam, quia hęc minor est specifica. Et Ratio à priori est, quia identitas specifica dicit simpliciter vnitatem essentię; hęc autem vnitas essentiæ non potest haberi sine vnitate generis: si enim essent diuersa genera, vel essent primò diuersa, & sic essent genera summa, quę non possunt coire in eamdem essentiam: vel non essent primò diuersa, & sic essent subalterna constituta per differentias diuisiuas superioris generis, quæ debent esse simul incompossibiles, vt diuidant genus superius, vndè non possunt vniri in eadem essentia, & ideò vnitas specifica supponit essentialiter genericam, in qua fundetur, vndè implicat, quòd ea, quę sunt eadem specie, non sint eadem etiam genere. Sequela autem, quòd videlicet sequeretur, quæ sunt diuersa genere, esse idem specie, declaratur, quia differentia, vt talis est, quando aduenit generi, constituit speciem, & vna differentia constituit vnam tantùm speciem: ergo si differentia non esset propria vnius tantum generis, sed pluribus adueniret, constitueret cum pluribus generibus vnam speciem, & consequenter, quæ essent diuersa genere, non differrent specie.

Tertia conclusio Omnes differentiæ pro- ... prię vnius tantùm generis.

Maioridētitas, & distinctio inferunt minorē.

XVIII. Posset tamen aliquis vim argumenti subterfugere dicendo, non consti-

Responsio

ſtituere vnam ſpeciem cum his omnibus generibus, ſed diuerſam cum vnoquoque, ita vt ex eo, quòd vnitur vni generi, determinetur, vel ab ipſo, vel ab aliqua alia differentia coniuncta ad conſtituendam vnam ſpeciem, & prout ponitur in alio genere, determinetur pari modo ad conſtituendam aliam ſpeciem.

Impugnatio.

Verùm hæc reſponſio non fugit vim argumenti. Nam hæc differentia præcisè conſiderata, vel habet rationem differentiæ, vel non. Si habet: ergo ſe ſola, dum aduenit generi, eſt conſtitutiua ſpeciei, & licet aliqua determinatio ponatur à genere, ſi aduenit pluribus generibus, adhuc conſtituet vnam ſpeciem, quia hæc determinatio, quæ prouenit à genere, non eſt intrinſeca differentiæ, ſed differentia in ſuo eſſe intrinſeco remanet vna, & talis determinatæ eſſentiæ; ergo dum aduenit pluribus generibus, ponit inter illa vnitatem ſpecificam. Secundò; Si differentia eadem adueniens pluribus generibus conſtituit cum ſingulis diuerſas ſpecies, vel quia ſic determinatur à genere, vel ab aliquo alio ſuperaddito; ergo hæc diuerſitas ſpecifica non prouenit à differentia, ſed aliundè; ergo per aliquam multiplicationem differentiarum, ratione quarum vna ſpecies ſit diuerſa ab alia, ipſa verò differentia retinent ſuã vnitatem. Ex quo fit, vt, cum non poſſit haberi diuerſitas ſpecierũ ſine diuerſitate differentiarum, poſita eadem differentia, ponatur eadem ſpecies, ſeu identitas ſpecifica: & conſequenter dum eadem differentia aduenit pluribus generibus, ponet inter illa ſpecificam identitatem. Tertiò illa differentia, quæ aduenit pluribus generibus, cum ſit vna in ſe, ponit inter illa aliquam identitatem; omnis enim ratio communis pluribus ponit identitatem inter illa, vt contingit in rationibus genericis, & ſpecificis: debet autem ponere illam vnitatem, cuius eſt conſtitutiua: itaque cum differentia ſit conſtitutiua vnitatis ſpecificæ, ponet inter illa genera vnitatem ſpecificam. Quartò Differentia illa, quæ eſſet communis pluribus generibus, importaret ſuum proprium gradum eſſentię, quem diceret præcisè conſiderata: ergo cum quilibet gradus eſſentiæ conſtituat aliquod genus, vel ſpeciem, hæc quoque differentia conſtituet ſuam ſpeciem; cum ſit gradus differentialis: cur ergo non ponet vnitatem ſpecificam inter illa genera, quibus aduenit?

Identitas differẽtię ponit idẽtitatem ſpecificã.

XIX. Secunda ratio etiam ex alio abſurdo deſumitur. Si enim eadem differentia eſſet communis pluribus generibus, ſequeretur differentiam, prout ſe haberet vt differentia, ſe habere etiam vt genus reſpectu eiuſdem, quod ideò addidi, vt excludatur reſpõſio Auerſæ qui dicebat non implicare reſpectu diuerſorum, quod quidem verum eſt. Sed abſurditas, quam interimus, in hoc conſiſtit, quòd differentia vt differentia reſpectu eiuſdem eſſet differentia, & genus. Hæc autem ſequela ſic declaratur. Quod aduenit generi tanquam actus, ita vt illud afficiat, prout ſe habet vt genus, aduenit tanquam differentia; ſed huiuſmodi differentia, quæ aduenirec pluribus generibus, ſe haberet reſpectu illorum tanquam actus, genus enim tantùm ab actu differentiali affici poteſt. Deindè debet Auerſa concedere, vt defendat eamdem differentiam conuenire pluribus generibus, alioquin, niſi ſe haberet vt differentia reſpectu illorum, neque verum eſſet, quòd eadem differentia conueniret pluribus generibus. Quòd verò huiuſmodi differentia reſpectu eorumdem generum ſe haberet etiam vt genus, facilè oſtendi poteſt: nam quod ita conuenit vni, vt etiam conueniat alteri eſſentialiter diuerſo, ſe habet vt genus reſpectu illorum, nam eſt aliquid commune eſſentiale, & quibus conuenit, eſſentialiter diuerſa ſunt: vndè conſurgunt diuerſæ ſpecies: ergo reſpectu illorum ſe haberet vt genus. Cum quo illud quoque abſurdum annexum eſt; videlicet, quòd illa genera reſpectu eiuſdem differentiæ, nedum ſe haberent vt genera, ſed etiam vt differentiæ, quia in eo conſiſtit ratio eſſentialis differentiæ, quòd diuidat rationem communem, & illam determinet; ſed illa genera determinarent illam differentiam ſibi communem, & illam diuiderent, quia à ſua communitate extraherent, & ad aliquid minus commune coarctarent, quæ omnia abſurda ſunt, vt per ſe patet.

2. ratio.

Si differẽtia pluribus generibus conueniret, idẽ eſſet genus & differẽtia

XX. Tertiò quoque prob. De ratione differentię eſt, vt adueniat generi illud coarctando, & limitando ad eſſe minus vniuerſale; quòd ſi non ſaluatur in aliquo gradu eſſentiali, non poteſt in ipſo ſaluari quidditas differentiæ. Cuius rei ratio à priori eſſe poteſt, quia per

3. ratio.

superadditionem cuiuscunque gradus ac bet natura illa, quæ est inchoata in genere, tendere ad suam vltimam perfectionem, qua constituatur in esse completo, atque adeò in sua vltima specie: species enim vltima dicit essentiam rei completam. Ex hoc ergo fit, vt gradus superueniens generi, debeat ponere in ipso aliquid, quo magis accedat ad tale complementum, & non potest per ipsum magis accedere: nisi talis gradus fit magis limitatus, & minus vniuersalis. Hinc differentia dicitur limitare, & coarctare genus, atque ex hoc quoque sequitur, vt illud, quod genus dicit in communi, debeat differentia constituere in tali esse determinato, vt si genus dicit rationem substantiæ, vt sic, differentia, quæ superuenit generi, debet importare rationem talis substantiæ, qua genus fiat talis substantia; & in hoc consistit coarctatio generis, quæ fit per differentiam. Stante ergo hac natura, & conditione differentiæ, sequitur, vt non possit conuenire pluribus generibus: si enim conueniret, esset magis vniuersalis, quàm genus; quia quod pluribus conuenit, est de se magis vniuersale, quàm quodlibet illorum: quomodo autem posset coarctare, & limitare genus? quomodo posset importare talem rationem intra eundem ordinem, qua genus fieret talis natura? quomodo mediante illa genus magis accederet ad speciem infimam? Cum igitur, quæ conueniunt essentialiter differentiæ, non possint saluari, si differentia conueniat pluribus generibus, dicendum est, non posse conuenire.

Genus per differentiã accedit ad suum cõplemẽtũ

XXI. Solùm dici posset, non sequi ex hoc, quòd differentia sit communis pluribus generibus, vt sit magis vniuersalis, quàm vnumquodque ipsorum, quia quando aduenit vni generi, non adæquatur cum ipso, cum hoc genus, præter ipsam, habeat etiam alias differentias. Sed licet hoc verum sit, adhuc tamen verum est, quòd saltem esset æquè vniuersalis, & non minus vniuersalis. Differentia autem debet esse minus vniuersalis, vt contrahat, & limitet genus, vt iam constat ex dictis. Rursus talis differentia, comparata ad vnumquodque talium generum, se habet respectu illius, vt ratio superior, quia ita conuenit tali generi, vt etiam conueniat alteri: quod autem conuenit pluribus, est quid superius respectu

Occurritur resp̃õsioni.

illorum. Atque etiam nisi differentia sit minus vniuersalis, quam genus, non potest genus mediante ipsa magis accedere ad complementum speciei.

XXII. Quartò prob. eadem conclusio. De ratione differentiæ est, vt sit diuisiua generis, vndè debet diuidere, ca, quæ sunt vnum, non autem coadunare ea, quæ sunt diuisa. Atque hoc illi competit etiam ex eadem radice, nempè quia natura inchoata in genere, mediante ipsa, debet accedere ad complementum vltimum infimæ speciei, & ideò quælibet differentia superueniens debet diuidere, & separare, non autem diuisa adunare. Hinc fit, quòd sit contrà rationem differentiæ, quòd pluribus generibus conueniat, quia tunc diuisa coadunaret, nempè diuersa genera vniret. Quòd si dicas cum Auersa, sufficere, si diuidat, quæ sunt sub eodem genere, nec esse necess è, vt diuidat à quocunque alio; hæc responsio non prodest, quia differentia, vt differentia est, est tantùm diuisiua; quia de ratione ipsius est, vt quando se exhibet tanquam differentia, differre faciat. Quare cum diuidere, & coadunare, sint rationes oppositæ: non possunt conuenire differentiæ, vt differentia est; idem enim, vt tale est, non constituitur per rationes oppositas. Cum igitur differentia sit diuisiua; non potest, vt differentia est, adunare. Accedit etiam, quòd coadunare, quæ sunt essentialiter diuersa, vt essent plura genera, spectat tantùm ad aliud genus, & solùm vniri possunt in aliqua ratione superiori.

4. ratio.

Differentiæ nõ cõuenit adunare, quæ sũt diuisa

XXIII. Quintò prob. quando differentia aduenit generi, facit simul cũ ipso aliquam compositionem metaphysicam, siue perfectam, siue imperfectã; hoc enim modò parum refert, dummodo differentia simul cum genere constituat vnam essentiam, & ita afficiat genus; vt ipsum se habeat veluti fundamentum talis differentiæ, & tanquam materia recipiat differentiam ad modum actus distinctiui. Ex quo fit, vt genus debeat esse vnibile cum tali differentia, & se solo consideratum, sit in potentia ad illud esse, quod per talem differentiam communicatur. Quo stante, sequitur, differentiam esse propriam vnius tantùm generis, seu quòd idem genus possit solùm coniungi cum eadem differentia, quod sic declaratur. Genus debet habere vnibilitatem cum illa differentia, cum qua

5. ratio.

Genus vnibile cum differentia.

con-

constituit speciem, alioquin non posset vniri; atque hæc vnibilitas se habet ad modum potentiæ, quatenus dicit esse inchoatio eiusdem naturæ; ergo non possunt plura genera vniri cum eadem differentia, nisi habeant eamdem rationem vnibilitatis, & potentiæ; quia posito eodem termino, & eodem actu, debet poni etiam eadem potentia. Quòd si habent eamdem rationem potentiæ, erunt quoque idem genus, & non diuersa, cum ratio generis consistat in illa ratione potentiæ, & vnibilitatis cum differentia. Confir. Ista vnibilitas, & ista potentia in genere nihil aliud est, nisi gradus ille essentiæ, quem importat natura generica, quia hæc potentia, & vnibilitas nihil aliud dicit, nisi quòd possit esse in inferioribus constitutis per talem differentiam, vndè intrinsecè imbibitur in ipsa natura generica, nec aliud dicit, nisi proportionem, qua potest genus, vt gradus essentiæ proportionatus, vniri cum differentia; atque hæc proportio debet esse talis, vt possit simul cum differentia conuenire in vnam essentiam; idem autem actus requirit eamdē proportionem in sua potentia; ergo si plura genera sunt vnibilia cum eadem differentia, debent habere eamdem proportionem essentiæ, quam habere non possunt, nisi dicant eumdem gradum essentiæ, atque adeò sint idem genus; cum enim proportio sit aptabilitas gradus essentiæ genericæ, non potest esse eadem aptabilitas, nisi sit idem gradus essentiæ.

Præueni tur respõ sio.

XXIV. Quòd si quis respondeat. Diuersa genera posse habere eamdem proportionem, & eamdem vnibilitatem, & seruare suam diuersitatem ex eo, quòd vnumquodque sit vnibile cum alijs differentijs, cum quibus non potest alterum vniri, non per hoc soluitur difficultas, quia genus dicit vnum simplicem gradum essentiæ, qui consistit in indiuisibili, & ideò si semel conceditur, quòd diuersa genera habeant eamdem proportionem, & vnibilitatem cum eadem differentia, debent omninò omnia eamdem proportionem habere, nec vnum poterit coniungi cum aliqua differentia, cum qua non possit coniungi alterum; quia si semel respectu vnius differentiæ habent eamdem vnibilitatem, cum genus sit gradus simplex, & indiuisibilis, ex vi eiusdem proportionis ordinabitur etiam ad cæteras differentias, atque adeò respiciet omnes differentias, quas respicit alterum genus habens eamdem proportionem. Confirmatur Quia materia respicit semel vnam formam substantialem, per eamdem potentiam respicit etiam alias, nec potest dari vna materia potens coniungi cum aliqua forma, cum qua possit coniungi alia materia, nisi sit etiam vnibilis cum omnibus formis, cum quibus est vnibilis altera materia. Et ratio est, quia ex vi eiusdem potentiæ formaliter materia respicit omnes formas, quas respicit: ergo cum genus quoque ex vi eiusdem potentiæ formaliter, & ex vi eiusdem gradus indiuisibilis ordinetur ad omnes differentias, non potest aliquod genus ordinari ad aliquam differentiam, ad quam alterum ordinetur, nisi etiam ordinetur ad omnes, quod tamen stare non potest cum pluralitate generum, vt diximus. Secundò si genus aliquod haberet proportionem cum aliqua differentia, cum qua haberet proportionem etiam alterum genus; deinde haberet etiam proportionem ad alias, ad quas non haberet idem alterum genus, sequeretur, ista genera in ratione generis habere aliquid commune, & aliquid diuersum, quod tamen esse non potest, siquidem illud commune, & illud diuersum efficeret compositionem, & constitueret speciem: vndè solùm possent ordinari ad suas differentias ratione illius esse diuersi, quod haberent, quia species subalterna ordinatur ad suas differentias solùm ratione suæ vltimæ formalitatis: tunc autem non possent ordinari ad eamdem differentiam, quia ratione suæ vltimæ formalitatis illam non respicient. Deindè si vnumquodque genus dicit vnam simplicem rationem generis, quomodo possunt conuenire, & differre? idem enim secundùm eamdem rationem formalem simplicem non potest respectu alterius conuenire, & differre, quomodo, enim saluaretur indiuisibilitas, si partim differret, partim conueniret? certè tunc diuideretur in partem, quæ conueniret, & in partem, quæ differret.

Eadē potentia genus respi ci omnes differentias.

Vnūquodque genus ratione suæ vltimæ formalitatis respicit omnes differentias.

Confir.

XXV. Atque potest hæc ratio confirmari. Quando differentia aduenit alicui generi illi communicat aliquem gradum essentiæ, quo genus intrà eumdem ordinem coarctetur, & fiat tale, ita vt quod erat tale in communi, & vt

 sic,

Differentia dicit magis determinatè, quod genus dicit in communi.

sic, fiat tale in particulari, vt videlicet genus, quod importabat substantiam in communi, fiat talis substantia, & idem cum proportione seruatur in cœteris generibus, quando vniuntur cum differentijs. Atque hoc est essentiale cuiusuis differentiæ, vt importet aliquem gradum essentiæ, quo genus fiat tale intrà eumdem ordinem. Cuius rei ratio est quoniam differentia debet coarctare genus, illud diuidendo, atque debet esse complementum illius; cùm autem genus sit quędam essentia inchoata importans naturam vt sic, debet complementum illius, quod est differentia, esse complementum eiusdem ordinis, quo genus fiat tale, seu essentia, quæ in ipso est inchoata, fiat talis essentia acquirens aliquod magis determinatum complementum Ex hoc autem sequitur, vt differentia afficere possit vnicum tantùm genus, quia genus debet dicere in communi, quod differentia dicit magis in particulari. Ratio autem, quæ in communi, & vt sic correspondet tali rationi determinatæ, est vna tantùm. Cum enim vniuscuiusque rei sit vna essentia, ratio vt sic erit tantùm vna, & ratio correspondens in communi tali rationi corporis, erit tantùm corpus vt sic, non autem aliqua alia ratio, ergo cum differentia possit tantùm aduenire generi, quod dicit eamdem rationem in communi, quam ipsa dicit in particulari, potest tantùm aduenire vni generi.

Cõfir. secundò.

XXVI. Confir. secundò. Si differentia posset aduenire pluribus generibus; quæro, an illa genera dicerent singula rationem in communi, quam differentia dicit in particulari, an non? Si primum admittitur, non possunt esse plura genera, quia in quacunque essentia vna est tantum ratio in communi, sic vna est tantùm ratio corporis, vna tantùm ratio substantiæ, & sic de reliquis. Si verò dicatur secundùm, ergo potest differentia coniungi cum aliqua ratione superiori, quæ non dicat in communi, quod dicit ipsa in particulari, vndè ratio talis corporis poterit vniri cum aliquo genere, quod non sit corpus vt sic, quod est falsum. Præterea: ratio talis essentiæ, quæ completur per differentiam, potest tantùm inchoari in vnica ratione formali, non autem in multiplici, quia si esset multiplex, non inchoaretur eadem essentia, sed multiplex: ergo cum genus sit quædam inchoatio essentiæ, poterit esse tantùm vnicum, in quo talis essentia inchoetur; & consequenter differentia, quæ dicit complementum talis naturæ, poterit afficere vnicum tantùm genus, quod sit inchoatio talis essentiæ. Et hæc ratio si rectè perpendatur demonstratiuè concludit; procedit enim à priori ex natura intrinseca differentiæ, & generis. Quocircà sufficienter probata manet nostra conclusio, & superest solùm, vt argumentis in oppositum satisfaciamus.

Genus inchoatio naturæ quæ per differetiã cõpletur.

Soluuntur rationes in oppositum.

SECTIO III.

Ad primum sententiæ.

I. IN prima sententia nihil afferebatur in oppositum, quia eius fundamenta, vt diximus, suprà explicata sunt. Secunda autem sententia nobiscum conuenit; itaque solùm explicanda sunt fundamenta Auersæ, cuius erat tertia sententia asserentis dari quasdam differentias communes pluribus generibus, & quasdam proprias. Ad primam igitur rationem collectam ex illa inductione, dicimus. Non valere in tali casu arguere ex inductione, quia in ipsa possumus decipi, cum, vt suprà initio sect. præcedentis adnotauimus, ex non perfecta cognitione essentiarum fieri possit, vt differentiæ videantur communes, quæ reuera non sunt communes: vndè colligi potest aliqua inductio, quæ falsa sit. Vt tamen allatam inductionem per singulas partes explicemus. Aduertendum, quòd Viuens est primus gradus vitæ, qui euehit subiectum metaphysicum, cui aduenit, ad altiorem gradum, quare tale subiectum debet esse formaliter euehibile; ex quo fit, vt tale subiectum, seu genus, cui adueniat ratio viuentis, non possit esse corpus formaliter sumptũ in ratione corporis, neque substantia spiritualis in ratione substantiæ spiritualis, sed erit aliqua alia ratio, per quam ambo habeant, quòd possint eleuari ad gradum vitæ; vndè non solùm conueniant in ratione substantiæ, sed etiam in aliqua alia ratione, quæ sit vnibilis immediatè in ratione vitæ, & tunc differentia viuentis afficiet idem genus, & non multiplex. Quòd autem hoc possit esse, prouenit ex eo, quòd viuens corporeum non habet

Primus gradus vitæ non is afficit omnia genera secundùm eamdem rationem.

bet esse viuens ex vi eiusdem entitatis, sed ex vi alicuius formæ superadditæ, vndè corpus non est intrinsecè viuens, secundùm quod est quid contradistinctum à substantia spirituali, sed ratione formæ adiunctæ: in illa autem forma, prout dicit propriam entitatem, non est aliquid, per quod contradistinguatur à spiritu, nisi deueniatur ad rationem talis vitæ, per quam habet, quòd sit vita dependens à corpore, & idcircò sit forma materialis: habet enim, quòd sit forma materialis, quia est talis vita. Ex quo non fit, vt in entitate simplici aliquid contradistinctum à spiritu, per aliquid aliud rursus superadditum conueniat cum ipso; quod solùm implicaret in entitate simplici. In ente autem composito ex pluribus entitatibus id non implicat, quia ratione entitatis superadditæ, quod differebat, potest rursus transire ad conuenientiam, vt contingit in corpore, quod contradistinguitur à substantia spirituali, & rursus ratione animæ superadditæ, quæ est forma physica, transit ad conuenientiam in ratione viuentis.

Tempus, & motus non sunt vera quãtitas. II. Altera verò pars inductionis soluenda est, negando dari veram quantitatem successiuam, quæ verè, & intrinsecè sit quantitas, quia quantitas successiua importat tantùm motum, & tempus, siue discreta sit, siue continua. Tempus autem, & motus non sunt vera quantitas; sed solùm sunt quanta per accidens, tempus videlicet ratione motus, & motus ratione magnitudinis, suprà quam fit, vt docet Arist. 5. Metaph. tex. 18. vbi docet, quædam dici quanta per accidens, & hæc enumerans, ait *Quædam vt motus, & tempus, & hæc enim quanta quædam, & continua dicuntur eò quòd illa diuisibilia sunt, quorum hæc sunt passiones*. Et, vt suo loco dicemus, motus nihil aliud importat, nisi mobile successiuè coexistens diuersis partibus spatij; vndè cum non sint vera quantitas, neque intrinsecè habent veras differentias quantitatis. Denique cum dicitur, intellectuale cõuenire intellectui, & habitibus, negamus intellectum esse intellectualem, sed est ipsa vis intelligendi: esse autem intellectuale; est denominatio quædam desumpta ab ipso intellectu ratione alicuius ordinis ad ipsum: & quia iste ordo potest esse multiplex, etiam multiplex erit hæc ratio intellectualis, cum id, quod subest huic termino intellectuali, nihil aliud sit, quàm ipse ordo.

Arist.

III. Ad alteram verò probationem pro eadem parte eiusdem sententiæ dicimus, quòd licet in aliqua specie possit reperiri aliquod prædicatum, quod magis pateat, quàm ipsa species: hoc tamen neque se solo, neque simul cum alijs potest esse formale, seu differentiale constitutiuum talis speciei, cuius rei implicantiam in probatione nostræ sententiæ explicauimus. Et etiam, vt ostendimus, implicat, quòd differentia faciat conuenire cum alijs speciebus, quæ sunt alterius generis, sed solùm potest facere conuenire ea, quæ ponuntur sub specie, quam constituit cum vnico tantùm genere; atque adeò quæ ponuntur tantùm sub vno genere, cuius ipsa est differentia. Neque vnquam, vt patet ex supradictis, potest differentia esse talis rationis, vt, quatenus aduenit generi, debeat vel ab ipso, vel ab alio determinari, cum ex se sit determinata, vt vni tantùm generi adueniat, vndè præcisa à genere est semper determinata ad illud solùm afficiendum. Ad secundum.

An, & quomodo in qualibet specie debeant genus, & differentia designari. Disp. LXVIII.

Reÿcitur sententia Durandi.

SECTIO I.

I. PRima sententia in hac difficultate est Durandi in 2. dist. 3. quæst. 1, num. 12. & sequentibus, qui ait, quòd Aliud sit Esse in genere, & aliud Esse compositum ex genere, & differentia. Esse Prima opinio. Siplicia nõ cõstare ex genere, & differentia.

enim

Durand.

enim in genere, inquit ipse, nihil aliud dicit, nisi quamdam limitationem; Esse verò compositum ex genere, & differentia, dicit esse compositum ex partibus facientibus vnum per essentiam. Hinc deducit suam sententiam distinguendo de rebus compositis, & simplicibus. Inquit enim, quòd simplicia sunt quidem in genere, quia limitata sunt: non tamen constant ex gre, & differentis; vdè in essentia specifica ipsorum non potest assignati genus, & differentia. Atque hoc non solùm verum est de substantijs simplicibus, vt ait ipse, sed etiam de accidentibus.

Eiusdem fundamenta.

II. Atque pro hac sententia arguit primò, quia differentia debet prædicari, in quale, vt suprà nos quoque explicauimus, quod autem sic prædicatur, non potest dicere totam rei essentiam, sed tantùm partem; cum ergo in simplicibus non sint partes, neque erit compositio, ex genere, & differentia. Secundò. In rebus simplicibus non potest assignari totum, & pars; ergo neque etiam species, & differentia, & consequenter nec genus; cuius rei ratio est, quia species dicit totum, & differentia partem: at in simplicibus, si assignarentur conceptus speciei, & differentiæ, essent hi conceptus æquè determinati, nec esset maior ratio, cur vnus esset species, quàm alter. Tertiò; in compositis aliud est, quod differt, & aliud illud, quo differt; aliud constitutum, aliud constitutiuum; ergo cum differentia sit id, quo species constituitur, solùm in compositis reperiri potest, nam simplicia seipsis differunt, & constituuntur. Ita arguit Durand. pro sua sententia.

Opposita sententia cõmunis

III. Verùm quàm improbabiliter id asserat, statim palam fit, & in oppositum est communis sententia omnium Doctorum, ita vt nullum alium viderim, qui hanc sententiam sequatur, & omnes tanquam certam oppositam sententiam supponunt, vt patet in cõrdinatione prædicamentorum etiam in accidentibus facta, & tradita ab Arist. in qua etiam circa accidentia simplicia assignat genera, & differentias. Itaque non est necesse pro hac sententia, quæ in simplicibus quoque admittit genera, & differentias, Auctores recensere, eum, & omnes illam admittant; & nemo præter Auersam in Logica quæst. 13 sect. 5. de hac re ex professo disputet.

Simplicia cõstãt ex genere, & differẽtia

Reijcitur sententia Durand Primò.

Reijcitur ergo hæc sententia primo, quia vt ipse Durand. admittit. Hæc simplicia ponuntur sub genere; ergo debent participare genus, quòd si participant genus, consequenter etiam participant differentiam, non enim genus se solo sufficit ad constituendam vnam essentiam completã sed vlterius requirit differentiam; atque hæc duo genus, & differentia se mutuò inferunt, vt vbi est vnum, sit etiam alterum, & impossibile sit, vnum sine altero reperiri. Quòd autem ex eo, quòd simplicia sint sub genere, habeant etiam genus, ostenditur, quia non potest aliquid poni sub genere, nisi participet illam rationem genericam, sub qua ponitur; nam quando aliquid ponitur sub genere, potest genus de ipso prædicari prædicatione sibi propria; modus autem prædicandi genericus infert, quòd genus insit subiecto, tanquam essentiale constitutiuum illius; si igitur simplicia ponuntur sub genere eò quòd genus potest de ipsis prædicari, etiam inerit ipsis, tanquam essentiale constitutiuum; quod enim inest alicui, tanquam genus, cuicunque inest, debet vt genus inesse, cum eadem ratio formalis sit semper inuariabilis, & eodem modo se habens.

Quæ sũt sub genere cõstãt ex genere, & differentia.

IV. Secundò. Si simplicia conferantur cum compositis, aut inter se, habent aliquid, in quo conueniant, & aliquid, in quo differant: sic simplicia comparata cum compositis differunt in ratione compositionis, & simplicitatis, conueniunt verò in eo, quòd sint substãtiæ, aut accidentia, aut in aliqua alia ratione. Rursus si simplicia inter se conferantur, si sunt diuersa essentialiter, debent habere aliquid, per quod differant, & plurificentur: & neque sunt omninò dissimilia, sed conueniunt in eo, quòd sint simplicia, & consequenter in aliquo esse, in quo fundetur simplicitas. Ex hac ergo conuenientia, & differentia sequitur, simplicia quoque constare ex genere, & differentia: potest enim intellectus duplicem rationem; seu conceptum obiectiuum in ipsis distinguere, nempè conceptum conuenientiæ, & diuersitatis; atque conceptum conuenientiæ, cum sit quid commune pluribus essentialiter diuersis, erit genus: conceptus verò diuersitatis, cum adueniat generi, erit conceptus differentiæ. Confirmatur. Simplicia sunt limitata, & ideò per Durand. ponuntur sub genere: posita autem

Secundò.

Etiam in simplicibus adesse conuenientia, & diuersitas vnde desumatur genus, & differentia.

hac

hac limitatione in rebus simplicibus, necessariò concedi debent genus, & differentia: nam debet concedi limitatiuum huius rei simplicis, quo ad tale esse determinetur, & consequenter ab omni alio distinguatur. Verùm per hoc limitatiuum non ita potest distingui ab omni alio, vt prorsus ab ipso diuersificetur, sed relinquet etiam aliquam conuenientiam: debet, enim res limitata esse accidens, aut substantia, cum hæc duo membra adæquent totam latitudinem entis realis, vndè saltem in ratione accidentis, aut substantiæ, relinquet conuenientiam, cum cæteris accidentibus, aut substantijs. Itaque hoc limitatiuum, & distinctiuum formaliter non dicet totam essentiam rei simplicis; alioquin secundùm se totum esset ab omni alia diuersa: hoc autem limitatiuum dicet partem illam, quæ contrahit, & determinat essentiam ad certum gradum, quod conuenit soli differentiæ, quæ sola limitare potest, & facere differre, formaliter loquendo.

Tertiò. V. Tertiò argumentor contra eamdem sententiam. Quælibet essentia, etiam in simplicibus, constituit aliquam speciē, vt ipsemet Durand. admittit, & est species, quæ ponitur sub genere; ergo debet hæc species constare ex genere, & differentia. Declaratur consequentia. Species in sua ratione formali dicit compositionem metaphysicam, vt constat in ijs speciebus, quæ habent genus, & differentiam; cum igitur cuiuscunque rei sit vna tantùm ratio formalis, qua posita, ponitur quoque talis res, & ablata aufertur, non potest in rebus simplicibus saluari ratio speciei, nisi saluetur compositio ex genere, & differentia. Confir. Formale constitutiuum speciei in compositis est compositio ex genere, & differentia, seu aliquid coalescens ex genere, & differentia: ergo non potest in simplicibus saluari ratio speciei: nisi saluetur quid resultans ex genere, & differentia, quia idem constitutum requirit semper idem formale constitutiuum: sic quia esse compositum in Physicis dicit quid coalescens ex materia, & forma, non potest haberi compositū physicum, nisi interueniat materia.

Species non saluatur si ne compositione ex materia, & forma metaphysica.

Ad rationes Durā di. VI. Neque Rationes Durandi sunt alicuius ponderis, & procedunt ex confusione partium physicarum cum partibus metaphysicis, nempè genere, & differentia, quæ distingui possunt in essentijs simplicibus, quia simplicitas physica non excludit compositionem metaphysicam; vndè ad primam dicimus. In simplicibus non posse quidem assignari partes physicas, posse tamen assignari metaphysicas, quarum vna aduenit alteri, vt iam patet ex supradictis: atque aliqua ex his partibus, nempè illa, quæ adiacet, poterit prædicari in quale; sic interroganti, qualis est Angelus, optimè respondemus, esse intellectualem, quia intellectualitas importat differentiam angeli, qua à cæteris differt. Similiter etiam dicendum est ad secundam rationem. In simplicibus non posse assignari partem, & totum, physico modo; bene tamen metaphysico modo: species autem importat totum metaphysicum; & differentia partem metaphysicam, vt iam dictum est. Neque sunt hi conceptus æquè determinati, sed vnus dicit totam essentiam, alter verò tantùm partem, & ideò vnus dicit speciem, alter verò differentiam. Ad tertiam quoque rationem eodem pacto respondetur In simplicibus posse esse constitutum, & constitutiuum; illud, quod differt, & id quo differt metaphysicè loquendo, pro quo sufficit distinctio rationis cum fundamento, nec est necessaria pluralitas partium physicarū.

In simplicibus partes metaphysicæ.

Quomodo genus, & differentia designentur. Aliorum sententia.

SECTIO II.

I. CVm igitur in vnaquaque speciē debeant proprium genus, & differentia assignari, ex quibus componatur, tanquam ex partibus metaphysicis; videndum nunc est, quomodo in vnaquaque specie, tum genus, tum differentia interueniat. Atque difficultas in hoc sita est, An debeant pro genere, & differentia certa prædicata designari; an verò ad libitum possit hoc, vel illud prædicatum constitui pro genere, & differentia. De qua re non reperi Auctores, qui ex professo disputent, præter Auersam, sed potius videntur omnes supponere, quòd certi, & determinati gradus essentiæ, seu certa, & determinata prædicata quidditatiua debeant, tū pro genere, tum pro differentia constitui. Atque sic vniuersi loquuntur, dum obiter, quomodocunque de hoc incidit ser-

Communis opinio. Certus gradus cōstituē dos pro genere, & differētia.

sermo, vt præcipuè patet ex coordinatione prædicamentorum, in quibus iuxtà rerum naturas disponuntur genera, tum summa, tum subalterna, atque etiam eorumdem differentiç.

Opposita sententia II. Hoc tamen non obstante Auersa in Logica quæst. 13. sect. 1. oppositum sentit, & vult genera, & differentias, *Auersa.* etiamsi sint genera proxima, & differentiæ infimæ, non vindicare sibi certos gradus essentiæ, neque certa prædicata, sed posse ad libitum hunc, vel illum gradum essentiæ, vel pro genere, siue proximo, siuè subalterno, vel pro differentia, siue infima, siue subalterna designari. Imò, vt colligitur ex quæst. 10. quæ est de genere sect. 1. vult, idem prædicatum posse esse modò genus, modò differentiam non in diuersa specie, sed in eadem: ita vt si concipiatur ad modum per se stantis, sit genus; si verò concipiatur ad modum adiacentis, sit differentia. Atque etiam infert ex hoc, prædicamenta posse hoc, vel illo modo coordinari, vel ad libitum, vel prout exigit maior commoditas.

Eius fundamenta III. Arguit autem pro hac sua sententia primò inductione: nam in homine solet pro genere assignari animal, & pro differentia Rationale: potest tamen assignari pro genere substantia intellectualis, quam habet commune cum angelis, & pro differentia, Discursiuum, vel corporeum, aut mortale. Sic cum pro genere animalis assignatur corpus animatum, in quo conuenit cum plantis, & differt ab angelis, potest etiam assignari viuens cognoscitiuum, in quo conuenit cum angelis, & differt à plantis: differentia autem erit sensitiuum. Similiter in accidentibus genus scientiæ solet assignari habitus, in quo conuenit cum habitibus aliarum potentiarum, & differt ab actibus intellectus: & differētia, quòd sit Intellectualis, certus, & euidens: potest tamen assignari pro genere qualitas intellectualis, in quo conuenit cum actibus intellectus, & pro differentia poterit assignari abitualis, vt differat ab actibus intellectus. Et eadem inductio, inquit ipse, fieri potest etiam in cœteris prædicamentis.

Secundū. IV. Secundò arguit. Idem genus diuisione immediata potest diuersimodè diuidi per varias differentias: sic substantia potest immediatè diuidi in corpoream, & incorpoream, & alio modo potest immediatè diuidi in viuentem, & non viuentem; vel in corruptibilem, & incorruptibilem. Quantitas quoque potest immediatè diuidi in continuam, & discretam; vel in permanentem, & successiuam. Sic etiam Arist. 7. Metaph. *Arist.* tex. 43. diuisit animal in habens pedes, & non habens pedes. Et in Antepradicam. in Gressibile, Aquatile, & Volatile; cum tamen soleat diuidi in rationale, & irrationale: ergo etiam genera, & differentiæ specierum possunt varijs modis constitui, quia ex varia diuisione generum oriuntur plures, & varij modi, quibus debeant genera, & differen- *Tertium* tiæ designari. Tertiò quoque arguit, &, vt inquit ipse, à priori. Potest vna, & eadem species secundùm vnam rationem conuenire cum alia specie, & secundùm aliam rationem conuenire cum aliqua alia, vt homo in virtute sentiendi conuenit cum brutis, in virtute intelligendi cum angelis, & sic discurri potest etiam per cœteras species; ergo cum dentur plures conuenientiæ in eadem specie, poterunt assignari plura genera, & his quoque generibus assignandæ erunt plures correspondentes differentiæ: ergo vno, aut alio modo poterunt genus, & differentia in specie designari.

Certos gradus essentiales, tum pro genere, tum pro differentia esse constituendos.

SECTIO III.

I. HÆ rationes Auersæ non sunt tanti momenti, vt propter illas à communi sententia discedendum sit, statuente, pro genere, & differentia certos gradus essentiæ designari debere, quam vt explicemus, & simul confirmemus, illud aduertendum est, quòd quamuis genera, & differentiæ designentur ex distinctione rationis, quam circà *Genera, & differētiæ designantur cum fundamento in re.* rerum essentias format intellectus, & quamuis possit intellectus rerum essentias in plures, & plures rationes formales partiri, non tamen hæc partitio pro libito facienda est, sed debet conformari rerum naturis, atque exigentiæ, quia hæc partitio graduum prouenit quidem ex distinctione formata per intellectum: sed tamen formatur cum fundamento in re, & propterea distinctio proportiona-

tur

tur exigentiæ subiecti, quia res habet in se virtualem distinctionem, per quàm exigit in has, vel illas formalitates diuidi. Vt enim vnaquæque essentia includit suum esse, quod ex talibus, vel talibus formalitatibus coalescit, ita solùm in has formalitates, quibus constat, potest diuidi, quæ cum sint talis naturæ, etiam tali, vel tali modo petunt diuidi, atque adeò non potest distinctio ad libitum formari, sed debet formari iuxtà rerum naturas.

Multiplex genus, & differẽ. in in eadem essentia.

II. Rursus etiam hoc certum est, quòd in vna specie non vnum genus, & differentia designari possunt, sed tum multiplex genus, tum multiplex differentia, omnes enim formalitates, quæ in aliqua essentia reperiuntur, exceptis transcendentibus, vel sunt genera, vel differentiæ: imò vna & eadem formalitas potest respectu diuersorum esse tùm genus, tùm differentia. Quòd autem possint plura genera designari in aliqua specie, indè prouenit, quòd hæc species habet plures conuenientias cum alijs speciebus; atque, vt etiam adnotauit Auersa, sicuti secundùm vnam rationem conuenit cum vna specie, & secundùm aliam rationem cum alia specie, ita etiam fit, vt respectu vnius speciei habeat vnum genus, & respectu alterius alterum genus. Verùm hoc quoque est omninò necessarium, vt si hi gradus essentiæ, quibus constituuntur plura genera, & plures differentiæ, sint inter se adæquatè distincti, & omninò diuersi, & non sint rationes inadæquatæ vnius gradus, se habeant tanquam actus, & potentia, & sint inter se subordinati; cuius rei ratio est, quia sicuti essentia est vna, & indiuisibilis, ita etiam partes metaphysicæ, quæ ad ipsam concurrunt, debent esse tales, vt possint constituere vnum per se in compositione metaphysica, quia licet hæ partes solùm ratione distinguantur, tamen dum secundùm rationem quoque veniunt in compositionem, debent tali pacto venire, vt hæc compositio proportionetur rei exigentiæ, & non interueniat aliquid oppositum, quod fieri non potest, nisi sint subordinatæ, & se habeant tanquam actus, & potentia. Si enim plures rationes in eamdem essentiam conueniant, quæ non vnirentur, non constituerent vnum per se metaphysico modo; sicuti, nisi materia, & forma vnirentur, tanquam actus, & potentia, non constituerent vnum per se physicè: non possunt autem partes metaphysicæ vniri per se, nisi se habeant tanquam actus, & potentia.

Gradus eiusdẽ essentiæ debent subordinari.

Prima cõclusio. Differentiæ infimæ important certos gradus essentiæ.

III. Hinc pono primam conclusionem. Differentiæ infimæ debent esse certi gradus essentiales, ita vt pro libito non possit hoc, vel illud prædicatum designari, sed in qualibet specie sit vnum determinatum, quod importet infimam differentiam. Hoc autem prædicatum debet adæquatè sumi, vt importet infimam differentiam, quia fieri potest, vt cadem vltima differentia in plures rationes formales inadæquatas, & non totaliter distinctas diuidatur, & tunc per diuersa inadæquata prædicata, hoc est inadæquatè explicantia vltimam differentiam, explicabitur. Atque hæc conclusio desumitur ex Arist. 7. Metaph. tex. 43. vbi docet, quòd differentiæ diuidentes aliquod genus eo vsque subdiuidi debent, quo vsque ad indiuisibiles, & vltimas deueniatur, ait enim *Et sic semper procedi vult donec ad indifferentia* (hoc est indiuisibilia) *deueniatur*. Deindè subdit, quòd tot species erunt, quot istæ vltimæ differentiæ. Et eius verba sunt. *Tum autem tot species pedis erunt quot differentiæ, & pedes habentia animalis, æqualia differentijs*. Præterea ait. *Si igitur hac ita se habeant, manifestum est, quòd vltima differentia rei substantia erit, & definitio*. *Arist.* Ex quo fit, quòd si dantur vltimæ differentiæ omninò indiuisibiles constituentes specierum infimarum, quæ sint substantia rei, debeat in qualibet specie assignari certus gradus determinatus, qui pro differentia constituatur, ille videlicet, qui non est vlteriùs per alias differentias diuisibilis; hic enim est determinatus in qualibet specie.

IV. Et hinc sumitur prima ratio pro nostra conclusione. In qualibet specie infima potest esse vnica tantùm differentia vltima indiuisibilis per alias differentias; ergo in qualibet specie est assignare aliquem certum gradum essentiæ, & determinatum pro vltima differentia, ita vt non possit alius gradus pro illa assignari. Antecedens declaratur, quia non possunt duæ vltimæ differentiæ simplices conuenire ad constituendam vnicam speciem: tum quia ad harum multiplicationem, vt docet Arist. loco citato, multiplicantur species; tùm quia vel istæ differentiæ sunt subordinatæ, vel nõ. Si sunt subordinatæ, non possunt omnes

1. ratio.

In qualibet specie vnica tantùm differentia Ifima.

esse vltimæ differentiæ, sed vna erit vltima, & altera non, nam, quæ subordinatur, se habebit vt differentia superior, quæ erit genus respectu alterius: si verò non sint subordinatæ, erunt sub eodem genere, atque adeò illud diuident constituendo diuersas species. Deindè multiplicato constitutiuo, multiplicatur etiam constitutum, cum igitur differentiæ vltimæ sint constitutiuæ specierum infimarum, ad harum multiplicationem debent species quoque infimæ multiplicari. Et ex hoc etiam probatur consequentia, quia vna differentia dicit tantùm vnum gradum essentiæ, & determinatum, ergo cum in qualibet specie sit vna tantùm differentia, erit etiam vnicus determinatus gradus essentiæ, quo constituatur, qui pro vltima differentia debeat designari. Quòd si quis non admitteret differentias vltimas simplices, sed tantùm complexas, adhuc ratio suã efficaciam retinet, quia cum adhuc species infima sit vna, eius quoque formale constitutiuum debet esse vnum, & consequenter vna tantùm erit complexio harum differentiarum, quæ sit formale constitutiuum speciei infimæ.

2. ratio. V. Secundò prob. species infima habet tantùm vnicum esse, quod consistit in indiuisibili, atque ita est proprium illius, vt nulli alteri conueniat, imò per ipsum à quacunque alia specie distinguatur, & hoc est necessariò dicendum, quia si distinguitur à quacunque alia specie, debet habere proprium distinctiuum essentiale; seu constitutiuum, vt secundùm hoc à quacunque alia specie distinguatur. At ex hoc manifestè sequitur, vt debeat pro vltima differentia constitui in hac specie determinatus gradus essentiæ, ita vt non possit alius gradus constitui, nam pro vltima differentia necessariò constituendus est ille gradus, per quem constituitur in esse talis speciei ab omni alia contradistinctæ, quod clarum est; quid enim pro vltima differentia constitueretur, nisi constituatur illud, per quod à singulis differt? non enim dubitari potest, quin illud, per quod aliquid ab alio differt, sit differentia illius; vnde illud, per quod ab omnibus differt, erit vltima differentia. Hoc autem esse, per quod ab omnibus alijs differt, est aliquis gradus essentiæ determinatus, & certus consistens in indiuisibili, vt quæcunque alia essentia; nisi enim esset determinatus, non constitueret determinatam speciem: Confirmatur. Vnaquæque species est in suo esse determinata, & non differt ab omni alia specie secundùm omnes gradus essentiæ, sed solùm secundùm aliquem certum, & determinatum; ex vi cuius habet, vt sit formaliter talis species, seu essentia; ergo cum non possit alius gradus præter istum constitui pro vltima differentia, necessariò constituendus est pro vltima differentia aliquis determinatus, & certus gradus essentiæ: & sicuti non constituitur in esse speciei vltimæ per vnum, aut alium gradum essentiæ, ita neque vnus, aut alius gradus essentiæ potest constitui pro vltima differentia adæquata.

Quidnã constituendum pro vltima differentia in qualibet specie.

3. ratio. VI. Tertiò. Illud in qualibet specie infima est constituendum pro vltima differentia, per quod formaliter habet talis species, & immediatè, vt possit esse in pluribus indiuiduis; species enim infima formaliter, vt infima est, habet, quòd immediatè ex vi sui constitutiui possit esse in pluribus indiuiduis: hoc autem formale constitutiuum est infima differentia, quia vnaquæque species infima formaliter constituitur per aliquam vltimam differentiam. Cæterùm hoc formale constitutiuum non potest esse hic, vel ille gradus essentiæ, sed aliquis determinatus; ergo vnus tantùm gradus determinatus potest constitui pro vltima differentia. Quòd autem hoc formale constitutiuum sit vnus tantùm gradus essentiæ determinatus, probatur. Quia vel in hac specie sunt plures gradus essentiæ, per quos ordinetur, vt ex vi ipsorum sit in pluribus indiuiduis, vel est tantùm vnus. Si vnicus tantùm ponitur, iam hic solus debet assignari pro vltima differentia, & non hic, vel ille, & vltimum constitutiuum speciei formale erit determinatum. Si verò ponitur multiplex; ergo est multiplex species, & non vna sola, quia quilibet ex his gradibus de se est sufficiens ad constituendam speciem infimam, cum constituat, & compleat naturam, quæ potest esse in pluribus indiuiduis. Rursus cum isti duo gradus, aut plures ordinentur, vt sint in indiuiduis, nequeunt esse subordinati, atque adeo nec se habebunt vt actus, & potentia, neque constituent vnum per se, sed disparatè se habebunt; nec coire poterunt in vnam naturam. Atque hæ rationes euidentis-

Formale constitutiuũ speciei infimæ vnũ, atque eã reddens aptam esse in pluribus indiuiduis.

simè

simè conuincunt nostram conclusionem, nec est necesse alias addere.

Secunda cōclusio. Differentia speciei subalternæ certus gradus essentiæ.

VII. Secunda conclusio. Nedum in specie infima completa debet assignari pro differentia certus gradus essentiæ, sed etiam in qualibet specie subalterna; ita vt non possit adlibitum hic, vel ille gradus essentiæ assignari. Hæc conclusio sequitur ex præcedenti, & eædem rationes proportionaliter applicatæ pro ipsa militant, Et prob. primò. Omnis species subalterna est vna in seipsa, & à quacunque alia diuisa, & essentialiter differens, siue sit infima, siue subalterna: rursus constituitur per differentiam subalternam formaliter in suo esse; atque hoc esse est aliquid determinatum, & formaliter vt subalterna est, dicit hanc essentiam determinatam, & non hanc, vel illam, ergo debet constitui per aliquam differentiam, quæ dicat certum, & determinatum gradum essentiæ. Non enim potest constitutum habere maiorem determinationem, quàm habeat constitutiuum, nec effectus formalis, quàm habeat causa formalis. Cum igitur differentia sit formale constitutiuum speciei subalternæ; atque hæc species dicat, vt talis est, determinatam essentiam, etiam differentia erit necessariò determinata. Confir. quia hæc species, vt etiam suprà diximus de infima, non potest constitui, nisi per vnam differentiam, quæ sit vltimum constitutiuum talis speciei, ita vt illa posita ponatur species, & ablata auferatur, siue hæc differentia simplex sit, siue complexa; hoc enim in præsenti parum refert. Et ratio eadem est, quia si esset multiplex, quarum vna alteri subordinaretur, subordinata se haberet vt genus, non verò vt differentia. Si verò hæ differentiæ non subordinarentur, diuiderent genus, & constituerent plures species. Ex quo fit, vt vna species subalterna habeat tantùm vnam differentiam subalternam, qua formaliter constituatur vnaquæque species subalterna. Quòd si est vna tantùm differentia, non potest, nisi hæc pro differentia talis speciei assignari. Quare si vna est necessariò assignanda, quomodo non erit certa, & determinata?

Species subalterna per gradū determinatum essentiæ constituitur.

2 ratio. VIII. Secundò prob. Omnis differentia de se est sufficiens constitutiuum alicuius speciei, dum aduenit generi: confert enim aliquem gradum essentiæ determinatiuum generis, & consequenter diuisiuum ipsius. Atque cum rerum essentiæ sint, sicuti numeri, vt docet Arist. 8. Metaph. tex. 10. quæ per ablationem, & additionem cuiuscunque formalitatis essentialiter varientur, sequitur, vt quælibet differentia, quæ est diuersa formaliter ab alia, debeat constituere diuersam speciem; ergo in qualibet specie potest tantùm vna differentia certa, & determinata assignari; cum enim assignatur differentia, assignatur, tanquam formale constitutiuum speciei, cum igitur quælibet differentia constituat suam propriā speciem, potest tantùm in specie vna determinata differentia assignari, & si assignaretur hæc, vel illa, non assignaretur differentia eiusdem speciei, sed sicuti variaretur differentia, variaretur etiam species, & non in eadem specie assignaretur hæc, vel illa differentia, sed in diuersis speciebus. Confirmatur. Si in aliqua specie assignari posset hic, vel ille gradus essentiæ pro differentia, quæro, an assignaretur, vt proprium constitutiuum illius, an non. Si dicatur assignari, tanquam proprium constitutiuū, quomodo potest eadem species formaliter constitui in hoc esse per hanc, vel illam differentiam, cum hæc, vel illa differentia constituat hanc, vel illam speciem, & quælibet constituat suam propriam speciem, ita vt ad multiplicationem differentiarum, multiplicentur etiā species? Si verò non assignatur, tanquam proprium constitutiuum; ergo neque assignatur, tanquam propria differentia illius, omnis enim differentia est constitutiua speciei, & differentia propria alicuius speciei est proprium constitutiuum illius. Confir. secundò. Per variationem cuiuscunque formalitatis variantur formaliter essentiæ, ergo quotiescunque assignantur variæ differentiæ, assignantur etiam variæ essentiæ. Et quamuis vna essentia possit habere plures differētias, imò de facto habeat, ponitur tamen in pluribus speciebus subordinatis, in quibus vna tantùm est vltima: vndè quādo assignantur diuersæ differentiæ, quæ sunt in hac essentia, assignantur etiam diuersæ species subalternæ, & per vnam tantùm potest vltima differentia designari, vt in præcedenti conclusione dictum est.

Quælibet differētia propriā speciem constituit.

IX. Tertia conclusio. Quælibet species, siue infima, siue subalterna, nedum

Tertia cõclusio. Quælibet species ex determinato genere.

constat ex certa, determinata differentia, vt in præcedentibus dictum est, sed etiam certo, & determinato genere proximo, ita vt vnus tantùm gradus essentiæ determinatus possit pro genere proximo designari. Hæc conclusio conformis est nostris principijs, vt enim suprà docuimus, vnaquæque differentia habet suum genus proprium, quod solùm potest afficere; si igitur vnaquæque species constat ex certa, & determinata differentia, vt modò probatum fuit, debet etiam habere certum, & determinatum genus, illud videlicet, quod solùm talis differentia potest afficere. Atque hæc nostra conclusio probatur, supponendo, posse quidem in vna specie esse plura genera, sicuti sunt plures rationes conuenientiæ, & nedum adesse genus summum, sed etiam intermedia, quia prædicata, quæ sunt differentiæ respectu rationis superioris, constituunt genera respectu inferiorum, quotiescunque possunt inesse pluribus essentialiter diuersis; Verùm in vnaquaque specie, siue subalterna, siue infima adest genus proximum, quo talis species simul cum sua differentia constituitur; de hoc igitur genere intendimus probare, quòd in vnaquaque specie importet certum, & determinatum gradum essentiæ, ita vt ipsa debeat pro genere proximo assignari, & non possit assignari hic, vel ille.

X. Sic autem conficitur ratio. Genus proximum in vnaquaque specie est illud, quod immediatè coniungitur cum differentia propria, qua formaliter talis species constituitur; gradus autem essentiæ, qui immediatè coniungitur cum differentia proxima cuiuscunque speciei est tantùm vnus, & consequenter cum sit vnus, erit etiam determinatus, & certus; cum quicquid est in se vnum, sit etiam determinatum: vndè non poterit assignari pro proximo genere hic, vel ille gradus, sed vnus tantùm, si modo rectè assignetur, & iuxtà exigentiam essentiarum. Hæc autem ratio per singulas partes declaratur. Et quòd genus proximum sit illud, quod immediatè coniungitur cum differentia propria talis speciei, ferè ex ipsis terminis notum est; si enim mediante aliquo genere coniungeretur, quomodo esset proximum, si illud intermediaret? Deindè ille gradus essentiæ, qui intermediaret, & esset genus respectu differentiæ talis speciei, se haberet, vt differentia respectu alterius generis, quod connecteret cum differentia, atque adeò constitueret aliquam aliam speciem: atque huius speciei cõstitutæ genus propriũ esset illud, quod non vniretur immediatè cum differẽtia, vndè non esset genus proprium illius speciei, quæ constituitur per differentiam, cum qua immediatè non vnitur, vt clarè patebit adhibito exemplo. Nam si ponamus speciem esse corpus animatum, si genus proximum non vniretur immediatè cum ratione animati, sed solùm mediante aliquo alio gradu essentiali, vt esset ratio corporis, & ponatur esse substantia, tunc substantia non erit genus proprium corporis animati, sed tantùm alterius speciei, nempè substantiæ corporeæ, quia cum ratione corporei constituet speciem, & hæc cum ratione animati; itaque debet genus proximum immediatè vniri cum differentia propria talis speciei.

Genus proximũ immediatè vnitur cum differentia propria speciei.

XI. Altera autem pars eiusdem argumenti, quòd videlicet gradus essentiæ, qui immediatè vnitur cum differentia propria speciei, sit tantùm vnus, etiam declaratur, quoniam vna differentia adæquatur tantùm cum vno genere, eius tantùm capacitatem potest explere, quia etiam si ponamus, eamdem differentiam posse aduenire pluribus generibus, non tamen simul potest illa genera coarctare, & afficere, hoc est constituẽdo vnam, & eamdem speciem. Et currit eadem paritas de composito physico, quia sicuti vna forma physica non potest afficere, & informare simul, nisi vnã materiam, ita vna differentia non potest actuare, nisi vnum genus; & sicuti etiam in vno composito physico potest interuenire tantùm vna materia proxima, ita etiam in vna specie, quæ est compositum metaphysicum, potest interuenire solùm vnum genus proximum. Deindè si plura genera proxima, & non subordinata reperirentur in eadem specie, sequeretur hoc absurdum, quòd ea, quæ essent idem specie, essent diuersa genere, quod omninò implicat, vt suprà quoque dictũ fuit. Hæc autem sequela ostenditur, quia, quæ participant diuersum genus, sunt diuersa genere; tunc autem quæ essent talis speciei participarent diuersum genus, illa nempè, quæ essent genera proxima talis speciei non subordinata, non enim esse possent plura genera, nisi essent diuersi gradus essentiæ. Prætereà

Gradus essentiæ, qui immediatè vnitur cum differentia propria speciei, vnus tantum.

hæc

hæc plura genera proxima talis speciei, vel essent genera summa, & tunc idem poneretur in diuersis prædicamentis; quod fieri non potest. Vel essent genera subalterna, & tunc deberent esse vnita cum aliquo genere superiori, seu illud participare; & cum non sint inter se subordinata, diuident tale genus, & constituent diuersas species, quæ autem semel sunt diuersæ speciei, non possunt amplius fieri eiusdem speciei: Quare omninò implicat genus proximum determinatæ speciei non esse vnum. Atque hanc rationem fusè explicare volui, quia habet plurimum ponderis ad conuincendam nostram conclusionem.

2. ratio. XII. Secunda ratio, In qualibet specie completa datur primus, & vltimus gradus essentiæ, inter quos clauditur reliquum illius essentiæ, vndè omnes alij sunt intermedij. Atque huius rei ratio breuiter assignari potest, tum ex finitate rei; cum enim essentia sit finitę perfectionis, etiam clauditur certis terminis essentialibus, qui nihil aliud sunt, nisi primus, & vltimus gradus essentię, siue pro primo assignetur gradus entis, siue aliquis alius. Deindè omnes essentiæ sunt aliquid participatum, atque adeò earumdem participatio debet incipere à ratione entis; huic autem rationi entis debet superaddi aliquis determinatus gradus, & hic erit primus: deindè debet claudi aliquo gradu, à quo vltimò compleatur in suo esse, & possit ratione illius coniungi cum indiuiduatione, qui, vt diximus, constituet differentiam vltimam. Quo stante sic argumentor. Omnes gradus, qui mediant inter primum, & vltimum sunt inter se subordinati, itavt, a primo vsque ad vltimum, vnum subordinentur alteri: ergo pro genere proximo cuiuscunque speciei potest assignari vnus tantùm determinatus gradus essentiæ. Hæc consequentia patet, nam dum hi gradus inter se subordinantur, vnus tantùm erit genus respectu alterius, & hic respectu sequentis, primus videlicet respectu secundi, secundus respectu tertij, & sic deinceps vsque ad vltimum. Deindè quilibet gradus se habet etiam, vt differentia respectu superioris, vndè hoc ordine seruato, vnus gradus tantùm immediatè contrahitur ab alio, & non multiplex, & consequenter in illa contractione vnus tantùm gradus habet rationem contrahibilis, & generis proximi respectu talis speciei, quæ per talem gradum contractiuũ constituitur. Quod autem spectat ad Antecedens, omnes videlicet gradus intermedios esse subordinatos inter se, etiam declaratur ex vnitate essentiæ: non enim potest essentia esse vna, nisi omnes gradus se habeant per modum actus, & potentiæ, quia etiam si non distinguantur realiter, adhuc debent seruare proportionem in sua distinctione pro exigentia rei. Et sicuti, quæ non se habent vt actus, & potentia, non possunt constituere vnum per se cõpositione physica, si sint partes physicæ, ita si partes metaphysicæ non se habeant vt actus, & potentia, non possunt constituere vnum per se compositione metaphysica. Præterea stante diuersitate graduum intermediorum, qua inuicem diuersificantur, & in vno primo gradu fundantur, nisi essent omnes inuicem subordinati, quotiescunque deficeret subordinatio, diuiderent illum gradum, in quo immediatè fundarentur; vnusquisque enim gradus de se est limitatiuus, & contractiuus sui superioris, quia cum sit quid limitatum, & importet certum gradum essentiæ, dum aduenit superiori, illum limitat, & determinat ad talem essentiam; quare si plures gradus inter se non subordinati aduenirent, diuiderent talem gradum in plures species, & proindè non possent vnam essentiam, & naturam constituere, sed essent plures differentiæ, plures species constituentes.

Omnes gradus in essentijs inuicem subordinati, quorũ vnus primus, alter verò ex illis vltimus.

XIII. Tertiò prob. Quæ sunt idem specie, multò magis sunt idem genere, possunt enim aliqua esse diuersa specie, & idem genere, non tamen esse diuersa genere, & idem specie; quia, vt alibi diximus, identitas inferior infert quoque superiorem. Rursus, quæ constituuntur sub duplici genere, non subordinato, sed æquè proximo, differunt genere, quia per diuersa genera constituuntur, vt per se patet. His ergo principijs positis, eruitur ratio. Vna species potest habere vnum tantùm genus proximum, cætera verò genera erunt magis remota, & huic subordinabuntur; atque hoc verum est, nedum de specie infima, sed etiam subalterna; ergo quando assignatur genus proximum alicuius speciei, si assignatur verum genus, potest tantùm pro ipso assignari aliquis gradus essentiæ determinatus, nempè ille, sub quo ponitur talis species immediatè, & qui ime-

3. ratio.

Vna de species non potest constitui sub duplici genere æquè proximo.

mediatè diuiditur à differentia, quæ constituit huiusmodi speciem. Quòd autem vna species possit habere vnicum tantùm genus proximum, sub quo immediatè ponatur, sequitur manifestè ex principijs positis, quia si esset multiplex genus proximum, hæc plura genera non possent subordinari, alioquin non essent æquè proxima, vndè eadem species poneretur sub multiplici genere proximo, & immediato, & consequenter quæ essent idem specie, differrent genere.

Soluuntur rationes Auersæ.

SECTIO IV.

I. Restat nunc, vt rationibus in oppositum satisfaciamus. Pro quarum solutione aduertendum est, Nos non negare, posse in aliqua specie plura genera, & plures differentias designari, ita vt eadem natura secundùm vnam differentiam ab vna differat, & secundùm aliam ab alio; & similiter secundùm vnam rationem genericè conueniat cum vno, & secundùm aliam conueniat cum altero, quia hoc satis manifestum est, & hoc solùm conuincunt etiam rationes Auersæ, vt ex responsione ad singulas patebit. Sed quod dicimus, est, in quacunque specie, siue infima, siue subalterna, vt talis est, vnicam tantùm interuenire differentiam propriam talis speciei, & vnicum tantùm genus proximum; vndè pro genere, & differentia huius determinatæ speciei non potest hic, vel ille gradus designari, vt contendebat Auersa, sed solùm aliquis certus, & determinatus.

Ad primam oppositæ sententiæ.

II. Hinc ad primam rationem, quæ fundabatur in inductione per singulas partes respondendum est. Et quod spectat ad primam, in qua dicebatur, quòd in homine assignari potest pro genere, tùm animal, tùm substantia intellectualis; & pro differentia tùm rationale, tùm discursiuum, seu corporeum, aut mortale, dicimus, quòd substantia intellectualis non est verum genus hominis, sed tantùm animæ rationalis, prout est contradistincta à corpore, & est pars hominis, & ratio manifesta est, quia vel genus desumitur à tota natura, & tunc non potest esse substantia intellectualis, quia ratio substantiæ intellectualis saluatur in sola anima, & ab ipsa sola adæquatè sumitur; vel sumitur tantùm à parte physica, & tunc debet desumi à materia, quia desumendum est ab eo, quod est magis commune, non autem à forma, qualis est anima, vndè substantia intellectualis non potest esse genus proximum hominis, & semper quæcunque ratio essentialis assignetur, nunquam erit genus proximum; nisi immediatè vniatur cum vltima differētia cōstitutiua hominis. Similiter quòd spectat ad differentiam.

Substantia intellectualis non est genus hominis.

Si discursiuum non sumitur, tanquam propria passio, sed tanquam quid essentiale constitutiuum, tunc non erit differentia diuersa à rationalitate, quia esse rationale dicit talem modū intellectionis; quia tamen homo ita intelligit cum discursu, vt possit etiam sine ipso intelligere, idcircò hic modus intelligendi non constituit differentiam hominis, sed adhuc remanet ex vi suæ differentiæ in esse intellectiuo, quòd tamen sit corporeum, quia anima ita est intellectiua, vt tamen ordinetur ad dandum esse corpori. Similiter etiam corporeum non est aliqua vltima differentia in homine sed est gradus quidam essentiæ desumptus ab vna tantùm parte, quæ præsupponitur ante esse viuens, & spectat ad constitutionem hominis, tanquam pars materialis, & est ratio quædam generica in ipso homine, non autem vltima differentia, sicuti etiam est mortale, in quo homo conuenit cum brutis, atque hoc esse mortale non dicit aliquem gradum essentialis perfectionis, sed tantùm conditionem quamdam vnionis inter corpus, & animam. Quare per huiusmodi prædicata non assignatur propria differentia hominis, & consequenter argumentum non militat amplius contrà nostram sententiam; Sed solùm hinc sequitur, quòd per varia prædicata possimus vnam essentiā distinguere, prout ad alias diuersas comparatur.

Neq; rationale, neq; discursiuū, neq; mortale propria differentia hominis.

III. Altera autem pars inductionis, in qua dicitur, pro genere animalis posse assignari tùm corpus animatum, tùm viuens cognoscitiuum, falsum est, vtrumque esse genus proximum. Nam viuens cognoscitiuum reperitur quidem in brutis, homine, & angelis, non tamen est genus respectu sensitiui, quia desumitur ab eodem gradu vitæ à quo desumitur sensitiuum; vndè cum genus, & differentia distinguantur penes diuersos gradus vitæ, non ponitur cognoscitiuum pro genere, sed corpus animatum, quia im-

Quod nā sit genus animalis.

immediatè in corpore animato fundatur gradus sensitiuus. Quòd si viuens cognoscitiuum est genus proximum, non erit corpus animatum, sed tantùm quò ad nos quatenus illo pro genere proximo vtimur. Deindè addo, quòd vegetatiuus gradus, sensitiuus, & rationalis sunt tantùm partes eiusdem animæ, separabiles tamen in productione, & quādo sunt in eadem forma, conueniunt tali animæ ex vi suæ vltimæ rationis specificæ; anima enim rationalis in suo esse adæquato includit omnes istos tres gradus, vt latius suo loco explicabimus, quia cum secundùm omnes sit constituta in esse principij operatiui, & sit secundùm vnumquemque completa quantum est ex parte virtutis vitalis in ordine ad operationes, debet illos in suo vltimo esse includere tanquam quid specificum.

Anima rationalis includit ōnes tres gradus in suo vltimo esse specifico

IV. Denique in vltima parte inductionis malè dicitur, Habitum esse genus proximum scientiæ, quia dantur etiam alij habitus intellectuales, qui sunt essentialiter diuersi à scientia, vndè cum dicitur, posse assignari pro genere qualitatem intellectualem, nisi per qualitatem intellectualem intelligatur habitus intellectualis, non erit genus proximum, nam antequam deueniatur ad rationem scientiæ transeundum est à qualitate intellectuali per rationem habitus intellectualis; deindè talis habitus, & licet in ratione qualitatis intellectualis conueniat cum actibus intellectus, non tamen conuenit tanquam in genere proximo, sed solùm tanquam in genere remoto: vndè esse quid habituale, est quidem differentia contradistinguens habitū ab actu, sed est differentia subalterna in ipsomet habitu vlteriùs contrahibilis per alias differentias essentiales.

Habitus nō est genus proximum scientiæ.

V. Ad secundam rationem negādum est assumptum, videlicet idem genus posse diuidi diuisione immediata varijs modis, sed si diuisio immediata sit, semper per easdem differētias diuidi debet, quæ erunt duæ, sint immediatè opposita, vel plures, si non sint immediatè opposita. Et ad probationem in oppositum dico, quòd substantia non potest immediatè diuidi in viuentem, & non viuentem, quia neque ratio viuentis immediatè afficit substātiam, quia si viuens sit corporeum, prius est corporeum, quàm viuens; si verò sit incorporeum, adhuc ratio viuentis aliquem alium, gradum essentiæ præsupponit, præter substantiam & ideò non est differentia immediatè adueniens substantiæ, & consequenter neque non viuens, seu id, quod per hanc negationem explicatur: sic etiam corruptibile, non immediatè aduenit substantiæ, sed est passio corporis physici, & radicatur in eo, quòd sit compositum ex materia, & forma separabili, & est potius passio illius, quàm differentia: sic etiam incorruptibile. De quantitate verò dicimus, non posse immediatè diuidi in permanentem, & successiuam, quia, vt suprà etiam adnotauimus ex Arist. Successiua quantitas non est vera species quantitatis, cum sit quanta tantùm ratione subiecti, non verò intrinsecè. An autem, cum diuiditur in discretam, & cōtinuam, sit diuisio in veras species, pendet ex eo, an quantitas discreta, vt talis est, sit vera species quantitatis positiua. Deindè etiam difficultatem facit, quòd continuitas dicit tantum vnionem partium ipsius quantitatis, & consequenter se debet habere, vt passio illius, non vt differentia. Verùm de hoc alibi. Ad Arist. autem dico, vti illa diuisione, quia non diuidit animam secundùm essentiam sed solùm secundùm quamdam partialem organizationem corporis, nempè pedis, ex qua deindè, à posteriori, tanquā ex signo, colligimus differentiam totius animalis secundùm esse corporeum, vndè non tenet consequentia illius rationis, cum falsum sit antecedens. Denique tertia ratio nihil probat, quia nos quoque concedimus, quòd in eadem essentia adæquata possint assignari plura genera, & plures differentiæ, sed vna tantùm ex his erit vltima, & vnum proximum genus: reliquæ verò differentiæ constituent diuersas species subalternas, in quibus quoque vna tantùm erit differentia propria, & vnum tantùm proximum genus, vt iam patet ex dictis.

Ad secundum.

Substantia nō diuiditur immediatè in viuentem, & non viuentem.

Arist. explicatur

Ad tertium.



Vndè

Vndè Genus, & Differentia desumatur.

Disp. LXIX.

Genus desumi à materia, & differentiam à forma ex quorumdam sententia.

SECTIO I.

I CVm esse metaphysicum desumatur ab esse physico, à quo abstrahitur, difficultas insurgit, à quonam desumantur hæc duo principia compositi metaphysici, nempè gradus genericus, & differentialis; cum enim veniant in compositionem speciei tanquam partes, dubitari solet, an ex partibus physicis desumi debeant, videlicet genus à materia, & differentia à forma, an verò vtrumque à tota natura secundùm diuersas rationes considerata. Et quidem genus desumi à materia, & differentiam à forma, adeò frequenter in scholis vsurpari solet, vt ferè quoddam axioma videatur. Inter auctores tamen, qui de hoc ex professo tractant, solus Soncin. 10. Metaph. quæst. 25. hanc sententiam tradit, nam alij, qui citari solent, non hoc intelligunt, vt patebit ex ijs, quæ mox afferemus.

Prima opinio. Genus desumi materia, & differentiam à forma.

Soncin.

II. Citari ergo solet D. Th. 1. par. quæst. 50. ar. 2. ad 1. vbi ait *In rebus autem materialibus, aliud est, quod determinat ad specialem gradum, scilicet forma, & aliud, quod determinatur, scilicet materia, Vndè ab alio sumitur genus, ab alio differentia*. Atque hic locus magis, quàm quilibet alius fauet huic sententiæ. Nihilominus ita intelligendus est, vt in materialibus, cum ratio potentialitatis sit in materia, & ratio actualitatis in forma, materia præbeat fundamentum ad abstrahendum genus, quod se habet per modum potentialitatis, ita tamen, vt non abstrahatur à sola materia, sed tota natura; & forma præbeat fundamentum abstrahendi differentiam, quæ se habet per modum actus, ita tamen, vt à tota natura desumatur, sed fundamentum proximum, & motiuum habeatur à forma, quia essentia diuiditur in partes metaphysicas cum analogia ad physicas. Similiter quando citatur in quæst. de Spirit. creatur. ar. 1. in resp ad 2. vbi ait *Talis limitatio formæ non fit per materiam, sed per formam magis determinatam, à qua sumitur differentia*, loquitur de sola differentia, quæ licet desumatur à tota natura, desumitur tamen peculiari modo à forma, vt explicabimus.

Mens D. Th.

III. Rursus etiam cum citatur 2. contra Gent. cap. 95. simul cum Ferrar. solùm docet, quòd ex materiali desumitur genus, & ex formali alicuius essentiæ desumitur differentia, quia videlicet differentia dicit aliquid determinatiuum essentiæ, quod similiter etiam dicit forma, ait enim *Ratio igitur determinata speciei consistit in hoc, quòd natura communis in determinato gradu entis collocatur, & quia in rebus ex materia, & forma compositis, forma est quasi terminus, id autem, quod terminatur per eam, est materia, vel materiale, oportet, quòd ratio generis sumatur ex materiali, differentia verò specifica ex formali, & ideo ex differentia, & genere fit vnum, sicut ex materia, & forma*. Et hàc doctrinam declarat ibid. Ferrar. §. *sciendum tertio &c.* ait namque. *In rebus materialibus duo sunt, à quibus sumitur ratio generis, & duo, à quibus sumitur ratio differentiæ, scilicet id, à quo proximè sumuntur, & id, à quo remotè sumuntur, & originaliter. Proximum, à quo sumuntur natura speciei, quæ diuersos conceptus nata est fundare, vt diximus, & sic ab vna, & eadem re proximè, & immediatè sumitur genus, & differentia, puta ab illa entitate, quæ est humanitas sumitur animal, & rationale, & tam animal, quàm rationale illam significat, sub alia tamen, & alia ratione; animal quidem, vt natura sensitiua est, rationale verò, vt est intellectiua. Quod autem primò, & originaliter fundat genus, & differentiam, est materia, & forma*. Deindè declarans quomodo genus à materia, & differentia à forma originetur, subdit *Diuersas enim perfectiones ordine quodam materia recipit à forma vna, sicut, & diuersas formas nata est ordinatè recipere, ita quod sub vna perfectione comparatur ad*

Ferrar.

alium.

aliam sicut potentiale ad actuale, sicut perfectibile ad perfectionem, & sicut determinabile ad determinans, forma verò est, qua terminat potentialitatem materia dando illi esse, & complementum, & sic natura imperfecta à materia habet, quòd sit possibilis ad esse perfectum, in quantum materia potentialitas non completur per illud esse imperfectum, sed magis disponitur ad esse perfectum, quemadmodum in processu generationis per formam imperfectam disponitur ad perfectam. Esse autem perfectum habet a forma, quod sit actualitas, & terminatio, in quantum forma per tale esse potentialitatem materia, & esse imperfectum, & terminat, & complet: & propter hoc benè dicit hic. quòd à materia sumitur genus in rebus materialibus, aut a materiali, quia videlicet à tota natura specie, vt potentialis est, sumitur proximè, tanquam à natura per ipsum nomen generis significata; à materia verò sumitur remotè, & originaliter, tanquam à prima origine potentialitatis natura. Similiter, & ab ipsa eadem natura specifica, vt actualis est, & determinans sumitur proximè differentia: tanquam à natura nomine differentia significata: a forma verò remotè, & originaliter sumitur, tanquam à prima actualitatis origine. Ex quibus patet, hos auctores non esse huius opinionis, quòd genus non desumatur à tota natura, sed à sola materia, similiter & differentia non desumatur à tota natura, sed à sola forma.

D. Th. Caiet. IV. Solet etiam ex D. Th. citari alter locus De ente, & essent. cap. 3. simul cum Caiet. ibidem, sed ibi quoque intelligit, quòd sumatur genus à tota essentia, vt dicit materiale, & differentia à tota essentia, vt dicit formale, vt colligitur ex verbis ipsius, dum ait. *Ex hoc patet ratio, quare genus, & species, & differentia, se habeant proportionaliter ad materiam, & formam, & compositum in natura, quamuis non sint idem cum illis, quia neque genus est materia, sed sumitur à materia, vt significans totum; nec differentia est forma, sed sumitur à forma, vt significat totum.* Et post pauca subdit. *Quamuis autem genus significet totam essentiam speciei, non tamen oportet, diuersarum specierum, quarum est idem genus, sit vna essentia, quia vnitas generis ex ipsa indeterminatione, vel indifferentia procedit, non autem ita, quòd id, quod significatur per genus sit vna natura numero in diuersis speciebus, cui superueniat res alia, qua sit differentia, determinans ipsum, sicut forma determinat materiam, qua est vna numero, sed quia genus significat quamdam formam, non tamen determinatè hanc, vel illam, quam determinatè differentia exprimit, qua non est alia, quàm illa, qua indeterminatè significabatur per genus.* Atque Caiet. ibidem ita explicat hanc doctrinam D. Th. vt asserat, genus dicere totam naturam secundùm esse materiale indeterminatum, & differentiam similiter totam naturam, sed secundùm esse formale determinatum. Atque hæc fusè retuli, vt manifestum fiat, perperam hos auctores pro hac sententia citari.

V. Potest nihilominus hæc sententia fundari, & primò quidem in auctoritate. Arist. 8. Metaph. tex. 4. vbi inquit. *Aliquid de aliquo significat ratio definitiua, & oportet hoc quidem, vt materiam, illud verò, vt formam esse:* vndè vult genus à Materia, differentiam verò à forma desumi. Præterea ab eo desumitur genus, à quo desumitur distinctio eiusdem, cum idem sit constitutiuum, & distinctiuum, distinctio autem generum præsertim summorum desumitur à materia, nam cum distinguantur per diuersos modos prædicandi, & à materia sumantur illi diuersi modi, debet ab illa quoque sumi distinctio, sic materia sensibilis comparatur ad substantiam, tanquam ad totum, quæ de ipsa prædicatur, sicut totum de parte. Rursus cum genus sit quid potentiale, & differentia quid actuale, debet genus desumi à materia, quæ est potentia, & differentia à forma, quæ est actus. Funda. menta s. citatæ sententiæ. Arist.

Tùm genus, tùm differentiam desumi à tota natura.

SECTIO II.

I. Longè autem probabilior est opinio, quæ asserit, genus non desumi à materia, neque differentiam à forma, sed vtrumque à tota natura diuersimodè considerata. Ita tradunt Alexan. lib. 2. Natur. quæst. cap. vltimo Scot. quæst. 16. Vniuer. Soto in Logica cap. de Gener. quæst. vnica art. 2. Suarez in Metaph. disp. 6. sect. 11. Ruuius. in Logica quæst. 3. de Different. Sanchez item in Logica quæst. 45. Auersa ibidem Secunda opinio. Genus, & differentiam desumi à tota natura. Alexand. Scot. Soto. Suarez. Ruuius. Sanchez. Auers.

Caiet. Ferrar. D. Th.

quæst. 13. sect. 2. Atque communiter Recentiores hanc sententiam sequuntur. Imò est etiam Caiet. & Ferrar. locis supracitatis, & habetur ex claris testimonijs D. Th. nam præter allata, ex quibus hoc ipsum colligitur, 7. Metaph. lect. 19. inquit *Sciendum est autem, quòd licet idem secundùm nomen possit esse genus, & materia, non tamen idem eodem modo acceptum. Materia enim est pars integralis rei; & ideò de re prædicari non potest, non enim potest dici, quòd homo sit caro, aut os: genus autem prædicatur de specie, vndè oportet, quòd aliquo modo sit totum*. Et opusc. 42. de Natur. Gener. cap. 5. declarans, quomodo genus dicatur desumi à materia, & differentiam à forma, ait, non debere intelligi de materia, & forma, quæ sunt partes physicæ, sed de materia totius, hoc est, de esse materiali tius, & pariter de forma totius, hoc est, de esse formali. Referam verba ipsius, vt eius mens clarior sit. *Sed alio modo (inquit) est hoc in rebus materialibus, & alio modo in simplicibus. Potentialitas enim totius compositi in rebus materialibus est à materia, ideò ab ea sumitur genus: perfectio verò totius est à forma, ideò à forma sumitur differentia. Per formam enim ipsam contingit esse actu, ideò aliud, & aliud in essentia est, vndè sumitur ratio generis, & ratio differentiæ in compositis. Materia enim, prout est materia respectu formæ, est pars, & forma similiter pars comparata ad materiam: pars autem de toto non prædicatur, ideò genus, & differentia non sumitur à materia, & forma; ad inuicem comparata, cum genus, & differentia prædicetur de toto; sed quia materia est materia totius, & non solùm formæ, & forma est forma totius, & non solùm materiæ, ideò nomen designans totum, sumptum à forma totius, est differentia, & nomen designans totum, sumptum à materia totius; est genus*. Et cap. 7. eiusdem opusc. dilucidius eamdem doctrinam repetit, dum ait. *Ad horum euidentiam considerandum est, quòd cum genus de toto prædicetur, vt animal de homine, ratio generis non sumitur à materia, prout est pars, vt dictum est suprà, & eodem modo de differentia dicendum est, cum & ipsa de toto prædicetur*. Nec dubium est, quin hæc quoque sit Arist. sententia, nam in tex. 35. lib. 7. Metaph. inquit. *Vniuersale verò substantia non est, sed totum quoddam ex hac ratione, & hac materia, tanquam vniuersali*. Vnde cum genus sit quoddam vniuersale: desumetur ex materia, & forma, in vniuersali acceptis; & non erit substantia, hoc est tota definitio.

Arist.

II. Vt igitur hanc sententiam, quam veram puto, confirmemus, sciendum est, quòd quædam sunt prædicata, quæ conueniunt toti naturæ completæ, quædam verò, quæ conueniunt tantùm parti, quando huiusmodi natura est composita ex partibus physicis, cuiusmodi sunt illa prædicata, quæ habentur in singulis partibus, seorsim consideratis, vt esse potentiam substantialem, & subiectum primum, quæ conueniunt materiæ; esse actum informantem, quod conuenit formæ. Hæc autem huiusmodi prædicata, quæ conueniunt parti, vt talis est, non possunt communicari toti naturæ, vt completa quædam natura est, atque ratio est euidentissima, quoniam, sicuti pars habet oppositionem cum toto, vt, quatenus talis est, implicet esse quoddam totum: ita etiam, quæ conueniunt parti, vt pars est, habent oppositionem cum ipso toto, & non possunt illi conuenire, quatenus aliquid completum est, & cum genus, sicuti etiam differentia dicatur de natura completa, vt talis est, hinc fit, vt aliquod prædicatum proprium partis non possit constituere genus, aut differentiam, vt etiam inductione patebit, quod ex eo quoque patet, quia partes habent diuersas differentias, vt constat in materia, & forma.

Quædam prædicata propria partium non possunt.

III. Inter hæc autem prædicata, quæ conueniunt toti naturæ, quædam ita se habent, vt sint illi accidentalia, & tantùm denominatiuè conueniant; & de his in præsenti non est sermo, quia cùm non sint essentialia, nequeunt constituere genus, aut differentiam, & tantùm illi côueniunt per quamdam cõmunicationem accidentalem. Et hinc etiam excluduntur quædam peculiaria prædicata Christi Domini, quæ ipsi conueniunt tantùm ratione vnius naturæ, per communicationem idiomatum, vt inquiunt Theologi, quia licèt vna natura communicet alteri propria prædicata, ratione illius vnionis, quæ facta est in persona; quia tamen natura humana est vnita cum persona diuina contingenter, & veluti accidentali modo respectu illius se habet, idcircò prãdicata quoque mutuo communicata, veluti contingentia sunt, ita vt veluti cõtingens sit, quòd alteri naturæ conueniant,

Quæ prædicata nequeunt genus, & differentiam constituere.

niunt, quatenus contingens est, quòd natura humana sit vnita Verbo; atque adeò etiam denominatiuè se habeat solùm respectu illius. Vndè & hæc prædicata in præsenti excludenda sunt, & solùm illa consideranda, quæ conueniunt per se, & necessariò alicui naturæ completæ. Hæc autem prædicata in naturis compositis ex materia, & forma videntur fundari aliquando in aliqua parte, materia scilicet, aut forma; hoc tamen non officit, quominus sint prædicata totius naturæ, nam materia, & forma sibi mutuò communicant omnia illa prædicata, quæ non habent oppositionem cum tota natura, seu quæ non important rationem partis contradistinctæ à toto, & sicuti quia hæ partes vniuntur, tanquam actus, & potentia, ita etiam communicant propria prædicata toti naturæ, dum illam constituunt tanquam partes essentiales, ita vt sint prædicata totius naturæ.

Prædicata radicata in vna parte, conueniunt toti naturæ

IV. His ergo declaratis; Dico primò, Genus non desumi à materia, vt est pars præcisa compositi, sed desumi à tota natura, vt importat quamdam rationem potentialitatis, seu perfectibilitatis per vlteriorem actum metaphysicum. Hæc conclusio conuincitur primò ex substantijs simplicibus, & accidentibus, in quibus nulla est compositio ex materia, & forma, & tamen constant ex genere, & differentia, vt patet ex essentiali conuenientia, quam habent inter se, & etiam cum cœteris rebus compositis, vt supra explicauimus; ergo etiam in ijs, quæ constant ex materia, & forma, debet genus desumi à tota natura, non ab vna parte. Hæc consequentia declaratur, quia in naturis simplicibus desumitur genus à tota natura, quatenus dicit aliquam potentialitatem, vndè ad exhibendum illud metaphysicum, quod importat genus, necessaria est tota natura considerata secundùm esse potentiale; ergo in compositis quoque debet concurrere tota natura completa ad exhibendum illud potentiale, quod importat genus, nec sufficiet vna pars; genus enim proportione seruata debet semper idem, & eodem modo importare, idem autem metaphysicum requirit semper proportionaliter idem fundamentum physicum.

Prima conclusio. Genus sumitur à tota natura, vt est quid potentiale

Potentiale naturæ fundat genus.

V. Secundò probatur ex natura formæ, in ipsa enim pariter est fundamentum generis, seu potest ab ipsa desumi genus; ergo genus, nedum à materia desumetur, sed etiam à forma, & consequenter à tota natura, nam materia, & forma constituunt completam naturam; genus enim debet ab eo toto desumi, in quo reperitur id, quod importat genus. Consequentia est nota, & solùm superest declarandum Antecedens. Genus importat aliquid potentiale pluribus speciebus commune, & aliquid perfectibile per vlteriorem gradum essentiæ, sicuti è contrario differentia importat aliquid actuale, & perfectiuum: hoc autem totum saluatur, nedum in materia, sed etiã in forma, ab illa enim desumi potest aliquid potentiale, & pluribus speciebus commune; licet enim res physicæ per formam differant, non tamen forma ita secundùm se totam est ratio differentiæ, vt etiam non importet aliquid commune. Sicuti enim si plures formæ physicæ inuicem comparentur, adhuc inter se conueniunt, nedum in ratione entis substantialis, sed etiam in ratione actus informantis, imò etiam in ratione talis actus genericè tamen considerati; ita similiter si considerentur, prout sunt in natura completa, quam constituunt, illi exhibent has easdem conuenientias; & ex hoc fit, vt possit à natura etiam ratione formæ abstrahi aliquid potentiale commune pluribus speciebus, quod sit genus.

2. ratio.

Quomodo forma fundet aliquid genericum.

VI. Tertiò argui potest pro eadem conclusione. Genus multoties includit aliquod esse formale, quod in sola forma reperiri potest; ergo genus desumi debet etiam ab ipsa forma, siquidem à toto illo esse physico desumitur, in quo imbibitur tale esse metaphysicum formale, quod importat genus. Quod igitur genus multoties includat aliquod esse formale, quod solùm à tali determinata forma desumi possit, non melius ostenditur, quàm facta inductione per ipsa genera subalterna, hæc enim genera inuoluunt quædam determinata prædicata, quibus natura contrahitur ad aliquod esse determinatum; sic genus corporis mixti innoluit rationem mixtionis, quæ à nullo alio sumi potest, præter quàm à forma mixtionis: corpus simplex habet, quòd sit simplex ab ipsa forma, & vt corpus simplex, est etiam genus. Rursus genus viuentis corporei non habet aliundè, quòd sit viuens, nisi ab anima, quæ est forma physica ipsius; & eadem indu-

3. ratio.

Quedam genera requirunt determinatã formam.

ctio fieri potest per plura alia genera. Si igitur semel genus desumitur à tota natura, prout dicit materiam, & formam, debet semper ab ipsa desumi, cum idem semper proportionaliter importet.

VII. Quin addo, quòd semper genus importat aliquid desumptum etiam a forma, quantumuis sit genus generalissimum, vndè confici potest quarta ratio pro eadem conclusione. Genus quantumuis summum importat aliquam naturam in ipsa inchoatam, non quomodocunque, sed per modum gradus superioris essentialis dicentem totum id, quod requiritur ad complementum talis gradus essentialis; vndè debet esse talis conditionis, vt possit directè poni in prædicamento. Hinc dicuntur sola entia completa poni directè in prædicamento, non quia genera, & species subalternæ sint omninò completæ; sed quia, quod ponitur directè in prædicamento, est semper omninò completum intrà rationem talis gradus, quem formaliter importat. Verùm hic gradus completus intrà suam rationem, etiam si sit genus summum, non potest desumi à sola materia, sed debet à forma quoque desumi, vt patet in substantia, quæ sola est genus eorum, quæ sunt composita ex materia, & forma, physica compositione per se: ratio enim substantiæ dicit completam rationem substantiæ vt sic, ratio autem substantiæ vt sic non dicit solam rationē potentialem substantiæ, sed etiam rationem actualem, quia sicuti talis substantia dicit rationem talis actus substantialis, quo compleatur in ratione talis substantiæ; ita etiam substantia vt sic dicit rationem actualem substantiæ vt sic, qua compleatur intrà latitudinem talis gradus, & similiter contingit in quocunque gradu essentiali, cum enim dicat totum id, quod est possibile intrà rationem talis gradus, debet etiam dicere rationem actualem talis gradus. Modò ratio actualis cuiusque gradus potest tantùm desumi à forma, cum sola sit essentialiter actus, materia autem potentia. Itaque cum quodlibet genus importet rationem actualem talis gradus essentialis, desumi debet à forma ratione huius actualitatis: atque hæc ratio rem à priori sufficienter declarat, & demostrat, cur genus non obstante eius potentialitate, debeat à forma quoque desumi.

4. ratio.

Genus secundùm id, quod dicit, non adæquatur per solam materiam.

VIII. Dico secundò. Differentiam quoque desumi à tota natura, prout dicit esse formale eiusdem naturæ. Atque hoc verum est, nedum de differentia vltima, sed etiam subalterna, ita tamen, vt subalterna abstrahatur tanquam aliquid simul potentiale, & formale respectu diuersorum: quod idem est, ac si diceretur, tanquam aliquid perfectibile, & simul perfectiuum. Verùm aduertendum est, quòd differentia ita desumitur à tota natura, vt tamen forma sit illa, quæ ex vi suæ entitatis exhibeat rationem illam formalem differentiæ, qua determinat genus, & trahit ipsum ad complementum certæ naturæ, quia tamen forma communicat hoc suum esse composito, & ex materia, & forma fit vnum per se, idcircò differentia desumitur à tota natura, sed quatenus dicit esse formale naturæ: hoc autem esse formale importat quidem aliquid desumptum à tota natura, sed quod principaliter habetur à forma, tanquam à constitutiuo, vt quo.

Secunda conclusio. Differentia desumitur a tota natura.

IX. Hæc conclusio sequitur ex præcedenti, quia si genus desumitur à tota natura, quatenus dicit aliquid potentiale, differentia quoque debet desumi à tota natura, prout importat esse formale ipsius. Præterea differentia importat gradum essentiæ inferiorem, vel infimum, vel subalternum, hic autem gradus est completus intrà suam rationem; ergo includit, tùm id, quod confert forma, tùm etiam id, quod confert materia. Accedit etiam, quòd differentia subalterna dicit gradum essentiæ constitutiuum generis subalterni, quare si genus tùm supremum, tùm intermedium desumitur à tota natura, vt probatum fuit, etiam à tota natura desumetur differentia. Rursus differentia afficit genus, vt eius contractiuum, & perfectiuum, complens illam naturam, quæ inchoata est in genere, & trahens illam ad gradum essentiæ magis determinatū, vndè debet habere proportionem cum gradu generico, & adæquari cum eiusdem potentialitate, & sicuti genus dicit vniuersaliorem gradum essentiæ, ita differentia dicit alium integrum gradum trahentem integram naturam genericā, ad aliam integram naturam magis determinatam. Hoc autem saluari non potest, nisi differentia desumatur à tota natura; nam si genus desumitur à tota natura, ita vt dicat totam naturam secundùm rationem potentialitatis, dif-

ferentia quoque, vt cum ipso proportionetur, debet desumi à tota natura, quatenus dicit esse formale, ita vt genus sit esse potentiale totius naturæ, & differentia esse formale eiusdem naturæ. Similiter cum genus dicat inchoationem, qua natura secundùm totum suum esse inchoatur in ipso, quatenus scilicet hoc esse consurgit ex materia, & forma, debet etiam differentia, vt cum proportione correspondeat generi, importare alterum gradum totius naturæ, qui magis determinatè dicat totam naturam, & sit complementum secundùm totam latitudinem naturæ inchoatæ, quod saluari non potest, nisi importet aliquid desumptum à tota natura scilicet à materia, & à forma.

Differētia principalius desumitur à forma.

X. Quòd autem differentia principalius desumatur à forma, indè colligitur, quia differentia, vt talis est, importat semper aliquam rationem coarctatiuam generis, cum autem solius actus sit coarctare, & determinare, hoc, quod habet differentia, de determinatiuo, debet à forma desumere. Insuper differentia præsertim infima, & aliquæ etiam ex subalternis, quæ sunt infimis proximiores, dicunt aliquam determinatam essentiam, vt rationale dicit essentiam hominis, & est formale constitutiuum illius, atque differentiæ sunt illæ, per quas res physicæ inuicem distinguuntur. Cum ergo in ijs, quæ sunt composita ex materia, & forma determinatio essentiæ, & formale constitutiuum habeatur à forma, solùm enim per formam res compositæ distinguuntur, hinc fit, vt differentia peculiari modo debeat desumi à forma. Rursus etiam differentia, vt talis est habet, quòd sit propria radix illarum proprietatum, quæ conueniunt tali speciei, huiusmodi autem proprietates radicantur in forma physica: quare ex hoc quoque capite habet differentia, quòd peculiari modo desumatur à forma, ita tamen, vt desumatur etiam à materia, vt diximus, cum dicat totam naturam in esse magis completo, & determinato. Quod ex eo quoque conuincitur, quia cum idem possit esse genus, & differentia respectu diuersorum, ratione tamen eiusdem gradus essentialis, si differentia desumeretur à forma, & genus à materia, idem omnino gradus essentialis modo à materia modò à forma desumeretur, quod nequaquam possibile est.

In quo sēsu verum sit genus sumi à materia, differentiā à forma. D. Th. Ferrar. Caiet.

XI. Ex dictis autem hucusque colligi potest. Quomodo verum sit, genus desumi à materia, & differentiam à forma; si enim intelligatur, genus desumi ab eo toto, quod est materiale in tota natura, & differentiam formaliter ab eo, quod est formale in tota natura, vt etiam intelligunt D. Th. & Ferrar. simul cum Caiet. vt sect. præcedenti retulimus, id verum proculdubio est. At si intelligatur, desumi à materia, vt est pars physica compositi, & similiter differentiam à forma, vt est pars physica contradistincta à forma, hoc absolutè non est verum, vt iam diximus, sed solùm habere potest verum sensum, si ita intelligatur, vt ab entitate physica abstrahatur genus, & differentia cum proportione ad materiam, & formam, quia sicuti materia, & forma se habent, vt potentia, & actus constituentes vnum per se: ita quando abstrahuntur genus, & differentia, abstrahuntur tanquam actus, & potentia metaphysica, quæ faciunt vnum per se metaphysicum, nempè vnā essentiam.

Ad fundamenta in oppositum.

Explicatur Arist.

XII. Neque fundamenta oppositæ sententiæ valdè firma sunt, In illa enim auctoritate Arist. ex tex. 9. lib. 8. Metaph. non habetur, quod genus desumatur a materia, & differentia à forma, sed docet definitionem importare duas partes, quarum altera alteri adiacet, nempè genus, & differentiam, ex quibus differentia adiacet generi, & ait, vnam se habere vt materiam, nempè genus, quia est pars potentialis, vt toties dictum est; alteram, nempè differentiam se habere, vt formam, quia est pars actualis, quem sensum clarè indicant verba ipsius, dum ait *Et oportet hoc quidem vt materiam, illud verò vt formam esse*. Ad primam autem rationem negandum est, à materia sumi distinctionem generum, quomodo enim, cum materia saltem in omnibus sublunaribus sit vna, potest esse causa distinctionis inter diuersa genera naturarum sublunarium? Genera igitur distinguuntur seipsis, per suum gradum essentiæ, quem important, atque etiam ratione diuersitatis, quæ est in essentia importata habetur diuersus modus prædicandi, nec est necesse pro distinctiuo, aut pro diuerso modo prædicationis ad aliquid aliud recurrere: intrinsecum enim constitutiuum est etiam distinctiuum. Secunda

quo-

quoque ratio soluta manet ex dictis, neque enim ex eo, quòd differentia est quid actuale, & genus quid potentiale, sequitur, vt vnum desumi debeat à materia, altera verò à forma, sed solùm, quòd genus debeat desumi ab illo, quod est potentiale in tota natura, & differentia ab eo, quod est actuale, & formale.

XIII. Quòd si dicas cum Soncin. supracit. Non quidem omne genus desumi à materia quomodocunque considerata, sed tale genus desumi à materia, prout stat sub tali forma, vt genus corporis desumi à materia prout stat sub forma corporis; genus animalis desumi à materia, prout stat sub forma animæ, & sic de reliquis. Tunc inquiro, an quando desumitur hoc genus abstrahatur aliquid ab ipsa forma, an non. Si totum, quod abstrahitur, à materia abstrahitur, iam genus à sola materia abstraheretur, nec quicquam huic abstractioni prodesset, quòd materia esset sub tali, vel tali forma. Deindè hoc verum esse non potest, quia genus corporis dicit rationem formalem corporis, quæ coalescit ex materia, & forma; similiter quoque genus animalis dicit rationem vitæ quæ habetur ex forma, quæ dat esse viuens. Si autem genus ex eo, quòd abstrahitur à materia, prout est sub tali forma, habet aliquid, quod etiam à forma sit abstractum, iam genus abstrahitur à tota natura, & solùm verum est, dicere, abstrahi à materia, quatenus abstrahitur id, quod se habet, vt quid materiale in natura. Et propterea docet D. Th. quæst. de creatur. Spirit. ar. 1. in resp. ad 24. per materiam, à qua genus desumitur, non intelligi materiã primam, sed esse materiale naturæ, ait enim, *In rebus compositis ex materia, & forma genus sumitur à materia, differentia à forma, Ita tamen, quòd per materiam non intelligatur materia prima, sed secundùm quod per formam recipit quoddam esse imperfectum, & materiale respectu esse specifici, sicut esse animalis est imperfectum, & materiale respectu hominis.* Neque est necesse, quòd in modo desumendi genus ab entitate physica, & etiam differentiam, quæramus discrimen inter spirituales substantias, & materiales, vt videlicet in illis debeat desumi à tota natura; in corporeis verò à partibus seorsim sumptis, quia ratione spiritualitatis, & corporeitatis hoc non est necessarium, sed sufficit, vt secundùm essentiam distiguantur, & etiam differant genere, non verò, quòd diuerso modo desumatur genus, & differentia; cum semper debeant eodem modo in omnibus desumi.

Reijcitur responsio Soncin.

D. Th.

Quomodo ex genere, & differentia constituatur compositum Metaphysicum.

Disp. LXX.

Modus, quo fit ista compositio.

SECTIO I.

I. VT perfectè habitudinem, quã genus, & differentia inuicem seruant, explicemus, videndum est, quomodo constituant compositum metaphysicum, cuius sunt principia intrinseca, seu ipsam speciem. Pro quo aduertendum est, vt etiam adnotat Caiet. Cap. 3. de Ente, & essent. §. *Aduerte secundo &c.* Circa genus, & differentiam tria considerari posse, nempè Secundam intentionem, Primam intentionem, & Conceptum formalem, qui est actus intellectus terminatus ad primam intentionẽ, quæ est obiectum talis actus formalis: & hæc prima intentio solet dici etiam conceptus obiectiuus, quatenus est illud esse de obiecto, quod per conceptum formalem intellectui manifestatur, & importat illum gradum quidditatis, quem dicit natura generica, aut differentialis, & est res significata per nomen. Hinc autem certum fit, quòd quando inquiritur, quomodo ex genere, & differentia componatur species, non potest intelligi, quòd componatur ex genere, & differentia secundò intentionaliter acceptis, nam si hæ secundæ intentiones componerentur, non constituerent compositum reale metaphysicum, quale nunc inquirimus, sed tantùm compositum, quod el-

Caiet.

Species non componitur ex secundis intentionibus.

esset ens rationis. Sed neque huiusmodi secundæ intentiones possunt inuicem componi, quia sunt relationes rationis inuicem oppositæ; sicuti autem rationes reales oppositæ non possunt venire in compositionem realem, ita neque relationes rationis oppositæ possunt venire in compositionem rationis, nam compositio rationis seruat proportionem ad compositionem realem.

II. Restant igitur, tũ conceptus formales generis, & differentiæ, tùm res significata per nomen differentiale, & genericum. Si igitur loquimur de conceptibus formalibus, qui sunt operationes intellectus, certum est, non posse venire in compositionem speciei, sunt enim actus physici constituti in vltima specie, & indiuidui, nec se habent, vt actus, & potentia, ita vt possint venire in compositionem speciei. Deindè etiam si vnirentur, & vnum per se constituerent, neque adhuc speciem constituerent, quia sunt diuersæ rationis ab ipsa specie, & solùm continent speciem in esse repræsentatiuo, non verò in esse reali, quare neque si vnirentur, possent constituere esse reale speciei. Quòd autem spectat ad rem significatam per nomen genericum, & differentiale, potest duplici modo considerari. Primò quidem, prout est à parte rei, & est aliquid physicum; altero autem modo, prout intellectui repræsentatur per modum gradus generici, & differentialis. Primo autem modo neque potest componere speciem, quia vna, & eadem res, præsertim in substantijs simplicibus, & accidentibus est simul gradus genericus, & differentialis, vt infrà suo loco ostendemus; vndè species sumpta secundùm esse physicum, & entitatiuum, non est composita ex genere, & differentia, sed est vna, & eadem res; quòd si poneretur inter gradus essentiæ distinctio illa ex natura rei, quæ præcedit intellectum, vt ponunt Scotistæ, neque adhuc species esset composita ex genere, & differentia, tanquàm ex diuersis rebus, sed solùm tanquam ex gradibus diuersis ante operationem intellectus distinctis: hæc tamen distinctio non interuenit, vt infrà suo loco ostendemus. Superest igitur, vt compositio, quæ est in specie, fit ex gradibus essentiæ, in esse obiectiuo, seu repræsentatiuo consideratis, quia solùm secundùm esse repræsentatiuum, & obiectiuum habemus diuersas formalitates, per quas importetur genus, & differentia. Hinc species, quatenus est quoddam compositum metaphysicum, nihil aliud erit, nisi conceptus quidam obiectiuus formaliter acceptus, coalescens ex duplici conceptu obiectiuo; nempè gradus generici, & differentialis. Et hoc est, quòd docet D. Th. citato cap. 3. de Ente, & essent, dum ait *Vndè dicimus, hominem esse animal rationale, & non ex animali, & rationali, sicuti dicimus eum esse ex corpore, & anima. Ex corpore enim, & anima dicitur esse homo, sicuti ex duobus rebus quadam tertia res constituta, quæ neutra illarum est; homo enim, nec est anima, neque corpus; sed si homo aliquo modo ex animali, & rationali dicatur esse, non erit sicut res tertia ex duobus rebus, sed sicuti intellectus tertius ex duobus intellectibus. Intellectus enim animalis est sine determinatione formæ specialis, naturam exprimens rei, ex eo, quòd est materiale respectu vltimæ perfectionis. Intellectus autem huius differentiæ rationalis consistit in determinatione formæ specialis; ex quibus duobus intellectibus constituitur intellectus speciei, vel definitionis.*

Compositio speciei non est ex cõceptibus formalibus.

Qualis sit compositio speciei.

D. Th.

III. Ex his ergo colligitur, quomodo species sit aliquid cõpositum ex suismet principijs metaphysicis, videlicet, secundùm esse obiectiuum, quatenus conceptus obiectiui, qui important gradum genericum, & differentialem, inuicem vniuntur in esse obiectiuo, atque cum se habeant per modum actus, & potentiæ, constituunt vnum per se. An autem hæc compositio sit realis, an rationis, cum distinctione respondendum est. Duæ enim conditiones necessariæ sunt ad veram compositionem realem; prima, quòd extrema componentia realia sint; quomodo enim compositio esset realis, si ipsamet componentia realia non essent? Altera verò conditio est, vt hæc extrema componentia inuicem realiter distinguantur. Ex parte igitur primæ conditionis, hæc compositio realis est realitate metaphysica, nam illius extrema sunt gradus essentiæ reales, qui important esse physicum realis essentiæ, sed per diuersos conceptus explicatum. At ex parte alterius conditionis, nempè distinctionis extremorum, supposito, quòd gradus essentiæ in re non distinguantur, vt infrà docebimus, realis non est, sed tantùm rationis; nam sicuti ex-

Species composita secundùm esse obiectiuum, & an realis sit.

tre-

trema secundùm rationem tantùm distin guuntur, ita etiam compositio, & vnio eorumdem tantùm secundùm rationem fit, & ideò non est compositio physica, sed metaphysica in puro esse obiectiuo. Hoc tamen non obstat, quin sit realis compositio metaphysica, quia in ipsa, extrema metaphysica non debent magis, quàm ratione distingui, nec aliam distinctionem hæc cópositio requirit; si enim in re extrema distinguerentur, non esset amplius compositio metaphysica, sed physica.

Compositionem ex genere, & differentia esse semper veram compositionem metaphysicam.

SECTIO II.

I. Genus, & differentiam simul constituere speciem reali compositione metaphysica in præcedenti sect. conclusum fuit. Sed rursus circà hanc compositionem dubitari potest, an sit vera compositio metaphysica, ita vt semper seruet rigorem in quacunque specie veræ compositionis metaphysicæ. Vt autem seruet rigorem veræ compositionis metaphysicæ debent in ea saluari, quæ requiruntur ad compositionem physicam, sed tamen metaphysico modo se habentia. Physica autem compositio rigorosa requirit illas duas conditiones, quas suprà adnotauimus, rigorosè tamen sumptas, realitatem videlicet extremorum, & distinctionem, quæ physico modo saluentur, vndè extrema compositionis physicæ debent esse entitates physicæ, atque physica distinctione seiunctæ. Quare ad compositionem quoque metaphysicam rigorosè acceptam requiritur, vt extrema sint vera entia metaphysica, atque perfecta distinctione metaphysica distinguantur. De prima autem conditione dubium non est, quin in compositione cuiuslibet speciei reperiatur, nam semper genus, & differentia important aliquem gradum essentiæ; omnis autem gradus metaphysicus essentiæ adæquatè saluat rationem rei metaphysicæ. Solùm procedit difficultas de altera conditione.

II. Et quidem Auersa in Logica quæst. 13. sect. 6. consequenter ad sua principia procedens, negat semper saluari in specie rigorosam compositionem metaphysicam defectu huius conditionis, nempè distinctionis: perfecta enim distinctio metaphysica debet proportionari cum perfecta distinctione physica; & sicuti perfecta distinctio physica dicit, quòd vnum ens physicum sit adæquatè extrà aliud; ita pariter perfecta distinctio metaphysica dicit, quòd vnum ens metaphysicum sit perfectè extrà aliud; hoc est adæquatè ab ipso præscindat: nisi enim gradus metaphysici inuicem perfectè præscindant, nec etiam perfectè metaphysico modo distinguentur. Hinc cum iuxtà principia Auersæ dentur quædam genera, & differentiæ, vt sunt illæ per ipsum, quæ sunt propriæ vnius tantùm generis, quæ non perfectè à genere præscindunt, fit, vt species, quæ ex his differentijs coalescunt, non seruent rigorosam compositionem metaphysicam, quia non seruant rigorosam distinctionem. Sed, ait ipse, erit tantùm compositio per modum explicationis, quia scilicet diuerso modo explicatur genus, ac differentia; non tamen se habent, vt duæ partes contradistinctæ, quarũ vna addatur alteri, sed solùm per modum conceptus impliciti, & expliciti, quia quod in conceptu generis implicitè continetur, & indeterminatè, per differentiam importatur explicitè, & determinatè.

III. Nihilominus consequenter ad nostra principia nobis procedendum est, & statuendum, in qualibet specie, in qua saluatur ratio generis, & differentiæ, interuenire rigorosam compositionem metaphysicam. Hoc sequitur ex supradictis disp. 66. sect. 2. & sequentibus, vbi ostendimus, genus, & differentiam inuicem semper adæquatè præscindere: quòd si adæquatè præscindunt, inuicem etiam perfectè distinguuntur, atque adeò perfecta compositione metaphysica constituunt speciem. Atque hæc etiam est sententia Arist. 8. Metaph. tex. 15. vbi soluens dubitationem, quomodo ex partibus definitionis fiat vnum, ait, Non esse quærendam aliam causam, nisi quia partes se habent vt actus, & potentia, partes autem definitionis sunt genus, & differentia. Præterea etiam confir. Vt perfectè præscindant non aliud requiritur, nisi quòd esse formale vnius non sit esse formale alterius, & quòd vnum in suo formali conceptu non includat alterum, quia tunc adæquatè secundùm esse formale, in quo solùm distinguuntur, vnum est

Conditio nes rigorosæ cõpositionis.

Non in omni specie interuenire cõpositionẽ verã me

taphysicam. Ex sententia Auersæ.

Vera cõpositio metaphysica in qualibet specie.

Arist.

extrà alterum. Modò differentia, & genus secundùm suas rationes formales ita se habent, vt necessariò distinguantur adæquatè, nec vllo pacto se inuicem includant. Imprimis enim differentia est quid actuale, genus quid potentiale; ratio autem actus, & potentiæ sunt rationes oppositæ, omninò seinuicem excludentes secundùm esse formale. Rursus genus est quid contrahibile, & differentia quid contractiuum: quomodo ergo hæ formalitates possunt aliquo pacto se mutuò includere? Præterea genus est perfectibile; differentia perfectiuum; genus dicit inchoationem naturæ; differentia dicit gradum essentiæ, eamdem naturam in esse magis determinato magis complentem: ergo non possunt hæ formalitates seinuicem continere, sed vna omninò erit extrà aliam, cum sint omninò diuersæ. Non enim aliundè habemus motiuum distinguendi formalitates, nisi ex earumdem diuersitate. Quòd si semel aliquæ conceduntur diuersæ omninò, iam etiam perfectè distinguuntur.

Genus & differentia secundùm esse explicitè perfectè distinguuntur.

IV. Atque hoc ipsum confirmatur ex doctrina ipsius Auersæ, nam, ait ipse, quòd quando genus, & differentia non mutuò perfectè præscindunt, tunc genus non dicit explicitè differentiam, sed solùm implicitè, nec differentia dicit explicitè genus, sed solùm implicitè. Vndè sic argumentor. Ratio formalis differentiæ non exprimitur per rationem formalem generis, alioquin explicitè illam diceret: nec ratio formalis differentiæ exprimit formaliter rationem formalem generis: nec genus, vt dicit suam indeterminationem, & potentialitatem, dicit formaliter rationem determinatiui, & actualitatis, quam importat differentia; ergo genus, & differentia, si secundùm formales rationes considerentur, adæquatè inter se præscindunt, cum non se mutuò formali modo includant, si enim ratio vnius formaliter includeret rationem alterius, illam diceret explicitè. Præterea tam genus, quàm differentia dicunt proprium esse formale explicitè, & non alterius; ergo genus secundùm hoc esse explicitum, quod dicit, adæquatè præscindit à differentia, quia esse formale generis explicitum non est esse formale differentiæ explicitum; atque cum compositio fiat secundùm rationes explicitas graduum, iam erit perfecta, & rigorosa compositio, quia aderit rigorosa distinctio secundùm esse explicitum.

V. Præterea differentia quoque non explicat perfectè totum esse speciei, imò nullo pacto explicat rationem illam, qua species conuenit cum alijs speciebus, sed solùm explicat illam, qua ab alijs differt. Rursus neque genus adæquatè explicat totam speciem, sed solùm quatenus cum alijs conuenit, non verò quatenus differt; ergo genus, & differentia inter se mutuò adæquatè præscindunt, si secundùm proprias rationes considerentur. Consequentia declaratur, quia quando concipimus genus, non concipimus id, quo species à cæteris differt, vndè non habemus per talem conceptum distinctionem speciei, & consequenter nec differentiam: rursus etiam quando concipimus differentiam præcisè, non concipimus speciem secundùm id, quod habet commune cum cæteris, & consequenter nec etiam genus; præcisio autem in eo tantùm consistit, quòd vnum sine alio concipiatur; ergo cum possit concipi genus non concepta differentia, & econtra; iam mutuò inter se præscindent, & habebunt debitam distinctionem. Quòd si distinguuntur secundùm suos obiectiuos conceptus, debet esse perfecta distinctio, quia quæ semel distinguuntur, perfectè distinguuntur, cum secundùm totum suum esse distinguantur: sic quæ semel distinguuntur secundùm esse entitatiuum, perfecta distinctione entitatiua distinguuntur: sic etiam quæ distinguuntur secundùm esse formale, perfecta distinctione formali distinguuntur. Cuius rei ratio est, quia distinctio fundatur in negatione, vt videlicet hoc non sit hoc, quotiescunque enim vnum non est aliud, ab ipso distinguitur; vndè hæc negatio tollit omnimodam identitatem secundùm illam rationem, qua vnum non est aliud, negatio enim tollit totum id, suprà quod cadit. Accedit etiam, quòd in ijs, quæ distinguuntur formaliter, extrema distinctionis sunt quædam formalitates, quæ consistunt in indiuisibili, quocircà, si semel secundùm suum esse distinguuntur, à quocunque distinguantur, debent secundùm se totas distingui perfectè, & adæquatè. Atque hæc dicta sint de principijs compositi metaphysici, atque eiusdem constitutione: mox terminum compositionis considerabimus.

Quæ semel distinguuntur, perfectè distinguuntur.

DE COMPOSITO METAPHYSICO.





PEractis ijs, quę de principijs cõpositi metaphysici nobis dicenda occurrerunt, cõsequês est, vt de ipso agamus, vt potè de eo, quòd per hæc principia tanquam per causas intrinsecas, & elementa constituitur. Est autem hoc compositum metaphysicum essentia quædam, seu natura coalescens ex pluribus gradibus essentiæ partim genericis, partim differentialibus, quod etiam species vocari solet, quasi sit forma quædam illius esse, quod creatura à Deo participare potest. Atque hæc species ex eo dicitur compositum metaphysicum, quia tanquam ex partibus metaphysicis consurgit, nimirum ex genere, & differentia. De hoc igitur pertractantes ab eius essentia exordiemur.

De essentia compositi metaphysici, seu speciei.

Disp. LXXI.

Quid sit compositum metaphysicum.

SECTIO I.

I. DAri compositum metaphysicũ conuincitur ab existentia principiorum, quibus constituitur, & res adeò clara est, vt non sit immorandum in eiusdem probatione, siquidem nemo dubitat, quin dentur essentiæ rerum, inuoluentes plures gradus essentiales, quibus & cum alijs conueniant, & ab alijs differant. Hoc tamen est aduertendum, quòd vt ex supradictis colligitur, licet hoc compositum habeat esse reale in rebus physicis, non tamen habet rationem formalem compositi, nisi in ordine ad intellectum, quia hæc compositio est tantùm in esse obiectiuo, vnde compositum quoque habet tantùm rationem formalem compositi secundùm esse obiectiuum. Vt igitur eius essentiam explicemus, videndum est, quid sit huiusmodi compositum, quod species appellatur. Verùm quia species est correlatiuum generis, vt diximus suo loco, atque correlatiua debent inuicem explicari, hoc est, vnum per ordinem ad aliud, species quoque debet per ordinem ad genus declarari; Neque hinc sequitur committi circulum, vt alibi quoque diximus, quia definitio debet explicare quidditatem rei, cum autem quidditas est ad aliud necessariò per ordinem ad ipsum explicari debet, Nam autem ingnotum per æquè ignotum declaretur, debet terminus materiali modo, & secundùm proprias conditiones explicari, atque adeò, cum species sit correlatiuum generis, debet per ordinem ad ipsum definiri. Quod aduertit etiam Porphyr. cap. de specie dum inquit. *Sciendum est, cum & genus alicu-* Species per ordinem ad genus definitur. Porphyr.

ius

ius sit genus, & species alicuius sit species, vtriusque inquam vtrumque in amborum etiam rationibus ambobus vti, necessarium esse.

Variæ definitiones speciei.

II. Atque Porphyr. explicans naturam speciei diuersas definitiones colligit, & prima est, quòd species sit, *Quæ sub assignato genere collocatur*. Deinde aliam definitionem affert inquiens. *Assignant igitur speciem, & hoc modo, species est id, quod subijcitur generi. Et de quà genus hoc ipso quid est, prædicatur*. Quæ veluti duæ definitiones sunt. Aliam insuper definitionem addit, sed quæ non conuenit omni speciei, sed tantùm specialissimæ, videlicet. *Species est id, quod de pluribus differentibus numero, hoc ipso quid est, prædicatur*. Et quòd hæc definitio competat solùm specialissimæ, aduertit etiam Porphyr. nam post traditam definitionem statim immediatè subdit. *Verum hæc quidem assignatio ipsius erit specialissima speciei, & quæ tantummodo species est. Cætera vero, & huic competent, quæ non specialissima sunt*. Atque tali pacto Porphyrius speciei naturam exponit.

III. Circa has autem definitiones illud est aduertendum, quòd quando Porphyr. inquit, speciem esse illam *Quæ sub assignato generi collocatur*, & deinde cum in alia definitione ait, quòd species est *Id, quod subijcitur generi*, idem, quod dixerat, repetit, nec nouam rationem speciei exponit, sed eamdem diuersis verbis. Idem enim est poni sub genere, ac subijci generi. Atque hoc optimè explicat naturam, & conditionem speciei quia ipsi soli conuenit poni sub genere. Vt tamen sit proprium speciei, ita intelligendum est, vt ponatur sub ipso tanquam eiusdem correlatiuum, atque adeo sub ratione propria generis; non enim genus, vt suo loco diximus, continet formaliter sub se indiuidua, sed tantùm materialiter, ratione scilicet speciei; neque indiuidua sunt correlatiua generis, sed tantùm speciei; species verò correlatiua generis. Quòd si quis contenderet, indiuidua quoque esse correlatiuum generis, adhuc tamen poni sub genere erit proprium speciei, quia indiuidua non ponuntur sub genere quatenus genus est, quasi terminent eiusdem habitudinem, sed cum genus in ordine ad species solas habeat suam propriam prædicationem, qua de pluribus essentialiter diuersis prædicatur, solæ species ponuntur sub ipso, quatenus genus est; & idcirco poni sub genere tali pacto explicat naturam speciei. Sistendum tamen est in priori doctrina, quæ vera est, videlicet Indiuidua non poni sub genere, vt terminum correlatiuum.

Poni sub genere proprium speciei.

IV. Sed dubitari solet, an sit duplex definitio, quando Porphyr. inquit. *Species est, quæ subijcitur generi*. Et deinde subdit. *Et de qua genus, hoc ipso quod quid est, prædicatur*. Cuius solutio pendet ex eo, An esse id, quod subijcitur generi, & Esse id, de quò genus prædicatur sint omnino idem formaliter. Si enim formaliter, sunt idem, vna erit etiam definitio per varios terminos explicata; non enim multiplicari potest definitio, nisi formale esse multiplicetur, quod per illam explicetur. Quod si non sunt idem formaliter, multiplex erit definitio. Et quidem videtur diuersa formalitas explicari in vna, quæ non explicetur in alia, si quidem cum dicitur, speciem subijci generi, explicatur ordo, quem habet ad ipsum, quatenus vniuersale est. Cum vero dicitur esse id, de quo genus prædicatur, explicatur ordo, quem species habet ad genus, vt prædicabile est. Quare cum prædicabilitas, & vniuersalitas sint diuersæ rationes, formales, specificabunt etiam diuersas habitudines formales speciei in ordine ad genus. Et propter hanc rationem Ruu. in Logica quæst. 1. de specie, & Auersa item in Logica quæst. 11. sect. 2. putant esse diuersas definitiones, & desumitur etiam hæc opinio ex Caiet. & Tolet. in explicatione Cap. de Different.

Dubium circa text. Porphyr.

Ruuius. Auersa. Caiet. Tolet.

V. Nihilominus probabilius puto cum Soto Cap. item de Different. Esse vnicam tantùm definitionem, Et esse idem subijci generi, & Esse id, de quo genus prædicatur. Cuius rei ratio est, quia non potest species subijci generi, vt genus est, nisi ei subijciatur tanquam id, in quo potest esse genus, quod est esse terminum habitudinis genericæ: similiter quando species se habet vt id, de quo prædicatur, genus nihil aliud dicit, nisi quòd sit id, in quo est genus, quia prædicatio nihil aliud importat, nisi inexistentiam prædicati in subiecto, quia cum prædicatum se habeat vt constitutiuum subiecti, quale est omne prædicatum vniuersale, prædicatur etiam vt quid inexistens, & habitudo prædicati ad subiectum est ha-

Solutio. Soto.

bitudo inexistentis constitutiui: & similiter habitudo subiecti ad prædicatum est habitudo constituti ad constitutiuum, atque adeo eadem, siue illud respiciat, vt prædicabile, siue vt vniuersale, quia vt suo loco explicabimus, prædicabilitas idem est, ac aptitudo, qua constituitur vniuersale, prout prædicabilitas comparatur ad subiectum, & solùm addit suprà hanc aptitudinem connotationem, qua respicit intellectum potentem tale prædicatum enunciare de subiecto. Ex quo etiam colligitur, quòd quando dicitur, speciem esse id, quod subijcitur generi, intelligi debere de tali subijcibilitate, qua subijcitur ipsi, vt quid per ipsum constitutum, tanquam per gradum essentiæ superiorem: quod satis explicatur ponendo tanquam terminum subijcibilitatis ipsum genus, quia solùm tali subijcibilitate potest generi subijci, si subijcitur ipsi, vt genus est.

Eadem habitudo speciei ad genus tũ vt vniuersale tũ vt prædicabile.

VI. Quod si quis etiam dubitet. Quid à Porphyr. definiatur, dum tradit has definitiones. Respondet Sanchez in Logica quæst. 42. Definiri secundas intentiones, & sensum esse, quòd species sit, quæ refertur ad genus relatione subijcibilitatis. Atque hic etiam videtur esse sensus aliorum quorumdam Dialecticorum. Verum hæ definitiones metaphysico modo accipiendæ sunt, & dicendum, per ipsas definiri ipsam realem naturam metaphysicam speciei, & explicari illud fundamentum, ex vi cuius species ab intrinseco habet, vt possit de illa genus prædicari, atque ipsa generi subijci. Et id sequitur ex dictis de genere, vbi ostensum est, etiam illam definitionẽ generis explicare realem naturã genericam metaphysicam. Atque id planè dicendum esse constat, non solùm quia definitio conuenit reali naturæ speciei, sed etiam quia verè species est illa, quæ ab intrinseco suo habet, vt ponatur sub genere, tanquam sub gradu superiori essentiali; species enim habet ex vi sui esse positiui realis, quòd sit natura inferioris gradus, quàm sit genus, Et rursus quia secunda intentio non est id, quod ponitur sub genere, sed solùm est ratio, cur in prædicatione referatur relatione subijcibililatis: prius autem est quòd possit referri, & sit gradus essentiæ inferioris quàm sit referri ad genus, & quòd subijciatur generi tanquam quid constitutũ per ipsum, vt per gradum superiorem, atque adeo dicendum est, hanc habitudinem per definitionem explicari.

Definiri per has definitio nes realẽ naturam.

Explicatur subijcibilitas speciei.

SECTIO II.

I. Exigit natura speciei, vt pro perfecta ipsius intelligentia, eiusdem subijcibilitatem, quã sub genere ponitur, explicemus. Est enim subijcibilitas proprium constitutiuum speciei, quod satis patet in speciebus subalternis quæ reuera species sunt; & tamen, solùm per ordinem ad genus, cui subijciuntur, possunt constitui in ratione speciei, quoniam si ad inferiora comparentur, non ampliùs species sunt, sed genera, quia se habent respectu illorum, vt quid potentiale contrahibile per diuersas differentias essentiales: quare si species sunt, solùm ratione subijcibilitatis possunt esse tales, & consequenter per subijcibilitatem tanquam per quid sibi peculiare species innotescet. Hoc autem est animaduertendum, quòd species formaliter loquendo habẽ à differentia, quod subijciatur generi, quia licet secundùm se totam ponatur sub genere, ponitur tamen propriè ratione sui constitutiui, quod est differentia, non autem ratione generis, quia cum genus nequeat poni sub seipso, nec etiam potest esse ratio formalis, vt aliquid ponatur.

Subijcibilitas notio speciei.

II. Hæc autem subijcibilitas consistit in quodam ordine, quem dicit species ad genus; Pro quò est aduertendum, quòd cum species componatur ex genere, & differentia, quæ sunt partes distinctæ inter se distinctione metaphysica, dicunt etiam adinuicem ordinem transcendentalem realem metaphysicum. Licet enim genus, & differentia sit vna, & eadem entitas, & propterea non important aliquem ordinem physicum realem, quia idem non potest referri ad seipsum ordine reali physico: rursus etiam licet distinctio, quæ ponitur inter genus, & differentiam sit rationis, quia tamen sit cum fundamento in re, & extrema distinctionis important diuersas formalitates metaphysicas reales, idcirco distinctio, quatenus consideratur ex parte extremorum, est realis metaphysica, quia qualia sunt extrema, talis quoque est distinctio, prout ex parte extremorum consideratur. Posita autem hac distin-

Quid subijcibilitas.

Distinctio realis metaphysica.

ctio-

ctione metaphysica, extrema illius distinctionis se habent tanquam reales formalitates metaphysicæ, & idcirco quicquid intrinsecè dicunt, reale est: formalitas autem generis, vt contradistincta à formalitate differentiæ ordinatur ab intrinseco suo ad differentiam tanquam quid potentiale contrahibile. Hic ergo ordo est transcendentalis, & constitutiuus talis formalitatis; vndè etiam consequenter, cum formalitas sit realis metaphysica, ordo quoque erit realis metaphysicus. Similiter quoque differentia, vt contradistincta à genere habet ex vi propriæ formalitatis, vt ordinetur ad genus tanquam contractiuum illius, & proinde imbibit in suo esse formali ordinem transcendentalem ad genus.

Quomodo se habeat species comparata ad genus.

III. Atque ita constat, si genus, & differentia inuicem comparentur, habere mutuam habitudinem partium. At si species comparetur ad genus, aliam habitudinem obtinet, neque enim comparatur vt pars ad partem, sed vt totum ad partem, nam genus est pars speciei, cum dicat tantùm gradum superiorem essentiæ; & ideò se habent genus, & species vt inclusum, & includens eodem modo, quo contingit in compositis physicis, nam pars essentialis, comparata ad totũ, se habet vt inclusum in includente, aut ecõtra, si totum comparetur ad partem, se habent vt includens, & inclusum. Verùm in specie comparata ad genus adest hoc discrimen maximè aduertẽdũ, quòd species respectu gradus generici se habet vt essentia inferior respectu gradus essentiæ superioris, quod non contingit, quando compositum comparatur ad aliquam suarum partium physicarum; & hinc etiam fit, vt non possit poni sub illa; species verò ponitur sub genere, quia genus est gradus essentiæ superioris, qui est talis naturæ, vt possit de specie prædicari. Vel etiam dici potest, poni sub genere, quia cum genus sit quoddam totum vniuersale, quod continet sub se species tanquam partes, seu partiales terminos suæ inexistentiæ, ex eo, quòd species in hoc sensu se habet tãquam pars, ponetur sub genere tanquam pars sub suo toto, à quò continetur.

Species licet ordinẽ trahẽ ad genus. Ammon. Boet. Auicẽna. Auer. Albert. Magn. Caiet. Venet.

IV. Ex quo fit, vt etiam species comparata ad genus, vel tanquam totum ad suum superius constitutiuum, vel tanquam pars, seu partialis terminus trahens ad se genus, dicat ordinem realem ad genus, quamuis Soto in Antepręditament. cap. 4. oppositum doceat. Nobiscum tamen sunt Ammon. Boet. Auicen. Auer. Albert. Magn. Caiet. Venet. & alij complures in exposit. cap. de specie. Et fauet ratio, quia species, siue consideretur, vt totum quoddam constitutum per genus, tanquam per gradum superiorem, siue etiam accipiatur tanquam partialis terminus contentus sub genere, ad quem contrahatur ipsum genus per inexistentiam, semper habet ex natura sua, quòd sit natura inferior respectu generis, & ad illud dicat habitudinem ex vi intrinseci sui esse, tanquam essentia inferior trahens ad se genus per contractionem, seu ista habitudo fundetur in ratione termini contrahentis ad cõtrahibile, seu totius ad partem importantem gradum superiorem essentiæ. Ob id autem refertur ad ipsum genus habitudine reali sibi intrinseca, quia huiusmodi habitudo non potest præscindi ab esse formali speciei: erit igitur habitudo realis, cum sit imbibita in esse formali speciei.

Species dicit ordinem ad genus.

V. Ex his igitur patet, quid sit subijcibilitas speciei, quâ ponitur sub genere; nihil enim aliud est, nisi ordo quidam realis metaphysicus, quo species ordinatur ad genus, tanquam natura inferior ad gradum essentiæ superiorem, quem participat tanquam suimet intrinsecum constitutiuum; hic autem ordo radicatur in differentia, qua species constituitur, tanquam in ratione formali, ex qua habet, quòd generi subijciatur: quod enim species sit natura inferior, cui conueniat subijci generi, habet ratione solius differentiæ, & ideò ratione quoque differentiæ subijcitur. Hoc tamen non obstat, quin subijciatur generi, tanquam aliquod totum, nam differentia communicat se generi, & simul cum ipso constituit speciem, quæ est quædam completa natura, dicens aliam rationem formalem obiectiuam diuersam à singulis partibus: homo enim dicit rationem formalem obiectiuam diuersam tum à rationalitate; tum ab animalitate, quia est aliqua tertia formalitas consurgens ex his duabus; & non amplius importat aliquam partem, sed aliquam naturam totalem: hæc igitur natura, vt talis est, potest ad genus tanquam ad partem comparari; tunc autem, quia genus dicit diuersam formalitatem ab ipsa, interuenit distin-

ctio, & potest vt integra natura, & vt totum est poni sub genere.

Subijcibilitas propria speciei vt sic. VI. Atque ex dictis infertur, hanc subijcibilitatem esse propriam speciei vt sic, quatenus species est, & consequenter conuenire cuicunque speciei siue infimæ, siue subalternæ; nam ratio communis debet cuicunque ex inferioribus conuenire. Quòd autem speciei vt sic conueniat subijcibilitas, inde colligitur, quia species, vt talis, est natura inferior magis coarctata, & determinata, quàm sit genus, & debet necessariò constare ex genere & differentia, vt supra vidimus; cum autem subijcibilitas inde proueniat, quòd species constituatur per differentiam tanquam gradum essentiæ inferiorem respectu generis, hinc fit, vt species, quatenus talis est, debeat subijci generi tanquam gradui superiori. Insuper, quia genus debet ex natura sua posse prædicari de suis inferioribus, quatenus species sunt, quod fieri non posset, nisi ratione speciei vt sic ipsi subijcerentur. Hoc autem cum hac proportione intelligi debet, vt quæ directè ponuntur in prædicamento, tanquam naturæ intra talem gradum completæ subijciantur etiam alicui generi completo intra suum gradum, & quod directè in prædicamento ponatur: Quæ vero sunt species incompletæ intra suum gradum, & non ponuntur directè in prædicamento, sufficit si alicui generi incompleto, & indirectè se habenti in linea prædicamentali subijciantur.

Alio modo quidditas speciei explicatur.

SECTIO III.

I. PEr subijcibilitatem, qua species generi subijcitur, eiusdem speciei naturam explanauimus, sed quia subijcibilitas non videtur ita proprium constitutiuum speciei, prout est aliquod compositum metaphysicum, idcirco eam aliter explicare conabimur. Est enim subijcibilitas ratio quædam conueniens speciei relatiuè in ordine ad aliud, & potius explicat speciem logico modo in ordine ad secundas intentiones, quàm metaphysico modo; si quidem ratione subijcibilitatis habet species, quòd sit fundamentum relationis subijcibilitatis, quam format intellectus, & est quædam secunda intentio; quare non declarat intrinsecum constitutiuum speciei absolutè, & secundùm se consideratæ prout est quoddam compositum metaphysicum.

II. Itaque magis ad intrinsecum constitutiuum speciei accedentes, Dicendum est, in eo consistere, quòd sit quædam natura completa constans ex genere, & differentia, tanquam ex intrinsecis principijs. Nomine autem naturæ completæ hic non intelligimus naturam, quæ sit omnino completa, ita vt non sit susceptiua vlterioris complementi: sed posuimus Completum, prout importat rationem totius contradistincti à parte; Quod enim se habet per modum totius contradistincti à parte; est quid completum, quatenus completur per plures partes, & maiorem perfectionem importat, quàm qualibet pars seorsim, quod præcipue conuenit cuicunque speciei, si quidem cum coalescat ex genere, & differentia, & differentia sit complementum generis, constituit simul cum ipso aliquid completum, licet non vltimatè, quia hoc conuenit tantùm speciei infimæ, quæ dicit totum complementum essentiale naturæ. Hæc autem natura completa debet esse vna vnitate per se, & essentiali, quia partes se debent habere per modum actus, & potentiæ, constituentes metaphysico modo vnum per se, quæ vnitas si deficeret, non esset amplius vna essentia, sed multiplex, quia à quocunque auferatur vnitas, multiplicatur in eo genere, in quo est vnitas, quæ aufertur. Cõclusio Formale constitutiuũ speciei esse naturam constantẽ ex intrinsecis principijs.

III. Sed neque hucusque adæquatè explicatur tota essentia speciei, quia hæc omnia sunt ipsi communia cum compositis, & ideo addendum est *Ex genere, & differentia*, vt ostendatur, hanc compositionem fieri metaphysico modo, & explicentur propria principia constitutiua speciei, & tunc adæquatè explicatur essentia ipsius. Et sicuti adæquatè explicatur compositum physicum sub ratione compositi, si dicatur, Esse id, quod constat ex materia, & forma tanquam ex principijs physicis intrinsecis. Ita etiam adæquatè explicatur compositum metaphysicum, si dicatur, Esse naturam, quæ constat ex genere, & differentia, tanquam ex principijs intrinsecis metaphysicis. Quare species, seu compositum metaphysicum nihil aliud erit, nisi illa natura, quæ resultat ex vnio-

ne

ne generis, & differentiæ: atque ita explicatur etiam compositio metaphysica, quæ in esse obiectiuo concurrit ad constituendam speciem.

Subijcibilitas passio speciei.

IV. Ex his autem colligitur, subijcibilitatem speciei respectu generis non esse eius proprium formale constitutiuum, sed potius passionem. Si enim concipiamus, aliquam essentiam componi ex gradu superiori, & inferiori, tanquàm ex principijs intrinsecis metaphysicis absque eo, quod concipiatur formaliter aliqua subijcibilitas; habetur adæquatus conceptus speciei, prout est quoddam compositum metaphysicum: è contra verò subijcibilitas fundatur in hac compositione metaphysica, quia ex eo, quòd species includit genus, vt gradum superiorem essentiæ, & differentiam, vt gradum inferiorem, habet quòd subijciatur generi, vt explicatum fuit sect. præcedenti. Itaque primus conceptus speciei, est huiusmodi compositio; conceptus verò subijcibilitatis consequitur hunc primum conceptum, & ab ipso tanquam à radice originatur. Et propterea compositio ex talibus principijs explicabit formale, & adæquatum constitutiuum speciei, vt species est. Quare, quando species explicatur per subijcibilitatem, explicabitur tanquam per propriam passionem, & à posteriori: non autem per propriam rationem quidditatiuam. Definitio ergo allata à Porphyr. non potest esse, quiddicatiua, quia traditur per aliquid, quod est extra essentiam, nempe per propriam passionem, nisi fortè intelligatur de subijcibilitate radicaliter accepta. Cæterùm quando passio est metaphysica, ita vt in adæquata essentia inuoluatur, vt multoties contingit, parum refert, an definitio tradatur per passionem, an verò per rationem quidditatiuam: nam tam ratio quidditatiua, quàm propria passio in tali casu dicunt essentiam rei inadæquatè conceptam sub diuersis rationibus formalibus inadæquatè explicantibus naturam rei, & solùm ex eo vna formalitas dicitur passio, altera quidditas, quia concipitur prior, altera posterior.

Definitio tradi potest per passionē metaphysicam.

V. Secundo sequitur ex dictis. Quòd si daretur aliqua natura seu essentia, quæ non componeretur ex genere, & differentia, non esset species, quia in ipsa deficeret ratio essentialis constitutiua speciei: licet enim species dicat naturam completam: ita tamen debet hæc natura esse completa, vt consurgat ex genere, & differentia tanquam ex principijs, à quibus recipiat suum complementum, ita tamen, vt differentia sit formale complementum ipsius se habens vt quò. Verùm impossibile est, dari huiusmodi naturam, quia non potest dari aliqua essentia intra latitudinem entis creati, quæ non sit limitata, & quæ non contineatur, vel sub accidenti, vel sub substantia, & consequenter participabit rationem accidētis, aut substantiæ: at statim ac participat aliquam ex his rationibus, conuenit etiam cum alijs naturis, quæ eamdem rationem participant, & cùm non possit participare solam rationem substantiæ, debet aliquem alium gradum essentiæ participare, & consequenter habebit aliquid, in quò cum alijs conueniat, & aliquid, in quò ab alijs differat, & constabit ex genere, & differentia. Et si semel conceditur constare ex genere, & differentia, etiam admittenda sunt in illa plura genera, & plures differentiæ, quarum vna sit vltima, & propria illius, cum sit eadem ratio, & habeat aliquem gradum essentiæ sibi proprium, in quo cum nullo alio conueniat.

Omnis natura limitata constat ex genere, & differentia.

An species sit formaliter vniuersalis.

Disp. LXXII.

Speciem duplicem includere habitudinem, ad inferiora, & ad genus.

SECTIO I.

I. Titulus quęstionis proponitur de Vniuersalitate speciei; an vide-

delicet species, quà talis est, sit vniuersalis: vt autem hanc difficultatem dissolnamus plura videnda sunt, quæ per distinctas sectiones explicabimus. Et primò quidem occurrit dubium, an species vnica habitudine referatur ad inferiora, & ad genus, an verò duplici: Et quidem quòd referatur vnica habitudine, videtur docere Porphyr. cap. de Specie, loquitur tamen de specie specialissima tãtùm, cum enim docuisset, Genus generalissimum habere vnicam habitudinem, qua ad inferiora referatur, subdit. *Specialissimum autem vna habet & ipsam habitudinem, hanc quidem, quæ est ad superiora quorum est species: iam verò, quæ est ad posteriora non diuersam habet habitudinem sed eamdem, & species indiuiduorum dicitur. Sed species quidem dicitur indiuiduorum velut ea continens: species autem superiorum, velut, quæ ab eis continetur.*

Speciem dicere vnã h bitudinem solam.

Porphyr.

II. Communis tamen sensus est in oppositum, quem præcipue explicant Caiet. Cap. de Specie, Sanchez in Logica quæst. 43. conclus. 4. Auersa item in Logica quæst. 11. sect. 3. & sequuntur omnes Recentiores. Et reuera non videtur, posse saluari, quòd species eadem habitudine referatur, & ad genus, & ad inferiora siue subalterna sit, siue specialissima. Et quidem si loquimur de specie subalterna certum est habere duplicem habitudinem, vt ibidem docet Porphyr. alteram quidem ad genus, sub quo ponitur, & alteram ad suamet inferiora, & ita necessariò dicendum est, ne concedamus, idem secundùm eamdem habitudinem esse genus, & speciem: species enim subalterna, prout dicit habitudinem ad proprium genus, est species, prout verò ordinatur ad inferiora, est genus. Hinc autem deducitur quamlibet speciem dicere hanc duplicem habitudinem, nam nõ alia ratione potest subalterna dicere duplicem habitudinem, nisi quia ordinatur ad duplicem terminũm diuersum: omnis autem species habet duplicem terminum diuersum, nam specialissima respicit genus, & indiuidua: genus autem, & indiuidua in ratione formali termini sunt inter se diuersa, alia enim est ratio formalis generis, & alia indiuidui. Quotiescunque autem multiplicantur termini, si sunt adæquati, multiplicatur etiam habitudo: genus autem est terminus adæquatus respectu speciei, vt patet in subalterna, quæ ad solum genus, vt species est refertur; si igitur addatur alter terminus nempè indiuidua, debet poni alia habitudo. Præterea ratio generis, & indiuidui opponuntur in ratione communis, & particularis, vndè non possunt conuenire in eo, quòd constituant vnum terminum formalem adæquatum.

Opposita sẽtentia, speciẽ dicere duplicẽ habitudinẽ, vera. Caiet. Sanchez. Aursa.

III. Secundò confirmari potest hæc nostra sententia ex natura speciei. Si enim species comparetur ad inferiora, quæcunque illa sint, habet respectu eorum rationẽ contrahibilis, & superioris cõstitutiui, & consequenter se habet tanquam quid potentiale, cum ad ipsa ordinatur: at si comparetur ad genus sub quo ponitur, nullam ex his rationibus obtinet, sed potius oppositas, nam non se habet vt quid superius constitutiuum, sed vt inferius constitutum; nec se habet vt quid contrahibile, sed vt quid contractum, includens in se, vt formale, constitutiuum, ipsum contractiuum: non se habet, vt quid potentiale, sed vt quid actuale, ergo cum habitudo ad genus, & inferiora imbibatur in his formalitatibus, sicuti sunt diuersæ rationes, & formalitates, in quibus radicantur hæ habitudines, ita etiam erunt diuersæ habitudines. Rursus habitudo speciei ad inferiora opponitur cum habitudine eiusdem ad genus, quia quoties termini sunt oppositi, etiam habitudines ad ipsos oppositæ sunt, genus autem, cum sit quid superius, opponitur cum eo, quod est inferius. Quocirca cum Porphyr. dicit speciem infimam vnica habitudine referri & ad genus, & ad inferiora intelligendus est, quòd vna sit habitudo terminatiuè quia siue species infima comparetur ad genus, siue ad inferiora, ex vi cuiuscunque habitudinis semper obtinet rationem speciei: ad differentiam speciei subalternæ, quæ comparata ad inferiora habet rationem generis. Atque hanc fuisse intentionem Porphyr. apertè colligitur, quia mens eius erat distinguere speciem subalternam à generibus summis, & speciebus infimis penes hoc, quòd subalterna modò est genus, modò est species: genera verò summa semper sũt genera, & species infimæ semper sunt species, siue ad inferiora, siue ad superiora comparentur.

Oppositæ rationes correspondent speciei respectu inferiorũ, & generis.

Porphyr. illustratus.

Om-

Omnem speciem esse essentialiter vniuersalem.

SECTIO II.

Varia opiniones de vniuersalitate speciei.

I. ALterum in hac dificultate examinandum est, an omnis species vniuersalis sit, & an essentialiter talis, an verò accidentaliter. Quidam enim distinguunt duplicem speciem, aliã Subijcibilem, & aliam Prædicabilem, & asserunt, quòd species prædicabilis sit vniuersalis, non autem species subijcibils; Alij verò concedunt, speciem esse quidẽ vniuersalem, non tamen essentialiter, sed illi accidere esse vniuersalem. Quam opinionẽ videtur tradidisse Albert. Magn. tract. 4. prædicabil. cap. 2. & Caiet. in Logica cap. de specie. Non video autem quomodo fundari possit hæc sententia, nisi forte dicatur, vniuersalitatem esse accidens speciei, quatenus est extra conceptum ipsius; solùm enim potest esse accidens metaphysicum, non autem physicum, aut si dicatur vniuersalitatem esse secundam intentionem.

Albert. Magn. Caiet.

Prima cõclusio. Omnis species intrinsecè vniuersalis.

II. Nihilominus tamen dicendum est primò, omnem speciem debere esse vniuersalem, quod tamen ita intelligi debet, vt in illa essentia specifica intrinsecè inuoluatur vniuersalitas, siue materialiter conueniat speciei; siue formaliter, siue hæc vniuersalitas relinquat speciem in esse speciei, siue illam constituat in esse generis. Atque hæc conclusio sic intellecta nullam habet dificultatem; Certum enim est, quòd omnis species potest esse in pluribus, atque id illi conuenit ex vi suæ essentiæ; si enim sit species infima, potest esse in pluribus indiuiduis; quòd magis cõfirmabitur, cum infra ostendemus, speciem requirere necessariò plura indiuidua, in quibus possit esse: si verò est subalterna, tunc quamuis dum potest esse in pluribus, acquirat rationem generis, habet tamen vniuersalitatem, qua potest esse in pluribus speciebus; & sic cuicunque speciei conuenit aliqua vniuersalitas modo explicato; Et patet ex eo quoque, quòd omnis species debet poni sub aliquo determinato genere, genus autem debet habere sub se vniuersalia, alioquin si essent singularia, non esset genus, sed species infima.

III. Secundò dicendum est, omnem speciem non accidentaliter, sed essentialiter esse vniuersalem, ita vt in sua intrinseca essentia inuoluat vniuersalitatem. Ita præcipue Tolet. in Logica Cap. de specie quæst. vnica, & communiter omnes. Cuius rei ratio inde sumitur, quia species duas partes sibi essentiales, tanquam principia intrinseca, importat, nẽpe genus, & differentiam. Ratione autem generis dubium non est, quin sit vniuersalis; verùm huiusmodi vniuersalitas non est propria speciei; imò neque genus, prout est in specie obtinet completam rationem vniuersalitatis, quia contrahitur, & determinatur ad talem specificam naturam, quæ est inadæquatus terminus vniuersalitatis ipsius; vndè restat solùm, quòd habeat suam propriam vniuersalitatem ratione differentiæ, quatenus est ratio quædam, per quam species formaliter habet, quòd possit esse in pluribus, vel speciebus, vel indiuiduis. Cum autem differentia sit essentiale, & formale constitutiuum speciei, species erit essentialiter vniuersalis; totum enim id, quod conuenit ex vi formalis constitutiui, est essentiale supposito, quod in ipso constitutiuo imbibatur, vt contingit in casu nostro; differentia enim seipsa formaliter facit, vt species seipsa possit esse in pluribus.

Secunda conclusio Species essentialiter vniuersalis. Tolet.

IV. Deinde, vt modo etiam diximus, species immediatè ponitur sub genere, & potest genus de ipsa immediatè prædicari, ergo est essentialiter vniuersalis. Probatur hæc consequentia, quia si species habet ab intrinseco suo, vt ponatur sub genere, debet ab intrinseco quoque habere proportionem, ita vt possit poni immediatè sub ipso, quod fieri non potest; nisi ex vi vniuersalitatis quòd enim vniuersale non est, non potest immediatè sub illo collocari; & ratio vniuersalitatis est ratio, cur collocetur. Rursus quicquid inuoluitur in rerum essentijs est ipsis essentiale, cum dicant tantùm pura essentialia. Modò quælibet species est tantùm pura quædam essentia, ita vt præter essentialia nihil aliud dicat, si igitur inuoluet vniuersalitatem, inuoluet tanquam aliquid essentiale; atque ita inuoluetur in ipsa specie, vt non possit separari ab eiusdem adæquato conceptu, alioquin non esset ab intrinseco suo pluribus communicabilis.

Species immediatè ponitur sub genere.

V. Neque dici potest, vt innuimus initio sect. quòd vniuersalitas sit accidens speciei, quatenus prius concipiatur con-

Vniuersale quid prius quàm genus & species. stituta in suo esse, deinde concipiatur illi aduenire vniuersalitas: nam ratio vniuersalis est quid superius, & magis commune, quàm sit species, & reperitur etiam in summis generibus, in quibus ratio speciei non reperitur: vnde si connectit speciei hæc ratio vniuersalis, debet prius in ipsa intelligi ratio vniuersalitatis, quam intelligatur ratio speciei, & non quod adueniat speciei, quando iam intelligitur complete constituta in suo esse. Est enim vniuersale quid magis commune, quàm sit aut genus, aut species, & idcirco veluti contrahitur per genus, vt sit tale vniuersale, atque etiam per speciem: ostendemus enim suo loco, Vniuersale diuidi in genericum, & specificum, tanquam in duas species. Præterea hoc quoque certum est. Speciem habere suam propriam vnitatem intrinsecam, cum sit quoddam ens: hæc autem vnitas intrinseca, non potest esse vnitas incommunicabilitatis, alioquin non posset species esse in pluribus, sed vnitas communicabilis: & quamuis vnitas concipiatur tanquam passio, est tamen de adæquato conceptu cuiuscunque entis, & si est vnitas communitatis fundatur in intrinseca conditione naturæ, qua habet, vt possit pluribus communicari; si igitur species essentialiter, & ex natura sua habet vnitatem communitatis, dicendum est, ex natura sua esse etiam vniuersalem.

Speciem, vt species est, licet non vt subijcibilis, esse vniuersalem.

SECTIO III.

I. QVamuis aliqui putent, dari species, quæ nulli generi subijciãtur, hoc tamen non est admittendum, sed tanquam certum tenendum, omnem
Auersa. speciem alicui generi subijci. Quod adnotauit etiam Auersa in Logica quæst. 11. sect. 2. & ratio id manifestè conuincit, nam omnis species, vt sit species, debet constare ex genere, & differentia, & proinde debet esse talis naturæ, vt possit genus de ipsa prædicari, quòd si genus prædicatur, ipsa subijcitur generi. Deinde ratio, cur species subijciatur generi, nulla alia est, nisi quia includit ipsum genus tanquam superiorem gradum essentiæ, & contrahit ratione differentiæ, vt disp. præcedenti ostensum est: hoc autem conuenit cuicunque speciei, & ideo vnaquæque species debet subijci suo generi, quò componitur.

II. Supposito ergo, omnem speciem subijci alicui generi, dico quòd si consideretur secundum hanc rationem subijcibilitatis, seu secũdùm respectum, quem dicit ad genus, non esse formaliter vniuersalem, licet subicibilitas in vniuersalitate speciei fundetur. Ita docent communiter Dialectici Soto cap. de specie. Tolet. ibid. quæst. vnica. Ruu. quæst. 2. Sanchez in Logica quæst. 53. conclus. 1. Auersa ibid. quæst. 11. sect. 3. & alij communiter. Et potest facilè hæc conclusio ostendi ex natura vniuersalis, quòd debet esse vnum aptum ad essendum in multis, vnde constituitur per aptitudinem ad essendum in illis, sine quã non potest concipi vniuersale, at si species consideretur secundùm rationẽ subijcibilitatis, seu quatenus ordinatur ad suum genus, non dicit formaliter hanc aptitudinem, ergo neque formaliter dicit rationem vniuersalis. Confirmatur: Species comparata ad genus habet rationem inferioris, ergo non potest habere rationem vniuersalis, quia vniuersale respectu sui termini se habet, vt quid superius, vnde illum sibi subijcit, non autem illi subijcitur; quare species, prout generi subijcitur, non potest habere rationem vniuersalis.

Prima cõclusio. Species prout subijcitur generi, non est vniuersalis. Soto. Tolet. Ruuius. Sanchez. Auersa.

Species vt ordinata ad genus non dicit aptitudinem ad essendum in pluribus.

III. Præterea habitudo speciei ad inferiora, & habitudo eiusdem ad genus, sunt habitudines oppositæ, quia vt diximus, vna est habitudo superioris, altera inferioris; vna est habitudo constituti, altera constituentis, quæ formaliter considerate sunt inter se oppositæ, & ad oppositos terminos, ergo cum species per habitudinem ad inferiora constituatur in esse vniuersalis, non potest constitui in eodem esse per habitudinem ad genus, qua oppositæ habitudines non conferunt idem esse formale. Neque valet, si dicatur, respectu generis se habere vt vniuersale subijcibile, non autem vt prædicabile; quia hinc tantùm infertur, vt materialiter sit vniuersale, non autem formaliter, quatenus subijcibile est, quia ratio formalis subijcibilitatis nedum saluat rationem vniuersalis, sed illi opponitur. Quod inde etiam confirmatur, quia ex ratione formali vniuersalitatis oritur prædicabilitas, quà potest de pluribus enunciari, prædicabilitas verò ori-

2. ratio.

Diuersa habitudo speciei ad genus, & ad inferiora.

ri non potest ex subijcibilitate, nam cum ipsa opponitur: vnum autem oppositum non oritur ex alio, neque physicè, neque metaphysicè.

3. ratio. IV. Tertiò. Quòd species subijciatur generi duo dicit, & suum esse proprium, secundùm quod subijcitur, & formalem rationem subijcibilitatis, per quam habet, quòd subijciatur. Si consideretur species secundùm esse, quòd subijcitur generi, erit quidem vniuersalis; non hinc tamen fit, vt sit vniuersalis formaliter, vt subiicibilis est, & prout formaliter dicit habitudinem ad genus, quia solùm ex vi subiicibilitatis dicit habitudinem ad ipsum. Si verò consideretur secundùm rationem formalem subiicibilitatis, non potest secundùm hanc rationem esse vniuersalis, quòd iode conuincitur, quia subiicibilitas secundùm suam rationem formalem reperitur etiam in quolibet indiuiduo, cum & ipsum suæ speciei subiiciatur; implicat autem indiuiduum habere aliquam rationem vniuersalitatis. Neque dici potest, quòd sit diuersa subiicibilitas, quia in ratione formali subiicibilitatis conueniunt, cum præstet eamdem effectum formalem nempe supponere inferius alicui superiori, & solùm differunt, quòd talem, vel talem rem alicui superiori supponant, quòd est differre materialiter, sicuti differret albedo, quæ est in lacte ab albedine, quæ est in pariete. Ex his ergo patet, quòd species, quatenus ordinatur ad genus, non potest esse vllo pacto vniuersalis.

Quomodo subijcibilitas non importet vniuersalitatem.

V. Hoc tamen non obstante dicimus secundò. Speciem, vt species est formaliter, esse vniuersalem. Pro quò supponendum est, quòd diximus disp. præcedenti; quòd licet subiicibilitas sit propria speciei, non tamen est formale constitutiuum ipsius: sed species formaliter dicit, quod sit natura quædam completa, se habens per modum totius essentialis metaphysici consurgentis ex genere, & differentia, tanquam ex principijs intrinsecis constitutiuis. Vt igitur species sit formaliter vniuersalis, non est necesse, vt sit vniuersalis, quatenus subiicibilis est, sed solùm debet esse vniuersalis secundùm esse, quòd formaliter dicit, nempe secundùm rationem talis naturæ completæ consurgentis ex genere, & differentia; ita tamen vt vniuersalitas radicetur in formali constitutiuo speciei. Atque sic declarata conclusio prob. Species, vt est talis natura completa formaliter, habet, quòd possit pluribus communicari, atque hæc communicabilitas prouenit ex formali constitutiuo speciei, nempe differentia, ergo species, vt species est, formaliter est vniuersalis. Hæc consequentia euidens est, quia si species est communicabilis secundùm suam rationem formalem, & accipit hanc communicabilitatem à proprio constitutiuo formali, etiam formaliter erit vniuersalis, quoniam constitutum habet ea omnia formaliter, quæ ipsi per constitutiuum communicantur. Antecedens igitur declaratur, quia omnis differentia essentialis, cum præscindat ab esse indiuiduali, importat gradum essentiæ, qui potest esse in pluribus; atque hanc communicabilitatem formaliter communicat speciei, quam constituit; vnde species quoque, vt totum quoddam est, & integra natura præscindit ab indiuiduatione: & potest esse in pluribus, ergo vt est talis natura, est pluribus communicabilis. Quod etiam confirmari potest; quoniam quando species ponitur in pluribus, ponitur in illis, quatenus est quædam natura completa, sed vlteriùs contrahibilis per sua inferiora, atque contrahibilitas illi conuenit, prout se habet per modum totius coalescentis ex genere, & differentia, ergo vt species est formaliter, dicit rationem vniuersalis. Hoc tamen ita intelligi debet, vt non dicat rationem vniuersalis vt sic, sed talis vniuersalis, vel generici, si sit subalterna, vel specifici, si sit infima.

Secunda cõclusio. Species formaliter vniuersalis.

Species natura communicabilis.

VI. Sed hinc statim oritur difficultas. Species non est vniuersalis, nisi secundùm ordinem, quem dicit ad inferiora; at secundùm hunc ordinem, si species sit subalterna, non est amplius species, sed genus, ergo species, vt species est, non est vniuersalis. Occurrendum tamen est huic difficultati. Species formaliter neque dicit, quòd ordinetur ad genus, neque ad inferiora, sed dicit quamdam naturam absolutam per modum totius coalescentem ex genere, & differentia; quæ natura cum formaliter constituatur per constitutiuum pluribus communicabile, sequitur, vt in seipsa inuoluat vniuersalitatem ratione sui constitutiui formalis: non tamen hæc vniuersa-

Obiectio.

Solutio.

litas se habet, vt forma tribuens esse specificum, quia forma tribuens esse specificum, est integritas illius naturæ, quæ ex genere, & differentia coalescit, sed solùm est quid intrinsecè imbibitum in constitutiuo; & hoc pacto species, vt species est, dicitur esse vniuersalis; non quòd ratio formalis speciei sit vniuersalitas, sed quia imbibitur in eius formali constitutiuo. Vnde pro maiori intelligentia, in constitutiuo speciei duo possumus distinguere: & esse constitutiuum speciei vt sic: & esse constitutiuum talis speciei. Primo modo importabit tantùm, & præcisè rationem differentiæ, quarenus est actus perfectiuus generis, & faciens vnam naturam simul cum ipso. Altero verò modo importabit formaliter talem differentiam, & gradum talis, vel talis essentiæ. Hinc etiam species proportionaliter ad differentiã poterit considerari: & prout dicit rationem speciei vt sic, quæ in eo consistet, quòd sit natura quædam completa ex genere & differentia: & prout dicit rationem talis speciei, quæ pariter in eo consistet, quòd dicat talem essentiam. Si igitur differentia consideretur, vt est actus generis; & similiter species, vt species est, erit intrinsecè, & formaliter vniuersalis, sed abstrahet ab hac, vel illa ratione vniuersalitatis, & in hoc sensu verum est, quòd species formaliter, vt species est, sit vniuersalis. Si verò consideretur vt talis species est, importans talem gradum essentiæ, erit tale vniuersale; vnde fieri potest, quòd induat rationem vniuersalis generici, ratione talis gradus essentialis, quem dicit. Stat ergo quòd species, vt species est, se habeat vt natura completa ad modum totius essentialis pluribus communicabilis.

Duplex acceptio differentiæ, & speciei.

Quomodo se habeant Vniuersalitas, Prædicabilitas, & Subijcibilitas.

SECTIO IV.

I. SPeciem quamlibet hæc tria in se includere, nempè Vniuersalitatem, Prædicabilitatem, & subijcibilitatem, iam constat ex dictis. Ad plenam tamen notitiam, & pro explicanda complete natura speciei, necesse est videre, quomodo adinuicem se habeant, & quam habitudinem seruent. In quà difficultate varios modos dicendi reperio apud Doctores, qui quamuis loquantur de his rationibus, quatenus sunt quædam secundæ intentiones, possunt tamen intelligi etiam de primis intentionibus, atque illis formalitatibus, quas in essentia reali speciei distinguimus, cum sit eadem ratio proportionaliter de primis, ac de secundis intentionibus.

II. In hac igitur difficultate Albert. Magn. tract. 4 Prædicab. cap. 2. videtur innuere, quòd hæ formalitates nullam habitudinem inter se habeant, sed disparatæ sint, quia nec subijci generi, pertinet ad vniuersale, aut ad prædicabile, nec econtra, esse prædicabile de multis, & vniuersale, pertinet ad subijcibilitatem, cum in indiuiduis reperiatur subijcibilitas, sine vniuersalitate, & prædicabilitate de multis. Solùm ergo prædicabilitas, & vniuersalitas habent habitudinem inter se. Caiet. verò cap. de specie docere videtur, Prædicabilitatem, & vniuersalitatem se habere tanquam passiones respectu subijcibilitatis, quæ se habet vt essentia speciei per ipsum: & hoc pacto vniuersalitas, & prædicabilitas dicuntur, tanquam passiones accidere speciei. Ruuius in Logica quæst. 2. de specie asserit, quòd vniuersalitas, & prædicabilitas se habent vt essentia, & propria passio; atque hi duo respectus sint oppositi subijcibilitati, & ideò non posse ab illa dimanare, nec illam ab ipsis effluere. Tolet. autem quæst. vnica de specie. Asserit. quòd subijcibilitas, & prædicabilitas supponant vniuersalitatem, & ab ipsa proueniant tamquam passiones: quã etiam sententiam sequitur Sanchez in Logica quæst. 53. conclus. 3. quia subijci generi supponit aliquid vniuersale; non enim potest immediatè subijci subiectio. ne propria, & formali, nisi sit quid abstractum ab indiuiduis; singulare enim non potest esse immediatus terminus generis.

Primus modus dicendi. Albert. Magn.

Secundus Caiet.

Tertius. Ruuius.

Quartus Tolet. Sanchez.

III. At Auersa in Logica quæst. 11. sect. 3. procedit cum distinctione; ait enim Si loquamur de his rationibus, præcisè consideratis, & non prout denominant speciem, disparatè se habere, vt conuincit ratio primæ sententiæ, quia indiuiduum est subijcibile, & non vniuersale: neque prædicabile de pluribus: & suprema genera sunt prædicabilia, & vniuersalia, non verò subijcibilia. Si verò considerentur prout denominant speciẽ, tunc denominatio prædicabilis, & vni-

Quintus. Auersa.

uersalis connotant denominationem subijcibilis; neque enim potest aliqua natura dici species vniuersalis, & prædicabilis, nisi etiam generi subijciatur, alioquin non erit species. Sic etiam ratio subijcibilis, prout est in specie, & illam denominat, inuoluit rationem prædicabilis, & vniuersalis, quia quòd non est vniuersale, & prædicabile de pluribus, licèt alteri subijciatur, non erit species subijcibilis. Denique ait, subijcibilitatem, quæ est propria speciei veluti radicari in vniuersalitate eiusdem, & ab ipsa consequi, quia per hoc talis subijcibilitas distinguitur à subijcibilitate indiuiduorum.

IV. Vt autem circa hanc difficultatem, nostram sententiam aperiamus, aduertimus, quòd licet distinguamus has varias formalitates in specie, requiruntur tamen omnes ad conceptum adæquatum ipsius: ita vt non possit species adæquatè concipi nisi omnes istæ formalitates intelligantur, cum omnes in eadem natura, quam importat species, fundentur; quia tamen vna radicatur in alia, & ad ipsam consequitur, hinc fit, vt vna possit assignari pro essentia, altera verò pro passione, vt se habent vniuersalitas, quæ spectat ad essentiam, & prædicabilitas, quæ est passio vniuersalis, vt suo loco, cum de vniuersali agemus, demonstrabimus, & ab omnibus quoque conceditur: vnde etiam in specie prædicabilitas erit passio consequens eiusdem vniuersalitatem, & erit etiam passio speciei, cum, vt diximus, vniuersalitas spectat ad essentiam speciei; quare istæ duæ formalitates, nempè vniuersalitas, & prædicabilitas erunt inter se connexæ tanquam radix, & propria passio.

Vniuersalitas, & prædicabilitas radix, & propria passio.

V. Maior difficultas est de subijcibilitate. De qua illud debet esse certum, quòd subijcibilitas non potest consequi ad rationem vniuersalis vt sic, quòd inde colligitur, quia vbicunque est vniuersalitas, non est subijcibilitas, quòd esse non posset, si subijcibilitas ad rationem vniuersalis consequeretur; posito enim principio alicuis passionis, ponitur quoque propria passio consequens ad ipsum, in generibus autem summis est vniuersalitas, & non subijcibilitas. In indiuiduis verò est subijcibilitas, non tamen vniuersalitas, vnde neque semper subijcibilitas supponit vniuersalitatem. Neque valet, si dicatur, esse diuersam subijcibilitatem, nam, vt etiam supra adnotauimus, in ratione formali subijcibilitas non differt, sed tantùm in re, quæ subijcitur, quia videlicet aliud est, quod subijcitur in indiuiduo, & aliud, quod subijcitur in specie, quare cum subijcibilitas communis sit tum indiuiduo, tum speciei, debet assignari aliqua radix communis tum speciei, tum indiuiduo à qua consequatur.

Subijcibilitas non consequitur ad rationem vniuersalis.

VI. Vnde colligitur, quòd subicibilitas licet sit passio speciei, vt supra docuimus, non potest radicari formaliter loquendo in eius vniuersalitate non solùm generice sumpta, sed neque etiam in vniuersalitate sumpta specificè, prout videlicet dicit, quòd sit tale vniuersale, quia si tale vniuersale esset formaliter radix subijcibilitates, ita illam sibi propriam faceret, vt in nullo alio reperiretur, in quo non esset ratio talis vniuersalis; at subijcibilitas reperitur etiam in indiuiduis, vt talia sunt, non tamen, vt talia sunt, dicunt rationem aliquam vniuersalitatis. Itaque videndum est, vnde proueniat, quòd species subijciatur generi, & indiuiduum speciei: hoc autem formaliter prouenire non potest neque ex ipso genere, neque ex ipsa specie, quia tunc idem esset ratio, cur subijceretur sibi ipsi, sed tantùm proueniet ex formali constitutiuo speciei, aut indiuidui nempè differentia, & indiuiduatione; quia subiici conuenit vni, vt species est, alteri verò vt indiuiduum. Verùm dum huiusmodi subiectio in eo consistat, quòd vnum ponatur sub alio tanquam importans gradum essentiæ inferioris, subiicibilitas in eo radicabitur, quòd tam indiuiduatio, quàm differentia sint rationes determinatiuæ, & contractiuæ essentiæ superioris ad essentiam magis determinatam, aut ad esse indiuiduale: vnde subiicibilitas erit passio speciei, vt importantis gradum essentiæ magis determinatum, non verò, vt vniuersalis est, quare immediatè nullam habebit habitudinem ad vniuersalitatem, & prædicabilitatem, sed tantùm mediatè, quatenus radicatur in ratione contractiua, seu differentia, quæ habet annexam vniuersalitatem. Eadem autem essentia secundùm diuersas formalitates potest esse radix, tum subiicibilitatis, tum prædicabilitatis, licet sint habitudines oppositæ, quia huiusmodi habitudines solùm opponuntur in ordine ad terminos oppositos, & sicuti eadem es-

Vnde proueniat subijcibilitas.

essentia potest habere terminos oppositos, ita poterit habere etiam habitudines oppositas; sic idem homo potest habere relationem patris, & filii, licet sint oppositæ relationes. Et hoc pacto assignari potest radix communis subiicibilitatis tum speciei, tum indiuiduo, nimimirum contractionum rationis communis, quòd facit, vt id, quòd coalescit ex contractiuo, & ratione communi subiiciatur rationi superiori.

Quotuplex sit species.

Disp. LXXIII.

Diuisio speciei in subalternam, & infimam. Sect. I.
Expenduntur nonnulla alia diuisiones. Sect. II.

Diuisio speciei in subalternam, & infimam.

SECTIO I.

I. SOlet species communiter diuidi in subalternam, & infimam. Discrimen autem in eo consistit, quòd subalterna ita est species, vt sit etiam genus. Infima verò ita est species, vt non possit esse genus. Atque hoc discrimen communiter assignatur à Philosophis: & illud tradidit Porphyr. cap. de specie dum inquit. *Homo vero species quidem est rationalis animalis, non autem genus particularium hominum, sed solum species:* Et hoc ipsum docuit etiam Arist. 3. Metaph. tex. 11. dum ait *Non enim est homo genus singularium hominum.* cui etiam subscribit D. Damascen. cap. 2. suæ Dialect. his verbis *species autem extrema, infimaeuè non habentes sub ipsis alias species, non dicuntur genera, sed Species solùm.* Et ratio quoque facilis est, quia non potest aliqua natura esse genus, nisi sub se contineat plures species, quibus communicetur, hoc autem saluari non potest in qualibet specie, nam, vt euitetur processus in infinitum debet concedi aliqua species, quæ non possit in alias vlteriùs subdiuidi, & consequenter, quæ non contineat sub se alias species, alioquin nunquam deueniretur ad aliquam naturam vltimò completam in suo esse essentiali, & quæ immediatè esset capax indiuiduationis. Quod colligitur quoque ex natura differentiarum, quæ vt docet Arist. 7. Metaph. tex. 43. debent subdiuidi vsque dum ad indiuiduas, hoc est indiuisibiles, deueniatur. Quòd si sunt indiuisibiles, constituent etiam species, quæ puræ species sint, & non possunt esse genera. Vnde hinc colligitur, quàm malè nonnulli, vt Rodulphus Agricola lib. 1. de Inuent. cap. 6. & alii quidam asserant, Speciem infimam esse etiam genus intermedium: neque enim vident hoc omnino impossibile esse, & hoc pacto destrui rationem speciei infimæ.

(Species subalterna etiam genus, species infima non quaquã.) (Porphyr.) (Arist.) (D. Damascen.) (Arist.) (Rodulphus Agricola.)

II. Huius autem diuisionis ratio à priori, & sufficientia desumitur, quia species est quoddam compositum metaphysicum constans ex genere tanquam ex parte potentiali, & ex differentia tanquam ex forma metaphysica. Cum igitur differentia se habeat tanquam formale constitutiuum, hinc fit, vt species debeat diuidi ea diuisione, cuius est capax differentia; differentia autem vt sic se habet vt quoddam perfectiuum generis intra eumdem ordinem, seu essentiam; nam in genere, vt aliàs quoque diximus, inchoatur quædam essentia, quæ postea completur per differentias; quæ tamen, vt sint proportionatæ, debent esse intra eumdem ordinem cum genere: hoc est debent conferre aliquem gradum, qui illud esse, quod est potentiale in genere faciat actuale per exhibitionem actus, qui sit eiusdem rationis, atque adeò possit constituere vnam naturam, & essentiam cum genere. Hæc igitur differentia, vel ita est actus generis, vt ipsa non sit vlteriùs perfectibilis per alium actum, sed simpliciter se habeat vt actus; vel est ita perfectiua alicuius generis, vt ipsa quoque sit capax vlterioris complementi essentialis. Si primo modo se habet, constituit speciem infimam, quæ potè species est, nec est diuisibilis per alias differentias, vnde neque prædicari potest de pluribus speciebus. Si verò alteri differentiæ subordinatur, tunc constituit speciem subalternam, quæ vlteriùs est diuisibilis per alias essentiales differentias, per quas recipiat aliud complementum, & consequenter possit esse in pluribus differentibus specie.

III. Sed

An species infima, & subalterna diuersæ sint.

III. Sed hic difficultas oritur, an hæ duæ species differant inter se aliquo pacto in ratione speciei: nam quòd differant in ratione essentiæ, & naturæ, certum est, cum importent diuersos gradus essentiales subordinatos. Verùm hanc diuersitatem modo nō inquirimus, quia est tantùm materialis, & reperitur etiam inter species infimas, quæ tamen in ratione speciei non differunt, & inter species subalternas, quæ pariter in ratione speciei non sunt inter se diuersæ.

In quo differant.

Rursus etiam certum est, quòd species infima, & subalterna in ratione vniuersalis diuersæ sunt, nam vna importat vniuersale genericum, altera verò specificum, quæ essentialiter differunt in ratione vniuersalis, vt suo loco ostendemus. Non tamen hæc diuersitas ponit discrimē in ratione speciei, quia statim ac species subalterna consideratur secundùm rationem vniuersalitatis, non est amplius species, sed genus, nam potest inesse pluribus specie diuersis, atque adeò constituitur in esse generis, prout ad sua inferiora ordinatur.

Aliorum opiniones.

IV. Itaque fere communiter afferunt, nullam dari diuersitatem in ratione speciei inter infimam, & subalternam, sed solùm differre in ratione prædicabilis & vniuersalis. Ita ij omnes vno excepto Auersa, vt mox dicemus, qui putant, speciem constitui per subijcibilitatem, quia, inquiunt ipsi, eadem est subijcibilitas speciei subalternæ, & infimæ, cum vtraque generi, vt genus est, subijciatur. Auersa autem in Logica quæst. 11. sect. 4. Putat, in ratione quoque subijcibilitatis interuenire diuersitatem, quia species infima subijcitur generi, quod sub se habet tantùm species, non autem genera: subalterna verò subijcitur generi, quod sub se habet alia genera, vnde cum termini subijcibilitatis sint diuersi, subijcibilitas quoque erit diuersa. Deinde vna subijcibilitas fundatur in vniuersalitate generica, altera verò in vniuersalitate specifica; vnde etiam subijcibilitas speciei subalternæ ex natura sua habet, quòd subijciat plura vniuersalia, quæ sub specie subalterna continentur: subijcibilitas verò speciei infimæ non subijcit plura vniuersalia, sed plura indiuidua, cum hæc tantùm sub specie infima contineantur.

Auersa.

V. Verum hæc doctrina non placet; neque puto in ratione subijcibilitatis formaliter interuenire aliquam diuersitatem, quia ratio formalis subijcibilitatis est tantùm vnica, quæ præbet eumdem effectum formalem in quocunque reperiatur, quòd magis manifestum fiet, si discurramus per singula motiua opposita; quòd enim genus habeat sub se species, vel etiam genera, non ponit diuersitatem in ratione formali generis, sed tantùm materialiter, quia genus formaliter dicit solùm, quòd sit pars potentialis perfectibilis per differentias, quòd autem hæ differentiæ sint adhuc diuisibiles, vel non, per accidens se habet ad rationem formalem generis; vnde hoc non potest causare diuersitatem formalem in subijcibilitate speciei, quia species subiicitur generi, vt genus est. Deinde subiicibilitas non fundatur in vniuersalitate tanquam in radice, à qua proueniat, vt declaratum est disp. præcedenti sect. 4. num. 5. sed solùm gradus essentiæ vniuersalis se habet vt subiectum, seu res, quæ subijcitur: vnde ex eo, quòd vna species sit vniuersale genericum, aut specificum non causat diuersitatem in subijcibilitate. Denique subijcibilitas speciei substernit generi solùm speciem, cuius est subijcibilitas, & non aliud, quæ verò continentur sub specie, non substernuntur generi nisi mediatè, ex eo videlicet, quòd subijciantur speciei; quòd verò hæc sint indiuidua, vel species, prouenit ex ratione speciei materiali, sub qua continentur; & ideò hoc non ponit diuersitatem in subijcibilitate formaliter accepta.

Species infima & subalterna non differunt in subijcibilitate.

VI. His tamen non obstantibus existimo, quòd in ratione speciei, infima, & subalterna inter se differant: pro cuius explicatione supponendum est, quòd supra docuimus, speciem formaliter importare naturam illam metaphysicam compositam ex genere, & differentia; & licèt hæc natura composita dicat tum genus, tum differentiam, principaliter tamen dicit differentiam; quòd inde colligitur, quia species est natura magis completa, & perfecta, quàm sit genus, & est accessus quidam perfectionis supra genus, qua mediantè genus magis accedit ad esse actuale. Hoc autem totum præstat differentia, ipsa enim tanquam actus confert generi perfectionem, & complementum, & actuando facit, vt magis accedat ad esse actuale. Quòd in ductione quoque declarari potest discurrendo per singulas species; hæ enim om-

Species infima & subalterna differunt in ratione speciei.

nes magis perfectæ sunt ratione differentiæ; sic homo est magis perfectus ratione suæ differentiæ, nempè rationalitatis. Et ratio à priori est, quia differentia tribuit esse magis contractum, & magis determinatum: quod autem est magis determinatum magis etiam accedit ad esse actuale, quod dicit maiorem perfectionem, quàm esse potentiale. Similiter etiam in compositis physicis eorum natura, & essentia principalius dependet à forma, quam à materia, quia forma est illa, quæ complet materiam, & dat essentiam determinatam, vnde compositum ab ipsa desumit nomen, & quidditatem: differentia autem in composito metaphysico seruat proportionem ad formã physicam, vt alibi explicauimus.

Quomodo ratione differentiarum species infima, & subalterna differant in ratione speciei.

VII. Hoc ergo stante sequitur, speciem posse in ratione speciei diuersificari ex diuersitate differentiarum, præsertim cum differentiæ sint formalia constitutiua specierum. Differentiæ autem, vt supra quoque adnotauimus, aliæ sunt, quæ simpliciter sunt actus, & constituũt species infimas; aliæ quæ vlterius aliã perfectione essentiali sunt perfectibiles, & non sunt vltimi actus essentiæ, & constituunt speciem subalternam. Hæc igitur diuersitas differentiarum ponit diuersitatem in speciebus, quas componunt, quæ est diuersitas in ratione speciei, quia est diuersitas, quæ redundat in naturam prout consurgit ex genere, & differentia. Hæc autem differentia in eo consistit, quòd species subalterna est aliquod totum metaphysicum adhuc perfectibile per vlteriorem actum: species verò infima est aliquid totum ita complete actuatum, vt vlteriùs non sit perfectibile. Cum ergo species, vt species est formaliter, dicat aliquam naturam metaphysicam, quæ se habeat per modum totius; omnis diuersitas, quæ est in natura, prout se habet ad modum totius, erit diuersitas in ratione speciei formaliter acceptæ, siquidem est diuersitas, quæ inest formali constitutiuo speciei. Atque quòd hæ rationes nempè esse vltimò cõpletum, & non esse vltimò completum, seu esse adhuc aliquid potentiale, sint aptæ ad diuidendam speciem vt sic, & illam contrahendam, inde colligitur, quia sunt intra latitudinem ipsius speciei, & dicunt diuersos modos participandi rationem ipsius. Cum enim species vt sic dicat naturam compositam ex genere, tanquã ex parte potentiali, & ex differentia tanquam ex parte actuali, participare hanc naturam, vt quid omnino essentialiter completum, & actuatum, & participare eamdem naturam, vt quid vlteriùs perfectibile, dicit diuersos modos participationis, qui sufficienter determinant naturam participatam ad esse talis, vel talis compositi metaphysici, & proinde sunt diuersæ differentiæ contrahentes speciem vt sic. Constat igitur ex dictis, quomodo species infima, & subalterna etiam in ratione speciei sint inter se diuersæ.

Expenduntur nonnullæ aliæ diuisiones.

SECTIO II.

I. Antequam ad explicandam naturam speciei infimæ accedamus, nonnullæ aliæ diuisiones expendendæ sunt, quæ licèt conueniant solùm speciei infimæ, hic tamen considerandæ sunt, vt potè, quia sũt quædam subdiuisiones præcedentis diuisionis, & vt in vnum totam doctrinã de diuisione speciei colligamus. Prima ergo diuisio traditur ab Auersa in Logica quæst. 11. sect. 4. & est in speciem, quæ diuisibilis est in plura indiuidua per diuisionem accidentalem quantitatiuam; & in eam, quæ multiplicatur in sua indiuidua per intrinsecas differentias indiuiduales. Supponit autem, quòd detur multiplicatio indiuiduorum, quæ fiat per intrinsecas differentias indiuiduales, & alia, quæ fiat per diuisionem quantitatiuam, vt cum ex vna aqua fiunt plures aquæ. Cum igitur hi sint duo modi multiplicationis adeò diuersi, etiam species, quæ dicunt ordinem ad has diuersas multiplicationes, habebunt in se diuersitatem ratione terminorum, ad quos ordinantur: vna enim multiplicatio fit per entitatẽ intrinsecam ipsarum rerum: altera per ablationem vnionis, seu continuationis, quomodocunque fiat ista continuatio: in alia autem multiplicatione ita vnum indiuiduum non est aliud, vt neque possit esse. Hinc colligit; In multiplicatione quantitatiua naturam communem plu ribus indiuiduis esse communem prout est quoddam totum integrale: sic aqua, vt quoddam totum integrale, est conceptus communis huic, & illi aquæ, & multiplicatur per diuisionem, quantita-

Diuisio speciei in multiplicabilem per intrinsecas differẽtias, & quantitatiuo modo.

ti-

tiuam, quia vnaquæque aqua est quoddam totum integrale. Addit tamen, quod si sumatur aqua, prout dicit essentiam aquæ, tunc est species, quæ potest multiplicari per suas intrinsecas differentias indiuiduales, & propriaa entitates.

Reijcitur

II. Sed hæc doctrina mihi difficilis videtur, nec video aliquod fundamentum sufficiens ad causandum diuersitatem inter hæc duo membra diuidentia. Et possumus argumentari ad hominem. Quando aqua consideratur secundùm suam essentiam, tunc est multiplicabilis per differentias intrinsecas indiuiduales, ergo etiam quando consideratur vt aliquod totum. Consequentia hæc declaratur, & inquiro, quando aqua consideratur vt quædam essentia, cur sit multiplicabilis per intrinsecas differentias indiuiduales; certè non alia ratione erit tali pacto multiplicabilis, nisi quia multiplicatio formaliter fit per intrinsecam entitatem cuiuscunque indiuidui, sed etiam quãdo fit diuisio quantitatiua, multiplicatur vnumquodque indiuiduũ per suam entitatem intrinsecam; sicuti enim per suam entitatem est vnum, ita etiam per eamdem ab vnoquoque distinguitur. Neque valet, si dicat, ea, quæ multiplicantur per intrinsecam entitatem, ita esse multa, vt non possint fieri vnum, & quæ sunt vnum, nullo pacto posse fieri multa, quia hoc per accidens se habet ad indiuiduationem, & prouenit ab essentiali natura rei indiuiduæ: vnde non causat diuersitatem in modo indiuiduationis, & multiplicationis formaliter, sed potius in ipsa natura, quæ diuersitas non est secundùm esse speciei formaliter consideratæ, sed materialiter tantùm, nempe secundùm essentiam, quam importat talis species. Confir. diuisio quantitatiua prouenit ex diuisibilitate rei, ex eo quòd habeat partes, quòd in cœteris, quæ sunt vnum, & non possunt fieri multa, aut quę sunt distincta, nõ possunt vniri, prouenit ex eo, quòd non habent partes; habere autem partes, & non habere est diuersitas secundùm esse specificum essentiale, non verò in termino formali indiuiduationis.

Vnaquęq. diuisio indiuidualis fit per differentias intrinsecas.

III. Vnde rursus contra eamdem diuisionem instari potest. Multiplicatio quantitatiua prouenit ratione quantitatis, quatenus quantitas est multiplicabilis in plura indiuidua: & quòd sit multiplicabilis in plura indiuidua inde prouenit, quia est quædam natura specifica potens habere sub se plura indiuidua, & per Auersam, quando aliqua essentia petit habere sub se distincta indiuidua, multiplicatio fit per intrinsecas differentias indiuiduales, ergo quantitas multiplicatur in suis indiuiduis per differentias intrinsecas, & consequenter quidquid multiplicatur quãtitatiuè, multiplicatur per easdem differentias. Confir. partes integrales quantitatis sunt intrinseca entitas quantitatis, & non minus intrinseca, quàm sit entitas cuiuscunque alterius indiuidui ipsi indiuiduo, cuius est entitas, siue hoc indiuiduum sit spirituale, siue alterius rationis, ergo, cum in quantitatiuis fit multiplicatio per partes integrales, fit per intrinsecam entitatem eo modo, quo fit in non quantitatiuis, & consequenter per intrinsecam differentiam indiuidualem cuicunque indiuiduo. Confir. secundò. Totum integrale, vt tale est, formaliter dicit suam essentiam specificam, quæ potest habere sub se plura indiuidua, ergo quando multiplicatur in illis, multiplicatio fit per intrinsecas differentias indiuiduales, quia tunc multiplicatur per differentias indiuiduales, quæ adueniunt ratione entitatis propriæ cuiuscunque totius, qua est indiuisum in se, & diuisum à quocunque alio, quòd non est ipsum.

Multiplicatio quantitatiua est per intrinsecas differentias indiuiduales.

IV. Tertiò argumentor. Si indiuiduatio, quæ fit quantitatiuo modo, & quæ fit non quantitatiuo modo, essent formaliter diuersæ, deberent conuenire in ratione indiuiduationis vt sic, & consequenter deberet dari conceptus communis genericus indiuiduationis contrahibilis per diuersas differentias, quibus constituerentur hæ duæ species indiuiduationis; alioquin non posset saluari diuersitas essentialis indiuiduationis: hoc autem non potest admitti, quia tunc sequeretur, naturam specificam prius vniri cum ratione communi indiuiduationis, quàm cum tali indiuiduatione, vnde esset indiuidua antequam haberet completam rationem indiuidua tionis: rursus esset indiuidua per aliquid commune genericum, quod omnino implicat: quomodo enim, quòd non est singulare, sed commune, potest reddere aliquid singulare, & incõmunicabile? Confir. Vel ille conceptus communis participat rationem formalem indiuidua-

Non dantur Indiuiduationes essentialiter diuersæ.

tionis, vel non. Hoc secundum dici non potest, quia non esset indiuiduatio. Si igitur participat, cuicunque exhibeatur, debet præbere suum effectum formalem, & reddere indiuiduum, atque incommunicabile: rursus cum sit quid commune reddet etiam communicabile cui aduenit, quæ omnia implicant, nec vllo pacto admitti possunt.

Altera diuisio speciei multiplicabilem in indiuidua, quæ continuari possit, & quæ non cōtinuari.

V. Altera quoque diuisio speciei infimæ affertur ab ipso Auersa sect. citata. Est autem in speciem, quæ ita multiplicatur, vt ipsius indiuidua non possint inter se continuari, & in eam, cuius indiuidua continuari possunt, vt contingit in pluribus indiuiduis aquæ. Differunt autem hi modi multiplicationis, quòd in primo multiplicatio oritur ex natura, quæ est expers quantitatis; alia verò oritur ex natura, quæ est capax quantitatis: vnde aliqui, ait ipse, agnoscunt solùm secundam multiplicationem indiuidualem, non verò primam. Quia autem videtur hæc diuisio cum præcedenti coincidere, ideò occurrit Auersa, & inquit, secundum membrum huius diuisionis, nempè multiplicationem, quæ fit in ea, quæ continuari possunt, differre maximè à multiplicatione quantitatiua, quia multiplicatio in ea, quæ continuari possunt, fit per intrinsecas differentias indiuiduales, vnde licèt duo palmi quantitatis continuentur, verè differunt numero, & sunt plura indiuidua: in priori autem diuisione consideratur multiplicatio, prout consistit in non continuatione quantitatiua, qua ablata, aufertur talis multiplicatio.

Reijcitur

VI. Sed neque melior est hæc diuisio. Nam quòd aliqua indiuidua continuari possint, vel non continuari, prouenit ex intrinseca conditione talis naturæ specificæ, non verò ratione indiuiduationis: vndè arguit solùm diuersitatem in natura specifica materialiter considerata, non verò arguit diuersitatem in modo multiplicationis indiuidualis formaliter acceptæ. Deinde non video, quando multiplicatio est in rebus quantitatiuis, quid intersit inter eam, quæ fit quantitatiuo modo, & quæ fit per intrinsecas differentias indiuiduales: vtraque enim multiplicatio fit secundùm quantitatem intrinsecam cuiuscunque indiuidui, & per entitatem intrinsecam illius, ita vt nulla differentia sit, siue ista multiplicatio fiat per diuisionem, siuè,

Quantitatiua solùm per intrinsecas differentias indiuiduales multiplicantur

vt ait ipse, per differentias intrinsecas indiuiduales: nulla enim esset differentia inter plures aquas, quæ à Deo de nouo producerentur distinctæ, ac inter alias plures aquas, quæ per diuisionem multiplicarentur. Præterea si semel quãtitatiua possunt multiplicari per intrinsecas differentias indiuiduales, semper debent tali pacto multiplicari, quia multiplicatio cuiuscunque rei debet fieri iuxta eius naturam: vnaquæque autem res habet tantùm vnum modum multiplicationis. Confir. Quòd aliqua multiplicentur per intrinsecas differentias indiuiduales prouenit ex intrinseca natura, & conditione ipsorum. Quia videlicet natura, quæ in ipsis reperitur, petit tali pacto multiplicari, ergo quæcunque multiplicatio, quæ fit in tali natura debet semper fieri per intrinsecas differentias indiuiduales. Rursus quando fit multiplicatio per intrinsecas differentias indiuiduales, huiusmodi differentiæ consequuntur esse, quod multiplicatur, cum non sint extra ipsum, ergo semper hæc multiplicatio debet fieri per intrinsecas differentias indiuiduales, quia semper ad tale esse indiuiduale consequetur propria differentia intrinseca.

De essentia speciei infimæ.

Disp. LXXIV.

Explicatur definitio speciei infimæ.

SECTIO I.

I. QVæ hucusque dicta sunt de specie in communi, prout abstrahit ab infima, & subalterna procedunt; nunc de infima tractandum est, nam de subalterna, præter ea, quæ de specie in communi diximus, nihil occurrit; quæ enim ipsi conueniunt, vt subalterna est, & secundùm ordinem ad inferiora, non

sunt

sunt diuersa ab ijs, quæ conueniunt generi, nam, vt dicit ordinem ad inferiora, quoddam genus est. Species autem infima est species completa, & vltimò actuata, vnde non est susceptiua aliarum differentiarum, sicuti est species subalterna, sed importat naturam absolutam omnibus numeris, quò ad esse essentiale, ita vt non possit aliquam aliam perfectionem essentialem recipere. Definitur autem huiusmodi species à Porphyr. *Species est id, quod prædicatur de pluribus differentibus numero, in eo quòd quid est.* In qua definitione ponitur *Id, quod prædicatur*, loco generis, reliqua verò loco differentiæ, per quæ contradistinguitur à cœteris prædicabilibus. Definitur enim species à Porphyr., vt est quoddam prædicabile. Distinguitur igitur à genere, quia hoc prædicatur de pluribus differentibus specie: à differentia autem, quia non prædicatur in quale, sicuti differentia: à cœteris autem prædicabilibus, quia ipsa non prædicantur in quid, sicuti species.

Definitio speciei infimæ.

II. Cùm autem hæc definitio, cum proportione ad definitionem generis, tradita sit, etiam cum proportione ad illam intelligi debet. Vnde est aduertendum, per hanc definitionem non explicari aliquam secundam intentionem, sed naturam specificam: & rationes, quas circa definitionem generis pro hoc attulimus, possunt in præsenti cum proportione applicari; & præsertim, quia in hac definitione sicuti etiam in definitione generis, dicitur, Esse id, quod prædicatur; vndè definitur aliquid se habens vt quod, & prædicans vt quod, Id autem, quod prædicatur, est natura, non autem secunda intentio. Deinde etiam ratio, cur natura prędicetur, est ipsa aptitudo, ex vicnius pluribus inexistit; ideò enim prædicatur de pluribus, quia pluribus inexistit, & ratio, cur pluribus inexistat, est ipsa aptitudo, quam habet ad essendum in illis. Et vt absolutè afferamus, per hanc definitionem definiri naturam, & non secundam intentionem, etiam si alia fuisset intentio Porphyrij, sufficit, si cum natura conuertatur: optimè autem conuertitur: nam natura est aliquid, quod de pluribus differentibus numero prædicatur: & econtra, quod de pluribus differentibus numero prædicatur est natura; vnde cum definitio dicatur ad conuertentiam cum natura, metaphysicè accipienda est, vt explicatiua naturæ realis.

Per hanc definitionem definitur realis natura.

III. Vt autem soli speciei conueniat, & non generi, quia genus quoque de pluribus indiuiduis prædicatur, ideò definitio debet intelligi de prædicatione immediata; genus enim non prædicatur de indiuiduis prædicatione immediata, sed tantùm mediante specie infima. Prædicari autem de aliquo immediatè, est prædicari, vt quid ipsi inexistens immediatè per seipsum, & non per aliud: hoc autem respectu indiuiduorum conuenit solùm speciei infimæ, quia sola immediatè per seipsam vnitur cum indiuiduis, genus verò non vnitur per seipsum immediatè cum indiuiduatione, sed mediante specie, indiuiduatio enim est vltimus gradus entis, qui supponit omnes alios, in quibus fundetur, anteqnam alicui adueniat.

Definitio procedit de prædicatione immediata.

IV. Rursus circa hanc definitionem hoc adnotare oportet, quòd cum dicitur, speciem esse illam, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero, intelligi debet de ijs, quæ verè numero differunt. Vt autem aliqua verè numero differant, requiritur, vt in ipsis multiplicetur natura communis, non quidem secundùm rationem formalem naturæ, sed secundùm esse indiuiduale, vt videlicet natura illa entitatiuè plurificetur. Hinc licèt Deus de vnaquaque trium personarum dicatur, non tamen est species, quia non plurificatur in tribus diuinis personis natura diuina, sed vna, & eadem numero in omnibus reperitur, neque entitatiuè in illis plurificatur. Similiter neque persona in diuinis est species aliqua, quia imprimis dubium est, an possit dari in ratione personæ conceptus communis omnibus personis, cum omnes personalitates sint inter se diuersæ, & tota ratio personalitatis in qualibet persona sit ratio distinctionis. Deinde etiam si daretur huiusmodi communis conceptus, non esset species, quia non haberet sub se plura indiuidua, nam relationes habent eamdem entitatem cum essentia diuina, nec præcisè consideratæ ab essentia dicunt entitatem physicam, sed tantùm suum conceptum formalem, species autem requirit plura indiuidua physica entitatiua, in quibus possit esse, & idcirco ille conceptus communis non esset species. Adde etiam, quòd species dicit aliquam essentiam

Quid requiratur ad verã differentiã numeralem.

coaleſcentem ex pluribus gradibus entis, quorum vnuſquiſque eſt limitatus, & determinatus, & intra latitudinem entis, At quicquid in Deo eſt, illimitatum eſt, & ſupra ens, vt ſuo loco declaratum fuit.

Prædicabilitatem de indiuiduis non eſſe conſtitutiuum ſpeciei infimæ, & quodnam ſit.

SECTIO II.

I. NOn deſunt complures Dialectici, qui putent, ſpeciem infimam formaliter conſtitui per prædicabilitatem de pluribus differentibus numero. Verùm ſi attendamus ea, quæ de genere dicta ſunt, dicendum eſt, quòd ſicuti prædicabilitas de pluribus differentibus ſpecie eſt paſſio generis; ita etiam prædicabilitas de pluribus differentibus numero formaliter ſumpta ſit paſſio ſpeciei infimæ. Vnde ſi definitio tradita intelligatur de prædicabilitate formaliter accepta, non erit, rigoroſè loquendo, quidditatiua, quamuis vt diximus etiam de genere, poſſit dici quidditatiua, quatenus prædicabilitas dicit eſſentiam rei prædicabilis inadæquatè conceptam. Si tamen prædicabilitas ſumatur radicaliter, erit rigoroſè quidditatiua, ſi ſpecies conſideretur vt quoddam vniuerſale eſt. Vnde hinc inſurgit difficultas: an ſpecies infima conſtituatur in eſſe ſpeciei infimæ formaliter etiam per ordinem, & habitudinem ad inferiora. Nam nõ conſtitui in ratione ſpeciei vt ſic certum eſt, alioquin cum ſpecies ſubalterna ſit verè ſpecies, deberet conſtitui in eſſe ſpeciei per ordinem ad inferiora, quòd tamen falſum eſt, quia, prout ordinatur ad inferiora, eſt genus. Quòd autem conſtituatur in eſſe vniuerſalis per ordinem ad inferiora, nullo modo dubitari poteſt; nam vniuerſale vt ſic per ordinem ad inferiora, quibus poteſt ineſſe, conſtituitur, & conſequenter vniuerſale ſpecificum per ordinem ad talia inferiora. Solùm dubitari poteſt, an conſtituatur in eſſe ſpeciei infimæ.

Prædicabilitas paſſio ſpeciei infimæ.

II. Et quidem complures putant, ordinem ad plura, ſolo numero differentia, eſſe formale conſtitutiuum ſpeciei infimæ, non quatenus ſpecies eſt, ſed quatenus infima, quia per hanc ſolam habitudinem intelligitur ratio infimę ſpeciei, & per ipſam ſolam à ſubalterna, vt ſubalterna eſt diſtinguitur. Cuius opinionis videtur etiam eſſe Porphyr. Cap. de Specie, dum docet, ſpeciem infimam dicere vnam tantùm habitudinem ad genus, & ad inferiora; non autem poteſt intelligere, quòd vna ſit habitudo, cum ſint diuerſi termini, ſed quòd ſiuè ordinetur ad genus, ſiuè ad inferiora, ſit in hoc ſenſu eadem habitudo, nempe quia per habitudinem ad quemcunque ex his terminis conſtituatur in eſſe ſpeciei. Scot. verò quæſt. 21. Prædicab. vult, ſpeciem infimam habere quidem duplicem habitudinem nempè ad genus, & ad inferiora, ſed alteram habitudinem, videlicet ad genus, conuenire per ſe primò ſpeciei; alteram verò, nempe ad inferiora, non illi conuenire per ſe primò, ſed ratione generis, quia videlicet genus ſpeciei infimæ eſt vniuerſale, & ideò ex vi illius ordinatur ad inferiora: ſicuti etiam eſſe ſenſitiuum, & eſſe rationale ſunt eſſentialia homini, non tamen eodem modo, nam per ſe primò illi conuenit eſſe rationale, ratione autem generis eſſe ſenſitiuum.

An ſpecies infimæ cõſtituatur in eſſe ſpeciei infimæ per ordinem ad inferiora.

Affirmatiua ſententia.

Opinio Scoti.

III. Vt autẽ explicem quid in hac re ſentiã; hoc mihi imprimis certum videtur. Quòd ſi loquamur de ſpecie ſecundùm ſuum adæquatum conceptum, certè inuoluit eſſentialiter vniuerſalitatem, & conſequenter habitudinem ad inferiora, quæ conſiſtit in aptitudine ad eſſendum in illis. Et ratio quoque eſt manifeſta, quia ſpecies completè conſiderata importat vnam completam naturam, dicentem aliquam eſſentiam per modum compoſiti metaphyſici. In hac autem eſſentia intrinſecè imbibitur aptitudo ad eſſendum in pluribus, quia ex vi talis gradus eſſentiæ, quo formaliter conſtituitur ſpecies, eſt quid communicabile pluribus; ſic ſpecies hominis formaliter conſtituitur per gradum rationalitatis. Et hoc formaliter voluit Scot. citatus, dum dicit, Habitudinem ad inferiora pertinere quidem ad eſſentiam ſpeciei non tamen per ſe primò. Non tamen abſolute dicendum eſt, ratione generis dicere habitudinem ad inferiora, quia illam dicit, nedum vt vniuerſale eſt, ſed etiam vt tale vniuerſale, & conſequenter ratione ſui vltimi conſtitutiui; & hinc eſt, quòd dicit habitudinem ad talia inferiora. Deinde licet ſpecies, vt tale vniuerſale eſt, ponatur ſub vniuerſali vt

Species infima in ſuo adæquato cõceptu dicit habitudinem ad inferiora.

sic tanquam sub genere siue propriè, siue impropriè dicto, non tamen ponitur sub vniuersali, vt est tale compositum metaphysicum, quia, vt est compositum metaphysicum, non dicit formaliter vniuersalitatem; cum igitur vt species est, sit quoddam compositũ metaphysicum, ideò vt species est, ratione sui generis non est tale vniuersale seruata proportione, neque dicit habitudinem ad talia inferiora.

IV. Si verò loquamur de specie inadæquatè considerata, & secundùm illam rationem præcisam, quæ saluat formale constitutiuum speciei, dicendum puto Speciem infimam per id constitui formaliter in esse speciei infimæ, vt infima est, quòd sit essentia & compositum metaphysicum completè actuatum, neque susceptiuum vlterioris complementi substantialis. Quòd autem hoc importet species infima facilè suadetur suppositis iis, quæ diximus de specie in communi, quòd videlicet dicat compositum metaphysicum ex genere, & differentia. Hinc ergo fit, vt talis species dicat tale compositum metaphysicum; differentia enim contractiua alicuius rationis communis debet esse intra eumdem ordinem, vt constituat vnum per se cum genere, & dicere in gradu magis determinato, quòd ratio communis dicit in gradu minus determinato: vnde si ratio communis speciei dicit compositũ essentiale metaphysicum vt sic, talis species dicet tale compositum. Quia autem ratione formalis actus diuersificantur cõposita metaphysica, & formalis actus, seu pars formalis non est aliud, quàm differentia, hinc est, quòd tale, vel tale compositum metaphysicum debeat proportionari cum tali, vel tali differentia. Quoniam igitur differentia infima est vltimus actus completiuus essentiæ, ita vt nequeat illa essentia recipere aliam perfectionem essentialem: hinc species infima, quæ constituitur per differentiam infimam, est compositum metaphysicum completè actuatum, nec susceptiuum vlterioris perfectionis essentialis, sed solùm indiuiduationis. Econtra autem species subalterna in ratione subalternæ per id formaliter constituetur, quòd sit compositum metaphysicum vlteriùs perfectibile perfectione essentiali, quia constituitur per differentiam, quæ adhuc est quid potentiale, vnde species constituta ex vi illius habet, quòd sit perfectibilis perfectione essentiali per alias differentias.

Formale constitutiuũ speciei infimæ vt infima est

V. Hinc colligitur, quomodo habitudo speciei infimæ ad plura, solo numero diuersa, se habeat ad formale constitutiuum illius, quia licet in conceptu adæquato speciei infimæ includatur, vt diximus, non tamen potest includi in eo constitutiuo præciso, quòd sufficit, vt intelligatur proprius conceptus speciei infimæ. Quòd inde manifestè colligitur, quia species vt sic non importat habitudinem ad aliqua inferiora, alioquin omnis species deberet constitui in ratione speciei per habitudinem ad sua inferiora, quòd tamen in subalterna verum non est, cum secundùm habitudinem ad inferiora sit genus: ergo neque talis speciei, nempe infima, prout infima est, dicet habitudinem ad sua inferiora; quia, vt diximus, differantia debet esse intra latitudinem generis, & dicere in determinato gradu, quòd dicit genus in communi, quare si species secundùm genus considerata non dicit rationem vniuersalis, neque talis species dicat rationem talis vniuersalis. Habitudo ergo ad plura, solo numero differentia, est quid connexum cum præciso formali constitutiuo speciei, quia enim formale constitutiuum speciei est esse compositum non vlteriùs perfectibile perfectione essentiali, hinc fit, vt non possit ordinari ad plura specie diuersa, quia tunc deberet perfici per alias differentias essentiales. Quia tamen non est quid communicabile, sed commune, ideò debet ordinari ad aliqua plura, in quibus possit esse; & cum hæc plura non possint essentialiter differre, erunt solo numero diuersa, & ideò ex eo, quòd species infima sit tale compositum non vlteriùs perfectibile perfectione essentiali, sequitur, vt ad talia inferiora ordinetur; atque hæc habitudo in esse essentiali adæquato ipsius inuoluatur. Et hoc voluit proculdubio Porphyr. quando citato Cap. de Specie dixit, speciem infimam habere habitudinem eamdem, nempe speciei, siue ad genus, siue ad inferiora ordinetur, quia licet ad inferiora non ordinetur ex vi illius esse formalis præcisi, quo constituitur in esse speciei infimæ: ordinatur tamen ex vi sui esse adæquati: & ideò dicitur etiam vniuersale specificum, quia per talem ordinem contradistinguitur à generico, quòd ad plura essentialiter diuersa ordinatur.

Quomodo ordo ad indiuidua se habeat ad speciem infimam.

Explicatur Porphyr.

VI. Ex

VI. Ex his colligitur, quòd quando concipitur habitudo ad plura indiuidua alicuius naturæ communis, non concipitur formaliter species, quia non concipitur eius formale constitutiuum præcisum, sed tantùm concipitur species infima consequutiuè, quia concipitur natura quædam non vlterius actuabilis per alias differentias essentiales, in quo præcisè, & formaliter cōsistit species infima. At non sic contingit in specie subalterna, quia si concipiatur natura, quæ possit esse in pluribus specie diuersis, neque formaliter concipitur species subalterna, neque consequutiuè, quia, posse esse in pluribus specie diuersis, conuenit etiam generibus summis, quæ tamen non sunt naturæ compositæ ex genere, & differentia; sed necesse est, concipere rationem formalem compositionis metaphysicæ, ita vt concipiatur natura constans ex genere, & differentia, & deinde, quòd hæc natura possit esse in pluribus essentialiter diuersis, quia hoc totum requiritur ad constituendam speciem subalternam: seu quòd in idem recidit, quòd illa natura sit vlterius perfectibilis per alios gradus essentiales.

An species infima sit necessario in pluribus multiplicabilis:

Disp. LXXV.

Opposita sententia.

SECTIO I.

I. Definitur species à Porphyr., vt vidimus; Esse Id, quod de pluribus differentibus numero in quid prædicatur. Hinc, occasione desumpta, quæritur, an sit essentiale speciei, posse poni in pluribus indiuiduis, ita vt sine hac multiplicabilitate nequeat saluari ratio formalis speciei. Pro quo est aduertendum, quòd aliud est quærere, an possit dari vna natura in esse essentiali completa, quæ tamen non possit multiplicari in pluribus indiuiduis: & aliud, an de ratione speciei sit hæc multiplicabilitas. De primo enim disputare, non est ad propositum; sed solùm de secūdo quærimus, an videlicet, supposito, quòd possit dari aliqua natura in suo esse completa, quæ tamen non possit poni in pluribus indiuiduis, nec etiam per Dei potentiam, an illa natura participaret veram essentiam speciei. Quòd si participaret, concludendum est, non esse de ratione speciei, posse realiter in pluribus multiplicari.

II. Communis sententia apud Thomistas est. Non esse necesse, vt natura specifica possit in pluribus multiplicari, vnde licèt aliqua species possit habere plura indiuidua, quibus cōmunicetur, hoc tamen non prouenit ex eo, quòd sit natura specifica, sed ex conditione talis naturæ, quia, videlicet, est materialis, aut ex alio capite. Potest tamen dari species aliqua, cui repugnet habere plura indiuidua; & hinc infernut, quòd quilibet angelus constituit vnam speciem, licet illi repugnet habere alia indiuidua similia. Hanc sententiam tradit D. Thoma 1. Par. quæst. 50. ar. 4. & 2. contra Gent. cap. 93. & in quæst. de spiritualib. creatur. ar. 8. Et de Ente & essent. Cap. 4. & 5. Caiet. ibid. quæst. 9. & 1. par. quæst. 13. ar. 13. §. *Aduerte hic latitudinem, &c.* Capr. in 2. dist. 3. quæst. 1. conclus. 5. Ægid. quodlib. 2. part. 2. Soncin. 12. Metaph. quæst. 51. Ferrar. 4. contra Gent. cap. 35. Cumel. 1. part. quæst. 50. ar. 4. conclus. 6. Sanchez. in Logica quæst. 56. conclus. 2. & alij complures. Verùm Thomistæ diuersimode declarant suam sententiam. Aliqui enim, vt Ferrar. dicunt, Huiusmodi naturam esse speciem, quia licèt illi repugnet esse in pluribus, vt talis species est, non tamen illi repugnaret, vt species est, alioquin repugnaret omni speciei. Alij verò non ita loquuntur, sed præsertim Recentiores dicunt, sufficere per potentiam Dei absolutam esse possibilia plura indiuidua intra talem speciem; Verùm hi declinant punctum difficultatis, nam quærimus de natura specifica, cui omninò, & simpliciter per quamcumque potentiā repugnat habere plura indiuidua, quia

Prima opinio. Speciem nō requirere necessario plura indiuidua. D. Th. Caiet. Capr. Ægid. Soncin. Ferrar. Cumel. Sanchez.

Communicabilitas secundùm rē, & secundùm rationem.

ad saluandam rationem vniuersalis sufficit pluralitas inferiorum, quocunque modo possibilis. Caiet. igitur citato loco prime par. aliter explicat: inquit enim. Duplici modo posse contingere, aliquid habere communicabilitatem, videlicet secundùm rem, & secundùm rationem. Habet aliquid communicabilitatem secundùm rem, si à parte rei habeat, vt possit poni in pluribus; vnde ad saluandam hanc communicabilitstem, requiritur, quòd natura illa sit ab intrinseco suo communicabilis, & quòd adsit causa potens illam communicare. Secundùm autem rationem habet aliquid communicabilitatem, si in esse obiectiuo possit illi conuenire hæc cōmunicabilitas; quod tunc contingit, quando illa natura objicitur intellectui sine indiuiduatione, seu absque eo, quòd sit hæc, aut illa, sed solùm cum suis essentialibus. Hæc autem communicabilitas sufficit ad saluandam rationem speciei, & eiusdem vniuersalitatem. Vnde quia natura potest objici sine indiuiduatione, licèt non possit pluribus realiter communicari, idcirco obtinet rationem speciei vniuersalis.

Fūdamēta allatæ sententiæ

III. Hæc autem sententia suadetur primò, quia huiusmodi natura esset in prædicamento substantiæ, quia constaret ex genere, & differentia substantiali, & non esset in illo tanquam indiuiduum, quia supponimus, præcisam fuisse indiuiduationem, & non tanquam genus, quia non esset vlterius perfectibilis per alias differentias essentiales de nouo superuenientes, sed esset omnino completa in sua essentia, ergo esset in prædicamento tanquam species. Quòd si dicas, esse in prædicamento tanquam speciem subijcibilem, non verò prædicabilem, instant, quis ex eo, quòd est species subijcibilis, sequitur, vt sit etiam prædicabilis, quia nihil immediatè subijcitur generi, quod non sit vniuersale. Secundò. Quia est natura concepta sine singularitate, & consequenter, cum non sit determinata à singularitate, potest intelligi, vt apta ad essendum in pluribus. Quòd inde quoque confirmari potest, quoniam omne ens, aut est singulare, aut vniuersale; illa autem natura non est singularis, quia abstrahit ab indiuiduatione, ergo vniuersalis, atque si natura sic concepta haberet plura indiuidua per impossibile, posset de illis affirmari. Præterea conceptua ille naturæ sic præcisè consideratæ, quando prædicatur de suo indiuiduo, in quo, est sit prædicatio superioris de inferiori, ergo vniuersalis de particulari, conceptus enim ille non est ita determinatus, sicuti conceptus indiuidui. Quartò, illa natura esset sub genere substantiæ quod autem ponitur sub genere immediatè, & non tanquam indiuiduum, est species. Quintò. Si considerentur aliquæ plures huiusmodi naturæ, & inter se conferantur non differunt genere, quia non ordinantur, vt sint in pluribus specie diuersis, sed neque differunt indiuidualiter, quia differunt essentialiter, ergo differunt specie; quomodo autem si differunt specie, non constituent naturas specificas. Rursus indiuiduum, in quo erit talis natura, referetur ad ipsam, ergo cum correlatiuum indiuidui sit species, talis quoque natura erit specifica.

Opposita sententia.

IV. Opposita autem sententia magis communis est in scholis, & asserit; Esse de ratione cuiuscunque naturæ specificæ, posse pluribus communicari communicatione reali, siue naturali modo fiat, siuè per potentiam Dei absolutam; & putant auctores huius sententiæ non posse dari aliquā naturam, quæ nequeat esse in pluribus indiuiduis, ex suppositione tamen si daretur, non participaret rationem speciei, nec esset vniuersalis. Ita tenent communiter. Theologi in 2. dist. 3. & præcipue Scot. quæst. 7. Gab. quæst. 1. ar. 2. Argent. quæst. 2. Carthusian. & Marsil. quæst. 3. D. Bonauent. dist. 9. art. 1. quæst. 1. Alens. 2. par. quæst. 20. memb. 6. Albert. 2. par. quæst. 50. art. 4. Riccard. in 2. dist. 3. art. 5. quæst. 1. Henr. quodlib. 11. quæst. 1. Vasquez 1. par. disp. 181. cap. 3. Suarez in Metaph. disp. 6. sect. 2. num. 28. Conimb. in Logica quæst. 8. in Præfat. Porphyr. art. 3. Ruuius ibidem. quæst. 4. de specie Hurtad. in Logica disp. 5. sect. 3. subsect. 3. Auersa item in Logica quæst. 11. sect. 1. & alij complures eamdem opinionem sequuntur opposita reiecta, vt improbabili.

Scot. Gabr. Argent. Cartus. Marsil. D. Bonauent. Alex. Albert. Ricard. Henric. Vasquez. Suarez. Cōnimb. Ruuius. Hurtad. Auersa.

Propria sententia.

SECTIO II.

I. NOn disputamus hic, vt supra etiam adnotauimus, an possit dari natura, quæ non sit communis pluribus, quia hoc est alterius loci, sed

si

si daretur, an obtineret rationem speciei. In quo illud certum est, quòd si hæc natura non constaret ex genere, & differentia, neque etiam esset natura specifica, quia deficeret in ipsa ratio speciei: species enim, vt diximus, est quoddam compositum metaphysicum constans ex suis partibus essentialibus, quarum altera se habeat vt potentia, altera verò vt actus, neque circa hoc est aliqua difficultas, cum ab omnibus admittatur nisi forte quis contenderet, quòd partes istæ non perfectè præscindant inter se, nec se habeant per modum actus, & potentiæ sed tunc sufficeret, quòd sint partes saltē imperfectè præscindentes, quarum vna se habeat vt contrahibilis, altera vt contractiua. Supposito ergo, quòd natura constet tali pacto ex genere, & differentia, alioquin non posset esse species, neque poni sub genere; & supposito etiam, quòd non possit esse in pluribus, videndum est, an seruet rationem speciei.

Prima cōclusio. Natura composita ex genere, & differentia saluat rationem speciei.

II. Si igitur in aliqua natura saluatur compositio ex genere, & differentia, mihi videtur absolutè dicendum, in illa natura saluari rationem formalem speciei. Hoc autem sic ostenditur. Posita compositione ex genere, & differentia ponitur formale constitutiuum alicuius compositi metaphysici, siue sit perfecta compositio, siue non, vt per se patet; compositum enim formaliter constituitur per compositionem, vnde cum ponatur formale constitutiuum compositi, debet ipsum quoque poni. Verùm hoc compositum non potest esse aliud, quàm species, vt discurrenti patebit. Imprimis enim est quoddam compositum essentiale, & vnum per se, constans ex gradibus essentiæ superiori, & inferiori, seu determinabili, & determinatiuo, omne autem compositum essentiale est species, quia prima ratio compositi metaphysici essentialis constituit primam rationem speciei. Hæc enim prima ratio compositi incipit ex vnione generis summi cum aliquo gradu essentiæ inferiori; at statim ac fit vnio generis summi cū gradu essentiæ inferiori, constituitur species. Deinde vnio generis vt sic cum differentia vt sic constituit speciem, quòd inde manifestè colligitur, quia vnio talis generis cum tali differentia constituit talem speciem; seruata igitur proportione, genus vt sic cum differentia vt sic constituet speciem vt sic. In omni igitur natura, in qua saluatur compositio ex genere, & differentia, saluatur etiam ratio speciei.

Prima ratio compositi essentialis metaphysici, prima ratio speciei.

III. Confirmatur hic discursus. Si consideretur talis natura præcisis indiuidualibus differentijs, est nuda aliqua essentia, quæ in seipsa inuoluit gradus genericos superiores, vt esset gradus substantiæ, spiritualis, aut corporeæ, & præterea alias rationes intermedias, & superaddit infimam differentiam, quæ est actus non vlterius perfectibilis per alias differentias essentiales, ergo in ipsa saluatur perfecta ratio speciei. De antecedenti non est aliqua difficultas, quia non potest essentia esse omnino cōpleta in suo esse essentiali, nisi dicat differentiam, quæ non sit susceptiua vlterioris perfectionis essentialis. Hæc autem differentia, si sit substantialis, debet supponere tanquam fundamentum ipsam substantiam: non potest autem fieri transitus à substantia vt sic, vsque ad vltimam differentiam, nisi per rationes intermedias, quia vltima differentia, licèt fundetur in substantia, non tamen fundatur in ipsa immediatè, sed mediatè. Declaratur igitur consequentia, nam huiusmodi differentia, quæ in composito metaphysico se habet solùm vt actus, & non vt potentia respectu alterius differentiæ est formale constitutiuum speciei, & cum non possit haberi constitutiuum exhibitum subiecto, nisi habeatur etiam constitutum, posita hac differentia in aliquo genere, debet poni species constituta. Rursus genera siue summa, siue subalterna ex natura sua, & ab intrinseco habent, quòd sint partes metaphysicæ constitutiuæ speciei, ita vt cum quocumque vniantur, cum quo ex natura sua sint vnibilia, veniant in compositionem speciei, quia ex natura sua per se imet exhibitionem sunt constitutiua speciei: vnde solùm possunt naturali modo vniri cum altera comparte constitutiua speciei, atque adeò speciem constituere: & sicuti materia physica, quia est constitutiua compositi physici, nō potest venire in compositionem, nisi cum altera comparte constitutiua compositi physici, & quoties venit in talem compositionem, constituit etiam compositum; ita etiam dicendum de genere, cum ex natura sua sit pars constitutiua speciei.

Genus potest venire solùm in compositionem speciei.

IV. Nihilominus dico secundò. Non pos-

:unda lusio. :ura ificai ft vn falis possit i plu es.

posse aliquam naturam completam esse vniuersalem, nisi realiter possit communicari pluribus. Hoc intendunt auctores secundæ sententiæ; & ratio facilè redditur supposito illo veluti primo principio, & notione vniuersalis, quòd videlicet sit illud, quod aptum est esse in multis,& de ijs prædicari. Quòd si hoc verum est, non potest in aliqua natura saluari ratio vniuersalis, nisi ex se sit apta ad essendum in multis. Si quis tamen negaret, de ratione vniuersalis esse, posse esse in multis, negaret aliquam ex ijs dignitatibus, quibus conclusiones scientificæ innituntur; vnde corruet tota ratio philosophandi. Posset tamen adhuc conuinci, quia si non est aliquid pluribus cõmunicabile, erit pluribus incõmunicabile, cũ necesse sit ex contradictorijs alterũ inesse:si igitur est pluribus communicabile, non erit vniuersale, quia non erit quid commune, sed singulare; quod enim est incommunicabile, singulare est: at singulare, & vniuersale opponuntur, & ideo necessariò concedi debet, vniuersale esse quid pluribus communicabile, præsertim cum debeat participare oppositum illius, quod conuenit singulari.

esponsio Caiet.

V. Nec valet responsio ex doctrina Caiet. supracitati. Illam naturam, licet non sit realiter communicabilis, esse tamen communicabilem secundùm rationem, quia posset intellectus præcisa singularitate illam concipere cum ordine ad plura. Hæc inquam responsio non valet, quia inquiro, an tali naturæ sic conceptæ absque indiuiduatione conueniat ab intrinseco,posse esse in pluribus, ita vt sit essentia ex vi suorum essentialium communicabilis, an verò illi repugnet. primum non admittet Caiet., quia tunc illa natura esset positiuè, & physico modo multiplicabilis, & esset vniuersalis ex intrinseca ratione communicabilitatis, quam haberet. si verò admittat secundum,vt admittit, ergo quando concipit in illa natura communicabilitatem, seu vniuersalitatem, concipit aliquid incompossibile, & format ens rationis, non secus, ac si conciperet chymeram: neque concipit vniuersalitatem aliquam realem, quæ verè conueniat tali naturæ, sed merum figmentum, vnde non sequitur, vt talis natura sit verè vniuersalis, sed solùm ex figmento nostri intellectus. Et sicuti, si quis conciperet, Deum esse corpus, non conciperet aliquid verum,

mpugna ar pri- io.

neque inde sequeretur, Deũ esse corpus, sed esset merum ens rationis: sic etiam in tali casu, dum intellectus concipit vniuersalitatem in tali natura, non sequitur, illam naturam esse vniuersalem, sed efficit merum ens rationis: vnde naturam illam esse vniuersalem erit ens rationis, quantum se tenet ex parte obiecti.

VI. Secundò interrogo Caiet. An quando intellectus comparat illam naturam ad plura indiuidua, & illam concipit communicabilem, an concipiat aliquid possibile, an impossibile ex parte obiecti, ita vt tunc obijciatur intellectui aliquid repugnans, aut quod non repugnet: alterum enim ex his debet concipere, quia extra id, quod non repugnat, nihil aliud est, nisi id, quod repugnat. Si respondeat,se concipere aliquid repugnans, quomodo tunc natura in esse obiectiuo, est vniuersalis, siquidem comparata ad plura, illi repugnat esse in ijs? Si autem dicat, se concipere aliquid non repugnans, ergo verè illa natura potest pluribus communicari, quoniam, quicquid non repugnat, est intra obiectum diuinæ potentiæ: vndè saltem per absolutam potentiam potest ab ipso fieri; & ideo etiam in esse obiectiuo erit quid ex se communicabile, aut incommunicabile, & consequenter aut vniuersale realiter, aut non vniuersale. Quòd si dicas, naturam ordinari ad illa plura, non ex se, sed per respectum rationis confictum ab intellectu, tunc sequitur neque naturam ex se secundùm suum esse metaphysicum esse vniuersalem, quòd nos intendimus, sed quòd natura sit vniuersalis, esse ens rationis.

Secundò.

VII. Rursus non video, quomodo Caiet. consequenter ad sua principia loquatur. Asserit enim cum cœteris Thomistis. Indiuiduationem prouenire à sola materia, ita vt solùm quæ materialia sunt, aut dicunt ordinem ad materiam, possint indiuidualiter multiplicari: pono ergo hanc naturam, quæ non potest realiter poni in multis, esse substantiam spiritualem omninò completam, ita vt non subordinet sibi naturam corporeã, vt sunt naturæ angelicæ. Si igitur concipiatur hæc natura præcisa à sua singularitate, implicabit, quòd dicat ordinem ad essendum in pluribus, non secus ac implicat,illam naturam dicere ordinem ad materiam,aut esse materialem;

Tertio.

Natura cui repugnat esse in multis non potest concipi cum ordine ad plura.

quomodo ergo concepta secundùm esse obiectiuum erit vniuersalis? repugnat enim adhuc illi esse in multis. Quòd si dicat non obstante hac repugnantia adhuc in esse obiectiuo posse concipi cum communicabilitate, tunc, vt dictum est toties, fingetur ens rationis, & duo simul incompossibilia, nempe natura, & communicabilitas coniungentur: & eodem pacto posset communicabilitas coniungi etiam cum natura diuina, & sicut ex hoc non sequeretur naturam diuinam esse vniuersalem, ita neque sequitur talem naturam, cui repugnet esse in multis, esse vniuersalem.

VIII. Confir. tota hæc doctrina. Quando aliqua natura est vniuersalis, est etiam prædicabilis de pluribus, ita vt possit poni in illis per affirmationem, & ex hoc cognoscitur tanquam à posteriori, aliquam naturam esse vniuersalem. Dupliciter autem modo contingere potest, quòd prædicetur de pluribus; prædicatione vera; & prædicatione falsa. Sed quando prædicatio est falsa, non infert naturam vniuersalem, quia indiuiduum quoque prædicari potest de multis prædicatione falsa: vt igitur natura sit vniuersalis, requiritur vt prædicatione vera possit de multis prædicari. Veritas autem prædicationis in eo fundatur, quòd sit conformis ipsis rebus, & iudicium intellectus in affirmando conformetur cũ obiecto, & ita affirmet, sicuti se habet obiectum. Verùm si ponitur aliqua natura, cui repugnet esse in multis, si de multis prædicabitur, erit prædicatio falsa, non enim erit conformis obiecto; vnde ex hoc non sequetur, naturam illam esse vniuersalem in esse obiectiuo, nisi intellectus decipiatur illi tribuendo vniuersalitatem. Præterea si ponitur aliqua natura, cui repugnet esse in multis, si in esse obiectiuo ita se habeat, vt possit esse in multis, iam non erit amplius illa natura, cui repugnat esse in multis, sed aliqua alia, quia omnis variatio, quæ fit in essentijs, illas mutat de vna in aliam. quare si semel aliqua natura non potest esse in multis, nullo pacto manens eadem poterit esse in illis, nec poterit aliquo pacto habere vniuersalitatem.

Vniuersalitas, & prædicabilitas de pluribus se mutuo inferunt, sicuti esse in pluribus.

IX. Rursus argumentor. Si ponitur aliqua natura, cui repugnet habere plura indiuidua, semper in suo intrinseco conceptu inuoluet hanc repugnantiam ex principijs suis intrinsecis cõstitutiuis,

Natura cui repugnat esse in pluribus, nõ po-

ergo non poterit concipi talis natura secundùm sua essentialia, nisi concipiatur etiam huiusmodi repugnantia, quam intrinsecè inuoluit; & proinde, quando concipitur talis natura sine sua singularitate, adhuc illi repugnabit, posse esse in multis, neque sic concepta erit vniuersalis; nec vnquam in aliquo statu erit vniuersalis, nisi intellectus illi attribuat aliquid repugnans, quia semper ex intrinsecis suis principijs constitutiuis habebit, quòd illi repugnet esse in multis. Quòd si intellectus attribuet hanc communicabilitatem illi repugnantem, tunc eadem natura erit vniuersalis, quia poterit esse in multis ex vi communicabilitatis sibi adfixæ, & non erit vniuersalis, quia ab intrinseco suo habebit, quòd non possit esse in multis.

test cõcipi sine hac repugnantia.

X. Sed hinc deduco tertium dictum. Non posse dari aliquam naturam completam in esse essentiali, quæ constet ex genere, & differentia, & non sit etiam communicabilis pluribus indiuiduis, ita vt licet ex vi illius formalitatis, qua concipitur compositio metaphysica ex parte potentiali, & actuali, non concipiatur aliquid pluribus communicabile formaliter; habeat tamen hæc compositio annexam communicabilitatem, ita vt rationes componentes sint pluribus indiuiduis communicabiles, & consequenter omnis species infima debeat pluribus posse communicari. Hoc ostenditur, quia huiusmodi natura est perfectionis finitæ, & limitatæ, vnde, quantum est ex hac parte, non potest illi repugnare communicabilitas, sicuti repugnat Deo ex eo, quòd dicit infinitam perfectionem, & esse ensà se: implicant enim plura entia infinita simpliciter. Sed neque potest illi repugnare, quia in sua essentia inuoluat singularitatem, seu indiuiduationem: potest enim talis natura, vt Thomistæ quoque docent, concipi sine singularitate, ex quo sequitur, non esse per essentiam singularem, nam esse per essentiam singularem conuenit soli Deo: vnde neque ex hoc capite potest illi repugnare esse in pluribus. Neque potest illi repugnare esse in multis ex eo, quòd non sit indifferens, cum enim singularitas non sit de essentia talis naturæ, sed illi extrinsecùs adueniat, metaphysicè loquendo, potest concipi absque omni singularitate, vt Thomistæ quoque concedunt; natura autem concepta si-

Tertia conclusio Omnis natura completa constans ex genere, & differentia communicabilis pluribus.

Singularitas ratio in cõmunicabilitatis.

ne omni ſingularitate eſt indifferens, & conſequenter communicabilis indifferētia poſitiua. Vel ſi quis contendat, non eſſe indifferentem indifferentia poſitiua, erit ſaltem indifferens negatiuè, quia non habet aliquid poſitiuum, per quòd determinetur, vnde erit indifferens ea indifferentia, qua eſt indifferens quæcunque alia natura: qui enim ponunt hanc indifferentiam negatiuam, non aliam agnoſcunt in naturis vniuerſalibus, & communibus ſecundùm ſe conſideratis, & tamen hæc ſufficit ad conſtituendam communitatem naturæ. Confir. Natura non habet aliquid, per quòd reddatur incommunicabilis pluribus, ergo non repugnat illi communicari. Quòd non habeat aliquid, per quòd reddatur pluribus incommunicabilis, patet ex eo, quòd intrinſecè in ſua quidditate non inuoluit ſingularitatem, ſola autem ſingularitas reddit incommunicabile, ita vt quòd abſtrahit à ſingularitate, abſtrahat etiam ab incommunicabilitate, & proinde cum abſtrahat ab incommunicabilitate, erit communicabile, quantum eſt de ſe, quoniam communicabile, & incommunicabile adæquant totam latitudinem entis: vnde in cæteris quoque naturis ſtatim, ab ipſis tollitur incommunicabilitas, quæ prouenit formaliter à ſingularitate, fiunt communicabiles; atque ſi natura diuina non eſſet eſſentialiter ſingularis, poſſet, quantum eſt de ſe, plurificari indiuidualiter.

Reſpōſio XI. Video reſponderi poſſe; Illam naturam non habere quidem ſingularitatem ſibi intrinſecam, adæquari tamen per vnam indiuiduationem, ita vt ſtatim ac eſt coniuncta cum illa, non ſit capax alterius indiuiduationis, & proinde non poſſe pluribus communicari.

Impugnatur. Verùm ſine aliquo fundamento fingitur huiuſmodi commenſuratio, quia ſi natura conſideretur ſecundùm ſua eſſentialia, non habet, vnde determinetur, vt ſit capax vnius tantùm indiuiduationis, hæc enim determinatio non poteſt prouenire ex gradibus eſſentiæ ſuperioribus, quia hi gradus ſunt pluribus communicabiles: vnde ſolùm reſtat, quòd habeat hanc determinationem ratione infimi gradus. At ratione infimi gradus nō poteſt habere, quia hic gradus non participat intrinſecè rationem formalē incommunicabilitatis, & idcircò eſt aliquid communicabile; communicabilitas autem

Species infima ex vi eſſentiæ nō determinatur ad vnum ſolum indiuiduum.

non poteſt ſaluari, niſi ille gradus ſit talis conditionis, vt poſſit eſſe in pluribus: vnde adhuc manet in ſuo robore ratio facta. Et poteſt etiam confirmari inquirendo: an hic gradus habeat aliquid intrinſecum, quoad vnum tantùm determinetur; & hoc non poteſt dici, quia determinatio ad vnum ſit tātùm per ſingularitatem: eſſe enim vnum incommunicabiliter, eſt eſſe ſingulare, atque adeò poteſt haberi tantùm per ſingularitatem. Si verò non eſt determinatum ad vnum, ſed eſt quid communicabile, debet poſſe eſſe in pluribus, & participare rationem communicabilitatis, quam participant ſuperiores gradus eſſentiæ. Quòd rurſus declarari poteſt, quoniam vna eſt tantùm ratio formalis communicabilitatis, & conſequenter debet exhibere eumdem effectum formalem in quocunque ponatur: cum igitur in gradibus ſuperioribus eſſentiæ faciat, vt poſſint eſſe in pluribus, id quoque præſtabit in infimo gradu.

Vnde vna tacō municabilis.

XII. Secundò argumentor. Hæc eſſentia conſtituitur per gradum, qui ſundatur in alijs gradibus eſſentiæ, pluribus communicabilibus, ergo ipſe quoque participare debet communicabilitatem. Antecedens eſt euidens, quia ſundatur in illis gradibus, quos ipſe diuidit tanquam differentia, atque adeò in gradibus genericis: gradus autem generici ſunt cōmunicabiles pluribus ſpeciebus, quia ſunt contrahibiles per plures differentias eſſentiales. Hinc etiam declaratur conſequentia, nam gradus infimus eſſentiæ debet ſeruare proportionem ad ſuperiores, & ſi ſuperiores ſunt communicabiles pluribus ſpecie diuerſis, debet infimus poſſe communicari pluribus numero diuerſis, cum enim ſit ratio contractiua ſuperioris, debet ſolùm illum determinare ſecundùm illam indeterminabilitatem, quam habet; cum ergo iſta indeterminatio ſit ad plura ſpecie diuerſa, ſufficit quòd determinet ad vnum ſecundùm ſpeciem; non verò debet determinari tali pacto, vt non poſſit eſſe in pluribus numero diuerſis; imo debet neceſſariò relinquere hanc indeterminationē, quia debet proportionari cum gradibus ſuperioribus: hi autem gradus ſuperiores ab intrinſeco exigunt eſſe in pluribus numero diuerſis, mediante gradu infimo eſſentiali, quo contrahuntur, quare cum huiuſmodi gradus debeat propor-

2. ratio.

Gradus inferior proportionatur ſuperiori & in quo proportio ſit poſita.

tionari ſuperioribus, debet habere aptitudinem ad eſſendum in multis, vt ipſo mediantè ſuperior acquirat ſuum actum. Et poteſt adhuc totus hic diſcurſus confirmari, ſupponendo, quòd eſt omnino certum apud omnes: videlicet omnes gradus, qui inuicem ſubordinantur, conuenire ad conſtituendam vnam naturam, ita vt in primo illorum graduum inchoetur talis natura, & magis, ac magis perficiatur per alios superuenientes, ſeruata tamen vnitate, & identitate eiuſdem naturæ. Ex hoc autem ſequitur; Huiuſmodi gradus debere hanc proportionem ſeruare adinuicem, vt quod in primo inchoatur, in altero non deſtruatur, ſed compleatur, & perficiatur per reliquos ſuperuenientes, & proinde qui ſuperueniunt, non debent habere aliquid oppoſitum cum eo, quòd dicunt gradus præſuppoſiti. Sed ſuperiores dicunt communicabilitatem pluribus numero medijs inferioribus: vnde dum natura in ipſis inchoatur, incipit habere ſuam communicabilitatem; videmus enim, iſtos gradus ſuperiores cum aliquibus infimis eſſe in pluribus numero, & ideò colligimus, naturam habere communicabilitatem, ergo gradus ſuperuenientes non debent deſtruere, ſed perficere iſtam communicabilitatem, quòd fieri nequit, niſi gradus infimus poſſit eſſe in pluribus numero. Atque hæc confirmatio efficax eſt, & rem à priori declarat, & idcirco eſt diligenter conſideranda.

Gradus inferior eſſentiæ nõ deſtruit, quod dicit ſuperior.

XIII. Tertio prob. Quælibet natura conſtans ex genere, & differentia abſtrahit, quantum eſt de ſe, ab indiuiduatione, & ſingularitate, & reſpectu illius ſe habet, vt quid potentiale, & contrahibile, ita vt coniungi poſſit cum ſingularitate, & per ipſam indiuiduari, vt etiam concedunt auctores oppoſitæ ſententiæ. Ex hoc autem quòd abſtrahit ab indiuiduatione, & poteſt coniungi cum ipſa, ſequitur, eſſe in potentia ad plures indiuiduationes, quia omnes ſunt eiuſdem rationis, nec eſt maior ratio, cur vnam reſpiciat, & non aliam. Deindè reſpicit indiuiduationem, & ſingularitatem ſub ratione communi indiuiduationis, & ſingularitatis tanquam ſub ratione formali ſui termini, & conſequenter reſpicit quicquid continetur ſub ratione formali ſui termini: ſeu quicquid participat rationem formalem ſui termini; omnes autem indiuiduationes participant rationem formalem indiuiduationis. Cum igitur hæc natura reſpiciat plures indiuiduationes, cũ quibus poſſit coniungi, ex ſe quoque erit pluribus communicabilis.

3. ratio.

Natura quid potentiale reſpectu indiuiduationis.

XIV. Occurret autem aliquis, & dicet. Hanc naturam reſpicere quidem plures indiuiduationes, quas poteſt habere diuiſim, non autem coniunctim, quia de ſe non eſt multiplicabilis. Sed hæc reſponſio eſt reijcienda, vt porè quæ aſſumit pro ſolutione difficultatis id, quod controuertitur, & ratio facta probat oppoſitum. Probat enim, quòd natura poſſit ſimul coniungi cum pluribus indiuiduationibus, ita tamen vt prout coniungitur cum vna, non coniungatur cum alia, quia videlicet ex eo, quòd reſpicit indiuiduationem vt ſic, ſequitur, quòd ſimul reſpiciat quamlibet indiuiduationem, quia quod reſpicit aliquem terminum adæquatum formalem, poteſt habere plures inadæquatos materiales: Capacitas autem naturæ reſpectu indiuiduationis eſt ad quamlibet indiuiduationem, quam poteſt habere, quia in ſua adæquata poſſibilitate includit etiam indiuiduationem, & non poteſt natura relinquere indiuiduationem, quã habet, & coniungi cum alia. Imò quòd natura poſſit coniungi cum pluribus indiuiduationibus in eſſe obiectiuo fundatur in eo, quòd à parte rei ſit coniuncta, vel ſecundùm eſſe actuale, vel ſecundùm eſſe poſſibile cum ijs. Quod ſi à parte rei eſſet coniuncta cum vnica tantùm indiuiduatione, eſſet ex natura ſua determinata ad illam; & proinde non poſſet concepti vero proprio concipi, poſſe vniri cum hac, vel illa indiuiduatione.

Reſpõſio.

Impugnatur primo.

Natura reſpicit coniunctim plures indiuiduationes.

XV. Deinde arguo contra eamdem reſponſionem. Ex eo quòd natura illa reſpicit indiuiduationem ſub ratione formali indiuiduationis, ſequitur, quòd illam reſpiciat ſub ratione formali contractiui: indiuiduatio enim, vt talis eſt, formaliter contrahit, & reddit incommunicabile; vnde conſequenter natura reſpectu illius, vt ſeruetur debita proportio, debet ſe habere vt quid contrahibile, & determinabile; quod autem eſt contrahibile, habet quamdam maiorem latitudinem, quàm habeat contractiuũ, & idcirco debet magis patere. Dum autem per contractiuum determinatur ad eſſendum in vno, vt magis pateat ſuo contractiuo, debet poſſe eſſe in pluribus,

Secundo.

Natura reſpicit indiuiduationẽ ſub ratione contractiui.

quia

quia, si in illo tantùm posset esse, non magis pateret suo contractiuo. Et potest hæc ratio confirmari; ideo gradus genericus potest esse in pluribus speciebus, quia à differentijs abstrahit, & se habet respectu illarum, vt quid contrahibile, ergo si etiam hæc natura completa abstrahit ab indiuiduatione, vt quid contrahibile, poterit esse simpliciter in pluribus.

Tertio.

XVI. Tertiò reijcitur hæc responsio. Multiplicatio formaliter habetur ex vi indiuiduationum, & in ipsis tantùm consistit, non verò in natura: natura enim secundùm suum esse formale non diuiditur, quia si diuideretur secundùm esse formale, multiplicaretur etiam formaliter; vnde dum ponitur in pluribus indiuiduis, diuiditur solùm secundùm esse materiale entitatiuum. Atque hæc diuisio tota prouenit ex eo, quòd natura ponitur in pluribus indiuiduis: ipsa verò semper manet eadem secundùm suum esse formale in omnibus. Quare vt aliqua natura possit multiplicari, sufficit, si dicat ordinem ad plures indiuiduationes, cum quibus possit coniungi; quia statim, ac intelligitur ordo ad ipsas, intelligitur etiam multiplicabilis, quia hę indiuiduationes afferunt secum formaliter multitudinē. Et amplius insto; inquiro enim, an possint dari plures indiuiduationes, cum quibus ista natura possit cōiungi; an verò non possint dari. Hoc secūdū est falsum, quia possumus optimè cōcipere plures, & plures indiuiduationes, quibus determinari possit hæc natura: & cū de facto dentur plura indiuidua in quocunque ordine, tum materiali, tum spirituali, cur etiam non erunt possibiles plures indiuiduationes in quocunque ordine? cur ergo non habebit natura plures indiuiduationes sibi correspondentes? Si ergo habet plures indiuiduationes sibi correspondentes, cur non poterit coniungi cum singulis, & numero plurificari? non enim obstat, quòd sit vna in se, quia etiam qualiber alia natura est vna, & solùm acquirit pluralitatem ratione indiuiduationis. Atque hinc potest efficacia huius rationis magis ostendi; nam si in esse obiectiuo coniungatur cum pluribus indiuiduationibus, nullum sequitur absurdum; neque obijcitur intellectui aliquid impossibile. Quòd autem in esse obiectiuo non est impossibile, neque etiam à parte rei est impossibile, & ideò per aliquam saltem potentiam fieri potest. Hæc enim est regula, quòd illud, quòd simpliciter implicat à parte rei, implicat etiam in esse obiectiuo, & quòd non implicat in esse obiectiuo, neque simpliciter à parte rei implicat; vt enim intellectus sit verus, debet conformari cum ipsis rebus.

Quid requiratur vt natura possit indiuidualiter multiplicari.

XVII. Atque ex dictis soluta manēt argumenta primæ sententiæ. Vnde cum in primo dicitur, illam naturam futuram in prædicamento tanquam speciem, quia constabit ex genere, & differentia; hoc quidem verum est, sed ex eo, quòd constat ex genere & differentia, sequitur, vt sit pluribus communicabilis, vt iam diximus. Et quid quæso absurdius esse potest, quàm quòd aliqua natura possit prædicari de multis, & non possit esse in multis? prædicatio enim, præsertim quidditatiua, supponit inexistentiam prædicati in subiecto: aut quomodo cum veritate potest concipi apta ad essendū in multis, nisi reuera habeat ex se, quòd possit esse in illis? Et similiter in secundo rectè dicitur, illam naturam ex eo, quòd præscindit à singularitate, esse vniuersalem, aptam ad essendum in multis; sed non rectè dicitur à parte rei non posse multiplicari, quia, vt diximus, quòd in esse obiectiuo non implicat, nec etiam implicat à parte rei, cum esse obiectiuum sit quædam mensura illius, quòd potest esse à parte rei. Tertium verò argumentum retorqueri potest. Si enim talis natura non est ita determinata, sicuti suum indiuiduum, & est quid superius, ergo etiam ab intrinseco habet, vt possit esse vniuersalis, & ideò ab intrinseco quoque habet, vt à parte rei possit poni in pluribus. Ad quartum conceditur, illam naturam esse speciē; sed ex eo, quòd est species, dicimus etiam, posse esse in pluribus à parte rei; & eodem pacto ad quintum quoque respondendum est. Vnde vnico verbo omnia argumenta solui possent, concedendo, illam naturam esse speciem, sed negando à parte rei non posse poni in pluribus, quia ex eo, quòd constat ex genere, & differentia, sequitur esse etiam communicabilem: vnde illud suppositum, quòd detur natura constans ex genere, & differentia, & quæ non possit in pluribus multiplicari à parte rei, inuoluit implicantiam; qua admissa, cogimur etiam admittere, dari aliquam naturam specificam, quæ non

Ad rationes primæ sententiæ.

Ad secundam.

Esse obiectiuū mensura illius quod est à parte rei.

Ad tertiam.

Ad quartā, & quintam.

sit communicabilis pluribus à parte rei: non tamen illud aliud absurdum admittendum est, quòd sit prædicabilis de multis, & non possit esse in ijs, quia posse prædicari de pluribus prædicatione vera, supponit posse reuera à parte rei esse in illis, vt dictum est. Et non potest species infima concipi tanquam aliquid potens esse in pluribus speciebus, nisi quia in suo esse inuoluit differentiam infimam ratione cuius illi repugnat, posse esse in pluribus speciebus; ita etiam si daretur natura, cui repugnaret esse in multis, non posset concipi, posse esse, & de ijs prædicari, quia dum inuolueret repugnantiam, non posset cum ipsa coniungi aptitudo, sicuti cum specie infima non potest coniungi aptitudo ad essendum in pluribus speciebus, nisi fiat ens rationis.

Quid dicendum de actuali existentia indiuiduorum.

SECTIO III.

Commu-nis opi-nio.

I. Restat nunc difficultas circa pluralitatem indiuiduorum, quā diximus, quamlibet speciem requirere, an videlicet debeat esse actualis, an verò sufficiat possibilis, ita vt species in vno tantùm indiuiduo conseruari possit. In qua difficultate communiter conueniunt quòd species in vno tantùm indiuiduo conseruari possit, vt patet in Sole, Luna, & cœteris indiuiduis, quæ vnica sunt in sua specie. Addunt tamen, quòd tunc species non habet totam suam latitudinem, & potentialitatem completam, sed vt illam completam haberet, necesse esset, actu existere omnia indiuidua, quæ potest habere. Circa hunc autem punctum difficultatis Thomistæ procedunt cum distinctione, nam inquiunt; speciem requirere plura indiuidua, vt habeat completam suam potentialitatem, si sit aliqua natura materialis: at si sit natura spiritualis, in vno indiuiduo habere suam potentialitatem completam, quòd asserunt consequenter ad sua principia, dum putant in rebus spiritualibus, quæ non dicunt ordinem ad materiam, non posse in eadem specie multiplicari plura indiuidua.

II. Nos autem consequenter ad ea, quæ diximus de genere, philosophari debemus. Itaque hoc certum est, speciem secundùm totam suam essentiam reperiri in quolibet indiuiduo, & ideò vt species existat secundùm totam suam naturam, & essentiam, quam importat, non est necesse, vt habeat actu plura indiuidua, sed sufficit, si in vno ipsorum existat, cœtera verò possibilia sint, tunc enim perfectè saluabitur in illo tota natura, quam dicit species: sicuti positis pluribus indiuiduis in vnoquoque ipsorum repetitur complete tota essentia speciei. Similiter quoque hoc certum est. Non posse speciem existere secundùm totam suam latitudinem extensiuam, quam potest habere, nisi actu habeat omnia indiuidua, quæ potest habere: latitudo enim extensiua adæquatè sumpta importat omnia indiuidua talis speciei. Cum igitur in nostra sententia omnis natura specifica sit multiplicabilis in pluribus, nec vlla sit, quæ in vno tantùm indiuiduo esse possit, sequitur, omnem speciem requirere actu plura indiuidua, vt habeat suam latitudinem extensiuam. Cœterum, quia posita semel multiplicabilitate alicuius naturæ in pluribus indiuiduis, potest saltem per Dei potentiam fieri finita in infinitum, ita vt nunquam exhauriatur potentia productiua ipsorum, sed quacunque multitudine in actu posita, possint alia, & alia de nouo produci, & nunquam possit deueniri ad vltimum, quo posito non sit vlterius aliud producibile: hinc fit, nunquam posse aliquam speciem habere totam suam adæquatam latitudinē, quia nunquam ita poterunt poni à parte rei omnia indiuidua illius speciei, vt non possint superaddi alia, sunt enim infinita syncathegorematicè, & de ratione infiniti syncathegorematici est, vt importet aliquam potentiam, ex qua extrahi possint alia & alia, & nunquam tota illa potentia possit reduci ad actum.

Species secūdū in esse etiam in vnoquoque indiuiduo.

Quando species requirat plura indiuidua.

III. Hinc dicendum est. Speciem non requirere per se plura indiuidua actu existentia; sed sufficere possibilia. Requirere tamen plura indiuidua actu existentia, vt existat tanquam quoddam vniuersale physicum. Addidi particulam illam *Per se*, quia per accidens requirit plura indiuidua actu existentia; quod sic declaratur. Licet species secundum suam præcisam formalitatem dicat aliquod compositum ex genere, & differentia, in suo tamen adæquato conceptu, dicit etiam, quòd sit quædam natura vniuersalis, apta ad essendum in pluribus.


Cōclusio Species nō requirit per se plura indiuidua requirit tamen, vt existat tā quā vniuersale.

bus. Quia autem intellectus noster cognoscit tantùm ea, quæ existunt, non autem possibilia, quæ nunquam extiterunt, hinc fit, vt non possit cognoscere aliquam naturam esse specificam cognitione adæquata, nisi in pluribus existat; & ideò per accidens, vt cognoscatur tanquam vniuersalis, requirit plura indiuidua saltem successiuè existentia. Verum tamen est, quòd etiam si natura illa in pluribus non existat, potest colligere esse vniuersalem, & esse speciem, facta comparatione ad alias naturas, & ex similitudine cum illis inferre, ipsam quoque esse vniuersalem. Deinde etiam si in vno tantùm indiuiduo existat, potest cognoscere, quòd constet ex genere, & differentia, & ex hoc quoque inferre, quòd sit vniuersalis, quia, vt diximus sect. præcedenti, vniuersalitas non separatur ab huiusmodi composito ex genere, & differentia.

Cur species requirat plura indiuidua.

IV. Quòd autem species non requirat sua indiuidua tunc existentia, ostenditur ex fine, propter quem illi necessaria sunt hæc plura indiuidua. Ex hoc enim capite tantùm species requirit plura indiuidua, vt possit illis communicari, atque adeo habeat actum suæ communitatis. Vt autem natura specifica pluribus indiuiduis communicetur, non est necessaria eorumdem existentia, sed etiam si merè possibilia sint, adhuc intelligitur natura communicata: nam possibilia quoque indiuidua intelliguntur participare naturam communem. Imò existentia indiuiduorum præsupponit in aliquo priori naturam communicatam indiuiduis, vt ratio euidenter conuincit; nam existentia supponit essentias rerum, & existentia cuiuscunque indiuidui supponit tale indiuiduum constitutum in suo esse; per naturam autem communem, quā participat, constituitur in suo esse. Quare cum existentia indiuiduorum non sit necessaria propter illum finem, propter quem natura exigit plura indiuidua, concludendum est, quòd species non requirat plura indiuidua actu existentia. Atque in præsenti applicari possunt omnes rationes, quas pro genere attulimus supra disp. 56. sect. 4. vbi ostendimus, neq. ipsum actu requirere plures species, sed sufficere possibiles. Altera autē pars cōclusionis, quòd videlicet debeant plura indiuidua actu existere, vt species existat, tanquam aliquod vniuersale, etiam manifesta est, quoniam non potest existere tanquam vniuersale, nisi existat secundùm ea, quæ saluent vniuersalitatem, & sufficientia sint ad ponendam vniuersalitatem in esse actuali: hoc autem solùm præstare possunt plura indiuidua. Atque quæ hactenus diximus, spectant ad speciem, vt est quoddam vniuersale, & quoddam compositum metaphysicum; in sequentibus illam examinabimus, vt quædam essentia est in suo esse essentiali completa, & importans integram rei naturam.

Existētia supponit naturam cōmunicatam in indiuiduis.



DE

DE RERVM ESSENTIIS.





VIA iam explicata est natura entis metaphysici, quod ex intrinsecis principijs cōponitur, nempè genere, & differentia, de quibus etiam supra tractatum fuit, quod diximus, esse obiectum metaphysicæ, deuenimus iam ad rerum essentias, quæ continentur in hoc composito metaphysico, tanquam ex, quæ ex pluribus quidditatiuis prædicatis coalescunt; vnde sunt esse illud materialiter sumptum, quod dicit obiectum metaphysicæ, & ideo ad intelligendam naturam talis obiecti, oportet, naturam quoque harum essentiarum considerare, non descendendo tamen modò ad talem, vel talem essentiam, quia cum metaphysicæ obiectum sit ens completum ex intrinsecis principijs coalescens; non importat ex se in sua vniuersalitate sumptum aliquam essentiam determinatam, sed solùm essentiam in communi.

Si quæ enim essentia determinata est intra abstractionem metaphysicam, erit tale obiectum partiale contentum sub obiecto totali.

Quid sint rerum Essentiæ.

Disp. LXXVI.

Punctus difficultatis, & Auctorum sententia.

SECTIO I.

1. SVmimus hic Essentiam rei præscindendo ab existentia, & prout importat sola prædicata quidditatiua, quibus vnaquæque res in suo esse quidditatiuo constituitur, loquendo de esse quidditatiuo quo ad certū gradum entis determinatur; quod proinde ita est proprium ipsius, vt nulli alteri conueniat, quemadmodum prædicata quidditatiua hominis ita propria sunt ipsius, & constituunt tale esse, vt nulli alteri conuenire possit loquendo tamen de esse totali, & sumendo coniunctim illa quidditatiua prædicata, quia seorsim quædam illorum cœteris etiam conueniunt, non enim ita vna res à cœteris distinguitur, Quid importet essentia.

vt non habeat etiam cum ipsa conueniẽtiam aliquam. Hinc patet, cur dicatur Essentia, quia scilicet vnaquæque res per ipsam habet esse, & vocatur etiam quidditas, quia ipsam per partes proponendo, nempe per genus, & differentiam, rem definimus, & satisfacimus interrogationi factæ per quid, qua interrogamus, quid res sit. Hinc Arist. 7. Metaph. tex. 11. declarans, quid sit rerum essentia, ait. *At primò quadam de eo logicè dicamus, quòd illud est quod quid erat esse vnumquodque, quòd secundùm se dicitur. Etenim tibi esse non est musico esse, non enim secundum teipsum musicus es, quòd ergo secundum teipsum*. Hinc etiam sequitur, quòd essentia rei sit ille conceptus obiectiuus, quem necessariò formamus de vnaquaque re, si modò illam verè, vt in se est, concipiamus, etenim cum tunc debeamus concipere esse illud, quod in se continet res illa, atque hoc esse habeat formaliter ex vi suæ essentiæ, sequitur, vt debeamus concipere essentiam, si esse proprium illius rei concipere volumus Alijs etiam nominibus appellari solet essentia, nimirum, *Substantia*, quia per ipsam vnaquæque res subsistit in seipsa, hoc est, Per ipsam est illud quod est. Dicitur etiã *Ratio*, quatenus est illud, quod correspondet rationi, nempe intellectui concipienti vnamquamque rem, prout in se est. Dicitur *Forma*, quamuis non ita vsitatè, quia est illa, per quam rea formatur in seipsa. Denique dicitur *Natura*, quia sicuti natura est illa, quæ est principium motus, & quietis, ita essentia cuiuscumque rei est principium illarum passionum, & operationum, quæ ipsi conueniunt, vt etiam adnotauit D. Th. De ente & essent. cap. 1. De hac ergo essentia sic accepta inquirimus, quid sit, & an ex se habeat aliquod verum esse, præcisa existentia.

Arist.

Quibus nominibus appelletur essentia.

II. In qua difficultate illud certum apud omnes est. Quòd rea, antequam fiant in actu, habent suum statum possibilitatis, de quo ex vi productionis transferuntur ad statum actualitatis: debet enim possibilitas rei præsupponi ad esse rei, quia si non esset possibilis, nequaquam posset fieri in actu, vt contingit in rebus impossibilibus, quemadmodum est chimera, quæ per nullam potentiam potest fieri in actu, quia scilicet non præsupponitur eius possibilitas, in quo res possibiles contradistinguuntur à rebus impossibilibus, quæ non possunt transferri de potentia ad actum. De hac ergo rerum possibilitate dubitatur, quid sit, seu quid dicant rerum essentiæ, prout sunt in statu possibilitatis, quia statim ac præscindunt ab existentia, intelliguntur esse in statu possibilitatis. Circa quam dubitationem illud etiam tanquam certũ ab omnibus præsupponitur, quòd debet præcedere aliqua potentia realis actualis in cuius virtute contineantur ita vt possint ab ipsa profluere, & à qua denominentur producibiles, quia cum possibile non habeat esse existentiæ, oportet concedere aliquam potentiam, à qua illud possit recipere, quæ quidem, nisi sit actualis, & existens, non potest tale esse communicare. Et quamuis detur aliqua potentia productiua, quæ solùm habeat esse possibile, & nondum existat, tamen non potest communicare alteri esse actuale, nisi ipsa prius fiat actualis, & proinde id recipiat ab aliqua potentia, quæ actualis sit. Et hinc fit, quòd ne detur processus in infinitum, deueniendum sit ad aliquam primam potentiam, quæ ex vi suæ essentiæ actualis sit, & existens, nec ab alio esse recipiat, atque hæc est diuina omnipotentia, in cuius virtute omnia possibilia continentur. Quæritur igitur, an præter hanc diuinam omnipotentiam, in qua creaturæ possibiles continentur, concedendum aliquid aliud sit, an verò, status possibilitatis saluetur adæquatè per solam omnipotentiam: & præterea, an essentiæ rerum habeant veram rationem entis, an verò non habeant.

Status possibilitatis.

Possibilitas rerũ præsupponit causã actualẽ à qua fiant in actu.

III. Et quidem prima opinio tenet, quòd creaturæ, siue rerum essentiæ, secundùm statũ possibilitatis præcisè sumptum, in se non sint merum nihil, neque dicant solam potentiam productiuam, in qua virtualiter contineantur, sed vlterius habere in seipsis aliquod esse actuale, quod vocant esse actuale essentiæ, quod contradistinguitur ab omnipotentia Dei, & illis conuenit ab æterno, & necessariò, ita vt, quando fiunt existentes, acquirant solùm esse actuale existentiæ. Atque secundùm hoc esse sunt obiectum diuinæ scientiæ, quæ vocatur simplicis intelligentiæ, Ita tenet Henr. in sum. ar. 2 quæst. 23. & 25. & quodlib. 8. quæst. 9. & quodlib. 9. quæst. 1 & 2. & quodlib. 11. quæst. 3. Ægid. opusc. de Ente, & essent. Albertin. tom. 2. prin-

Prima opinio rerum essentias ante productionẽ habere esse actuale essentiæ.

Henr. Ægid. Albertin.

cip. 1. Philosoph disp. 1. quæst. 1. conclus. 1. pro qua opinione citat idem Albertin. etiam D. Th. in 1. dist. 33. quæst. 1. ar. 1. ad 1. vbi distinguit triplex esse nimirum Essentiæ, Existentiæ, & Veritatis propositionis. Et per esse Essentiæ, inquit ipse, intelligit esse actuale, nam Quodlib. 8. ar. 1. ait, quod qualibet natura potest tripliciter considerari. Primò quidem secundùm esse, quod habet in singularibus. Secundò secundùm esse intelligibile, prout videlicet est in intellectu; Et tertiò, secundùm esse absolutum, prout abstrahit ab vtroque prædicto esse, & consideratur secundum ea, quæ per se illi competunt, vnde tribuit illi aliquod esse absolutum, quod habeat in se. Citat præterea Caiet. de Ente, & essent. cap. 5. quæst. 11. ad 1.

D. Th.

Caiet.

Fundamẽta huius opinionis

IV. Probant hanc suam sententiam primò, quia si essentia rerum ab æterno non haberet hoc esse actuale, sed esset nihil, vnum nihil esset magis nihil, quàm aliud, quia cum creaturæ non repugnet existere, chimeræ autem repugnet existere, chimera esset magis nihil, quam essentia. Secundò quia dum essentia fieret existens, quod esset nihil fieret ens, quod est absurdum. Tertiò cum essentiæ rerum ab æterno sint obiectum diuinæ cognitionis, oportet quòd seruent proportionem ad diuinum intellectum, atque adeò sint aliquid actuale. Quartò connexiones prædicatorum essentialium sunt verè ab æterno, ergo ab æterno debent supponere rem, cuius sunt connexiones, quia connexio supponit rem cuius est connexio. Denique sicuti se habent ens, & non ens; ita possibile, & impossibile, ergo à commutata proportione, sicuti se habet ens ad possibile, ita non ens ad impossibile, sed omne ens est possibile, ergo omne non ens est impossibile; itaque cum essentiæ rerum sint possibiles, oportet quòd etiam sint entia.

Secunda sententia. Rerum essẽtias precisa existentia neque participare rationem entis.

V. Secunda autem sententia est extremè huic opposita. Asserit enim, quòd rerum essentiæ, nedum dicunt hoc esse actuale essentiæ, quod in seipsis habeant independenter à Deo ab æterno, sed quòd neque participent simpliciter rationem entis, sed sint non entia. Ita Hurtad. in metaph. disp. 8. sect. 2. quam tamen opinionem ante ipsum tradiderunt nonnulli, alij Recentiores. Volunt ergo quòd rerum essentiæ sint merum nihil, nec vllo pacto ijs conueniat ratio entis, prout à nihilo contradistinguitur. Fundat autem Hurtadus hanc suam sententiam in eo, quòd potentia excludit actum, vnde posse esse excludit esse; ergo cum possibile possit esse, non habet esse. Præterea de possibilibus potest affirmari, quòd non sint ens, ergo non sunt simpliciter ens. Alio verò modo procedunt Recentiores illi, & quidem magis probabili; quærunt enim, an essentia possibilis habeat quicquid spectat ad seipsam, vel non habeat. Si habet, sequitur, quòd sit existens, quia iam habet totum suum esse, & consequenter non potest amplius illud à causa recipere. Si verò non habet, ergo est nihil. Confir. in essentia inuoluitur etiam existentia, vnde includit etiam rationem existendi, quod autem includit rationem existendi, iam existit, & propterea rerum essentiæ non possunt habere aliquod esse, nisi simul existant. Denique si rerum essentiæ essent aliquid, & darentur huiusmodi cõnexiones prædicatorum necessariæ, possemus cognoscere quid res sit, ignorando, an sit, cuius oppositum communiter docent cum Arist. Imò sequeretur, quòd Deus non posset annihilare res, neque separare proprietates à subiecto, quia semper remaneret illud esse essentiæ, & connexio proprietatis cum subiecto semper esset necessaria.

Hurtad.

Tertia opinio. Rerum essẽtias participare rationem entis, nõ tamen habere esse actuale essẽtiæ ab æterno.

VI. Tertia sententia, quæ communis est, præsertim apud Thomistas, media quadam via procedit. Docet enim, quòd quidem rerum essentiæ, non habent illud esse actuale ab æterno, quod illis conueniat independenter à Deo; sed neque esse purum nihil, imò participare veram rationem entis, per quam à nihilo contradistinguantur. Ita inter alios Heru. quodlib. 11. quæst. 1. Soncin. 9. Metaphys. quæst. 4. & cœteri Thomistæ 1. par. quæst. 10. artic. 3. & quæst. 46. artic. 1. Capr. in 2. dist. 1. quæst. 1. art. 3. Fonseca 5. Metaphys. cap. 3. quæst. 1. sect. 4. Suarez in Metaph. disp. 31. sect. 3. Auersa in sua philosophia quæst. 8. sect. 2. & ferè communiter Recentiores. Et conueniunt ex parte Scot. in 1. distinct. 36. quæst. vnica, Lychet. & Tartaret. ibid. atque communiter cœteri Scotistæ, quatenus scilicet negant illud esse actuale essentiæ, quod sit ab æterno, & concedunt, essentias rerum esse aliquid in re, & inuoluere veram rationem entis. Discrepant tamen in eo, quòd volunt

Heru. Soncin. Capr. Fonseca. Suarez. Auersa. Scot. Lychet. Tartar.

intellectum diuinum producere ab æterno omnia possibilia in esse intelligibili, non autem in esse reali, & communicare illi quoddam esse diminutum, quod vocant esse cognitum. Dum enim Deus intelligit se ipsum, & suam omnipotentiam intelligit etiam ea, quæ potest facere, & intelligendo producit, inquiunt ipsi, in esse cognito, seu quidditatiuo intelligibili.

Rerum essentias non habere aliquid actualitatis ab æterno, sed eam totam recipere à causa producente.

SECTIO II.

Prima cõclusio. Rerum essentiæ antequã producantur nõ habẽt aliquod esse actuale sed per productionem illud recipiunt.

I. VT autem, quid nobis in hac difficultate dicendum videatur, exponamus, à facilioribus incipiendum est, & res tota per quasdam conclusiones declaranda. Statuimus itaque primò, quòd rerum essentię, præcisè considerate antequam producantur, nullum habent esse actuale, quod sit esse essentiæ, sed dum producuntur, recipiunt nedum existentiam, sed etiam actualitatem essentiæ, ita vt sint terminus productionis, etiam secundùm essentiam; & recipiant illud esse essentiæ, quod in se includunt. Hæc conclusio habet duas partes, quarum prima est, quòd res, secundùm suam essentiam consideratæ, nõ habeant aliquam actualitatem, quemadmodum illis tribuebat prima sententia. Altera verò, quòd recipiant esse essentiæ à producente, loquendo tamen de esse essentiæ actuali, Quæ sententia est D. Thom. quæst. 3. de potent. ar. 5. ad 2. vbi inquit. *Hoc ipso quod quidditati esse tribuitur, non solùm esse, sed ipsa quidditas creari dicitur, quia, antequam esse habeat, nihil est, nisi forte in intellectu creantis*. Quòd autem spectat ad primam partem huius conclusionis, certa est secundùm fidem, & est contra errorem Vuicleff. qui volebat, creaturas antequam producerentur, habere aliquod esse actuale distinctum ab esse Dei, improductum, quod illis ab æterno conueniret: vnde quamuis prima opinio diuerso modo sentiat, ac sentiebat Vuicleff, reprehendendi tamen sunt illi auctores, quia illud esse essentiæ, quod tribuũt rebus, antequam producantur, vocant actuale, vnde videntur illis tribuere aliquam actualitatem independentẽ à Deo, quamuis reuera, solùm illis tribuant prędicata quidditatiua actu ab ipsis participata. Atque etiam hæc prima pars conclusionis nostræ desumitur ex D. Iustin. in expositione Fidei D. Cyril. lib. 1. in Io. cap. 6. D. Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 6.

D. Th.

Vuicleff

Iustin. Cyril. Augus.

II. Atque hoc ipsum declaratur ex ijs, quæ habemus certa ex fide. De fide enim est, quòd Deus nihil ab æterno produxerit, sed quòd omnibus communicauerit esse in tempore iuxta illud Gen. 1. *In principio creauit Deus Cælum, & terram*, vnde æquè etiam certum est, quòd non produxerit rerum essentias, saltẽ secundùm esse reale, ne quæstio sit de illo esse cognito, quòd ponunt Scotistæ. Rursus etiam certum est, quòd creatura ex se sit potentialis, nec ex se habeat actualitatem aliquam, quia esse ex se actuale conuenit soli Deo, tanquam enti per essentiam; Ex his autem sequitur, quòd rerum essentiæ ab æterno nullam habuerint actualitatem, non enim illam habuerunt communicatam à Deo, neque illam habent ex se, sed oportet, quòd illam participent ab ente, quod est actuale per essentiam. Vnde hinc colligitur valida confirmatio. Quicquid est tale, vel est tale per essentiam, vel per participationem ab eo, quod est tale per essentiam; & ita necessarium est alterum ex his, vt impossibile sit, reperiri aliquid, quod habeat aliquod esse, & non altero ex his duobus modis, si enim habet esse, vel ex se habet, vel si non habet ex se, ab alio habet, fundantur enim hæc duo mẽbra in contradictione, nempe Habere esse à se, & non habere à se. Quamobrem omnis quoque actualitas, vel est participata, vel imparticipata, & per essentiam. Vnum autem tantùm potest esse ens actuale per essentiam, nempe Deus, vt certissimum est, nedum secundùm fidem, sed etiam secundùm rationem naturalem, quod nunc supponimus tanquam communiter receptum, ne longiorem disputationem instituamus pro explicatione huius veritatis. Si igitur rerum essentiæ in statu possibilitatis antequam producantur non habent actualitatem à se, & per essentiam, oportet, quòd si habent actualitatem aliquam, illam habeant participatam à Deo, tanquam à primo ente actuali per essentiam: verùm hanc actualitatem non acceperunt nisi in

Res omnes ex se potentiales, & in tempore factæ.

Omne ens vel à se, vel ab alio.

tempore, & solùm quando productæ fuerunt, & ideò in statu possibilitatis nullam habere possunt actualitatem.

2. ratio. III. Secundò etiam hæc eadem pars nostræ conclusionis declarari potest. Non potest rerum essentijs concedi aliqua actualitas in statu possibilitatis, nisi illam habeant independenter à Deo, quia, vt iam diximus, certum est secundùm fidem, quòd à Deo nihil de esse reali fuit ijs communicatum ab æterno. Hæc autem actualitas independens à Deo repugnat omnino creaturæ, quia infert infinitam perfectionem simpliciter, seu potius fundatur in perfectione infinita, quam necessariò supponit. Tunc enim creaturæ essent entia necessaria, & à se, secundùm esse actuale, verùm necessitas essendi in Deo non aliunde oritur, nisi ex eius infinita perfectione, & si subtraheretur ab ipso infinita perfectio, tolleretur quoque necessitas essendi secundùm esse actuale, quare cum in creatura non sit infinita perfectio, neque etiam potest esse actualitas aliqua necessaria, quam ex se habeat.

Necessitas essendi ex infinita perfectione.

Confir. Quoniam est implicantia in terminis, quod creatura secundùm statum possibilitatis habeat actualitatem aliquã. non enim potest aliquid habere actualitatem, nisi habeat effectum formalem actualitatis, qui est reddere in actu, & ponere à parte rei; si autem aliquid secundùm purum statum possibilitatis haberet actualitatem, esset in actu, quia haberet actualitatem in suo esse, & non esset in actu, quia esset merè possibile. Quòd si dicas, hanc non esse actualitatem existentiæ, sed essentiæ, adhuc nihilominus vrget argumentum, nam actualitas habet ex vi actualitatis, seu ex vi suæ rationis formalis, vt ponat in actu, si quidem ponit in actu, vt formaliter actualitas est, vnde cuicunque seipsam exhibet secundùm suam rationem formalem, debet illi etiam exhibere suum effectum formalem, qui semper est illi annexus necessariò, & inseparabiliter; si ergo actualitas cadit supra essentiam, & illi secundùm suam rationem formalem exhibetur, oportet, quòd essentiæ communicet suũ effectum formalem, qui est, ponere in actu, & à parte rei, extrahendo è statu possibilitatis; & proinde essentia habens actualitatem, non erit amplius possibilis, sed à parte rei, neque præscindet amplius ab existentia, sed illam inuoluet. Neque oportet pluribus hanc primam partem nostræ conclusionis confirmare, quia in hoc sensu ab omnibus Catholicis recipitur, neque oppositum intendit prima sententia, quandoquidem, dum tribuit rerum essentijs esse actuale, nihil aliud vult, quàm quòd res possibiles sint aliquid in se ipsis, actu participans illud esse possibile, seu illud esse quidditatiuum, quo constituuntur, non autem, quòd tale esse sit de potẽtia reductum ad actum. de quo dicturi sumus infra.

Actualitas ex vi suæ rationis formalis facit in actu.

IV. Secunda autem pars eiusdem conclusionis sequitur ex præcedenti, quia si rerum essentiæ nihil actualitatis habent, antequam producantur, oportet, vt ex vi productionis fiant actuales, etiã secundùm suum esse essentiale. Et potest imprimis argumento Theologico confirmari. Dum enim Deus ab initio mundi creauit hominem, nedum fecit eius existentiam, sed etiam creatio terminata est ad essentiam, communicando homini illud esse essentiale, quo constituitur in esse hominis. productio igitur nedum posuit in actu existentiam hominis, sed etiam essentiam. Anteced. declaratur ex Genesis 1. nam dum vellet Deus hominem creare, inquit, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. Et postea etiam habetur: *Fecit hominem ad imaginem, & similitudinem suam*. ex quo apertè habetur, quòd Deus ex vi productionis communicauit homini imaginem, & similitudinem suam, quandoquidem non potuisset facere illum ad imaginem, & similitudinem suam, nisi talem imaginem, & similitudinem illi communicasset. Inquiro enim, an homo habeat à se talem imaginem, & similitudinem, an verò illam acceperit à Deo. Si habet à se, iam non fuit factus ad similitudinem Dei ab ipso Deo, quia iam erat talis ex se, vnde falsò diceretur: *Fecit hominem ad imaginem, & similitudinem suam*. Si verò homo hanc imaginẽ, & similitudinẽ accepit à Deo, iam ex vi productionis illam habet, quicquid enim accipit creatura à Deo, ex vi productionis illud accipit, productio igitur terminata est ad hanc similitudinem, & consequenter ad essentiam, quia sola essentia hominis, non verò existentia continet hanc similitudinem: homo enim habet aliquam similitudinem cum Deo, prout est quædam natura intellectualis, liberè operans, & secundùm alias huiusmodi rationes,

Secunda pars conclusionis.

Creatio hominis terminata fuit ad eius essentiam.

Genes. 1.

quæ

quæ in ipsius essentia includantur. Vnde in prædicto cap. subditur: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*; vnde, prout bona erant, fuerunt producta à Deo, ita vt ex vi productionis fuerit ipsis communicata bonitas; at bonitas principaliter conuenit creaturis ratione essentiæ, tanquam quid intimè inclusum in ipsis; si ergo fuit creaturis cõmunicata bonitas, quæ est intimè inclusa in essentia, fuit etiam communicata essentia, ita vt essentia, secundùm rationem essentiæ, fuerit terminus productionis.

2. ratio. V. Secundò argumentor, & quæro, an illud esse essentiæ, quod vnaquæque creatura participat, sit aliquid participatum, vel non. Hoc secundum dici non potest, quia cum sit aliquod esse actuale, seu à parte rei existens, si non est participatum, oportet, quòd sit imparticipatum, atque adeo tale per essentiam; participare autem esse proprium per essentiam, & non habere illud communicatum ab altero, conuenit tantùm Deo, qui est ens infinitum simpliciter, & per essentiam. Quare oportet alterum membrum admittere, quòd videlicet sit quid participatum; hinc etiam videmus, quòd est quid exemplificatum per diuinas ideas, quælibet enim creatura habet Ideam in Deo sibi correspondentem, secundùm quam facta est, quando fuit ab ipso producta. Ex hoc autem sequitur, quòd tale esse essentiæ formaliter fuerit terminus productionis; omne namque participatum ex vi alicuius communicationis participatur, & communicatio nulla fit à Deo, nisi per productionem; vnde etiam quando se communicat ad intra, interuenit productio, qua vna persona producitur ab alia. Et hinc potest confirmari hæc ratio; nam in qualibet creatura est essentialis dependentia à Deo, tanquam à causa prima, atque hæc dependentia adæquat totum esse creaturæ, ita vt imbibatur etiam in ipsa essentia, siquidem essentia ipsa creaturæ, cum sit quid participatum, dependet ab ente imparticipato, in quod reducitur, tanquam in id, à quo fluit. Rursus etiam dependet à Deo, & dicit ordinem ad ipsum, tamquam quid. Ideatum, cuius Idea est in mente diuina; cum igitur hæc dependentia sit in essentia creaturæ, & etiam exemplificatio, oportet, vt productio ad ipsam essentiam formaliter terminetur, quoniam exemplificatum, seu ideatum est effectus causæ operantis ex idea, & ad illud formaliter terminatur productio, in quo est dependentia.

Esse essentiæ creaturæ est participatum.

VI. Tertia ratio desumi potest ex natura illarum rerum, quæ petunt fieri per puram creationem, quales sunt angeli, aut anima rationalis. Hoc enim genus entium est talis naturæ, vt vnumquodque secundùm se totum petat fieri ex nihilo, ita vt non possit præsupponi aliquid de esse ipsius; alioquin, si præsupponeretur, non fierent hæc entia ex nihilo, sed ex aliquo sui. Hinc fieri non potest, vt præcedat essentia, quia tunc non fierent ex nihilo, sed ex esse essentiæ; si ergo non potest præcedere essentia, iam fiunt in actu etiam secundùm essentiam, & consequenter cum quicquid in actu fit, ex vi productionis fiat, concludendum est, quòd in rebus, quæ creantur, terminetur productio etiam ad essentiam; & consequenter similiter contingat in cœteris productionibus, cum omnium sit eadem ratio, quia sicuti per creationem ponitur in actu id, quod creatur, & ex eo, quòd ponitur in actu, creatio terminatur ad essentiam ipsius, ita etiam cœteræ productiones tendunt ad ponẽdas in actu res alias, & ideò oportet, quòd tendant ad faciendas actuales earumdem essentias. 3. ratio

VII. Dicet tamen aliquis, quòd quãdo creatio dicitur esse ex nihilo, non intelligitur de nihilo essentiæ, sed de nihilo existentiæ, quia debet semper præcedere essentia, quæ ex vi productionis accipiat existentiam. Contra hanc tamen responsionem instari potest, quia licet verum sit, quòd debeat ad quamlibet productionem præsupponi possibilitas essentiæ, non debet tamen præsupponi essentia tanquam aliquid in seipso actuale, quia iam diximus, quòd actualitas extrahit rem à mera possibilitate, & proinde possibilitas debet excludere actualitatem. Verùm quando res existunt, ipsamet earundem essentia se habet tanquam aliquid actuale in seipso, & tanquã aliquid extractum à possibilitate, & à potentia causæ: vnde ergo habet, quòd fuerit extracta à potentia causæ, & à possibilitate? certè cum nihil exeat de potentia causæ efficientis, nisi per productionem, oportet dicere, quòd essentia fuerit terminus productionis, ex vi cuius facta sit actualis, & extracta à possibi-

Refellitur responsio.

Rerum essentiam extractæ de possibilitate causæ.

Ponere in actu proprius effectus efficientis.

sibi-

fibilitate sua, & promota ad actualitatem. Et confirmatur, quoniam ponere in actu, est effectus proprius causæ efficientis, sine qua impossibile est, aliquid possibile fieri actuale. Cum ergo rerum essentiæ, secundùm suum esse proprium, intrinsecum, sint quid actuale, oportet, vt etiam sint effectus causæ efficientis, & proindè sint formaliter terminus productionis. Præterea si res, quæ creantur, fierent tantùm ex nihilo existentiæ, non verò ex nihilo essentiæ, sequeretur, quòd existentia tantùm, non autem res ipsæ crearentur: illud enim formaliter, & præcisè creatur, quod fit ex nihilo, quare si solùm secundùm existentiam res fiunt ex nihilo, etiam solùm secundùm existentiam creātur, quod est absurdissimum. Rursus sequeretur, quòd creatura non haberet totum suum esse communicatum à Deo, quia iam diximus, quòd id tantùm communicatur, quod est formaliter terminus creationis.

Confir.

VIII. Atque confir. principalis ratio. Non enim res omnes petunt eamdem productionem, sed quædam petunt talem productionem, nempè creationem, aliæ verò aliam productionem exigunt, quòd autem exigant talem productionem, vel talem, id prouenit ex natura ipsarum, quia scilicet habent talem essentiam, cum qua talis productio proportionatur; non enim modus productionis proportionatur cum existentia, sed cum essentia; sic creatio proportionatur cum essentia rei, quæ creatur, quia scilicet est aliquid per se subsistens. Ex quo elicitur, quòd essētia debeat terminare productionem, id enim terminat productionem, quod productionem exigit; ex vi enim suæmet exigentiæ trahit ad se ipsam productionem. Quod etiam vrgeri potest ex specificatione productionum, quæ specificantur per ordinem ad suum terminum; ex quo infertur, quòd ille formaliter sit terminus productionis, qui specificat productionem, quandoquidem productio dicit ordinem ad ipsum, quia solùm ad proprium terminum, quem in actu ponat, ordinatur. Productiones autem non specificantur à rebus, quatenus dicunt existentiam, sed quatenus dicunt essentiam, vnde videmus, quòd productiones sequuntur diuersitatem essentiarum, & qualis est essentia, talis quoque est productio, vnde si essentia rei, quæ producitur est per se subsistens, productio est creatio: si est qualitas, productio est alteratio, & tali pacto semper ex variatione essentiali terminorum productiones variantur, & proinde ab essentijs terminorum specificantur; ex quo fit, quòd productiones habeant formaliter pro termino essentias rerum, atque adeo, ex vi productionis, ipsamet essentia cuicunque enti communicetur.

Res ex vi suæ essentiæ exigunt talē productionem.

Productiones specificātur ab essentijs terminorum

IX. Atque ex his intelligitur. Quomodo creatura, secundùm essentiam considerata, possit exemplificari à Deo, hoc est repræsentari in Ideis diuinis, quia scilicet etiam secundùm essentiam est effectus diuinæ omnipotentiæ. Cum enim Idea ordinetur ad operationem, ita vt ex natura sua habeat, quòd repræsentet operanti id, quod posset fieri ab ipso: atque hac repræsentatione sublata, tollatur etiam Idea, non possent Ideæ diuinæ repræsentare creaturas, secundùm essentiā, quemadmodū repræsentāt, nisi secundùm essentiam creaturæ essent operabiles à Deo, quod nequaquam stare potest, nisi essentia sit effectus diuinæ omnipotētiæ. Atque hinc elicitur confirmatio nostræ conclusionis. Creaturæ secundùm essētiam continentur in diuina omnipotentia, & ad illam comparantur, tanquam effectus ad suam causam effectiuam, ergo quando ponuntur in actu, diuina operatio formaliter debet terminari ad essentiam rei, ita vt ex vi talis productionis essentia fiat actualis. Rursus si ex vi productionis essentia fit actualis, necesse est, quòd antea non fuerit actualis, nec habuerit illud esse æternum actuale independens à Deo.

Quomodo essentia creaturæ explificetur in Deo.

X. Quòd si dicas, rerum Essentias dici ingenerabiles, & incorruptibiles, atque æternas, quæ conditiones necessariò requiruntur, vt possint esse obiectum scientiæ: scientia enim non est de generabilibus, & corruptibilibus, sed de æternis, & ideò non res secundùm essentiam esse terminum productionis, quia tunc essentia generaretur, & corrumperetur. Resp. Essentias rerum posse considerari, & in vniuersali, seu secundùm esse abstractum ab indiuiduis, atque in particulari, prout scilicet essentiæ rerum identificantur cum suis indiuiduis: atque secundùm hanc duplicem considerationē, diuersa ijs conueniunt, quando ergo essentiæ rerum dicuntur æternæ, ingenerabiles, & incorruptibiles, intelligitur de

Satisfit obiectioni

Quomodo rerum essentiæ corruptibiles, & quomodo incorruptibiles.

ef-

essentijs in vniuersali consideratis, & prout habent esse abstractum ab indiuiduis, quia sicuti tali pacto consideratæ, non possunt produci, ita neque possunt corrumpi, & quemadmodum neque possunt subijci existentiæ, ita neque subeunt differentiam aliquam durationis. Quomodo autem dicantur æternæ explicabimus, quando agemus de natura vniuersali. Verùm si rerum essentiæ accipiantur, prout identificantur cum Indiuiduis, tunc sunt generabiles, & corruptibiles, quemadmodum ipsa indiuidua, & hoc pacto diximus esse terminum productionis, & ex vi ipsius formaliter acquirere esse actuale, cum antea fuerint tantùm possibiles.

Rerum essentias, seu possibilia non esse aliquid in seipsis antequam producantur.

SECTIO III.

I. Cvm statutum sit, rerum essentias non habere aliquid actualitatis, antequam producantur, sed eam totam recipere à causa producente: nunc ponimus secundam conclusionem, in qua statuimus, quòd rerum essentię, seu possibilia, antequam producantur, non sunt aliquid in seipsis. Quòd tamen ita debet intelligi, vt non dentur ista possibilia, seu istæ rerum essentiæ, quæ antequam producantur, dicant in se ipsis, seu contineant illud esse, præcisa tamen actualitate, & existentia, quod dicunt, quando actu iam sunt productæ, secundùm quod se habeant tanquam aliquid à Deo contradistinctum, & in seipso, intra statum tamen possibilitatis subsistens; & veluti extra suam causam, ita vt hoc esse conueniat rerum essentijs ex seipsis, & independenter à qualibet causa, sed omnino nihil sunt, hoc est nullum participant esse, neque etiam possibile, quò in seipsis aliquid sint. Hæc conclusio videtur quidem esse contra communiorem sententiam; si res tamen attentè consideretur, reperiemus esse maximè conformem rei veritati, & maximè declarare naturam possibilitatis, & essentiæ rerum.

Secunda conclusio rerum essentiæ antequam producantur non sunt aliquid in seipsis.

II. Hinc probatur primò nostra hæc conclusio. Prima origo, & radix, à qua rerum essentiæ habent totum suum esse, est Deus, ipse enim est primum ens, & per essentiam, à quo cætera omnia trahunt originem, ita vt omnia debeant in ipsum resolui tanquam in ens imparticipatum, & à quo ipsa esse participent; vnde rerum essentiæ contineri debent in Deo virtualiter, tanquam in prima causa, à qua profluunt; & hinc est, quòd in Deo sunt Ideæ rerum omnium, & infinita potentia, qua semper aliud, & aliud producere potest. Imò ipsæ rerum essentiæ, seu possibilia secundùm statum possibilitatis considerata habent suam possibilitatem dependenter à Deo, quia adhuc dicunt ordinem transcendentalem ad ipsum, & in tantum sunt possibilia, in quantum possunt produci, quòd si per impossibile non esset Deus, à quo possent produci, neque etiam ipsa essent possibilia. Continentur ergo possibilia in Deo tanquam in causa, à qua produci possunt, & tanquam in Idea à qua repræsentantur; prout autem sunt in causa, non sunt in seipsis; nam dum sunt in causa, sunt ipsamet virtus causæ, prout autem sunt in seipsis, sunt aliquid contradistinctum à causa; ergo simpliciter loquendo possibilia, prout merè possibilia sunt, seu rerum essentiæ non sunt aliquid in seipsis, sed tantum in causa.

Ratio.

Rerum essentiæ habent primã radicẽ in Deo.

Consequentia hæc declaratur, quoniam prius est, quòd sint in caula, quàm in seipsis, vt potè quia causa ex natura sua prior sit, quàm effectus, & à priori colligitur dari tale possibile, quia datur causa, in cuius virtute continetur, & ex genere suo prius est esse virtuale, quàm esse formale rei; possumus enim concipere esse virtuale rei, non præsupponendo esse formale; non autem econtra possumus concipere esse formale non concipiendo, seu præsupponendo esse virtuale; videmus enim, quod esse formale rei sequitur ex esse virtuali, quod autem sequitur ex alio, seu aptum est sequi, est posterius ipso; Rerum igitur essentiæ, seu possibilia non possunt intelligi, quòd sint aliquid in seipsis, nisi simul intelligantur, quòd sint egressa à sua causa, & facta extra ipsam, siquidem esse aliquid in seipso dicit esse contradistinctum à causa; at statim ac aliquid intelligitur fieri extra causam, intelligitur produci, & fieri in actu existentiæ, vnde impossibile est, quòd res sint aliquid in seipsis, nisi fiant existentes, & consequenter in statu possibilitatis non erunt aliquid in seipsis, sed solum aliquid in causa.

Res prius est in causa quã in seipsa.

III. For-

Reijcifi[tur] III. Fortasse tamen respondebit aliquis, solùm necesse esse, quòd rerum essentiæ, & possibilia sint aliquid extra causas, seu ab ipsa pregrediantur, ad hoc, vt sint aliquid reale actuale in se ipsis; vt autem sint aliquid possibile in seipsis, non esse necesse, quòd fiant extra causas, quia hoc solùm importat illam intrinsecam possibilitatem, qua vnaquæque res ex seipsa possibilis est. Non tamen hæc responsio vera est, quamuis habeat aliquam apparentiam. Hoc enim certum est, quod illud esse, quod res formaliter dicunt in seipsis, est illud ipsum, quod continetur virtualiter in causa nedum secundùm speciem, sed etiam secundùm numerum. Rursus certum est, quòd esse aliquid in se ipso, non dicit esse aliquid in causa, sed opponitur illi, & dicit quid contradistinctum à causa; his ergo præsuppositis, sic argumentor. Idem est omnino esse, quod res dicunt in seipsis, ac illud, quod dicunt in causa, dum virtualiter in ipsa continentur, & solùm discrimen est in diuerso modo essendi, quia nimirum, quod virtuali modo existit in causa, in seipso existit formali modo; si ergo esse in seipso dicit aliquid contradistinctum à causa, non possunt possibilia vllo pacto, neque secundùm esse possibile, esse aliquid in seipsis, nisi secundùm illud esse, quo virtualiter continentur in causa, fiant extra causam; impossibile enim est, quòd illud esse, quod virtualiter continetur in causa, sit quid contradistinctum à causa, & dicat modum essendi oppositum virtuali continentiæ in causa, nisi fiat extra causam: fieri autem extra causam est produci ad realiter existendum. Et confir. quando aliquid producitur, non alia ratione producitur, nisi quia profluit à causa secundùm illud esse virtuale, quod habet in causa, & in hoc consistit forma liter productio, quòd esse illud effectus, quod in causa virtualiter cōtinetur, profluat ab ipsa, & communicetur effectui, vt illud habeat in seipso; ergo dum esse, quod virtualiter continetur in causa, ita tribuimus possibilibus, vt concipiamus eadem possibilia continere tale esse in seipsis, vt quid contradistinctum à causa, oportet, vt simul, & semel concipiamus esse, quod est virtualiter in causa, factum extra causam, seu manens extra causam, & consequenter productum, quia statim ac concipimus aliquid extra causas, concipimus productum, cum in hoc consistat productio, quòd illud, quod virtualiter continebatur in causa, fiat extra ipsam, & per id, quòd concipimus aliquid in seipso habens suum esse, concipiamus extra causam id, quod est virtualiter in causa. Præterea quando concipimus aliquid in seipso, implicat, quòd prout est in seipso, concipiamus esse in causa, quia esse in seipso ex natura sua extrahit à causa, quod erat in causa, ergo impossibile est, quòd cōcipiamus, possibilia habere suum esse in seipsis, nisi cōcipiamus fuisse iam extracta à causa secundùm illud esse, quòd virtualiter habebant in ipsa, & consequenter non esse amplius in causis. Vnde ex his reijcitur alia responsio, quæ afferri posset, nimirum, quòd tunc aliquid producitur, quando ita extrahitur à causa, vt non sit amplius in ipsa, verùm possibilia ita esse in seipsis, vt adhuc sint in causis, & ideo, ex eo quòd intelliguntur in seipsis, non intelligi producta, tunc enim vrgeri potest, quòd non possumus concipere in seipso illud esse, quod erat virtualiter in causa, nisi concipiamus illud extractum à causa, quia formaliter esse in seipso dicit esse extractum à causa, quod autem est extractum à causa, non est amplius in causa.

Rofelli[tur].

Esse quo[d] res dicu[nt] in seipsi[s] i[d] est, ac quod cō[n]tinetur in causa.

Esse in se ipso, & esse in causa oppo[n]u[n]tur.

IV. Secundò prob. nostra conclusio. Si possibilia sunt aliquid in seipsis, ita vt contineant in se illud esse essentiale, quo constituuntur: inquiro de hoc esse, an sit aliquid imparticipatum, & à se; an verò aliquid participatum, & ab alio cōmunicatum; seu an habeant, independenter à Deo, hoc esse, an verò dependenter ab ipso; alterutrum enim ex his debet necessariò de ipso verificari, vt per se euidens est, vtpotè quia esse ab alio, & non esse ab alio, sunt contradictoria, quæ cadunt supra ipsum esse, & proinde alterum ex ipsis verificari debet, vnde si non est ab alio, cum sit, debet esse à se. Non potest dici, quòd illud esse, quod tribuitur possibilibus, sit ab alio, & sit quid participatum, quia tunc esset causatum, & productum; omnis enim participatio, qua aliquid communicatur creaturæ, fieri tantùm potest per productionem; vnde tunc essentia illa non haberet esse possibile, sed productum, & existens: esset enim terminus illius communicationis productiuæ. Sed neque etiam primum possibile est, nempe

2. ratio.

Quid sit produci.

Esse aut participatum, aut imparticipatum.

quod possibilia habeant ex se esse imparticipatum, & quòd sit à se, imprimis, quia quòd est semel imparticipatum, debet esse tale ab intrinseco suo, & essentialiter, vnde illi repugnat, quòd sit postea aliquid participatum, quòd enim conuenit alicui ab intrinseco, & essentialiter, ita conuenit, vt oppositum omninò, & simpliciter excludat, atque reddat incompossibile, sed rerum essentiæ ab intrinseco suo habent, quòd sint quid participatum, ita vt hoc illi essentiale sit, vnde dicunt essentialem ordinem ad ideas diuinas, tanquam ad eas, quas imitantur, quod autem dicit ordinem ad aliquam ideam, ad cuius similitudinem formetur, dicit simul, & semel ordinem ad causam efficientem, à qua formatur ad similitudinem Ideæ, & cui est essentialis vnus ordo, est etiam essentialis alter. vnde cum rerum essentiæ essentialiter dicant esse quid participatum, in nullo statu, in quo considerentur, potest illis essentialiter competere esse quid imparticipatum. Præterea esse imparticipatum reddit rem independentem omninò à quocũque alio, imo impossibile est, quòd dependeat: vnde, quod habet esse imparticipatum, excludit à sua essentia omninò quamcunque dependentiam; at essentiæ rerum creatarum essentialiter inuoluunt dependentiam, qua dependent à Deo, non solùm tanquam ab exemplari, sed etiam tanquam à communicante illud esse, quod habent, atque huiusmodi dependentia essentialis est creaturæ, ita vt ab ipsius essentia præscindi non possit, quomodo ergo rerum essentiæ in statu possibilitatis possunt dicere esse imparticipatum, & independens, cum, si dicunt aliquod esse in seipsis, nullum aliud dicant, quàm illud, quo constituuntur in esse talis essentiæ, in quo essentialiter imbibitur dependentia? Et confir. Illud esse essentiæ, quòd dicit res in statu possibilitatis, dicit etiam in statu actualitatis; non enim fit variatio aliqua secundum essentialia, sic eadem essentialia dicit homo possibilis, ac homo actu existens, alioquin si fieret variatio aliqua secundùm essentialia, non esset essentia, quæ possibilis erat, quæ existeret, sed aliqua alia, ergo si in essentia, quæ existit inuoluitur tanquam quid essentiale dependentia, etiam eadem dependentia inuoluetur in eadem essentia considerata secundùm statum possibilitatis, si ergo essentiæ rerum, seu possibilia inuoluunt essentialiter dependentiam, quomodo sunt quid imparticipatum, & ens à se? Cũ igitur non possint habere in seipsis esse imparticipatum, neque participatum, nullum esse habebunt, nec erunt aliquid in seipsis.

Rerum essentiæ quid essentialiter participatum.

Res imparticipata independens.

V. Verùm quia hæc ratio valde vrget, & ij, qui oppositum censent, hoc membrum admittunt, nimirum quòd rerum essentiæ, & possibilia sint aliquid in seipsis, quòd sit à se, & independenter à quocunque alio, dicunt quòd ab intrinseco suo habent, quòd sint possibilia, ideò adhuc instandum est, & ostendendum, quomodo nequeant aliquod esse dicere, quod sit à se. Vndè sic vlterius argumentor. Continere esse in se, & illud habere à se, & à nullo participatum, est attributum proprium solius entis per essentiam, & infiniti, quod illi conuenit, vt tale est, ergo non potest alteri conuenire, & proinde rerum essentiæ, & possibilia non erunt aliquid in seipsis; cum nullo alio modo possint continere esse in seipsis, nisi illud esse sit imparticipatum, & à se Conseq. est clara supposita veritate antecedentis, quia quæ sunt propria Dei, vt Deus est, impossibile est, quòd alteri conueniant. Declaratur igitur anteced. Esse à se nihil aliud dicit; nisi esse ens per essentiam, & ens imparticipatum, esse autem ens per essentiam, & imparticipatum conuenit Deo, quatenus Deus est, quia si tolleretur à Deo, esse a se, seu ens per essentiam, destrueretur etiam ratio deitatis; ea autem, quibus ablatis destruitur Deitas, certum est pertinere ad constitutiuum illius. Quòd si dicas, Esse à se quò ad existentiam esse Dei proprium, non autem quò ad essentiam præcisè, quemadmodum sunt possibilia, quæ solùm sunt à se quò ad essentiam, non autem quò ad existentiam, adhuc instari potest, quia esse à se in Deo cadit nedum supra existentiam, sed etiam supra essentiam, ita vt imbibatur in ipso constitutiuo deitatis, esse enim ens per essentiam pertinet ad constitutiuum Deitatis; rursus esse naturam intellectualem, & aliæ huiusmodi rationes; in his autem omnibus imbibitur esse à se; nam Deus habet à se, quòd sit natura intellectualis; habet à se, quòd sit ens, & quicquid ipsi conuenit, tanquam aliquid imparticipatum conuenit; vnde nedum esse à se quò ad existentiam, sed etiam quò ad essentiam

Habere esse à se siue essentiæ, siue existētiæ proprium solius Dei.

est proprium solius Dei, quia illi conuenit, qua Deus est, & ideò non potest vllo pacto conuenire creaturæ esse à se quò ad essentiam. Confir. quia existentia est de essentia Dei, si ergo esse a se quò ad existentiam est proprium Dei, est etiam proprium ipsius esse à se quò ad essentiam, cum existentia Dei sit essentia ipsius.

Esse à se quò ad essentiam habet annexum esse à se quò ad existentiã.

VI. Sed nec rectè distinguitur inter Esse à se quò ad essentiam, & existentiam simul, & Esse à se quò ad essentiam tantùm, & non quò ad existentiam; quoniam Esse à se quò ad essentiam habet necessariò annexum Esse à se quò ad existentiam similiter. Quòd sic declaratur. Esse à se quò ad essentiam importat necessitatem essendi illius essentiæ, quæ in ipsa intrinsecè imbibatur, & facit, quòd talis essentia sit ens necessarium, & nequaquam participatum; necessitas autem essendi in essentia, facit, quòd etiam existentia sit necessaria; debet enim existentia proportionari essentiæ, vnde videmus, quòd quia Deus ex natura sua habet necessitatem essendi, habet etiam necessitatem existendi, ita vt ex eo quòd est ens necessarium quò ad essentiam, valeat à priori inferri quòd etiam necessariò existat. Cuius rei ratio à priori est, quia essentia exigit existentiam tanquam vltimum complementum, & vltimum actum, debet ergo existentia proportionari essentiæ, & conformari exigentiæ illius, quæ est iuxta naturam ipsius, vnaquæque enim res, ita exigit existere, quemadmodum habet esse; vnde cum habeat esse necessarium, exiget etiam existere necessariò, existentia enim sequitur naturam rei, quæ existit, cum sit tota propter ipsam, imò aliquid de esse rei, quæ existit. Confir. Necessitas essendi alicuius essentiæ non est necessitas essendi in potentia, seu virtute causæ, sed est necessitas essendi in seipsa, quia dum est in causa non habet proprium esse distinctum ab esse causæ, & ideò neque propriam necessitatem essendi distinctam à necessitate essendi, quam ipsa causa habet; cum ergo hæc necessitas non sit necessitas essendi in esse potentiali causæ, erit necessitas trahens rem ad esse necessarium actuale; quia cum esse in causa, & non esse in causa contradictoriè opponantur, oportet quòd alterum ipsorum conueniat illi essentiæ, quæ in virtute alicuius causæ continetur; vnde cum hæc necessitas non sit necessitas essendi in causa, erit necessitas non essendi in causa, sed essendi extra causas in seipso, atque adeò trahet essetiam illam ad esse actuale necessarium, quoniam non esse in causis, sed extra causas, dicit habere esse actuale. Quod autem habet esse actuale necessarium, habet etiam necessitatem existendi. Præterea necessitas essendi in essentia fundatur in infinitate perfectionis, nam esse quod est limitatum, & finitum non potest includere talem necessitatem essendi, siquidem habet causam, atque adeò dependens est ab alio, imprimis enim habet causam exemplarem, ad cuius similitudinem formetur, habet causam efficientem, à qua participet esse limitatum, quod habet, omne enim esse limitatum ab ente illimitato est per quamdam communicationẽ; quod igitur habet causam, non potest esse à se, sed ab alio, & proinde nec habere necessitatem sui esse, vnde sequitur, quòd necessitas in essendo fundetur in infinitate perfectionis; quod autem est infinitum in perfectione, habet etiam necessitatem existendi, vnde cum rerum essentiæ, & possibilia non habeant necessitatem existendi, nec infinitam perfectionem simpliciter, nec etiam poterunt habere necessitatem in suo esse.

Necessitas essendi alicuius, est necessitas essendi in seipsis, nõ in causa.

Necessitas essendi in quo fundetur.

VII. Tertiò principaliter prob. Dũ possibilia fiunt existentia, illis communicatur essentia propria ipsorum; essentia enim, vt diximus, cuiuscunque rei terminat formaliter productionem, & illud totum esse, quod est in effectu, procedit à diuina virtute communicante esse; nihil enim est extra Deum, quod ab ipso non sit communicatum, alioquin esset ens imparticipatum, quod implicat: vnde illud quoque esse essentiale, quod in vnoquoque effectu reperitur, communicatur à Deo, dum aliquid ponit in esse; ergo fieri non potest, quòd possibilia habeant suum esse essentiale in seipsis, quo mediante aliquid sint. Prob. hæc consequentia. Non potest aliquid recipere illud esse, quod iam habet, vnde videmus, quòd si semel aliquid est productum, non potest amplius recipere illud esse, quod iam in se habet, & illi fuit communicatum per productionem; tunc enim sequeretur, quòd bis haberet idem esse; si ergo possibilia præsupponantur continere in seipsis proprium esse essentiale, quo aliquid sint in seipsis, iam non

1. ratio

Totum esse effectus ex vi productionis.

po-

poterunt amplius illud à causa producēte recipere; cum iam illud in seipsis habeant: quare ex opposito arguendo, possibilia, dum à Deo producuntur, recipiūt ab ipso proprium esse essentiale, ergo non præsupponuntur illud habere in seipsis, cum de nouo recipiant, alioquin bis haberent, & sic non erunt aliquid in seipsis antequam existant.

Respōsio. VIII. Conabitur tamen aliquis respondere. Quòd aliud est, habere suum esse in seipso actualiter, seu secundùm esse actuale; & aliud est, illud habere in seipso secundùm esse possibile, seu potentiale. Possibilia quidem non habent in seipsis proprium esse secundùm actualitatem, & ideò possunt illud recipere à causa; sed solùm habent secundùm esse potentiale, quo pacto illud non recipiunt à causa; & hoc modo saluatur, quomodo possint habere suum esse in seipsis, & etiam illud recipere à causa, quia diuerso modo habent, ac recipiant. Hæc tamen responsio non sufficit, neque eneruat vim argumenti; quæro enim, quid sit habere esse in seipso secundùm esse potentiale; vel enim dicit, quòd illud esse, quo res formaliter constituitur in proprio esse, formaliter, & verè reperiatur de facto in ipsa, vel quòd non reperiatur, sed sit in virtute causæ, à qua ipsi possit communicari. Si primum dicatur, tunc sequitur, quòd quando res producitur, non possit illi communicari tale esse formale, quo constituitur in se ipsa, quia iam illud habet in se formaliter, & proinde non potest amplius illud recipere. Quòd etiam confir. nam non potest poni aliquod esse formale in aliquo, nisi illi simul exhibeat suū effectum formalem, qui est constituere ipsum vt quod tale, quale esse formale est vt Quo; sic non potest poni in aliquo esse formale hominis, nisi simul constituatur in esse hominis; si ergo possibilia ita sunt aliquid in seipsis, vt contineant in se proprium esse formale, oportet etiam, vt sint talia, qualia per tale esse formale constituuntur, ergo non poterunt amplius recipere à causa tale esse proprium, quia iam illud habent, & iam sunt constituta in suo esse formali, & essentiali; vnde non est opus, quòd amplius à causa tale esse communicetur. Si verò dicatur secundum, nimirum quòd de facto non habent in seipsis tale esse formale, sed solùm quòd sit in causa, iam in seipsis non sunt aliquid, neque enim possunt esse aliquid, nisi in se contineant aliquod esse; nullum autē aliud esse continere possunt, nisi proprium contineant.

Refellitur.

Quod in edicit aliquod est, est verè tale, quale per ipsū constituitur.

4. ratio. IX. Quartò argumentor. Antequā rerum essentiæ, & possibilia intelligantur posita in actu, continentur in virtute causæ, à qua profluere possunt, & hic est status essendi ipsorum; non possunt autē habere statum essendi huic oppositum, nisi hunc amittant, ita enim se habent status essendi oppositi, vt vnus excludat alterum, & adueniente vno, cesset alter; quia sicuti res quælibet habet vnicum tantùm esse, ita etiam est capax vnius tantum status ex ijs, qui sunt incompossibiles. Verùm esse in seipso est status essendi oppositus statui essendi virtualiter in causa; nam hi duo status fundant contradictionem, esse enim virtualiter in causa dicit non esse in seipso, sed in alio. Esse verò in seipso dicit non esse in alio; esse autem in seipso, & non esse in seipso contradictoria sunt, & ideò hi duo status nempè Esse virtualiter in causa, & esse in seipso incompossibiles sunt, vt potè continetes cōtradictionem. Si ergo possibilia antequam producantur continentur secundùm totum suum esse, essentiale etiam, in causa, non possunt secundùm suum esse essentiale esse in seipsis. Confirmatur hæc ratio. Antequam res producantur, quia continentur in causa secundùm suum esse existentiæ, non possunt secundùm hoc esse existentiæ esse in seipsis, vt per se manifestum est, ergo cum antequam producantur contineantur in causa, etiam secundùm esse essentiæ, nequaquam poterunt esse in seipsis secundùm esse essentiæ; quòd si non habent in seipsis esse essentiæ, nullum aliud habere possunt. Maneat ergo, rerum essentias, seu possibilia non esse aliquid in seipsis, antequam ponantur in actu, & proinde non dari hunc statum rerum, quo secundùm esse possibile sint in seipsis, quod multò magis verum est, si loquamur de rerum essentijs in vniuersali consideratis, seu præcisis ab indiuiduis, quia ex se non habent hunc statum præcisionis, sed tantùm per intellectum, vnde solùm illud esse, quod habent in indiuiduis existentibus, possunt tantùm habere obiectiuè in intellectu.

Esse in seipso, & esse in causa, sunt modi essendi oppositi.

Essentias rerum dicere combinationes prædicatorum necessarias.

SECTIO IV.

Tertia conclusio. Rerum essentiæ important necessarias combinationes prædicatorum. D. Th. Albert. Magn. Caiet. Capr. Henr. Heru. Soncin. Ferrar. Fonseca Suarez. Auersa.

I. QVamuis rerum essentiæ, antequam ponantur in esse, nihil in seipsis sint, dicunt tamen connexiones prædicatorum essentialiũ, quæ dantur ab æterno, & omnino necessariæ sunt, ita vt implicet, aliter se habere. Atque hæc est tertia nostra conclusio contra secundam sententiam, quæ negat huiusmodi connexiones prædicatorum essentialium, tanquam reales, & æternas. Ita tamen docent communiter omnes præsertim D. Thom. 1. par. quæst. 10. artic. 3. ad 3. & quæst. 1. de verit. artic. 5. & quæst. 6. artic. 1. ad 9. Albert. Magn. in Postprædicam. cap. 9. Caiet. cap. 4. de Ente, & essent. quæst. 10. & 1. Poster. cap. 9. Capr. in 1. dist. 8. quæst. 1. Henric. Quodlib. 10. quæst. 3. Heru. Quodlib. 3. quæst. 1. Soncin. 9. Metaph. quæst. 5. Ferrar. 2. contra Gent. cap. 52. Fonseca 5. Metaph. cap. 5. quæst. 1. sect. 3. Suarez in Metaph. disp. 31. sect. 12. num. 41. Auersa in sua Philosophia quæst. 8. sect. 4. & quamplures alij, tam ex Philosophis, quam ex Theologis in 3. distinct. 25. Et passim Arist. (Arist.) hoc ipsum tradit, præsertim 1. Poster., vbi docet, demonstrationem constare ex ijs, quæ sunt æternæ veritatis. Atque hæc etiam est sententia (D. Augu.) D. Augustini in tomo 1. lib. 2. de libero arbitrio cap. 8. vbi ita ait: *Quicquid corporis sensu, veluti est hoc Cœlum, & terra hæc, & quæcumque in eis alia corpora sentio, quamdiu futura sint, nescio. Septem autem, & tria, decem sunt, & non solum nunc, sed etiam semper: neque vllo modo septem, & tria non fuerunt decem, aut aliquando septem, & tria non erunt decem.* Præterea subdit. *Nihil magis æternum, quam ratio circuli, aut duo, & tria esse quinque.* Quomodo autem huiusmodi connexiones prædicatorum sint æternæ explicabimus infra.

1. ratio. II. Prob. autem nostra conclusio. In Deo dantur Ideæ, seu similitudines rerum omnium, quæ producibiles sunt, ratione quarum res omnes continentur in Deo, tanquam in exemplari; & res istæ, quatenus in Deo continentur, sunt ipsemet Deus, & ipsa vita Dei. Quapropter (D. August.) D. Aug. tom. 6. tract. 1. in Ioan. circa finem explicans verba illa Ioan. 1. *Quod factum est, in ipso vita erat*, inquit, *Pronuncia sic, quod factum est, hic subdistingue, & deinde infer, In ipso vita est. Quid est hoc? facta est terra, sed ipsa terra, quæ facta est, non est vita: Est autem in ipsa sapientia spiritualiter ratio quædam, qua terra facta est, hæc est vita; Ergo quod factum est, in illo vita est.* Huiusmodi autem Ideæ, quæ habent res faciendas repræsentare, cum sint ipsemet Deus, habent esse necessarium, & immutabiles sunt in repræsentando; si enim mutarentur, ita vt modò repræsentarent aliquod vno modo, modò altero modo, sequeretur, quòd ipse Deus mutaretur, ergo si dantur in Deo Ideæ rerum omnium æternæ, & immutabiles, dantur etiam connexiones prædicatorũ essentialium, æternæ immutabiles, atque necessariæ. Declaratur hæc consequentia. Ideæ diuinæ repræsentant res, sicuti esse possunt, & res non aliter esse possunt, quàm per Ideas diuinas repræsententur, atque prædicata quidditatiua, quibus rerum essentiæ coalescunt, non aliter coalescere, seu combinari possunt, quàm in Ideis diuinis repræsententur, ergo si Ideæ diuinæ sunt immutabiles in repræsentando, etiam connexiones omnium prædicatorum essentialium erunt immutabiles, & non poterunt aliter se habere, vt sequantur diuina exemplaria. Rursus Ideæ diuinæ sunt ab æterno, ita vt ab æterno repræsentent has combinationes, & connexiones prædicatorum essentialium, ergo etiam hæ combinationes prædicatorum sunt ab æterno, quia non potest esse repræsentans, nisi sit etiam repræsentatum, saltem aliquo modo. Hinc est, quòd Deus potest producere possibilia, communicando illis determinatam naturam, ita vt tali possibili non possit aliam naturam communicare, quia scilicet debet Deus operari conformiter ad suas Ideas, nec potest rebus aliud esse communicare, quàm illud, quod per Ideas communicandum proponitur; omnipotentia enim diuina regulatur ab intellectu diuino, iuxta ideas repræsentantes quid, & quo modo operandum sit. Atque si inquirimus aliquã causam illius intrinsecæ possibilitatis, quam habet vnaquæque res, possumus illam assignare ex Ideis diuinis: totum enim negotium possibilitatis rerum tali pacto procedit. Cum res habeant totum suum

Cõnexiones prædicatorũ æternæ Immutabiles quia ex Ideis diuinis æternis Immutabilibus.

suum esse participatum, non possunt ex seipsis, & independenter à quocunque alio esse possibiles, sed possibiles sunt in ordine ad diuinam potentiam, in cuius virtute continentur, ita vt, sicuti esse non est communicabile, nisi ab ipsa, ita etiam non sit possibile, nisi dependenter ab ipsa. Verùm omnipotentia diuina ex se non respicit hoc magis possibile, quàm illud, sed sicuti non potest hanc, aut illam rem determinatè producere, nisi per Ideam determinetur; ita neque etiam possibilis est talis, vel talia res determinatè, nisi dependenter ab idea diuina, quæ determinet omnipotentiam, vt possit hanc, & illam naturam determinatè producere: vnde tale, & tale esse determinatum cuiuscunque rei possibile est dependenter ab Idea diuina, à qua habet determinationem, & quia sine determinatione non esset possibile, ideò habet suam possibilitatem dependenter ab Idea diuina, quæ tanquam causa à priori infert possibilitatem talis rei, & connexionem talium prædicatorum ad componendam talem naturam. Hinc etiam elicitur confirmatio eiusdem rationis. Connexiones prædicatorum, quibus vnaquæque essentia constituitur, habent necessariam connexionem cum diuinis Ideis, quibus necessariò conformantur, ergo cum diuinæ Ideæ ita repræsentent, vt non possint subire variationem aliquam in repræsentando, nec quæ connexa repræsentant, possint repræsentare non connexa, aut aliter connexa, sequitur ex vi harum Idearum, quòd connexiones prædicatorum essentialium necessariæ sint, & omnino inuariabiles, alioquin si possent variari, cum Ideæ diuinæ repræsentent, quicquid est repræsentabile, deberent repræsentare illas connexiones variatas, quod fieri non posset, nisi ipsæ variarentur in repræsentando.

Omnipotentia Dei determinatur ab Ideis diuinis.

III. Secundò probatur conclusio. Deus ab æterno cognoscit omnia possibilia, & ea, quæ fecit postea in tempore, alioquin nisi tunc cognouisset, & modo cognosceret, mutatus fuisset in sua cognitione, quod dici non potest; Præterea, quia prius debuit cognoscere, quàm producere, cum sit agens per intellectum operans cum præcognitione rei faciendæ, quemadmodum contingit etiam in agentibus intellectualibus creatis, quæ prius præconcipiunt illud, quòd debent operari, quàm executioni mandent, & hoc pacto agunt cum præcognitione rei faciendæ. Atque cum Deus ab æterno cognoscat ea, quæ facit, cognoscit ita esse facienda, vt implicaret oppositum, atque prædicata, ita connectenda esse, quemadmodum connexa fuerunt, vt non possent aliter connecti, & quæcumque alia connexio impossibilis esset, ergo connexiones prædicatorum essentialium sunt necessariæ, inuariabiles, atque immutabiles. Rursus cum semper cognitæ fuerint à Deo, etiã fuerunt æternæ, quia ly, semper, non solùm se tenet ex parte Dei cognoscentis, sed etiam ex parte obiecti cogniti, siquidem antequàm existerent verum erat dicere, quod obijciebantur Deo ex vi Idearum quas habebat rerum omnium.

2. ratio.

Deus ab æterno cognoscit res, quæ sunt cum iis connexionibus prædicatorum quas modo habent.

VI. Respondet tamen Recentior quidam, quòd Deus non cognouit simpliciter possibilia, sed solùm ex suppositione, videlicet, quia videbat, quòd si creanda esset aliqua creatura, debuisset creari cum talibus prædicatis quidditatiuis. Cœterum huiusmodi responsio inutilis est. Nam aliud est, possibilia creari debere cum talibus, & talibus prædicatis, si creanda sunt; & aliud quòd talia prædicata sint ex se connexa necessaria connexione. Quod enim res creandæ sint, si debent creari, cum talibus, & talibus prædicatis, indè prouenit, quia præsupponitur, talia prædicata intrinsecè connecti pro constitutione talis naturæ; quã connexionem habent huiusmodi prædicata dependenter ab Ideis diuinis, quæ repræsentant res ita faciendas, ergo non ex suppositione, sed absolutè dantur hæ connexiones prædicatorum, quia absolutè, & sinè aliqua suppositione dantur ideæ, ratione quarum habentur huiusmodi connexiones, & solùm ex suppositione est futura creatio, non autem connexio prædicatorum. Confir. Et quæro, cur res, si creanda est, cum talibus prædicatis creari debet, & non cum alijs, ita vt neque per Dei potentiam immutari possint illa prædicata? Certè nulla alia ratio reddi potest, nisi quia præsupponitur necessaria connexio prædicatorum, quæ omninò immutabiliter se habet; quod si fieret tunc à Deo illa connexio liberè; posset eam constituere, & regulare, quomodo vellet; vnde cum non possit, signum est quod dependenter ab Ideis diuinis necessaria est, quemadmodum

Responsio cuiusdã Recentioris.

Reijcitur.

Cõnexiones prædicatorum essentialium absolutæ, & non ex suppositione.

etiam

etiam ipsæ Ideæ pariter necessariæ sunt. Præterea si ista connexio esset tantùm necessaria ex suppositione, non coarctaretur Deus, vt crearet vnamquamque rem iuxta exigentiam eius naturæ, sed posset eam creare, vt vellet; necessitas enim ex suppositione absolutè non est necessitas, sed solùm ex positione alicuius non necessarij, & quod potest aliter se habere, vnde illa necessitas esset ex voluntate Dei præsupposita volêtis sic creare, & cum voluntas Dei sit libera, posset velle aliter rem creare, nec coarctaretur ad illam creandam cum talibus prædicatis; cum autem coarctetur, signum est, quòd connexio prædicatorum est absolutè necessaria, quemadmodum absolutè necessariæ sunt diuinæ ideæ in repræsentando, à quibus prouenit talis necessitas connexionis in prædicatis essentialibus.

Causa intrinseca possibilitatis.

Et quemadmodum possibilitas rerum est absoluta, non autem ex suppositione, & conditionata, ita etiam connexio prædicatorum essentialium debet esse absoluta, & non conditionalis, quia talis connexio prædicatorum fundat possibilitatem rerum, si enim causam intrinsecam possibilitatis talis, vel talis rei inquiramus, non alia assignari potest, quàm connexio prædicatorum: ideò enim possibilis est natura hominis, quia prædicata, quę ipsam constituunt, habent inter se necessariam connexionem.

1. ratio.

V. Tertiò, possumus argumentari ex necessitate essendi, propter quam Deus est ab æterno. Ideo enim illi conuenit esse ab ęterno, tanquam enti summè necessario, quia ab intrinseco suo habet, quod sit, non autem recipit Esse ab alio. Verum vnumquodque prędicatum, ex intrinseca sua ratione habet connexionem cum altero, rationalitas enim seipsa, & ab intrinseco suo petit vniri cum animalitate ad constituendum hominem; & quamuis esse hominis sit quid participatum, tamen quod tali pacto, cum talibus prędicatis inter se connexis participetur, non habet à Deo in genere causæ efficientis, sed ab intrinseca exigentia sua, quę tamen illi conuenit in ordine ad Ideas diuinas, vt iam diximus, ita vt positis Ideis impossibile sit, non poni talem connexionem prędicatorum, & talem exigentiam. Ex quo fit, quòd huiusmodi connexiones predicatorum sint necessarię, & ab ęterno; quia, vt iam diximus, non connectuntur prædicata ab aliquo extrinseco, sed ab intrinseco suo, atque sunt quid necessariò connexum cùm Ideis diuinis.

Causa [illegible] essendi necessariò ab æterno

Quare ex opposito etiam id confirmare possumus. Res existentes non habent necessitatem essendi, quia non habent à seipsis, quòd existant, neque sunt ab æterno, quia non habent necessariam connexionem cum esse diuino: quòd si haberent necessariam connexionem cum esse diuino, certè sicuti esse diuinum est necessarium, & æternum, ita etiam res existentes, essent huiusmodi, sed connexiones prædicatorum habent necessariam connexionem cum diuinis Ideis, quæ sunt æternæ, & prædicata dicunt ab intrinseco suo, quod connectantur, ergo habent esse necessarium, & ab æterno quemadmodum habent etiã Ideæ diuinæ.

Cônexiones prędicatorum connexæ cũ ideis diuinis.

Quod etiam declarari potest exemplo subiecti, & passionis: quia enim passio, & subiectum habent necessariam connexionem adinuicem, eamdem necessitatem essendi habet passio, quam habet subiectum, ita vt impossibile sit, subiectum esse, & non esse passionem, sic non potest aliquis esse homo, quin etiam sit risibilis; nec potest esse risibilis, quin sit homo. Quare cum huiusmodi connexiones prædicatorum, habeant necessariam connexionem cum Ideis diuinis, erunt ipsæ quoque necessariæ, & ab æterno.

VI. Quod totum confirmari potest. Si huiusmodi connexiones prædicatorum non essent necessariæ, posset Deus illas variare, vt verbi gratia coniungere rationalitatem cum natura lapidis, aut aliquo alio modo, prout magis ei placeret. Verùm non potest aliquo pacto variare; imò quòd non possit variare, prouenit ab intrinseco huiusmodi prædicatorum, quæ ita petunt connecti, vt non possint aliter connecti.

Deus nõ potest variare connexiones prædicatorum.

Hinc est, quod rerum essentiæ, quę resultant ex huiusmodi connexionibus prędicatorũ, sunt omnino inuariabiles, ita vt per quamlibet variationem destruantur, & sint sicut numeri, vt docet Arist. 8. Metaphys. tex. 10. consistentes in indiuisibili, ita vt per quamlibet additionem, vel detractionem destruantur, quemadmodum destruuntur & numeri.

Arist.

Si ergo tali pacto se habent hæ connexiones prędicatorum, oportet, quòd ab intrinseco suo necessarię sint, cum ordine tamen

ad

ad diuinas Ideas, à quibus tota necessitas illarum redundat, vt toties diximus. Si ergo habent esse necessarium ab intrinseco suo, sequitur etiam, vt sint ab æterno, quia, vt diximus, Deus non alia ratione est ab æterno, nisi quia habet esse necessarium. Et quemadmodum quod habet esse contingens, potest esse, & non esse, ita quod habet esse necessarium, ita est, vt non possit non esse. Atque alio modo potest hoc ipsum declarari. Istæ connexiones prædicatorum verè sunt, nam & possunt concipi ab intellectu tanquam aliquid reale, & in ipsis consistit rerum possibilitas, quæ sanè realis est, & debet præcedere rei actualitatem, non tamen sunt aliquid factum, cum præcedant omnem actualitatem rei, ergo sunt ab æterno, quia quod est, & non est aliquid factum, ab æterno est.

Propositiones aliquæ conditionales necessariæ.

VII. Denique argumentari possumus ex veritate perpetua propositionum conditionalium; dantur enim quædam propositiones conditionales, quæ sunt necessariæ simpliciter, vt est ista; si homo est, risibilis est, aut hæc, si corpus est, mobile est, atque aliæ huiusmodi, quæ semper; & independenter ab existentia subiecti veræ sunt. huiusmodi autem propositiones conditionales fundantur in essentijs rerum, seu in illa connexione prædicatorum, quæ concurrunt ad constituendam vnam aliquam essentiam; important enim partialiter talem connexionem. Si ergo ipsæ sunt perpetuæ veritatis independenter à quacunque differentia temporis, etiam tota illa connexio prædicatorum, quæ integram essentiam constituit, erit perpetuæ veritatis. Hinc autem fit, quòd, si est perpetuæ veritatis, debet in seipsa quoque talis esse, & includere quamdam perpetuitatem in suo esse, qua in se obiectiuè includat illam veritatem, qua tales propositiones redduntur perpetuæ veritatis, & proinde etiam sit necessaria simpliciter, & absolutè. Et hoc necessariò dicendum est, vt saluetur, quomodo scientiæ sint de rebus necessarijs, & absolutis, atque perpetuis; huiusmodi enim conditiones necessariæ sunt ad saluandam naturam obiecti scientifici, quarum vna si desit, non amplius illa cognitio erit vera scientia. Si igitur huiusmodi connexiones prædicatorum non essent simpliciter necessariæ, atque perpetuæ, quomodo scientiæ essent de rebus perpetuis cum solùm considerent has cōnexiones prædicatorum, quatenus constituunt vnam aliquam essentiam.

Conditiones obiecti scientifici.

Dubium, in quo esse fundentur hæ cōnexiones prædicatorum.

VIII. Verùm hic insurgit alia difficultas. Non enim saluari possunt hæ connexiones prædicatorum, nisi habeant aliquod esse, in quo fundentur, siquidem tales connexiones important illud esse, quòd dicunt res in seipsis, atque adeò debent fundari in aliquo esse, à quo desumantur, seu in quo vniantur illa prædicata, vt constituant vnam naturam. Quod igitur erit huiusmodi esse? Inde autem oritur difficultas, quòd diximus, rerum essentias, seu possibilia non esse aliquid in seipsis, antequam producantur, sed tantùm in diuina potentia, in qua tanquam in causa continentur; vnde non videtur posse assignari aliquod esse, in quo fundentur; quòd si possibilia essent aliquid in seipsis, cessaret omnis difficultas; possemus enim dicere, quòd fundantur tales connexiones in esse possibilium, sed cum nihil in se sint possibilia, aliud esse perpetuum assignandum est, vt saluetur perpetuitas, & necessitas harum connexionum, in quo fundentur. Itaque ponimus nostram quartam conclusionē, & dicimus, quòd istæ connexiones prædicatorum essentialium fundātur in Ideis diuinis, & virtute causatiua Dei. Quod ita intelligi debet, non quòd istæ connexiones prædicatorum sint formaliter ipsę Ideæ, seu virtus causatiua Dei, quia important aliquod esse finito modo participatum, sed sunt illi conceptus obiectiui, qui resultant ex Ideis diuinis, & diuina omnipotentia; quatenus scilicet aliquis cognoscens essentiam, seu Ideas cognoscit etiam id, quod repræsentatur, seu continetur in diuina potentia tanquam terminus virtutis communicatiuæ, seu repræsentationis. Qui quidem conceptus obiectiui sunt positiui, & important esse essentiale rerum, quod est contra Fonsecam qui 5. Metaph. cap. 5. quæst. 1. sect. 4. putat nihil aliud has connexiones importare, quam negationem diuersitatis prædicati à subiecto.

Quarta cōclusio. Connexiones prædicatorum essētialiū fundātur in Ideis diuinis, & virtute causatiua Dei.

Fonseca.

IX. Quòd autem istæ Ideæ, seu virtus causatiua Dei sint sufficiens fundamētum harum connexionū, euidenter prob. nam huiusmodi Ideæ repræsentant totum id, quòd Deus potest facere, & consequenter omnia prædicata quidditatiua,

quæ

Quomodo ex diuinis ideis formetur conceptus rerũ possibilium

quæ possunt connecti in ordine ad constitutionem alicuius essentiæ, ergo si accedat aliquis intellectus siue diuinus sit, siue aliquis alius, ex vi Idearum poterit formare conceptum obiectiuum cuiuscunque essentiæ, & prædicatorum essentialium, quæ in ipsa connectuntur; quia cum repræsentatiuum cognitum ducat in cognitionem rei repræsentatæ, sequitur, quòd cognoscens Ideas, quæ repræsentatiuæ sunt essentiarum possibilium, deueniat in cognitionem rerum ipsarum, quæ repræsentantur. Quòd etiam declaratur ex parte diuinæ potentiæ. Qui enim cognoscit quidditatiuè aliquam causam, nedum cognoscit esse ipsius, sed etiam ducitur in cognitionem effectuum, quos potest producere; & percipit, quodnam sit illud esse, quod potest effectui à tali causa communicari, & format proprium conceptum obiectiuum de tali, vel tali effectu; vnde effectus secundùm proprium esse acquirunt esse intentionale, seu obiectiuum in intellectu cognoscentis causam; ergo virtus causatiua Dei est sufficiens fundamentum, vt in ipsa fundentur connexiones prædicatorum essentialium, & totum esse essentiale rerum possibilium; quatenus ex vi talis virtutis, siue etiam idearum resultare possunt conceptus obiectiui proprij cuiuscunque rei. Ratio autem à priori est, quia quod continetur in aliquo, tanquam in causa, potest resultare ab ipso tanquã ex virtute communicatiua, & quòd continetur in aliquo tanquam in Idea, seu exẽplari, potest resultare ab ipso tanquam repræsentatum à repræsentabili. Huiusmodi autem resultantia potest contingere dupliciter, & secundùm esse reale; quando verè resultat à parte rei secundùm proprium esse; & secundùm esse intentionale, quando resultat secundùm esse obiectiuum, vt contingit si intellectus concipiat id, quòd continetur: & hoc secundo modo resultant possibilia, quando resultant secundùm statum possibilitatis tantùm, & secundùm puram connexionem prædicatorum. Ex hoc itaque fit, quòd habeatur sufficiens fundamentum harum connexionum, quatenus scilicet ab Ideis, & diuina potentia secundùm esse obiectiuum resultare possunt. Quòd autem hi conceptus sint positiui mihi euidentissimum videtur, nam important illud ipsum esse, quod continetur in virtute causæ, seu repræsentatur

Idẽ etiã cõceptus ex diuina potentia cognita.

per Ideam: quis autem non videt, quòd esse repræsentatum per ideas diuinas, seu contentum in omnipotentia Dei, est esse positiuum?

X. Ex his autem colligitur, quòd rerum essentiæ siue possibilia nihil aliud dicant à parte rei, quàm potentiam diuinam, & diuinas Ideas; quod idem est, ac si dicatur, quòd antequam Deus produceret creaturas, nihil aliud reale reperiebatur à parte rei, in quo saluarentur rerum essentiæ, atque possibilia, quàm ipsemet Deus, in cuius virtute, & exemplari res omnes continebantur; quod est valde aduertendum, quia ex hoc dependet solutio plurium difficultatum, præsertim Theologicarum, non enim, vt diximus, possibilia sunt aliquid in seipsis, sed tantùm in causa, atque connexiones illæ prædicatorum essentialium, quibus constant rerum essentiæ solùm in Deo fũdamentum habent, & extra ipsum nihil sunt, nisi fortè in aliquo intellectu concipiente ex vi Idearum, & diuinæ omnipotentiæ, quid Deus possit facere; tunc enim huiusmodi connexiones acquirunt esse obiectiuum in illo intellectu; verùm antequam Deus aliquem intellectum crearet, nihil præter ipsum reperiebatur; & proinde hæ ipsæ connexiones tantùm in ipso reperiebantur. Hinc concludendum est, quòd non datur ille status, quo rerum naturæ considerantur in ipsis, seu sunt in seipsis, dicentes purum esse essentiale præscindens ab esse existentiali; neque enim creaturæ, si loquamur de statu reali essendi, habent alium statum, quo sint in seipsis, præter illum, quo realiter existũt à parte rei in suis indiuiduis; si enim concedendus esset alter status possibilitatis, quo res secundùm esse possibile essent in seipsis, deberent huiusmodi res includere suam existentiam essentialiter acceptam: habet enim & existentia suam propriam quidditatem, quæ in eo consistit, quòd facit res existere ex vi sui effectus formalis, quem illis exhibet, nec minus ipsa possibilis est, quàm sit possibile reliquum esse essentiale rerum; vnde deberet ipsa quoque includi in illo esse, quod possibilia in seipsis dicerent: quod tamen impossibile est, quia sicuti ex eo, quòd cæteræ rationes formales includuntur, exhibent suum effectum formalem, vt v. g. in natura hominis rationalitas, illi exhibet effectum formalem, qui est reddere illam rationalem,

Quid dicant possibilia à parte rei.

Quid dicendũ de statu possibilitatis.

vnde

vnde homo possibilis verè est rationalis, & si haberet proprium esse in seipso, verè in seipso esset rationalis; ita etiam existentia, quandocunque exhibetur, debet ponere in re, cui exhibetur proprium effectum formalem, qui est reddere existens, vnde si in possibilibus includeretur existentia, proculdubio existerent, quod implicat, quia si existerent iam trãsissent de possibilitate ad actum, quòd est impossibile. Et hoc etiam argumentum conuincit, quòd possibilia non possint esse aliquid in seipsis. Res igitur omnes solùm vnicum statum habent, quo in seipsis sint aliquid, habent verò alios status essendi; nam existunt virtualiter in causa, & suis exemplaribus, qui est status possibilitatis. Rursus existunt etiam obiectiuè in intellectu concipientis ipsa possibilia, quatenus prouenire possunt à diuina virtute, & tunc habent esse intentionale. Præter autem hos status nullus alius assignari potest, qui vere reperiatur, & conformis sit naturis rerum. Vnde cum D. Th. quodlib. 8. art. 1. assignat triplicem statum naturæ: Primum quidem, quo natura existit in singularibus, vt natura hominis in Petro, & Paulo, atque cæteris indiuiduis; alterum, qui importat esse intelligibile secundùm quod res obiectiuè existunt in intellectu; & tertium; quo natura consideratur in seipsa, non intelligit per hunc tertium statum res possibiles, quatenus in seipsis sint aliquid, sed intelligit illud esse essentiale naturæ, quod est in indiuiduis consideratum absque indiuiduatione, secundùm pura essentialia; quod satis inde colligitur, quia ait, naturam secundùm hunc statum abstrahere ab illo modo essendi, quo est in indiuiduis; si autem possibilia haberent statum possibilitatis, in quo essent aliquid in seipsis, non abstraherent secundùm illud suum esse ab indiuiduatione, sed illam vtique dicerent, quemadmodum dicunt etiam in statu existentiæ, quia hoc solum discrimen esset inter statum existentiæ, & possibilitatis, quòd status existentiæ diceret in actu id, quod dicit status possibilitatis in potentia, vnus autem status diceret totum id, quod dicit alter.

Triplex status rerum. D. Th.

XI. Secundò etiam colligitur quomodo huiusmodi connexiones prædicatorum essentialium, & simul rerum essentiæ, quæ ex ipsis coalescunt, dicantur æternæ. Cum enim rerum essentiæ, atque hæ connexiones, vt iam dictum est, habeant solum fundamentum in diuina potentia, & diuinis Ideis, ita vt extra Deum nihil sint, nisi actu existant, aut à parte rei, aut in aliquo intellectu obiectiuè, atque existere à parte rei, seu in intellectu obiectiuè contingens sit, & in tempore, concludendum est, quòd solùm ratione ipsius Dei, in quo ratione Idearum, & virtutis operatiuæ continentur, habeant æternitatem, qua perpetuo sint. Quod etiam declarauit D. Thom. quæst. 1. de Verit. artic. 5. ad 11. & artic. 6. ad 2. & 3. atque 1. par. quæst. 10. artic. 3. ad 3. vbi ait: *Dicendum, quòd necessarium significat quemdam modum veritatis. Verum autem secundùm philosophum 6. Metaphys. est in intellectu. Secundùm hoc igitur vera, & necessaria sunt æterna, quia sunt in intellectu æterno, qui est intellectus diuinus solus.* Quod etiam habet quæst. 16. artic. 7. in resp. ad 4. quia tamen prædicatorum connexiones, prout repræsentatiuæ continentur in Deo, non sunt aliquid distinctum à Deo, neque etiam habent distinctam æternitatem ab æternitate ipsius. Quare vt aliquo modo tribuatur aliqua propria æternitas, ita philosophandum est; quod quia hæc possibilia, & hæ connexiones prædicatorum non habent aliquod proprium esse in seipsis, & consequenter nec possunt habere in seipsis aliquam æternitatem, solùm dicantur æternæ hæ connexiones, veluti in actu primo, atque in eo consistat earumdem æternitas, quòd, quantum est de se, ab æterno aptæ fuerint, vt haberent esse obiectiuum in aliquo intellectu, si extitisset, qui eas de esse virtuali extraxisset ad esse formale obiectiuum, seu intentionale, & semper poterunt extrahi independenter à quacunque differentia temporis. Atque hic est vnus modus, quo rerum essentiæ dici possunt æternæ, & qui facit modo ad nostrum propositum, quia tenemur explicare, quomodo sint æternæ, quamuis in seipsis non sint aliquid, antequam producantur. Alio etiam modo dici possunt æternæ, si in vniuersali sumantur; sed de illo agemus cum de natura, quatenus vniuersalis est, pertractabimus.

Quomodo connexiones prædicatorum dicantur æternæ.

D. Th.

XII. Atque ita dicendum est, quod spectat ad æternitatem essentiarum; Quod verò spectat ad necessitatem,

Quomodo rerum essentiæ necessariæ.

nam quamuis ambo connexæ sint formaliter, tamen aliud est loqui de æternitate, & aliud de necessitate: vel enim potest considerari necessitas adæquata, prout dicit necessitatem totius essentiæ, vel prout dicit necessitatem, qua vnum prædicatum connectitur cum alio. primo modo essentiæ rerum necessariæ sunt, quia necessariæ sunt ideæ diuinæ, atque diuina potentia, vnde consequuntur. Si verò consideretur necessitas, qua vnum prædicatum connectitur cum alio, hæc quoque radicaliter habetur ab ideis diuinis, quia scilicet repræsentant talia prædicata connexa, & non alia; redundat tamen hæc necessitas in naturam eorumdem prædicatorum, vnde ab intrinseco suo petunt connecti; quemadmodum etiam si concipiantur totales essentiæ, ipsę quoque habent intrinsecam necessitatem suę possibilitatis; quę similiter redundat in ipsas ex diuina potentia, atque Ideis. Imò etiam quando tales essentiæ concipiuntur ab aliquo intellectu obtinent in seipsis quamdam perpetuitatem, ex vi cuius exigunt semper suo modo proportionato fuisse, hoc est ita fuisse virtualiter in Deo, tanquam in causa, & tanquam in exemplari, vt quantum erat de se poturrint semper concipi.

Vnde veritas connexionũ prædicatorum, & quomodo necessaria.

XIII. Et quod spectat ad necessitatem connexionis, qua vnum prædicatum connectitur cum alio, aduertere oportet, quòd in diuinis ideis aliqua prædicata repræsentantur connexa in ordine ad vnam aliquam naturam constituendam; alia verò repræsentantur, non quidem connexa in ordine ad aliquam naturam, sed quòd possint connecti, ita tamen, vt ex hac connexione non consurgat vnum per se, seu vna natura, sed vnum accidentale, aut aliquid aliud. Hinc autem fit, quòd quædam connexiones prædicatorum in rebus sunt essentiales, & necessariæ, aliæ vero accidentales, quia redundat in res id, quod repræsentatur in Ideis diuinis; vnde si repræsentantur vt necessariò connexa, etiam in rebus sunt necessariò connexa; si verò non repræsentantur vt connexa, sed quòd possint connecti, etiam in ipsis rebus solùm possunt connecti, non autem sunt necessariò connexa, & hæc est tota radix, cur aliquæ connexiones sint necessariæ, aliquæ verò accidentales, & contingentes, vt homo albus.

Vtrumque igitur genus propositionum continetur in Ideis diuinis, & vtrumque habet necessitatem, seu necessariam veritatem, cum hoc tamen discrimine, quòd veritas necessaria in connexionibus essentialibus est secundùm actualem connexionem, seu cadit necessitas supra actualem connexionem; in cæteris verò non cadit supra actualem connexionem, sed supra aptitudinalem, quia scilicet non ea repræsentat, vt actualiter connexa, sed vt ea, quæ possunt connecti. Hinc vtrumque genus connexionis habet veritatem perpetuam, & necessariam in intellectu diuino, sed cum hoc discrimine, quòd vnum est tale secundùm actualem connexionem; alterum verò secundùm aptitudinalem; & hoc pacto explicatur, quomodo etiam in mente diuina connexiones prædicatorum fluent necessitatem, & contingentiam; & vtraque possit ex ideis diuinis in ipsas cõnexiones obiectiuè sumptas redundare.

Positis cõnexionibus prædicatorũ essẽtialiũ æternis, essentiæ quoque erunt æternæ.

XIV. Tertiò ex dictis deducendum est, quòd non rectè aliqui distinguunt connexiones prædicatorum ab ipsis essentijs, dicentes, quòd connexiones quidem sunt æternæ, & habent perpetuam veritatem, non autem rerum essentiæ. Non inquam rectè distinguunt, quia rerum connexiones nihil aliud sunt, nisi ipsa prædicata quidditatiua, quibus rerum essentiæ constituuntur inter se vnita; statim autem, ac intelliguntur vnita prædicata quidditatiua, quibus aliqua essentia coalescit, intelligitur etiam ipsa essentia, quia ex partibus consurgit totum, & statim ac partes vniuntur, intelligitur etiam consurgere totum. Et quemadmodum non rectè quis diceret, quòd partes, quibus compositum physicum coalescit, nempè materia, & forma sunt ab æterno, & etiam ab æterno vnitæ, & postea, quòd compositum, quod ex ipsis consurgit, non est ab æterno; ita neque quis rectè dicit, quòd prædicata quidditatiua sunt ab æterno inter se connexa, & habent hæ connexiones perpetuam veritatem; & quòd essentia, quæ ex connexione talium prædicatorum consurgit, non est ab æterno, nec perpetuæ veritatis. Imo addo, quòd diuinæ ideæ in tantùm repræsentant connexiones prædicatorum essentialium, in quantum repræsentant essentias ipsas, vnde si ratione diuinarum Idearum habent cõ-

ne-

nexiones prædicatorum essentialium, quòd sint æternæ, & perpetuæ veritatis; multò magis id habent essentiæ. Et confirmatur, quoniam veritas obiectiuè sumpta est passio entis intimè connexa cum ipso, atque inseparabilis omnino, ergo non potest esse veritas rei, nisi sit etiam esse rei. Illa autem connexio prædicatorum essentialium obiectiuè sumpta, importat veritatem essentiarum; si ergo ipsa est æterna, & perpetuæ veritatis, eodem pacto etiam se debet habere essentia, cuius ipsa est veritas.

Rerum essentias dicere veram rationem entis.

SECTIO V.

I. HIc se se offert alter punctus præsentis difficultatis, quia si, vt diximus, rerum essentiæ, & possibilia non sunt aliquid in seipsis, iam concludendum videtur, quòd neque dicant veram rationem entia. Econtra verò, cum contradistinguantur à nihilo, & habeant inter se propriam diuersitatem essentialem, non secus ac habent in statu actualitatis, atque importent rei possibilitatem positiuam, non apparet, quòd hæc omnia saluari possint, absq; eo, quòd dicant veram rationem entis. Itaque pro resolutione ponimus vltimam nostram conclusionem, nimirum, rerum essentias siue considerentur in vniuersali, siue vt sunt immersæ in indiuiduis, præcisa actualitate, seu existentia, adhuc dicere veram rationem entis; quod tamen ita debet intelligi; non quòd dicat rationem entis in seipsis, antequam extrahantur de diuina potētia, atque diuinis Ideis, quia cum quicquid ens est præter Deū, sit quid participatum ab ipso, debet per quamdam communicationem esse participatum ab ipso, & ideo antequam extrahatur de diuina potentia, & diuinis Ideis, non potest esse aliquid. Quia tamen antequam producatur, potest extrahi de diuina potentia, atque Idea, secundùm esse obiectiuum, quo res promonetur ad esse intentionale, idcirco secundùm hoc esse obiectiuum, rerum essentiæ important veram rationem entis, ita vt nedum dicant rationem entis, prout in intellectui per actū intellectionis repræsentantur, seu prout elucent in illo actu intellectionis, sed etiam prout sunt terminus, & obiectum eiusdem intellectionis, ita vt intellectio illa repræsentet aliquid, quod dicat veram rationem entis. Ita præcipuè inter alios docet etiā Caiet. cap. 4. De ente & essent. quæst. 6. vbi docet, Ens reale dupliciter accipi, & prout contradistinguitur ab ente rationis, & prout contradistinguitur ab ente existente.

Vltima conclusio Rerum essētiæ præcisa actualitate dicunt verā rationē entis.

II. Atque hæc conclusio, quamuis à nonnullis negetur, mihi tamen videtur euidentissima, vnde pro ipsa sic argumentor primò. Quòd continetur in virtute Dei productiua, est ens in potentia, hoc est, non in seipso, sed in virtute causæ; atque si ab ipsa trahatur ex, fit ens in seipso; hoc enim pacto res se habet, quòd causa contineat effectum, qui quandiu in ipsa latet, non habeat in seipso illud esse, quod habet in causa, at verò statim ac ab ipsa extrahitur, acquirat illud esse in seipso, quod habebat in causa, sed quando intellectus concipit id, quod potest producere causa, præcisè extrahit secundùm esse obiectiuum tale esse à virtute causæ, & facit quòd in seipso illud contineat, tunc enim effectus obijcitur intellectui secundùm proprium esse, quod causa potest illi communicare, ergo in seipso secundùm esse obiectiuum dicit veram rationem entis. Et, quod aduertendum est, posita causa productiua alicuius effectus, est talis naturæ, vt exhibeat intellectui, tanquam ab ipso conceptibile, illud esse, quod potest effectui communicare, vnde etiam est talis naturæ, vt si intellectus illam cognoscit, possit extrahere ab ipsa effectum, atque illum promonere ad existendum in esse obiectiuo. Quòd etiam confir. quando effectus extrahitur à causa à parte rei secundùm esse actuale, acquirit in seipso veram rationem entis actualis, ita vt existat in seipso, tanquam verum ens actuale, ergo seruata proportione, quando extrahitur ad esse obiectiuum, adhuc seruat veram rationem entis in esse obiectiuo. Atque possumus etiam rationem huius rei à priori assignare: quia intellectus ex eo, quòd concipit aliquid, non tollit ab ipso veram rationem entis, sed illi repræsentat totum id, quod dicit obiectum, & si obiectum dicit veram rationem entis, etiam intellectui repræsentatur vera ratio entis, & si non dicit veram rationem entis, neque etiam intellectui repræsentatur vera ratio entis, ita vt, quantum est ex vi con-

Caiet.

1. ratio.

Ens extractum de potentia sit ens in seipso.

Dum intellectus concipit possibilia concipit esse reale, quod est ipsis cōmunicabile.

ceptionis obiectum nihil minus habeat in esse obiectiuo, quàm habeat in seipso. Præterea, quando intellectus concipit aliquid possibile, siue essentias rerum, concipit illud ipsum esse, quod Deus communicat rebus, quando illas ponit in actu, sic quando concipit hominem possibilem, concipit illud esse, quod communicatur homini actuali; ergo possibilia, & rerum essentiæ in esse obiectiuo, quando ab intellectu concipiuntur, dicunt veram rationem entis, quia important illud esse, quod verè communicatur ipsis rebus, quando ponuntur in actu, quod sanè est verum ens, & solùm discrimen est, quòd quando communicatur ipsis rebus, est actuale, quando verò res non sunt in actu, est tantùm obiectiuè intellecta.

2. ratio.

III. Secundò argumentari possumus ex natura obiecti intellectiui, quod ita contradistinguitur à nihilo, vt possit esse obiectum intellectus per se, & non ratione alterius, quod addo ad differentiam entis rationis, quod est obiectum intellectus, non quidem ratione sui, sed ratione entis realis, quod illi applicatur. Quod, inquam, potest esse per se obiectũ intellectus, participat veram rationem entis, nam ratio propria obiecti intellectus est ratio entis, quatenus verum est, vnde quicquid attingitur ab intellectu, secundùm hanc rationem debet attingi, hinc etiam non entia non possunt concipi, nisi secundùm rationem entis realis, seu ad similitudinem entis realis concipiantur. Sed possibilia, & rerum essentiæ attinguntur tanquam proprium obiectum ab intellectu, vt experientia patet, cognoscimus etiam multa, quæ non sunt, sed tantùm possunt esse, vt alterum mundum, & alia huiusmodi; rursus possumus concipere res, quæ existunt præscindendo, ab earumdem actualitate, & concipiendo solùm ipsarum essentialia; cum igitur possint esse per se proprium obiectum intellectus, etiam importabunt veram rationem entis.

Verum obiectum intellectus verũ ens.

Quam rationem possumus confirmare, procedẽdo ex passionibus ad subiectum; est enim inter passionem, & subiectum necessaria connexio, vt vbi est vnum, erit etiam necessariò alterum: sed in possibilibus, & rerum essentijs, quas concipimus, adsunt passiones entis, ergo etiam vera ratio entis. Quòd passiones entis in ipsis reperiantur, euidens est; nam imprimis vnaquæque essentia est in diuisa in se, & diuisa à quacunque alia; vnde est vna; est intelligibilis, nam de facto intelligitur, & idcirco est vera, & cum habeat propriam perfectionem, habet etiam propriam bonitatem, quæ in perfectione fundatur.

Aliquorũ responsio

IV. Dicet aliquis: Has rerum essentias dicere quidem aliquam rationem entis, non tamen esse ens simpliciter, sed tantùm in potentia, quod dicit posse esse ens, non autem esse de facto ens. Sed reijcitur hæc respõsio, quia aliud est esse ens actuale, & aliud est ens verũ quidem est, quòd rerum essentiæ, antequam producantur, non sunt de facto ens actuale, sed tantùm possunt esse; attamen, si concipiantur ab intellectu in esse obiectiuo, obtinent veram rationem entis, præscindentem tamen ab actualitate, quod conuincitur per rationem factam, quia scilicet reperitur in ipsis ratio formalis obiecti intellectiui, & reperitur in ipsis illamet ratio entis, quam dicerent, si actu existerent. Rursus in ipsis reperitur vera, & propria ratio formalis, quam dicunt passiones entis: simpliciter enim hæ essentię sunt indiuisę in se, & diuisę à quocunque alio, & sic etiam contingit in cæteris passionibus; ratio autem propria passionis non potest stare sinè ratione propria subiecti: quod prętere a confir. quoniam rationes formales rerum præscindunt ab actualitate, & existentia, vnde existentia non est de essentia alicuius rei creatæ, sed optimè saluatur ratio essentialis absque ratione existentiæ, ergo idem dicendum est etiam de ratione formali entis, & ideò poterit propriè, & simpliciter reperiri in rerum essentijs absque eo, quòd actu existant.

Refellitur.

Rerum essentiæ præscindunt ab actualitate.

3. ratio.

V. Et possumus tertiam rationem formare in declarationem nostræ sententiæ, exemplo vniuersalis. Natura enim vniuersalis, quando abstrahitur ab indiuiduis, pręscindit etiam ab omni existentia, nequit enim existere, nisi immersa in indiuiduis; nihilominus tamen est ens, quia retinet totum illud, quod habet in indiuiduis, pręcisa indiuiduatione, & existentia, & consequenter retinet etiam rationem entis, quam dicunt indiuidua actualia. Ex hoc autem colligimus, quòd non sit necessaria existentia, seu actualitas rei, vt habeatur vera ratio entis, sed optimè saluari potest in sola essentia præcisè considerata: vnde concludendum est, quòd rerum es-

Natura præcisa existẽtia, & indiuiduatione adhuc est reale.

sentię, & possibilia, dum obijciuntur intellectui, obtineant veram rationem entis, licèt non habeant esse actuale à parte rei. Quid enim interest, si concipiamus essentiam producibilem, seu, quod idem est, possibile aliquod, ac si ab indiuiduis existentibus præscindamus naturam communem? vtroque enim modo semper deficit actualitas; si ergo dum præscinditur natura communis, habemus in esse obiectiuo aliquid, quod dicit veram rationem entis, etiam habebimus in esse obiectiuo veram rationem entis, quando concipiemus essentias rerum cum indiuiduatione nondum existentes, sed tantum possibiles. Quæ ratio vrgeri potest ex obiectis scientiarum; etenim scientiæ considerant nudas rerum essentias, præscindendo ab omni actualitate; quid enim interest ad scientiam, quòd suum obiectum existat, vel non existat, cum illud consideret tantùm in vniuersali? Quis autem dicat, quòd obiecta scientiarum non habent veram rationem entis, cum specificent scientias positiuas reales, & importent naturas rerum? certè nullum maius absurdum dici posset, quàm obiecta scientiarum non dicere veram rationem entis. Quod autem dicimus de rerum essentijs in communi consideratis, dicendum est etiam de ijsdem, prout immersæ sunt in indiuiduis, quia tunc dicunt totum id, quod dicunt in communi, & insuper addunt indiuiduationem. Hinc etiam est, quòd definitio explicat essentiam rei realem, & positiuam, & ipsum esse rei verum, nedum secundùm rationem entis, vt sic, sed etiam secundùm rationem talis entis, & tamen definitio præscindit ab actualitate rei definitæ; hoc est, non explicat rem existentem, sed solùm naturam rei, præscindendo ab eo, quod existat, vel non existat, alioquin non posset esse medium demonstrationis, cum demonstratio sit tantùm ex vniuersalibus, & præscindētibus ab existentia; vnde etiam ex hoc capite concluditur, quòd extra statum realis existentię, reperiatur vera ratio entis, & proinde quando essentiæ rerum, & possibilia habent esse obiectiuum in intellectu, obtinere veram rationem entis, quandoquidem obijciuntur secundùm propriam naturam, & si in communi considerentur, sunt definibilia, & possunt esse obiectum scientiæ.

Definitio est circa essentias, vt sūt qd reale.

VI. Rursus etiam formare possumus quartam rationem ex parte diuinarum idearum. Rerum enim essentiæ exēplificantur in ideis diuinis, vtpotè quia repræsentāt totū id, quod à Deo fieri potest. Si ergo antequam ponātur in esse, ab aliquo intellectu concipiantur, necessariò dicent in illo esse obiectiuo veram rationem entis. Cum enim inter ens, & non ens, non detur aliquod medium, necessariò vel habebunt veram rationem entis, vel erunt non ens, & nihil: hoc autem dici non potest, quia tunc Ideæ diuinæ repræsentarent non ens, quòd falsum est, cum repræsentent solùm vera entia positiua. Quòd si quis dicat, Ideas diuinas repræsentare id, quod esset ens, si esset in actu, non autem quod tunc sit ens. Vrgeri potest, quòd tunc quidem illud, quod repræsentatur, non est verè ens in se, vt supra etiam probatum fuit, tamen si aliquis intellectus concipiat id, quod repræsentatur per Ideas diuinas, verè concipit illud esse, quod haberet res repræsentata, si actu existeret; illud autem esse est verè ens, ergo, quod tunc obijceretur intellectui, est verè ens. Secundò inquiro, an tunc intellectus verè concipiet terminum illius repræsentationis Idealis, vel non. Hoc secundum est contra suppositum, supponimus enim, quòd tunc verè intellectus concipiat id, quod repræsentat Idea. Si ergo concipit verum terminum Ideæ, oportet, quòd concipiat verum ens, non enim de facto repræsentatur per Ideam aliquid aliud, præter verum ens; & quemadmodum in Idea continetur, tanquam in repræsentante, vera ratio entis, ita etiam quando intellectus concipit, quod repræsentat idea, de facto concipit verum rationem entis, & obiectum illius intellectionis dicit veram rationem entis, quemadmodum dicit Idea in repræsentando; quod enim repræsentat Idea, dicit etiam conceptus obiectiuus, quem format intellectus ex vi Ideæ. Hinc quando concipimus terminos harum Idearum, concipimus in ipsis aliquas rationes, quæ consistere non possunt sine vera ratione entis, illas nimirum, quibus vniuscuiusque rei propria essentia constituitur, sic quādo concipimus terminum Ideæ hominis, concipimus in ipso rationalitatem animalitatem, & cæteras rationes, quæ ex vi talis Ideæ repræsentantur; quis autem non videt, quòd huiusmodi rationes con-

4. ratio.

Terminus idearū diuinarū verę ens quādo ab intellectu cōcipitur

Ideæ repræsētāt aliquid reale.

sistere non possunt sine vera ratione entis?

4. ratio.

VII. Denique ad conuincendum, quòd rerum essentiæ in esse obiectiuo dicant veram rationem entis, vti possumus efficacissima ratione; Nihil est magis verè tale, quàm ratio formalis vniuscuiusque rei, nihil enim est magis verè homo, quàm ipsemet homo, nihil magis calor, quàm ipsemet calor, & eadem inductio fieri potest de cœteris; vnde nihil magis verè est ens, quam ipsum ens. Cœterum ratio formalis entis clauditur intra ordinem illum, in quo rerum essentiæ præcisa existentia continentur, nam cùm ex natura sua sit quid transcendens, imbibitur in quacumque ratione quidditatiua, & sicut intra ordinem rerum actualium est fundamentum totius realitatis actualis, ita intra ordinem essentiarum est fundamentum cuiuscumque essentiæ. Cum igitur in rerum essentijs, quas præcisa existentia concipimus, inuoluatur vera ratio formalis entis, quis negabit, importare rerum essentias veram rationem entis. Atque hoc ipsum extendi debet ad cœteras rationes inferiores entis, quæ secundùm proprium esse formale inuoluuntur in rerum essentijs; vnde concludendum est, quòd rerum essentiæ in esse obiectiuo nedum dicant veram rationem entis vt sic, sed etiam talis, & talis entis.

Ratio formalis cuiuscumque facit vt illam participans sit vere tale.

VIII. Ex his autem, quæ diximus, colligitur, quid sint possibilia, & quomodo ab impossibilibus distinguantur. Nihil enim in seipsis sunt possibilia, vt abundè declarauimus; vnde nihil etiam in se habent, per quod ab impossibilibus contradistinguantur. Dicunt ergo potentiam Dei, in cuius virtute continentur, & ideas diuinas, per quas repræsentantur; ita vt ex vi huius potentiæ, atque harum idearum habere possint esse obiectiuum in intellectu, atque in hoc suo esse dicant rationem veri entis, præcisa tamen actualitate, in quo contradistinguuntur ab impossibilibus, quæ non habent potentiam productiuam, in cuius virtute contineantur; neque in diuinis Ideis repræsentantur, & ideò ex hoc sequitur, quòd nequeant habere verum esse obiectiuum in intellectu, nisi fortè ad modum entis possibilis repræsententur, nec in se continent veram rationē entis. Quamobrem cum possibilia dicuntur habere intrinsecam possibilitatem, quæ ab intrinseco suo possibilia sint, non debet intelligi, quòd illam habeant præciso esse obiectiuo, sed quòd, dum concipiuntur ab intellectu cum illo esse, quod ijs causa potest communicare, in eo illo esse intrinseca possibilitas, quatenus illud esse in se non inuoluit contradictionem, & illi non repugnat posse communicari effectiui. Hinc etiam intelligitur, cur Arist. ea, quæ actu non existunt, vocauerit non entia, quia scilicet, præciso esse obiectiuo, in seipsis nihil sunt; non autem quòd, quando obijciuntur alicui intellectui, non obijciantur secundùm veram rationem entis, & sic semper in esse obiectiuo sunt vera entia, quamuis, si non existunt in seipsis, nihil sint. Similiter etiam colligitur, quid dicendum sit ad illud, quod obijci solet. Quòd videlicet, Petro corrupto, non amplius forma sit vnita materiæ, & proinde nec etiam amplius sit homo; vnde, cum eadem sit ratio de omnibus indiuiduis, colligi videtur, quòd si nullum esset indiuiduum, non haberetur esse reale hominis, & cum eadem sit ratio de cœteris essentijs, si illum indiuiduum ipsarum existeret, neque etiam vlla essentia importaret suum proprium esse reale. Ex hoc enim tantùm infertur, quòd homo non importaret suum esse reale in seipso, vt iam diximus, quia non haberet propriam essentiam communicatam. Cui congruit, quod docet Arist. lib. 2. Periher. cap. 2. inquiens, *Sed quando in adiecto quidem aliquid oppositorum insit, quod consequitur contradictio, non verum, sed falsum est, vt hominem mortuum, hominem dicere*. Quia scilicet illud cadauer, quod nos hominem appellamus, non habet vnitam formam dantem esse hominis, nempe animam rationalem, ideò non est homo: sed est tantùm corpus hominis. Non sic autem contingit in esse obiectiuo, quia quando intellectus concipit hominem possibilem, concipit formam vnitam materiæ, & ideò in esse obiectiuo adest vera essentia hominis.

Quomodo possibilia ab impossibilibus distinguantur.

Quomodo possibilia habeant intrinsecā possibilitatē.

Soluitur obiectio.

Quomodo corruptis indiuiduis nō adsit vera essentia.

Arist.

Satisfit rationibus in oppositum.

SECTIO VI.

I. PRo complemento huius disputationis respondendum est rationibus aliarum sententiarum. Ad primam ergo primæ sententiæ neganda est illa

Ad argumēta primæ sent.

se-

ſequela, qua inferebatur, quòd ſi rerum eſſentiæ non haberent aliquod eſſe actuale, vnum nihil eſſet magis nihil, quàm aliud. Et cum in probatione dicitur, quòd creaturæ non repugnat exiſtere, chimeræ autem repugnat exiſtere, & ideò chimera eſt magis nihil, quam creatura; dicendum eſt ex hoc ſequi, quòd creatura non ſit merè nihil, ſeu non ſit ſimpliciter nihil, nam dum illi non repugnat exiſtere, continetur in virtute alicuius cauſæ, & poteſt habere eſſe obiectiuum reale, in quo, vt diximus, contradiſtinguitur ab impoſſibili. Quare creatura antequam exiſtat, eſt tantùm nihil in ſeipſa, non autem ſimpliciter, & ideò non eſt magis, aut minus nihil, loquendo de nihilo ſimpliciter. Cum autem dicitur vnum nihil non eſſe magis nihil, quàm alterum, comparari debent duo nihila ſimpliciter, & ſi comparetur nihilum ſimpliciter, & nihilum ſecundùm quid, tunc concedi poteſt quod nihilum ſimpliciter ſit magis nihil, quàm ſit nihil ſecundùm quid.

Quomodo poſſibilia non ſint merè nihil.

II. Atque ex hac reſpōſione colligitur etiam reſponſio ad ſecundam rationem pro eadem ſententia. Eſt enim impoſſibile, quòd nihilum ſimpliciter fiat ens, ſic chimera, quia eſt nihilum ſimpliciter, impoſſibile eſt, quòd fiat ens; quia tale nihilum eſt omnino impoſſibile, nec habet potentiam ad exiſtendum. At quod eſt nihil in actu, atque in ſeipſo, aliquid tamen in potentia, poteſt fieri ens, quia poteſt tranſire de potentia ad actum: & hoc contingit in rerum eſſentijs, quæ quamuis, antequam producantur in ſeipſis, ſint nihil; ſunt tamen aliquid in potentia, quia præcedit cauſa, in cuius virtute continentur, & in Deo ad ſunt exemplaria, quibus repræſentantur.

Ad ſecundum.

Quod eſt nihil in ſeipſo poteſt fieri ens ſi ſit aliquid in potentia.

Tertia verò ratio peteret ſolutionem difficultatis Theologicæ, quomodo ſcilicet Deus cognoſcat poſſibilia, ſed quia res eſt longioris diſputationis, idcirco pro ſolutione nunc dicimus, quòd Deus non cognoſcit poſſibilia in ſeipſis, tanquam haberent aliquod eſſe in ſeipſis, ſed cognoſcit in ſeipſis eſſe nihil, & ſolùm poſſe eſſe aliquid, ſi illis communicet eſſe, quod poteſt communicare; cognoſcit autem, quodnam eſſe poſſint habere, ſeu poſſit illis communicare, ex vi ſuarum Idearum, quæ repræſentant creaturas, non quemadmodum ſunt, ſed quemadmodum eſſe poſſunt. Quamobrem non ſequitur, quòd rerum eſſentiæ debeant eſſe aliquid in ſeipſis, quia non cognoſcuntur tanquàm obiectum diuini intellectus, quod actu habeat ſuū eſſe, ſed tantùm quod poſsit habere, & quòd tale eſse virtualiter contineatur in Deo: Quemadmodum contingit etiā noſtræ cognitioni, quando cognoſcimus aliquid poſsibile; tunc enim obijcitur nobis verum eſſe reale, ſed tamen quod ſolùm virtualiter in cauſa contineatur, & communicari poſsit tali effectui, non autem quòd actu ſit in effectu: vnde obiectum intellectus ſeruat tunc debitam proportionem cum potentia, & tamen non ſequitur, quòd tale obiectum ſit aliquid in ſeipſo, ſed ſolùm in virtute cauſæ.

Ad tertiū.

Quomodo Deus cognoſcat poſſibilia.

III. Ad quartam iam patet ex ijs, quæ diximus ſectionibus præcedentibus. Verùm quidem eſt, quòd connexiones prædicatorum eſsentialium ſunt ab æterno, atque quòd debent fundari in re illa, cuius ſunt prædicata, & connexiones; non eſt tamen neceſse, quòd res illa ſubſiſtat in ſeipſa tanquam habens in ſeipſa proprium eſse, ſed ſufficit quòd contineatur in cauſa, & repræſentetur per aliquam ideam; vt contingit in poſsibilibus, quæ continentur in virtute Dei, & repræſentantur per diuinas Ideas, ita vt in ipſis appareant connexiones illæ prædicatorum eſſentialium, quibus tales eſsentiæ coaleſcūt, & hoc ſufficit, vt connexiones prædicatorum ſint ab æterno, quia nimirum cum ideæ, in quibus repræſentantur, ſint ab æterno, etiam ab æterno ſunt connexiones repræſentatæ modo ſupra explicato, nempe quia ſemper etiam ab æterno poterant, quantum de ſe, eſſe obiectum alicuius intellectus.

Ad quartum.

Quid requiratur vt connexiones prædicatorū conſiſtant.

IV. Denique ad vltimam rationem pro illa ſententia reſpondetur, quòd non poteſt fieri illa commutatio proportionum, niſi intellectus concipiat terminos illarum proportionum, & conſequenter etiam concipiat poſſibile, ſi autem poſſibile ab intellectu concipiatur, tunc habet eſſe obiectiuum, atque adeo obijcitur, vt verum ens; concipit enim intellectus, vt toties diximus, illud ens quod continetur in virtute cauſæ; & hoc pacto nihil infertur ex illa commutatione proportionum, quod ſit contra noſtram ſententiam, nam tunc ſufficit, quòd poſſibile ſit ens in eſſe obiectiuo, nec re-

Ad quintum.

Qualendǫ ns coincidat cū poſſibili.

qui-

quiritur, quòd sit ens in seipso. Vnde adhuc respondetur, quod omne non esse est impossibile & omne impossibile est nō ens, intelligendo tamen de non ente simpliciter. Et econtra omne ens est possibile, & omne possibile est ens. Sed possibile non est ens in seipso, quia tunc esset aliquid actuale, sed est tantùm ens in virtute causæ, & in esse obiectiuo; vnde conceditur, quod omne non ens sit impossibile, sed negatur, quòd possibile sit non ens, quamuis in seipso non sit aliquid. Vel enim possibile concipitur, vt est in virtute causæ, & sic est aliquid in ipsa, vel vt est aliquid contradistinctum ab ipsa, & tunc si remanet intra statum possibilitatis habet tantùm esse obiectiuū in intellectu, & similiter tunc includit veram rationem entis.

Ad rationes secundæ sententiæ.

V. Quòd autem spectat ad rationes secundæ sententiæ, ad primam Hurtadi dico, quòd potentia, prout potentia est, excludit actum sibi correspondētem, hoc est actus correspondens potentiæ non includitur formaliter in ipsa potentia. hinc posse esse excludit esse, prout ly Esse est actus potentiæ ad essendum; est autem solùm actus talis potentiæ prout dicit actualitatem essendi, & esse aliquid in seipso, & ideò possibile, cum dicat potentiam ad essendum, excludit à se actualitatem essendi, & esse aliquid in seipso, vt sectionibus præcedentibus explicatum fuit, non hinc tamen sequitur, quòd excludat à se veram rationem entis secundùm esse obiectiuum, quia iam diximus supra, cum ageremus de ente, quòd ens vt sic latius patet, quàm ens actuale, & comprehendit non solùm existentia, sed etiam possibilia; quæ quamuis non sint actualia, non sequitur, quòd in esse obiectiuo non sint simpliciter ens; quandoquidem participant rationem entis formalem, quod autem participat aliquam rationem formalem, est verè, & simpliciter tale, quale constituitur per illam rationem; quoniam rationes formales consistunt in indiuisibili, & secundùm se totas vnicuique se communicant. Ad confirmationem verò dicitur. Quòd si loquamur de ente essentialiter, seu nominaliter sumpto, falsum esse, quod negari possit de possibilibus; verè enim dicitur, siue homo existat, siue non, quod sit ens, substantia, animal rationale, & alia prædicata essentialia illi verè attribuuntur, quamuis non existat, quod signum est, in possibilibus obiectiuè considerans reperiri veram rationem entis. Si verò loquamur de ente participialiter sumpto, prout importat actualitatem essendi, potest quidem de possibilibus negari: non hinc tamen sequitur, quòd possibilia non dicant veram rationem entis in esse obiectiuo.

Quem actum potentia excludat.

De possibilibus dicūtur prædicata essentialia.

VI. Fundamenta autem, quæ afferunt Recentiores illi pro eadem sententia, nihil conuincunt contra nostram, vnde cum inquirunt, an essentia possibilis habeat quicquid spectat ad seipsam, respondetur, quòd non habet, & si haberet, optimè inde inferretur, quod esset existens, quia de facto participaret totum illud esse, quod potest illi à causa communicari. Cum verò inferunt, quòd est nihil, concedimus, esse nihil in seipsa, sicuti neque in se ipsa habet proprium esse, negamus verò, quod sit nihil simpliciter, ita vt non possit de ipsa enunciari ratio entis, quia reuera in esse obiectiuo habet proprium esse, & quando de ipsa prædicatur ens, prædicatur prout habet esse obiectiuum in intellectu. Ad confir. eodem modo respondendum est, scilicet quòd si rerum essentiæ possibiles haberent esse in seipsis, includerent etiam existentiam, & proinde existerent, vndè solùm ex hoc similiter concluditur, quòd non sint aliquid in seipsis, non autem, quòd non sint aliquid in esse obiectiuo.

Rerum essentiæ possibiles nō habent quicquid spectat ad earumdē esse.

VII. Ad alterum verò fundamentū dicendum est, quòd cum Arist. & communiter docent, quòd prius cognoscendum est, an res sit, deinde quid sit, non intelligunt de An sit quò ad existentiam, quia certum est, quòd scientiæ præscindunt ab existentia rerum, quas considerant, sed intelligunt de An sit quò ad essentiam; hoc est debet prius cognosci; an detur essentia rei, deinde quid sit talis essentia. Dicitur autem dari essentia rei, quando est conceptibilis ab intellectu, siue existat, siue non; & tunc est conceptibilis ab intellectu, vt iam diximus, quando in virtute Dei continetur, & per eius Ideas exemplificatur: vnde quamuis rerum essentiæ, antequam ponantur in actu in esse obiectiuo, habeant veram rationem entis, non sequitur, quòd possit prius cognosci, quid sint, quàm cognoscantur, an sint; quia semper præsupponuntur, quòd sint possibiles, & habeant esse obiectiuum in intellectu ante-

Quomodo debet prius essentia cognosci an sit, quam quid sit.

quam

Res annihilabiles solū quòad esse actuale.

quam de ipsis inquiratur, quid sint; vnde salnæ manent connexiones prædicatorum essentialium absque actualitate obiecti. Neque hinc sequitur, quòd non possit Deus annihilare res, quia quamuis remaneant in esse obiectiuo, in uirtute causæ, & Ideis, non tamen remanent in seipsis, & hoc sufficit, vt dicantur annihilari, quia tunc res annihilatur, vt nihil in ipsa remaneat de illo esse, quod habebat in seipsa. Quòd verò spectat ad separationem proprietatis à subiecto, an possit per Dei potentiam separari, examinabimus suo loco, quando de ipsis agemus. Nunc dicimus, quòd cum passiones sint necessariò connexæ cum subiectis; nam illis per se conueniunt, non possunt ab ipsis separari, saltem quòad essentialem, exigentiam, & hoc sufficit ad saluandam necessariam connexionem passionis cum subiecto, quia dato, quòd per Dei potentiam possint passiones realiter distinctæ (nam si non distinguuntur realiter, certum est nō posse separari) separari à subiecto, tunc necessitas connexionis, non erit secundùm actualem informationem, sed secundùm naturalem exigentiam, & essentialem.

Quomodo prædicata quiddita uia conueniāt rebus quādo non existunt.

VIII. Atque ex his, colligitur, quomodo vera sint ea, quæ de possibilibus enunciantur, vt cum dicitur, homo est substantia, loquendo de homine possibili: item cum dicimus, possibilia dicere relationem ad causam producentem. Hęc enim, & alia huiusmodi conueniunt essentijs possibilibus, quatenus habent esse obiectiuum in intellectu, quia cum intellectus concipiat proprium esse ipsarum, quod ijs potest a causa cōmunicari, consequenter cōcipit omnia prædicata, quæ ijs conueniunt, & tanquam quoddam esse in se subsistens comparat ad causam producentem, ex quo consurgit relatio producibilitatis ad ipsam. Quòd si dicas. Si prædicata quidditatiua conueniunt rebus, etiam si non existant, cum existere sit prædicatum quidditatiuum Dei, sequitur, quòd etiam si non existeret, adhuc illi conueniret existentia, quod implicat, vnde inferri videtur, quòd præcisa existentia, non conueniant rebus prædicata quidditatiua. Respondetur, quod cum existere sit de essentia Dei, si ab ipso tollatur existere, destruitur essentia ipsius; essentiæ enim consistunt in indiuisibili, & per ablationem cuiuscumque

Soluitur obiectio.

prædicati destruuntur, quemadmodum destruitur homo, si ab eo auferatur animalitas, aut rationalitas; cum igitur destruatur essentia Dei per ablationem actualis existentiæ, neque hoc, neq; aliud prædicatum, potest illi conuenire ablata existentia. Quare aduertendum est, quòd cum dicitur rerum essentijs, præcisa existentia, conuenire omnia prædicata quidditatiua, intelligi debet de ijs, quæ contingenter existunt, ita vt subsistant ablata existentia, quomodo enim si non subsistunt conuenient ipsis prædicata quidditatiua? Quod si præscindendo essentiam ab existentia auferetur aliquod prædicatum, quod conueniat ex vi existentiæ, certè hoc conuenire non potest rerum essentijs præcisa existentia.

An rerum essentiæ possibiles habeant causam.

Disp. LXXVII.

Punctus difficultatis. Ratio dubitandi. & Aliorum placita.

SECTIO I.

I. QVòd rerum essentiæ habeant causam secundùm statum actualitatis, constat ex dictis disp. præcedenti sect. 2. vbi ostendimus, quòd productio formaliter terminatur ad ipsam essentiam, quæ reperitur in re producta: vnde præsens quæstio non procedit amplius in hoc sensu, sed procedit de essentijs consideratis secundùm statum possibilitatis; quia autem in statu possibilitatis plura dicunt, nimirum virtutem productiuam Dei, in qua tanquam in causa continentur; diuinas Ideas, per quas repræsentantur; & illud esse obiectiuum, quod possunt habere in-

intellectu illaa concipiente antequã existant, præsens disputatio potest solùm procedere de essentijs possibilibus, prout habent esse obiectiuum in alicuius intellectu, antequam producantur; certum enim est, quòd neque virtus diuina, in qua continentur, neque similiter Ideæ habere possunt aliquam causam, cum sint æternæ, vt ipsemet Deus. Sed neque adhuc deuenimus ad punctum difficultatis, non enim difficultas est de quolibet genere causæ: nam certum est, quòd non possunt habere causam efficientem, à qua illud esse obiectiuum essentiale dependeat sumendo esse obiectiuum, prout dicit obiectum repræsentatum non verò prout dicit illam repræsentationem, quæ est formaliter in actu intellectus, quæ habet eamdem causam, quam habet ipsemet actus intellectionis. Ratio autem est, quia efficiens tendit ad actualitatem rei, vnde cum in statu possibilitatis nulla inuoluatur actualitas, nec respectu ipsius dari potest aliqua causa efficiens; solùm ergo habebit causam efficientem in ordine ad esse actuale.

Explicatur punctus difficultatis.

Solùm ergo difficultas est de causa exemplari, seu Ideali, nam de causis intrinsecis proportionaliter loquendum est, ac loquimur de esse actuali rerum; esse enim essentiale habebit proportionaliter easdem causas intrinsecas, quas habebit esse actuale. Et punctus difficultatis in eo consistit, an illud esse essentiæ, quod obijcitur intellectui, sit tale per ordinem ad causam exemplarem, quæ sit in mente diuina, ita vt ex vi suæ Ideæ communicetur illi illa possibilitas, seu illud esse possibile, cum quo intellectui objicitur, ita vt quælibet essentia talis sit, quia taliter repræsentatur à Deo, seu à diuinis Ideis; & quando illã concipimus, aliquid causatum à diuinis ideis concipiamus; an vero econtra, ita diuinæ Ideæ repræsentent, quia tali vel tali pacto ab intrinseco suo res exigat repræsentari.

Ratio dubitandi.

II. Ratio autem dubitandi est, Quia possibilitas ita videtur intrinseca vnicuique essentiæ possibili, vt non eam aliunde recipiat, sed omnino ex se habeat; vnde si inquiramus, cur chimera habeat repugnantiam ad existendum, homo verò non habeat, optimè respondetur, quia chimera inuoluit intrinsecam impossibilitatem, homo verò non inuoluit, ergo rerum essentiæ habent ex se suam possibilitatem, & non ab aliqua causa Ideali. Et augetur etiam difficultas, quia diuina potentia potest facere quicquid est possibile: & diuinæ Ideæ, cum sint infinitæ in repræsentando, repræsentant quicquid est repræsentabile; cur ergo repræsentant hominem, non autem chimeram: certè non alia ratio assignari potest, nisi quia chimera non est repræsentabilis, nec factibilis, homo autem maximè; ergo possibilitas, & impossibilitas prouenit ab intrinseco rei, & non ab aliqua causa extrinseca exemplari. Et vrgetur argumentum, quoniam Si Ideæ diuinæ essent causa possibilitatis rerum possibilium ex eo scilicet, quòd illas repræsentant, sequeretur, quòd chimera, & alia huiusmodi essent impossibilia ratione diuinarum Idearum, quia nimirum non repræsentarent chimeram. Si enim affirmatio est causa affirmationis, negatio erit causa negationis, vt docet Arist. 1. Poster. tex. 30. Vnde si repræsentatio Idealis est causa possibilitatis rerum, negatio repræsentationis erit causa impossibilitatis. Ex hoc autem sequitur magnum inconueniens, quòd videlicet ponatur defectus aliquis in Deo, dum non repræsentat etiam chimeram. Quòd si dicas non esse repræsentabilem, iam ex se habet impossibilitatem, & consequenter, etiam possibilia habent ex se possibilitatem. Rursus cum Ideæ sint in ordine ad diuinam potentiam, ita vt repræsentent quicquid potest ipsa efficere, iam defectu potentiæ diuinæ chimera non esset possibilis, quomodo ergo potentia Dei esset infinita? Econtra verò si Deus ratione suarum Idearum non esset causa, sequeretur, quòd tales essentiæ non dependerent à Deo, sed etiam si non esset Deus reperirentur possibilia; quod est absurdum, & inconueniens.

Arist.

III. Non conueniunt Doctores inter se circa hanc difficultatem; Sed aliqui existimant, quòd rerum essentiæ, seu connexiones illæ prædicatorum, quatenus connexiones sunt quò ad esse essentiæ non habeant aliquam causam extrinsecam, sed ex se ipsis possibiles sint independenter à quocunque alio. Ita tenet Soncin. 5. Metaph. quæst. 10. ratione 3. Caiet. 1. Posterior. cap. 6. circa finem; inquit enim Soncin. quòd si Deus non esset adhuc ista propositio, esset vera, homo est animal. Ex recentioribus verò hanc sententiam sequuntur Suarez in

Prima opinio. Rerum essentias nõ habere causam. Soncin. Caiet. Suarez. Auersa.

Me-

Metaph. disp. 31. sect. 12. num. 46. vbi inquit, quòd quia homo ex se est talis essentiæ, vt non possit esse alterius, ideo exemplar diuinum necessitatem habuit repræsentandi hominem talis essentiæ. Cui opinioni videtur etiam assentiri Auersa in sua Philosophia quæst. 8. sect. 4. præsertim in ratione septima conclus. 4. & in responsione ad 6. obiectionem. Alij tamen oppositum sentiunt, quòd nimirum essentiæ possibiles dependeant à Deo tanquam à causa exemplari. Et ita sentit inter alios Capr. in 2. dist. 1. quæst. 2. artic. 3. ad 4. argum. Aureoli contra 4. conclus. Albertin. tom. 2. principio 1. philosoph. disp. 1. quæst. 2. Et Fonseca 5. Metaphys. cap. 5. quæst. 1. sect. 4. putat rerum essentias quò ad veritatem suorum prædicatorum dependere à virtute effectiua; ita vt si nulla esset causa productiua talium essentiarum, neque etiam possibiles essent tales essentiæ. & consequenter debet dicere, quòd dependeant à causa exemplari, quia efficiens non est sine exemplari.

[Margin: Secunda opinio. Essentias possibiles habere causam exéplaré. Capr. Albertin. Fonseca.]

Propria sententia.

SECTIO II.

I. VT nostram sententiam in hac difficultate declaremus, aduertimus, quòd proprius modus causandi ideæ, siue exemplaris, in eo consistit, quòd agenti per ideam ostendat, quid faciendum sit, & quomodo faciendum, quia scilicet illi repræsentat opus, quod intendit facere, vnde à pluribus censetur quoddam complementum causæ efficientis, & docent quòd non constituat peculiare genus causæ, sed ad efficiens reducatur. Alij tamen reducunt ad causam formalem. Sed quicquid sit de genere causæ, ad quod Idea reducitur, hoc certum est, quòd non causat, nisi repræsentando id, cuius est idea, ex quo fit, quòd causatio actualis in eo consistat, quòd effectus proueniat ab ipsa, prout ipsi assimilatur, seu quòd illud esse, quod in idea repræsentatur, ad ipsamet extrahatur ad essendum in seipso, concurrentibus tamen cœteris causis, ita vt, quod continebatur in repræsentatione ideæ, veluti exeat de tali esse repræsentatiuo, & transeat ad essendum formaliter in seipso, secundùm esse reale, ex vi causæ efficientis. Ex hoc au-

[Margin: Modus quo causat exemplar.]

rem sequitur, quòd effectus idealis dicat quemdam ordinem dependentiæ ad suam ideam, quo ad ipsam ordinetur, tanquam habens in se id, quod idea repræsentat, veluti deriuatum ab ipsa idea, cum enim effectus ponitur in esse, causa, quæ agit per ideam, illi cõmunicat, quod idea repræsentat.

II. Hoc ergo stante dicendum est. Essentias possibiles quò ad suam possibilitatem dependere ab Ideis diuinis, tanquam à causa exemplari. Hoc autem sic explicatur. Essentiæ possibiles, vt iam supra adnotauimus, non possunt habere causam, prout continentur in virtute diuina, aut prout sunt repræsentatæ in Ideis diuinis; quia vtroque modo sunt ipsemet Deus, & æternæ, & proinde illi repugnat habere causam. & quia causa tendit ad ponendam rem in seipsa, non possunt essentiæ habere causam, nisi prout sunt aliquo pacto in seipsis, non quidem secundùm esse reale, sed secundùm esse obiectiuum, quia, vt diximus, præciso esse obiectiuo, in seipsis non sunt aliquid. Secundùm igitur illud esse obiectiuum, quod dicunt essentiæ, quando ab intellectu concipiuntur, habent causã exemplarem, quia intellectus illas concipit ex vi esse Idealis, quod habent in Deo, & veluti extrahit ab Idea illud esse, quod repræsentatiuè in ipsa continebatur.

[Margin: Cõclusio. Essentiæ possibiles dependẽt à diuinis Ideis tanquam à causa.]

III. Prob. autem hæc sententia. Essentiæ illæ possibiles sunt quædam imagines ipsius Dei, & imitantur Ideas diuinas, ita vt ad ipsas conformentur, quãtum est ex vi sui esse proprij essentialis. Ergo secundùm illud esse obiectiuum, quod habent in intellectu, sunt quid causatum ab ideis diuinis. Anteced. declaratur & simul confir. Res, quæ ponuntur in actu, imitantur Ideas diuinas, Deus enim illas producit iuxta Ideas, quas habet, ita vt esse conforme Ideis diuinis, sit quid intrinsecum rebus creatis, & ab ea rumdem essentia inseparabile; neque enim intellectus concipere potest rem aliquam creatam, nisi simul illam concipiat ex vi sui esse essentialis factam ad similitudinem alicuius Ideæ, quæ sit in Deo. Cum autem illud esse obiectiuum, quod dicunt essentiæ possibiles, quando illas concipimus, sit illud omnino, quod Deus communicat creaturis, quando illas ponit in actu, quandoquidem intellectus concipiendo essentias possibiles, cõ-

[Margin: 1. ratio.]

[Margin: Vnaquæque res intrinsecè cõformis alicui ideæ diuinę.]

cipit illud ipsum esse, quod potest ipsis communicare, vnde concipiendo hominem possibilem, concipit animal rationale non secus, ac si conciperet hominem existentem, sequitur, quòd debeat dicere eamdem conformitatem ad Ideas diuinas, quam dicit esse actuale essentiale, atque quòd huiusmodi conformitas sit intrinseca omnino tali essentiæ possibili. Hinc ergo declaratur consequentia. Quia esse causatum respectu Ideæ in eo consistit, quòd res conformetur cum Idea, atque ipsam imitetur; sic non alia ratione scamnum dicitur causatum ab Idea, quæ est in mente artificis, nisi quia conformatur cum illa Idea, & dicit in se illud esse, quod per ideam repræsentatur; modò illud esse essentiale, quod dicunt essentiæ possibiles, exprimit in se, quatenus est obiectiuè in intellectu, illud, quod repræsentat Idea diuina, cur ergo non erit aliquid exemplificatum, & consequenter aliquid causatum in genere Idea li?

In quo cōsistat esse causatum ab Idea.

Respōsio.

IV. Dicet tamen aliquis, quòd Idea ex genere suo non habet causare, nisi simul cum causa efficiente, quia scilicet ostendit efficienti illud esse, quod debet effectui communicare, atque solùm illud, quod exprimitur per Ideam, redundat in effectum mediante causa efficiente; quare cum essentiæ possibiles in esse obiectiuo non habeant causam efficientem, neque etiam habere possunt exemplarem, Sed tamen hoc non obstat, quominus essentiæ se habeant tanquam aliquid Ideatum, etiam in statu possibilitatis; & vt tota difficultas euacuetur, sciendum est, quòd causa Idealis debet causare effectum mediante efficiente, cuius est Idea, quando effectui communicandum est esse reale actuale; tunc enim, quia tale esse non potest communicari, nisi mediante producente, oportet, quòd Idea simul cum producente concurrat, vt fiat talis realis communicatio. At in esse obiectiuo non est facienda talis communicatio, quæ tendat ad tribuendum effectui esse reale actuale; sed sufficit, quòd intellectus concipiat id, quod repræsentat idea, in quo non est necessarius influxus aliquis causæ efficientis, quæ continet Ideam. In hoc autem interuenit quædam causatio idealis, quia intellectus concipiendo id, quod repræsentat idea, veluti extrahit de esse repræsentatiuo ipsius effectū repræsentatū, & promouet ad existendum obiectiuè in intellectu; & quia dum existit obiectiuè in intellectu, se habet, vt quid ideatum, & extractum de esse repræsētatiuo ideæ, & seruat debitam conformitatem cum ipsa, ideò dicitur esse causatum exemplariter ab idea.

Refutatur.

Quando id debeat concurrere simul cū efficiente.

V. Quod totum confirmari potest. Ideò, quando res ponitur in esse reali actuali, causatur ab idea sua, quia illi communicatur illud esse, quod repræsentat idea; sed etiam, quando intellectus concipit essentias possibiles, habent tales essētiæ in esse obiectiuo illud esse, quod repræsentat idea, ita vt ex vi ideæ, quam oportet, quòd intellectus præcognoscat, concipiat essentias cum tali, vel tali esse, ergo illud esse obiectiuum essentiarum causatur ab ideis. Causatio autem in eo consistit, quòd idea mouet intellectum ad formandum talem cōceptum obiectiuum; repræsentat enim intellectui essentiam possibilem, & intellectus ex vi huius repræsentationis concipit illud esse, quod à causa effectiua potest communicari effectui: vnde totum illud esse, quod tunc obijcitur intellectui, redundat ab idea, & ideò ab ipsa causatur, & quemadmodum intellectus cognoscens imaginem Cæsaris, format conceptum obiectiuum Cæsaris, atque hic conceptus causatur ab imagine, ita etiā illud esse obiectiuum essentiarum possibilium causatur ab idea, quia in virtute ipsius intellectus format talem conceptum obiectiuum.

Cur esse obiectiuū essētiarū sit causatum ab ideis.

VI. Secundò probatur, nostra sententia. Illud esse obiectiuum, quod dicunt essentiæ possibiles, dicit ordinem dependentiæ ad ideam diuinam, quò ad ipsam ordinatur tanquam habens in se intentionali, seu obiectiuo modo id, quod repræsentat idea, ergo se habet vt quid exemplificatum, & causatum à tali idea. Antecedens mihi videtur euidens, tum quia non posset intellectus tale esse concipere, nisi adesset idea, quæ repræsentaret intellectui, quod debet concipere, tum quia illud esse obiectiuum essentiæ possibilis verè dicit illud esse, quod repræsentat Idea: vndè necesse est, quòd interueniat ordo repræsentantis, & repræsentati, & insuper quòd repræsentatum dependeat à repræsentante, siquidem ad similitudinem repræsentantis formatur, & cum hic ordo sit cum dependentia, siquidem vnum debet conforma-

Secunda sententia.

Esse quod essentiæ habent obiectiuè in intellectu dependet ab ideis.

ri

ri cum alio, & non potest poni in Idea diuina dependentia huiusmodi, quia est ipsemet Deus, debet poni in essentia possibili. Hinc explicatur vis illationis. Quando res ex Ideis diuinis causantur secundùm esse reale, in eo consistit ratio causati, seu ideati, quòd secundùm suum esse reale dicant ordinem dependentiæ ad diuinas Ideas, tanquam quid exemplificatum per ipsas; ergo cum essentiæ possibiles dicant hunc ipsum ordinem dependentiæ ad ideas diuinas, quo illic correspondent tanquam quid exemplificatum per ipsas, concludendum est, quod se habeant, vt quid causatum ab ipsis in genere Ideali.

. ratio.

VII. Tertiò. Illud esse obiectiuum, quod dicunt essentiæ possibiles, seu illud esse, quod objicitur intellectui, dum concipit essentias possibiles, vel objicitur vt aliquid participatum, vel vt aliquid imparticipatum; non loquor autem de actuali participatione, vel imparticipatione, quasi sit ens actuale in seipso; sed sicuti objicitur secundùm rationem entis, quæ dicitur possibilis, quia non est actu communicata, sed potest communicari, ita etiam inquiro de participatione, & imparticipatione possibili, & quæ solùm habeat esse obiectiuum actuale, quemadmodum habet etiam esse illud essentiæ possibile, quod objicitur. Cum enim illud esse obiectiuum dicat rationem entis, oportet etiam, quòd dicat rationem participati, vel imparticipati, quia implicat esse aliquod ens, quod non se habeat altero ex illis modis, quia si habet esse, vel habet à se, vel non habet à se. Non potest autem dici, quòd dicat rationem imparticipati, quia talis ratio est incompossibilis cum ente possibili, quia est annexa necessariò cum necessitate existendi, & consequenter cum ente, quod habeat esse necessarium, & à se; deinde ens imparticipatum non habet Ideam sui ipsius, quia sicuti est ens imparticipatum, ita neque habet causam efficientem, à qua possit produci, seu a quo recipiat esse, quia statim ac reciperet esse ab alio, esset participatum, vnde neque habet Ideam, quia Idea est solùm in ordine ad causam efficientem, vndè quod non habet causam efficientem, neque etiam habet Idealem. Præterea quia quod semel dicit rationem imparticipati, semper est tale, & implicat, quòd aliquando in suo esse intrinseco essentiali inuoluatur ratio participati, at in essentia possibili, quando ponitur in actu, inuoluitur ratio participati, & quando est possibile, est possibile vt quid participabile; non ergo in statu possibilitatis dicere potest rationem imparticipati; dicet ergo rationem participati ergo rationem causati; atqui non potest esse causatum à causa efficienti, quia hæc tendit ad esse actuale rei, erit ergo causatum ab Idea, tanquam ab ea, in cuius virtute intellectus concipit tale esse obiectiuum.

Esse obiectiuum essentiarum aliquid suo modo participatum.

VIII. Dices, verum quidem esse, quòd illud esse obiectiuum essentiæ possibilis non se habet vt quid imparticipatum, sed neque se habere, vt quid participatum, sed vt quid participabile, quia participatum dicitur de esse actuali tantùm, participabile verò de esse possibili, & hoc pacto participatum adæquat totam latitudinem entis, quod non est à se: nimirum consideratum secundùm actum, & potentiam, quemadmodum etiam ens, quod non est à se, sumitur secundùm actum, & potentiam. Verùm quamuis verum sit, quòd illud esse obiectiuum non est participatum, sed participabile in ordine ad causam efficientem, nec in ordine ad esse actuale; si tamen consideratur quò ad esse obiectiuum in ordine ad Ideam, se habebit vt aliquid participatum: & ratio est, quia essentia possibilis ita objicitur intellectui, quasi habeat in se aliquod esse, & vt aliquid contradistinctum ab Idea, seu vt terminus ipsius, & vt ens configuratum suomet exemplari dicens in se, quod repræsentatiuè dicit Idea: vndè quamuis in se non sit quid participatum, objicitur tamen intellectui tanquam aliquid participatum, in hoc enim consistit esse participatum Ideale, quòd sit quoddam esse imitans Ideam. Quod etiam confirmatur, quoniam illud esse obiectiuum, quod dicit essentia possibilis, est aliquid veluti extractum ab idea, & intellectus Ideò eam concipit cum tali, vel tali esse, quia Idea illam repræsentat cum tali, vel tali esse, ergo verè objicitur vt aliquid participatum ab idea.

Responsio.

Refellitur.

Quomodo esse obiectiuum essentiarum se habeat ut quid participatum in ordine ad ideam.

IX. Ex hinc quartò confirmari potest nostra sententia. Totum illud esse, quod dicunt essentiæ rerum, quando positæ sunt in actu, est esse participatum, ita vt nihil in ipsis, quod reale sit, assignari potest, quod non dicat rationem

4. ratio.

par-

Possibilitas essentiarũ est quid participatũ.

participati, & exemplificari per diuinas Ideas: Ideæ enim correspondent virtuti operatiuæ, & totum id, quod virtus operatiua communicare potest, per diuinas Ideas repræsentatur; ergo etiam possibilitas earumdem est quid participatum; hoc est, illam habent dependenter ab ente per essentiam, siquidem cum sit realis possibilitas, debet esse participata, ne quid imparticipatum creaturæ concedamus, quemadmodum concederemus, si tribueremus possibilitatem, qua res à se sint possibiles, & non illam habeant tanquam communicatam à Deo, est enim possibilitas quid reale, & ideò non possunt creaturæ illam à se habere, sed habebunt dependenter ab Ideis diuinis; Quod etiam ex eo patet, quia quando concipimus essentiam possibilem, illam concipimus cum eo ipso ordine ad Ideas diuinas, atque dependentia, quam dicunt, quando actu existunt, ita vt ab Ideis diuinis sic dependeant secundùm esse possibile, sicuti dependent secundùm esse actuale, ergo si interuenit idem ordo, atque eadem dependentia, interuenient etiam eadem causalitas.

Possibilitas independens, & à se inferre etiã actualitatem à se.

X. Et potest hæc ipsa ratio efficaci confirmatione vrgeri. Si res haberent suam intrinsecam possibilitatem à seipsis, ita vt non illam reciperent ab Ideis diuinis tanquam ab exemplaribus, quæ in suo esse debent imitari, etiam haberent esse actuale à seipsis, ergo cum non habeant esse actuale à seipsis, nec etiam possunt habere à se possibilitatem propriam, sed oportet, quòd illam habeant communicatam ab altero. Consequentia euidenter sequitur ex illo antecedenti. Vt igitur illud antecedens declaretur, sciendum est, quòd aliud est, res habere intrinsecam possibilitatem, seu ab intrinseco esse possibiles; & aliud, quòd hanc possibilitatem intrinsecam habeant à se. Primum dicit quòd intrinsecè ita se habeant, vt non inuoluant aliquam implicantiam, nec ijs repugnet esse, & hoc verum est. Secundùm verò dicit, quòd illam intrinsecam possibilitatem suam habeant, & non communicatam ab altero, sed independenter à quocumque extrinseco; quemadmodum Deus habet esse à se, quia non habet communicatum ab alio, & hoc falsum esse dicimus; & asserimus, quòd si res haberent suam possibilitatem à seipsis, & non communicatam ab alio, haberent etiam à seipsis actualitatem, quòd implicat. Huius autem sequelæ ratio esse potest; quia Esse à se ex genere suo, & ex vi suæ formalitatis tollit indigentiam alterius; ideò enim Deus non indiget aliquo alio, quia est à se; si ergo res haberent suam possibilitatem à se, constitueretur huiusmodi possibilitas in tali statu, vt non indigeret aliquo alio, vndè non indigeret causa efficiente, quæ ipsam promoueret ad actualitatẽ, sed ipsa ex se illam haberet; oportet enim, quòd haberet totum id, quod sufficeret, vt excluderet à se omnem intrinsecam indigẽtiam, quam non excluderet, si indigeret causa efficiente, quæ ipsam promoueret ad actualitatem; tunc enim intrinsecè indigeret actualitate. Et confir. Si illa possibilitas esset à se, præciso quocunque alio extrinseco, adhuc res omnes essent possibiles; vnde etiam si non esset Deus, res omnes haberent suam intrinsecam possibilitatem, quemadmodum etiam si nihil extra Deum reperiretur, adhuc Deus esset, quia habet esse, & non ab alio.

Aliud habere possibilitatem intrinsec., aliud est à se possibile.

Essentia, quæ est à se non indiget causa, quæ promoueatur ad actualitatem.

Quam sequelam videntur nonnulli concedere, præsertim Soncin. loco supra citato, dum inquit, quòd si nõ esset Deus, adhuc vera esset hæc propositio, Homo est animal. Sed non rectè concedunt, & magnum absurdum inde sequitur. quia non potest concedi aliquid participatum, seu participabile, nisi concedatur ens per essentiam, quia participatum, seu participabile dicit essentialem ordinem ad ens per essentiam, ita vt sit tale ex vi huius ordinis, quo præciso, non sit amplius tale. Ergo si non daretur Deus, qui est ens per essentiam, neque daretur possibilitas aliqua, cum possibilitas dicat quid participatum, vel saltem quid participabile; & proinde dicat ordinem essentialem ad ens per essentiam: non ergo potest hæc possibilitas esse à se, cum sit talis per ordinem ad aliud: quod si non est à se, certè dependebit à Deo tanquam à causa Ideali, quam imitetur, & dicat illud esse, quod diuina idea repræsentat tanquam possibile. Confir. secundò; Esse possibile à se excludit causam, à qua dependeat in sua possibilitate, ita vt non habeat suam possibilitem in ordine ad causam aliquã; ergo simpliciter excludit quamcumque causam, à qua recipiat esse, & consequenter, cum nullam habeat causam, à qua recipiat esse, oportet, vt habeat es-

Ens participabile supponit necessario ens per essentiam.

se à se, aut quòd nunquam possit habere esse actuale, quod dici non potest, quia possibile est in ordine ad actualitatem; vndè simul, & semel, si est possibile, habebit esse actuale. Quòd autem si habet possibilitatem à se, excludat omnem causam, à qua recipere possit esse declaratur: nam si habet suam possibilitatem à se, certum est, quòd non potest illa possibilitas dicere intrinsecè ordinem ad causam aliquam, quod enim est à se, est absolutum à quacunque causa, prout est à se, hinc Deus est absolutus ab omni causa, quia simpliciter est à se, si ergo rerum possibilitas esset à se, nullum posset dicere intrinsecum ordinem ad causam aliquam, quia tunc absolueretur ab omni causa. Quòd si non dicit intrinsecum ordinem ad causam aliquam, nec etiam habet causam, à qua ponatur in esse, quia in tantùm aliquod possibile poni potest in esse, in quantùm ex intrinseco suo respicit aliquam causam, à qua ponatur in actu, & proindè aut nihil erit, aut erit aliquid actuale. Quarè quicquid est possibile, debet esse tale per ordinem intrinsecum ad aliquam causam, à qua secundùm suam possibilitatem dependeat; Et quemadmodum esse actuale causatum in intrinseca sua essentia inuoluit ordinem ad causam, à qua dependeat, ita etiam esse possibile, quia dicit eamdem omnino essentiam, absque vlla variatione in esse quidditatiuo; atque hinc est, quòd dependentia à prima causa, ita est essentialis vnicuique creaturæ, vt impossibile sit, illam concipere absque tali dependentia, etiam si concipiatur secundùm statum possibilitatis. Quòd si dependentia à causa essentialis est creaturæ, quomodo potest habere suum esse possibile absolutum ab omni causa? quòd si non habet absolutum ab omni causa, quomodo erit à se? Cum igitur non sit à se, se habebit tanquam aliquid extractum ab ideis diuinis, & proindè tanquam aliquid ab ipsis causatum.

Rerum essentiæ possibiles dicunt ordinem essentialem ad causam efficientem.

XI. Et insuper ex his colligitur, quòd essentiæ consideratæ secundùm statum possibilitatis, dicant essentialem ordinem etiam ad causam efficientem, à qua etiam in sua possibilitate dependent. In eo autem consistit dependentia, quòd non essent possibiles, nisi adesset causa effectiua, in cuius virtute continerentur; vndè illud esse possibile essentiarum, quod ab intellectu concipitur, inuoluit intrinsecam dependentiam à causa efficiente; quæ quidem dependentia non fundatur in actuali communicatione, sed in aptitudinali, quia scilicet illud esse est aliquid communicabile à tali causa, & concipitur tanquam aliquid, quod poni potest in actu ab ipso, ita vt nisi esset talis causa efficiens, impossibile esset, concipere talem essentiam, tanquam possibilem. Quomodo enim esset possibilis, si non adesset causa, quæ posset illam ponere in actu? Hinc constat quantum errent, qui dicunt, quòd etiam si per impossibile non esset Deus, adhuc propositiones essentiales essent veræ, vt Homo est rationalis; intantum enim sunt veræ, in quantum est possibilis essentia illa, in qua talia prædicata coalescunt in vnam naturam. Quòd si non daretur talis essentia, verbi gratia essentia hominis, neque etiam vera esset ista propositio, Homo est rationalis, sicuti non est vera ista, lapis est rationalis, quia non datur natura aliqua, in qua simul coalescant lapideitas, & rationalitas. Naturæ autem, seu essentiæ rerum sunt possibiles, in quantum datur Deus, qui tanquam prima causa potest illas ponere in actu. Atque hanc eamdem dependentiam, quam habent essentiæ possibiles respectu Dei, prout est causa efficiens; habent etiam respectu eiusdem, prout est causa exemplaris, quia non possent habere suum esse reale actuale, nisi ad similitudinem suæ ideæ producerentur. Sed præter hunc ordinem, & dependentiam adhuc, vt diximus, essentiæ possibiles dependent à diuinis ideis tanquam aliquid ab ipsis extractum secundùm esse obiectiuum, ex vi cuius dependentiæ, vt diximus, concipiuntur tanquam aliquid causatum modo ideali ab ipsis ideis: non quidem simpliciter causatum, quia quando interuenit causatio simpliciter, tendit ad esse reale; sed secundùm quid, nempe secundùm esse obiectiuum.

Explicantur rationes dubitandi.

SECTIO III.

I. Declarata vera sententia, restat nunc, vt rationes dubitandi dissoluamus: pro quarum solutione aduertendum est, quòd cum Deus in vnoquoque sit infinitus, habet etiam infinitam

Quomodo Deus habeat infinitam virtutem productiuam.

vim effectiuam, non quidem, quia aliquid infinitum simpliciter efficere possit, quia dubium est, an sola infinitas secundùm quid communicari possit creaturæ, tantùm abest, vt posit communicari infinitas simpliciter; sed habet virtutem infinitam, tum quia virtus illa est ipsemet Deus, tum etiam quia potest semper aliud, & aliud in infinitum efficere, nec vnquam, quacumque re producta, exhauritur potentia ipsius; vndè nihil reperitur producibile, quod in eius potentia non contineatur. Similiter etiam habet infinitam vim idealem repræsentatiuam, ex vi cuius repræsentat quicquid repræsentabile est, ita vt nihil sit possibile, quod in eius ideis non repræsentetur. Ex vi enim harum idearum Deus est mensura rerum omnium, ita vt omnia participent de esse ipsius, in quantùm eius ideis conformantur, qua conformitate ablata, simul perit totum esse participatum.

Deus habet vim infinitã repræsentatiuã idealimodo.

Ad primam rationẽ dubitandi.

II. Hoc ergo stante, ad primam rationem dubitandi respondetur, verum quidem esse, Quòd rerum essentiæ habent possibilitatem sibi intrinsecam, ex vi cuius proprium esse ipsarum possibile est intrinsecè, sed, vt dixsimus sectione præcedenti, non habent rerum essentiæ hanc possibilitatem, quamuis intrinsecam, à seipsis, sed in ordine ad diuinas ideas, tanquam ad mensuras, quibus mensuratur esse illis communicandum à diuina virtute, & quas imitantur, exprimentes in se illud esse, quod ipsæ repræsentant; vndè quia possibilitas intrinseca essentiarum in eo consistit, quòd rationes illæ formales, seu prædicata quidditatiua, quibus coalescunt, conueniant inter se, & compossibiles sint ad constituendam vnam naturam, quemadmodum impossibilitas consistit in eo, quòd rationes formales incompossibiles sint ad constituendam vnam naturam; sequitur, quòd hanc intrinsecam possib litatem participent ab ideis diuinis, quia in tantùm conueniunt illa prædicata inter se ad constituendam vnam naturam, in quantùm imitantur diuinas ideas, & dicunt illud, quod ideæ repræsentant. Sic etiam, quando res in actu positæ sunt, habent intrinsecè proprium esse, sed tamen hoc est à causa communicatum mediante productione: sic etiam essentiæ merè possibiles, quando secundùm esse obiectiuum considerantur, habent quidem suam possibilitatem sibi intrinsecam, non tamen illam habent à se, sed dependenter ab ideis diuinis, & veluti ab ipsis communicatam, quia quodammodo secundùm esse obiectiuum communicatur, quatenus intellectus concipiendo essentias possibiles, concipit id, quòd per ideas repræsentatur, & aliquid ab ijsdem ideis deriuatum, & ideò ab ideis dicuntur habere suum esse possibile, quatenus ex vi suæ intrinsecæ possibilitatis; dicunt ordinem essentialem ad has ideas. Hinc autem fit, quòd, cum inquiritur, cur aliquid sit possibile, vel impossibile, possumus ex duplici capite rationem assignare; nam vel possumus assignare rationem intrinsecam rei, & veluti formalem, & tunc dicemus, aliquid esse possibile quia non inuoluit in seipso implicantiam aliquam, sed habet rationes formales benè conuenientes in vnam naturam, & econtra, aliquid esse impossibile, quia inuoluit implicantiam in seipso. Rursus possumus assignare etiam rationem extrinsecam, & erit, quia repræsentatur in ideis diuinis, & in eius potentia contineatur, & tunc assignabimus causam, vndè ipsi deriuat omnis possibilitas, & econtra, non esse possibile, quia non continetur in diuinis ideis, nec in virtute productiua Dei.

Quomodo rerum essentiæ possibiles habeant intrinsecã possibilitatem.

Ratio cur aliquid sit possibile, vel impossibile.

III. Ad secundam rationem dubitandi respondetur Quòd cum ideæ diuinæ sint infinitæ in repræsentando, & sint tales per essentiam, habent ex se, quòd repræsentent, ita vt non debeant determinari ab aliquo ad repræsentãdum, quia cum sint ipsemet Deus, non habent causam, à qua determinari possint; vndè neque determinantur ad repræsentandũ hoc, vel illud, sed ex se habent, quòd repræsentent omnes illos modos, quibus Deus se communicare potest ad extra; & idem quoque dicendum est de diuina omnipotentia, quòd scilicet non determinatur ab aliquo, ad continendum virtualiter hoc, vel illud possibile, sed ex se habet, quòd contineat omnes illos modos communicabilitatis, quibus Deus se potest ad extra communicare. Quamobrem cum quæritur, cur diuinæ ideæ repræsentent hominem, & non chimeram, nulla ratio assignari potest, quia vt diximus, non habent diuinæ ideæ causam suæ repræsentationis, neque determinantur ab aliquo ad hoc potius repræ-

Ad secundum.

Ideæ diuinæ ex se repræsentant quicquid fieri potest, & nõ determinantur ab aliquo ad repræsentandum.

[illegible]

sen-

sentandum, quam illud; quia sicuti si quæratur, cur Deus sit Deus, non potest aliqua causa assignari, nisi fortè assignetur ratio formalis, quia scilicet est ens infinitum, ita neque in diuinis ideis potest assignari aliqua ratio, cur hæc entia, & non alia repræsentent, nisi assignetur formalis, quia scilicet repræsentant Deum tali pacto se posse communicare ad extra; Et similiter dicendum est etiam de diuina potentia, quia, cum non determinetur ab aliquo ad continenda possibilia, non potest assignari aliqua ratio, cur potius contineat hæc, quàm illa possibilia. possumus tamen assignare aliquam rationem ex ipso Deo delumptam, cur potius tali pacto, quàm alio se communicet ad extra, nimirum, quia se communicat, prout à proprijs ideis se communicandum repræsentatur, debet enim quodcumque Esse, quod Deus ad extra communicat, mensurari per ideas, & ijs conformari. Quarè hic aduertere oportet, pro plena intelligentia huius difficultatis, quòd quando dicitur, quòd homo est factibilis à Deo, & ab ideis diuinis vt talis repræsentatur, quia scilicet ex se est factibilis, & repræsentabilis. Chimera autem nec repræsentatur, neç continetur in Dei potentia, quia ex se non est repræsentabilis, nec factibilis. ly ex se denotat intrinsecam factibilitatem, & intrinsecam repræsentabilitatem. Cœterùm sensus illationis huiusmodi nō est à priori, quasi intrinseca factibilitas, & repræsentabilitas sit causa, cur contineantur in Dei potentia, & ab ideis diuinis repræsentētur, sed facit sensum à posteriori, quia tanquam ab effectu arguimus causam, concipiendo enim rem habere in seipsa intrinsecam possibilitatem, vt pote quia illam habet dependenter à Deo: inferimus, quòd contineatur in Dei potentia, & diuinis ideis, quia recipit ab illis suum esse possibile, quia si non contineretur in diuina potentia, & diuinis ideis, non esset possibilis. Ecōtra verò, quando concipimus aliquid non habere intrinsecam possibilitatem, qualis est chimera, à posteriori arguimus, non contineri in Dei potentia, nec repræsentari per diuinas ideas, quia si contineretur, & repræsentaretur, indè reciperet intrinsecam possibilitatem. Et sic patet, quomodo essentia possibilis aliunde recipiat suam possibilitatem.

Quid importet aliquid esse ex se factibile, aut non factibile.

IV. Ad tertiam rationem dubitandi concedendum est, quòd negatio repræsentationis in diuinis ideis sit causa negatiua impossibilitatis rerum, quemadmodum positio repræsentationis est causa possibilitatis; iuxta illud, quòd quando affirmatio est causa affirmationis, negatio quoque est causa negationis; sed negamus, hinc sequi absurdum aliquod, aut aliquis defectus in Deo; & ratio est, quia diuinæ ideæ sunt infinitæ in repręsentando, & proindè repræsentant omnes illos modos, quibus Deus se ad extra communicare potest, & ideò quando non repræsentant aliquid, non prouenit ex earūdem defectu in repræsentando, sed quia non potest tali pacto Deus se ad extra communicare, sic quòd non repræsentent aliquid simpliciter infinitum, non est defectus ipsarum, sed quia non potest Deus infinito modo simpliciter se ad extra communicare. Verùm instabis. Ideæ non repræsentant chimeram, aut alia huiusmodi, quia Deus non potest tali pacto se ad extra communicare, & ideæ repræsentant tantùm illos modos, quibus se potest Deus ad extra communicare, ergo hoc pacto ponitur defectus aliquis in diuina potentia, vndè habet, quòd non possit se tali pacto cōmunicare ad extra. Sed respondetur hic rursus recurrendum esse ad ideas diuinas, quia sicuti ideæ habent repræsentare totum id, quod potest ad extra Deus communicare, & omnes modos, quibus Deus communicare se potest, ita etiam habent determinare diuinam potentiam, vt hoc, vel illo pacto se communicare possit. determinant autem repræsentando diuino intellectui modos possibiles communicationis. Sed quæret aliquis, cur potius repræsentant hos modos, & non alios. Huic respondendum est, quòd ex se habent, quòd repræsentent illos modos, quos repræsentant, quia non determinantur ab aliquo ad repræsentandum; nec potest dici, quòd hos modos repræsentent, & non illos: repræsentant enim omnes, & consequenter fieri non potest huiusmodi interrogatio, cur hoc repræsenteut, & non illos: tunc enim solùm valeret ista interrogatio, quando reperiretur aliquis modus communicabilitatis, qui non repræsentaretur; Verùm illi modi, qui dicuntur non repræsentari, vt Chimera, & alia huiusmodi, non sunt modi communicabilitatis, quia nihil sunt, nec impor-

Negatio causa negationis, & affirmatio affirmationis.

Quando Deus non repræsentat aliquid, non prouenit, ex defectu repræsentationis.

Instantia.

Diuinæ ideæ repræsentant omnes modos communicabilitatis, & ideo nō repræsentant hos potius quàm illos.

Ad tertiam.

Mmmm tant

tant aliquam rationem entis, quam participare possint, sed sunt figmenta nostri intellectus sine aliqua realitate, & sic etiam dicendum est si, quis interroget, cur non repræsentent diuinæ ideæ aliquid amplius illo, quod repræsentant, quia nimirum repræsentant omnes modos communicabilitatis, & extra omnes modos communicabilitatis non est aliud, quod repræsentari possit. A posteriori autem cognoscere possumus aliquid repræsentari, vel non repræsentari debere intuendo eius intrinsecum; quia si est aliquid in seipso non inuoluens implicantiam, certè repræsentari debet, si verò inuoluit implicantiam, vt chimera, non debet repræsentari, verùm tunc solùm procedimus à posteriori, & ab effectu arguimus causam, & ideò non sequitur, quòd ratio, cur diuinæ ideæ repræsentent, sit intrinseca repræsentabilitas rei. Quarè statim, ac aliquid dicit aliquam rationem entis participabilem, dicendum est, quòd à diuinis ideis repræsentetur, & proindè dicat illam rationem entis. Si verò non dicit aliquam rationem entis, nec consequenter repræsentabitur, & ideò non dicet rationem entis participabilem, quia non repræsentabitur ab ideis diuinis. Neque etiam hinc sequitur defectus aliquis in potentia diuina, quia sicuti ideæ repræsentant omnes modos communicabilitatis, ita potentia diuina continet omnes, tunc autem esset defectus in Dei potentia, quando daretur aliquis modus communicabilitatis, qui non posset fieri ab ipsa: sic ad intra non est defectus in Deo, quòd producat vnum tantùm verbum, nec aliud possit producere, quia scilicet non datur aliud Verbum producibile; nec est defectus, quòd non possit producere ad extra aliquid infinitum simpliciter, quia non est producibile: cum ergo in diuina potentia cõtineantur omnes modi communicabilitatis, non sequitur defectus aliquis, si in ea non contineatur chimera, quia, vt iam diximus, chimera non dicit aliquem modum communicabilitatis. Quarè concludendum est, quòd ea, quæ continentur in diuina potentia, & repræsentantur ab ideis diuinis, ideò possunt contineri, & repræsentari, quia continentur, & repræsentantur: non autem continentur, & repræsentari, quia ex se sint factibilia, & repræsentabilia.

Intrinseca repræsentabilitas rei à posteriori indicat debere rem à diuinis ideis repræsentari.

Resoluitur difficultas de potentia Obiectiua.

SECTIO IV.

I. Ex ijs, quæ diximus, tum in hac, tum in precedenti disputatione facile erit resoluere difficultatem illam de potentia obiectiua, an videlicet creaturæ, antequam existant, ex vi sui esse essentialis sint in potentia obiectiua: contendunt enim in hoc valdè Thomistæ, & Scotistæ. Thomistæ enim negant potentiam obiectiuam, asserentes, quòd antequam creatura producatur in esse, nihil aliud præcedit, nisi potentia actiua, in cuius virtute res producenda continetur, atque exemplar, per quod repræsentatur, & quòd possibilia nihil habent in seipsis, per quod dicantur esse in potentia obiectiua. Atque hæc est doctrina Diui Thom. quam tradit 1. par. quæstione 9. artic. 2. in corpore, vbi ita inquit: *Omnes creaturæ, antequam essent, non erant possibiles esse per aliquam potentiam creatam, cum nullum creatum sit æternum, sed solùm per potentiam diuinam, in quantum Deus poterat eas in esse producere.* Nec valet, si dicatur, D. Thom. loqui de potentia actiua, quia etiam excludit passiuam obiectiuam, nam ibidem docet, aliquid mutari posse, vel ratione potentiæ, quæ fit in altero, vel ratione potentiæ, quæ fit in ipso, hoc est potentiæ passiuę, & excludit potentiam obiectiuam dicens, quòd solùm aliquid est mutabile ratione potentiæ, quæ fit in ipso mutatione substantiali, quando scilicet habet in se materiam cum priuatione alicuius formæ, vel secundùm locum, vel secundùm electionem, quæ sunt mutationes accidentales; non autem ponit mutationem, qua creatura transeat de potentia obiectiua ad esse actuale; ex quo colligitur, quòd non admittit hanc potentiam obiectiuam, quia tunc non sufficienter enumeralset mutationes, quæ contingere possunt in creaturis; & cum mutationes, quas docuit, contingere posse in creaturis, excludat à Deo, & indè concludat; Deum esse immutabilem, non benè concluderet, quia aliquis dicere posset, quòd licet illæ mutationes non interueniant in Deo, interuenit tamen mutatio de potentia obiectiua ad proprium actum.

An creatura ante productionem sit in potentia obiectiua.

D. Th. Negit potentiam obiectiuam.

II. Contra verò Scotistæ contendũt

da-

Potentia obiectiua per Scotistas, & a illos.

dari hanc potentiam obiectiuam intrinsecam creaturis possibilibus, ita vt esse actuale, quo essentia possibilis reducitur ad actum, sit actus huius potentiæ. Atque huius opinionis videtur Caiet. de ente & essent. cap. 5. quæst. 10. ratione 3. vbi tribuit creaturæ quoddam esse irreceptum, hoc est quod à nullo recipit, & dicit esse illius essentiam, & quoddam esse receptum, quod vocat eius esse, & est veluti actus illius esse irrecepti, quatenus illud trahit ad esse actuale.

Caiet. Ægid. Albertin. Gandauens.

Ita etiam tenere videtur Ægid. opus. de Ente & essentia, & eam ex professo defendit Albertin. tom. 2. principio 1. Philosoph. disp. 1. quæst. 3. pro qua citat etiam Gandauens. quodlib. 1. quæst. 1. & 2. & quodlib. 11. quæst. 3. Sed reuera alio modo intelligit hic doctor hanc potentiam obiectiuam, quam accipiant auctores huius opinionis, siquidem vult, quòd creatura, antequam producatur, nihil in se sit, quòd præcipuè declarat quæst. illa 9. quodlib. 1. vbi inquit, quòd creatura se habet, vt radius solis, qui antequam à sole exeat, nihil in se est, postquam exiuit, est aliquid in se. Citat etiam Arist. 9. Metaph. tex. 2. & 23. vbi docet, quòd actus, & potentia diuidunt adæquatè ens. Sed non rectè, quia Arist. putauit mundum æternum, & omnia, quæ de nouo fiunt, educi de potentia materiæ, & voluit non esse possibilem alium mundum, vt apertè se declarat in lib. de Cœlo, & mundo; vndè non cognouit aliam potentiam, per quam res dicerentur esse in potentia, antequam fierent actuales, præter potentiam subiectiuam materiæ, in qua continerentur res omnes, quæ de nouo fiunt, & ideò non cognouit aliquam potentiam obiectiuam essentiarum possibilium, quæ se teneret respectu Dei, & corresponderet eius potentiæ actiuæ, qualem ponunt Scotistæ: nec talis potentia peripateticæ doctrinæ conformis esse potest.

Arist. Non cognouit potentiam obiectiuã

Quomodo possit potentia obiectiua admitti.

III. Sed nos dicimus, consequenter loquendo ad ea; quæ tum in hac, tum in præcedenti disputatione dicta sunt, quòd vix difficultas esse potest de hac potentia obiectiua, & potest in omnium sententia admitti, etiam Thomistarum, si tamen rectè explicetur, quid sit, aut in quo consistat. Sed illud certum esse debet, quòd non debet admitti illa potentia obiectiua, quam ponunt Scotistæ, quia cum essentiæ possibiles nihil in se fiunt, nec aliquid dicant extra Deum, seu ab ipso contradistinctum, sed solùm ante earumdem productionem præcedat potentia actiua Dei, in qua contineantur, atque diuinæ ideæ, per quas repræsententur, nec etiam præcedere potest ista potentia obiectiua, quæ vt quid extra Deum se teneat ex parte creaturæ, & correspondeat ex opposito potentiæ actiuæ Dei, nam tunc creaturæ haberent aliquid in seipsis à se, quòd implicare iam ostendimus. Quia tamen diximus, rerum essentias ex vi potentiæ actiuæ diuinæ, & idearum, quæ sunt in Deo ab æterno fuisse conceptibiles ab intellectu aliquo, si fuisset, & nunc etiam posse concipi, ita vt in tali conceptione obijciatur intellectui illud esse, quod potest ijs communicari, dum fiunt in actu; atque hoc esse, cum non se habeat, vt quid actuale, sed vt quid possibile, & communicabile, fit, vt se habeat tanquam quid potentiale, & quòd substerni possit actualitati; tunc enim concipimus illud esse sine aliqua actualitate, & postea, quando concipimus rem existentem, concipimus illud ipsum esse essentiæ possibilis cum actualitate, ex quo fit, vt illud esse essentiæ ad modum ferè subiecti concipiatur substerni actualitati ex vi productionis, quamuis reuera non substernatur, sed exeat de virtute causæ, & eo ipso, quòd exit, seipso fiat actuale, vt alibi latius declarabimus. Stante ergo hoc nostro modo concipiendi, illud esse essentiæ possibilis, quod nobis, vt communicabile obijcitur, dici potest potentia obiectiua, se habet enim vt quid potentiale: quia, vt diximus, obiicitur tanquam aliquid, quod potest substerni actualitati; rursus hoc potentiale se habet in ordine ad intellectum, & ideò obiectiuum dici potest, & hoc pacto concedi potest potentia obiectiua, in ordine scilicet ad nostrum intellectum concipientem essentias possibiles, tanquam quid potentiale; atque secundùm hanc acceptionem etiam Thomistæ concedent potentiam obiectiuam; quia negare non possunt, quòd nequeat intellectus huiusmodi essentias possibiles concipere, tanquam quid potentiale, quod fieri possit actuale. Dicitur autem potentia obiectiua, quia continet id, quod est obiectum intellectus, in ordine ad esse actuale, & dicit id, quod fieri potest à potentia actiua, ita vt potentia quodammodo circa ipsam versetur, quasi

circa proprium obiectum, & proinde habet propriè rationem potentię obiectiuæ, solùm respectu intellectualis agentis.

An diuersi gradus essentiæ fundentur in diuersis formis Physicis,

Disp. LXXVIII.

Quid senserint Auctores.

SECTIO I.

I. HÆ rerū essentię, de quibus modò agimus, cum importent aliquam naturam integram, & connexiones diuersorum prędicatorum essentialium, habent etiam diuersos gradus genericos, & specificos; per quos vnaquęque essentia, vel cum aliis conuenit, vel ab ipsis differt; nunc verò difficultas insurgit, an huiusmodi gradus, quos dicit vnaquęque essentia, fundentur in diuersis formis physicis, ita vt debeant formę physicę multiplicari ad multiplicationem graduum, quibus essentia coalescit, & ex ęquo in cōposito physico formę physicę correspondeant gradibus metaphysicis, quibus compositum metaphysicum componitur, & qui per diuersa prædicata explicari solent. In qua difficultate fuit opinio Auicembronij in lib. Fontis vitę, quem refert D. Thom. 1. par. quæst. 50. art. 2. Quòd scilicet prædicata quidditatiua, dum sunt in composito physico, ita distinguerentur inter se, quòd singula constituerent proprias formas physicas, & vna forma physica vnicum tantùm exhiberet prædicatum. Quam opinionem adscribunt etiam Auerr. in 13. lib. Metaphys. qui apud nos non extat, quemadmodum refert Soncin. mox citandus, & Bannes loco pariter infra citandus ait, quòd Cōment. hanc opinionem innuit 1. Metaphys. tex. 17. Atque pro ipsa quoque citantur Iandun. 1. de Anima quæst. 8. & 2. Metaphys. quæst. 9. Gandauens. 1. de Anima quęst. 8. & Venet. 7. Metaph.

Prima opinio. Formas physicas multiplicari iuxta gradus essentię. Auicembron. Auerr. Iandun. Ganda uens.

II. Potest autem hęc sententia fundari in eo, quòd quilibet gradus essentię, & quodlibet prædicatum quidditatiuum importat aliquod esse, quod se habet per modum actus, ita vt per ipsum talis essentia magis, & magis constituatur in actu, & per diuersa prædicata in diuerso esse actuali, ergo quando hoc esse actuale, quod habetur à singulis prædicatis quidditatiuis, transit ad esse physicum, sufficiens est ad constituendam propriam formam physicam, quia omne esse physicum actuale importat aliquam formam physicam. Præterea quodlibet prædicatum, & quilibet gradus essentiæ constituit formam metaphysicam se solo, ergo etiam se solo cōstituit formam physicam, quando transit ad esse physicum; quoniam esse physicum, & metaphysicum in hoc solùm distinguuntur, quod physicum non abstrahit ab omni materia, sicuti abstrahit metaphysicum, secundùm verò esse essentiale non distinguuntur. Tertiò, si per eamdem formam physicam aliqua conuenirent, & eadem etiam essent diuersa, vt contingeret, si eadem forma contineret plures gradus metaphysicos, sequeretur in primis, quòd idem secundùm idem esset simile, & dissimile, homo enim secundùm esse animalis est similis brutis, dissimilis secundùm esse rationale; cum igitur secundùm idem non possit esse similis, & dissimilis, necesse est, quòd esse animal, & esse rationale habeatur à diuersis formis. Rursus sequeretur, quòd homo quatenus rationalis esset animal, seu quòd quatenus animal esset rationalis, & consequēter cuicunque conueniret esse animal, conueniret etiam esse rationale, nec vnquam daretur aliqua forma conferens aliquod prædicatum, quæ non conferret etiam ea omnia, quæ habet annexa talis forma, in quocunque reperiatur, nec vnquam prædicatum, quod semel reperitur connexum cum alio, reperiretur ab illo separatum. Quartò. Prædicata quidditatiua differunt inter se formaliter, ita vt non possint simul communicare in proprio esse: rursus sunt principia diuersarum operationum, ergo

Fundamenta huius sententiæ.

Secundò.

Tertium.

Quartum

go non possunt conuenire in vnam formam physicam, tum quia communicarent inuicem in proprio esse, tum quia ex diuersitate operationum non possemus colligere diuersas formas. Denique confir. hæc sententia anctoritate Arist. qui 2. Metaphys. cap. 2. docet. Ideò in causis formalibus non dari processum in infiuitum, quia neque datur in prædicatis qniddiratiuis, vndè videtur supponere, tot esse formas, quot sunt prædicata quidditatiua. Et rursus 7. Metaphys. tex. 33. ait, quòd definitioni correspondent partes rei definitæ, ergo per ipsum tot sunt partes, seu formæ in re physica, quot sunt prædicata in definitione.

Quintum.

Arist.

III. Nihilominus hæc sententia communiter ab omnibus reijcitur, vbi agunt de pluralitate formarum in eodem composito, sed præcipuè à D. Thoma supra citat. & opusc. 42. quod est de pluralitate formarum. Soncin. 8. Metaphys. quæst. 12. Iauel. quæst. 4. Gregor. in 2. distinct. 16. & 17. quæst. 2. Bannes 1. de Generat. quæst. 8. artic. 1. Suarez in Metaphys. disp. 6. sect. 9. Aref. 1. de Generat. quæst. 10. sect. 3. Auersa in Logica quæst. 13. sect. 5. atque alijs, qui impossibile putant, quòd ad multiplicationem prædicatorum essentialium, multiplicentur etiam formæ physicæ. Atque hanc opinionem tradunt, præsertim ij omnes, qui non admittunt, nisi vnicam formam substantialem in quolibet composito, quos suo loco referemus. Quam opinionem nos quoque amplectimur, & sect. sequenti confirmabimus.

Opposita sententia D. Th. Soncin. Iauel. Gregor. Bannes. Suarez. Aref. Auersa.

Præfertur secunda sententia.

SECTIO II.

I. VT igitur secundam sententiam, quam veram esse arbitror, cõfirmemus. Dicendum est, gradus metaphysicos essentiæ non desumi semper ex diuersis formis physicis, ita vt tot formæ physicæ sint inquolibet composito, quot sunt prædicata quidditatiua, sed optimè possunt plures gradus, & plura prædicata ab eadem forma desumi. Hæc autem sententia potest imprimis probari, quoniam eadem est ratio de formis substantialibus; ac de accidentalibus; accidentales autem conferunt plures gradus; & plura prædicata, nam eadem entitas simplex accidentis, confert rationem qualitatis, rationem coloris, rationem albedinis, ergo etiam eadem forma substantialis conferre poterit plures gradus essentiales. Quòd si quis diceret, etiam in accidentibus multiplicari formas ad multiplicationem gradus essentiæ, facilè impugnatur: nam sumo illud accidens, quod tribuit esse albedinis, & quæro an hæc entitas tribuat esse coloris, an non. Si tribuit esse coloris, ergo iam plures gradus desumuntur ab eadem entitate. Si verò non tribuit esse coloris, sequitur quòd albedo non sit color, & quòd non posit color in recto prædicari de albedine, quòd tamen est falsum. Rursus cum ratio formalis coloris, quæ est obiectum formale visus, non sit immersa in albedine, sequetur, quòd albedo non poterit esse obiectum visus, quia non participat intrinsecè rationem formalem obiecti visibilis. Nec valet, si dicatur, quòd ratio albedinis, & coloris sunt in eodem subiecto, nam etiam albedo, & sapor sunt in eodem subiecto, non tamen sapor percipitur à visu, non alia ratione, nisi quia intrinsecè non participat rationem coloris: obiectum enim cuiuscunque potentiæ entitatiuè consideratũ, debet intrinsece participare rationem formalem obiectiuam.

Cõclusio.

Formæ physicæ non multiplicantur ad multiplicationẽ prædicatorũ essentialiũ.

Eadẽ forma accidentalis fũdat plura prædicata.

Præcluditur effugium.

II. Confir. principaliter. Si accidentia non essent entitates simplices, sed ad quodlibet prædicatum multiplicarentur, vel illæ entitates, seu formæ, quæ fundant prædicata vnius accidentis, vnirentur per se, vel se haberent per accidens, vt aliquod aggregatum. Si primum dicatur, tunc se habebunt vt actus, & potentia, alioquin non efficerent vnum per se: ex hoc autem sequitur, quòd accidens vt sic deberet esse quid potentiale respectu talis, & talis accidentis, ergo cum sit realiter distinctum, erit subiectum transmutationis, & idem accidens numero poterit poni modò sub vno, modò sub alio accidente, & quod erat calor, fieri frigus, & sic etiam qualitas, si diceret propriam entitatem, posset poni sub forma huius, vel illius qualitatis, & posset produci ratio caloris absque eo, quòd produceretur ratio qualitatis, & accidentis, & similiter etiam corrumpi, quod est valdè absurdum. Sic etiam posset corrumpi ratio albedinis, remanente ratione coloris. Quòd autem hoc dici non possit, patet euidenter,

Confi.

Si in accidente multiplicarentur entitates iuxta gradus essentiales plura indè absurda.

quo-

quoniam vnica productione ponuntur in esse accidentis secundùm omnia sua prædicata. Si verò dicatur, se habere, vt quid aggregatum per accidens, sequitur manifestius absurdum, quòd videlicet entitas accidentis, entitas qualitatis, entitas caloris, & aliorum graduum non habeant aliquem ordinem, seu subordinationem inter se, & consequenter vna non dependebit ab altera, & proindè poterit vna produci, & corrumpi sine alia, & sic subiectum poterit esse album, absque eo quòd sit coloratum, poterit esse calidum, absque eo quod sit quale; item econtra poterit esse quale, absque eo quòd sit determinatè quale, poterit in eo poni esse accidentis, absque eo, quòd ponatur esse talis accidentis; nullam enim connexionem habent inter se, quæ aggregantur per accidens. hæc autem omnia absurdissima sunt.

Confir. secundo.

III. Secundò confirmatur. Si ponatur entitas caloris, & sola præcisè accipiatur, certè existit in rerum natura, & verè est: quæro ergo, an existat vt aliquid dicens ordinem ad subiectum, & an ab ipso substentetur; ita vt dependeat ab eodem in conseruari, an verò sit absoluta ab omni ordine ad subiectum, & non dependeat in substentatione, & conseruatione. Neque aliquod tertium excogitari potest, quia hæc partitio fit per mēbra contradictoria, nempe per dicere ordinem ad subiectum, & non dicere, & idcirco alterum ipsorum verificari debet, nec aliquod medium excogitari potest.

Si entitas multiplicaretur iuxta gradus essentiales in accidēte, adhuc qualibet entitas esset accidens.

Si ergo dicatur, quòd dicit ordinem ad subiectum, & ab ipso dependet in substentari, & conseruari, ita vt hoc illi conueniat præcisè consideratæ, ergo intrinsecè participat rationem accidentis, ratio enim formalis accidentis in eo consistit, quòd entitas dicat essentialem ordinem ad subiectum, & quòd sit talis naturæ, vt ab ipso dependeat in conseruari; non ergo illa entitas erit sola ratio præcisa caloris, sed etiam intrinsecè imbibet rationem accidentis, & consequenter quolibet prædicatum, quod requiritur ad constituendam integram entitatem; non enim dari potest prædicatum superius, & inferius sine intermediis. At si non dicit ordinem ad subiectum, neque in substentatione dependet ab ipso, cum existat independenter ab omni subiecto, per se subsistet: quod enim existit, vel ab alio substentatur, vel per se subsistit; alter enim ex his modis essendi necessariò conuenit cuicunque rei existenti cum propria entitate. Si igitur per se subsistit, participabit rationem formalem substantiæ, quod est impossibile, & adhuc in eadem entitate includentur plures gradus essentiæ, vt per se patet. Deindè etiam si non dicat ordinem ad subiectum, quomodo erit in illo, & ipsum afficiet? Cum ergo sumpta qualibet ratione, siuè prædicato accidentali, ordinetur ad afficiendum subiectum, concludendum est, quòd entitas, in qua tale prædicatum reperitur, sit intrinsecè accidens, & proindè participet intrinsecè etiam alia prædicata.

IV. Secundò argumentor. Non repugnat, quòd plura prædicata, quantùm est ex natura sua, simul vniantur, vt patet in Deo, in quo infinitæ perfectiones coadunantur in vnam simplicissimam entitatem, quæ licet sint eminentioris ordinis, à nobis tamen concipiuntur intrà idem genus cum perfectionibus creatis, vt est intelligere, amare, & alia huiusmodi, & hoc non obstante concipimus coaduanri simul, neque hoc repugnat earumdem rationi formali, ergo etiam in creaturis prædicata illa, quæ concurrunt, vt necessaria ad constituendam vnam essentiam, & quæ sunt inter se connexa in ratione superioris, & inferioris, coadunabuntur in vnicam entitatem. Hæc consequentia declaratur: quia iam ex parte prædicatorum, prout important diuersas perfectiones, non adest repugnantia. Sed neque adest repugnantia ex eo, quòd sint rationes limitatæ, nam quòd plura prædicata vniantur in eadem entitate, non est contra rationem limitationis. Imò hoc necessariò dicendum est: nam ideò in Deo sunt vnita in eadem entitate, quia natura illius talia prædicata postulat, & excludit compositionem, ergo cum etiam creatura postulet plura prædicata ad sui constitentionem, quæ absque compositione sint connexa in ratione superioris, & inferioris, debent hęc prędicata coadunari in vnam entitatem, alioquin tolleretur creatura, quę esset simplex, & dicendum esset angelos non esse substantias simplices, sed compositas ex materia, & formas; non enim potest esse compositio substantialis, vbi non est materia substantialis, & in quolibet angelo ponendę forēt plures entitates, quod dici nō potest.

2. ratio.

Non repugnat plura prædicata coadunari in vnam entitatem.

Vnde ſi hoc conceditur in angelis, etiam concedendum erit in formis ſubſtantialibus, cum eadem ſit ratio.

V. Atque poſſumus etiam huius rei rationem à priori aſſignare ex naturali conditione horum prædicatorum. Hæc enim prædicata, quæ ſe habent, vt ſuperius, & inferius, ſunt inter ſe ſubordinata in ordine ab vnam eſſentiam, atque ita ſe habent, vt inferiora eſſentialiter ſupponant ſuperiora, in quibus fundentur; atque ſeruant hunc ordinem eſſentialem inter ſe, vt impoſſibile ſit, variari; neque enim fieri poteſt, vt aliquid ſit ſubſtantia, & ſit lapis, verbi gratia, & non ſit etiam corpus, quia eſſe lapidis eſſentialiter fundatur in eſſe corporis.

Gradus eſſentiales ſubordinati eſſentialiter cõnexi, & ſola dè entitatis cõſtitutiui

Rurſus nedum habent hæc prædicata eſſentialem connexionem inter ſe, ſed etiam vnum eſt contractiuum alterius intrà idem genus. Superius enim trahitur ab inferiori ad eſſe magis determinatum; atque natura illa, quæ in primo prædicato ſuperiori inchoatur, per inferiora completur intrà eamdem rationem. Sic natura ſubſtantialis, quæ per rationem ſubſtantiæ inchoatur per rationem corporis, & per alias ſubſequentes completur intra rationem naturæ ſubſtantialis, ſit enim talis ſubſtantia. Omnia igitur iſta prædicata identificantur in eadem entitate, quia non ſolùm eſſe vniur, fundari debet in alio, ſed etiam quia ſunt conſtitutiua eiuſdem entitatis completæ, ita vt per nullum ex his prædicatis ſeorſim ſumptum poſsit haberi entitas aliqua completa intra aliquam rationem eſſentialem; Cum igitur quælibet entitas debeat dicere eſſentiam completam in ſuo genere, hoc eſt in illo, in quo participat aliquod eſſe inchoatum, & non poſſit reperiri aliqua entitas, quæ non dicat aliquod eſſe, integrum in aliqua ratione, nempè in propria, concludendum eſt, quòd hæc omnia prædicata debeant in aliqua vna entitate vniri; quòd autem omnis entitas debeat participare aliquod eſſe integrum in ſua ratione, indè oſtenditur, quòd illud eſſe, quod participatur ex vi alicuius entitatis ſeorſim ſumptæ, eſt ſe ſolo communicabile phyſico modo, & idcirco debet eſſe aliqua natura phyſica, quæ ex ſe poſſit ſe ſola conſiſtere, & ſit ſe ſola producibilis; hoc autem ſaluari non poteſt, niſi dicat aliquod eſſe phyſicum integrum.

Confir.

VI. Et poteſt totus hic diſcurſus confirmari ex tranſcendentia entis. Ratio enim entis ſuprema, quæ immediatè deſcendit ad rationes, per quas cõtrahitur, videlicet ad rationem ſubſtantiæ, & accidentis, deſcendit etiam ad alias inferiores rationes, ita vt per omnes tranſcendat vſque ad rationem indiuiduationis incluſiuè. Hinc ergo ſequitur, quòd cum ratio entis, quæ deſcendit ad primum gradum eſſentiæ determinatum, tranſcendat etiam per omnes alios vſque ad vltimum; omnes iſti gradus vniantur in ratione entis, quatenus vnuſquiſque eadem ratione entis tranſcendentis eſt ens.

Omnes gradus ſubordinati vniuntur, & identificãtur in ratione entis tranſcẽdẽtis

Quòd enim ſit eadem ratio entis, indè patet, quia ratio ſuprema entis eſt illa, quæ tranſcendit; non poteſt autem ſaluari ipſius tranſcendentia, niſi eadem per omnes gradus inferiores eſſentiæ vagetur. Deinde omnes gradus inferiores fundantur in ſuprema, ratione entis, tanquam in fundamento totius realitatis, vndè oportet, quòd eadem ratio entis imbibatur in omnibus gradibus. Quòd ſi quis adhuc contenderet, non eſſe eamdem rationem entis; inquiro, an ratio entis, quæ imbibitur in vno gradu eſſentiæ, ſit diuerſa formaliter ab ea, quæ imbibitur in alio gradu, vel non ſit diuerſa, ſed eadem formaliter. Non poteſt dici, quòd ſit diuerſa, quia ratio entis formalis eſt vna, & eadem in omnibus, nec dantur in ratione entis diuerſæ rationes formales, quia vna eſt tantùm ratio formalis cuiuſcunque formalitatis, ſic vna eſt ratio formalis ſubſtantiæ, vna ratio formalis corporis, vna ratio formalis caloris, & ſic de ſingulis fieri poteſt eadem inductio. Si igitur ratio formalis entis eſt vna in omnibus gradibus eſſentiæ, ſequitur, quòd neque indiuidualiter poſſit multiplicari, aut alio modo; iſti enim gradus eſſentiæ ſunt inter ſe ſubordinati, & proindè non poſſunt diuidere rationem entis ſuperiorem aliquo modo; quæ enim diuidunt rationem aliquam ſuperiorem, nequeunt eſſe ſubordinata. Remanet ergo, quòd eadem omnino ratione entis omnes gradus ſubordinati alicuius eſſentiæ ſint ens.

Eadem ratio entis imbibitur in omnibus gradibus eſſentiæ ſubordinatis.

Cum autem ratio entis metaphyſica tranſit ad eſſe phyſicum, ſit entitas, ergo eadem entitate omnes illi gradus erunt quid reale phyſicum. Atque hæc ratio quantùm patitur metaphyſica materia demonſtratiua eſt, & efficaciſſimè conuincit veritatem huius ſententiæ.

VII. Po-

Confir. secundo.

VII. Potest tamen adhuc vlterius declarari. Non potest poni à parte rei aliqua entitas, nisi singularis sit, & indiuidua, debet enim esse terminus actionis singularis, & debet esse talis, vt habeat suam entitatem, seorsim à quacunque alia entitate, ita vt cum nulla alia communicet in esse entitatiuo, ergo non potest poni aliqua entitas à parte rei, nisi includat omnia prædicata, per quæ descendat à suprema ratione entis, vsque ad rationem infimam indiuiduationis.

Quicquid ponitur à parte rei entitatiuũ, est indiuiduũ, & entitatiue distinctũ à quocunque alio.

Declaratur hæc consequentia, nam si quilibet gradus poni posset à parte rei cum entitate propria, quæ seorsim se haberet à quocũque alio, deberet esse indiuiduus, & consequenter deberet secundùm suam propriam rationem formalem esse aptus, vt immediatè seipso vniretur cum indiuiduatione, quod tamen dici non potest, nam sola ratio speciei infimæ est immediatè vnibilis cum indiuiduatione, ratio verò generica petit ex natura sua vniri cum alia differentia essentiali; quod enim est immediatè vnibile cum indiuiduatione, debet esse completum essentialiter, ita vt non sit susceptiuum vlterioris complementi essentialis; indiuiduatio enim ex natura sua est extra essentiam, & supponit illam constitutam in ratione essentiæ, & ideò in ratione essentiæ debet esse completa; quod non conuenit gradui generico, qui ex vi suæ potentialitatis non est vnibilis cum indiuiduatione, sed cum alio gradu essentiæ, ad quem ordinatur, vndè gradus superiores possunt tantùm vniri cum indiuiduatione, mediis inferioribus, & idcirco debent cum ipsis in eadem entitate identificari.

Quidquid entitatiuum est à parte rei, est completum secundum oẽs gradus essentiæ.

3. ratio.

VIII. Atque hinc infertur etiã aliud inconueniens, quòd si ad multiplicationem graduum essentialium, multiplicarentur etiam formæ physicæ, daretur aliqua essentia existens, quæ non esset constituta in vltima specie, & proindè physicè esset quid commune pluribus speciebus; quod enim non est constitutum in vltima specie, debet esse commune pluribus speciebus. Vndè cum illa ratio habeat ab intrinseco suo illam communitatem, & rursus sit singularis, esset simul communicabilis, & incommunicabilis, non enim indiuiduatio tolleret illam communicabilitatem, quam haberet ratio illa in ratione generis, quia omnis communicabilitas tollitur tantùm per actum communicationis sibi proprium, & per determinatiuum, quod talis ratio ex vi communitatis suæ respicit, vndè communicabilitas generis potest tantùm tolli per determinatiuum specificum; tunc autem ratio illa generica non haberet determinatiuum specificum, & proindè remaneret communicabilis, vndè simul, & semel esset communis, & indiuidua.

Idem gradus essentiæ genericus esset communicabilis, & incommunicabilis si importaret propriã formam physicam.

Præterea confirmatur. Quod est constitutum in aliqua vltima specie, debet etiã rationem generis participare; non enim potest forma aliqua esse in infima specie, nisi sit etiam in aliquo genere; species enim essentialiter constituitur ex genere, & differentia, tanquam ex principiis intrinsecis, si igitur illa entitas, quæ dicit vltimum gradum alicuius essentiæ, est speciei infimæ, sequitur, quòd participet etiam rationem superiorem generis. Et præterea inquiro, an entitas illa, quæ confert gradum specificum in esse substantiali, conferat etiam esse substantiale vt sic, vel non conferat. Si confert esse substantiale, ergo continet etiam gradum superiorem substantiæ, & plura prædicata in eadem entitate identificabuntur. Si verò non continet esse substantiale, ergo dabitur aliqua entitas, quæ neque sit substantialis, neque accidentalis; quòd fieri non potest, cum ratio substantiæ, & accidentis adæquatè diuidant totam rationem entis, & immediatè adueniant enti vt sic.

IX. Denique argumentari possumus, quia etiam iuxtà oppositam sententiam concedendum est plura prædicata, & plures gradus essentiæ identificari in eadem entitate. Quòd si semel aliqui conceduntur identificari in eadem essentia, etiam debet concedi, quòd identificentur adinuicem omnes illi, qui inuicem subordinantur, & conueniunt ad constituendam vnam essentiam, quia cessat necessitas multiplicandi entitates iuxtà multiplicationem prædicatorum essentialiũ. Assumptum autem ostenditur, nam si iuxtà diuersa prędicata, quę conueniunt alicui composito substantiali, multiplicantur entitates, & formæ, ad hoc, vt hę formę constituant vnam essentiam, quæ sit vna per se, necessarium est, quòd vniantur, vt actus, & potentia, præsertim cum sint prædicata subordinata; illa enim sola, quæ se habent, vt actus, & potentia, constituunt vnum per se. Hine entitas illa, quæ importat aliquem gradum primum genericum, vt est ratio substan-

4. ratio.

In quacũque sententia plura prędicata in eadem entitate identificãtur.

stantiæ, est actus substantialis respectu materiæ, quam informat, rursus, quia debebit vniri cum alia entitate, quæ afferet alium gradum, vt esset ratio corporis, erit potentia substantialis respectu illius. alioquin non constituet vnum per se, ergo in eadem entitate erit multiplex gradus essentiæ, nempe ratio actus, & ratio potentiæ, & ratio substantiæ; & eodem modo philosophandum est etiam de cæteris entitatibus. Quòd si quis dicat, etiam iuxta hos gradus multiplicari entitates, procedēdum esset in infinitum, aut sistendum in aliqua entitate, quæ sit potentia, & actus, vt discurrenti patet. Similiter quoque omnes istæ entitates, quæ multiplicarentur ad multiplicationem prædicatorū essentialium, essent necessariò indiuiduæ, vt dictum est etiam supra, ergo præter talem gradum essentiæ, v. g. corporis, seu substantiæ, participabunt etiam rationem indiuiduationis, vndè ex hoc quoque capite plures gradus, & plura prædicata identificabuntur in eadem entitate.

Confir. X. Et in confirmationem huius rationis afferri potest aliud inconueniens, quod ex opposita sententia sequitur, nēpe quòd materia prima, vt materia prima est, non esset primum subiectum. (Absurdū ex opposita sententia.) quòd autem sequatur hoc absurdum sic ostenditur. Materia prima, vt est primum subiectum, est quid substantiale, participans rationem entis substantialis, est pura potentia participans rationem potentiæ primæ substantialis, atque hęc omnia essentialiter includuntur in materia, vt est primum subiectum; formaliter enim dicit rationem potentię, seu subiecti; si igitur ad multiplicationem prędicatorum multiplicantur formæ physicę, debet poni in materia, suprà rationem entis substantialis, aliqua entitas, quę illi conferat esse potentiæ, seu subiecti, & consequenter materia, vt materia est, non erit primum subiectum, quia in ratione subiecti primi constitnetur per aliquam entitatem superadditam enti substantiali; hæc autem entitas, cum recipiatur in aliquo, tanquam in subiecto, erit forma, & supponet primum subiectum, quomodo ergo illud constituet? Alia argumenta videri possunt apud Gregor. & Soncin. supracit. in sect. præcedenti; hæc, quæ adduximus, sufficienter conuincunt nostram sententiam, & ideò alia omittimus breuitati consulentes.

Soluuntur rationes oppositæ sententiæ.

SECTIO III.

I. Rationes pro opposita sententia facillimè dissoluentur, si attendamus naturam horum prædicatorū metaphysicorum. Hæc enim prædicata important formalitates quasdam, quæ in vna essentia physica distinguuntur per intellectum, vt dicemus; cum fundamento tamen in re, ex eo, quòd inadæquatè talem essentiam concipit. Ex quo fit, quòd seorsim sumpta non sint vna integra natura, neque aliquod integrum esse: sed solùm aliquod esse inadæquatè cōsideratum. Hinc ad primam rationem dicimus, quòd licet singula prædicata metaphysica habeant rationem actus, seu formæ, non tamen habent simpliciter, sed cum addito, nempe metaphysici. (Ad primā.) Ratio autem metaphysici in præsenti distrahit rationem actus, & formæ, & facit, quòd non sit aliqua forma integra, sed solùm aliquid de aliqua inadæquatè considerata. (Prædicata metaphysica sunt formalitates non integræ formæ.) Hinc cum huiusmodi prædicata transeunt ad esse physicum, non possunt se solis constituere vnam entitatem, quia non dicunt aliquod esse integrum. Deindè quòd non constituant singula propriam entitatem, obstat ipsorum subordinatio, quia ratione huius subordinationis non possunt diuidere rationem entis, ita vt in varias entitates multiplicentur, vt dictum est sect. præcedenti.

II. Hinc etiam patet ad secundam rationem, quia licet Esse physicum, & metaphysicum in hoc solo distinguantur, (Ad secundam.) generaliter loquendo, & comparando esse physicum, vt sic, ad esse metaphysicum, vt sic, quòd metaphysicum abstrahit ab omni materia, vt docent communiter; comparando tamen tale esse physicum cum tali esse metaphysico, non ex æquo sibi correspondent. Atque si forma physica comparatur cum metaphysica, aut econtra, non sibi proportionantur. (Forma metaphysica quo differat à physica, etiā præcise considerata abique materia.) Cuius rei ratio est, quia alio modo se habet forma physica, ac se habeat metaphysica. Physica enim actuare debet entitatem potentialem à se distinctam, & ideò habere debet propriam entitatem dicentem integrum esse; forma verò metaphysica actuat solùm formalitatem distinctam, & ideò non est necessè, quòd dicat integrum esse. Hinc

est, quòd si à forma physica abstrahatur essentia metaphysica, talis essentia dicet aliquid integrum, & completum in sua ratione, atque adeò includens plura prædicata, quòd non contingit in forma metaphysica, quæ dicit tantùm simplex prædicatum sumendo illam vt simplex est; & ideò plus essentiæ requiritur ad constituendam formam physicam, quàm requiratur ad constituendam formam metaphysicam, nec potest consequenter forma metaphysica transire ad esse physicum, nisi simul cum cæteris prædicatis, & gradibus essentiæ necessarijs coniungatur.

Ad tertiũ. III. Tertia autem ratio difficultatem tangit, quomodo in eadem forma physica possint aliqua conuenire, & simul in eadem differre, hoc enim videtur impossibile, quòd eadem forma simplex, & indiuisibilis sit simul ratio conuenientiæ, & diuersitatis. Sed dicendum est, quòd eadem essentia physica, quæ in aliqua forma imbibitur est simpliciter diuersa ab alia essentia, quæ in alia forma imbibitur, quia habet aliquem gradum essentiæ, per quem diuersificatur, & hic gradus est veluti complementum talis essentiæ; quia tamen non est omnino diuersa, sed necessariò habet aliquam similitudinem, ideò potest intellectus distinguere diuersos gradus, quorum aliqui sint ratio conuenientiæ, aliqui verò ratio diuersitatis. Radix autem necessitatis, vndè pronenit, quòd hæ essentiæ physicè acceptę debeant habere aliquam conuenientiam, est, quia omnes sunt aliquid participatum à summo ente per essentiam, & ideò sunt omnes intrà eamdem latitudinem entis participati, cum aliqua tamen diuersitate illius, quòd participant, atque hoc eodem modo esse possunt intrà latitudinem alterius gradus essentialis, imò debent aliqua necessariò conuenire in eodem gradu essentiæ, quia non possunt accedere ad illum vltimum gradum perfectionis, quem habent, nisi etiam mediet talis, vel talis gradus essentiæ, & cum diuina essentia sit infinitis modis participabilis, potest participari secundùm aliquam perfectionem ab vno, & rursus participari ab alio secundùm eamdem perfectionem inadæquatè tamen acceptam, sed superaddendo alium gradum perfectionis. Hinc ergo fit, quòd vnum prædicatum in vna forma physica sit coniunctum cum vno gradu perfectionis, & in alia forma sit coniunctum cum alio gradu perfectionis, & quòd secundùm idem esse physicum aliqua conuenire possint, atque differre, quia huiusmodi conuenientia non erit secundùm esse adæquatum, sed inadæquatum. Hinc non sequitur, quòd homo quatenus est animal, sit rationalis; aut quatenus rationalis sit animal; quoniam particula illa reduplicatiua non reduplicat esse physicum, sed formale prædicatum metaphysicum, prout desumptum ab eadem forma ab alijs distinguitur. Hinc etiam falsa manet illa sequela, videlicet, quòd quando semel aliquod prædicatum reperitur vnitum cũ alio, nunquam sine illo possit reperiri; & vbi est vnum, debeat poni etiam alterum, quia vt dictum est, vna, & eadem essentia, cum habeat diuersos gradus perfectionis, potest habere conuenientiam cum vno, & differre ab alio, & gradus perfectionis possunt inuicem diuersis modis combinari.

Quomodo eadem entitas sit ratio conuenientiæ, & diuersitatis.

IV. Ad quartam dicimus. Prædicata quidditatiua ita differre formaliter inter se, vt seorsim sumpta sint esse inadæquatum, & veluti partiale alicuius naturæ integræ, & ideò quamuis formaliter differant inter se, conuenire possunt in eamdem entitatem ad constituendum vnum esse integrum; neque obstat illa diuersitas formalis, quia distinctio formalis non sufficit ad inferendam distinctionem entitatiuam. Dicuntur autem diuersa prædicata, principia diuersarum operationum, non quia vnum influat in vnam operationem, alterum in aliam, tota enim essentia physica formæ influit in quamlibet operationem, sed quia vnum prædicatum est radix, cur talis operatio conueniat formæ, & alterum est radix, cur conueniat altera. Cum enim eadem forma habere possit plures operationes, præbet fundamentum intellectui, vt iuxtà ordinem, quem dicit ad has operationes, concipiamus in ipsa diuersa prædicata, diuidendo essentiam in diuersos gradus perfectionis, in ordine ad operationes: non verò, quòd iuxtà operationum multitudinem debeant multiplicari formæ physicæ; vndè falsum est, ex diuersitate operationum colligi diuersas formas physicas, nisi talis sit diuersitas operationum, quòd arguat diuersitatem integri esse physici, quo aliqua completa forma constituatur, quod

Ad quartam.

Cur diuersa prædicata conueniant in vnam entitatem.

Quomodo diuersa prædicata sint principia diuersarum operationum.

tunc

tunc contingit, quando fundantur illæ operationes in gradibus perfectioribus ita diuersis, vt incompossibiles sint in eadem entitate.

Arist. illustratur. V. Quòd autem spectat ad authoritatem Arist. dicendum est, quòd in cap. 2. lib. 1. Metaph. arguit à maiori ad minus, & argumentum ita procedit. Si in prædicatis quidditatinis, quæ multò plura sunt, quàm formæ physicæ, non datur processus in infinitum, multò minùs dabitur in causis formalibus, quarum vnaquæque continet plura prædicata. Vel etiam potest responderi, vt innuit Auer. ibid Quod sensus Arist. est talis; Videlicet, quòd si darentur infinitę formę, etiam infinita essent prædicata quidditatiua, quia ad minùs vnum prædicatum à singulis formis desumeretur, vndè excludendo infinitatem prædicatorum, excludit quoque infinitatem formarum; non autem intendit, quòd tot sint formæ, quot sunt prædicata quidditatiua. In tex. autem 33. lib. 2. Metaphys. cum inquit, quòd partibus definitionis correspondent partes definiti, intelligendus est, quòd si definitio sit physica, & explicet partes in obliquo, vt Homo est, qui constat ex corpore organico, & anima rationali, correspondent etiam partes physicæ; si verò sit metaphysica, & tradatur per partes in recto, correspondeant partes metaphysicæ, hoc est genus, & differentia, vndè hinc non infertur, quòd tot debeant esse formæ, quot prædicata ponuntur in definitione, quia sufficit, quòd correspondeant diuersi gradus perfectionis, qui sunt partes metaphysicæ rei definitæ.

Auer.

Quomodo partes definitionis correspondeāt partib. definiti.

An gradus essentiales distinguantur inter se ante operationem intellectus.

Disp. LXXIX.

Titulus quæstionis, & Auctorum sententia.

SECTIO I.

I. CVm isti gradus, quibus rerum essentiæ coalescunt, non desumantur à diuersis formis physicis necessariò, sed possint plures ab eadem forma accipi, restat inquirendum, an, & quomodo distinguantur inter se: & cum non possint distingui entitatiuè, quia tunc vnusquisque importaret propriam formam physicam, difficultas est, an distinguantur aliquo alio modo distinctione aliqua, quæ præcedat operationem intellectus, & sit distinctio illa, quam vocant Scotistę formalem ex natura rei, an verò solùm distinguantur ratione, cum fundamento tamen in re. Quando autem inquiritur de distinctione horum graduū, sumi debent in eodem supposito, seu in essentia, prout apta est esse in eodem supposito, & tunc comparare vnum gradum cum alio, vt si comparetur rationalitas, quę est in Petro ad animalitatem, quę est in eodem. Hęc autem quęstio affinis est cum illa, quam supra disp. 36. agitauimus, vbi quærebamus, an ratio entis vt sic ante operationem intellectus à rationibus inferiorum distinguatur: ex ijsdem enim principijs vtraque quæstio decidenda est; & solùm discrimen est penes transcendentiam entis, ratione cuius facilius conuincitur indistinctio ipsius ab inferioribus.

Punctus difficultatis.

II. Omissa autem sententia, quę adscribi solet Ianduno, quòd videlicet hi gradus realiter distinguantur, quod in tantùm asseri potest, in quantùm ponitur multiplicatio formarum physicarum sequi multiplicationem prædicatorum, de quo nos egimus disp. præcedenti, duæ celebres sententiæ in hac difficultate reperiuntur. Prima communis est apud Scotistas, quam etiam nonnulli alij sequuntur, & asserit, quòd huiusmodi gradus distinguantur aliquo pacto, antè operationem intellectus, nimirum distinctione formali ex natura rei, quæ quidem maior est distinctione rationis, quatenus non fit ab intellectu; minor autem est di-

Prima opinio. Distingui formaliter ex natura rei.

stinctione reali, quatenus ea, quæ distinguuntur formaliter, identificantur adhuc in eadem entitate: de hac autem distinctione agemus suo loco, vbi plenius eam explicabimus. Tradunt autem hanc sententiam Scot. in 2. dist. 3. quæst. 1. & 7 Metaph. quæst. 16. Anton. Andreas ibid. quæst. 7. Trombeta quæst. 4. Fons. 7. Metaph. cap. 12. quæst. vnica sect. 11.

Scot. Anton. Andreas. Trōba a. Fonseca.

Fūdamēta huius sententiæ

III. Rationes autem pro hac sententia plures afferri solent, quarum præcipuæ sunt. Quia vna essentia, nemine cogitante, per rationem genericam conuenit cum alia, & differt per rationem differentialem, sic etiam alia est quidditas rationalitatis ex natura sua, alia animalitatis, ergo hi gradus ex natura sua differunt, nec ab intellectu recipiunt diuersitatem. Secunda, si gradus essentiales in re non distinguerentur, posset in Deo poni genus, & differentia, nihil enim aliud obstat præter hanc distinctionem, quæ præcedit opus intellectus. Tertia, gradus isti, nempe genericus, & differentialis, quibus intrinsecè coalescit essentia, sunt partes definitionis, partes autem definitionis debent ex natura rei distingui. Quarta, vnus gradus essentiæ negari potest de alio; dicimus enim, animalitas non est rationalitas; si autem non interueniret distinctio ex natura rei, non possent hi gradus inuicem negari. Denique vna essentia est eadem cum alia secundùm gradum genericum, vt homo est idem cum leone secundùm esse animalis, si ergò gradus genericus non distingueretur ex natura rei à gradu differentiali, sequeretur, quòd rerum essentiæ essent omnino idem inter se, quia cum gradus differentiales earumdem sint idem ex natura rei cum gradu generico, erunt idem etiam inter se Quæ enim sunt eadem vni tertio, sunt etiam eadem inter se, eo pacto, quo sunt eadem illi tertio. Possent etiam aliæ rationes afferri, sed quia fortiores ex ijs supra attulimnus prædicta disp. & dissoluimus, ideò non est opus, eas amplius repetere.

Secunda opinio. Distinguit solùm ratione cū fundamēto. D. Th. Ferrar.

IV. Altera autem sententia est huic opposita, & asserit, quòd gradus isti essentiales sola ratione distinguantur cum fundamento in re, nec aliquo pacto admittit distinctionem ex natura rei inter ipsos. Ita D. Th. 1. par. quæst. 50. ar. 4. ad 1. & quæst. 56. ar. 3. ad 4. & 7. Metaph. lect. 4. Ferrar. 1. contra Gent. cap. 24. §. *Ad euidentiam, &c.* Heru. quodlib. 1. quæst. 9. Capr. in 1. dist. 8. quæst. 2. art. 3. Caiet. de Ente & essent cap. 4. quæst. 6. Soncin. 7. Metaph. quæst. 36. Iauel. quæst. 18. Suessan. disp. 15. cap. 3. Vasquez. 1. par. disp. 179. num. 2. & disp. 118. num. 14. Alens. 4. Metaph. tex. 11. Durand. in 2. dist. 3. quæst. 2. num. 14. Soto in Logica quæst. 1. vniuersal. conclus. 3. & quæst. 3. art. 2. Tolet. quæst. 3. Vniuer. Gregor. in 2. dist. 16. quæst. 2. conclus. 1. Gabr. ibid. quæst. vnica ar. 1. Ocham. quæst. 24. & alij Nominales Suarez. in Metaph. disp. 6. sect. 9. Ruuius in Logica quæst. 4. de differ. Auersa item in Logica quæst. 13. sect. 4. & communiter omnes præter Scotistas, & nonnullos alios. Albertin. autem tom. 2. principio 1. Philosoph. disp. 1. quæst. 10. dub. 2. licet hanc sententiam probabilem putet, existimat tamen oppositam, quæ ponit distinctionem ex natura rei inter gradus essentiæ, non posse euidenter falsitatis conuinci. Aliqui verò existimant, quòd Nominales neque ponant distinctionem rationis; sed hoc indè prouenit, quòd diuerso modo explicant distinctionem rationis.

Heru. Capr. Caiet. Soncin. Iauel. Suessan. Vasquez. Alens. Durand. Soto. Tole. Gregor. Gab. Ocham. Suarez. Ruuius. Auersa. Albertin.

V. Solent etiam pro hac sententia complures rationes afferri, & præcipuæ sunt, quia cum genus sit quid potentiale, si à differentijs à parte rei distingueretur, posset sub ipsis transmutari, quemadmodum materia transmutatur sub formis substantialibus: non enim materia alia ratione sub formis transmutari potest, nisi quia respectu illarum se habet vt potentia, & ab ijsdem in re distinguitur. Quòd autem genus transmutari possit sub differentijs est valdè absurdum, quia sequeretur, quòd animalitas hominis posset fieri animalitas leonis, rursus perire posset rationalitas, absq; eo quòd periret animalitas. Hinc etiam elicitur confirmatio efficax; posita enim hac distinctione sequitur, quòd vnus gradus essentialis possit corrumpi, & produci sine alio, quemadmodum destrui potest forma, seu figura, non destructa materia, seu quantitate. Secunda. Vnusquisque gradus produceretur distincta actione ab alio, vndè anima rationalis pluribus actionibus crearetur, quòd est similiter absurdum. Tertia. Quoniam quicquid est à parte rei ab alio distinctum, debet esse in aliqua specie determinata,

Rationes pro hac sententia.

Secunda.

Tertia

quòd

quòd dici non potest de istis gradibus, siquidem genericus non potest esse in specie infima, vt per se euidens est. *Quarta.* Quarta. Quoniam sequeretur, dari vniuersale in indiuiduo, siquidem in ipso reperiretur gradus genericus communis distinctus à differentia, & indiuiduatione. *Quinta.* Quinta. Gradus vnus essentiæ non potest magis distingui ab alio, quàm distinguatur gradus essentiæ ab indiuiduatione, & gradus essentiæ non distinguitur à parte rei ab indiuiduatione, ergo cum sit vna tantùm indiuiduatio in qualibet natura, gradus non distinguentur inter se, sicuti omnes non distinguuntur ab eadem indiuiduatione. *Confir.* Confir. quoniam cum gradus superior non possit cõiungi cum indiuiduatione, nisi medijs inferioribus, non posset esse indiuiduus ex vi sui esse; at omne, quòd ab alio distinguitur à parte rei, est indiuiduum ex vi sui esse.

Prædictæ rationes insufficientes. VI. Verùm, si rigorosè perpendantur allatæ rationes, nulla ex ipsis conuincens est. Tres enim primæ excludunt tantùm distinctionem realem entitatiuã, non autem illam formalem ex natura rei, quam ponunt Scotistæ, nam quòd vnum possit sub alijs transmutari infert distinctionem realem entitatiuam, vt contingit in materia, & forma, aut saltem modalem, vt inter quantitatem, & figuram: neque ad hanc transmutationem sufficit distinctio formalis ex natura rei. *Distinctio formalis stat cum identitate entitatiua.* quia talis distinctio est simul cum identitate entitatiua, & idcirco ratione huius identitatis non potest vnum extremum distinctionis formalis tolli, aut poni, siue per productionem, siue per corruptionem, siue quocunque alio modo sine altero. Et rursus ob hanc identitatem non sequitur, quòd debeant hi gradus distinctis productionibus produci, etenim productio tendit ad esse entitatiuum, & ideò solùm vbi sunt distinctæ entitates, interueniunt distinctæ productiones: & similiter etiam solùm entitates debent esse constitutæ in aliqua vltima specie. Neque quarta ratio efficax est, quia vniuersale est vnum in multis; dum autem natura est in vno indiuiduo, quamuis à cœteris gradibus distinguatur, quia non est in multis, prout est in illo, est enim respectu suæ communitatis inadæquatè in illo, ideò non sequitur, quòd in vno indiuiduo detur vniuersale. Similiter etiam ad quintam dicerent Scotistæ, quòd sicuti gradus essentiales distinguuntur inter se ex natura rei, ita etiam distinguuntur ab indiuiduatione, vndè nihil concludit ratio illa. *Quicquid est à parte rei, indiuiduũ est loquendo de esse entitatiuo.* Et ad confirmationem dici posset, quòd gradus superior non debet esse indiuiduus ex se, sed fieri indiuiduus simul cum alijs gradibus ab vltimo gradu, qui superuenit, nempe indiuiduatione, & omnes coalescere in vnam entitatem; & cum dicitur, quòd quicquid est à parte rei, debet esse indiuiduum ex se; intelligi debet de esse entitatiuo, non de esse formali, ita vt qualibet formalitas habeat propriam indiuiduationem, quia sufficit ad omnes gradus essentiæ vnica indiuiduatio, vt potè quia coalescunt omnes in eamdem entitatem. Albertin. autem supracit. inquit, quòd quilibet gradus habet suam partialem indiuiduationem, ita vt tot sint partiales indiuiduationes, quot sunt gradus in qualibet essentia, ex quibus vna totalis indiuiduatio coalescat, quemadmodum ex omnibus gradibus essentiæ coalescit vna totalis essentia. Sed tamen non rectè, quia ratio generica secundùm se totam est potentia essentialis respectu rationis differentialis, vndè non potest immediatè contrahi per differentiam indiuidualem, nisi prius contrahatur per differentiam essentialem; *Non dantur tot partiales indiuiduationes quot sunt gradus essentiæ.* in contractione enim debet seruari indigentia capacitatis essentialis, quam dicit ratio contrahibilis, nec potest aliqua ratio communis contrahi per aliena contractiua, indiuiduatio autem est contractiuum proprium speciei infimæ, quia eius contrahibilitas se habet tantùm respectu indiuiduorum; differentiæ verò essentiales sunt contractiua propria generis, vt potè, quia dicit essentiam inchoatam, & non completam, & ideò quicquid generi aduenit, aduenire debet tanquam proprium complementum, nec debet inuerti ordo essentialis, qui inter hos gradus reperitur. Et quemadmodum ad constituendã quamlibet essentiam in tali, vel tali esse, v. g. naturam humanam in esse rationali, sufficiens est vnica ratio formalis talis esse, nempe rationalitatis, aut alterius, ita etiam ad constituendam naturam quamlibet in esse indiuiduo, sufficit vnica ratio formalis indiuiduationis, nec multiplicandæ sunt tot indiuiduationes, siue totales, siue partiales, *Genus nõ potest immediate vniri cũ Indiuiduatione.* quia etiam partiales dicunt rationem formalem indiuiduationis integram, consistit enim in in-

diuiſibili, quæ ideò non participatur, aut totaliter participatur. Deinde idem ordo, qui eſt inter genus ſummum, & ſubalternum, atque ſpeciem infimam, eſt etiam inter genus ſubalternum, ſpeciem infimam, atque indiuiduationem, ſicut ergo genus ſummum non poteſt vniri immediatè cum differentia ſpeciei infimæ, ſed debet vniri mediante ſubalterna, quando tamen interuenit differentia ſubalterna; ita etiam genus ſubalternum non poteſt vniri cum indiuiduatione, niſi mediante differentia ſpeciei infimæ, vt ſeruetur neceſſaria proportio inter contractiuum, & contrahibile.

Præfertur ſecunda ſententia, & vera ratio ipſius aſſignatur.

SECTIO II.

I. Iuxtà ea, quæ diximus diſp. 36. de indiſtinctione ex natura rei entis vt ſic à ſuis inferioribus, ſecunda ſententia nobis amplectenda eſt, & vera ratio ipſius aſſignanda. Hoc autem prius præmittimus. Quòd ſi iſti gradus à parte rei diſtinguerentur, nõ poſſet vnus diſtingui ab alio tanquam modus à re, ſed omnes deberent diſtingui inter ſe tanquam res, & res; non ſolùm quia non eſt maior ratio de vno, quàm de alio, quòd ſe habeat tanquam res, & alter tanquam modus, quia de illo, qui ſe haberet tanquam modus, poſſet dici, quòd ſe haberet tanquam res, & de illo, qui diceretur ſe habere tanquam res, poſſet dici, quòd ſe haberet tanquam modus, quia, vt iam diximus, non eſt maior ratio de vno, quàm de alio, quòd ſe habeat vt modus, aut vt res: ſed etiam quia vnaquæque formalitas ex ſe importat proprium eſſe, ſecundùm quod poteſt præcisè concipi, abſque eo quòd altera formalitas concipiatur; ſic poteſt concipi animalitas abſque rationalitate, & econtra rationalitas abſque animalitate; in modis autem non ita contingit, quia non poteſt concipi modus, niſi etiam concipiatur res, cuius eſt modus. Accedit etiam, quòd vnaquæque formalitas eſt pars metaphyſica eſſentiæ, & ideò non poteſt ſe habere inſtar modi, quia ſicuti eſſentiæ phyſicæ componuntur ex rebus phyſicis, quando compoſitæ ſunt, ita etiam eſſentiæ metaphyſicæ componi debent ex rebus metaphyſicis, & non ex modis.

Si gradus eſſentiæ à parte rei diſtinguerentur, deberẽt omnes eſſe tanquam res.

II. Hinc etiam ſequitur, quòd gradus metaphyſici diſtinguantur inter ſe ratione ratiocinata, hoc eſt cum fundamento in re, & ſecundùm conceptus adæquatos; quod ex eo colligitur, quòd ſe habent tanquam partes metaphyſicæ cõſtituentes vnicam eſſentiam metaphyſicam, de ratione autem partium eſt, vt vna ſit adæquatè extrà aliam: & proindè videmus, quòd gradus illi, qui ſunt communes pluribus, ita reperiuntur cum vno gradu differentiali, vt etiam ſint omnino ſine illo, ſic animalitas in homine eſt cum rationalitate in equo tamen eſt omnino ſine rationalitate, quod ſignum eſt, eſſe adæquatè extrà ipſam, & conſequenter etiam rationalitas erit adæquatè extrà animalitatem, quia neutra ipſarum tranſcendens eſt, ita vt debeat intrinsecè imbibi in altera. Et idcirco poſſunt hi gradus inuicem negari, ſic dici poteſt animalitas non eſt rationalitas, & rationalitas non eſt animalitas. Quod etiam docuit Ariſt. 3. Metaph. tex. 10. dũ inquit, quòd differentiæ ſunt extrà genus, & lib. 7. tex. 42. habet, quòd differentiæ non ponuntur in ratione generis; ſed ſe habent tanquam actus eſſentialis reſpectu illius, & reddit rationem, quia differentiæ incompoſſibiles ſunt, & contrariæ. & tex. 43. docet, quod genus ſe habeat tanquam potentia, & materia reſpectu differentiarum.

Metaphyſici gradus eſſentiæ diſtinguuntur inter ſe ratione ratiocinata.

Ariſt.

III. His igitur ſic ſtantibus, ſolùm dubitatio remanet de diſtinctione formali ex natura rei, pro cuius ſolutione dicendum eſt; Non dari iſtam diſtinctionem formalem ex natura rei inter gradus eſſentiæ, quæ præcedat operationem intellectus; ſed ſola ratione diſtingui. Probatur autem. Non poteſt poni diſtinctio aliqua, niſi ponatur ſufficiens diſtinctiuum proportionatum, & correſpondens tali diſtinctioni; diſtinctiuum enim eſt ratio formalis diſtinguendi, ſinè qua impoſſibile eſt, ſaluari diſtinctionem aliquam; ſic ad ſaluandam diſtinctionem eſſentialem, oportet, ponere diuerſas eſſentias, ad ſaluandam diſtinctionem formalem, diuerſas formalitates, ad ſaluandam diſtinctionem realem, diuerſas realitates: diſtinctio enim formaliter conſiſtit in pluralitate, & extrema ſunt illa, quæ qualificant diſtinctionem; ex quo fit quòd neceſsè ſit vnum extremorum eſſe

Cõcluſio.

Gradus eſſentiæ nõ diſtinguuntur formaliter ex natura rei ante opus intellectus.

Diſtinctio nequit eſſe abſque diſtinctiuo, cui debet proportionari.

extrà alterum secundùm illud esse, quo distinguitur. Huiusmodi autem sufficiens distinctiuum, nempe distinctiuum, quòd possit distinguere à parte rei, non reperitur in gradibus essentiæ seorsim sumptis; hi enim gradus non important seorsim sumpti aliquod esse, quod possit seorsim ab alijs esse à parte rei, & ideò non dicunt sufficiens distinctiuum pro distinctione, quæ à parte rei reperiatur. Distinctio namque, quæ à parte rei reperitur, debet esse secundùm illud esse, quod potest à parte rei reperiri, quomodo enim reperietur distinctio à parte rei, nisi à parte rei reperiantur extrema, quæ distinguantur? atque cum distinctio ponat extrema seorsim vnum extra aliud, illud solùm erit sufficiens distinctiuum pro hac distinctione, quod potest constituere extremum seorsim ab alio; hoc autem competit tantùm Esse entitatiuo, non autem gradui præciso essentiæ: quia sicuti, quod est seorsim ab alio à parte rei, re vera habet, illud esse, quod potest esse præcisè se solo à parte rei, ita oporret, quòd habeat esse entitatiuum, hoc enim solùm est illud, quod poni potest à parte rei; & sicuti gradus essentiæ non potest se solo poni à parte rei, ita neque ex se sufficiens est, vt constituat extremum distinctionis, quæ fit à parte rei; quomodo enim se solo constituet extremum à parte rei, quod distinguatur ab alio, si se solo non potest esse à parte rei, constituit enim tale extremum seipso formaliter. Confir. In vnoquoque idem est constitutiuum, atque distinctiuum, ita vt illud, quod rem constituit in esse, ipsam quoque ab vnoquoque alio distinguat; at esse entitatiuum est illud, quo res constituitur à parte rei, solùm enim ex vi ipsius potest res poni à parte rei, ergo solùm est illud, quod rem distinguit à parte rei. Confir. secundò. Distinctio ex natura sua est posterior ipso ente, ita vt fundetur in ipso, & ad ipsum consequatur, neque enim haberi potest distinctio sine pluralitate, cum requirat extrema, quæ distinguantur, pluralitas autem est posterior vnitate, supponit enim plures vnitates. Atque in hoc casu valet illa regula, quam tradit Arist. in Postprædicam. Cap. de Priori Quòd illud est prius, quod non conuertitur secundùm subsistendi consequentiam; neque enim ens conuertitur cum distinctione secundùm subsistendi consequentiam, quia non valet, est ens, ergo distinctio: cum enim distinctio supponat pluralitatem, supponit etiam tale, & tale ens, ratione cuius habeatur pluralitas, quando autem concipimus ens vt sic, non concipimus pluralitatem aliquam. Et vt hæc doctrina conformis sit ad principia nostra, debet intelligi de distinctione, qua vnum ens distinguitur ab alio ente, non autem qua distinguitur à Deo, quia cum Deus, vt suo loco diximus, non sit ens, sed quid supereminentius, ens consequenter vt sic est posterius ipso, & idcirco statim ac ponitur ens vt sic, ponitur distinctio, qua à Deo distinguatur. Cum igitur distinctio, qua vnum ens ab alio distinguitor, sit ex genere suo posterior ente, sequitur secundùm regulam proportionis, quòd talis distinctio sit posterior tali ente, cui correspondet, atque in ipso fundetur, ergo distinctio, quæ est à parte rei, erit posterior ente, quod est à parte rei, ita vt in ipso fundetur, prout dicit esse sufficiens, quo sit à parte rei; hoc autem esse sufficiens, quo est à parte rei, est tantùm esse entitatiuum, quia quoad vsque non intelligitur, quod res habeat esse entitatiuum, non intelligitur habere esse sufficiens ad essendum à parte rei.

Confir. — Solùm esse entitatiuum distinguit à parte rei. — Confir. secundo. — Arist. — Distinctio posterior vnitate.

IV. Secundò declaratur hæc sententia. Si gradus isti essentiæ distinguerentur à parte rei vera distinctione, esset talis distinctio formalis, atque essentialis, caderet enim supra esse essentiale vniuscuiusque gradus, atque solùm differret à distinctione essentiarum completarum, quòd non esset distinctio secundùm aliquod esse completum, quemadmodum est illa, sed solùm secundùm aliquod esse incompletum. Imò si in rigore loqui volumus, & considerare veram rationem distinctionis, neque hoc discrimen interueniret; quia, quamuis essentiæ completæ dicant esse integrum, & completum, hi verò gradus tantùm partem essentiæ; multæ tamen essentiæ completæ, vt species infimæ, quæ sunt sub eodem genere, non differunt, nisi secundùm vnicum gradum essentiæ, nempe differentialem, & in tantùm differunt, in quantùm gradus differentiales sunt diuersi, & petunt distingui à parte rei. Ex hoc autem colligitur nostra sequela, quòd si gradus essentiales peterent distinctionem à parte rei, haberent tantam di-

2. ratio. — Si gradus essentiæ distinguerentur à parte rei, distinctio esset essentialis.

diuersitatem, quantam habent essentiæ completæ, cum illæ non magis, quàm secundùm vnicum gradum essentiæ distinguantur. Hoc autem dici non potest, quia si haberent tantam distinctionem, non possent identificari in eadem entitate, quemadmodum non possunt identificari gradus illi differentiales, qui constituunt diuersas essentias; rursus non possent simul coire ad constituendã vnam essentiam, quemadmodum neque coire possunt gradus illi, qui vltimò constituunt diuersas essentias.

Responsio.

V. Verùm respondebit aliquis, quòd gradus illi, qui constituunt diuersas essentias, non sunt inter se subordinati, neque se habent in ratione superioris, & inferioris; at gradus eiusdem essentiæ sunt subordinati, & se habent tanquam superius, & inferius. In hoc ergo consistit disparitas, quòd gradus eiusdem essentiæ, quamuis distinguantur ex natura rei, possunt constituere eamdem essentiam, quia sunt subordinati. Non tamen hæc responsio euacuat difficultatem. Vrgeo enim. Si gradus isti ex eo, quòd sunt subordinati, constituere possunt eamdem essentiam, ergo etiam ex eo, quòd sunt subordinati, non possunt exigere distinctionem à parte rei. Conseq. prob. quoniam gradus, qui à parte rei petunt distinctionem, quantùm est ex vi sui esse formalis, habent talem realem diuersitatem, quam inter se à parte rei exerceant, vt se inuicem excludant, ergo non possunt subordinari inter se, subordinatio enim dicit, quòd aliqua tendant ad vnitatem, vndè quæ subordinantur, quatenus subordinantur, non possunt habere aliquam oppositionem, qua se excludant; cum ergo hi gradus ex vi sui esse formalis præcisè subordinentur, nequeunt ex vi eiusdem se mutuo excludere, ita vt petant distingui à parte rei. Confirmatur quoniam adhuc vrget ratio facta. Quæro enim, cur diuersi gradus essentiales constituant diuersas essentias? certè nihil aliud responderi potest, nisi quia non sunt subordinati, nec possunt communicare in eadem essentia. Sed rursus inquiro, cur non sunt subordinati, nec possunt communicare in eadem essentia? certè oportet, quòd proueniat ab intrinseco ipsorum, quia scilicet sint talis conditionis, vt vnus nequeat ex vi sui esse formalis communicare cum alio. Sed etiam si ex natura sua à parte rei distinguantur, nequit vnus ex vi sui esse formalis communicare cum alio, ergo neque poterunt communicare in eadem essentia, neque inuicem subordinari. Min. ista prob. nam quæ communicant in eadem entitate, sunt idem in ipsa, neque vllo pacto entitatiuè distinguuntur; ergo si isti gradus secundùm suum esse formale inuicem cõmunicarent, non possent à parte rei distingui secundùm idem esse formale; sed sicuti, quæ possunt ex vi suæ entitatis communicare cum alia entitate, non distinguuntur entitatiuè, ita si ex his gradibus vnus potest ex vi sui esse formalis communicare cum alio, non poterit distingui ab ipso à parte rei secundùm suum esse formale.

Refellitur.

Gradus subordinati nequeũt petere distinctionem à parte rei.

Gradus qui petũt distingui à parte rei, neque unt communicare in eadem essentia.

Impugnatur secundo.

VI. Atque hinc impugnatur secundò eadem responsio. Quæ ex natura sua petunt à parte rei distingui, ita se habent ex natura sua, vt vnum non sit aliquid de altero; distinctio enim secernit, atque facit, quòd vnum non sit aliud; quod præsertim contingit, quando distinctio est penes esse formale intrinsecum; at vnus gradus essentiæ est aliquid de altero, nimirum inferior est aliquid de superiori, quia scilicet superior dicit inchoationem alicuius naturæ: inferior vero prosequitur talem inchoationem, atque complet superiorem, ipsum intrinsecè determinando, & pertrahendo ad esse completum, quod ex vi suæ inchoationis exigit, ergo non potest à parte rei gradus inferior distingui à superiori, quia ex vi distinctionis, quam ex natura sua haberet, distraheretur ab ipso, nec posset prosequi naturam, quæ in gradu superiori est inchoata, & illam pertrahere ad complementum, vtpotè, quia non esset aliquid de gradu superiori, neque consequenter illius naturæ, quæ in gradu superiori est inchoata, cum gradus superior sit ipsa natura inchoata. Confir. quia ex eo, quòd gradus inferior est complementum naturę inchoatæ in superiori, trahitur ad ipsum ex vi vnitatis, quam dicit natura, non verò distrahitur; at quod ab alio distinguitur, ex opposito se habet, atque ab ipso distrahitur, ergo non potest gradus inferior à superiori distingui, nè contrà intrinsecam exigentiam ab ipso distrahatur. Rursus ratio superior intrinsecè est incompleta, nec habet totam illam perfectionem, quam ex vi suæ participatio-

Distinctio secernit.

Quomodo gradus inferior sit aliquid de superiori.

nis

nis potest habere, sed illam accipit per gradum essentiæ inferiorem, vsque dum perueniat ad suum vltimum complemétum, ergo non potest gradus inferior à parte rei distingui à superiori ex eo, quòd ipsum complet; distinctio enim segregat res, & facit, quod non communicet in esse: econtra gradus superior ex vi suæ perfectionis, quam participat, exigit perduci ad suum esse completum, quod illi conuenit ex vi talis inchoationis; non potest autem perduci ad tale complementum per aliquid, quod ab ipso ex natura sua segregetur, & nequeat eum seipso communicare, quandoquidem si per complementum debet promoueri ad suum esse completum, impossibile est, quòd nequeat cum complemento communicare. Quod præsertim verum est, quia gradus superior non potest illam perfectionem, quam dicit, participare à Deo, nisi ex vi subsequentis perfectionis, quam importaut gradus inferiores; non enim aliqua perfectio est ex natura sua participabilis à Deo, nisi complero modo. Modus autem completus in eo consistit, quòd dicat totam perfectionem illam, quam requirit prima ratio entis, vsque ad vltimam indiuidualem. Et ratio est, quia omnis perfectio est communicabilis in ordine ad existentiam, per ipsam enim communicationem res fiunt existentes; & ideò ex vi communicationis vnaquæque perfectio exigit totum id, quod requiritur vt existat, & producibilis sit seorsim ab omni alia, hoc est, vt habeat tale esse, vt seorsim possit terminare aliquam actionem, & existere, habens proprium esse entitatiuum, quia tantùm esse entitatiuum est illud, quod potest existere. Hinc gradus essentiæ superior, eum intrinsecè dicat illam perfectionem, quam dicit ex vi participationis talis perfectionis, petit promoueri per aliam perfectionem à seipso à parte rei indistinctam, vsque ad esse indiuiduale; eum ex se solo seorsim ab omni alio non sit à Deo participabilis.

Gradus superior vt quid Ii completi exigit cõmunicare cum inferiori.

Quomodo gradus superior petat perfici cõpletà per aliquid indistinctũ.

VII. Tertiò argumentor contrà eãdem responsionem. Quando vnum distinguitur ab alio secundùm proprium esse, necessariò distinguitur ab eodem secundùm ea omnia, quæ ad tale esse consequuntur, sic quando aliqua essentialiter distinguuntur, etiam essentialiter distinguuntur passiones, quæ ad ipsa consequuntur, & impossibile est, quòd essentiæ diuersæ habeant easdem passiones. Modò sic formo argumentum. Esse entitatiuum consequitur ad esse formale, nam rationes formales priores sunt, ex natura sua esse entitatiuo, & valet regula prioritatis, quia ab esse formali non valet subsistendi consequentia ad esse entitatiuum, possumus enim concipere esse formale, non concipiendo esse entitatiuum, non tamen esse entitatiuum, nisi concipiatur inuoluere aliquod esse formale; atque esse entitatiuum consequitur ad esse formale ex eo, quòd natura, & essentia habet totum suum esse integrum, & completum etiam per indiuiduationem, ergo quæ distinguuntur secundùm esse formale, necessariò distinguentur etiam secundùm esse entitatiuum, iuxta regulam supra traditam, quòd quando aliqua distinguuntur secundùm suum esse, distinguuntur etiam secundùm ea, quæ ad ipsum consequuntur; Cum ergo gradus eiusdem essentiæ simplicis non distinguantur secundùm esse entitatiuum, neque etiam distinguentur à parte rei secundùm esse formale.

Tertia impugnatio.

Vbi non est distinctio entitatiua, nec etiam est formalis à parte rei.

VIII. Tertiò principaliter prob. nostra sententia. Si gradus essentiæ distinguerentur ex natura sua à parte rei, essent simul incompossibiles, & seinuicem excluderent, vnde non possent se habere, vt superius, & inferius, & constituere vnam, atque eamdem naturam, sed se haberent ad modum differentiarum diuidentium genus, quod dici non potest. Hæc autem sequela declaratur; non enim inter hos gradus potest interuenire distinctio, nisi contingat secundùm proprium esse formale ipsorum; tunc autem esse vnius comparatum ad esse alterius, oportet, quòd habeat oppositionem cum ipso; non enim rerum essentiæ diuiduntur, seu separantur, nisi per oppositionem, quam habent ratione differentiarum; gradus autem formales imitantur rerum essentias, sunt enim quædam essentiæ partiales, vndè non possunt à parte rei distingui, nisi ratione oppositionis, ex vi cuius vnum excludat alterum à seipso, & nequeat cum ipso communicare. Quod etiam confir. inquirendo, cur vnus gradus excludat alterum, ita vt nequeat cum ipso in esse communicare; non potest dici, quia sit essentia completa, quia est tan-

1. ratio.

Gradus essentiæ à parte rei distincti non possent se habere vt superius, & inferius, sed essent tanquam differentiæ.

tùm gradus essentiæ, & quid essentialiter incompletum, non quia vnus disparatè se habeat respectu alterius, quia omnes ordinantur ad essentiam eamdem constituendam; quare nulla alia ratio remanet, ex vi cuius se inuicem excludere debeant, nisi oppositio. Si autem hi gradus sunt oppositi, non poterunt inuicem subordinari, nec vnus compleri poterit per alium, nec simul constituere eamdem essentiam. Præterea essentiæ rerum ita se habent, vt vbicunque non interuenit differentiarum oppositio, sint vnum; atque idem, & tunc solùm distinguuntur, quando formaliter ponitur oppositio, sine qua nulla saluatur distinctio; ergo neque in his gradibus saluari potest distinctio, sine oppositione, & sicuti in differentijs vnam excludere aliam à seipsa, est opponi, ita etiam in gradibus essentialibus; hæc enim oppositio est tantùm formalis, quæ consistit in formali exclusione. Et potest exemplo rea declarari, ratio corporei, & incorporei solùm in eo diuersa sunt, quòd vna dicit diuersum esse formale ab alio, atque illam à seipsa excludit ex vi suæ diuersitatis; atque etiam fundant contradictionem. hæc autem omnia contingerent etiam in diuersis gradibus eiusdem essentiæ, si ita ex natura sua, & antè opus intellectus diuersi essent, vt distinguerentur à parte rei, nam tunc vnus propter suam diuersitatem formalem excluderet alterum à seipso, & etiam fundarent contradictionem, nam vnus diceret negationem alterius, quam haberet annexam; cur igitur non constituerent diuersas essentias? aut quomodo in eamdem essentiam conuenire possent?

Rerum essentiæ [illegible] oppositione [illegible]

4. ratio.

IX. Denique pro hac sententia argumentor; maior distinctio semper includit minorem, & econtra minor distinctio semper excludit maiorem, quòd per se euidens est, quia si minor distinctio non excluderet maiorem, res non dicerentur distingui illa minori distinctione, sed illa maiori, quam non excluderent; sic etiam si maior distinctio non includeret etiam minorem, quia ablata minori omniũ distinctione ponitur omnimoda vnitas, neq; possent maiori distinctione distingui. Et potest in hac re fieri inductio. Distinctio præcisè numerica, quæ est omniũ minima, excludit omnem aliã distinctioné, siuè ea generica sit, siuè specifica, siuè quæcunque alia, quæ ad essentiam spectet; vndè quæ solùm entitatiuè distinguuntur, non distinguuntur aliqua alia distinctione, quæ spectet ad quidditatem rei: sic etiam quæ distinguuntur genericè, distinguuntur etiam specificè, & entitatiuè, siuè numericè, & impossibile est, quòd aliqua, quæ sint diuersorum generum, sint eiusdem speciei, aut eiusdem esse indiuidualis, siuè entitatiui: ex quo patet, quòd maior distinctio includit etiam minorem, & econtra minor excludit maiorem. Maior autem semper est distinctio, quæ est secundùm esse quidditatiuum, quam illa, quæ est secundùm esse entitatiuum, tum quia est intimior rei, tum quia est formalis, distinctio verò secundùm esse entitatiuum est materialis; tum quia secundùm esse entitatiuum est tantùm indiuidualis, secundùm verò esse quidditatiuum est essentialis, & consequenter vel generica, vel specifica; & quando est secundùm esse quidditatiuum incompletum, adhuc est suo modo, vel specifica, vel generica, hoc est secundùm rationes incompletas. Hinc ergo concluditur, quòd si gradus essentiæ distinguerentur formaliter ex natura rei ante opus intellectus, distingui deberent etiam indiuidualiter, & entitatiuè: illa enim distinctio formalis esset secundùm esse quidditatiuum, quatenus secundùm suam formalem quidditatem illi gradus essent diuersi, & proindè esset suo modo generica, vel specifica; vndè tanquam maior distinctio deberet includere minorem, nempe numericam, & entitatiuam. Cum autem non dicant distinctionem entitatiuam, neque etiam dicent formalem ex natura rei; possumus enim argumentari ab exclusione minoris distinctionis ad exclusionem maioris.

Maior distinctio includit minorem, & minor excludit maiorem.

Entitatiua distinctio minor essentiali.

X. Manet itaque nullo pacto gradus essentiæ distingui à parte rei ante opus intellectus; neque poni posse distinctionem aliquam tam minimam, ex qua non sequatur distinctio entitatiua, dummodo illa sit secundùm esse formale, quia eo ipso, quòd est secundùm esse formale, ex genere suo maior est distinctione entitatiua, & ideò hanc quoque habet annexam. Addendum tamen est, quòd quando hi gradus essentiales distinguuntur ab intellectu, quia reperit fundamentum in re huius distinctionis, ita vt quasi virtuali modo præcedat distinctio, tunc

di-

Quomodo ex natura rei sequatur distinctio in gradibus essentiæ.

distinctio veluti ex natura rei consequitur, hoc est quando intellectus concipit inadæquatè essentiam aliquam, gradus ille, quem tunc concipit, habet, quòd ab alijs distinguatur ab intrinseco suo, & ex vi suæ formalitatis, quia scilicet importat aliquid diuersum à cœteris gradibus; requiritur tamen, quòd interueniat operatio Intellectus segregantis, & diuidentis inter tales gradus, & postea facta hac separatione, habent gradus, quòd ex vi sui esse intrinseci distinguantur. Hoc autem indè prouenit, quia licet à parte rei vnus gradus communicet in esse cum alio, ita vt nulla interueniat distinctio, tamen dum intellectus distinguit, vnum tantùm gradum concipiendo sine altero, veluti vnicuique gradui assignat proprium esse; facta autem hac assignatione, quam antea non habebãt, obtinet ex vi esse assignati, quòd ex vi ipsius distinguãtur; quemadmodum etiam, quæ distinguuntur realiter à parte rei habent, ex vi esse assignati per realem communicationem quod distinguantur. Et solùm dis crimen est, quòd in rebus, quæ à parte rei distinguuntur assignatio facta per communicationem esse, est realis, & ideò distinctio quoque est realis; in ijs verò, quæ distinguuntur per intellectum, assignatio est per intellectum, & ideò etiam distinctio est tantùm per intellectum; quæ doctrina maximè adnotanda est, quia valdè inseruit ad declarandum, quomodo hi gradus aliquo modo ex natura rei distinguantur, & tamen distinctio non præcedat operationem intellectus, de quo fusiùs disseremus, quando tractabimus de distinctionibus.

An gradus essentiæ seruent ordinem inter se ex natura sua.

SECTIO III.

Punctus difficultatis.

I. CVm gradus essentiæ non distinguantur inter se ex natura rei ante operationem intellectus, vt sect. præcedenti ostensum est: difficultas insurgit an etiam tollendus sit ab ipsis omnis ordo, quem habeant ab intrinseco suo. Quæstio autem procedit solùm de ordine, qui oriatur ex intrinseca natura ipsorum, ita vt sit secundùm intrinsecam exigentiam eorumdem graduum; nec possit aliter se habere. Certum enim est, quòd de facto seruant hunc ordinem; nam aliqui sunt priores, aliqui posteriores; aliqui determinabiles, aliqui determinatiui: vnde solùm dubitatur, an ordo, quem de facto habent, ita sit ipsis intrinsecus, vt non possit aliter se habere.

Gradus essentiæ non habere ordinẽ ex natura sua; Aliquorũ sententia.

II. Quidam Recentiores putant, hos gradus nullum habere ordinem ad inuicem ex intrinseca sua natura. Vndè habent solùm prioritatem, & posterioritatem in hoc ordine rerum, quem Deus instituit; præciso autem hoc ordine non esse vnum magis priorem, aut posteriorem altero; nec ex natura sua petere magis hunc ordinem, quem habent, quàm alium, sed indifferenter vnum esse vnibilem cum alio, atque adeo posse fieri varias, & diuersas complexiones, & combinationes secundùm eosdem gradus, qui de facto sunt, ab ijs, quibus modò combinantur. Vndè secundùm hanc sententiam, ordo, quem de facto habent hi gradus, contingens est, dependens à sola voluntate Dei, ita liberè disponente, licèt cum fundamento in ijsdẽ gradibus. Atq; hæc sententia est conformis doctrinæ Auersæ, quam in superioribus recensuimus diuersis in locis, dum ageremus de principijs obiecti metaphysici, dum vult, non dari differentias infimas simplices, & gradum, qui in vna specie est genus, posse esse in alia differentiam, aut ècontra. Auersa.

Fundamẽta huius sententiæ. Primum.

III. Fundari potest hæc sententia, primò quidem in eo, quod videmus, aliquos gradus modò cum vno, modò cum alio coniungi; & modò esse genus, modò differentiam; quod fieri non posset, si dicerent ordinem ex intrinseca sua natura, quia nunc quilibet exigeret eodem modo semper se habere, vel vt genus, vel vt differentia. Secundò. Essentiam importare aliquem gradum, nihil aliud dicit, nisi esse principium radicale talis operationis; fieri autem potest, quòd diuersæ naturæ sint principium eiusdem operationis, ita vt in vna coniungatur cum principio alicuius alterius operationis, cum quo non coniungatur in alia natura: sic esse rationale, quod est principium ratiocinandi, posset reperiri in aliqua natura, quæ non esset principium sentiendi, sed alterius diuersæ operationis, atque adeo posset coniungi cum aliquo alio gradu diuerso ab animalita- Secundò.

te, quod fieri non posset, si gradus dicerent ordinem ad inuicem ex natura sua. Tertiò. In diuinis ideis adest quædam infinita ratio repræsentationis, quæ repræsentat totam, & adæquatam possibilitatem, in qua Deus videt quicquid potest facere; rursus diuinæ ideæ per modum vnius infinitæ repręsentationis repræsentant diuinam essentiam infinitis modis imitabilem, & Deus cognoscit in ipsis hos infinitos modos imitabilitatis, ergo potest per voluntatem suam ad libitum determinare hunc, vel illum ordinem, atque adeo coniungere hunc gradum cum his, vel illis. Confir. Sicut Deus de facto extraxit ex illa infinita imitabilitate hanc, & illam essentiam cum his, & his gradibus, ita etiam posset extrahere sine aliquo gradu ex illis, quos modo habet, siue sit superior, siue inferior, quia potest per suam voluntatem determinare modum communicationis, qui infinito modo reperitur in illa infinitate imitabilitatis. Confir. secundò. Gradus essentiæ in illa infinitate imitabilitatis non habent limitationẽ, atque adeò nec determinationem, quæ proueniat ex limitatione, ergo in sua radice non petit magis coniungi cum vno, quàm cum alio, quia in tantùm posset hoc exigere, in quantum haberet aliquã determinationem, ergo quando coniungitur, non ideò coniungitur, quia hoc exigat ex sua natura; sed quia ab extrinseco coniungente ita determinatur.

Tertium.

IV. Dicendum tamen est. Gradus essentiæ habere adinuicem determinatũ ordinem metaphysicum, quo ab intrinseco suæ formalitatis ita petunt vniri, vt non possint alio modo combinari, neque singuli cum quibuslibet, sed cum determinatis. Dixi habere ordinem metaphysicum, quia non consurgit in ipsis, nisi posita distinctione rationis. Habet tamen hic ordo fundamentum in natura physica, seu completa, cuius sunt gradus; & in eo cosistit, quòd natura physica importet talem determinatam perfectionem secundùm talem mensuram; quia eo ipso, quòd habet determinationem secundùm talem mensuram, exigit etiam totam suam perfectionem correspondentem tali mensuræ, atque adeo talem, & non aliam: & rursus eo ipso, quòd perfectio, seu natura secundùm suam perfectionem incipit commensurari tali mensuræ, exigit perfici, & compleri per determinatiuam proprium eiusdem mensuræ. Atque hoc pacto ex commensuratione naturæ ad talem mensuram fit, quòd quando distinguuntur gradus, ab intrinseco suo dicant ordinem ad inuicẽ, & sint connexi secundùm exigentiam essentialem, quia debent in vnum coalescere in ordine ad determinatam mensuram. Hæc autem determinata mensura consistit in diuinis ideis, quæ determinant repræsentatiuo modo rerum naturas.

Cõclusio.

Gradus essentiæ habẽt ad inuicẽ ordinẽ metaphysicũ.

Fundamẽtum ordinis graduum essentiæ.

V. Sic autem explicata conclusio prob. Diuinæ ideæ sunt rationes mensuratiuæ naturarum rerũ omnium, & idealiter determinatiuæ earumdem, ergo gradus, qui in ipsarum essentia distinguuntur, dicunt ab intrinseco suo adinuicem ordinem determinatum. Antecedens patet, quia cum Deus in operando se conformet ideis, ita vt non possit aliter operari, quàm repræsentetur in ipsis, consequenter se communicando creaturis mensurat per ipsas communicationem: vnde quicquid est communicatum creaturis, est secundùm mensuram idearum. Et ideò diuinæ ideæ sunt prima veritas practica rerum omnium, in quibus res existunt, vt in sua prima origine. Hinc autem declaratur etiam consequentia. Si enim ideæ diuinæ mensurant quicquid est in rerum naturis, mensurant etiam ordinem graduum, quem habent ad inuicem, & rerum essentiæ ex vi ipsarum habent talem determinationem, & modum essendi: atque adeo omnes illi gradus, qui concurrunt ad constituendam talem essentiam, sunt necessarij ad implendam illam mensuram, secundùm quam mensuratur talis essentia. Ex hoc verò fit, quòd illi gradus habeant connexionem adinuicem ab intrinseco suo, quia sunt connexi in vno tertio, videlicet in illa mensura, quæ requirit omnes illos gradus, & illo ordine, quo disponuntur in eadem natura, quia non aliter disponuntur, quàm exigat idea. Quod autem conuenit alicui ex vi suæ ideæ, conuenit necessariò, & ab intrinseco.

2. ratio.

Ideæ diuinæ mẽsura rerũ omnium.

VI. Et potest ratio modo facta confir. inquirendo, an ideæ diuinæ disponant repræsentatiuè ordinem graduum, & connexionem, qui sunt in aliqua essentia; an verò non disponant: seu an ita mensurent rerum naturas, vt ex vi suæ mensurationis resultet ordo ille in esse-

Confir.

me-

Cõnexio graduũ essentiæ ex vi diuinarum Idearum.

metaphysico, quem dicunt gradus essentiæ in hoc ordine rerum; an verò non mensurent. Si primum admittitur; ergo cum hic ordo, & graduum dispositio, qui sunt in aliqua essentia, sit secundùm dispositionem, & mensuram idearum, est inuariabilis, quia sequitur naturam Idearum, quæ sunt omnino inuariabiles, ita vt non possint aliter repræsentare, quàm repræsentent. Si verò dicatur secundum, sequitur hoc absurdum quòd sit aliquis ordo, & modus in rebus, atque dispositio, quæ non sit deriuata à diuinis ideis, atque adeo non participata, quod nullo modo dici potest.

Occurritur responsioni.

VII. Occurret aliquis, & dicet; Verum quidem esse, quòd omnis ordo, & dispositio fit à diuinis ideis, & quòd immutabiliter se habeat; cæterum diuinas ideas non repræsentare vno modo eundem gradum, sed diuerso modo combinabilem cum his, vel illis. Sed ex hac responsione corruit opposita sententia, quia si diuina idea repræsentat gradus combinabiles cum his, vel illis, ergo iam gradus ex vi suæ ideæ habent hanc combinabilitatem; quod autem conuenit ex vi ideæ, conuenit ab intrinseco, atque adeo non possunt aliter ordinari, quàm ab intrinseco suo exigant. Quòd si quis rursus dicat; habere quidem hos gradus ab intrinseco suo combinabilitatem, sed absque vlla determinatione ad hunc vel illum gradum, facilè reijcitur, quia est combinabilis in ordine ad implendam vnam aliquam mensuram certæ, & determinatæ naturæ, atque adeo est combinabilis cum illis tantùm gradibus, quæ possunt simul concurrere ad implendam illam mensuram. Rursus aliqui gradus sunt tantùm quædam inchoationes alicuius naturæ; vnde si plures ex his vnirentur, non fieret determinata natura secundùm determinatam mensuram, quia ratione cuiuscunque gradus indeterminato modo se haberet.

Combinabilitas graduum determinata ex vi idearum.

Alia confir.

VIII. Et potest addi alia confir. qua magis adhuc vrgetur allata responsio. Ordo, quem de facto habet gradus essentiæ, est secundùm mensuram diuinarũ idearum, ergo cum quicquid conuenit ex vi mensurationis idealis, conueniat ab intrinseco, atque adeò secundum intrinsecam exigentiam, iam isti gradus ab intrinseco suo exigent, vniti eo pacto, quo sunt vniti, atque ordo, quem habent, illis conueniet ex natura sua. Quod amplius declarari potest. Si ordo iste non conueniret gradibus essentiæ ex natura sua, sed ab extrinseco, & veluti contingenter, non esset secundùm determinationem diuinarum idearum, alioquin, quomodo posset aliter disponi, cum Deus non possit operari, nisi secundum determinationem suarum idearum? si autem est secundùm determinationem diuinarum idearum, iam erit secundùm intrinsecam exigentiam horum graduum, ita vt non possit aliter se habere. Sic quia artifex non potest artificiosè operari, nisi secundùm ideam artis, tenetur disponere partes secundùm præscriptionem ideæ artis, ita vt non possit aliter disponere. Denique, quælibet idea determinat mensurando naturam sibi correspondentem, & facit vt non sit alia, appropriando tale esse determinatum, & hoc est verum de quacunque idea, respectu cuiuscunque naturæ; vnde tota collectio idearum est appropriatiua, & determinatiua essentiæ, & tota collectio essentiarum est ita mensurata per ideas, vt singulæ essentiæ habeant ex vi idearum propriam mensurã, & determinationem, ergo in singulis, & omnibus essentijs adest ordo determinatus ex vi idearum, atque adeo fundatus in natura graduum, quibus componuntur tales essentiæ. Quòd si aliqui gradus reperiuntur in pluribus essentijs, hoc facit, quòd sint gradus communes; debent tamen adhuc alij proprij assignari, qui desumantur ex illa particulari perfectione, qua tota essentia tali particulari naturæ appropriatur, & secundùm quam terminat talem peculiarem ideam.

Cur connexio graduum essentiæ nõ possit aliter se habere.

IX. Secundò etiam responderi posset, ideas diuinas non distingui, nisi secundùm rationem, atque adeò ex vi ipsarum non haberi hanc, vel illam determinatam mensurã essentiæ, sed determinari à diuina voluntate extrahente ab illa infinita repræsentatione hanc, vel illam naturam secundùm talem, vel talem mensuram. Verùm licet ideæ diuinæ non distinguantur in re, sed sint omnes vna infinita repræsentatio, nihilominus repræsentant res secundùm determinationem, & distinctionem, quam sunt habituræ, si in esse ponantur, ita vt nequeat voluntas diuina alio pacto determinare, & distinguere, quàm per ideas repræsentetur; In hoc enim sequitur na-

Alia responsio.

Quomodo ideæ diuinæ repræsentẽt distinctionẽ, & determinationem rerum.

turam voluntatis creatæ, quod nihil possit velle, nisi præcognoscatur, vndè non potest determinare aliquam essentiam ad talem, vel talem mensuram nisi talis determinatio per ideas proponatur. Accedit etiam, quòd totum illud esse, quod habet aliqua natura, est ideatum, vnde cum in ipso imbibatur determinatio, & consurgat distinctio à cæteris, determinatio quoque, & distinctio erit secundùm determinationem ideæ.

2. ratio. X. Secundò principaliter probatur conclusio. Gradus metaphysici, quibus constituitur aliqua essentia, se habent adinuicem per modum actus, & potentiæ, seu si alicui hic modus loquendi minus placeret, ne de hoc modo disputemus, saltem se habent per modum determinabilis, & determinatiui, ita vt aliqui sint communes, aliqui verò peculiares talis essentiæ; neque de hoc est aliqua difficultas. ergo dicunt adinuicem ordinem ex intrinseca sua natura. Consequentia ista declaratur, quia determinatiuum supponit determinabile, cui exhibeat suũ effectũ formalem, & ex natura sua prius est determinabile, vt potè quid communius, quàm sit determinatiuum. Rursus determinatiuum debet habere quamdam congruitatem cũ determinabili, ita vt sit quoddam complementum illius, quod in determinabili incompleto modo se habet, atque adeo debet ita ex natura sua ordinari ad tale determinabile, vt non possit ordinari ad aliud, vt potè quia cũ alio non habet debitam congruitatem. Hæc autem omnia conuincunt, gradus essentiæ metaphysicos habere ordinem adinuicem ex natura sua.

Gradus essentiæ se habẽt vt determinabile & determinatiuũ.

Reijcitur responsio. XI. Occurrunt tamen Recentiores, qui oppositam sententiam sequuntur; id verum esse spectato hoc ordine rerum, secus autem si considerentur hi gradus præcisè; tunc enim non magis vnum, quàm alium ordinem exigunt. Cæterum non effugiunt vim argumenti. Inquiro enim, an præciso hoc ordine rerum gradus retineant suam propriam formalitatem v. g. rationalitas rationem formalem rationalitatis, animalitas formalem rationem animalitatis; an verò nõ retineant. Si primum admittant, oportet etiam, vt concedant, quòd in actu signato retineant eundem ordinem, siquidem est intrinsecus talibus formalitatibus; quod enim hæ formalitates se habeant, vt quid contractiuum, vel contrahibile prouenit ab intrinseco ipsarum, atque adeo etiam ordo, quem dicunt in ratione contractiui, & contrahibilis. Si verò eligant secundùm; tunc non sunt amplius illi gradus, quibus talis essentia constituitur, & de quibus procedit difficultas. Secundò vrgetur eadẽ responsio. Quocunque ordine rerum præciso non potest ab his gradibus præscindi ratio potentialitatis, quam habẽt, & ratio actus, quia hæ rationes sunt ei se intrinsecum ipsorum, vnde, cum non possint præscindi à proprio esse, nec etiã ab ijs possunt præscindi, ergo nec etiam potest præscindi ordo, quem habent ad inuicem ex natura sua, cum talis ordo per se fundetur in ratione actus, & potentiæ, & ipsi intrinsecus sit; idem enim vnus gradus est prior, vel posterior altero, quia se habet vel per modum partis potentialis, vel per modum partis actualis. Confir. Nunquam præscinditur ratio potentialitatis, aut actualitatis, dummodo salui sint gradus secundùm suas proprias rationes, ergo nec etiam præscindi potest ordo, quem dicunt secundùm rationem actus, vel potentiæ. Confirmatur secundò. Quocunque ordine rerum præciso secundùm esse physicum, non potest Deus facere, quod materia in quocunque alio ordine retinens suam essentiam se habeat per modum formæ, aut quod forma se habeat per modum materiæ primæ; atque id non alia ratione, nisi quia concurrunt ad cõpositum physicum se ipsas exhibendo, nec aliud exhibere possunt, quàm quod in se sunt, ergo cum etiam gradus essentiales concurrant ad constituendam essentiam seipsos exhibendo, non possunt aliud exhibere, quàm quod in se sunt; & ideò non potest Deus efficere, quòd gradus ille, qui se habet potentiali modo in aliqua essentia, in alia se habeat actuali modo, quia semper retinet suam potentialitatem, nec quod gradus, qui se habet in aliqua essentia, vt vltimus actus, in alia se habeat potentiali modo, cum in se nullam dicat potentialitatem.

Per nullã præcisio. nẽ ordo, quẽ gradus essentiæ habẽt, potest præscindi.

Ordo graduũ essẽtiæ est intrinsecus formalitatibus ipsarum.

XII. Insuper etiam tertiò reijci potest eadem responsio. Gradus essentiales non sunt singuli vna aliqua essentia completa, sed partes metaphysicæ ordinatæ ad constituendam vnam essentiam; atque saltem in hoc ordine rerum se habent subordinato modo, ergo quocunque ordine rerum præciso, adhuc re-

Gradus essẽtiæ se inuicẽ coexigũt ratione subordinationis.

ti-

tinent ordinem ex natura ſua. Conſeq. iſta declaratur ex natura ſubordinationis, quam modo habent adinuicem hi gradus; ratione namque ipſius vnus gradus habet, quòd ſit complementum illius, quòd inchoatiuè eſt in alio gradu, vndè quoties concurrit ad conſtituendam aliquam eſſentiam, debet concurrere vt afferens tale complementum, & idcirco poteſt tantùm vniri cum eo, in quo eſt inchoatiuè id, quòd per tale complementum perfici poteſt. Hinc autem fit, quòd gradus cum vniantur ad conſtituendam aliquam eſſentiam, debeant eſſe in eodem genere, nec poſſunt gradus vnius generis vniri cum gradibus alterius generis; ſic ratio coloris non poteſt vniri cum gradu ſubſtantiæ, ratio lapidis cum ratione viuentis, quæ omnia conuincunt habere adinuicem commenſurationem, & proportionem, ita vt non quilibet cum quolibet, ſed determinatus cum determinato poſsit tantùm vniri. Quòd amplius ex eo poteſt declarari, quòd in eſſe phyſico cuiuſcũque naturæ adeſt aliquid ita proprium ipſius, vt non poſſit alteri conuenire, & fundat proprium prædicatum ipſius. Hoc autem prædicatum importabit gradum eſſentiæ proprium; qui nulli alteri poſſit conuenire, ſicut nec poteſt conuenire prædicatum. Non poſſet autem ſaluari proprietas huius gradus, niſi ex natura ſua dicat ordinem ad alios; oportet enim, vt ſit proprius, vt non poſſit coniungi cum alijs gradibus ad conſtituendas alias naturas; rurſus etiam quòd exigat vt fundamentum alios determinatos gradus, alioquin non ex ſe eſſet determinatus ad conſtituendã talem naturam, quæ eſſentialiter requirit tales determinatos gradus. Debet autem eſſe determinatus, vt ſit proprius talis naturæ. Neque dici poteſt, non dari hunc gradum, ſeu prædicatum proprium naturæ, quia ſi qualibet natura in ſuo eſſe eſſentiali contradiſtinguitur ab omni alia etiam poſſibili, ſicuti habet proprium diſtinctiuum; ita neceſſe eſt, vt habeat etiam proprium conſtitutiuum.

Quælibet natura habet aliquẽ gradũ eſſentiæ ſibi proprium

3. ratio.

XIII. Tertiò principaliter poſſumus arguere ex abſurdo, quòd ſequitur ex oppoſita ſententia; videlicet tolli omnium ſcientiarum certitudinem. Quòd autem ſequatur huiuſmodi abſurdum, declaratur. Ad ſaluandam enim certitudinem ſcientiarum, quæ conſiſtit in propoſitionibus deductis ex principijs, cum ſit certitudo veritatis complexæ, requiritur eſſentialis connexio, & neceſſaria terminorum in eſſe obiectiuo, nonſolùm in concluſionibus, ſed etiam in principijs; hæc autem neceſſaria connexio ſaluari non poteſt, niſi gradus eſſentiæ inter ſe connectantur ex natura ſua, & ab intrinſeco; quia licet quilibet gradus habeat per ſe ſuas paſſiones ſibi annexas, non tamen poſſunt eſſe per ſe annexæ cum ſubiecto totali, de quo demoſtrantur, niſi gradus eſſentiæ dicant determinatum ordinem adinuicem ex natura ſua, ſicuti prædicata accidentium non conueniunt per ſe concreto ex ſubſtantia, & accidente. Et ratio eſt, quia quod conuenit vni parti non poteſt per ſe cõuenire toti; niſi partes ſibi inuicem communicent proprium eſſe, non poſſunt autem communicare, niſi ab intrinſeco ſuo dicant ordinem adinuicem, quo vna ſit intrinſecum complementum alterius. Rurſus nunquam poſſet ſcientia procedere ex proprijs mediante definitione ad demonſtrandas paſſiones. Cum enim paſſiones oſtendantur per definitionem, ratione cauſæ, in qua radicantur, atque adeo ratione alicuius determinati gradus. quia hic gradus non eſſet proprius talis ſubiecti, nam adhuc poſſet alteri conuenire, non poſſet talis paſſio demonſtrari, vt propria de tali natura, nam poſset alteri conuenire: cui poſset etiam conuenire ille gradus, in quo fundatur.

Certitudo ſcientiæ fundatur in ordine graduu, qui ab intrinſeco ipſis conuenit

XIV. Neque difficile eſt argumenta in oppoſitum diſsoluere. Ad primum enim dicitur, quòd licet idem gradus poſſet eſse ſimul genus ſubalternum, & differentia, vtrumque tamen ſemper habet in quacunque eſſentia reperiatur; non autem fieri poteſt, vt modò ſit genus, modò differentia, aut econtra, quaſi mutet rationem partis concurrentis ad conſtituendam aliquam eſſentiam; quia cum non mutet proprium eſſe intrinſecum formale, nec etiam mutare poteſt, quæ ſemel ratione talis eſſe ipſi conueniunt, vt diximus num. 11.

Ad rationes in oppoſitum.

Cur ad poſſit idẽ gradus mutare, ut eſſe genere, & in eſſe differẽtia

XV. Ad ſecundum quicquid ſit, an Eſſentiam importare aliquem gradum, dicat eſſe principiũ alicuius operationis; quia, vt alibi innuimus, gradus communis non eſt completum principiũ alicuius operationis, nam operatio, cum ſit energia operantis in actu ſecundo, prouenit ab entelechia, ſeu forma, & energia in actu primo, atque adeo ab vltimo eſſe‑

Ad ſecundum.

Quomodo gradus eſſentiæ ſit principium operationis.

rei,

rei, quo completur in sua energia. Quicquid, inquam, de hoc fit: quando principium vnius operationis potest cõiungi cum principijs diuersarum operationum, tunc importat gradum genericum: gradus verò vltimus specificus nũquam poterit, coniungi cum principio alterius operationis, quia habet semper determinare operationes genericas ad esse completum specificum, & ideò cum illo tantùm principio potest coniungi, cũ quo habet proportionem. Vnde rationalitas non potest coniungi cũ alio principio, quàm cum animalitate, quia habet determinare principium sentiendi ad talem modum sentiendi, quod .v. fit cum virtute motiua intellectus: quotiescunque enim se exhibet, secundùm talem determinationem se exhibet.

Qui nam gradus essentiæ possint coniungi cum principijs diuersarũ operationum.

Ad tertiũ.

XVI. Tertium verò argumentum solutum manet ex dictis, quia non obstante illa infinitate repræsentationis; quæ est in diuinis ideis, adhuc repræsentatur distinctio, modus, & dispositio, quã quælibet essentia debet seorsim ab alijs habere, atque adeo etiam gradus proprij, & secundùm determinatum ordinem, quem habent adinuicem. Vndè non potest Deus per suam voluntatem determinare gradus essentiarum extrahendo ab ipsa infinita repræsentatione hos, vel illos sine vlla præscriptione, sed debet extrahere secundùm præscriptionem idearum, vt iam diximus. Et quamuis gradus essentiæ in illa infinitate imitabilitatis diuinæ essentiæ non habeant formaliter aliquam limitationem, & determinationem habent tamen virtualiter; vnde diuinæ ideæ illam ostendunt: atque adeo non possunt rerum essentiæ aliter determinari, quàm præscribant diuinæ ideæ. Atque ex his soluta manet vtraque confirmatio.

Quomodo rerum essentiæ sint determinatæ à diuinis ideis.

Respondetur rationibus opposita sententia sect. prima allatis.

SECTIO IV.

Ad primũ

I. NVnc rationibus oppositæ sententiæ satisfaciendum est, Et ad primam dicitur, quòd aliud est considerare essentiam totalem, & vt taliter acceptam comparare cum alia, aliud verò considerare rationem conuenientiæ, & diuersitatis, quam habet respectu alterius essentiæ. Si enim consideretur ratio conuenientiæ, & diuersitatis, quam habet vna essentia respectu alterius, tunc iam interuenit distinctio per intellectum, considerantem ex vna parte conuenientiam, & ex altera diuersitatem, & ideò solùm per intellectum habemus separatim rationem conuenientiæ, & diuersitatis, vndè ex eo quòd interueniat hæc conuenientia, & diuersitas, tãque diuersæ formalitates, non inferri potest distinctio à parte rei. Si autem consideretur essentia totalis, & vt taliter accepta cum alia essentia comparetur, tunc si intellectus non consideret separatim conuenientiam, & diuersitatem, non habet, quòd separatim conueniat, & differat, quia non habet partes correspondentes separatim diuersitati, & conuenientiæ; sed simpliciter diuersa est, & secundùm suum esse formale, non tamen totaliter, sed est quoddam esse participatum, quod accedit aliquo pacto ad esse alterius, & aliquo modo ab eo recedit, & ideò exhibet intellectui motiuum, atque fundamentum concipiendi separatim conuenientiam, & diuersitatem.

Conuenĩẽtia torum quæ etiã diuersa sunt non potest sola consideri sine distinctione rationis.

II. Ad secundam dicendum est, aliud obstare, quòd in Deo nequeat poni genus, & differentia, nimirum quia genus se habet, vt quid potentiale, & perfectibile, differentia verò, vt quid actuale, & perfectiuum: hæ autem formalitates repugnant in Deo, quia, cum sit actus purissimus, excludit omnem potentialitatem, & perfectibilitatem. Rursus ratio generis, & differentiæ importat limitationem, quia genus est determinatæ perfectionis, & potest ratione differentiæ vlteriorem perfectionem recipere, & ideò est quid limitatum, & finitum, & idcirco ex hoc quoque capitè repugnant in Deo genus, & differentia. Sed vera, & germana ratio, atque nostris principijs conformis, cur in Deo non possit poni genus, & differentia, est, quia genus, & differentia important rationes quasdam communes, quæ in pluribus ex natura sua reperiri possunt; omnia autem, quæ in Deo sunt, ita sunt propria illius, vt nulli alteri conuenire possint; vndè Deus, vt supra suo loco docuimus, neque in ratione entis conuenit cum creaturis, non solùm vniuocè, sed neque etiam analogicè, ita vt interueniat aliqua ratio communis analoga, hæc igitur est vera causa, cur in Deo non possit poni genus, & differen-

Ad secundum.

Cur in Deo repugnet genus, & differentia.

tia,

tia, quia scilicet non conuenit in aliquo cum alijs, non autem quia genus debeat à parte rei distingui à differentia, hoc enim falsum est, vt vidimus.

Ad tertiã.

III. Ad tertiam negandum est, quòd partes definitionis debeant ex natura rei distingui, quando definitio est metaphysica; sufficit enim, quòd quando definitio est metaphysica, illi correspondeant partes metaphysicæ: partes autem metaphysicæ non requirunt maiorem distinctionem ad saluandam rationem partis, quàm metaphysicam, hoc est distinctionem rationis cum fundamẽto in re; omnis enim distinctio, quæ est à parte rei, quia est necessariò secundùm esse entitatiuum, vt ostendimus sect. præcedenti, physica est. Ad quartam similiter dicitur, sufficere distinctionem rationis, propositiones enim illæ, quibus vnus gradus de alio negatur, efficiunt sensum formalem, & ideò supponunt distinctionem rationis, per quam intellectus concipiat vnum gradum seorsim ab alio; non autem sensus est, quòd vnus gradus non sit alius à parte rei, solùm ergo sensus est, quòd vnus gradus, prout seorsim ab intellectu concipitur, non sit alius.

Partes definitionis nõ debẽt distingui ante intellectum.

Ad quartam.

Vt vnus gradus de alio negetur sufficit distinctio rationis.

Ad quintam.

IV. Denique ad vltimam rationem respondetur, quòd rerum essentiæ, si secundùm suum esse totale comparentur ad inuicem, vt in responsione ad primam rationem dicebamus, quamuis diuersæ sint, non sunt tamen totaliter diuersæ, sed conuenientia, & diuersitas adinuicem miscentur in eodem esse, ita vt in ipso non sint realiter assignabiles partes, secundùm quas conueniant cum aliis essentiis, & partes, secundùm quas differant ab ijsdem, sed est quoddam vnicum esse simplex, quod neque omnino accedit ad similitudinem alterius, neque omnino ab ea recedit. Quo stante, potest intellectus colligere totam rationem similitudinis, & totam rationem dissimilitudinis, & vnamquamque seorsim concipere, quamuis vnus gradus non distinguatur ab alio ex natura rei. Neque hinc sequitur, quòd rerum essentiæ sint omnino idem inter se. Cum enim dicitur, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, intelligi debet, quando adæquatè sunt eadem cum ipso, quando verò sunt eadem inadæquatè, ita vt neutrum ipsorum adæquet illud tertium, non sequitur, quòd sint eadem inter se: modò gradus differentialis comparatus ad gradum genericum, non ipsum adæquat, quia gradus genericus habet quamdam latitudinem communicabilitatis, secundùm quam se extendit ad plures gradus differentiales, & per vnicum tantùm non adæquatur; & ideò licet sit idem cum ipso, non sequitur, quòd non possit esse idem etiam cum altero distincto. Imò si hoc argumentum aliquid concluderet, sequeretur, quòd res omnes deberent esse idẽ realiter, & entitatiuè, nam gradus differentialis, & indiuidualis est idem entitatiuè cum gradu generico, & cum ratione entis communissima, ergo cum omnia conueniant in aliquo genere, aut saltem in ratione communissima entis, cum qua sunt idem secundùm suum gradum indiuidualem, sequitur, si valet quomodocumque illa regula, quòd sint idem inter se realiter, & entitatiuè, quod constat manifestissimè esse falsum.

Rerum essentię neque totaliter diuersę neque totaliter idẽ.

Gradus differentialis nõ est idem cũ genere adęquatè.

V. Atque ex his colligitur, quomodo creatura non accedat ad simplicitatẽ diuinam, quamuis in illa non distinguantur ex natura rei, & antè opus intellectus gradus essentiales; non solùm enim in Deo non distinguuntur gradus essentiales ex natura rei, sed vlterius neque distingui possunt per intellectum, quia, vt diximus, non possunt admitti in Deo genus, & differentia; & si in Deo distinguuntur attributa, alio modo distinguũtur, neque in ijs reperitur tanta distinctio rationis, quanta est in gradibus essentialibus creaturæ. Præterea in creatura adest compositio ex accidente, & subiecto; in Deo autem nihil accidentale est, sed omnia sunt de essentia ipsius. Sic etiam patet, quomodo eadem essentia habere possit diuersas operationes, quamuis in ipsa gradus non distinguantur ex natura rei; sufficit enim virtualis distinctio, vt vnaquæque operatio inadæquatè correspondeat ipsius virtuti; imò si ratione diuersarum operationum, distinguendi essent diuersi gradus, oporteret in eodem gradu, imò in eadem potentia plures distinguere; quod est planè absurdum. Sic cum gradus rationalis sit principium plurium operationum, vt volitionis, intellectionis, oportet in ipso plures gradus distinguere; sic etiam in intellectu, quia est principium simplicis apprehensionis, iudicij, discursus, quæ sunt operationes essentialiter diuersæ.

Quomodo creatura non accedat ad simplicitatem diuinam.

Diuersitas operationum non sufficit ad distinguẽdos gradus ante intellectũ.

An omnes rerum essentiæ sint inæqualis perfectionis.

Disp. LXXX.

Quid alij senserint.

SECTIO I.

I. VNaquæque species, seu essentia dicit suam peculiarem perfectionem, quæ tanta est, & non maior, aut minor. Quia autem quantitas dicitur etiam de perfectione substantiali, vt cum dicimus, aliquid esse magnæ, vel minimæ perfectionis, idcirco possumus essentias rerum inuicem comparare, & inquirere, an ita omnes sint inæqualis perfectionis, vt implicet, aliquas esse æqualis perfectionis. In qua difficultate videntur omnes communiter supponere, essentias omnes specificas, ita esse inæquales perfectionis, vt implicet dari aliquas, quæ sint æquales in perfectione, & pauci admodum de hac re disputant ex professò. Nihilominus desumitur hæc sententia ex D. Th. Quodlib. 3. art. 6. & quæst. de spiritual. creaturis art. 8. in corpore, quibus in locis ait, quòd vna species debet in perfectione esse prior altera, & supra illam abundare. Quòd etiam tradit Fonseca 5. Metaph. cap. 28. quæst. 16. sect. 2. circa finem. Suarez in Metaph. disp. 29. sect. 3. num. 16. Vasquez 1. part. disp. 122. num 12. Albertin. tom. 1. principio 6. Philosoph. punc. 7. difficultate 1. Atque de hac re ex professò disputat Soncin. 12. Metaph. quæst. 4. vbi probat, quòd omnes essentiæ debeant esse inæqualis perfectionis.

Prima opinio. Essentias omnes esse inæqualis perfectionis. D. Th. Fonseca. Suarez Vasquez. Albertin. Soncin.

II. Hæc autem opinio præter communem auctoritatem omnium philosophorum, habet etiam pro fundamento auctoritatem Arist. qui 10. Metaph. tex. 16. docere videtur, quòd differentiæ diuidentes genus, se habent vt habitus, & priuatio: nomine autem priuationis non intelligit negationem, neque enim negatio potest esse differentia diuisiua generis, sed intelligit imperfectiorem differentiam, quæ minus, quàm altera participat de perfectione, & ideò est quodammodo priuatio, quatenus priuat maiori aliqua perfectione. Si ergo differentiæ, quæ sunt constitutiuæ specierum, sunt inæqualis perfectionis, species quoque erunt inæqualiter imperfectæ. Deinde idem Arist. 3. Metaph. tex. 11. docet, inter species reperiri prius, & posterius, seu melius, & deterius, & lib. 8. einsdem operis tex. 10. habet, quòd essentiæ rerum sunt sicut numeri, quòd aliæ alias perfectione superent, & sicuti implicat, dari numeros specie diuersos, qui sint æquales in quantitate, ita etiam implicat, dari species diuersas, & esse æqualis perfectionis. Secundò arguit Soncin. quia sequeretur, quòd si aliquæ species essent æqualis perfectionis, non possent inter se distingui, non enim haberent per quod distinguerentur, nam distarent æqualiter à primo ente, à quo omnem suam perfectionem participarent, & etiam æqualiter distarent à non ente, à quo per suam perfectionem recederent. Tertiò arguit idem Soncin. Quæ sunt æqualis perfectionis, sunt omnino similia, quæ autem sunt omnino similia, non possunt specie differre. Confir. quoniam hoc ipsum intellectus experitur, dum diuidit genus in suas species, concipit enim alteram vt perfectam, alteram verò vt imperfectam, quòd signum est, non posse esse æqualis perfectionis. Quartò prob. Vasquez, quoniam quæ sunt æqualia, possunt inter se commensurari, & sibi inuicem congruere, quæ verò sunt diuersæ rationis, non possunt inter se commensurari, imò eo ipso quòd sunt diuersæ rationis, sunt inæqualia, & proindè Arist. 4. Metaph. tex. 18. ex dissimilitudine infert, quòd vnum sit maius altero.

Fūdamēta huius opinionis. Arist. Secundū. Tertium. Quartum. Arist.

III. In contrarium tamen sentit Auersa quæst. 11. suæ logicæ sect. 5. vbi docet, quòd licèt vt plurimùm species sint inæqualis perfectionis, possunt tamen aliquæ reperiri, quæ sint æqualis perfectionis, & de facto aliquas reperiri. Non enim, inquit ipse, apparet tanta necessitas huius inæqualitatis in perfectione essentiali, vt dicendum sit, im-

Opposita sententia. Auersa.

Alius fundamen si ex æqualitate diuinarū personarum, sed ineffica x.

D. Athanas.

plicare æqualitatem, præsertim cum aliud sit diuersum esse, aliud inæquale. Deinde desumit argumentum ex diuinis relationibus, quæ quasi specie distinguuntur, hoc est essentialiter, & tamen sunt æquales: hinc de diuinis personis habetur in Symbolo Athanasij: *Sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales*. Verùm hæc ratio non habet aliquam efficaciam, quia nititur fundamento dubio. Inprimis enim complures ex Theologis negant diuinas relationes, vt contradistinctas ab essentia, dicere perfectionem: alij volunt essentiam esse de conceptu relationum; addit etiam Suarez loco citato, quòd est dispar ratio de essentijs absolutis, & relatiuis, quia absolutæ habent diuersitatem ex intrinseco suo esse, & ideo diuersitas non potest intelligi cum æqualitate, at relatiuæ habent diuersitatem ex diuersis terminis, & quia mutuò se respiciunt, & ideò diuersitas potest stare cum æqualitate. Et etiam aduertendum est, quòd D. Athanas. ait, quòd personæ in concreto, sunt inter se æquales, & coæternæ, vndè vult, quòd eadem ratione sint coæquales, & coæternæ, sicuti ergo eadem essentiali æternitate sunt coæternæ, ita etiam eadem essentiali perfectione coæquales sibi sunt. Accedit etiam, quòd relationes, vt puræ relationes sunt, non dicunt aliquam essentiam in seipsis, sed tantùm dicunt Esse ad aliud, vndè dicunt aliquam essentiam connotatiuè, illam nimirum, quæ est ad aliud, & formaliter dicunt, quòd hæc essentia sit ad aliud. Non videtur autem hoc, Esse ad aliud, nouum esse importare in eo, quod est ad aliud, & ideo non potest statuere æqualitatem in perfectione, neque inæqualitatem, & eodem modo, seruata proportione, argumentari possumus de diuinis relationibus.

Quomodo diuinæ personæ coæternæ, & coæquales.

Relatio non dicit aliquam essentiam in seipsa.

Alia ratio ineffica x.

IV. Similiter etiam arguit, dari de facto species æqualis perfectionis, sumendo latè speciem, pro omni conceptu essentialiter ab alio diuerso. Sic præsentia localis constitutiua in hoc spatio, & præsentia localis constitutiua in alio spatio sunt specie diuersæ, & tamen sunt æqualis perfectionis. Sed neque hoc fundamentum melius est præcedenti: & inprimis potest negari cum Nominalibus, & alijs, dari hanc præsentiam localem, quæ sit aliquid superadditum rei, quæ est in loco, sed esse tantùm coexistentiam rei ad locum; Deindè admisso etiam, quòd esset aliquid superadditum, ad summum erit modus quidam; sicuti autem modus non habet proprium esse, sed est ens entitate subiecti, ita vt non possit concipi sine ipso, ita neque habet perfectionem propriam, & contradistinctam à perfectione subiecti; & ideo ex se non valebit constituere æqualitatem, vel inæqualitatem; & quæsitio procedere debet de essentijs absolutis, per se producibilibus, & quæ in seipsis sunt aliquid ab omni alio contradistinctum. Alij verò licet admitterent has præsentias locales, vt aliquid superadditum, & dicent propriam perfectionem modalem, negarent esse diuersæ speciei, vndè etiam ex hoc capite corruit ratio. Quòd si etiam negetur esse æqualis perfectionis, non est vndè oppositum conuincatur, & proindè cum ex adeò incertis argumentum procedat, vt inutile reijciendum est.

Modus nec habet propriū esse nec propriam perfectionem.

Propria sententia.

SECTIO II.

I. EGo verò in hac difficultate in primis censeo, si propriè loqui velimus. Diuersas essentias neque esse æquales in perfectione, neque inæquales, sed solùm debere dici diuersas. Vt autem huius rei rationem à priori assignemus aduertendum est, quòd Esse quantum non propriè dicitur de rerum essentijs, & perfectione substantiali, sed solùm de magnitudine, & mole, & cæteris rebus, quæ aliquo modo quantæ sunt. Transfertur tamen propter quamdam analogiam etiam ad perfectionem substantialem; ex hoc tamen non fit, quòd ex eo, quòd ratio quanti transfertur ad perfectiones essentiales rerum, debeant ad ipsas quoque transferri passiones, & proprietates ipsius, sicuti ex eo, quòd risus transfertur ad pratum propter quamdam analogiam, non est necesse, quòd omnes proprietates risus, ad ipsum transferantur: licèt enim proprietates quanti possint ad alia transferri, vt docet etiam Arist. 5. Metaph. tex. 19. debet tamen seruari etiam in ipsis proportio, ita vt translatio fiat cum fundamento, & proportione, quo tunc non seruatur, quandocumque id, ad quod aliquid transfer-

Rerum essentiæ propriè neq. æquales neque inæquales.

Quomodo ratio quanti ad rerum essentias transferatur.

Arist.

tur, habet aliquid oppositum fundamento, & proportioni, in qua fundatur translatio.

Aequale, & inaequale nõ trásfertur ad rerum essentias, & quare.

II. Quo stante, sequitur, quòd licèt æquale, & inæquale sint passiones rei quantæ, non tamen transferri possit ad essentias rerum, quod indè ostenditur, quia in quantitatibus æquale, & inæquale ex eo consurgit, quòd plures quantitates adinuicem commensurantur, quarum si vna non excedat alteram, dicuntur æquales; si verò excedat, dicuntur inæquales; æqualitas ergo, & inæqualitas consurgunt ex mutua commensuratione duarum quantitatum. Hinc autem fit, quòd si aliqua non sint adinuicem commensurabilia, neque etiam dici possint æqualia, aut inæqualia, quia sicuti duæ quantitates ex eo, quòd adinuicem commensurari possunt, sunt æquales, vel inæquales quantitatiuo modo, ita ad ea æqualitas, & inæqualitas transferri non potest, vt modo sibi proportionato sint æqualia, vel inæqualia, quæ non possunt secundùm proprium esse inuicem commensurari. Et hoc est principium notum ex ipsis terminis; ex quo sequitur, quòd duæ essentiæ diuersæ, neque sint æquales, neque inæquales, quia non possunt inuicem commensurari.

Mensura sit homogenea. Arist.

III. Atque hæc consecutio manifesta fit ex alio principio, nempe, quòd mensura debeat esse eiusdem rationis, atque ordinis cum re mensurata: vndè mensura, quantitatis debet esse quantitas, & sic de reliquis. Hinc dici solet; quòd mensura est homogenea cum re mensurata. Quod docuit Arist. 10. Metaph. tex. 4. dum ait: *Semper autem mensura eiusdem generis est, magnitudinum, namque magnitudo, & secundùm vnumquodque longitudinis longitudo, latitudinis latitudo; vocum vox, grauitatis grauitas; vnitas vnitatum*. Cuius rei ratio est, quia mensura debet nos inducere in cognitionem rei mensuratæ, ita vt ex cognitione mensuræ deueniamus in cognitionem rei mensuratæ, illi applicando mensuram, quod fieri non posset, nisi mensuratum esset eiusdem rationis; quomodo enim coaptari possent mensura, & mensuratum, nisi essent homogenea? aut quomodo ex cognitione vnius, ex vi huius coaptationis, possemus deuenire in cognitionem alterius? nimirum ex cognitione latitudinis, in cognitionem vocis? Hinc fit, quòd neque quantitas discreta possit esse mensura continuæ, aut econtrà; & proinde Arist. loco citato tex. 5. docet, mensuram conuenire tantùm quantitati, & qualitati; sed maximè propriè quantitati, ait enim *Quòd itaque vni, esse (maximè secundùm nomen, quòd determinant) mensura quadam est, maximè propriè quantitatis, deindè qualitatis manifestum est*. Modò si rerum essentias comparemus adinuicem, non possunt mutuò commensurari: secundùm enim rationes genericas non sunt mutuò commensurabiles, quia secundùm illas sunt idem. Si verò comparentur secundùm differentias, secundùm quas solùm videntur commensurari posse, neque sunt commensurabiles, quia sunt omnino diuersæ rationis, nec habent aliquam homogeneitatem, & ideo cum non sint commensurabiles, neque sunt æquales, aut inæquales.

Mensura dicitur secundum quantitatẽ, & qualitatem. Arist.

Magis, & minus, vbi æqualitas.

IV. Et addere possumus in confirmationem huius rationis, quòd æquale, & inæquale potest tantùm de eo dici, de quo etiam dicitur maius, & minus, seu magis, & minùs; inæqualitas enim dicit excessum vnius supra aliud, & ideo interuenit magis, & minùs. De rerum autem essentijs non potest dici maius, & minùs, quoniam magis, & minùs dicitur secundùm eamdem rationem, & secundùm idem genus, quatenus est capax diuisibilitatis, ratione cuius recipit aliquid plus, vel minùs intrà idem genus, quod non conuenit rerum essentijs, quæ sunt indiuisibiles sicuti numeri, vt docet etiam Arist. 7. Metaph. tex. 10. & idcircò, neque habere possunt magis, & minùs; atque cum non dicant eamdem rationem, neque etiam ex hoc capite dicere possunt magis, & minùs. Sic etiam in numero licèt magis, & minùs inferat diuersitatem essentialem, tamen non dicitur de illo secundùm hanc diuersitatem essentialem, sed secundùm eamdem rationem, nempe quantitatis discretæ: vndè numerus ternarius est maior binario, non secundùm rationem formalem numeri ternarij formaliter, sed secundùm esse materiale, hoc est secundùm quantitatem discretam, quam dicit: vndè stat, quòd semper maius, & minus dicatur secundùm eamdem rationem essentiæ, & non secundùm diuersas, & proindè etiam æqualitas, & inæqualitas.

Magis, & minùs dicitur secũdum eamdẽ rationem.

Arist.

Quomodo maius & minùs dicatur de numero.

V. Quia tamen æqualitas, & inæqua-

qua-

Æqualitas, & inæqualitas sedum commensuratiue, sed etiam proportionaliter dicitur.

qualitas nedum potest accipi commensuratiuè, sed etiam proportionaliter; hoc est nedum potest haberi æqualitas, & inæqualitas ex eo, quòd aliqua inuicem commensurentur, sed etiam quia attendatur quantitas vniuscuiusque cum quadam proportione, quæ proportio ab aliquo tertio extrinseco ponderante mensuretur. Quòd tunc contingere potest, quando intellectus cognoscit perfectionem diuersarum essentiarum, & per suam cognitionem, quæ cum vnaquaque essentia mensuratur, atque conformatur, & veluti homogenea est, mensura illarum essentiarum est quatenus per cognitionem acquirit aliquam homogeneitatem cum obiecto, & facit, quòd anima cognoscat perfectionem talium essentiarum. Ideò addendum puto, quòd in rerum essentijs potest dari æqualitas secundùm proportionem; licet hæc secundùm proportionem non sit adeò propriè æqualitas, aut inæqualitas.

In rerum essentijs æqualitas & inæqualitas secundùm proportionē.

VI. Vt autem hoc secundùm dictum rectè percipiatur, aduertendum est, quòd tunc aliqua secundùm proportionem erunt æqualia, quando seruata proportione tanta perfectio erit in vno in suo genere, quanta erit in alio in suo item genere. Econtra verò erunt inæqualia, si maior perfectio in suo genere erit in vno, quàm sit in alio. Hæc autem proportio, & consequenter æqualitas, & inæqualitas potest contingere dupliciter, nēpè secundùm iustitiam, & secundùm pondus. Proportio, & æqualitas secundùm iustitiam erit tunc, quando perfectio vnius rei, ita reddit talem rem perfectam in suo genere, sicuti alia perfectio reddit aliam rē perfectam in alio genere, quod tamen ita debet intelligi, vt vnaquæque res per suam essentialem perfectionem reddatur tantùm perfecta, quantùm exigit esse perfecta ipsius natura. Et hæc æqualitas ad iustitiam, seruata proportione, reperitur inter omnes essentias, siquidem vnaquæque essentia tantùm per suam essentialem perfectionem perficitur, quantùm exigit perfici ipsius natura, & ideo quæstio non procedit secundùm hunc sensum. Proportio verò, & æqualitas ad pondus tunc erit, quando nulla habita ratione perfectionis, quam talis res requirit, tanta perfectio erit in vna essentia, quanta proportionaliter erit in alia, & in hoc sensu dicimus, quòd possunt dari aliquæ essentiæ æquales perfectionis.

Æqualitas in rerum essentijs tum secūdùm iustitiam tum secūdùm pondus.

VII. Hoc autem indè suadetur, quia nulla apparet ratio implicantiæ, quòd tanta perfectio sit in vna essentia, quanta est in alia, seruata proportione, quia tunc non obstat diuersitas; nam cum hæc non sit æqualitas commensurationis, sed solùm proportionis, optimè potest stare cum ipsa diuersitas essentiarum, quia proportio non est secundùm eamdem rationem; sed secundùm diuersas, sic possunt dari aliquæ essentiæ, quæ solùm specie differant; quid autem vetat, quòd infimæ differentiæ, per quas constituuntur non sint, proportione seruata, æquales in perfectione, ita vt tantam perfectionem includat vna in suo esse, quantam includit altera in suo? Certè nulla apparet ratio implicantiæ, & ideò non est neganda huiusmodi æqualitas, saltem de possibili. Confirmatur exemplo duarum quantitatum, quæ habeant diuersam figuram, ita vt vna sit circularis, altera quadrata, aut triangularis, tunc enim impossibile est, quòd huiusmodi quantitates possint inuicem commensurari, seruata tali figura, & tamen proportione seruata possunt esse æquales in mole, ita vt tanta moles includatur in illa quantitate, quæ est figuræ circularis, quanta includitur in alia, quæ est figuræ triangularis. Similiter quoque fieri potest, quod idem contingat in essentijs, quòd videlicet tanta perfectio includatur in vna, seruata diuersitate essentiæ, quanta includitur in alia; & proinde fiat æquales in perfectione proportionaliter, licet non sint adinuicem commensurabiles propter diuersitatem essentialem: & sicuti in illis quantitatibus, si vna conuerteretur in figuram alterius, fierent commensurabiles: sic etiam, si fieri posset, quòd vna essentia retinendo esse perfectionis, quod habet, conuerteretur in esse formale alterius, esset cum ipsa commensurabilis, absque eo, quòd aliquid perfectionis acquireret vel deperderet.

1. ratio.

Quomodo sit possibilis æqualitas proportionis.

VIII. Præterea vnaquæque essentia habet suam perfectionem, eo quòd participat de perfectione diuina: omnis enim perfectio creaturæ est communicata à Deo. Rursus essentia diuina est in infinitum varijs modis imitabilis à creatura. Quo posito sic argumentor. Ponatur vna aliqua essentia, deinde

Altera ratio.

Deus

Deus incipiat producere alias, & alias essentias, ita tamen; vt incipiat ab aliqua imperfectiori, & posteà progrediatur ad magis, & magis perfectas. Sed in hac productione seruetur, vt vnaquæque creatura accipiat illud minimum solùm perfectionis, quod est sufficiens, vt excedat aliam seipsa inferiorem, & continuetur hæc productio quo adusque producatur aliqua creatura perfectionis illa, quam supponimus reperiri antè hanc continuatam productionem; tunc necessario concedenda est aliqua creatura æqualis perfectionis cum illa, seruata tamen proportione. Quod sic declaratur, quia si ponatur hæc continuata productio, in qua semper vna creatura excedat aliam per aliquod minimum perfectionis, tunc deuenietur ad aliquam, quæ per aliquod minimum solùm sit inferior illa creatura, quæ supponitur antè hanc productionem: poterit autem Deus aliam creaturam creare superaddendo illi hoc minimum perfectionis, & sic erit æqualis in perfectione cum illa, quę supponebatur, proportione tamen seruata. Confir. Deus cognoscit, quanta sit perfectio cuiuscunque creaturę; ergo cum etiam sit in infinitum varijs modis imitabilis, poterit producere aliquam creaturam, quæ tantam perfectionem participet in suo esse, quantam in suo participat alia creatura; non enim probabile est, quòd non possit communicare alicui creaturę tantam perfectionem infra suum esse, quantam communicauit alteri, cum sit infinitis modis imitabilis. Denique potissimum fundamentum huius conclusionis esse debet, quia nulla apparet ratio, quę oppositum conuincat, vt patebit ex earum solutione; quòd si nulla ratio oppositum conuincit, non est, cur hoc non ponatur Deo possibile.

Quomodo possint produci duæ creaturæ eiusdem perfectionis proportionaliter.

IX. Verùm, quia æqualitas, & inęqualitas potest attendi penes commensurabilitatem ipsam, ita vt inæqualitas dicat ipsam incommensurabilitatem, qua duæ quantitates sunt incommensurabiles, eo, quòd dicant diuersas figuras. Ideò pro complemẽto huius disputationis addendum est, quòd si inæqualitas, & æqualitas in hoc sensu accepta transferatur ad perfectionem substantialem, tunc omnes essentiæ sunt necessario inæquales, ita vt implicet aliquas esse æquales. Hoc facilè patet ex ipsa intelligentia terminorum, nam cum diuersæ essentiæ habeant diuersum esse formale, in quo imbibitur tota ipsarum perfectio, nullo pacto fieri potest, vt inuicem commensurentur, sed semper erunt incommensurabiles, & ideo cum inæqualitas sumatur pro incommensurabilitate omnes essentiæ erunt simpliciter inæquales. Constat igitur ex hucusque dictis, quòd in his essentijs fieri potest, vt aliquæ sint inter se æquales æqualitate proportionis, & quòd nullæ sint æquales, prout in diuersa significatione sumitur æqualitas. Cum enim ęqualitas, & inæqualitas tantùm de quantitate propriè dicatur, & ad perfectiones substantiales transferatur tantùm secundùm quamdam analogiam, eo modo, quo explicatum fuit, fit quòd in sensu diuerso possit illis applicari, & proinde modo tribui æqualitas, modo inęqualitas. Melius tamen tum ęqualitas, tum inæqualitas ab illis remouetur, vt in prima conclusione fuit explicatum: hoc enim pacto magis congruè loquemur, & meliùs vera significatio terminorum seruabitur.

Inæqualitas pro incommensurabilitate in omnibus rerum essentijs.

Satisfit rationibus primæ sententiæ.

SECTIO III.

I. PRima ratio pro primæ sententia desumebatur ex Arist. diuersis in locis. Hinc ad primum locum ex tex. 16. lib. 10. Metaph. dicimus, quòd cum Arist. ibi, & alibi videtur docere, quòd differentię diuidentes genus se habeant vt habitus, & priuatio, per priuationem intelligit quidem aliquam differentiam positiuam, quę non sit adeò perfecta, sicuti differentia, quam formam vocat, seu habitum; non tamen intelligit aliquam differentiam determinatam, sed vel extremè oppositam, vel omnes alias differentias præter nobiliorem, quę aduenire possunt generi, in confuso sumptas, quę vt vna differentia ponuntur habens annexam priuationem principalioris. Plures tamen differentię intermedię, si eę admittantur, possunt esse æquales in perfectione modo explicato. Imò addo, quòd etiam differentiæ immediatè oppositæ, & immediatè diuidentes genus, possunt esse æqualis perfectionis; & tunc vna explicabitur per modum priuationis fo-

Arist. Quomodo differentia diuidens genus dicitur ab Arist. priuatio.

Arist. illustratur.

solùm quia explicatur, prout excludit oppositam, vel quia secundùm se sit ignota, non quia sit imperfectior. Imò contingit etiam aliquando differentiam nobiliorem explicari per modum priuationis; sic immortalitas est nobilior mortalitate, & tamen explicatur per modum priuationis.

II. In tertio autem Metaphys. tex. cit. docet quidem, quòd in indiuiduis nõ est illud prius, & posterius, quod est in speciebus, non tamen dicit, quòd in omnibus speciebus reperiatur hoc prius, & posterius, seu hoc melius, & deterius: vndè licet regulariter inæquales sint, non obstat, quòd aliquæ nõ possint esse æquales æqualitate proportionis, vt diximus. In tex. verò 10. lib. 8. Nõ docet, quòd ratione inæqualitatis, rerum essentiæ sint sicuti numeri, ita vt omnis species debeat esse inæqualis cum alia, sicuti quilibet numerus est inæqualis cum alio. Verùm etiam si in hoc sensu id dixisset, nihil contra nos contineret ille tex., quia tunc haberet locum, quod in tertio dicto proposuimus, quòd videlicet omnes species sint inæquales, si inęqualitas sumatur pro incommensurabilitate. Sed legitimus sensus est. Quia species sint sicuti numeri quo ad illud, quòd quęlibet additio, aut detractio illas variat essentialiter, sicuti variat numeros, quod inde clarè colligitur; nam cum dixisset: *Manifestum autem hoc etiam est, quòd si aliquo modo substantiæ numeri sunt, ita sunt, & non quemadmodum quidam dicunt vnitatum.* Et declarat statim similitudinem, inquiẽs. *Et quemadmodum de numero ablato, aut ad dito aliquo, ex quibus numerus est, non est amplius idem numerus, sed diuersus, etiam si minimum addatur, aut auferatur; ita nec diffinitio. nec ipsum quid erat esse, erit amplius ablato aliquo, aut addito.* Ex quibus patet, Arist. in hoc tex. aliud intelligere, ac volebant auctores oppositæ sententiæ.

Quomodo rerum essentiæ sint sicut numeri, Arist.

III. Ad secundam autem rationem, quam affert Soncin. neganda est sequel. illæ enim species æquales distinguerentur per suum esse formale: quia esset æqualitas proportionis, non verò commensurationis, vt dictum est. Vndè si loquimur de distantia à non ente, & accessu ad primum ens, erunt etiam in hoc æquales seruata proportione, non commensurabilitate, quia quantum vna recedet à non ente, & ad primum ens accedet per vnã perfectionem, tantumdem etiam à nõ ente recedet alia, & ad primum ens accedet per aliam perfectionem. Quòd potest declarari exemplo duarum linearum, quæ ab eodem centro ad eamdem circũferentiam in diuerso spatio ducãtur, tunc enim in vtraque linea poterit vna pars assignari, quæ æqualiter distet à centro, & ad circumferentiam æqualiter accedat: tunc autem illæ partes ęquales erunt in distantia, & accessu, & tamen vna non erit alia, quia sunt in diuerso spatio. Sic igitur dicendum de illis essentiis, quòd erunt diuersę, quia secundùm diuersum esse formale distabunt ęqualiter à non ente, & ęqualiter accedent ad primum ens.

Rerum essentiæ æqualiter accedere possũt ad primum ens, & recedere à nõ ente.

IV. Ad tertiam verò rationem patet ex dictis in sect. præcedenti, tunc enim essent omnino similes illæ essentiæ, si in perfectione essent æquales æqualitate commensurationis, quia tamen essent tantùm proportionaliter æquales, ideo non essẽt similes, sed dissimiles. Ad confirmationem vero dico, quod licet intellectus, vt plurimum experiatur inæqualitatem, dum diuidit genus in species, hoc tamen non est necessarium, sed potest fieri diuisio, etiã si non percipiat inæqualitatem, dũmodo interueniat diuersitas aliqua; Quarta denique ratio, quam addueit Vasq. probat tantùm, quod non possint habere æqualitatem cõmensurationis, quod nos libenter cõcedimus in illo autem tex. quod ex Arist. affertur, nihil tale dicitur, sed philosophus pergit ibi docere, quomodo fieri non possit, quòd idem sit, & non sit, & ibi ait, quod contingit aliqua esse magis, vel minùs falsa, & quæ minùs falsa sunt, magis accedere ad verùm, hinc scribit. *Si ita, quæ non similiter,* (nempe mentitus est, qui dixit, quatuor esse quinque, & qui dixit, quatuor esse mille) *patet, quòd alter minus,* (hoc est, mentitus est) vnde subdit. *quare magis verũ dicit.* Et propterea Aphrodis. vertit *quòd si non æquè falsum dicunt, patet alterum minùs dicere falsum, quare magis ipse verum, quàm alter dicit.* Quæ quidem versio clarior est, & manifestè ostendit, quomodo hic textus nihil illi opinioni suffragetur.

Æqualitas proportionis in esse non inducit similitudinem.

Arist. Aliqua magis, & quæ minus falsa.

DE

DE EXISTENTIA.





Sſētiæ correſpondet exiſtentia, tanquam actus quidam correſpōdens eiuſdem poſſibilitati. Diximus enim, quòd rerum eſſentiæ, conſideratæ ſe ſolis præciſa exiſtentia, quamuis in ſe nihil ſint, tamen obijciuntur ſecundùm ſuum eſſe quidditatiuum intellectui; atque ſecundùm ipſum ſe habent, veluti potentia obiectiua, qua mediante conſtituuntur in potentia ad actualem exiſtentiam, per quam ponuntur à parte rei. Itaque cum in ſuperioribus diſputationibus tractatum ſit de rerum eſſentijs, nunc conſequens eſt, vt de exiſtentia agamus, atque ipſiua naturam explicemus, hinc enim plenam notitiam de ente completo acquiremus, exiſtentia enim eſt aliquid de tali eſſe completo.

Quid, & quotuplex ſit Exiſtentia.

Diſp. LXXXI.

Præmittuntur quæ certa ſunt, & Auctorum opiniones recenſentur.

SECTIO I.

I. VT igitur, quid ſit Exiſtentia, exponamus, ea prius, quæ certa ſunt, ab incertis ſecerni debent. Quòd igitur imprimis certum debet eſſe, eſt, quòd exiſtentia ſit aliquid reale ſpectans ad rem, quæ exiſtit: & hoc indè manifeſtè colligitur, quia debet exhibere effectum realem, qualis eſt conſtituere rem extra cauſas, quod præſtat per ſuimet exhibitionem. Atque cum talis effectus exhibeatur ipſi exiſtenti, oportet, quòd exiſtentia ſit ipſi intrinſeca: non enim rea dicuntur exiſtere per extrinſecam denominationem, ſed per ſuum eſſe intrinſecum, ſeu per aliquid ſibi intrinſecum, quod peculiare eſt omnibus cauſis formalibus, quando exhibent realem effectum, & nō denominant tantùm, quia ſcilicet cauſa formalis dat ſuum effectum formalem ſeipſam exhibendo. Imo addo, quòd ſi exiſtentia eſſet extrinſeca rei, quæ exiſtit, deberet alicui eſſe intrinſeca, vt reperiretur in rerum natura: hoc verò eſſet abſurdum, quòd exiſtentia eſſet in vno, & aliud faceret exiſtere. *Exiſtētia eſt quid reale intrinſecum rei exiſtenti.*

II. Ex hoc autem ſequitur, quòd exiſtentia ſit veluti actus quidam, ſeu forma, qua res conſtituatur in eſſe actuali, ſeu à parte rei. Eſt autem actus primus, tum quia eſt ille, qui primò conuenit rei, prout ponitur in rerum natura, imo eſt ille, per quem ponitur in rerum natura, tum quia ſi comparentur ad operationes, quæ conueniunt rei exiſtenti, cum operationes ſint quidam actus, reſpectu ipſarum habet rationem actus primi, in ipſa enim operationes fundantur: & etiam quia reducit eſſentias de potentia obiectiua ad actum. Atque hinc fit, quòd exiſtentia, ſi ſuma- *Exiſtētia eſt actus primus.*

Existentia actualis contingenter se habet ad essentiam.

matur prout dicit exercitium existendi, non sit, aliquid essentiale rei, quæ existit: hoc enim proprium est solius Dei, quod ex vi suę essentię existat, vndè non possumus concipere Deum essentialiter, nisi etiam concipiamus existentē econtra verò in rebus creatis possumus optimè earumdem essentiam concipere, nihil de existentia cogitando, vndè neque est pars essentiæ, neque aliquo modo pertinet ad constitutinum ipsius, sed contingenter se habet ad ipsam. Verùm tamen est; quòd existentia possibilis, prout dicit potentiam ad actualem existentiam, est inseparabilis ab essentia, ita vt debeat semper essentia, quando adæquatè concipitur, concipi cum tali ordine ad existendum, statim enim, ac prædicata quidditatiua concipiuntur, nō inuoluere implicantiam in sua connexione, atque concipiuntur connexa, consequitur ad ipsa talis ordo ad existendum.

Existentia primum effectum causæ efficientis.

III. Alterum quoque ex his, quæ diximus, deducitur, quod etiam certum est. Nimirum existentiam esse aliquid, quod conuenit rebus ex vi productionis, cum enim sit actus reducens rem de potentia obiectiua ad esse actuale formaliter, oportet quòd talis actus ex vi productionis. illi communicetur, siquidem tantùm ex vi productionis ponitur in esse actuali. Hinc solet dici, quod existentia sit proprius effectus causę efficientis, quia scilicet causa efficiens, dum operatur, habet communicare existentiam, ita tamen, vt simul communicet totum esse actuale, quod res habet in seipsa. Atque etiam manifestum fit, quod existentia comparata cum prędicatis quidditatiuis obtinet rationem vltimi actus, quia scilicet supponit totum esse essentiæ completum, atque in seipso constitutum, non quidem secundùm esse reale, quia iam diximus suprà, quod rerum essentiæ ante productionem non sunt aliquid in seipsis, sed secundùm esse obiectiuum, quia dum intellectui obijcitur res existens, distinguit essentiam ab existentia atque existentia se habet, vt quid posterius ad essentiam, & veluti actus vltimus illius. Atque sicuti ideo res potest existere, quia in seipsa non inuoluit implicantiam, vndè essentia possibilis veluti prior constituitur existentia possibili, ita etiam in rebus actualibus essentia ipsa seruat eamdem prioritatem respectu existentię.

Vltimus actus essentiæ.

IV. His ergo tanquam certis presuppositis. Quòd videlicet existentia sit quid reale intrinsecum rei, quę existit, se habens ad modum actus, qui quidem sit primus in ordine actualitatis, respectu verò essentię sit vltimus, & ad ipsam contingenter se habens, modò difficultas est, quidnam sit iste actus, & quid de suo formali importet. In qua difficultate Prima opinio recitatur à Bānes 1. par. quæst. 3 art. 4. Dub. 1. & asserit, quòd sit quoddam accidens in vnaquaque creatura receptum, cui formaliter hoc præstet, quòd fiat extrà nihil. Quis autem hanc sententiam tradiderit non explicat, vndè existimo fuisse alicuius Recentioris sui temporis. Desumi tamen potest ex quibusdam Arabibus, vt ex Auicen. & Alpharab. qui, vt refert D. Th. 4. Metaph. cap. 9. asserebant, Ens importare quoddam accidens in rebus receptum, nomine autem entis intelligebant existentiam. Huiusmodi autem sententia in eo habet fundamentum, quod existentia, vt modò dicebamus, est quidam actus essentiæ actuans potentiam obiectiuam ipsius; atque insuper contingenter se habet ad ipsam, & cum supponat essentiam, intelligitur aduenire rei constitutæ per materiam, & formam; ergo est accidens, quicquid enim aduenit rei constitutæ per materiam, & formam, & contingenter se habet, accidens est; totum enim esse substantiale in rebus corporeis adæquatur per materiam, & formam, vndè quicquid non est materia, aut forma accidentale est; quod seruata proportione dicendum est etiam de cœteris rebus, vt quicquid est extrà ipsarum essentiam, accidentale sit. Prætereà Existentia non distinguitur à duratione rei, cum duratio nihil aliud sit, quàm continuata existentia: hinc etiam durationes distinguuntur secundùm diuersos modos existendi, vt tempus distinguitur penes existentiam successiuam, æuum penes existentiam inuariabilem ab intrinseco; æternitas penes existentiam omninò indefectibilem. Duratio autem est accidens rei durantis, vndè cum ab ipsa non distinguatur existentia, ipsa quoque erit accidens. Et his motus Molina hanc opinionem tenuit 1. par. quæst. 3. art. 4. disp. 2.

Banes.

Prima opinio. Existentia esse accidens. Auicenna Alpharab. D. Th.

1. ratio.

Altera ratio.

Molina eiusdem opinionis.

V. Oppositam autem sententiam tra-

Secunda opinio, priori opposita.

dunt communiter, quòd videlicet Existentia non sit accidens rei existentis, sed quantum est de seipsa, neque sit accidens neque substantia, ita vt ad nullum prædicamentum directè pertineat: sed tantùm reductiuè ad illud, cuius est existentia; vndè existentia substantiæ spectabit ad prædicamentum substantię, existentia quantitatis ad prędicamentum quantitatis, & sic de reliquis, & concludunt, quòd sit actualitas, qua actu habet illud esse, cuius est capax Ita D. Th. quęst. 5. de potentia art. 1. ad 2. Alens. 5. Metaph. tex. 4. Caiet. de Ente, & essent. cap. 5. quæst. 11. in resp. ad 8. Capr. in 1. dist. 8. quæst. 1. art. 3. ad 3. contra 1. cõclus. Ægid. quodlib. 2 quæst. 1. Heru. de vnitate Form quæst. 8. Bannes. 1. par. quęst. 3. art. 1. dub. 1. Suarez. in Metaph. disp. 31. Sect. 8. Albertin. tom. 2. principio 1. Philosoph. disp. 2. quęst. 6. qui tamen addit. Quòd si accidens sumatur, prout est quintum prædicabile, potest existentia dici accidens; per quod intendit explicare contingentiam ipsius, quatenus potest conuenire rei, & non conuenire. Auersa in sua Philosophia quęst. 8. sect. 5. Et frequens est hęc sententia apud alios auctores, prætertim Thomistas citato loco primę par. & Iauel. tract. de transcendent. cap. 4. & Soncin. 4. Metaph. quęst. 2.

D. Th. Alens. Caiet. Capr. Ægid. Heru. Bannes. Suarez. Albertin.

Auersa. Iauel. Soncin.

VI. Quòd si ab his auctoribus inquiras. Quid in particulari dicat existentia de suo formali. Respondet Suarez. supracitatus num. 3. importare aliquid per modum partis illius prædicamenti, in quo reponitur res, cuius est existentia, & se habere tanquam actum essentiæ vnum per se cum ipsa constituens. & addit, quod res non collocantur in prędicamento, prout existentes sunt actu, sed solùm vt possunt existere, & ideò sola existentia possibilis reductiuè ponitur in prædicamento Vel potest dici vt colligitur ex Scoto in 1. dist. 36. quæst. vnica, Existentiam de suo formali dicere quemdam ordinem, seu respectum super additum essentiæ, quo ordinetur ad causam efficientem, tanquam ad principium à quo recipit esse. Bannes verò supracit. conclus. 5. Existentiam formaliter nihil aliud esse, quàm terminum complentem dependentiam substantiæ quantum ad hoc, quòd fiat, & sit extrà nihil.

Scot.

Vera sententia.

SECTIO II.

I. HIs igitur opinionibus recitatis reliquum est, vt veram sententiam explanemus. Et primò quidem statuendum est cum communi sententia, quòd existentia non sit accidens prædicamentale rei existentis. Quòd sic declaratur, & confirmatur. Si existentia esset accidens prædicamentale rei existentis, oporteret, quòd ab ipsa realiter distingueretur, quia accidens non potest esse idem cum substantia, & cum existentia distinguatur à substantia realiter, oportet etiam, quòd à cœteris rebus eodem modo distinguatur, cum sit eadem ratio. Neque potest dici, quòd sit accidens metaphysicum identificatum cum re, cuius est existentia, quia tunc non se haberet separabiliter, vt volunt auctores primæ sententiæ; volunt enim, quòd sit accidens physicum separabile ab essentia. Quòd autem non possit existentia distingui ab essentia, tanquam accidens phy. cum ipsius. prob. quia accidés dependet à subiecto, tanquam à causa materiali, quo ad receptionem, & substentationem: quare oportet, quòd supponat in ipso vim receptiuam, atque substentatiuam, ita vt antequam reciperet existentiam præhaberet talem virtutem substentandi; atque recipiendi. Quam tamen habere non potest, nisi sit aliquid in seipso, atque actualiter participet totum suum esse, quod illi communicatur à causa; quomodo enim poterit aliquid causare, nisi ipsum quoque sit causatum? neque enim possibile potest aliquid causare, sed semper oportet, quòd causa habeat actu suum esse, vt per ipsum causare possit. Cœterum vnumquodque ex vi suæ causationis, qua causatur, recipit existentiam; causa enim tendit ad faciendam rem in actu, nec cessat eius causatio quoadusque perduxerit rem ad perfectum statum existẽtiæ. Si ergo antequam aliquid aliud causet, debet esse in seipso causatum, oportet etiam, quòd sit existens, & consequenter antequam essentia reciperet existentiam, esset causata, & existens.

Existẽtia non est accidens essentiæ.

Essentia non potest esse subiectum existentiæ.

II. Hinc etiam elicitur confirmatio eiusdem rationis, quoniam accidens non aduenit, nisi enti in actu, hoc est enti

Accidens aduenit tũ enti in actu.

exi-

existenti, & siue sit commune, siue proprium, sicuti ex natura sua est posterius substantia, ita etiam accidens existens est natura posterius substantia existente; ergo oportet, quòd quodlibet accidens supponat subiectum existens Hinc accidentia, quamuis propria, emanant à subiecto, non potest autem intelligi talis emanatio, nisi subiectum concipiatur existens; hinc etiam passiones dicuntur posteriores natura suo subiecto, quare non potest existentia se habere vt accidens proprium essentiæ; & à fortiori sequitur, quòd neque accidens commune possit esse, quia similiter accidens commune est posterius natura; & cum connectatur contingenter cum subiecto existente, vt existens est, quod proinde vt plurimum potest ab ipso separari perseuerante existentia, impossibile est, quòd existentia sit accidens commune.

2. ratio. III. Et rursus declarari potest ex natura accidentis. Accidens enim est quædam affectio substantiæ, quæ est omninò extra ipsius esse; vndè supponit totum id, quod requiritur vsque ad vltimum complementum in genere substantiali; accidens verò in alio genere complet substantiam, nimirùm secundùm esse accidentale. Ex hoc autem deducitur, quòd totum illud, quod pertinet ad genus substantiale, tanquam complementum illius, non possit esse accidens, & debeat facere vnum per se cum cœteris rationibus, quæ ad complendum tale genus concurrunt, ad differentiam accidentis, quod cum sit in diuerso genere, non efficit vnum per se cum subiecto. Modò existentia ex natura sua non habet, quòd sit affectio substantiæ, sed pertinet ad idem genus substantiæ, tanquam complementum illius, omnis enim res possibilis habet ex vi intrinseci sui esse, quòd possit perduci vsque ad suum perfectum statum, & vltimum complementum, ita vt in suo proprio genere habeat hunc statum perfectum, vndè substantia debet habere perfectum statum in genere substantiæ, accidens verò in genere accidentis, & proindè quicquid spectat ad hunc perfectum statum est in eodem genere. Existentia igitur spectat ad complementum rei, cuius est existentia, vndè existentia substantiæ est quoddam complementum illius, per ipsam enim substantia pertrahitur ad esse actuale, ad quod ex vi suæ possibilitatis ordinatur, neque enim substantia in statu possibilitatis habet perfectum statum, sed secundùm proprium esse potest vlterius promoueri, nimirum vsque ad actualitatem, quod fit formaliter per existentiam; hinc existentia facit vnum per se cum re existente, etiam si ponatur ab ipsa distincta; quod est signum manifestum esse in eodem ordine, in quo est res existens. Et quod dicimus de existentia respectu substantiæ, intelligi debet proportionaliter etiam de existentia respectu accidentis, cum sit eadem ratio. Quod etiam confir. quandiu res non est existens, nondum habuit, quicquid potest habere ex vi suæ propriæ possibilitatis, nec recipit illud esse, quod illi potest communicari à causa, eò etenim ipso, quòd causa continet virtualiter rem aliquam, quam potest ponere in actu, potest etiam illi communicare existentiam, & idcircò quousque non communicauit, non exhibuit totum id, quod exhibere potest per eam virtutem, qua constituitur in esse causæ talis effectus; existentia ergo, quam communicat, continetur in eadem virtute causæ, in qua continetur res ipsa, quæ existit; ex quo conuincitur, quòd existentia, vt pote communicata per eamdem virtutem, spectet ad complementum rei existentis in eodem genere, præsertim cum sit aliquid, quod res exigit sibi communicari ex natura sua eò ipso, quòd illi à causa communicatur esse. Hinc etiam est, quòd causa, quæ continer aliquem effectum, ordinatur ex vi huius continentiæ ad effectum, prout potest esse à parte rei per existentiam, non verò respicit solam essentiam, & in tantùm est vera causa, in quantum communicare potest veram existentiam.

Existētia pertinet ad cōplementum in eodem genere.

IV. Tertiò. Existentia non minùs patet, quàm ipsum ens, in hoc tamen sensu, quòd in quocunque reperiatur ratio entis cum cœteris gradibus essentiæ, qui necessarij sunt ad constituendam vnam integram entitatem, in eo quoque reperiatur existentia correspondens cuicunque gradui essentiæ, vndè est quid commune omnibus predicamentis, quatenus omnia existere possunt, vel propria, vel saltem aliena existentia. Et quod præcipuè aduertere oportet, existentia est quid commune accidenti, & substantiæ, ita vt tam esse accidentale, quàm substantiale petat ex intrinsecis suis principijs promoueri ad esse actuale existen- 3. ratio

Existētia cōmunis cuicūque enti, nec determinata prędicamēti.

tia sibi proportionata. Quo itante conuincitur, quòd existentia non est determinati prædicamenti, sed est quoddam complementum cuiuscumque rei, quæ est in prædicamento, nam imprimis quod est commune accidenti, & substantiæ, non potest spectare ad determinatum prædicamentum, quia prædicamenta omnia, vel important rationem substantialem, vel aliquam determinatam rationem accidentis, vnde quicquid est alicuius prædicamenti, vel est quid substantiale, vel quid accidentale determinatum, quod autem est quid commune accidenti, & substantiæ, ita vt ab vtroque exigatur, non potest esse substantiale, aut accidentale, quia accidens non exigit aliquid substantiale, neque substantia aliquid accidentale, quo promoueantur ad illud esse, quod dicunt in proprio prædicamento; deinde quod conuenit pluribus specie, vel genere diuersis, est quid magis commune, quàm vnumquodque ipsorum seorsim sumptum, vndè cum existentia conueniat tam accidenti, quàm substantiæ, oportet, quòd sit magis vniuersalis, quàm sit, vel sola substantia, vel solùm accidens. Imò existentia debet adæquari cum ipso ente, siquidem eadit etiam suprà ipsam rationem entis, & esse ens, est radix existentiæ, quia eò ipso, quòd aliquid est ens, potest etiam existere, saltem aliquibus alijs gradibus essentiæ superadditis; vndè prima radix, in qua fundatur existentia, est ratio entis; quod autem ab alio deriuat, tanquam à radice, debet cum ipso adæquari, quemadmodum passiones adæquantur cum suo subiecto, à quo emanant. Ex quo concluditur, quòd existentia non possit esse accidens determinati prædicamenti, & consequenter nec simpliciter sit accidens, sed sit aliquid spectans ad complementum cuiuscunque rei, quæ est in prædicamento. Quod potest adhuc amplius vrgeri. Si res vniuscuiusque prædicamenti ex intrinsecis suis principijs exigit existentiam proportionatam, per quam promoueatur ad esse, certè oportet, quòd talis existentia spectet ad tale prædicamentum, vt quoddam complementum rei, quæ in ipso collocatur, dum enim existentiam per seipsam formaliter rem promouet ad suum esse, debet esse aliquid de esse ipsius, & quemadmodum in essentijs possibilibus, existentia possibilis est aliquid de esse adæquato ipsarum, ita vt impossibile sit, essentiam possibilem adæquatè concipere, nisi in ipsa concipiatur potentia ad existendum, ita etiam in rebus existentibus existentia erit aliquid de esse adæquato earumdem, nec concipi poterunt, vt etiam experientia patet, nisi cum existentia concipiantur, quod est signum manifestum, existentiam esse quid de adæquato esse ipsarum: quomodo enim res per esse alienum promoueretur formaliter ad proprium esse? accidens autem est esse alienum respectu substantiæ.

Prima radix existentiæ.

Vnaquæque res ab intrinseco exigit existentiam per quam promoueatur ad esse.

V. Et in confirmationem huius rationis addendum est, quòd existentia correspondet essentiæ, tanquam actus illius, vt iam sect. præcedenti explicatum fuit, ita vt saltem secundùm nostrum modum concipiendi, veluti actuet essentiam, & actuando constituat à parte rei, & promoueat ad esse completum, & statum perfectum, atque essentia præcisa existentia sit quid complebile per ipsam, saltem metaphysicè loquendo, igitur oportet, quòd existentia sit intrà genus essentiæ, tanquam actus dans vltimum complementum rei, cuius est existentia: actus enim, qui complet rem aliquam, oportet, quòd sit in eodem genere, sic forma est in genere substantiæ, quia complet materiam, quæ est in genere substãtiæ. Rursus cum essentia se extendat per omnia prædicamenta; debet quoque existentia extendi per eadem prædicamenta, quia ex vi sui esse formalis tam latè patet, sicuti patet essentia, & quemadmodum essentia vt sic non est alicuius determinati prædicamenti: ita neq; existentia. Et hoc pacto saluatur debita perfectio substantiæ, absurdum enim esset, quòd intrà genus accidentale reperiretur existentia, qua accidens existeret, & intrà genus substantiale non reperiretur, qua substantia existeret, sed cogeretur existentiam mendicare ab accidenti; tunc enim nulla substantia existens esset ens per se, sed per accidens, ex essentia nimirum, & existentia, quæ esset accidens.

Existẽtia correspõdet essentiæ tãquã actus.

Extenditur per omnia prædicamenta.

Absurdũ substãtiã mendicare existẽtiã ab accidenti.

VI. Atque hoc ipsum extendi potest etiam ad accidens, quod est quintum prædicabile; vt nimirum neque existentia sit tale accidens ex eo, quòd contingenter se habeat ad essentiam. Contingentia enim accidentis, quod est quintum prædicabile, consistit in connexione, qua cum subiecto connectitur, eo

Existẽtia non est accidẽs quinti prædicabilis.

sci-

ſcilicet, quòd talis connexio contingens ſit, non autem neceſſaria. Contingentia verò exiſtentię non conſiſtit in contingẽtia talis connexionis, quamuis aliquo modo reduci poſſit ad ipſam, ſed in eo, quòd illud eſſe, quod in ſeipſis habent res exiſtentes, poſsit illis communicari, & non communicari. Et prætereà accidens commune, quod eſt quintum prædicabile, vt conueniat ſubiecto, requirit exiſtentiam in ipſo, & non connectitur, niſi ſecundùm exiſtentiam, ita vt ex vna parte ponatur ſubiectum exiſtens, & ex altera accidens exiſtens, hoc enim eſt de ratione connexionis accidentalis, vt poſſit eſſe tantùm inter extrema exiſtentia; & præciſa à rebus exiſtentia, quicquid ipſis conuenit, neceſſarium eſt, & eſſentialiter conuenit; ex quo fit, quòd exiſtentia non poſſit connecti tanquã accidens commune cum eſſentia, quia vt cõnecteretur, deberet ſupponi eſſentia exiſtens ſine exiſtentia, quod eſt impoſſibile.

Exiſtẽtia non eſt pars rei, quæ ponitur in prædicamẽto

VII. Prætereà addendum etiam eſt, quòd neque exiſtentia ſit pars illius, quòd ponitur in prædicamento, vt volebat Suarez. Nam vel intelligitur de exiſtentia actuali, & de hac certum eſt, quòd non ponitur in prædicamento, nam ſeries prædicamentorum conſtituitur ex rebus, prout ab exiſtentia præſcindunt, hoc eſt ab actuali exercitio exiſtentiæ, & importat tantùm puras eſſentias rerum; neque de actuali exiſtentia intelligit Suarez. Sed neque verum eſt de exiſtentia poſſibili, quoniam poſſibilis exiſtentia non eſt pars eſſentiæ, ſed ſi ponitur realis, & diſtincta ab eſſentia, iam conſtat, quòd poteſt ſaluari eſſentia abſque exiſtentia; & ideò cum ſolæ eſſentiæ ponantur in prædicamento, non ponetur exiſtentia, tanquam pars rei, quæ ponitur in prædicamento, quia tunc poneretur, tanquam pars eſſentiæ, quod eſt falſum. Si verò eſt idem cum eſſentia, tunc exiſtentia poſſibilis erit tota eſſentia, quatenus dicit ordinem ad actualitatem, & hic ordo imbibetur in quolibet gradu eſſentiæ, vndè non erit pars illius, ſed quid ſuperfuſum, & intimè incluſum in tota eſſentia.

VIII. Sed neque exiſtentia poteſt de ſuo formali dicere relationem ad cauſam efficientem, vt volebat Scot. Quamuis enim res, quæ exiſtit, habeat communicatam exiſtentiam à cauſa producẽte, & ratione huius communicationis dicat relationem ad ipſam: hæc tamen relatio non importat formaliter exiſtentiam, ſed ſi prædicamentaliter ſumatur, fundatur in ipſamet ratione effectus exiſtentis, vndè ſupponit exiſtentiam ipſius, tanquam fundamentum; atque effectus exiſtens eſt terminus talis communicationis, qui quidem terminus refertur ad ſuam cauſam; exiſtentia autem includitur in termino communicationis, vt terminus eſt, non autem eſt reſpectus eiuſdem ad cauſam. Atque hic vrgent etiam rationes ſuprà factæ; quòd videlicet exiſtentia nõ pertineat ad aliquod prædicamentum determinatum, ſed vagetur per omnia, & tam latè pateat, ſicuti eſſentia tanquam actus illi correſpõdens. Rurſus exiſtentia habet de ſuo formali, quòd rẽ cõſtituat in ſeipſa, ſeu in eſse actuali, relatio verò quòd ordinet ad aliud; quę quidẽ, vt per ſe euidens eſt, ſunt rationes formales diuerſæ, & vna ſupponit alteram; ordinare enim rem ad aliud, ſupponit eſſe in ſeipſa conſtitutam. Atque hinc etiam concluditur, quòd neque poſſit exiſtentia dicere relationem tranſcendentalem, quia licet ceſſet ratio, quòd hęc relatio non pertineat ad aliquod determinatum prædicamentum, ſed per omnia vagetur, tamen vrgent aliæ rationes: nam imprimis talis reſpectus tranſcendentalis conſtituit formaliter rationem effectus; exiſtentia autem non dicit formaliter rationem effectus, ſed rationem actualitatis: rurſus, vt modò dicebamus, exiſtentia ex vi ſuæ rationis formalis non dicit ordinare rem ad aliud, ſed ipſam conſtituere in eſſe actuali.

Exiſtẽtia formaliter nõ eſt relatio, ſiue prædicamentalis, ſiue tranſcendentalis.

Exiſtẽtia nõ eſt id, quo res ſit extra nihil.

IX. Rurſus neque verum eſt, quòd aſſerit Bannes ſupràcit. Quòd ſcilicet exiſtentia de ſuo formali habet determinare eſſentiam, quantum adhoc, quòd fiat extrà nihil, ſeu quòd ſit id, quo res exiſtit extrà nihil. Hæc enim explicatio nititur falſo ſuppoſito, quòd rerum exiſtentia poſſit ſuppleri à Deo, dicit enim quòd humanitas in Chriſto non exiſtit propria exiſtentia, ſed exiſtentia Verbi; quòd ego falſum eſſe exiſtimo cum communiori opinione Theologorum. Deindè res non eſt extra nihil ſecundùm ſolã exiſtentiam, ſed etiam ſecundùm eſſentiam; ſiquidem res ſecundùm totum eſſe, quod in ſeipſis dicunt, nempè ſecundùm omnia ſua eſſentialia ſunt quid reale poſitiuum: licet enim per exiſtentiam

for-

formaliter fiant extrà causas, tamen etiam secundùm essentiam sunt quid reale actuale; & proindè secundùm totum suum esse sunt extrà nihil. Atque cum quicquid est extra nihil, debeat intrinsecè dicere rationem formalem, qua fiat extrà nihil, oportet etiam in essentia, vt essentia est præcisè considerata, talem rationem formalem concedere; vndè talis ratio non erit existentia; sed, vt suprà etiam diximus, erit ratio entis communissimè sumpti, quæ habet de suo formali, quòd à nihilo contradistinguat.

Quid formaliter dicat existentia.

X. Quare concludendum est, existentiam de suo formali nihil aliud importare, quàm actualitatem rei. Hanc autem actualitatem nihil aliud esse, quàm rationem formalem, per quam res constituitur in seipsa, seu per quam habet formaliter in seipsa illud esse, quod illi potest à causa communicari. Atque ita mihi videtur explicari euidenter propria ratio formalis existentiæ. Certum enim est, quòd antequam res existat, non habet aliquid saltem actuale in seipsa, postquam autem est producta, habet actu in seipsa totum illud esse, quod illi potest à causa communicari. Quæro ergo per quid formaliter constituatur hoc discrimen? certè per existentiam, vt potè per illam, quæ formaliter facit rem in actu, eò autem ipso, quòd res fit formaliter in actu, habet simul, & semel in actu totum suum esse, vndè existentia sicuti est ratio formalis, per quam res constituitur in actu, ita etiam est ratio formalis, per quam actu habet totum suum esse, quod potest habere.

Confir. iuxtà nostra principia Antequã res existant, non sunt aliquid in seipsis, postquam vero existunt habent suum esse essentiale, quo actu sunt in seipsis tale, & tale ens. Quænam igitur est ratio formalis, per quam habent tale esse? Certè nulla alia erit, quàm existentia, quæ sicuti formaliter extrahit à causis esse rei, ita facit, quòd res habeat in ipsa tale esse, quia eo ipso formaliter, quod extrahit à causis, ponit in reipsa.

Confir. Secundò. Si ab aliqua re auferatur existentia quocunque modo, etiam per solùm intellectum, statim intelligimus, rem illam non esse aliquid amplius actuale in seipsa, cuius rei ratio manifesta est, quia non potest dari effectus formalis sine causa formali, ponere autem rem in actu, seu reddere aliquid actuale in seipso, est effectus formalis actualitatis, seu existentiæ; ergo ea ablata non potest res esse amplius aliquid actuale in seipsa. Hinc è contra ea posita, res statim intelligitur fieri aliquid actuale in seipsa; ergo existentia est ratio formalis, quæ facit, quòd res habeat actu in seipsa totum illud esse, quod potest habere.

XI. Hoc rursus etiam declarari potest ex eo, quòd quamuis per productionem ponatur in actu totum esse rei, tanquam terminus illius productionis, ratio tamen formalis, secundùm quam totum illud esse terminat productionem, est existentia, quia sicuti productio ex natura sua tendit ad faciendam rem existentẽ, ita vt tendat formaliter ad ipsam existentiam, ita etiam existentia est formalis terminus productionis; res verò, quæ existit, est terminus materialis, quia vt existens est, terminat productionem; & ideo ratio formalis terminandi productionem est existentia. Hinc ergo concluditur, quòd ratio, per quam formaliter res habent esse actuale in seipsis, non est aliud, quàm existentia; habent enim esse actuale in seipsis ex vi productionis communicantis tale esse, productio autem non terminatur ad tale esse, neque illud communicat, nisi mediante existentia, ita vt ratione illius sit ratio communicatiuá totius esse, quod in re existẽti reperitur, & propterea existẽtia sit ratio formalis, qua res sunt aliquid actuale in seipsis. Quod magis etiam constabit, si ponatur existentia identificata cum essentia, tunc enim existentia nihil aliud erit, quàm ipsamet essentia, prout actu existit, seu prout est aliquid actuale in seipsa: vndè si materiale essentiæ à formali existentiæ secernere volumus, nihil aliud erit, nisi ratio illa, per quam formaliter habet essentia, quòd sit quid actuale in seipsa: quicquid enim aliud assignetur, non assignabitur vera formalitas existentiæ, sed aliquid de essentia, secundùm quod existentiæ subijcitur. Et hic modus explicandi formalitatem existentiæ facilis est, & propriam rationem formalem ipsius attingit.

Existẽtia ratio formalis secũdũ quã res terminãt productionẽ

XII. Neque rationes oppositæ sententiæ, asserentis esse accidens, sunt alicuius magni momenti, & facilè expediri possunt, ad primam enim patet ex ijs, quæ diximus, quomodo existentia contin-

Ad rõnes oppositæ sententiæ. Quomodo existẽtia cõtingens sit.

tingens sit; non enim est contingens, quasi cum subiecto contingenter vniatur, vt euenit in accidente, sed quia contingens est, quòd res habeant esse actuale, quod idem est, ac esse aliquid in seipsa, & fieri extra causas secundùm totum suum esse etiam essentiale. Cum autem dicitur, quòd existentia est actus essentiæ, id ad summum verum est metaphysicè loquendo, & comparando existentiam ad essentiam, prout habet esse obiectiuum, seu prout concipitur esse in potentia, obiectiua, nam à parte rei, vt dicemus, non distinguitur ab ipsa essentia, sed est eadem essentia, vt est quid actuale in seipsa. Quòd si ponatur realiter distincta, vt ponunt Thomistæ, tunc dicendum est, quòd sit quid substantiale in substantijs, & tanquam pars de earumdem esse faciens vnum per se cum essentia; non tamen percipio cum qua probabilitate id dici possit; & similiter in accidentibus se habeat, vt quid accidentale faciens vnum per se cum eorumdem essentia. Et addendum est, quòd existentia supponit essentiam, solùm facta per intellectum distinctione gradnum metaphysicorum, quemadmodum etiam vnus gradus essentiæ supponit alterum; ex quo non licet inferre, quòd existentia sit accidens, sicuti neque id valet inferri de gradu essentiæ.

XIII. Et cum additur, quòd in rebus corporeis totum esse substantiale adæquatur per materiam, & formam, Bannes supracit. ait, quòd existentia, neque est substantia, neque accidens, sed esse complementum, & actualitatem, vel substantiæ, vel accidentis, & subdit; quòd cum dicitur ens adæquari per substantiam, & accidens, respondet, verum esse de ente, quod habet esse, existentia autem non est id, quod habet esse, sed id, quo res est. Verùm id dicit, quia putat realiter distingui ab essentia, & neque responsio satisfacit, quia præcisè considerata est ens, & tale ens, ita vt sub ente vt sic directè ponatur, vndè debet participare aliquam differentiam ex ijs, quæ immediatè diuidunt ens vt sic; hæ autem sunt ratio substantiæ, & accidentis. Deindè inquiro de existentia præcisè accepta, an per se subsistat, an non, sed inexistat: hi enim modi essendi fundantur in prima contradictione modi essendi vniuersaliter sumpti, & ideò necessariò alter ipsorum debet cuicunque enti conuenire: si ergo per se subsistit, est substantia. At si inexistit, erit accidens. Itaque nos dicimus, existentiam esse identicè, vel substantiam, vel accidens, prout cum accidenti, vel substantia identificatur, formaliter verò esse rationem, qua vnaquæque res est aliquid actuale in seipsa, & hoc pacto facilè expeditur tota difficultas.

An existē. ē a sit sub stantia an verò accidens.

Bannes.

Existētia directè ponitur sub ente vt sic.

XIV. Ad alteram verò rationem Quicquid sit, an existentia distinguatur à duratione, quod alibi examinandum est, supposito, quòd non distinguatur, dicendum est, durationem intrinsecam non distingui ab esse rei actuali, quemadmodum neque distinguitur existentia; quod an rectè dicatur, melius suo loco examinabimus: solùm dicet supra existentiam, quòd connotet tempus extrinsecum, cui res existens coexistat, & ex vi huius connotationis propriè constituetur complet è in ratione durationis, quatenus duratio est quid mensurabile; neque tunc duratio erit accidens rei, sed ipsamet res, quatenus permanet in sua existentia. Et fortasse etiam dici posset, quòd neque formaliter distinguantur duratio, & existentia, sed vtraque sit ipsamet res existens, quatenus dicit esse quid actuale. Sed, vt diximus, de hoc melius alibi determinabimus. Cum verò instatur, quòd duratio constituit peculiare prædicamentum; respondetur quòd duratio, quæ constituit prædicamentum Quando, non est intrinseca duratio rei præcisè sumpta, quia hæc non spectat ad aliquod prædicamentum determinatum, sed est res cuiuscunque prædicamenti, prout actu permanet; prædicamentum verò, quando dicit quid completum ex hac intrinseca duratione, & tempore extrinseco, & importat illam coexistentiam rei existentis ad tempus extrinsecum; & hoc pacto philosophandum est, supposito quòd duratio, & existentia non distinguantur à parte rei à re durante, & existente.

An existē. a dist in guatur à duratione

Excluditur diuisio existentia in Positiuam, & Negatiuam.

SECTIO III.

I. QVod autem spectat ad diuisionem existentiæ, Recentiores quidam eam diuidunt in Positiuam, & negatiuam; vt enim faluent, quomodo ma-

Existētia positiua, & negatiua Recentiorum opinio.

materia prima ex ſe ſit extrà cauſas, & tamen non habeat propriam exiſtentiam, ſed eam recipiat à forma, introduxerunt quamdam exiſtentiam negatiuam, qua, inquiunt, res negatiuè exiſtit, & hanc adſcripſerunt materiæ primæ ſecũdùm ſe conſideratæ. Quòd ſi quæras, quid nam ſit hæc exiſtentia negatiua, & in quo à poſitiua differat, reſpondent, quòd res per exiſtentiam poſitiuam ſiunt poſitiuè extrà cauſas, per exiſtentiam autem negatiuam non ſunt amplius in cauſis. Vndè totum diſcrimen huc reducitur, quòd negatiua dicit non eſſe in cauſis, Poſitiua verò Eſſe extrà cauſas. Et in confirmationem huius ſuæ opinionis afferunt exemplum de humanitate aſſumpta à Verbo, quæ eſt ſine propria ſubſiſtentia, & ſic ſine ſubſiſtentia conſiderata dicitur à Theologis ſubſiſtere negatiuè, non alia ratione, niſi quia non eſt in alio, ita ſicuti datur ſubſiſtentia negatiua, debet dari etiam negatiua exiſtentia, qua res non ſit amplius in cauſis.

Excluditur exiſtẽtia negatiua.

II. Verùm ſtatuendum eſt, Non dari hanc exiſtentiam negatiuam, ſed omnem exiſtentiam poſitiuam eſſe. Quod ſic euidenter oſtenditur. Non enim poteſt diſtingui inter effectum exiſtentiæ poſitiuæ, & exiſtentiæ negatiuæ, cum enim impoſſibile ſit, reperiri exiſtentiam, quæ non extrahat rem de potentia cauſarum, neque poteſt reperiri exiſtentia, quæ non ſit poſitiua, quia etiam per Recentiores illos exiſtentia poſitiua eſt illa, quæ facit rem extrà cauſas; hoc enim habet exiſtentia ex genere ſuo, quòd facit rem extrà cauſas, quia quamdiu eſt in cauſis, non intelligitur exiſtere. Et futilis eſt diſtinctio de Eſſe extrà cauſas, & Non eſſe in cauſis, quia licet aliqua diuerſitas ſit in modo ſignificandi, in re tamen ſignificata nulla eſt; quia ſi res non eſt in cauſis, certè debet eſſe extrà cauſas, ſi modo exiſtit, Eſſe enim extrà cauſas, & non eſſe extrà cauſas contradictoriè opponuntur, quorum alterum verificari debet; vndè ſi non eſt extrà cauſas, erit in cauſis, quia contradictorium negatiuum fundatur in oppoſito poſitiuo ſui contradictorij, oppoſitum autem poſitiuum eſt, Eſſe in cauſis, quia hic modus eſſendi poſitiuè in cauſis opponitur cum modo eſſendi poſitiuè extrà cauſas. Et confir. quoniam id, quod in cauſis eſt, eo vſque perſeuerat in earumdem virtuali continentia, quoadúſque ab ipſis egrediatur, hoc enim ex ipſis terminis notiſſimum eſt: quod ſcilicet id, quod eſt intrà aliud, eo vſque in tali ſtatu perſeuerat, quoadúſque egrediatur. Effectus autem non egreditur à cauſa, niſi ab ipſa recipiat eſſe, quod in illa virtualiter continetur, & ſimul fiat extrà cauſas; egredi enim ab aliquo eſt fieri extrà ipſum, vndè dum effectus concipitur non eſſe amplius in cauſis, eo ipſo formaliter concipitur egreſſus à cauſis, & conſequenter eſſe extrà ipſas ſecundùm proprium eſſe à cauſa communicatum. Quare ſi exiſtentia negatiua facit rem non eſſe amplius in cauſis, facit ſimul eſſe extrà cauſas, & proindè erit exiſtentia poſitiua, non autem negatiua.

Non eſſe in cauſis, & eſſe extra cauſas eſt omnino idem.

Recedere à termino à quo eſt accedere ad terminũ ad quem.

III. Et hoc ipſum declarari poteſt exemplo motus. In motu enim eo ipſo, quòd ſubiectum recedit à termino à quo, accedit ad terminum ad quem, ita vt impoſſibile ſit etiam concipere, quòd recedat à termino à quo, & non ſimul accedat ad terminum ad quem, & ratio eſt, quia non recedit à termino à quo, niſi per id, quòd accedit ad terminum ad quem; ergo etiam implicat, concipere rem recedere à continentia virtuali cauſarum, & non eſſe amplius in cauſis, & non ſimul etiam concipere fieri extrà cauſas, quia per id ſolùm ceſſat eſſe in cauſis, quòd fit extrà cauſas, ita vt eſſe extrà cauſas ſit veluti terminus ad quem, & eſſe in cauſis veluti terminus à quo. Quod etiam ex eo confirmatur. Quoniam quod res non ſit amplius in cauſis habet ex vi productionis; niſi enim ad productionem deueniatur, nunquam res ceſſabit eſſe in cauſis, ante enim productionem eſt in virtute cauſæ. Productio autem tendit ad communicandum aliquod eſſe effectui, & eo ipſo, quod communicat, illud ponit extrà cauſas, & ideò habet ex natura ſua productio, quòd rem ponat extra cauſas ſecundùm illud eſſe, quod communicat. Quare non eſſe amplius in cauſis reuera idem eſt, quod eſſe extrà cauſas, & ſolùm differunt, quòd non eſſe in cauſis dicit formaliter negatiuum, & connotat poſitiuum; Eſſe verò extra cauſas formaliter dicit poſitiuum, & connotat negatiuum; vndè tota differentia eſt penes modum ſignificandi.

IV. Hinc autem oritur illa immediatreus

Esse in causis, & esse extrà causas immediatè opponuntur.

diata oppositio, qua Esse in causis, & esse extrà causas immediatè opponuntur; sicuti enim Esse adhuc in causis negat esse extrà causas ratione negationis, quam habet adiunctam, ita esse extrà causas negat omnino esse in causis; vndè habet adiunctam hanc negationem, nimirum non essendi in causis. Ex quo fit, quòd cum immediatè opponantur, non possit dari aliquod medium inter ipsa, & proindè eo ipso, quòd aliquid non est in causis, erit extrà causas: Deindè negatio ista, quæ dicit non esse in causis, oportet, quòd fit semper adiuncta cum positiuo, quod videlicet importat immediatè, & opponitur cum existentia in causis, & proindè fundetur in eo, quòd res fit extra causas. Quòd si sumatur, vt est mera negatio, tunc cum negationes non fint à parte rei, quomodo non esse in causis faciet rem existere, cum existere sit esse à parte rei?

2. ratio.

V. Secundò principaliter argumentor. Et accipio aliquid creatum à Deo, quod negatiuè existat, vt de materia prima affirmant Recentiores illi; & de illa inquiro, an dum negatiuè existit, seu si non potest negatiuè existere, nisi etiam simul positiuè existat, considero illam, prout tantum negatiuè existit, seu cum sola existentia negatiua; an inquam, dum non est amplius in Deo, tanquam in causa, fit aliquid positiuum participatũ, & in actu, an non. Hoc secundum dici non potest, quia adhuc esset in potentia causæ, nec haberet esse actuale, & participatum, & consequenter nullo modo existeret, nec posset dici, quòd non esset amplius in causis, sed deberet concedi, quòd adhuc esset in causis. Si vero est aliquid positiuum participatum, illi quoque concedenda est existentia positiua, qua positiuè extra Deum constituatur; nam extra Deum constituitur per positiuam communicationem, quæ adæquat totam existentiam, quam res potest habere: tendit enim communicatio ad communicandum esse positiuo modo, & cum positiua communicatio dicat omnem rationem possibilem communicationis, debet etiam habere pro termino totum id, quod potest illam terminare, & consequenter rem, quæ positiuo modo existat. Quod præsertim verum est, quia ex vi communicationis res actu acquirit in se ipsa, & consequenter extra Deum aliquid actuale positiuum; & quẽadmodum, dum productio terminatur ad aliquam formam, facit illam positiuè existere, ita etiam creatio debet facere existere materiam positiuè, quia est positiua communicatio, non secus ac est illa, qua producitur forma.

Quomodo ex vi productionis cõuincatur sola existentia positiua.

3. ratio. Vna est ratio formalis existentiæ, eaque positiua.

VI. Tertiò. Vel ista existentia negatiua participat rationem formalem existentiæ, vel non. Si primum dicatur, sequitur manifestè, quòd ponat rem extra causas, & eadem sit, ac existentia positiua: ratio enim formalis existentiæ est tantùm vna, sicut & cuiuscunque alterius rei, quæ cum in existentia positiua reperiatur, oportet, quòd positiua sit; vndè non possumus fingere aliam rationem formalem existentiæ diuersam, quia eo ipso, quòd diuersa est, non est amplius ratio formalis existentiæ, quemadmodum, neque possunt assignare aliam rationem formalem rationalitatis, aut alterius quidditatis, præter eam, quæ est in homine. Deindè si non esset illa ipsa ratio formalis, quæ est in existentia positiua, vel diceret aliquid positiuum, vel negatiuum. Positiuum non posset semper inuoluere aliquam rationem formalem positiuam, per quam constituatur in tali esse, quæ ergo erit talis ratio formalis positiua? certè nulla alia esse poterit, nisi ratio formalis existentiæ, vndè tunc existentia negatiua dicet rationem formalem positiuam existentiæ; quomodo ergo erit existentia negatiua? Si verò est quid negatiuum, iam in se erit nihil. quomodo ergo, quod in se nihil est, potest facere existere essentiam positiuam, quæ ex intrinsecis suis principijs exigit existentiam positiuam, tanquam solam sibi proportionatam? Si autem alterum membrum illius dilemmatis admittatur, quòd scilic[et] existentia negatiua non participet rationem formalem existentiæ, quomodo erit existentia, cum sine ratione formali, nihil possit esse tale? Prætereà quomodo potest reddere rem existentem, cum existere sit effectus formalis existentiæ participantis rationem formalem propriam, quemadmodum esse album est effectus formalis albedinis, prout dicit rationem formalem albedinis? Certè tũc existentia negatiua erit mera negatio existentiæ, & nullo pacto poterit reddere rem existentem, quemadmodum, neq; negatio albedinis facit subiectum album, sed potius facit, quòd nõ sit album.

VII. Denique id ipsum confirmare possumus ex natura ipsius actionis. Vel enim actio est transiens, vel immanens. Si actio est transiens, habet ex natura sua, quòd egrediatur ab agente, & si ordinatur ad subiectum, ponat in ipso aliquid positiuum; actio enim causæ positiuæ ponit in esse effectum positiuum: si vero non ordinatur ad subiectum, sed ad aliquid per se subsistens, vt est creatio, adhuc debet egredi ab agente, & ponere in esse aliquid positiuum: vndè quantum est ex parte actionis transeuntis excluditur existentia negatiua, non enim posset haberi huiusmodi existentia, nisi per aliquam actionem, & consequenter per aliquem influxum positiuum; influxus autem positiuus transiens, seipso fit positiuo modo extrà causam, vndè debet ex vi illius fieri extrà causam positiuè terminus illius actionis, qui per talem influxum ponitur in esse; & consequenter positiuè existet; quid enim aliud est positiuè existere, quã esse positiuo modo extrà causas? Si verò actio sit immanens, tunc productio erit semper accidentalis, & ideò terminabitur ad accidens quod positiuè inhæreat, quantum est ex vi suæ productionis. Quod autem positiuè inhæret, oportet etiam, quòd positiuè existat, inhærentia enim supponit existentiam, & positiua inhærentia positiuam existentiam. Et ideo ex hoc quoque capite, nempè ex actione immanente colligitur, quòd non detur huiusmodi existentia negatiua, sed omnis existentia ex genere suo positiua sit, & habeat ex vi suæ rationis formalis, quòd faciat rem illam, cui attribuitur, positiuè existere.

Actio tũ transiens tũ immanens semper terminatur ad aliquid positiuè existens.

Existentiam positiuam non esse proprietatem alicuius creaturæ.

SECTIO IV.

I. PRo plena intelligentia, quidnam sit huiusmodi existentia, restat dissoluenda alia difficultas, an videlicet hæc existentia positiua sit propria passio alicuius rei creatæ; loquimur autem de passione in communi, siue ea metaphysica, siue physica ponatur, dummodo tamen participet propriam rationem formalem proprietatis. In qua difficultate Ferrar. 2. contra Gent. cap. 55. affirmat, existentiam esse propriam passionem. non quidem cuiuscunque rei creatæ tantum, sed solùm angelorum, atque animæ rationalis. Cuius fundamentum est, quia illud habet rationem passionis, quod per se conuenit subiecto, ita vt si relinquatur suæ naturæ, illud habeat ex intrinsecis suis principiis. Angelus autem, & anima rationalis, si ponantur in rerum natura, & suæ naturæ relinquantur habent existentiam ex intrinsecis suis principijs. Hanc autem ferè doctrinam tradit etiam Caiet. 1. part. quæst. 50. art. 5. sed magis illã explicat, & addit, quòd existentia non est simpliciter passio harum rerum, quibus ipse adiungit Cœlum, sed secundùm quid, quia nimirum non est passio logica, sed physica. Ponit autem discrimen inter passionem logicam, & passionem physicam, quòd passio logica per se conuenit simpliciter, passio verò physica non conuenit per se simpliciter, sed ex aliqua suppositione, non necessaria, vnde connexio passionis physicæ cum subiecto non est absoluta, sed solùm ex aliqua suppositione. Hanc ferè doctrinam sequitur etiam Sanchez in Logica quæst. 74.

Ferrar.

Existentiã esse passionem, aliorum opinio.

Caiet.

Discrimẽ inter passionẽ physicam, & logicam.

Sanchez.

II. Sed absolutè dicendum est, Existentiam non esse passionem alicuius rei, neque logicam, neque physicam. Et quòd non sit passio logica conueniunt etiam auctores citati, etiam Ferrar. nam ipse quoque loco citato docet, quòd existentia non est simpliciter passio angeli, & animæ rationalis, sed solùm prout sunt in rerum natura. Et manifesta ratione conuincitur, nam passio illa, quàm præfati auctores vocant logicam, simpliciter conuenit præscindendo ab eo, quòd subiectum existat, vel non existat, quemadmodum risibilitas conuenit per se homini, siue existat, siue non existat; at existentia nulli rei creatæ conuenit simpliciter, sed tunc solùm, quando existunt; vndè neque per se conuenit, sed contingenter, & consequenter quando existentia prædicatur de his rebus, propositio est contingens; at passio, quando prædicatur de subiecto, facit propositionem necessariam, quæ vocari solet æternæ veritatis eo, quòd semper vera sit independenter à quacunque differentia temporis. Vndè connexio passionis cum subiecto est simpliciter necessaria, & propter hanc necessariam connexionem cum subiecto potest vera demonstratione passio de ipso demonstrari: at

Conclusio.

Existẽtia no est passio alicuius rei creatæ.

quis dicat posse de aliqua re creata existentiam demonstrari, cum contingenter illi conueniat? Itaque certum est, quòd non potest existentia esse passio logica alicuius rei existentis.

Existentia non est proprietas physica.

III. Sed neque potest esse passio, vt vocant, physica, quia statim ac tollitur necessitas connexionis, aut reducitur in aliquam suppositionem non necessariam, tollitur vera ratio passionis, si enim passio semel importat aliquid necessariò cōnexum cum subiecto, debet semper esse cum tali connexione necessaria, qua ablata, auferatur etiam ratio passionis. Imò ablata hac necessaria connexione, inducitur contingentia, contingentia autem ex genere suo opponitur passioni propriæ, si quidem importat aliquid, quod possit esse, & non esse, quod sanè contingere non potest in passionibus propriis. Neque vis facienda est, quòd posita extrà causas creatura ista, non potest non existere, quia si hinc liceret inferre, quòd existentia sit propria passio ipsius, id ipsum concluderetur non solùm de existentia respectu angelorum, & animę rationalis, sed etiam respectu cuiuscunque rei, quæ implicat, quòd non existat, supposito, quòd sit extrà causas, vndè existentia esset propria passio respectu cuiuscunque entis creati, quia id extendi posset ad quodlibet accidens, quia respectu cuiuscunque fieri potest aliqua suppositio, qua facta accidens necessariò conueniat subiecto, & quicquid contingens est, ex aliqua suppositione euadit necessarium. Non igitur hæc necessitas ex suppositione sufficiens est, vt constituat passionem propriam, quia reuera relinquit vnumquodque in propria contingentia, quam ex natura sua habet. Quin plura accidentia communia consequuntur ex intrinsecis principiis subiecti, quatenus ab illo emanant, non tamen sunt proprietates, vt frigiditas, quę emanat à terra, & ab aqua, quia, vt diximus, contingentia opponitur cum ratione formali proprietatis, & illam penitus tollit.

Necessitas suppositionis non sufficit ad saluandam proprietatem.

In existentia deficit propriū constitutiuū passionis.

IV. Deindè non percipio, quomodo existentia respectu vnius sit propria passio, & non respectu alterius. propria enim passio potest tantùm reperiri in eo, cuius est passio, dicitur enim ad conuertentiam cum subiecto, & conuenit omni, & soli; vndè non potest alteri conuenire, respectu cuius non sit passio, vndè, cum existentia respectu aliquorum non sit propria passio, respectu nullius talis erit. Neque valet, si dicatur, id esse verum de passione logica, non autem de passione physica, quia si in passione physica proprium constitutiuum passionis deficit, non erit passio, quemadmodum quia in lapide non reperitur proprium constitutiuum hominis, ideò neque est homo. Confir. Ita se habet existentia angeli ad angelum, sicuti existentia rei materialis ad rem materialem, tam enim res materialis requirit suā existentiā, quā requirit angelus, & tam angelus, quàm res materialis contingenter existunt, ita vt possent non existere, ergo si existentia respectu rei materialis non est propria passio, neque talis erit respectu alterius. Neque enim prodest, quòd angelus non sit ab intrinseco corruptibilis quòd enim non sit ab intrinseco corruptibilis, non facit, quòd existentia sit propria passio ipsius, quia adhuc illi contingenter conuenit, & potest non conuenire, neque ex natura sua exigit necessariò existere, etiam si actu existat, quia si exigeret necessariò existere, non posset non existere; vndè neque à Deo esset corruptibilis.

Existentia non cōsequitur ex intrinsecis principiis rei.

V. Denique corruit opposita sententia ex falso præsupposito, supponit enim, quod existētia cōsequatur ex intrinsecis principiis rerum illarum, quarum dicitur esse passio, quod est falsissimum; siquidem existentia est effectus causæ efficientis, quæ dum cōmunicat esse effectui, cōmunicat simul existentiam; tendit enim productio ad constituendam rem in actu quod præstare non potest nisi communicando existentiam, sola enim est ratio formalis, per quam res constituuntur in actu. Deindè non potest aliquid physico modo consequi ab intrinsecis principiis rei, nisi res existat, illa enim consecutio est quædam physica causatio, quæ proindè supponit existentiam in causa, per quam existat, & impossibile est, quòd aliquid antequam existat, possit causare, ergo similiter implicat, quòd res aliqua possit ex intrinsecis principiis causare propriam existentiam, quia tunc causaret, antequam existeret. Quod potest amplius vrgeri. Antequam res habeat suam existentiam, non existit, antequam autem existat, non potest exigere ex intrinsecis suis principiis existentiam, quia contingenter existit, & potest exi-

stere, & non existere; sed neque quando iam habet existentiam, per quam actu existat, potest exigere necessariò existere, quia secundùm principia intrinseca est eadem, & proindè si prius non exigebat necessariò existentiam, neque quando existet, illam necessariò exiget ex vi suorum principiorum intrinsecorum. Sed neque posset illam exigere necessariò ratione existentiæ superadditæ, quia existentia superaddita non fundat hanc radicem huius necessariæ exigentiæ, & implicat, quod idem exigat seipsum, quia exigentia est respectu alicuius rei distinctæ. Vndè concluditur, quòd existentia neque potest dici passio propria alicuius rei ex eo, quòd in aliquo ab ipsa necessariò exigatur. Quare nullo modo statuenda est pro passione alicuius rei siue physica, siue logica: sed dicendum est, esse quid de esse rei existentis, vel ipsum esse rei, quatenus est in actu, vt communiter docere solent. Atque cum D. Th. 1. par quæst. 50. art. 5. in corpore doceat, Quòd formæ conuenit esse per se, non debet intelligi, quòd illi per se conueniat actu existere, sed quia vult, quòd ratio formalis existentiæ intrinsecè inuoluatur in essentia formæ, vt pote quia est essentialiter actus, quod dicit ad differentiam materiæ, quæ cum sit pura potentia, tantùm ratione formæ adiunctæ potest existere.

Nulla res exigit necessariò existentiã.

D. Th.

An existentia distinguatur ab essentia.

Disp. LXXXII.

Titulus quaestionis, & prima opinio.

SECTIO I.

I. SVpposito, quòd existentia sit aliquid pertinens ad complementum rei, quæ existit, & quòd formaliter dicat rationem illam, per quam res constituatur aliquid in seipsa, seu per quam constituatur aliquid actuale, & existens, quærimus, an huiusmodi existentia distinguatur ab essentia à parte rei; quæ quidem quæstio celebris est apud Doctores, & sub alio etiam titulo proponi solet, nimirum An esse distinguatur ab essentia. Per ly Esse autem non intelligunt esse essentiæ, quia de hoc certum est, quòd non distinguitur ab essentia, sed est ipsamet essentia; sed intelligunt Esse existentiæ, per quod formaliter res habent, quòd existant. Et vt plenius punctus difficultatis percipiatur. Sciendum est, quòd res, quæ sunt à parte rei, habent suam essentiam actu in seipsis, per quam constituuntur in tali, & tali esse actuale; vndè Petrus habet in seipso actu essentiam hominis, per quam constituitur in esse hominis, quando enim res existunt, acquirunt in seipsis totum illud esse, quod dicebant in statu possibilitatis, atque adeo esse essentiæ. Et proinde dici solet, quòd rerum essentiæ sunt immersæ in Indiuiduis; hine etiam ab indiuiduis abstrahuntur naturæ vniuersales, quod fieri non posset, nisi in ipsis esse essentiæ reperiretur. Hoc autem esse essentiæ, dum est in indiuiduis existentibus est aliquid actuale, siquidem verè reperitur à parte rei extractum à potentia causarum, dũ indiuiduis productis communicatur. Atque hoc esse actuale essentiæ, quod habet esse à parte rei, est etiam indiuiduum, quia ex vi productionis indiuiduatur. Atque omnes in hoc conueniunt, quòd tale esse essentiæ actuale debeat concedi. Verùm cum hoc esse essentiæ actuale habeat annexam suam rationem formalem existentiæ, quæritur, an huiusmodi existentia distinguatur à parte rei ab hoc esse actuali essentiæ, & importet aliquid reale superadditum, quod sit Esse actuale existentiæ, itaut à parte rei in qualibet re hæc duo esse actualia ponenda sint, videlicet esse essentiæ, & esse existentiæ, an verò,

Esse essẽtiæ in indiuiduis existẽtib. aliquid actuale.

exi-

existentia identificetur cum esse actuali essentiæ, ita vt vnicum tantùm esse concedendum sit, quod simul sit essentia, & existentia.

II. Ex quo apparet, quòd cum quæritur, an existentia distinguatur ab essentia, non debet sumi essentia præcisè considerata, prout dicit pura essentialia, quia certum est, quòd cum existentia contingenter creaturis conueniat, non potest includi in puris essentialibus, quicquid enim includitur in puris essentialibus, necessariò creaturæ conuenit, & cum eo debet concipi, in quocumque statu concipiatur; Hinc est, quòd possumus essentiam creaturæ concipere, absque eo, quòd concipiamus existentiam, & proindè rerum essentiæ à scientijs considerantur cum præcisione ab existentia, & cum puris prædicatis quidditatiuis. Debet igitur sumi essentia, prout dicit esse participatum, & actu communicatum, ita vt extrà causas concipiatur, & positum in rerum natura. Ex quo colligitur discrimen inter Deum, & creaturam quo ad essentiam, quia Deus includit in sua essentia actualem existentiam, ita vt impossibile sit essentiam diuinam concipere, absque eo, quod concipiatur eiusdem actualis existentia, ita vt sublata hac actuali existentia, impossibile sit, quòd subsistat diuina essentia in esse obiectiuo, quemadmodum subsistit essentia creaturæ. Hinc est, quòd Deus existit per essentiam, quia ex se ipso, & ex vi suæ essentiæ habet suum esse; creatura verò non existit, nisi illi ab aliquo communicetur esse, à quo debet illud recipere. Et ex hoc fit, quòd existentia creata supponat necessariò aliquam causam efficientem, a qua fit, & à qua res existens recipiat suum esse, tùm essentiæ, tùm existentiæ. Constat ergo in quo sensu debeat sumi existentia, quādo inquirimus, an existentia distinguatur ab essentia.

[Margin: Quo de... sumi essentia.]

[Margin: Discrimen inter existere Dei, & existere creaturæ.]

III. In qua difficultate Prima opinio tenet, quòd Existentia realiter distinguatur ab essentia, tanquam res à re, ita vt in quolibet ente existente, quantumuis simplici, interueniant necessariò duæ entitates, altera essentiæ, altera existentiæ, quæ adinuicem vniantur ad constituendum vnicum ens existens. Ita Capr. in 1. dist. 8. quæst. 1. Caiet. de Ente, & essent. cap. 5. quæst. 11. Ægid. in 1. dist. 2. quæst. 4. art. 1. & Quodlib. 1. quæst. 7. Ferrar. 2. contra Gent. cap. 52. Soncin. 4. Metaph. quæst. 12. Flandria quæst. 3. art. 4. Aquar. quæst. 4. Iauel. tract. de Transcendent. cap. 4. Cumel. 1. par. quæst. 3. art. 4. Bannes ibid. dub. 2. & sequuntur communiter omnes Thomistæ, & extrà eorum scholam nonnulli alij Recentiores, atque hæc sententia adeò apud ipsos inualuit, vt pro principio habeant, quòd Esse distinguatur ab essentia. Eamdem sententiam tenet Iandun. 4. Metaph. quæst. 3. quo ad substantias corruptibiles; in cæteris verò negat distingui.

[Margin: Prima opinio ponēs distinctionem realem. Capr. Caiet. Ægid. Ferrar. Soncin. Flandria. Aquar. Iauel. Cumel. Bannes. Iandun.]

IV. Solent etiam Thomistæ pro hac sententia citare Albert. super lib. de causis propos. 8. Auicen. lib. 5. Metaph. suæ cap. 1. Alpharab. & alios antiquiores, sed præcipue Boet. de Hebdomad. cap. 1. vbi docet, quod diuersum est esse, & id quod est. Rursus D. Hilar. lib. 6. de Trinit. paulo post principium, vbi habet, quod Id, quod subsistit in Deo, est suum esse. Sed præcipuè hæc sententia emanauit ex D. Th. 1. par. quæst. 3. art. 4. in corpore, vbi sic inquit. *Oportet igitur, quòd ipsum esse comparetur ad essentiam, quæ est aliud ab ipso, sicut actus ad potentiam.* Ex quo colligitur, quòd realiter in creaturis distinguat existentiam ab essentia. Similiter lib. 2. contra Gent. cap. 52. docet, quòd in creaturis non est idem esse, & essentia, & reddit rationem, quia solus Deus est suum esse, vndè creatura, vt distinguatur à Deo, non potest esse suum esse, quod late in illo cap. prosequitur & cap. 53. docet, quòd alia est compositio ex materia, & forma, & alia ex esse, & essentia; & quod hæc repetitur etiam in substantijs spiritualibus. Atque similia habet in Opusc. de Ente, & essent. cap. 5.

[Margin: Albert. Auicen. Alphar. Boet. D. Hilar. D. Th.]

V. Arguunt autem præcipuè pro hac sententia, quia creatura nullo pacto potest accedere ad diuinam simplicitatem, & vt communiter docent Patres, non potest esse suum esse, quia hoc est proprium solius Dei, & conuenit ipsi, qua Deus; si autem existentia non distingueretur realiter ab essentia in creaturis, vnaquæque creatura esset suum esse, & accederet ad diuinam simplicitatem. Præterea quia ablata distinctione existentiæ per se conueniret creaturæ, non enim potest aliquis actus esse idem realiter cum aliqua re, & non conuenire illi per se, non enim afferri potest aliqua instan- 2. ratio.

[Margin: 1. ratio.]

tia;

tia; in qua oppositum contingat. Tertiò, quoniam actus receptus distinguitur realiter à potentia recipiente. Esse autem est actus receptus, alioquin si non esset receptus, esset illimitatus, non enim esset, à quo limitaretur, omnis enim limitatio, vel fit per differentiam contrahentem, vel per subiectum. Prima limitatio non potest fieri in existentia, quia cum sit vltimus actus, non est contrahibilis per aliquas differentias; ergo debet limitari secundo modo per receptionem in potentia. Addit Albertin. infrà citandus, quòd si existentia non esset actus receptus, non distingueretur ab essentia, & consequenter non esset separabilis, vndè cum essentia sit ab æterno, illi conueniret necessariò existere ab æterno, quod non potest dici. Hinc

4. ratio. Quartò ipse arguit. Quæ possunt separari, distinguuntur realiter, vt docet etiam Arist. 7. Topicor. cap. .. circa finem, at existentia separari potest ab essentia, siquidem essentia est æterna, existentia verò temporalis, & producitur existentia, non producta essentia, ex quo colligitur sufficienter separabilitas. Et potest hæc ratio confirmari, quoniam quod conuenit alicui independenter à causa efficiente, distinguitur ab eo, quod conuenit dependenter à causa efficiente, quoniam hoc est factum, illud verò non est factum. Essentia autem conuenit rebus independenter à causa efficiente, existentia verò dependenter: hinc essentia est necessaria, existentia verò contingens, quæ omnia indicant distinctionem realem. Confir. secundò eadem ratio. In incarnatione existentia fuit separata à natura humana, Verbum enim diuinum assumpsit humanitatem absque eius existentia, cum ergo existentia separetur ab essentia, oportet, quòd ab ipsa distinguatur realiter.

VI. Quintò. Si semel in aliquibus reperitur existentia realiter distingui ab essentia, id concedendum est in omnibus, quia eadem est ratio, & vrgent demnibus eædem rationes: & sic melius saluatur cum reali compositione, quomodo creatura recedat à diuina simplicitate. Quòd autem in aliquibus existentia distinguatur ab essentia, patet primò in accidentibus, existentia enim ipsorum est inhærentia, quæ ab ipsis separatur, vt patet in eucharistiæ mysterio, in quo reperiuntur accidentia absque eo, quòd inhæreant. Deindè id etiam contingit in substantijs materialibus compositis ex materia, & forma, quod prob. nam non potest in ipsis reperiri existentia composita, alioquin distinguendæ essent partes, ex quibus componeretur, & sequeretur, quòd ex duobus entibus in actu, seu existentibus fieret vnum per se, quod dici non potest. Est ergo simplex ista existentia, & proindè nequit identificari cum materia, & forma, quæ realiter inter se distinguuntur.

VII. Sextò. Quoniam essentia est in potentia ad existentiam, nihil autem est in potentia ad seipsum. Rursus Essentia modo est sub existentia, modo sub negatione existentiæ, subiectum autem oppositorum realiter distinguitur ab ipsis; hinc materia realiter distinguitur à forma, quia modo est sub ipsa, modo sub priuatione eiusdem. Septimò hoc existens, & hoc intelligens sunt idem subiecto, non possunt autem aliqua esse idem subiecto, nisi recipiantur in eodem subiecto, vndè vt hoc intelligens, & hoc existens sint idem subiecto, oportet, quòd sint in eodem subiecto, quod nullum aliud poterit esse, quàm essentia. Confir. quoniam plura accidentia recipiuntur in creatura, non possunt autem recipi in existentia, cum existentia sit vltimus actus; ergo recipientur in essentia simul cum existentia, & consequenter existentia distincta erit ab essentia.

Referuntur duæ aliæ sententiæ.

SECTIO II.

I. Alteræ duæ sententiæ celebres circumferūtur circa distinctionem existentiæ ab essentia. Secunda igitur opinio asserit, quòd verum quidem est, quòd existentia distinguatur à parte rei ab essentia, non tamen distinguitur realiter, tanquam res à re, sed solùm ex natura rei. Ita tenet Scot. in 3. dist. 6. quæst. 1. Henr. quodlib. 1. quæst. 9. Fonseca 4. Metaph. cap. 2. quæst. 4. sect. 5. Molina 1. par. quæst. 3. art. 4. disp. 2. Albertin. tom. 2. principio 1. Philosoph. disp. 2. quæst. 1. conclus. 2. & 3. Ex Thomistis verò sequuntur hanc opinionem Soto 2. Phys. quæst. 2. & in 4. dist. 10. quæst. 2. eamque probabilem putat Bannes suprà cit. conclus. 2. & est communis apud Scotistas. Dif-

fe-

(Margin notes: 3. ratio. — 4. ratio. — Arist. — Confir. — 5. ratio. — 6. ratio. — 7. ratio. — Secunda opinio. Ponens distinctionē ex natura rei. — Scot. Henr. Fonseca. Molina. Albertin. Soto. Bannes.)

ferunt tamen inter se hi auctores, quòd aliqui inter essentiam, & existentiam ponunt distinctionem modalem, vt Fonseca, alij vero formalem ex natura rei, vt Scotistæ, quos sequitur Albertin. cum alijs.

Fundamẽtũ huius opinionis.

II. Fundant suam sententiam, quia rationes allatæ pro superiori sententia conuincunt, debere poni aliquam distinctionem à parte rei inter essentiam, & existentiam, vndè cum non possit esse realis, debet esse saltem ex natura rei, siue formalis, siue modalis. Quod præcipuè ex eo conuincitur, quòd existentia ex natura sua est extrà essentiam, quod saluari non potest, nisi saltem interueniat distinctio ex natura rei. hinc existentia prædicatur contingenter de qualibet creatura. Et ad hoc confirmandum illud præcipuè afferunt, quod frequenter à Patribus solet vsurpari, nimirum, quòd solus Deus est suum esse, non autem creatura; si ergo creatura non est suum esse, oportet, quòd existentia distinguatur ab ipsa saltem ex natura rei. Atque quòd hæc distinctio sit solùm formalis ex natura rei, conantur ex eo suadere, quia essentia potest quidem esse sine existentia, existentia tamen non potest esse sine essentia, atque habet vnam, atque eamdem entitatem cum essẽtia, imò qui volunt distinguì tantùm modaliter, addunt, quòd nequit concipi existentia, nisi illi subiiciatur essentia, quæ per ipsam existat; consistit enim, inquiunt ipsi, in actuali exercitio, quo facit existere.

Tertia sententia negans omnẽ distinctionẽ à parte rei. Alens. Aureol. Durand. Heru. Gabr. Gregor Achi in. Palat. Suarez. Perer. Vasquez. Valẽtia. Ruu. Hurtad. Auersa.

III. Tertia sententia affirmat, quòd existentia nullo pacto à parte rei distinguatur ab essentia actuali, sed solùm per intellectum Ita Alensis 4. Metaph. tex. 4. & lib. 7. tex. 22. Aureol. apud Capr. in 1. dist. 8. quæst. 1. Durand. ibid. par. 2 distinc. quæst. 2. Heru. quod 7. quæst. 9. Gabr. in 3. dist. 6. quæst. 2. art. 1. Gregor. in 2. dist. 6. quæst. 1. ad argum. Aureol. Achilin. lib. de element. dub. 3. Palat. in 1. dist. 8. disp. 1. Suarez in Metaph. disp. 31. sect. 1. 4. 5. & 6. Perer. lib. 6. suæ philosophiæ naturalis cap. 4. Vasquez. 1. par. disp. 179. Valentia Tom. 1. disp. 1. quæst. 3. par. 4. Ruu. 1. phys. tract. 1. de Materia prima quæst. 4. Hurtad. in Metaph. disp. 8. sect. 4. & ferè communiter Recentiores, etiam ex Theologis, dum asserunt Verbum non potuisse assumere humanitatem sine propria ipsius existentia; & nouissimè hanc opinionem explicauit Auersa quæst. 8. suæ Philosoph. sect. 6. Neque tamen hi auctores omninò inter se conueniunt. Complures enim volunt distingui ratione ratiocinata cum fundamento in re, inter quos præcipuè est Suarez, quia videlicet creatura in suo conceptu quidditatiuo non includit existentiã. Alij verò, vt Alensis, dicunt, essentiam, & existentiam esse eamdem entitatem, prout dicit diuersas relationes, prout enim dicit relationem ad cognitionem diuinam habere rationem essentiæ; prout verò dicit relationem ad potentiam, seu operationem, esse existentiam. Denique alij, vt Gabr. Durand. Achil. Ariminens. atque omnes Nominales negant differre secundùm rem significatam, sed solùm secundùm grammaticalem significationem.

Reijcitur prima sententia.

SECTIO III.

Existẽtia non distinguatur realiter ab essentia.

I. VT ad decisionem huius quæstionis accedamus; imprimis reijcienda est prima sententia Thomistarum, quæ asserit, existentiam distingui realiter a parte rei ab essentia actuali. Posita enim huiusmodi distinctione reali inter essentiam, & existentiam, consequenter dicendum est, quòd essentia se habeat vt potentia, existentia verò tanquam actus, ad hoc, vt efficiant vnum per se, atque propter eamdem rationem actus, & potentia necessariò erunt in eodem ordine alioquin non efficerent vnum per se, vndè in substantijs tam essentia, quàm existentia erunt in ordine substantiali, in accidentibus verò erunt in ordine accidentali, & proindè in ordine accidentali oportebit ponere potentiam accidentalem, & actum accidentalem. Hoc autem dici non potest; quia imprimis essentia, dum se haberet tanquam potentia in substantijs, indueret rationem materiæ, & quamuis non esset materia prima, sufficeret tamen, vt haberet rationem partis materialis; quia sicuti materia prima importat rationem primæ potentiæ substantialis, ita vbicunque reperitur ratio potentiæ substantialis, saluatur adæquatè ratio partis materialis, & subiecti: sic corpus, quamuis non sit materia prima, quia tamen est potentia respectu animæ rationalis,

Essentia esset pars materialis, existẽtia forma, si realiter distĩguerẽtur

ve-

stere, & non existere; sed neque quando iam habet existentiam, per quam actu existat, potest exigere necessariò existere, quia secundùm principia intrinseca est eadem, & proindè si prius non exigebat necessariò existentiam, neque quando existet, illam necessariò exiget ex vi suorum principiorum intrinsecorum. Sed neque posset illam exigere necessariò ratione existentiæ superadditæ, quia existentia superaddita non fundat hanc radicem huius necessariæ exigentiæ, & implicat, quod idem exigat seipsum, quia exigentia est respectu alicuius rei distinctæ. Vndè concluditur, quòd existētia neque potest dici passio propria alicuius rei ex eo, quòd in aliquo ab ipsa necessariò exigatur. Quare nullo modo statuenda est pro passione alicuius rei siue physica, siue logica: sed dicendum est, esse quid de esse rei existentis, vel ipsum esse rei, quatenus est in actu, vt communiter docere solent. Atque cum D. Th. 1. par quæst. 50. art. 5. in corpore docet, Quòd formæ conuenit esse per se, non debet intelligi, quòd illi per se conueniat actu existere, sed quia vult, quòd ratio formalis existentiæ intrinsecè inuoluatur in essentia formæ, vt pote quia est essentialiter actus, quod dicit ad differentiam materiæ, quæ cum sit pura potentia, tantùm ratione formæ adiunctæ potest existere.

[Margin notes: lla res lgit ne sariò stētiā. — rh.]

An existentia distinguatur ab essentia.

Disp. LXXXII.

Titulus quæstionis, & prima opinio.

SECTIO I.

I. SVpposito, quòd existentia sit aliquid pertinens ad complementum rei, quæ existit, & quòd formaliter dicat rationem illam, per quam res constituatur aliquid in seipsa, seu per quam constituatur aliquid actuale, & existens, quærimus, an huiusmodi existentia distinguatur ab essentia à parte rei; quæ quidem quæstio celebris est apud Doctores, & sub alio etiam titulo proponi solet, nimirum An esse distinguatur ab essentia. Per ly Esse autem non intelligunt esse essentiæ, quia de hoc certum est, quòd non distinguitur ab essentia, sed est ipsamet essentia; sed intelligunt Esse existentiæ, per quod formaliter res habent, quòd existant. Et vt plenius punctus difficultatis percipiatur. Sciendum est, quòd res, quæ sunt à parte rei, habent suam essentiam actu in seipsis, per quam constituuntur in tali, & tali esse actuale; vndè Petrus habet in seipso actu essentiam hominis, per quam constituitur in esse hominis, quando enim res existunt, acquirunt in seipsis totum illud esse, quod dicebant in statu possibilitatis, atque adeo esse essentiæ. Et proinde dici solet, quòd rerum essentiæ sunt immersæ in Indiuiduis; hinc etiam ab indiuiduis abstrahuntur naturæ vniuersales, quod fieri non posset, nisi in ipsis esse essentiæ reperiretur. Hoc autem esse essentiæ, dum est in indiuiduis existentibus est aliquid actuale, siquidem verè reperitur à parte rei extractum à potentia causarum, dū indiuiduis productis communicatur. Atque hoc esse actuale essentiæ, quod habet esse à parte rei, est etiam indiuiduum, quia ex vi productionis indiuiduatur. Atque omnes in hoc conueniunt, quòd tale esse essentiæ actuale debeat concedi. Verùm cum hoc esse essentiæ actuale habeat annexam suam rationem formalem existentiæ, quæritur, an huiusmodi existentia distinguatur à parte rei ab hoc esse actuali essentiæ, & importet aliquid reale superadditum, quod sit Esse actuale existentiæ, itaut à parte rei in qualibet re hæc duo esse actualia ponenda sint, videlicet esse essentiæ, & esse existentiæ, an verò,

[Margin note: Esse essētię in indiuiduis existētib. aliquid actuale.]

existentia identificetur cum esse actuali essentiæ, ita vt vnicum tantùm esse concedendum sit, quod simul sit essentia, & existentia.

Quo debeat sumi essentia.

II. Ex quo apparet, quòd cum quæritur, an existentia distinguatur ab essentia, non debet sumi essentia præcisè considerata, prout dicit pura essentialia, quia certum est, quòd cum existentia contingenter creaturis conueniat, non potest includi in puris essentialibus, quicquid enim includitur in puris essentialibus, necessariò creaturæ conuenit, & cum eo debet concipi, in quocumque statu concipiatur; Hinc est, quòd possumus essentiam creaturæ concipere absque eo, quòd concipiamus existentiam, & proindè rerum essentiæ à scientijs considerantur cum præcisione ab existentia, & cum puris prædicatis quidditatiuis. Debet igitur sumi essentia, prout dicit esse participatum, & actu communicatum, ita vt extrà causas concipiatur, & positum in rerum natura.

Discrimen inter existere Dei, & existere creaturæ.

Ex quo colligitur discrimen inter Deum, & creaturam quo ad essentiam, quia Deus includit in sua essentia actualem existentiam, ita vt impossibile sit essentiam diuinam concipere, absque eo, quod concipiatur eiusdem actualis existentia, ita vt sublata hac actuali existentia, impossibile sit, quòd subsistat diuina essentia in esse obiectiuo, quemadmodum subsistit essentia creaturæ. Hinc est, quòd Deus existit per essentiam, quia ex se ipso, & ex vi suæ essentiæ habet suum esse; creatura verò non existit, nisi illi ab aliquo communicetur esse, à quo debet illud recipere. Et ex hoc fit, quòd existentia creata supponat necessariò aliquam causam efficientem, à qua fit, & à qua res existens recipiat suum esse, tùm essentiæ, tùm existentiæ. Constat ergo in quo sensu debeat sumi existentia, quãdo inquirimus, an existentia distinguatur ab essentia.

Prima opinio ponens distinctionem realem. Capr. Caiet. Ægid. Ferrar. Soncin. Flandria. Aquar. Iauel. Cumel. Bannes. Iandun.

III. In qua difficultate Prima opinio tenet, quòd Existentia realiter distinguatur ab essentia, tanquam res à re, ita vt in quolibet ente existente, quantumuis simplici, interueniant necessariò duæ entitates, altera essentiæ, altera existentiæ, quæ adinuicem vniantur ad constituendum vnicum ens existens. Ita Capr. in 1. dist. 8. quæst. 1. Caiet. de Ente, & essent. cap. 5. quæst. 11. Ægid. in 1. dist. 2. quæst. 4. art. 1. & Quodlib. 1. quæst. 7. Ferrar. 2. contra Gent. cap. 52. Soncin. 4. Metaph. quæst. 12. Flandria quæst. 3. art. 4. Aquar. quæst. 4. Iauel. tract. de Transcendent. cap. 4. Cumel. 1. par. quæst. 3. art. 4. Bannes ibid. dub. 2. & sequuntur communiter omnes Thomistæ, & extrà eorum scholam nonnulli alij Recentiores, atque hæc sententia adeò apud ipsos inualuit, vt pro principio habeant, quòd Esse distinguatur ab essentia. Eamdem sententiam tenet Iandun. 4. Metaph. quæst. 3. quo ad substantias corruptibiles; in cœteris verò negat distingui.

Albert. Auicen. Alphar. Boet. D. Hilar. D. Th.

IV. Solent etiam Thomistæ pro hac sententia citare Albert. super lib. de causis propol. 8. Auicen. lib. 5. Metaph. suæ. cap. 1. Alpharab. & alios antiquiores, sed præcipue Boet. de Hebdomad. cap. 1. vbi docet, quod diuersum est esse, & id quod est. Rurius D. Hilar. lib. 6. de Trinit. paulo post principium, vbi habet, quod Id, quod subsistit in Deo, est suum esse. Sed præcipuè hæc sententia emanauit ex D. Th. 1. par. quæst. 3. art. 4. in corpore, vbi sic inquit. *Oportet igitur, quòd ipsum esse comparetur ad essentiam, quæ est aliud ab ipso, sicut actus ad potentiam*. Ex quo colligitur, quòd realiter in creaturis distinguat existentiam ab essentia. Similiter lib. 2. contra Gent. cap. 52. docet, quòd in creaturis non est idem esse, & essentia, & reddit rationem, quia solus Deus est suum esse, vnde creatura, vt distinguatur à Deo, non potest esse suum esse, quod latè in illo cap. prosequitur & cap. 53. docet, quòd alia est compositio ex materia, & forma, & alia ex esse, & essentia; & quod hæc reperitur etiam in substantijs spiritualibus. Atque similia habet in Opusc. de Ente, & essent. cap. 5.

V. Arguunt autem præcipuè pro hac sententia, quia creatura nullo pacto potest accedere ad diuinam simplicitatem, & vt communiter docent Patres, non potest esse suum esse, quia hoc est proprium solius Dei, & conuenit ipsi, qua Deus; si autem existentia non distingueretur realiter ab essentia in creaturis, vnaquæque creatura esset suum esse, & accederet ad diuinam simplicitatem. Prętereà quia ablata distinctione existentia per se conueniret creaturæ, non enim potest aliquis actus esse idem realiter cum aliqua re, & non conuenire illi per se, non enim afferri potest aliqua instan- 1. ratio. 2. ratio.

tia;

ferunt tamen inter se hi auctores, quòd aliqui inter essentiam, & existentiam ponunt distinctionem modalem, vt Fonseca, alij vero formalem ex natura rei, vt Scotistæ, quos sequitur Albertin. cum alijs.

Fundamentu hu us opinionis

II. Fundant suam sententiam, quia rationes allatæ pro superiori sententia conuincunt, debere poni aliquam distinctionem à parte rei inter essentiam, & existentiam, vndè cum non possit esse realis, debet esse saltem ex natura rei, siue formalis, siue modalis. Quod præcipuè ex eo conuincitur, quòd existentia ex natura sua est extrà essentiam, quod saluari non potest, nisi saltem interueniat distinctio ex natura rei. hinc existentia prædicatur contingenter de qualibet creatura. Et ad hoc confirmandum illud præcipuè afferunt, quod frequenter à Patribus solet vsurpari, nimirum, quòd solus Deus est suum esse, non autem creatura; si ergo creatura non est suum esse, oportet, quòd existentia distinguatur ab ipsa saltem ex natura rei. Atque quòd hæc distinctio sit solùm formalis ex natura rei, eonantur ex eo suadere, quia essentia potest quidem esse sine existentia, existentia tamen non potest esse sine essentia, atque habet vnam, atque eamdem entitatem cum essētia, imò qui volunt distingui tantùm modaliter, addunt, quòd nequit concipi existentia, nisi illi subiiciatur essentia, quæ per ipsam existat; consistit enim, inquiunt ipsi, in actuali exercitio, quo facit existere.

Tertia sententia negans omnē distinctionē à parte rei. Alens. Aureol. Durand. Heru. Gabr. Gregor Achi in. Palat. Suarez. Perer. Vasquez. Valentia. Ruu Hurtad. Auersa.

III. Tertia sententia affirmat, quòd existentia nullo pacto à parte rei distinguatur ab essentia actuali, sed solùm per intellectum Ita Alensis 4. Metaph. tex. 4. & lib. 7. tex. 22. Aureol. apud Capr. in 1. dist. 8. quæst. 1. Durand. ibid. par. 2 distinc. quæst. 2. Heru. quod 7. quæst. 9. Gabr. in 3. dist. 6. quæst. 2. art. 1. Gregor. in 2. dist. 6. quæst. 1. ad argum. Aureol. Achilin. lib. de element. dub. 3. Palat. in 1. dist. 8. disp. 1. Suarez. in Metaph. disp. 31. sect. c. 4. 5. & 6. Perer. lib. 6. suæ philosophiæ naturalis cap. 4. Vasquez. 1. par. disp. 179. Valentia Tom. 1. disp. 1. quæst. 3. par. 4. Ruu. 1. phys. tract. 1. de Materia prima quæst. 4. Hurtad. in Metaph. disp. 8. sect. 4. & ferè communiter Recentiores, etiam ex Theologis, dum asserunt Verbum non potuisse assumere humanitatem sine propria ipsius existentia; & nouissimè hanc opinionem explicauit Auersa quæst. 8. suæ Philosoph. sect. 6. Neque tamen hi auctores omninò inter se conueniunt. Complures enim volunt distingui ratione ratiocinata cum fundamento in re, inter quos præcipuè est Suarez, quia videlicet creatura in suo conceptu quidditatiuo non includit existentiā. Alij verò, vt Alensis, dicunt, essentiam, & existentiam esse eamdem entitatem, prout dicit diuersas relationes, prout enim dicit relationem ad cognitionem diuinam habere rationem essentiæ; prout verò dicit relationem ad potentiam, seu operationem, esse existentiam. Denique alij, vt Gabr. Durand. Achil. Ariminens. atque omnes Nominales negant differre secundùm rem significatam, sed solùm secundùm grammaticalem significationem.

Reijcitur prima sententia.

SECTIO III.

Existentia non distinguitur realiter ab essentia.

I. VT ad decisionem huius quæstionis accedamus; imprimis reijcienda est prima sententia Thomistarum, quæ asserit, existentiam distingui realiter a parte rei ab essentia actuali. Posita enim huiusmodi distinctione reali inter essentiam, & existentiam, consequenter dicendum est, quòd essentia se habeat vt potentia, existentia verò tanquam actus, ad hoc, vt efficiant vnum per se, atque propter eamdem rationem actus, & potentia necessariò erunt in eodem ordine alioquin non efficerent vnum per se, vndè in substantijs tam essentia, quàm existentia erunt in ordine substantiali, in accidentibus verò erunt in ordine accidentali, & proindè in ordine accidentali oportebit ponere potentiam accidentalem, & actum accidentalem. Hoc autem dici non potest; quia imprimis essentia, dum se haberet tanquam potentia in substantijs, indueret rationem materiæ, & quamuis non esset materia prima, sufficeret tamen, vt haberet rationem partis materialis; quia sicuti materia prima importat rationem primæ potentiæ substantialis, ita vbicunque reperitur ratio potentiæ substantialis, saluatur adæquatè ratio partis materialis, & subiecti: sic corpus, quam uis non sit materia prima, quia tamen est potentia respectu animæ rationalis, ve-

Essentia esset pars materialis, existentia forma, si realiter distinguerentur

venit in compoſitionem cum ipſa, tanquam pars materialis. Rurſus exiſtentia in ſubſtantijs haberet rationem actus ſubſtantialis, complêret enim potentiam eſſentiæ, & illam reduceret ad vltimum actum; quia autem ratio actus ſubſtantialis eſt proprium cōſtitutiuum formę, ſequeretur, quòd exiſtentia informaret eſſentiam, quando cum ipſa vniretur, vndè conſurgeret compoſitio ex materia, & forma, nec poſſet dari aliqua ſubſtantia, quæ nō eſſet compoſita ex materia, atque in ſubſtantijs ſpiritualibus hæc eadem compoſitio admittenda eſſet, quod quàm probabiliter dicatur, eſt per ſe manifeſtum. Nec poteſt dici, quòd exiſtentia non ſit forma, quia ſcilicet forma importet actum eſſentialem, exiſtentia vero non importet actum eſſentialem ſed ſolùm exiſtentialem. Non inquam valet, quia actus, qui ex genere ſuo ordinatur ad complendam potentiam aliquam, eſt actus informatiuus, quia informare non eſt aliud, quàm actuare potentiam aliquam ſubiectiuam, & illam complere, prout in ratione potētiæ complebilis eſt; hoc autem totum præſtat exiſtentia, & ordinatur ad eſſentiam, tanquam ad potentiam, in qua recipiatur, & cum qua efficiat vnum per ſe. Quid ergo illi deeſt ad rationem formæ? Imò dicit etiam actum eſſentialem, quia habet ſuum eſſe quidditatiuum, ex vi cuius ordinatur ad actuandam, & complendam eſſentiam.

Actus, qui ordinatur ad complendam aliquam potentiã, eſt forma.

II. Atque hæc exiſtentia, ſi realiter diſtingueretur ab eſſentia, ita vt tanquā actus in ipſa reciperetur, diceret profecto ſuam propriam entitatem phyſicam contradiſtinctam ab eſſe eſſentiæ; de hac igitur entitate phyſica inquiro, an dum recipitur in eſſentia, ab ipſa ſuſtentetur, an verò per ſe ſubſiſtat, quemadmodum ſubſiſtit anima rationalis. Si primum dicatur, ſequitur, quòd omnis eſſentia ſit ſuſtentatiua, quatenus propriam exiſtentiam ſuſtentaret, vis autem ſuſtentatiua entis ſubſtantialis eſt propria ſolius materiæ, vndè omnis eſſentia etiam ſpiritualis eſſet materia, quod maximè abſurdum eſt, reperiretur enim in ipſa vis ſuſtentatiua alterius entis ſubſtantialis, in quo conſiſtit proprium conſtitutiuum materiæ. Rurſus exiſtentia tanquam quid ſubſtantiale ſuſtentaretur, quod eſt proprium ſolius formæ ſubſtantialis, vndè etiam ex hoc capite quælibet exiſtentia ſubſtantialis eſſet forma informans. Si vero dicatur ſecundùm, nimirum eſſe quid per ſe ſubſiſtens, tunc ſequitur imprimis, quòd exiſtentia dicat rationem ſubſtantiæ, atque adeo includat in ſeipſa eſſentiam ſubſtantiæ, nec ab ipſa diſtinguatur; quomodo ergo ponetur exiſtentia diſtincta ab eſſentia, ſi exiſtentia ſubſtantialis identificatur cum ſubſtantia? Deindè omnis actus per ſe ſubſiſtens, quia in alio recipitur, eſt forma ſpiritualis, vnde eſt ſubſtantia ſpiritualis, quemadmodum eſt anima rationalis; quis autem dicat, exiſtentiam eſſe ſubſtantiam ſpiritualem, aut quis non videt abſurda, quæ indè ſequerentur? quòd nimirum eſſet intellectualis, quia omnis ſubſtantia ſpiritualis, & per ſe ſubſiſtens intellectualis eſt, atque alia huiuſmodi abſurda ſequerentur.

Exiſtētia ſubſtātial. ſi realiter diſtingueretur, eſſet forma ſuſtentata, vel per ſe ſubſiſtens.

III. Sed neque accidentibus poteſt admitti, quòd eſſentia ſit potentia, & exiſtentia actus hanc potētiam actuans: non enim poteſt vnum accidens eſſe potentia receptiua alterius, quia licet de quantitate concedi ſoleat, tamen non conceditur, quòd ſit verè potentia receptiua alterius accidentis, ſed ſolùm, quòd extendendo ſubiectum, illud reddat diſpoſitum ad recipienda cœtera accidentia. Et ratio poteſt aſſignari, quia accidens non poteſt eſſe ſubiectum proportionatum alterius accidentis, & ideo neque poteſt reſpectu illius obtinere rationem potentiæ, vt pote quia ratio potentiæ conſtituit ſubiectum. Quòd autem vnum accidens non poſſit eſſe ſubiectum proportionatum alterius, indè prouenit, quia accidens requirit ſubiectum, vt ab ipſo ſuſtentetur; vnum autem accidens non poteſt ſuſtentari ab alio. Deindè quia accidens ex genere ſuo eſt affectio ſubſtantiæ, vndè ex genere ſuo non poteſt eſſe potentia reſpectu alterius accidentis. Tunc autem exiſtentia eſſet accidens, nam eſſet quid reale accidentale, quod reciperetur in eſſentia, oporteret ergo, quòd eſſentia eſſet ſubiectum illius exiſtentiæ Sed neque poteſt dici, quòd exiſtentia accidentis ſit actus receptus in eſſentia illius; quia tunc reuera exiſtentia afficeret eſſentiā, vndè eſſet accidens, atque adeo eſſet idem cum eſſentia accidentis, quomodo ergo ab ipſa diſtingueretur? Confir. tunc exiſtentia haberet propriam entitatem, quæ eſſet quid accidentale, & ideo non poſ-

In accidētibus non poteſt diſtingui potentia receptiua, & actus.

Exiſtētia accidētis nō poteſt eſſe actus receptus in eſſētia eiuſdem.

possèt per se subsistere, vndè existentia contradistincta ab essentia participaret rationem accidentis, participaret enim rationem entis, & rationem talis entis, nempè existentiæ; vndè deberent intermediare aliæ rationes, quibus ens immediatè contrahitur, non enim perueniri potest à ratione entis vsque ad vltimam specificam, nisi per intermedias; vndè deberent in casu nostro intermediare ratio accidentis, quæ immediatè aduenit enti vt sic, deindè etiam ratio talis accidentis constituentis aliquod summum genus, ex quo fit, quòd existentia includeret essentiam accidentis, & quòd pertineret ad aliquod determinatum prædicamentum, quæ omnia falsa sunt. Itaque non potest concedi, quòd existentia sit entitas contradistincta ab essentia, quia tunc in hac entitate necessariò concedendæ essent omnes rationes superiores, vel accidentis, vel substantiæ, quibus mediantibus ens descenderet ad existentiam, quia necessariò vbi est ratio entis, adest etiam ratio accidentis, vel substantiæ, atque consequenter cœteræ rationes inferiores propter necessariam connexionem, quam habent adinuicem.

Secunda impugnatio ex processu in infinitum. IV. Secundò principaliter argumentor ex processu in infinitum, qui sequeretur, si admitteretur huiusmodi distinctio realis inter essentiam, & existentiam. Nam tunc existentia, sicuti importaret entitatem aliquam, ita etiam deberet importare suam propriam essentiam, quæ inuolueretur in tali entitate, omnis enim entitas debet dicere suam essentiam, atque prædicata quidditatiua, quibus formaliter constituatur, tunc autem existentia deberet distingui realiter ab hac essentia, & in ipsa existentia poni duplex entitas, scilicet essentiæ, & existentiæ. Rursus hæc ipsa existentia, quia haberet propriam entitatem, & consequenter propriam essentiam, igitur ab hac quoque essentia deberet existentia distingui, & in eadem existentia adhuc assignari existentia, & essentia realiter distinctæ, atque eodem modo semper procedendum esset, quacunque existentia assignata, ex quo, vt per se manifestum est, sequeretur processus in infinitum.

Reijcitur responsio. V. Posset tamen aliquis occurrere, quòd licet existentia includat sua propria prædicata quidditatiua, non hinc tamen sequitur, quòd dicat essentiā, à quā debeat distingui, quia scilicet huiusmodi prædicata habent constituere ipsam existentiam in ratione existentiæ; vndè potius dicit essentiam existentialē, quàm essentiam quidditatiuam: hæc autem essentia existentialis seipsa existit, & non per aliquam existentiam superadditam, quia rationes, quæ seipsis sunt formaliter tales non fiunt tales per aliquid aliud distinctum; sic etiam actio, quia est ratio formalis, cur aliquid fiat, seipsa fit ab agente, non autem per aliquam aliam actionem. Hæc tamen responsio non infringit vim argumenti facti. Nam cum existentia sit entitas producta contradistincta ab essentia, oportet etiam concedere, quòd præcesserit suamet possibilitas, quæ inuolueret essentiam existentiæ. Si ergo velimus philosophari secundùm doctrinam Thomistarum, & aliorum, qui distinguunt realiter existentiam ab essentia, hæc essentia existentiæ in statu possibilitatis, est quid æternum, & necessarium, quòd verò actu existat, est quid contingens & in tempore. Rursus hæc essentia est in potentia ad existentiam, quia aliquando illam habet, & aliquando non habet, vndè est etiam sub terminis contradictorijs. Prætereà non potest de hac existentia dici, quòd sit suū esse, cum hoc soli Deo conueniat; debet etiam existentia, qua existit, esse receptum, ne sit illimitata, & infinita, atque etiam aliæ rationes primæ sententiæ applicari possunt: si ergo concludunt, quòd existentia debeat distingui ab essentia, etiam concludent de essentia existentiæ, quia æquè militant de ipsa, ac de cœteris essentijs. Rursus in hac existentia inuoluitur ratio entis, quæ est prima ratio inchoatiua omnium essentiarum, vndè vbicunque ponatur, debent poni etiam correspondentes rationes essentiales, quæ compleant essentiam inchoatam, propter necessariam connexionem, quam habent inter se, cum ergo in existentia ponatur ratio entis contradistincta ab esse essentiæ, oportet etiam ponere veram essentiam contradistincta: quòd autem huiusmodi essentia sit existentialis, nihil officit, quoniam ex hoc tantùm sequitur, quòd sit talis essentiæ, non verò quòd non sit vera essentia, cui debeat correspondere existentia distincta.

Etiam in existentia concedenda est propria essentia si realiter distinguitur.

Ratio entis prima inchoatio omnium essentiarum.

VI. Tertiò arguo contrà eādem sen-

Tertiò eijcitur eadem sententia.

Compositio realis requirit extrema existentia.

tentiam. Si existentia distingueretur ab essentia, & efficerent vnum per se, intrruenirer vera, & realis compositio, quotiescumque enim duæ enritates realiter distinctæ efficiunt vnum per se, necesse est, quòd intcrueniar realis compositio, quia distinctio, & compositio ex æquo sibi correspondent, & quanta est distinctio, tanta quoque est compositio. At non potest saluari cõpositio realis actualis, nisi supponantur extrema componentia, quæ realia sint, & existentia; quod enim non existit, non potest venire in compositionem realem, quæ sit à parte rei, quod enim nondum est, non potest componere, quia componere dicit seipsum exhibere. Quomodo autem potest seipsum exhibere, quod nondum est aliquid in se? sic materia, quæ non existit, non potest vrnire in compositionem cum forma existente, anr è contrà, forma non existens, cum materia existente, sed ex parte vtriusque extremi requiritur existentia. Si ergo existentia realiter distinguitur ab essentia, & venit cum ipsa in cõpositionem, oportet, quòd essentia ex se existat, & in aliquo priori antequam vniatur cum existentia, vnde existeret sine existentia, quod est impossibile.

Reijcitur responsio.

VII. Dices, quòd est dispar ratio in compositione ex esse, & essentia, ac in cæteris compositionibus. In compositione enim ex esse, & essentia, quia esse trahit essentiam ad existendum, dum illi vnitur, non est necesse, quòd essentia existat, quia recipit existere ex vi huius compositionis; in cæteris verò compositionibus ambo extrema componentia debent existere, quia vnum non recipit existentiam ab alio. Sed licet vera videatur huiusmodi responsio, & attingere veram rationem disparitatis, reuera tamen non soluit difficulrarem: vndè possumus instare. Quãuis existentia faciat essentiam existere, non tamen cum hoc stare potest realis distinctio, & realis compositio; extrema enim componentia vera, & reali compositione, oporret, quòd ex se habeant totum id, quod necessarium est, vt possint venire in compositionem, nec vnum potest aliquid ab alio recipere, quod ipsi necessarium sit, vt veniat in compositionem, quia cum vnumquodque ex se sit extremum componens, debet quoque ex se præcisè habere totum id, quòd requiritur ad hoc, vt sit extremum componens: quando enim componunt, se habent tanquam causæ intrinsecæ actu causantes; omnis autem causa debet habere antequam causet, totum id, quod requiritur ad causandum, ergo cum existentia necessaria sit ad causandum, & ex parte vniuscuiusque extremi componentis, opus sit, vt, seipsum componendo exhibeat, oportet, quòd vnumquodque extremum, antequam veniat in compositionem habeat exstentiam.

Extremũ quodlibet cõponens debet ex se habere existẽtiã.

Confir. inter id, quod est, & id quod non est, est maxima improportio, atque distantia in essendo, siquidem, quod dicit vnum, negat alterum; quæ autem veniunt in compositionem, non possunt inuicem in essendo distare, quomodo enim firri potest vnio, nisi tollatur distantia? ergo ex natura compositionis vt sic, oportet, quòd ambo extrema componentia existanr, antequam vniantur; quod autem necessarium est ex natura compositionis vt sic, debrt saluari in quacunque compositione. Prætcreà essentia, & existentia in compositione, vt pote partes essentialiter diuersæ, retinerent distinctionem suam, quemadmodum retinent materia, & forma: tunc autem essentia, considerata vt pars illius compositionis contradistincta ab existentia, non existeret, quando enim partes alicuius compositi vt inuicem contradistinctæ considerantur, neutra habet, quod ab alia accipit, & proindè essentia considerata in illo composito, vt pars contradistincta, non existeret, quia solùm reciperet existentiam ab alia, & consequenter non existeret, quia semper retinet suam distinctionem ab alia parte.

Essentia vt reciperet existẽtiam à se realiter distinctam [illegible] esse existens.

VIII. Quin eadem responsio alio argumento vrgeri potest. Quando fit aliqua compositio, in qua vnum extremum componens recipitur in alio, debet recipiens esse aptum ad recipiendum, alioquin si non sit in statu proximo recipiendi, non poterit recipere, sic videmus, quòd corpus debet disponi, atque organizari, antequam recipiat animam, cum ergo in hac compositione ex esse, & essentia, recipiat essentia existentiam, necesse est, quòd sit in statu proximo ad recipiendum, ita vt in aliquo priori, antequam recipiat, sit proximè apta ad recipiendum. Sed antequam recipiat existentiam non existit, quia non potest ha-

bere

bere effectum formalem, antequam illi exhibeatur causa formalis; quapropter antequam recipiat existentiam, nunquam est apta ad illam recipiendam, vt enim aliquid constituatur in statu congruenti ad recipiendum aliquid existens, oportet, quòd existat, recipiens enim, & receptum debent esse in eodem statu essendi, neque enim quod non existit, sed est in statu possibilitatis, potest recipere aliquid actuale, & existens. Rursus etiam, si essentia vniretur existentiæ à se realiter distinctæ, secundùm suum esse intrinsecum, non esset existens, quemadmodum neque etiam materia, dum vnitur formæ est intrinsecè talis, qualis per formam constituitur, prout scilicet consideratur tanquam pars contradistincta à forma; hoc autem est absurdum, quia compositum illud ex esse, & essentia non haberet omnes suas partes intrinsecè existentes; & tamen haberet totum suum esse participatum, & communicatum. Quòd si non haberet omnes suas partes intrinsecè existentes, iam haberet aliquas solùm possibiles, quia inter existens, & possibile nullum datur medium, vndè tantùm existentia existeret, non autem essentia. Neque prodest, si dicatur, quòd essentia existit per existentiam adiunctam, quia ex eo, quòd adiungitur existentia, non ponitur intrinsecè in ipsa essentia ratio existendi, quia semper se habet, vt quid contradistinctum ab existentia, vndè intrinsecè non existeret, sed tantùm per denominationem, quemadmodum subiectum est tantùm album per denominationem, non autem intrinsecè, sic ergo essentia non esset intrinsecè existens, sed per denominationem ab existentia sibi vnita, & consequenter intrinsecè esset possibilis tantùm; vndè reuera compositum illud ex esse, & essentia, non esset secundùm suum esse integrum intrinsecè existens. Et ad hoc declarandum vti possumus exemplo de materia prima respectu formæ, dum enim forma vnitur materiæ, relinquit materiam in suo esse intrinseco, ita vt nihil immutetur, sed omninò se habet vt pura potentia substantialis, ac se habebat, antequam intelligeretur vnita materiæ: nec illi communicatur aliqua ratio actus substantialis, quamuis forma se illi exhibeat in ratione actus substantialis. Sic ergo quamuis existentia se exhiberet vt ratio existendi ipsi essentiæ possibili, non illi communicaret aliquam rationem existendi, si ab ipsa realiter distingueretur, sed relinqueret eam in sua possibilitate.

Essentia non esse existens, si distingueretur realiter ab existentia.

IX. Denique argumentor ex natura distinctionis realis, quæ est à parte rei. Vt enim distinctio sit realis à parte rei, oportet, quòd habeat extrema sibi correspondentia, nimirum quæ sint realia, tanquam res, atque à parte rei reperiantur; quòd si vnum à parte rei reperiretur, non verò alterum, tunc illa distinctio non esset realis à parte rei, quia vnum tantùm extremum esset à parte rei, quemadmodum, neque dicitur realis, quando est inter rem, & modum, prout ly Realis dicit distinctionem rerum, sed esset distinctio entis existentis ab ente possibili. Et ratio est, quia distinctio ad minus requirit duo extrema, in quibus fundatur, & qualia sunt extrema, talis quoque est distinctio, si igitur extrema distinctionis non erunt à parte rei, neque distinctio erit à parte rei. Applicando ergo hanc doctrinam ad præsentem materiam; vt existentia realiter à parte rei distinguatur ab essentia, oportet, quòd ambo extrema huius distinctionis, vt inuicem contradistincta, reperiantur à parte rei, & vtrumque seorsim sumptum sit quid actuale; quod præsertim verum esse, quia vt etiam initio disputationis aduertimus, quando quæritur, an existentia contradistinguatur ab essentia, non debet comparari ad essentiam possibilem, sed ad essentiam actualem, quæ actu sit à parte rei. Si ergo essentia, vt realiter distincta ab existentia debet esse à parte rei, debet consequenter, vt contradistincta ab existentia, participare intrinsecè rationem formalem, per quam extrahatur de statu possibilitatis, & constituatur in actu opposito possibilitati, atque à parte rei: huiusmodi autem ratio formalis non est alia, quàm actualitas, seu existentia, quia sicuti sola existentia facit esse, ita sola extrahit de possibilitate ad actum oppositum; non enim extrahitur à possibilitate, nisi constituatur in tali statu, quòd sit.

Distinctio realis requirit extrema existentia.

X. Atque si attentè consideretur Doctrina D. Th. fortasse non refragabitur doctrinæ modò traditæ, quia in ijs locis, quos pro prima opinione adduximus, tantùm intendit ostendere, quòd Deus sit suum esse, hoc est quòd Deo conue-

D. Th.

Quomodo Deus sit suum esse.

niat per essentiam existere, non autem creaturæ, nam in 1. par. quæst. 3. art. 4. in corpore ait; *Respondeo dicendum, quòd Deus non solùm est sua essentia, vt ostensum est, sed etiam suum esse.* & assignat rationem ex eo, quòd esse Dei non potest esse causatum ab aliqua extrinseca causa, ex quo manifestè colligitur, quòd velit tantùm esse creaturæ esse causatum ab extrinseca causa, ad differentiam esse diuini, & proinde dicat, quòd creatura non est suum esse, quemadmodum est Deus; atque hoc ipsum quoque docet in lib. 2. contra Gent. cap. 52. quod præcipuè explicat in ratione quinta, ait enim, *Substantia vniuscuiusque est ens per se, & non per aliud; vndè esse lucidum actu non est de substantia aeris, quia est ei per aliud, sed cuilibet rei creatæ suum esse est ei per aliud, aliàs, non esset creatum.* Et concludit, *nullius igitur substantiæ creatæ suum esse est sua substantia.* Atque de Ente, & essentia cap. 5. explicans, quomodo in creatis aliud sit esse, & aliud essentia, ponit diuersitatem ex eo, quòd existentia non est de conceptu essentiæ, & inquit: *Huiusmodi ergo substantiæ, quamuis sint formæ sine materia, non tamen in eis est omnimodo simplicitas; nec sunt actus puri, sed habent permixtionem potentiæ, & hoc sic patet. Quicquid enim non est de intellectu essentiæ, vel quidditatis, hoc est adueniens extrà, & faciens compositionem cum essentia: quia nulla essentia sine his, quæ sunt partes essentiæ intelligi potest. Omnis autem essentia, vel quidditas intelligi potest sine hoc, quòd aliquid intelligatur de esse suo facto. Possum enim intelligere, quid est homo, vel Phœnix, & tamen ignorare, an esse habeant in rerum natura; ergo patet quod esse est aliud ab essentia.* Et pergit ostendere, debere dari vnum, quod sit suum esse, & à quo omnia alia recipiant esse: & posteà subdit. *Omne autem, quod recipit aliquid ab alio est in potentia respectu illius, & hoc, quod receptum est in eo, est actus eius, ergo oportet, quòd ipsa forma, vel quidditas, quæ est intelligentia, sit in potentia respectu esse, quòd à Deo recipit, & illud esse receptum est per modum actus, & ita inuenitur actus, & potentia in intelligentijs.* Hoc autem debet intelligi, quatenus esse non est de conceptu essentiæ, vt suprà dixit; non autem quatenus realiter distinguatur; & aduerte, quòd loquitur de potentia, quam habet creatura respectu actus essendi, antequam illum recipiat, quæ non est aliud, quàm creatura; quæ dum concipitur, vt possibilis, concipitur se habere ad modum potentiæ potentis recipere actum existentiæ. Vndè ex his locis D. Th. colligitur tantùm; quòd in creaturis existentia non sit de quidditate essentiæ, non vero quòd ab actuali essentia realiter distinguatur; quia iam essentia actualis est à Deo, vt à causa, & proindè habet esse receptum ab illo.

Quomodo aliud esse, & aliud essentia ex mente D. Th.

Reijcitur secunda sententia ponens distinctionem ex natura rei.

SECTIO IV.

I. ALtera quoque sententia, quæ inter essentiam, & existentiam ponit distinctionem ex natura rei, siue ea formalis sit, siue modalis, modo præcedat opus intellectus, & falsa est improbanda & contra ipsam faciunt rationes contrà distinctionem realem proportionaliter applicatæ. Si enim existentia aliquo pacto à parte rei distingueretur ab essentia, iam essentia secundùm suum esse intrinsecum esset à parte rei tanquã quid actuale, & tamen intrinsecè non existeret, quod sanè implicat, quia per solam existentiã, tanquam per rationem formalem habetur actualitas, quæ cum intrinseca sit essentiæ, quæ est à parte rei, oportet, quòd ipsi quoque intrinseca sit existentia. Præterea, vt suprà etiam dicebamus, quando aliquid distinctum à parte rei aduenit alteri, illud non immutat in suo esse intrinseco, sed relinquit tale, quale est; si ergo existentia, tanquam quid distinctum à parte rei adueniret essentiæ, relinqueret illam in statu possibilitatis, in quo esset, antequam adueniret illi existentia, & consequenter non faceret existentem. Rursus vrget etiam ratio de processu in infinitum, quia nimirum existentia à parte rei distincta ab essentia haberet suam peculiarem essentiam; deberet igitur vt sect. præcedenti num. 4. & 5. argumentabamur, ab hac sua essentia à parte rei distingui; & sic cum semper existentia haberet peculiarem essentiam, deberet semper ab ipsa distingui, & hoc pacto procederetur in infinitum.

Existentia non distinguitur ex natura rei ab essentia.

Si existentia distingueretur ex natura rei ab essentia, essentia nõ existeret, sed esset in statu possibili tatis, & daretur processus in infinitum.

II. Sed principaliter contra hanc sententen-

Posita distinctione ex natura rei, essentia sine existentia existeret.

tentiam argumentor. Sumo essentiã, & existentiam, prout sunt extrema contradistincta illius distinctionis, quam ponunt isti auctores, & vocant ex natura rei, & inquiro, an essentia, vt extremum contradistinctum ab alio, sit quid actuale, hoc est, positum extrà causas, vel non, sed sit adhuc quid potentiale, & in virtute causarum contentum. Si hoc secundum dicatur, non facit ad propositum nostrum, quia non inquirimus, an existentia distinguatur ab essentia, prout essentia adhuc est quid possibile, & contentum in virtute causarum, sed procedit de essentia, quæ est à parte rei, & prout comparari potest ad existentiam, tãquam ens quoddam in seipso existens. Vndè si existentia debet aliquo pacto ab essentia distingui, debet sumi secundùm quod est à parte rei, & consequenter prout est extremum contradistinctum ab existentia, debet dici, quòd sit quid actuale, alioquin corrueret omnis distinctio. Si ergo essentia, vt extremum contradistinctum ab existentia, est quid actuale, oportet, quòd per aliquid habeat hanc actualitatem, non enim essentiæ rerum ex vi sui esse essentialis actuales sunt, possumus enim optimè concipere totam essentiam, nihil concipiendo de actualitate eiusdem. Cœterum quòd sit actualis, non potest habere per existentiam à seipsa distinctam, quia quãdo consideratur vt extremum contradistinctum, non habet aliquid communicatum ab alio extremo contradistincto, cum contradistinctio omninò separet, & collat communicationem omnem; ergo habet per aliquid à seipsa indistinctum, & consequenter, quia esse in actu à parte rei est idem ac existere; non existet per existentiam à seipsa à parte rei distinctã.

Distinctio à parte rei debet esse inter extrema existentia.

III. Confir. hæc ratio ex natura distinctionis. Distinctio enim ex genere suo facit, quòd extrema, inter quæ versatur, non communicent in esse, atque illa segregat ad inuicem, ita vt vnumquodque habeat suum peculiare esse; atque cum distinctio, vt sect. etiam præcedenti dicebamus, fundamentum habeat in extremis, quæ distinguuntur, sine quibus non posset consistere distinctio aliqua, ex hoc fit, quòd in eo statu, in quo est distinctio, debeant etiam reperiri extrema, ita vt vnum absque communicatione cum alio ex vi proprij esse in illo statu reperiatur; sic si distinctio est per intellectum in esse obiectiuo, debent in ipso reperiri extrema, quorum vnumquodque ex vi proprij esse in tali esse obiectiuo consistat; si autem distinctio est à parte rei, debent extrema à parte rei consistere, prout inuicem contradistinguuntur, vndè non poterit vnum consistere ratione alterius, quia sic communicarent, nec, prout essent à parte rei, segregarentur, quod est contrà rationem distinctionis, quæ si est à parte rei, debet extrema, prout sunt à parte rei, segregare. Quare concludendum est, quòd nullo pacto possit existentia a parte rei ab essentia distingui, siue formaliter, siue modaliter; nam quæro de essentia, vt contradistincta ab existentia, an existeret à parte rei, an non. Primum non potest dici, quomodo enim existeret absque existentia? Si autem non existeret, quomodo fundaret distinctionem à parte rei, cum talis distinctio requirat extrema, quæ vt contradistincta consistant à parte rei, & habeat ex natura sua, quòd illa separet secundùm esse, quod est à parte rei, hoc est secundùm esse existens.

Reijcitur distinctio ex natura rei quæ stat cum identitate.

IV. Secundò in particulari impugnatur, excludendo videlicet distinctionem formalem ex natura rei. Quæro enim an hæc distinctio formalis ex natura rei stet cum identitate, ita vt existentia, licet distinguatur ex natura rei ab essentia, cum ipsa tamen identificetur; an vero non possit stare hæc distinctio cum identitate entitatiua. Si dicatur stare cum identitate, sequitur, quòd sit inseparabilis ab essentia; formalitates enim illæ, quæ in vna, atque eadem entitate conueniunt, sunt inuicem inseparabiles, & habent necessariam connexionem adinuicem, ita vt nec possint quò ad productionem, aut corruptionem inuicem separari; Ex quo sequitur, quòd existentia sit inseparabilis ab essentia, quod tamen ipsi non concedunt, quia ponunt distinctionem, vt saluent separabilitatem. Deindè si existentia esset inseparabilis ab essentia, conueniret illi per se, & necessariò, vndè semper essentia necessariò existeret, quia existentia esset inseparabilis ab ipsa. Quod si dicat existentiam actualem esse inseparabilem ab essentia actuali, & existentiam possibilem ab essentia possibili: tunc quæro, quomodo essentia de possibili fiat actualis, aut de actuali desinat esse actualis, & remaneat tantùm possibilis, certè non

po-

potest aliud responderi, supposita distin-ctione existentiæ, nisi quia tollitur ab ipsa existentia, si ergo essentia actualis definit esse actualis ex eo, quòd tollitur ab ipsa existentia, ergo existentia est separabilis ab essentia actuali, & vt talem debent ipsam ponere, quod tamen est contrà naturam huius distinctionis, quæ stat cum identitate. Deindè sicuti essentia potest considerari secundùm suum esse præcisum, ita vt modo sie actualis, modo possibilis, iam essentia absque aliquo superaddito ex natura rei à parte rei distincto potest existere, quandoquidem habet ex vi sui esse, vt ab existentia contradistincti, vt modò possit esse actualis, modò possibilis, seu modò esse, modò non esse. Rursus sicuti existentia modò est possibilis, modò actualis per seipsam, ita etiam contingere poterit in ipsa essētia. Quòd si dicas, existentiam esse rationem existendi, & ideo non indigere aliquo superaddito ad existendum. Contrà est, quia adhuc tamen est in potentia ad existendum, non secus, ac essentia, ideo si essentia indiget aliquo superaddito, vt actu existat ex eo, quòd est in potentia, indigebit etiam existentia, nempè actu existendi, neque enim ipsa vt possibilis, est actuale exercitium existendi, sed est tantùm in potentia ad existendū.

Distinctio formalis ex natura rei non potest esse cum diuisione entitatis.

V. Si verò altero modo dicatur, quòd nimirum hæc distinctio ex natura rei cum identitate entitatina non possit stare, tunc sequitur, quòd ex vi ipsius auferatur talis identitas, & consequenter existentia non distinguetur amplius ab essentia ex natura rei formaliter, sed entitatiuè tanquam res à re. Quod sic declaratur. Quando esse formale ponitur à parte rei physico modo se habens, transit in entitatem physicam, nempè productam, & à parte rei existentem; quia impossibile est, quòd à parte rei reperiatur aliqua formalitas, quæ non sit immersa in aliqua entitate, quia eo ipso, quòd producitur à parte rei, immergitur in aliqua entitate, nam ex vi productionis accipit suum esse physicum. Quo stante dicendum est, quòd etiam esse formale existentiæ non possit esse à parte rei, nisi in aliqua entitate reperiatur. In qua ergo entitate reperitur? non potest reperiri in entitate essentiæ, quia supponimus, quòd distinctio illa formalis ex natura rei, quam ponunt, non relinquat identitatem entitatis, neque adest aliqua alia entitas, in qua reperiri possit; ergo constituet propriam entitatem, atque adeo entitatiuè ab essentia distinguetur.

VI. Sed etiam in speciali potest impugnari distinctio illa modalis ex natura rei. Si enim comparemus adinuicem naturam modi, & naturam existentiæ, reperiemus, quòd ea, quæ conueniunt modo ex genere suo, nequeunt conuenire existentiæ, & consequenter non potest existentia esse modus. Sed prius sciendum est, quòd modi sunt in duplici differentia, quidam enim dicuntur intrinseci rei, quam modificant, quidam verò extrinseci; Certum autem est, quòd existentia non potest esse modus intrinsecus, quoniam intrinseci sunt de essentia rei, quam modificant, ita vt non possit adæquatè res illa concipi sine ipsis, quemadmodum modus essendi per se ita est intrinsecus substantiæ, vt nequeat substātia concipi sine ipso. At verò modi extrinseci adueniunt rei iam constitutæ in suo esse, & sūt quid extrinsecum, & proindè accidentaliter se habens respectu ipsius, quemadmodum est figura respectu quantitatis, aut sessio respectu sedentis. Si ergo existentia est modus, oportet, quòd sit aliquis his ex extrinsecis, qui adueniunt rei iam constitutæ in suo esse. Hoc ergo stante sic argumentor. Modus extrinsecus ex genere suo accidentaliter aduenit rei modificatæ; ergo supponit rem modificatam habere propriā existentiam, Conseq. prob. quoniam nulla res potest accidētaliter affici, nisi prius existat, & hoc prouenit ex accidentali connexione, quæ est inter ipsam; & id, à quo accidentaliter afficitur, quæ connexio ad hoc, vt sit accidentalis, debet supponere existentiam in vtroque extremo, alioquin si fieret connexio secundùm essentiam, esset connexio essentialis, quia conueniret ex vi essentiæ, & quicquid conuenit ex vi essentiæ, necessarium est. Neque soluitur difficultas, si dicatur, id esse verum de cœteris modis, qui non sunt rationes existendi, non verò de existentia, quæ cum faciat rem existere, non debet in ipsa supponere existentiam. Non inquam valet huiusmodi responsio, quia si immediatè afficeret ipsam essentiam, deberet immediatè connecti cum ipsa, vt essentia est, & è contrà etiam essentia connecti cum existentia, vndè ista connexio Conueniret essentiæ, vt es-

Existētia nō potest esse modus.

Modus nō potest aduenire, nisi rei iā existenti.

lentia est; atque conueniunt essentiæ, vt talis est. necessariò conueniunt, vnde hæc quoque connexio esset necessaria. Præterea, quæ conueniunt modis ex genere suo, debent semper conuenire, nec destrui possunt per aliquam differentiam superadditam modo genericè sumpto; ergo si modus ex genere suo habet, quòd supponat subiectum existens, omnis modus debet illud supponere existens, & cum existentia non possit supponere existens, neque poterit esse modus. Rursus, quod existit, non potest connecti cum eo, quod non existit, & consequenter non potest illi tribuere suum effectum formalem; ergo non potest aliquis modus, quicunque ille sit, connecti cum essentia, antequam fiat existens, nec existentia, si est modus distinctus, potest essentiæ suum effectum formalem exhibere, nisi prius fiat existens, vnde non posset reddere existens, nisi esset existens, quod est valdè absurdum.

Aliæ confirmatio nes ex natura modi desum ptæ.

VII. Et vrgeo eamdem rationem. Existentia est aliquid de esse illius rei, quæ existit; est enim veluti quoddam complementum ipsius, & vltimus actus, per quem vnumquodque formaliter participat perfectè proprium esse. Modus autem extrinsecus, vt pote quia accidentaliter aduenit, supponit rem, cui aduenit, perfectè participantem proprium esse; ergo cum existentia non possit supponere rem perfectè participantem suū esse: est enim ratio, quæ facit rem esse actu, & est vltimum complementum ipsius, vt diximus, non potest esse modus. Quod etiam sic declaratur, quoniam modus, qui non est de intrinseca ratione rei, sed ab extrinseco aduenit, vt pote quia est quid accidentale, non pertinet ad idem prædicamentum, in quo collocatur res modificata, sed ad diuersum, existentia verò pertinet ad idem prædicamentum, vt in praecedenti disp. ostensum est; non igitur potest esse modus. Confir. Secundò. Modus habet ex genere suo, quod non dicat proprium esse, sed sit ens entitate subiecti. Sicuti ergo est ens simpliciter entitate subiecti, ita etiam, proportione seruata, debet esse ens actuale, & existens actualitate, & existentia subiecti, atque ex genere suo habet, quòd in ipso supponat existentiam, per quam existat, quomodo ergo potest existentiam conferre subiecto? aut quomodo potest existentia esse mo-dus? Maneat ergo non posse interuenire hanc distinctionem modalem inter essentiam, atque existentiam; & esse contrà naturam existentiæ, quòd sit modus.

Vera sententia.

SECTIO V.

I. Cum iam ex dictis constet, quòd inter essentiam, & existentiam non potest interuenire distinctio realis, siue inter rem, & rem; sed neque distinctio ex natura rei, siue ea formalis ponatur, siue modalis, concludendum est, quòd existentia nullo pacto à parte rei distinguatur ab essentia. Vt autem hanc sententiam declaremus, sit Prima conclusio. Actualitas rerum, qua constituuntur extra causas, non est aliquid distinctum ab essentia, atque illi superadditum; sed ipsamet essentia secundùm esse proprium constituitur extra causas, ita vt sicut possibilitas rei est ipsamet res, quatenus nondum est extra causas, ita etiam actualitas eiusdem sit ipsamet res, prout est extra causas. Huius autem nostræ conclusionis prima ratio ea eo assignari potest, quòd vnaquæque res ab intrinseco suo habet, quòd sit ens, & etiam tale ens, prout talem, vel talem gradum essentiæ participat; ergo etiam habet ex se, & ab intrinseco suo, quod sit actuale, vel possibile, & proindè quando virtute causæ efficientis est extractum à possibilitate, habet per se ipsum, & non per aliquid superadditum, quòd sit actuale. De Antecedenti nulla est difficultas. Consequentia igitur prob. pro qua supponendum est, quòd omne ens necessariò vel est actuale, vel possibile, ita vt impossibile sit assignare aliquod medium, vel enim ens nondum est extractum de potentia suæ causæ, & sic est possibile, vel est iam extractum, & sic est actuale; non potest autem dari aliquod ens, quod non contineatur in virtute causæ saltem primæ, loquendo de ente participato, quia nullum ens participatum habet esse à se. Hoc ergo supposito, si vnaquæque res est ab intrinseco suo ens, quando illi à causa communicatur esse, oportet, quòd sit esse intrinsecum, quo formaliter habet, quòd sit intrinsecè ens, aliud namque esse illi communicari non potest; ergo actu intrinsecè participat ra-

Prima conclusio

Vnaquæque res seipsa fit actualis.

Sicuti vnaquæque res ab intrinseco suo est ens, ita etiam vel est possibilis, vel actualis per suum esse.

rationem entis sibi debitam, quia iam actu est illi communicata; Quid autem aliud est esse quid actuale, quàm participare in actu suum esse? ergo si actu participat vnaquæque res suum esse intrinsecum, iam secundùm se est in actu, & non per aliquid superadditum.

II. Confirmatur hæc eadem ratio. Ens quando consideratur vt possibile, habet ab intrinseco suo, quòd sit possibile, & non per aliquid superadditum, alioquin ab intrinseco non esset ens, sed nihil, quòd enim neque est possibile, nihil est; ergo etiam quando est in actu, ab intrinseco suo habet, quod sit actuale, & non per aliquid superadditum. Vis autem huius consequentiæ in eo consistit, quòd quando ens, sit actuale, illud ipsum, quod erat possibile fit actuale, & consequenter intrinsecè, & secundùm propriũ esse fit actuale; ideo enim est possibile, vt de possibilitate transire possit ad actũ, relinquendo statum puræ possibilitatis. hoc autem non potest sequi, nisi in ipso intrinsecè ponatur actualitas, quia quolibet superaddito, ipsum semper relinqueretur cũ sua pura intrinseca possibilitate, quemadmodum quantumuis materia recipiat formam, manet semper cum sua potentia, nec vnquam extrahitur de suo esse potentiali, quia scilicet secundùm suum esse intrinsecum non fit actus. Præterea quod est possibile, ita est intrinsecè possibile, vt secundùm illud esse, quod est possibile, possit fieri actuale. Esse enim possibile dicit posse secundùm seipsum fieri in actu; ergo oportet, quòd illudmet esse essentiæ, quod vnaquæque res dicit in statu possibilitatis, possit fieri in seipso, & intrinsecè actuale, ita vt secundùm seipsum actuale sit, alioquin semper secundùm seipsum maneret in statu possibilitatis: erit igitur actuale per seipsum, & non per aliquid superadditum.

Idẽ sunt esse actuale, & possibile.

III. Confir. Secundò. Quando res ponitur in actu, illud esse essentiæ, quod habet in seipsa, est aliquid participatum; homo enim, verbi gratia, quando in suis indiuiduis ponitur in actu vt Petro, Francisco, atque alijs; vnumquodque illorum indiuiduorum continet essentiã hominis in seipso tanquam aliquid participatum; non enim potest essentia illa esse imparticipata; non solùm quia, vt alibi diximus, essentia ipsa terminat productionem; sed etiam, quia quicquid est in creatura, est ens participatum, cum nihil creatura à se habeat; ergo illud esse essentiæ est secundùm se actuale, quia eo ipso, quòd est quid participatum, fit actuale: Esse enim actuale nihil aliud dicit, quam esse in actu à parte rei; eo ipso autem, quòd creaturæ à parte rei communicatur aliquod esse, tale esse ponitur in actu quia ponitur à parte rei. Quod etiam alio modo declarari potest. esse possibile dicit contineri in virtute alicuius causæ, ita vt si non adesset causa continens tale esse, neque ipsum possibile esset; ergo quando egreditur de potentia causæ, ponitur in actu, ita vt secundùm illud esse formaliter ponatur in actu, quod egreditur de potentia causæ, & eo ipso ponatur in actu, quòd egreditur: cum ergo res omnes egrediantur de potentia causæ secundùm totum suum esse etiam essentiale; sicuti hoc esse essentiale seipso egreditur de virtute causæ, ita etiam seipso fiet actuale, & non per aliquid superadditum, quia, vt diximus, fieri actuale non est aliud, quàm egredi de potentia causæ, tunc enim trãsit de potentia ad actum.

Esse essẽtiale creaturæ est quid participatũ.

Res ões seipsis egrediuntur de potẽtia causæ.

IV. Confir. tertiò Et sumo essentiam illam, quam participant res, quæ sunt in actu, & extrà causas, atque de illa inquiro, an secundùm suum esse intrinsecum differant ab essentia possibili, seu ab illa, quam dicunt res possibiles, an verò non differant; non loquor autem de differentia secundùm esse formale, quia certum est, hanc non posse interuenire; sed loquor de differentia secundùm modum essendi, atque secundum statum; accipio enim eamdem essentiam, & illam considero in duplici statu, nempè possibilitatis, & actualitatis. Si interuenit aliqua differentia, cum tota differentia, quæ interuenire potest, sit penes actualitatem, oportet, quòd, si secundùm suum esse intrinsecum differt, participet intrinsecè actualitatem. Si autem dicatur non differre; sequeretur, quòd secundùm suum esse intrinsecum formaliter non esset extrà causas, in tantum enim fit extrà causas, in quantum fit actualis; si ergo secundùm suum esse intrinsecum non fit actualis, seu non recipit intrinsecam actualitatem, iam secundùm suum esse intrinsecum non erit extra causas. Quod etiam patet ex ratione formali actualitatis; formalis enim ratio actualitatis nihil aliud præstat, quàm constituere

Alia cõfirmatio ex discrimine, quod est inter statũ possibilitatis & actualitatis.

rem actu in seipsa, ex hoc enim, quòd est actu in seipsa, sequitur, quòd sit à parte rei, seu in rerum natura, ad differentiam illius status, qui vocatur possibilitatis, in quo res existit in potentia causæ. & hic est propriè status actualitatis, quia si res actu est in seipsa, non est amplius quid potentiale: sed quid actuale; at res nō constituitur actu in seipsa per aliud, quàm per proprium esse, quod actu participat; quomodo enim per aliquid alienum à seipsa constitueretur in seipsa? sicuti enim non potest esse ens per aliquid distinctum à seipsa, ita neque potest esse aliquid actu in seipsa per aliquid distinctum à seipsa.

2. ratio.

Res actualis ut cō tradistin cta ab actualitate deberet esse actualis.

V. Secunda ratio principalis desumitur ex absurdo, quod sequeretur, si actualitas poneretur distincta à re actuali. Tunc enim inquirendum est, an essentia, quæ ponitur distincta ab actualitate, ut est ab ipsa contradistincta secundùm esse proprium, sit quid actuale, & extrà causas, an verò non sit quid actuale; Si est quid actuale, ad quid ponitur alia actualitas superaddita? vnica enim actualitas sufficit, vt res fiat actualis; deinde ne procedendum sit in infinitum, oportet dicere, quòd seipsa sit actualis; nam si per aliam actualitatem esset actualis à se distinctam, rursus inquirendum esset, an prout subijcitur huic actualitati, esset actualis, & sic procederet idem argumentum. Si autem dicatur secundùm, quòd nimirum prout contradistinguitur ab actualitate, non sit actualis, tunc quæro, quomodo cum actualis non sit, subijci possit actualitati? sicuti enim operari supponit esse, ita etiam subijci. quia hoc similiter est natura sua posterius esse; subijci enim supponit id, quod subijciatur, & actu subijci supponit in actu id, quod subijcitur. Et in confir. huius rationis addi potest, quod suprà diccbamus, quòd scilicet distinctio actualis, quæ fit à parte rei, supponit extrema, in quibus fundetur, actualia, vndè si actualitas est quid superadditum rei actuali, & ab ipsa distinctum, oportet dicere, quòd res, præcisa actualitate, sit actualis.

3. ratio.

VI. Tertia ratio principalis accipi potest ex ijs, quæ suprà de rerum essentijs determinauimus, nempè quòd creatura secundùm essentiam sit terminus productionis, ita vt ipsamet essentia ex vi productionis communicetur, & ponatur in actu; ergo essentia seipsa est actualis, & non per aliquid superadditum. Declaratur hæc consequentia. Productio aliquid facit, & tribuit aliquod esse, quia ex genere suo habet, quòd sit communicatiua alicuius realitatis; non potest autem tribuere possibilitatem, quia hæc supponitur ante productionem; ergo tribuit actualitatem; cum ergo essentia, secundùm suum esse essentiale proprium sit terminus productionis, oportet, quòd terminet productionem secundùm actualitatem, atque adeò secundùm suum esse sit quid actuale. Quòd si dicas essentiam recipere existentiam solam à seipsa distinctam ex vi productionis, iam hoc refutatum manet ex ijs, quæ suprà diximus, quando ostendimus, rerum essentias, antequam producantur, non esse aliquid in seipsis, sed fieri aliquid per productionem, dum suum esse quidditatiuum per productionem ipsis communicatur. Et potest etiam hic breuiter confirmari, quoniam res creatæ, nedum secundùm existentiā sunt aliquid participatū à Deo, sed etiam secundùm essentiam; illud enim esse essentiale, quod habent in se, est essentialiter ens participatum, vt colligitur ex eius limitatione; vndè cum sit quid actuale participatum, oportet, quòd sit terminus alicuius communicationis. Hinc etiam influxus Dei creatiuus, nedum influit existentiam, sed etiam essentiam, vndè creatura essentialiter dependet à Deo, tanquam à causa, ita vt hæc dependentia sit de conceptu quidditatiuo creaturæ. Præterea si productio haberet pro termino tantùm existentiam, non verò essentiam, vel essentia non esset extrà causas, vel esset à parte rei ex se. Quod enim est à parte rei, vel est à se, vel ab alio communicante esse. Vndè, quod non est à se, neque est terminus alicuius productionis, per quam acceperit esse communicatum, non est extrà causas. Cum ergo essentia creaturæ non possit esse à se, à parte rei, si quidem hoc soli Deo conuenit, si non est terminus alicuius productionis; iam non erit extrà causas, & extrà statum possibilitatis. Hinc autem est, quòd sicuti vnumquodque ens reale debet constitui aliquo intrinseco esse reali, ita ens reale actuale debet constitui aliquo esse intrinseco reali actuali, alioquin nunquam extraheretur de sta-

Creatura secūdùm essentiam terminat productionē, ex vi cuius accipit intrinsecam actualitatem.

tu possibilitatis suæ.

Secunda conclusio.

Actualitas, quæ est idem cum essentia, facit eam positiuè extra causas.

VII. Secunda conclusio. Hæc actualitas, quæ identificatur cum essentia, est ratio formalis constituens rem positiuè extrà causas. Hanc conclusionem posui propter quosdam Recentiores, quorum suprà etiam meminimus, qui ponebant quamdam actualitatem, quam vocabant existentiam negatiuam, quam tribuebant materiæ primæ; ita vt per ipsam solùm negatiuè extrà causas constitueretur. Possent ergo etiam in præsenti dicere, quòd hæc actualitas, quæ identificatur cum essentia, non facit eam positiuè extrà causas; sed tantùm negatiuè, vndè ponimus hanc secundam conclusionem, in qua statuimus, quòd hæc actualitas facit rem positiuè extrà causas Et sequitur ex ijs, quæ diximus disp. præcedenti, vbi ostendimus sect. 3. quòd non potest dari hæc existentia negatiua.

Explicatur posita conclusio.

Et ratio huius nostræ conclusionis facilè assignari potest ex eo, quòd hæc actualitas contradistinguit rem à statu possibilitatis, in quo nullam potest habere actualitatem, & est aliquid positiuum, siquidem identificatur cum re positiua; ergo facit, quòd res sit positiuè extra causas, ratio enim formalis positiua exhibet effectum formalem positiuum. Deindè status essendi contradistinguens à statu possibilitatis est ex natura sua positiuus, siquidem dicit, quòd illud esse positiuum, quod intrà statum possibilitatis claudebatur, ab ipso extrahatur ad actum correspondentem tali statui; actus verò, qui statui possibilitatis correspondet, est actus positiuus, & ideò res non potest extrahi de possibilitate sua, nisi per actum positiuum.

Alia ratio.

VIII. Et potest secundò hæc eadem conclusio declarari. Hæc actualitas est ratio, secundùm quam essentia terminat productionem, & proindè debet seruare in seipsa conditiones, quæ necessariæ sunt ad terminum productionis.

Actualitas terminat productionē ordinatā ad ponendam rem extra causas.

Cum autem productio tendat ex natura sua ad ponendam rem extra causas per positiuum influxum, exigit terminus ipsius, vt talem influxum terminare possit, quòd sit aliquid positiuum positiuo modo exhibens id, ad quod ex vi productionis ordinatur, vndè cum ex vi productionis ordinetur actualitas ad ponendam rem extrà causas, debet illam positiuo modo extra causas constituere. Quod etiam colligitur ex eo, quòd res ex vi huius actualitatis constituitur actu dependens à Deo, tanquam à prima causa dante illi esse, atque hæc dependentia positiua est fundata in esse positiuo illi communicato: si ergo ratione huius actualitatis res constituitur positiuè, & actu dependens à Deo, oportet, quòd etiam positiuè constituatur extra causas, quia positiua dependentia fundari potest tantùm in eo, quod positiuè est, quia supponit positiuum influxum, per quem res positiuo modo ponatur in esse.

Tertia conclusio.

Actualitas est cōpleta ratio existentiæ.

IX. Tertia conclusio. Hæc actualitas est sufficiens ratio, per quam essentia existat, nec, vt res existant, aliquid aliud requiritur, quod in ratione existentiæ huic actualitati superaddatur, quod sit aliquo modo ab ipsa distinctum. Dixi in ratione existentiæ, quia quòd ex alio capite aliquid aliud requiratur, vt substentatio, & inhærentia respectu accidentis, hoc non spectat ad rationem existentiæ. Hæc igitur actualitas est completa ratio existentiæ respectu vniuscuiusque rei. Sequitur autem hæc conclusio ex præcedentibus, quia si huiusmodi actualitas ponit rem in actu, & positiuè extrà causas, facit etiam formaliter existere; quid enim aliud est existere, quàm esse in actu, & à parte rei? existentia enim habet tantùm ex vi suæ rationis formalis, quòd sit actus ille, qui correspondet possibilitati rei, actus autem, qui correspondet possibilitati rei, non habet aliud præstare, quàm extrahere rem de sua possibilitate, & reddere illam in actu, hoc autem totum præstat actualitas illa, quæ est idem cum re actuali; siquidem facit rem in actu, & consequenter extrahit de statu possibilitatis. Hinc elicitur confirmatio eiusdem rationis.

Non debet multiplicari causa formalis, nisi ex necessitate effectus formalis.

Non debet multiplicari causa formalis, nisi id exigat necessitas effectus formalis; at posita actualitate illa, non est aliquis effectus formalis circa existentiam, qui non adæquetur per eamdem actualitatem, ita vt necessarium sit propter ipsum ponere aliam existentiam superadditam; ad quid ergo ponenda, si sufficit actualitas identificata cum re actuali? Quòd autem hæc actualitas adæquet omnem rationem existendi, indè patet, tum quia cadit supra totum esse rei, illud ponendo in actu. nec alius effectus existentiæ assignari potest supra reddere rem in actu, & positiuè constituere ex-

trà causas; tum quia existentia est actus faciens rem in actu, atque adeò est ipsamet actualitas; non debent autem causæ formales eiusdem rationis multiplicari propter eumdem effectum formalem.

2. ratio.

X. Secundò prob eadem conclusio, & desumitur agumentum ex parte virtutis creatiuæ, quæ est in Deo, & potest proportionaliter applicari cuicunque alteri virtuti productiuæ. Virtus ergo creatiua Dei, quando operatur, aliquid produeendo, ex vi productionis cuiuscunque entis, adæquat totam potentiam obiectiuam illius rei, quæ creatur atque eum productio tendat ad ponendam rem in actu, dum adæquat potentiam obiectiuam, facit, quòd tota potentia obiectiua reducatur ad actum sumendo potentiam obiectiuam in eo sensu, quem suprà admisimus. Seu si quis nollet admittere potentiam obiectiuam, alio modo res declarari potest, & in idem recidit. Res, quæ creatur, continetur in potentia productiua ipsius Dei, ex vi autem productionis formaliter totum illud, quod de aliqua re, quæ creatur, continetur in potentia Dei, egreditur de potentia ad actum, quia productio ex natura sua adæquat esse virtuale rei, quæ continetur in virtute producentis; ergo quocunque modo procedamus, & siue ad potentiam obiectiuam rei producendæ comparemus productionem, siue ad potentiam producentis, prout in virtute continet rem producendam, semper verum est, quòd adæquat totum esse rei producendæ, reducendo ad actum adæquatè totum esse potentiale. Ex hoc autem sequitur, quòd cum res secundùm esse potentiale considerata dicat ordinem, & potentiam ad existendum, ex vi productionis formaliter reducatur ad actum potentia ista ad existendum, & consequenter existentia non sit aliquid ab ipsa distinctum, sed sit actualitas eiusdem; productio enim cuiuscuique rei recipit tantùm rem illam præcisè consideratam, ita vt solùm esse potentiale illius rei reducat ad actum, atque illi conferat actû adæquantem tale esse potentiale; ergo illi confert tantùm proprium esse actuale, & proindè ex vi proprij esse actualis reducitur completè ad actum, & ex vi illiùs habet suam existentiam, alioquin non esset actuata completè eius potentia obiectiua, siue eius esse potentiale in causa virtualiter contentum non esset completè reductum ad actum; quod est contrà naturam productionis, quæ, vt diximus, debet adæquare in ordine ad actum totum esse potentiale rei, quæ producitur. Et totus hic discursus potest confirmari; ita enim se habet existentia possibilis ad rem possibilem, sicuti existentia actualis ad rem actualem; hæc enim regula vera est generaliter, quòd res possibiles in statu possibilitatis seruant eamdem proportionem adinuicem, quam seruant in statu actualitatis ex vi suæ naturæ, & essentiæ, siquidem eodem pacto se habet essentia in statu possibilitatis, ac actualitatis, quantum spectat ad essentialia; Si ergo existentia possibilis non distinguitur ab essentia possibili, sed est ipsamet res possibilis, quatenus potest existere, ita etiam existentia actualis erit ipsamet res actualis, quatenus actu est, & à parte rei.

Virtus productiua adæquat totû esse potêtiale rei, quæ producitur.

Proportio eadê inter rem possibilê, & existêtiam possibilê, ac inter rê, actualem & actualem existentiam.

3. ratio.

XI. Et potest tertiò declarari exêplo existentiæ, supposito, quòd sit quid superadditum essentiæ actuali; Tunc etiam existentia non est seipsa actuale exercitium existendi, quantum est ex natura sua; quia si esset huiusmodi ex vi suæ essentiæ, & quidditatis, sicuti ab æterno conuenit illi sua quidditas eo modo, quo suprà declarauimus, rerum essentias esse æternas, ita etiam conueniret illi ab æterno exercitium existendi, quod est falsum, quia illud habet in tempore contingenter, & ex vi productionis. Deindè cum sit terminus productionis, de nouo ponitur in actu, & quia nihil potest terminare productionem, quod non fuerit prius possibile, oportet, quòd hoc exercitium existentiæ, antequam sit in actu, fuerit prius possibile. Tunc ergo quæro, quomodo de possibili fiat actuale; certè respondebitur, quòd fit actuale per seipsum ex eo, quòd secundùm suum esse proprium transit de possibilitate ad actum, non enim potest fieri actuale per aliquid superadditum, quia tunc concedendus esset processus in infinitum. Cur ergo etiam essentia non potest fieri actualis per seipsam absque aliqua ratione existentiæ superaddita? Dices, quia non est ratio existendi sibi ipsi, quemadmodum est existentia. Sed tunc quæro, cur existentia est ratio existendi sibi ipsi? non potest dici, quòd sit ratio existendi sibi ipsi, quia ex vi suæ quidditatis sit actuale exercitium existendi, quia hoc est fal-

Essentiã posse seipsa fieri existêtem ostēditur exemplo existentiæ.

sum, vt diximus iam; sed æquè existentia, ac essentia fuit in potentia ad essendum à parte rei, & vtraque indigent eodem actu, nempè existentia actuali, quam non habent; atque hic actus æquè opponitur cum existentia possibili, ac cum essentia; ac ex eo, quòd existentia possibilis dicat, possibiliter rationem existentiæ, non tollitur, quin indigeat actuali exercitio existendi; Si ergo existentia, ex eo, quòd potest esse actualis, potest seipsa fieri actualis, cur ergo non poterit essentia, cum ipsa quoque possit esse actualis? Et confirmatur; Existentia possibilis nihil aliud dicit de suo formali, quã posse esse, sicuti quando actualis est, nihil aliud dicit, quam actu esse: sed hæc eadem formalitas inuoluitur in essentia possibili, quia ipsa quoque ex vi sui esse essentialis præcisè potest existere; vndè in seipsa formaliter inuoluit rationem formalem existentiæ possibilis; ergo quando ponitur in actu, inuoluit in seipsa rationem existentiæ actualis, quia cum fiat in actu, quod erat possibile, etiam existentia possibilis, quæ in ipsa inuoluebatur, fit in actu. Et sicuti si ponatur existentia distincta à re, quæ existit, considerata secundùm statum possibilitatis, potest seipsa fieri existens, quia dicit rationem formalem existentiæ, ita etiam essentia, cum inuoluat eamdem rationem formalem existentiæ, fiet seipsa existens.

Formalitas existentiæ possibilis inuoluitur in essentia possibili.

XII. Quartò prob. Ex vi actualitatis formaliter, quam vnaquæque res sibi identificat, reducitur completè ad actum potentia, quam res habet ratione suæ possibilitatis, ita vt per ipsam tota possibilitas reducatur ad actum; ergo præter hanc actualitatem nihil aliud requiritur, ad hoc vt vnaquæque res completè existat. Hæc consequentia euidens est, quia si completè est reducta ad actum potentia, quam dicit res ex vi suæ possibilitatis, non est necessarius aliquis alius actus existentiæ, cum existentia respiciat possibilitatem rei, quam reducat ad actum; vndè ille tantùm actus est necessarius, qui completè actuat talem possibilitatem. Anteced igitur prob. Potentia, quam dicit res ratione suæ possibilitatis, est potentia tantùm ad essendùm in actu extrà causas, & à parte rei; seu est potentia ad existendum: potentia autem ad existendum, non est aliud, quàm potentia ad essendum in actu à parte rei; quod autem constituatur in actu à parte rei, habet simpliciter ex vi suæmet actualitatis, hæc enim actualitas est ratio formalis constituens in actu, & proindè faciens esse simpliciter in actu, sicuti ipsa simpliciter participat rationem actus. Cum ergo faciat esse simpliciter in actu, reducit ad actum completè possibilitatem rei, cum res, vt diximus, ex vi suæ possibilitatis habeat tantùm potentiam ad essendum in actu. Atque ex hoc fit, quòd huiusmodi actualitati conueniant ea omnia, quæ de existentia dici solent. Si enim existentia in tempore communicatur creaturæ; hæc quoque actualitas in tempore conuenit. Si existentia est ratio ponens rem in actu, & faciens extra causas, id quoque præstat actualitas; nam ex vi rationis suæ formalis haber, quòd faciat rem in actu, & consequenter extrà causas. Si creatura ratione existentiæ terminat productionem, ita vt per productionem accipiat existentiam, similiter quoque ratione productionis accipit actualitatem, & ratione ipsius terminat productionem, si existentia est extra conceptum quidditatiuũ essentiæ, actualitas quoque est extra conceptum quidditatiuum illius. Si ergo omnia, quæ conueniunt existentiæ, conueniunt etiam huic actualitati, concludendum est, quòd hæc actualitas sit completa ratio existentiæ.

Actualitas reire ducit ad actum totam possibilitatē ipsius.

Quæcunque conueniunt existentiæ, conueniunt etiam actualitati.

XIII. Denique argumentari possumus ex natura existentiæ. Existentia enim ex natura sua ordinatur, vt faciat rem existere, cuius est existentia, & ita faciat existere, vt verè secundùm proprium esse intrinsecum existens sit, & non denominatiuè tantùm. Non potest autem res esse existens secundùm suum proprium esse intrinsecum, nisi in ipso inuoluatur existentia, vbi enim non est causa formalis, ibi neque potest esse effectus formalis; quare vt vnaquæque res secundùm proprium esse intrinsecum sit existens, oportet, quòd in ipso inuoluat existentiam, quæ ipsum reddat existens; alioquin si existeret tantùm per aliquid sibi adiacens, verè esse ipsius denominaretur tantùm existens, non autem esset intrinsece existens; quòd autem res non sit intrinsecè existens idem est, ac quòd non sit, quia reuera in seipsa non haber, quòd sit, & quemadmodum si non enti adiaceret aliquod ens reale, quod illi applicaretur; vt con-

Existētia debet esse intrinseca rei quæ existit.

tin-

tingit in formatione entis rationis, non sequeretur, non ens esse ens, ita etiam si res non existenti adiaceret tantùm existentia, verè non esset in seipsa existens. Ratio autem est, quia existẽtia pertinet ad esse rei, & est id, quod potest habere ex vi suæ intrinsecæ possibilitatis, tanquam vltimum complementum sui met esse; complementum autem in esse, debet esse intrinsecum, sicut intrinsecum est ipsum met esse, alioquin nunquam res secundùm suum proprium esse completè se haberet. Si ergo ponatur aliqua ratio existentiæ superaddita actualitati rei, non poterit facere rem intrinsecè existentem quia tantùm illi adiaceret, vndè neque erit apta, vt faciat rem existentem, sed completè exister ex vi propriæ actualitatis sui intrinsecæ.

XIV. Atque si D. Th. doctrinam rectè perpendere volumus, reperiemus, ipsum quoque hanc sententiam insinuasse; nam præcipuè 1. Par. quæst. 5. art. 1. in cap. ad 1. duo dicit, ex quibus hæc eadem sententia colligitur, quorum primum est, quòd non dicitur aliquid ens simpliciter, nisi prout est ens in actu, & in quantum discernitur ab eo, quod est in potentia: alterum autem est, quòd hoc esse, per quod contradistinguitur ab eo, quod est in potentia, & quod est ens in actu, est esse substantiale cuiuscunque rei, Ex quibus colligitur, quòd vnaquæque res sit in actu, atque existens per proprium esse substantiale, siquidem hoc est illud, per quod contradistinguitur ab eo, quod est in potentia. Ipsius verba sunt ***Cum ens dicat aliquid propriè esse in actu: actus autem propriè ordinem habeat ad potentiam, secundùm hoc simpliciter aliquid dicitur ens, secundùm quod primò discernitur ab eo, quod est in potentia tantum; hoc autem est esse substantiale rei vniuscuiusque. vndè per suum esse substantiale dicitur vnumquodque ens simpliciter*** . Ecce ergo, quomodo ponit, quòd vnumquodque sit in actu per suum esse substantiale, ex eo, quòd per hoe contradistinguitur primò ab eo, quod est in potentia tantùm, & consequenter, quòd per ipsum existat, & non per aliquid superadditum. Et Alamannius in Summa Philosophiæ t. 2. quæst. 3. art. 2. affert plura loca D. Th. quibus ostendit, tribuere materiæ primæ propriam existentiam.

O Th. mens.

Explicatur, an interueniat distinctio rationis.

SECTIO VI.

I. CVm in superioribus satis probatum sit, existentiam omnino identificari cum essentia, & nihil aliud esse, quàm actualitatem illam, quam vnaquæque res intrinsecè participans, fit secundùm proprium esse in actu, videndum nunc superest, an saltem secundùm rationem cum fundamento in re distinguatur. Et quia essentia, vt etiam initio disputationis dicebamus, sumi potest secundùm statum actualitatis, & secundùm statum possibilitatis, ideo vtroque modo considerando essentiam difficultas resolui debet. Pro quo est prius aduertendum, quòd hic nomine essentiæ non intelligimus pura prædicata quidditatiua in abstracto considerata, seù intelligimus totam naturam, quæ existens est, prout etiam indiuiduationem complectitur, & cœtera omnia, quæ ad ipsam spectant, ad hoc vt existat existentia excepta. Ex quo patet, quòd falsa est opinio eorum, quorum meminit Suarez. in Metaphys. disp. 31. sect. 6. num. 16. qui in hoc distinguebant existentiam ab essentiã, quòd essentia diceret solùm naturam rei specificam in communi acceptam, existentia vero diceret naturam indiuiduam: non enim existentia consistit in indiuiduatione, sed in eo, quòd ponat rem indiuiduam à parte rei: vndè indiuiduatio præsupponitur ad existentiam, atque alius est effectus formalis ipsius, indiuiduatio enim coarctat naturam communem, & reddit singularem, existentia vero iam coarctatam facit esse in actu, vndè optimè possumus concipere naturam indiuiduam, nihil concipiendo de existentia, atque possibilia, vt sint in statu completo possibilitatis, ita vt sint apta ad existendum, oportet, quòd prius intelligantur indiuiduata.

Dupliciter sumi potest essentia.

Suarez.

Essentia non distinguitur ab existentia ex eo, quòd existentia dicat indiuiduationẽ.

II. Atque ex ijs, quæ diximus suprà, præsertim disp. 76. sect. 2. concluditur, falsam esse opinionem Alensis quem suprà sect. 2. pro tertia opinione citauimus, & aliorum, qui distinguunt ratione essentiam ab existentia actuali penes diuersos respectus, dum volunt, quòd essentia dicat ordinem ad diuinam cognitionem; existentia verò dicat ordinem

Alens. Respectus ad Deũ vt causam efficientẽ, & vt causam Idealẽ non distinguunt essentiam & existentiam.

ad

ad Deum, tanquam ad causam efficientem. Hoc, inquam, falsum est, quia, vt ibidem ostendimus, essentia quoque terminat productionem, & est quid communicatum à Deo etiam secundùm esse essentiale, vndè ipsa quoque dicit ordinem ad Deum, tanquam ad causam efficientem. Existentia quoque dicit ordinem ad diuinam cognitionem, seu ad diuinas ideas, quia cum sit effectus diuinæ potentiæ, oportet, quòd dependeat etiam à diuinis Ideis, quia nihil Deus producit ad extrà, cuius non habeat ideã Atque cum Deus sit agens intellectuale, operans ex idea, non solùm quicquid dicit ordinem ad ipsum, tanquam ad causam efficientem dicit etiam ordinem ad ipsius ideas, sed etiam quicquid dicit ordinem ad diuinas ideas, dicit ordinem ad ipsum quoque, tanquam ad causam efficientem; quia ideæ sunt in ordine ad efficientiam, & repræsentant id tantùm, quod est à Deo factibile Et in confirmationem addendum est, quòd per hos respectus nullum discrimen constitui potest inter essentiam, quia si loquamur de essentia actuali, hæc quoque dependet à Deo eo ipso, quòd est aliquid communicatum, si verò loquamur de essentia possibili, hæc quoque dicit ordinem ad Deum, vt causam efficientem, eo ipso, quòd est quid possibile, & communicabile. Deindè respectus creaturæ ad Deum tanquam ad causam efficientem fundatur in esse communicato, atque adeo supponit rem existentem, & tanquam proximum fundamentum ipsam existentiam, vndè hic respectus non potest esse ratio formalis existentiæ, cum illam præsupponat.

III. Nec etiam intelligi potest distinctio illa rationis, quam ponit Lychet. in 2. dist. 1. quæst. 2. quòd videlicet essentia, & existentia distinguantur, tanquam abstractum, & concretum, quia essentia se habet vt abstractum, existentia quoque se habet vt abstractum, nec apparet quænam ipsarum constitui debeat pro concreto. Quòd si ponatur concretum existentiæ ipsum esse, & per abstractum intelligatur essentia, tunc inquirendum est, per quodnam esse formale constituatur hoc concretum, atque cum esse, vt quoddam concretum est, inuoluat essentiam, explicandum est, quid suprà essentiam importet hoc concretum, & illa erit ratio formalis existentiæ; quòd si nihil importaret suprà essentiam, esset omnino idem concretum, & abstractum, & solùm secundùm significationem distinguerentur, non autem secundùm rem significatam, & proindè non interueniret distinctio rationis cum fundamento in re, in qua diuersa extrema ex vna, & altera parte haberentur. Præterea quæ distinguuntur vt concretum, & abstractum possunt etiam distingui, vt partes contradistinctæ, & constituentes illud concretum; nam concretum, & abstractum se habent vt continens, & contentum, vndè concretum dicit ipsam rationem abstracti, & aliquid aliud, ratione cuius constituitur concretum, vndè possunt distingui in concreto partes, nimirum materialis, & formalis; si ergo essentia, & existentia distinguerentur vt abstractum, & concretum, possent etiam distingui vt partes vnum quid constituentes, nempè ens existens, & proindè assignanda esset hæc distinctio, & explicandum, quomodo tanquam partes huius concreti distinguerentur.

Lychet. Essentia, & existentia nō distinguuntur, tanquā concretum, & abstractū.

IV. Itaque cum nullo ex prædictis modis distingui possint ratione essentia, & existentia, videndum est, an aliquo alio modo distingui possint cum fundamento in re; & videtur posse ex eo assignari distinctionem rationis cum fundamento, quòd existentia non est de conceptu essentiæ, sed est veluti actus illius, & importat diuersam formalitatem, nimirum rationem illam, per quam res formaliter fit in actu, & existens. Vndè Suarez. citata disp. 31. sect. 6. num. 23. & complures alij, præsertim ex Recētioribus docent, quòd distinguantur ratione essentia actualis, & existentia cum fundamento, quia essentia importat id, per quod res constituitur in tali specie, atque natura, & esse id, quod substernitur existentiæ; existentia vero importat eamdem rem, prout est ratio essendi extrà causas.

Suarez Distinctio actualis inter essētia actualē, & existentiam ex aliorū sententia.

V. Sed mihi hæc opinio probari nō potest, & potius dicendum existimo, quòd inter essentiam actualem, atque existentiam nulla possit interuenire distinctio rationis, quæ sit cum fundamēto in re; ita vt ex vna parte huic distinctioni correspondeat essentia actualis, & ex altera existentia, tanquam extrema ipsius. Et ratio mihi euidens videtur. Quia si distinguamus existentiam ab essentia, & ex vna parte assignemus

Nulla distinctio [illegible] tiā actualē, & existentiam.

exi-

existentiam, ex altera verò essentiam; quæro de essentia, prout est extremum contradistinctum ab existentia, an sit actualis, an verò non. Non potest dici, quòd sit actualis, quia præcisa existentia nihil est actuale, cum tota actualitas per existentiam habeatur; tunc autem quando ex vna parte consideratur essentia, & ex altera existentia, essentia præscinditur ab existentia. Et quæro, quomodo essentia potest esse actualis, nisi actualitas illi communicet suum effectum formalem? aut quomodo potest accipi cum effectu formali actualitatis, nisi etiam simul accipiatur cum actualitate? Si igitur, non est actualis, iam licet existentia distinguatur ratione ab essentia, non distinguetur ab ipsa tanquam ab actuali essentia, sed solùm præcisè vt ab essentia.

Præcisa existentia essentia nō remanet actualis.

VI. Et potest confirmari præsens discursus. Essentia habet tantùm per existentiam formaliter, quod actualis sit, ergo si tollatur existentia, & relinquatur sola essentia, non potest amplius essentia illa esse actualis; sed quando distinguimus existentiam ab essentia, relinquimus essentiam absque existentia, alioquin non fieret distinctio, & separatio; ergo impossibile est, quòd existentia distinguatur ab essentia actuali. Hinc est, quòd quando distinguimus existentiam ab essentia, potest de essentia negari existentia, at de essentia actuali non potest negari existentia; alioquin de eo, quod est in actu, negaretur, quòd esset in actu, & contradictoria de eodem efferrentur. Vndè concluditur, quòd quando per rationem distinguimus existentiam ab essentia, ita vt vnaquæque habeat suam propriam formalitatem diuersam ab alia; tunc non distinguimus existentiam ab essentia actuali, sed ab essentia nudè sumpta, & præscindente ab omni actualitate ex vi ipsius distinctionis. Et quemadmodum quando in homine distinguimus rationalitatem ab animalitate, non eam distinguimus ab animalitate rationali, quia rationalitas ab ipsa separatur ex vi distinctionis, sed à nuda ratione animalitatis, ita etiam quãdo existentiam separamus ab essentia, remanet nuda ratio essentiæ absque omni actualitate. Et tunc dici potest, quòd existentia non sit de quidditate essentiæ, sumendo nudam rationem essentiæ: si enim sumeretur essentia actualis, tunc existentia esset de quidditate illius, sicuti albedo est de essentia parietis albi, vt quoddam concretum est; & ratio clara est, quia concretum, quod dicit aliquem effectum formalem, inuoluit essentialiter etiam causam formalem talis effectus; vndè quia essentia actualis dicit esse in actu, in quo consistit effectus formalis existentiæ, ideo existentia est de conceptu illius.

Solùm de essentia præscindente ab actualitate negatur existentia.

Existētia est de cōceptu essentiæ actualis.

VII. Verùm, quia diximus, essentiam non distingui ratione cum fundamento in re ab essentia actuali, quæret fortasse aliquis, an aliquo alio modo distingui possint. Pro solutione autem huius dubij sciendum est, quòd essentia actualis importat totum esse rei, & insuper etiam dicit, quòd huiusmodi esse sit in actu positum, ex quo fit, quòd possimus diuersas rationes formales in hoc esse, seu essentia actuali distinguere, & præcipuè distinguere possumus totum id, quod pertinet ad essentiam rei, cum quo debet semper concipi, siue concipiatur actu esse, siue non esse actu, & insuper etiam potest concipi ipsa ratio formalis essendi in actu, seu id, quòd dicit ens actuale, vt actuale est, quam quidem rationem formalem concipimus ad modum cuiusdam actus metaphysici afficientis essentiam nudè consideratam, & facientis, quòd res habeat suum esse in seipsa, vt fusè disp. præcedenti explicauimus. Hoc ergo stante, in hoc distinguuntur essentia actualis, & existentia, quòd essentia actualis dicit principaliter rationem quidditatiuam rei, & connotat existentiam; supposito enim quòd diuersa sit ratio formalis essentiæ, & ratio formalis existentiæ, vt iam diximus, fit ex vtraque quoddam concretum, quod est essentia actualis, essentia autem actualis ex modo suo significandi principalius importat ipsam rationem essentiæ, & veluti connotatiuè rationem existentiæ. Existentia verò contrario modo se habet; existentia enim, quamuis videatur significare aliquid abstractum, id tamen tantùm importat quã do præcisè ab essentia concipitur; sed si non præscindatur ab essentia, vt iam diximus, non posse præscindi, dummodo essentiam in esse actuali relinquere velimus, tunc importat idem concretum, quod importat essentia actualis, sed cum hoc discrimine, quòd principalius dicit existentiam, & veluti connotatiuè essentiam; & proindè melius vteremur no-

Quomodo existētia aliquo modo distingui possit ab essentia actuali.

mine

mine concreto, nempè Existens, quàm abstracto, nempè Existentia, quia ab stractum importat propriè existentiam præcisam ab essentia, & ideo non potest comparari ad essentiam actualem. Atque hic habet locum sententia Durandi Achil. Ariminens. & aliorum Nominal. quò ad hoc, quòd essentia, & existentia non differunt secundùm rem significatam; sed nō rectè posteà subdunt, quòd differant tantùm secundùm grammaticalem significationem, quia reuera differunt etiam secundùm modum significandi philosophicum, vt iam patet ex dictis.

Durand. Achil. Arimin. Nominal.

VIII. Quoniam autem diximus, essentiam considerari posse etiam secundùm statum possibilitatis, & posse etiam existentiam comparari ad ipsum, idcircò videndum modò est, quomodo ab ipsa existentia distinguatur. in hoc autem procedemus secundùm nostra principia, supponentes, quòd existentià non distinguatur ab essentia; quo stante, dicendum est, distingui tanquam existens à non existente, ita vt totum discrimen sit penes existere, & non existere. Cum igitur nihil aliud sit existentia, quàm res ipsa, quatenus actualis, & essentia à nobis hic sumatur pro re, quæ solùm est possibilis, & non actu existit, patet, quòd huiusmodi distinctio est eiusdem existentis à seipso possibili. Sed vt enucleatius rem totam explicemus, Recolendum est, quod suprà diximus circa potentiam obiectiuam, cum ageremus de rerum essentijs; quòd nimirum antequam res producantur, non sunt aliquid in seipsis, sed tantùm in causa, in cuius virtute continentur, ita tamen, vt nullum esse habeant contradistinctum à causa, vndè neque realiter aliqua alia potentia, præter effectiuam, præcedit rerum productionem. Quia tamen intellectus potest concipere illud esse, quod est per causam vnicuique rei communicabile, antequam illi communicetur, & consequenter tāquam præscindens ab actualitate, idcirco diximus ibidem, quòd hoc esse tali pacto conceptum, prout habet esse obiectiuum in intellectu, dicitur esse possibile rei, & vocari potest potentia obiectiua. quatenus concipitur tanquam quid potentiale, quod potest reduci ad actum existentiæ. Si ergo existentia seu essentia actualis comparatur ad essētiam possibilem, quatenus essentia possibilis

Quomodo existentia se habeat ad essen. possibilē.

Discrimē inter existētiā actuale & possibilem.

Quomodo admittatur potētia obiectiua.

est quid virtualiter contentum in causa tunc, quia essentia virtualiter contenta in causa, nihil aliud est, quàm ipsummet esse causæ, sequitur, vt distinguantur realiter essentia actualis, & essentia virtualiter contenta in causa, quia semper effectus distinguitur realiter à causa, & præsertim effectus creatus respectu Dei, qui ratione suæ omnipotentiæ continet effectus omnes virtualiter, & effectus, proue virtualiter continetur in ipsa omnipotentia, nihil aliud est, quàm virtus operatiua Dei. Si autem essentia actualis comparetur ad essentiam possibilem, prout habet esse obiectiuum in intellectu, & ad modum potetiæ obiectiuæ concipitur; tunc in rigore loquendo non potest dici, quòd ab ipsa distinguatur, quia nihil distinguitur à seipso, sed essentia possibilis, & existentia, seu essentia actualis se habent vt vnum, & idem secundùm diuersos status consideratum, vndè totum discrimen est penes statum essendi; quòd essentia scilicet actualis verè est à parte rei, essentia vero possibilis non est à parte rei, sed solùm in esse obiectiuo; intellectus enim tunc concipit illud idem esse, quod res habebit, quandò ponetur in actu. Imò in rigore loquendo neque potest dici, quòd essentia actualis aliquid addat supra possibilem, quia scilicet nihil dicit essentia actualis, quod non dicat possibilis, quoniam ipsamet ratio existentiæ, per quam formaliter fit actualis, reperitur etiam in essentia possibili, cum nihil aliud sit, quàm ille ordo, quem dicit essentia possibilis ad existendum; & solùm discrimen consistit, quòd essentia actualis dicit in actu id, quod essentia possibilis dicit adhuc contineri in virtute causarum; vndè nihil essentia actualis addit possibili, sed id, quod erat in potentia, dicit in actu positum. Ex quo fit, quòd essentia possibilis, vt concipitur per modum potentiæ obiectiuæ, non possit rectè concipi tanquam potentia subiectiua, & receptiua actus existentiæ, sed debet concipi, vt quid, quod possit de potentia transire ad actum. Quando autem existentiam concipimus, tanquam actum metaphysicum aduenientē essentiæ, tunc debet concipi pura essentia, prout dicit prædicata quidditatina, coarctatam tamen per indiuiduationem, sed debet præscindere ab illo ordine, quem habet ad existendum; & econtra

Quomodo essentia actualis distinguatur ab essentia possibili, vt virtuali in causa.

Essentia actualis non distinguitur à possibili propriè, neque aliquid supra ipsā addit.

Potentia obiectiua nō est potentia receptiua.

exi-

existentia debet concipi cum suo proprio esse quidditatiuo, & consequenter concipi etiam aliquid de esse possibili, quod dicit vnaquæque res, quæ possibilis est, quia scilicet debet concipi gradus existentiæ, qui quidem actualiter reperitur in re, quando existit, & vt quid possibile in re, quæ adhuc est intrà statum possibilitatis; vndè hæc distinctio, per quam concipimus existentiam, tanquam actum superuenientem essentiæ, potest formari etiam in rebus possibilibus, distinguendo essentiam possibilem à cæteris prædicatis, quæ eidem rei conueniunt.

Satisfit argumentis in oppositum.

SECTIO VII.

Ad primũ Quomodo creatura non sit suum esse.

I. SVperest, vt pro completa declaratione nostræ opinionis argumentis in oppositum satisfaciamus Prima autem ratio, quam pro prima sententia adduximus, duplicem difficultatem continet, quoniam si ponatur existentia identificata cum essentia, videtur primò sequi, quòd creatura sit suum esse: deindè quòd accedat ad simplicitatem diuinam. Et quod spectat ad primum caput difficultatis, iam patet ex suprà dictis, quomodo creatura non sit suum esse, quamuis existentia identificetur cum essentia. Quia esse suum esse, non dicit, quòd existentia sit idem cum essentia; sed cum Patres de Deo dicunt, quòd sit suum esse, intelligunt, quòd habeat esse à se, & non ab aliqua causa communicatum, & quòd ex vi suæ essentiæ existat, ita vt existentia sit de conceptu essentiæ: hoc autem non conuenit creaturæ, quamuis existentia identificetur cum essentia, quia adhuc existentia est extrà conceptũ quidditatiuum essentiæ, atque semper creatura habet esse communicatum ab aliqua causa, & ideircò non est suum esse. Quòd si hæc ratio conuinceret, adhuc vrgeret, etiam si existentia distingueretur realiter ab essentia, quia cum existentia esset aliqua entitas, quæ seipsa esset actualis, & non per aliquid superadditum, iam posset de ipsa dici, quòd esset suum esse.

Retorquetur argumentum.

II. Quod verò spectat ad alteram partem difficultatis, quæ infert, quòd creatura accederet ad simplicitatem diuinam: potest imprimis retorqueri argumentum; ideo creatura accederet ad simplicitatem diuinam, si existentia ab ipsa non distingueretur realiter, quia esset vnica entitas simplex, in qua nulla interueniret compositio, sed etiam posita distinctione reali existentiæ ab essentia, adhuc darentur entitates simplices, in quibus nulla interueniret compositio, nam essentia vt contradistincta ab existentia esset entitas simplex sine vlla cõpositione; existentia quoque esset sine vlla compositione, vndè hoc argumentum æquè vrgere potest sententiam ipsorum; imò necessariò concedenda est aliqua entitas, quæ immunis sit ab omni compositione reali, aliòquin procederetur in infinitum, vt per se euidens est. Neque valet, si dicatur argumentum procedere de creatura completa, quia parum interest, quòd sit completa creatura, dummodo sit entitas excludens omnem compositionem; quia si excludere omnem compositionem facit accedere ad simplicitatem diuinam, in quocumque reperiatur, siue sit creatura completa, siue non, id ipsum præstabit.

Quomodo creatura non accedat ad diuinam simplicitatem.

Dicimus ergo, quòd creatura omnis admittit saltem compositionem rationis ex genere, & differentia, quæ non potest in Deo interuenire propter summam eius perfectionem, atque simplicitatem; rursus in creaturis existentia solùm identificatur cum essentia, & tamen, diuersa formaliter & extrà conceptum illius, at in Deo est idem formaliter cum ipsius essentia, vndè etiam ex hoc capite interuenit maior simplicitas; prætereà iuxtà multorum opinionem in omni creatura substantiali interuenit realis compositio ex natura, & subsistentia, ex qua consurgit suppositum, quæ nequaquam est in Deo. Denique multæ perfectiones in creaturis sunt accidentales, quæ in Deo sunt essentiales, & substantiales, quod sanè arguit maiorẽ simplicitatem, quãdo essentia identificat sibi ea, quæ in creaturis accidẽtia sunt. Sed insuper addo, quòd Deus comparatus creaturis, neque potest dici magis, aut minus simplex, neque rectè comparari potest propter infinitam distantiam, neque enim est vlla proportio finiti ad infinitum; comparatio autem debet esse inter ea, quæ sunt eiusdem ordinis; neque congruè dicitur, quòd Deus sit simplex, nisi quatenus ea, quæ sunt in Deo, accommodamus nostræ intelligentiæ, sed melius dicitur,

Inter Deũ & creaturam non potest fieri comparatio.

quòd sit supra omnem simplicitatem.

Ad secundum.

III. Ad secundam rationem dicendum est. Quòd creatura potest considerari secundùm duplicem statum, vt toties diximus, scilicet possibilitatis, & actualitatis, & cum existentia sit identificata cum essentia, consequenter ipsa quoque secundùm eundem duplicem statum considerari potest: vndè datur existentia actualis, atque existentia possibilis. Secundùm autem vtrumque statum possibilitatis, atque actualitatis existentia, vt est quidam gradus essendi, per se, & necessariò conuenit creaturæ, seruata tamen proportione, ita vt creaturæ possibili tribuatur existentia possibilis, quam sibi identificet, & creaturæ actuali tribuatur existẽtia actualis, quam similiter sibi identificet, & hæc necessaria connexio fundatur in identitate essentiæ, & existentiæ. Neque hinc sequitur, quòd creatura existat necessariò; quia contingentia, quam dicit creatura in essendo, non fundatur in connexione existentiæ, cum essentia, sed in eo, quòd habet esse communicatum à causa; in hoc autem esse communicato inuoluitur tum esse essentiæ, tum existentiæ, & sicuti totum esse communicatur creaturæ contingenter, ita etiam actualis existentia; & hoc pacto contingenter existit existentia sibi identificata.

Existẽtia necessariò connexa cũ essentia, & quomodo

Quomodo creatura contingẽter existat.

Ad tertiũ

IV. Ad tertiam rationem concedendum est, quòd actus receptus distinguatur realiter ab eo, in quo recipitur, sed negandum, quòd existentia recipiatur in essentia, & cum instatur, quòd non esset, à quo limitaretur, nisi reciperetur in essentia; respondetur, quòd cum non habeat esse diuersum ab esse essentiæ; habet eamdem limitationem, quam habet essentia; vndè à quo limitatur essentia, limitatur quoque existentia. Quæro ergo ab eis, vndè limitetur essentia, cum enim proprium esse habeat contradistinctum ab esse existentiali, atque illud esse essentiale, in quo existentia per ipsos recipitur, non sit infinitum, debet esse aliquid limitatum, non potest dici, quòd limitet per receptionem, quia in nullo recipitur; si dicant limitari per differentias, nos quoque dicemus, existentiam limitari per differentiam, quandoquidem in sua propria quidditate inuoluit differentiam, per quam ab omni alio contradistinguitur; sed cum existentia nihil aliud sit, quàm essentia, vt est in actu, non indiget aliqua alia limitatione, quàm limitatione essentiæ. Dicimus autem, quòd res omnis creata formaliter loquendo seipsa limitatur ex eo, quòd est aliquid participatum, effectiuè autem limitatur à Deo, qui est prima causa communicans esse cuicunque creaturæ. Confirmatio autem, quam addit Albertin. procedit ex falso supposito; supponit enim, quòd quando res corrumpitur, remaneat essentia, & quòd antequam res producatur, sit aliquid essentia in seipsa, & quòd proindè existentia debeat esse aliquid realiter distinctum, & receptum in essentia: cuius nos oppositum supra suo loco docuimus; vbi ostendimus, quòd rerum essentiæ, antequam producantur, in seipsis non sunt aliquid, sed ipsæ quoque recipiunt suum esse ex vi productionis. Vndè ab ipso libenter inquirerem, an istæ essentiæ, separata existentia, sint aliquid actuale, an vero tantùm aliquid possibile, & potentiale. Si dicit esse aliquid actuale, iam sunt in rerum natura, atque adeò existerent, quia existere nihil aliud est, quàm esse in actu, atque actu participare in seipso illud esse, quod virtualiter continetur in causa, si vero sunt aliquid potentiale, & merè possibile, iam non sequitur, quòd existentia distinguatur realiter ab essentia actuali, sed ad summum, quòd distinguatur ab essentia possibili.

Vnde nõ limitetur existentia

Ad cõfir.

Existẽtia nõ est aliquid receptum in essentia.

Ad quartam.

V. Hinc etiam patet ad quartam rationem, cum similiter procedat ex eodem falso præsupposito, quòd essentiæ sint aliquid in seipsis ante productionem, totum enim esse, quod est in vnaquaque re, incipit esse per productionem, quæ, vt diximus, terminatur ad essentiam ipsam rei, quatenus illi tribuit, quòd sit aliquid in seipsa; vndè sicuti existentia est temporalis, ita quoque essentia, prout est aliquid in seipsa, & proindè non licet colligere illam separabilitatem, quæ in illo argumento contenditur; oporteret enim, quòd ablata existentia remaneret essentia, tanquam aliquid in seipsa. Atque etiam ex his soluta manet confirmatio eiusdem rationis, nam negandum est, quòd essentia non conueniat rebus dependenter à causa efficientes, prout actu illam participant, quia reuera illam habent communicatam à causa, & consequenter falsum est, quòd essentia, prout actu est communicata

Existẽtia non separatur ab essentia.

Essentia prout aliquid in seipsa, est quid contingens, & factum

vni-

vnicuique, non sit quid contingens. Altera autem confirmatio eiusdem rationis peteret solutionem illius difficultatis Theologicæ, an Verbum assumpserit naturam humanam cum propria existentia, in qua valdè altercantur Theologi; quidam enim negant assumpsisse cum propria existentia; quidam vero affirmant. Et quidam ita dicendum est, quia assumpsit naturam humanam, quæ fuit terminus productionis realis, & inuoluentem animam, quæ fuit terminus creationis, cum autem creatio terminetur ad existentiam rei, oportet, quòd humanitas Christi fuerit existens, quando assumpta fuit. Et hoc sufficit pro solutione præsentis difficultatis, neque enim plura addere possumus, nisi ingrediamur materias theologicas: solùm aduertimus, quòd ideo aliqui negant Verbum assumpsisse humanitatem cum propria existentia, quia confundunt existentiam cum subsistentia, sine qua, certum est, humanitatem assumptam fuisse.

An Verbum diuinum assumpserit humanitatem cum propria existentia.

VI. Ad quintam quoque rationem negandum, existentiam in aliquibus reperiri realiter distinctam ab essentia; ad primam instantiam de existentia accidentium negatur, quòd ipsorum existentia sit inhærentia, prius enim est, quòd existant, quàm quòd inhæreant, & inhærentia supponit eorumdem existentiam; atque exemplum de eucharistia confirmat hoc ipsum, quod nos dicimus: nam in hoc sacramento accidentia verè existunt, & tamen non inhærent subiecto. Ad alteram vero instantiam de substantijs materialibus compositis dico, quòd vnaquæque pars componens habet suam propriam existentiam sibi ipsi identificatam, non autem existunt omnes vnica existentia simplici: neque hoc obstat earumdem vnioni, & quominus efficiant vnum per se: imò vt constituant vnum per se in actu, oportet, quòd sint partes essentiales in actu positæ, & existentes propria existentia, quia concurrunt tanquam causæ: de ratione autem causæ est, quòd saltem prius natura existat, quàm effectus. Et cum dicitur, quòd ex duobus entibus in actu non potest fieri vnum per se, id debet intelligi non de actu existentiæ, sed de actu essentiæ completo, neque enim entia illa, quæ dicunt completas, & integras naturas vniri possunt ad constituendam vnam tertiam naturam, sed solùm quando se habent vt actus, & potentia, & proinde, quod se habet vt potentia, non est completè in actu.

Ad quintam.

Aliud existentia, aliud inhærentia accidentis

Partes componentes substantiam materialem habent vnaquæque propriã existentiam.

VII. Quod spectat ad sextam rationem, eius solutio petenda est ex ijs, quæ supra diximus, quòd scilicet licet dicatur essentia esse in potentia obiectiua, non tamen hæc potentia obiectiua est potentia receptiua, sed est id, quod de esse potentiali transire potest ad esse actuale, non quidem aliquid recipiendo in seipso, sed egrediendo de virtute causæ. Vt autem existentia distingueretur ab essentia, oporteret, quòd essentia tanquam aliquid actuale susciperet in seipsa existentiam, & tunc verè diceretur esse in potentia ad existentiam, tanquam ad aliquid a seipsa distinctum; res tamen aliter se habet, vt iam patet ex dictis. Hinc etiam negandum est, quòd essentia modo sit sub existentia, modo sub negatione illius, quia, vt diximus modo, non est potentia receptiua existentiæ; solùm ergo essentia ipsa modo existit, modo non existit, loquendo de actuali exercitio existentiæ, semper enim est cum existentia, quando actualis est, cum existentia actuali, quia ipsa est suamet existentia; quando vero est possibilis, cum existentia possibili; vndè quando fit mutatio secundùm existentiam, fit etiam secundùm essentiam eadem mutatio, quatenus modo est potentialis, modo actualis.

Ad sextã.

Essentia non est in potentia receptiua existẽtiæ.

Essentia non est modò sub existẽtia, modò sub negatione illius.

VIII. Denique ad septimam, & vltimam rationem dicendum est, quòd hoc existens, & hoc intelligens non sunt proprie idem subiecto, prout esse idem subiecto ibidem sumitur; nimirum pro recipi in eodem subiecto: atque tali pacto accipiendo Esse idem subiecto, argumentum tacitè petit principium, nec assumit aliquod medium distinctum à conclusione; idem enim est, ac si diceretur intellectio, & existentia recipiuntur in eodem subiecto, in qua propositione assumitur, quod est probandum, nimirum quòd existentia, tanquam quid distinctum recipi debeat in subiecto. Solùm ergo in hoc sensu certum esse potest, vt illud, quod est existens hoc, sit etiam hoc intelligens existens quidem per existentiam sibi identificatam, intelligens autem per intellectionem accidentalem. Ad confirmationem dico; vnam ex conditionibus necessariò requisitis, adhoc, vt accidentia recipi possint in eodem subiecto, esse existentiam, vndè accidentia recipiun-

Ad septimam.

Existentia esse necessariam, vt subiectũ recipiat accidentia

tur in existentia, non quidem quia ratio formalis existentiæ sit ratio potentiæ, secundùm quam formaliter subiectum recipere possit accidentia, quia talis potentia pertinet ad esse essentiale subiecti; sed quia est ratio constituens subiectum in statu proximo, vt possit ea recipere. Neque obstat, quòd sit vltimus actus, quia existentia licet vltimus actus, non tollit ea, quæ sunt essentiæ, vndè quod ex vi sui esse est in potentia ad aliquid, remanet etiam, quando existit in eadem potentia, imo existentia facit, quòd illa potentia sit in esse actuali, & proximè apta ad recipiendum proprium actum.

Ad fundamentū secundæ sententiæ.

IX. Atque ex his, quæ diximus hucusque corruit etiam fundamentum secundæ sententiæ, ex responsione enim ad præcedentes rationes, patet, quomodo nullam conuincant distinctionem, quæ sit à parte rei inter essentiam, & existentiam. Quòd enim existentia sit extrà essentiam; id est tantùm per nostrum intellectum concipientem existentiam, tanquam rationem formalem essendi in actu efficientem ipsam essentiam, quæ quidem distinctio potest etiam fingi inter essentiam possibilem, & existentiam possibilem, vt diximus sect. præcedenti. Exercitium autem existentiæ prædicatur cōtingenter de rebus creatis, quia contingens est, quòd habeant actu in seipsis suam essentiam, per quam existant. Et quòd creatura non sit suum esse, indè prouenit, vt iam diximus quia habet causam efficientem, à qua accipit suum esse: vndè ex his nulla distinctio in re colligi potest.

Satis fit alteri obiectioni.

X. Rursus etiam colligitur ex dictis, non rectè eos procedere, qui dicunt, ideo existentiam debere distingui ab essentia à parte rei, quia essentia est permanens, & indiuisibilis, Existentia vero successiua, quia inquiunt, Petrum existere heri, non est existere hodie, sed existere hodiernum separari potest ab existere hesterno. Non enim hinc colligitur successio in existentia, quia sicuti Petrus eadem conseruatione, qua conseruabatur heri, conseruatur etiam hodie; ita etiam eadem existentia existit; existentia enim est terminus conseruationis; & solùm posset inferri ad summum aliqua successio in duratione, quæ tamen, neque indè efficaciter colligitur, quia potest dici, quòd Petrum durasse heri non est durasse hodie ratione coexistentiæ ad tempus diuisibile, quæ solùm diuisibilis est rōne termini cui coexistit, nempe ratione temporis, non autem in seipsa intrinsecè. Neque etiam ex hac nostra opinione sequitur, quòd vnum contradictorium mutetur in aliud, vt contendit Soncin. quæst. 12. lib. 4. metaph. quia, quamuis quod non est in seipso existens, fiat secundùm seipsum existens, non hoc tamen non fit commutatio vnius contradictorij in aliud, quasi ipsum non esse existens, fiat existens, sed quod erat in virtute causæ, exit ab ipsa, & fit in actu, & ex hac mutatione sequitur, quòd alterum contradictoriorum verificetur; potest enim idem fundare contradictionem secundùm diuersum statum, quem habet, & sic essentia, dum est in causis, fundat hoc contradictorium, quòd non sit existens; dum verò sit extrà causas, fundat alterum, nimirum quòd existens sit.

Eadem est existētia Petri heri, & hodie.

Soncin.

Quomodo ex eo, quòd nō existens fiat existens, vnū contradictorium non mutetur in aliud.

XI. Præterea ex dictis etiam colligitur, quænam sit prima radix existentiæ, seu vndè primò res habeat, quòd possit existere; cum enim existentia in nullo alio consistat, quàm in eo, quòd esse rei sit in actu, sequitur, quòd indè primò res habeat, quòd possit existere; vndè etiam primò habet, quòd possit esse in actu. Prima autem radix, ex qua res habet, quòd possit esse in actu, est ratio entis, si quidem cum ipsa formaliter conferat esse reale vt sic, confert etiam, quòd possit res participare in seipsa talem realitatem, & esse in seipsa aliquid actu, & sicuti ratio entis est prima radix, in qua fundantur omnes aliæ formalitates, quæ alicui rei conueniunt, ita etiam est prima radix, in qua fundatur existentia, quia si res non esset ens, & quid reale, non posset vllo modo existere; & quemadmodum prima ratio possibilitatis fundatur in ente, & per alios gradus essentiæ superuenientes completur tota ratio possibilitatis: ita similiter prima radix existentiæ incipit in ratione entis, & completur per alios gradus essentiæ, ex eo enim, quòd res est quædam essentia completa possibilis, habet, quòd possit existere. Et quia quando res aliqua fit existens, secundùm totum suum esse fit in actu, vndè etiam fiunt actuales omnes gradus illi essentiæ, quibus coalescit; hinc fit, quòd etiam ratio entis sit prima ratio, secundùm quam vnaquæque res existit; hi enim gradus, quibus essentiæ coalescunt, seruant inter se ordinem

Prima radix existentiæ.

pri-

prioris, & posterioris, prout vnus est magis vniuersalis, quàm alter; quo ordine stante, sicuti vnus est fundamentum alterius; & ratio entis est fundamentum omnium; quare ratio entis possibilis est prima ratio possibilitatis, quia tota possibilitas in ipsa fundatur, & in ratione entis actualis fundatur tota existẽtia rei: vnde ipsa tanquam fundamentum actualis existentiæ est prima ratio, secundùm quam res existunt saltem secundùm nostrum modum concipiendi. Et hinc etiam concludendum est, quòd existentia superfundatur immediatè cuicunque formalitati, qua coalescit res illa, quæ existit, ita vt veluti per omnes transcendat, & sicuti in qualibet formalitate imbibitur ratio entis, ita etiam in qualibet imbibatur actualitas, & existentia, cum enim actualitas correspondeat enti, quicquid imbibit rationem entis, debet etiam imbibere suam propriam actualitatem.

De existentia comparata ad essentiam.

Disp. LXXXIII.

Essentiam, & existentiam non efficere compositionem realem.

SECTIO I.

1. Hanc disputationem, veluti ex præcedenti corollariam instituimus, vt in ea aliquas difficultates dissoluamus, quarum resolutio sequitur ex ijs, quæ in præcedenti diximus. Prima autem difficultas est, an inter essentiam, & existentiam intercedat compositio aliqua. Illi enim, qui distinguunt existentiam ab essentia a parte rei, consequenter ponunt realem compositionem à parte rei inter essentiam, & existentiam: quam opinionem inter alios præcipuè tradit Caiet. de Ente, & essent. cap. 5. quæst. 11, ad 10. & Sequitur Albertin. tom. 2. Principio 1. Philosoph. disp. 2. quæst. 2. Atque Caiet. ibid. post quæst. 9. explicat huiusmodi compositionem dicens, diuersam esse à compositione, quæ est inter materiam, & formam, & enumerat decem differentias, quarum Prima est, quòd in compositione ex materia, & forma extrema componentia sunt substantiæ: in compositione vero ex esse, & essentia sola essentia est substantia, esse vero, seu existentia est extra substantiam. Secunda. In compositione ex materia, & forma, materia se habet vt purum ens potentiale; in compositione vero ex esse, & essentia, essentia non se habet vt purum ens potentiale; sed est in aliqua specie completum. Tertia. Materia non est id, quod est, nec quod fit. Essentia vero est id, quod est, & fit, quia productio terminatur ad compositum. Quarta. Forma non est vltima actualitas, sed causat vlteriorem actum complendo essentiam, vt possit recipere existentiam. Existentia vero est vltima actualitas. Quinta. Forma ita est actus, vt sit etiam potentia respectu existentiæ: existentia vero est solùm actus. Sexta. Forma est de conceptu rei, quę definitur: non autem existentia. Septima. Ex forma, & materia fit vnum per se, non autem ex esse, & essentia, sed neque vnum per accidens. Ratio est, quia vnum per se fit tantùm ex ijs, quæ sunt partes substantiæ; essentia vero est substantia completa, antequam subijciatur existentiæ. Octaua. Ex materia, & forma fit vnum tertium, quia sunt partes eiusdem naturæ: ex esse autem, & essentia non fit vnum tertium: vndè non vult hanc compositionem esse *Ex his*, sed solùm *Cum his*. Nona. Quòd compositio ex materia, & forma est minus vniuersalis, quàm ex esse, & essentia, siquidem hæc in omnibus substantijs reperitur, illa vero in corporeis tantùm. Denique vltima differentia constituitur ab eodem Caiet. penes passiones, ait enim, quòd compositionem ex materia, & forma consequitur tanquam passio, generatio, & corruptio. Compositionem vero ex esse, & essentia non consequitur generatio, &

& corruptio, sed recipere, & recipi.

II. Cœterum hæc sententia falsa est, vt iam ex dictis constat, quia solùm in eo fundatur, quòd essentia, & existentia distinguantur realiter. Compositio enim consequitur distinctionem, & quanta est distinctio, tanta solùm, & non maior potest esse compositio; vndè ablata distinctione reali inter essentiam, & existentiam, aufertur consecutiuè etiam realis compositio; nec aliquid de nouo est inculcandum contrà hanc sententiam, quia sufficiunt, quæ diximus disp. præcedenti contrà distinctionem realem inter essentiam, & existentiam. Solùm nonnulla adnotanda sunt circà illas differentias, quas assignauit Caiet, inter compositionem ex materia, & forma; atque ex Esse, & essentia: quamuis enim omnes falsæ sint, ex eo, quòd fundamento falso innituntur, scilicet distinctioni reali; specialiter tamen etiam admissa reali distinctione, quædam ex ijs subsistere non possunt. Et quidèm non rectè in primo discrimine dicit, quòd existentia sit extrà substantiam, loquendo tamen de existentia substantiæ, quomodo enim esset aliquid eiusdem prædicamenti, si non esset substantia? aut quomodo actuaret potentialitatem essentiæ substantialis, si item non esset substantia? Deindè ens, & substantia immediatè diuidunt totam latitudinem entis, ita vt quicquid collocatur sub ente, debeat collocari medijs his duobus membris; ergo cum existentia sit ens, debet esse, aut substantia, aut accidens. Deindè neque percipio, quomodo in tertio discrimine dicat, quòd essentia fiat, cum tamen intrinsecè non existat; si enim fit, debet secundùm proprium esse intrinsecum esse terminus productionis, quòd si est terminus productionis, quomodo secundùm proprium suum esse non erit quid actuale, & existens? Similiter in quarta differentia ait, quòd forma complet essentiam, vt possit causare vlteriorem actum, nempè existentiam; at quomodo potest causare existentiam sine existentia, cum vna ex conditionibus necessarijs ad causandum sit existentia?

Reijcitur eadē opinio.

Falsitas primi discriminis assignati à Caiet.

Tertij.

Quarti.

III. Septimum quoque discrimen falsum est, & solet reijci etiam ab ijs, qui ponunt distinctionem realem inter essentiam, & existentiam. Quòd videlicet ex essentia, & existentia non fiat vnum per se; neque enim valet ratio adducta à Caietano, quòd scilicet non fiat vnum per se, quia non se habent tanquam partes substantiæ, sed essentia est substantia completa, quia licet non possint efficere vnum per se essentiale, ex eo, quòd non sunt partes essentiæ, non hinc tamen negandum est, quòd non efficiant vnum per se existentiale; se habent enim vt actus, & potentia eiusdem ordinis, ex quo procedit, quòd fiat vnum per se, neque enim alia ratione ex materia, & forma fit vnum per se, nisi quia sunt actus, & potentia eiusdem ordinis. præterea essentia, & existentia tanquam potentia, & actus ordinantur ad complendum vnū integrum ens, cum existentia sit aliquid de re, quæ existit, quomodo ergo non constituent vnum per se. Sed magis mirabile est, quod subdit Caiet. neque scilicet efficere vnum per accidens, sed vnū, quod neque est per se, neque per accidens; at quænam vnitas media datur inter vnitatem per se, & vnitatem per accidens? certè sunt vnitates immediatè oppositæ, & quemadmodum ens per se, & ens per accidens adæquant considerationem omnem cuiuscumque entis, ita etiam vnum per se, & per accidens; præsertim quia fundantur in contradictione, nam, quod est vnum per coalescentiam plurium entium, vel dicit aggregationem diuersorum entium, quæ non sint eiusdem ordinis, vel non dicit talem aggregationem. Si primum dicatur, erit vnum per accidens; si vero dicatur secundùm, certè erit vnum per se, quia tollitur aggregatio; per quam solam aufertur vnitas per se.

Existentia, & essentia si distinguerentur, efficerent vnū per se.

Vnū per se, & per accidens adæquat oēm vnitatem.

IV. Atque etiam octauum discrimen reijciendum est, quòd scilicet non fieret vnum tertium ex essentia, & existentia, si realiter distinguerentur; vt enim quando plura vniuntur non fiat vnum tertiū, oportet, quòd partes, quæ vniuntur, sint eiusdem rationis; quòd si inter se diuersæ sunt, & se habent tanquam actus, & potentia, necessariò ex earumdem vnione consurget vnum tertium, quia scilicet actus communicat cum potentia, & se illi exhibet ad constituendum aliquod vnum, quod in se includat ambas partes, actum scilicet, & potentiam. Hoc autem vnum certè diuersum est ab vnaquaque parte, & etiam ab omnibus simul sumptis, præcisa tamen vnione, quia dicit aliquid per modum vnius, quod non dicunt partes. Si ergo est quid diuersum

Ex essentia & existentia fieret vnum tertiū, si distinguerentur.

à partibus componentibus, quomodo non erit aliquid tertium? Sic non alia ratione ex materia, & forma fit vnum tertium, nisi quia tanquam partes inter se diuersæ vniuntur tanquam actus,& potentia. Et potest hic discursus confirmari, quoniam effectus, qui consurgit ex diuersis causis intrinsecis,est quid diuersum ab illis, vt inductione constare potest, sic compositum ex materia, & forma est quid diuersum; mixtum ex elemētis; syllaba ex litteris, atque alijs huiusmodi exemplis patere potest. Et ratio est, quia quando ad aliquem effectum concurrunt plures causæ intrinsecæ,vnaquæque communicat suum esse tali effectui, ita vt ex omnibus coalescat vnicum esse, cui vnaquæque causa exhibeat suum vt veniat in communionem; quis autem non videt, quòd ex his causis non potest consurgere aliud, quàm vna tertia res. hoc autem contingeret in essentia,& existentia, quia vnirentur tanquam causæ intrinsecæ ad constituendum vnicum ens existens, & vnio fieret in ratione actus, & potentiæ.

V. Denique neque vltima differentia rectè assignatur, quandoquidem eadem ratio militat in compositione ex materia, & forma, atque compositione ex esse, & essentia; nam ideo ad compositionem ex materia, & forma consequitur generatio, & corruptio, quia materia se habet tāquam subiectum formæ, & est quid separabile ab ipsa, vt pote quia est realiter distincta, at etiam essentia realiter distinguitur ab existentia, & in seipsa illam recipit; cur ergo ad talem compositionem non sequetur generatio, & corruptio? Maneat ergo, has differentias non rectè fuisse assignatas à Caiet. nec mirum, quòd posuerit differentias in seipsis impossibiles, quoniam eas fundauit in reali distinctione inter essentiam, & existentiam, vndè facile erat posito vno absurdo, in alia incidere. *Vltimum discrimē falsum.*

Explicatur, an interueniat compositio rationis.

SECTIO II.

Suarez. I. SVarez. in metaphysica disp. 31. sect. 13. num. 8. docet, quòd inter essentiam, & existentiam interueniat compositio rationis tantùm, cum fundamento tamen in re, quam vocat compositionem analogicam, quia non est realis, sed cum similitudine ad realem concipitur. Quòd si quis objiciat, neque posse interuenire compositionem rationis, quia non possunt concipi existentia, & essentia tanquam duo extrema actualia, quod necessarium esset ad saluandam compositionem, alioquin si compositio non haberet extrema realia, non esset compositio cum fundamento in re, quia nedum in re essent duo extrema realia, sed neque possent concipi, Respondet, quòd in compositione rationis non est necesse, quòd interueniant extrema actualia, sed sufficit, quòd extrema sint rationes aliquæ aliquo modo aptæ ad existendum, quemadmodum contingit, quando componuntur natura specifica, & differentia indiuidualis. Vndè concludit, quòd hæc compositio sit talis, vt in ipsa vnum extremum sit ratio quędam realis, alterum verò sit existentia actualis. Addit etiam aliam responsionem, quòd scilicet hæc compositio non est ex extremis, quæ se mutuò excludant, sed solùm in qua vnum potest ab alio præscindi. *Quo pacto ipsi sit, et ratio compositionis inter essen-tiā, & existentiam.*

II. Sed hæc doctrina mihi nequaquā probari potest, præsertim quod spectat ad priorem responsionem. Quamuis enim verum sit, quòd in compositione rationis non requirantur extrema actualia, quia tunc non esset compositio rationis, & metaphysica tantùm, sed realis à parte rei, quandoquidem quæ distinguuntur vt extrema actualia, distinguuntur à parte rei, tamen oportet, quòd vnaquæque compositio habeat extrema componentia proportionata, vndè compositio metaphysica debet habere vera extrema metaphysica. Quod non saluatur in opinione Suarez; nam in hac compositione ponit extrema, quæ inter se non congruunt, siquidem vult essentiam se habere vt quidditatem quamdam præscindentem ab actualitate, existentiam verò se habere vt actuale exercitium essendi, vndè componit id, quod est intrà statum possibilitatis cum eo, quod est à parte rei; quod minimè fieri potest: compositio enim metaphysica requirit ambo extrema metaphysica, quæ præscindant ambo ab exercitio existentiæ, sicuti compositio physica, quæ est à parte rei, requirit extrema actualia, quæ sint à parte rei. Rursus compositio metaphysica requirit extrema metaphysica diuersa *Reijcitur explicatio Suar.*

quo-

Quid re-quiratur ad com-positione metaphy-sicam.

quorum vnum importet esse diuersum ab alio formaliter, vt contingit, quando componuntur genus, & differentia; at si extrema huius compositionis non sunt idem esse; sed diuersum, & vnum non est existens, alterum verò est existens, seu actualis existentia, sequitur, quòd iam distinguantur realiter, ea enim distinguuntur realiter, quæ important esse diuersum, & vnum est existens, alterum verò non est existens, quia tunc interuenit realis separatio secundùm esse, quæ indicat distinctionem realem. Rursus etiam in compositione metaphysica, quæ seruat veram rationem compositionis metaphysicæ, debet vnum extremum addere aliquid metaphysicum suprà alterum, sicuti in compositione physica debet vnum addere suprà aliud aliquid physicum. Exercitium autem existentiæ non addit aliquid suprà essentiam possibilem, vt iam diximus, sed est ipsamet essentia posita extrà causas, vt fatetur etiam ipsemet Suarez citata disp. 31. sect. 3. num. 5. & sequentibus, vndè totum discrimen in eo consistit, quòd sit, vel non sit extrà causas, non verò, quòd ex vna parte possit poni existentia, & ex altera essentia possibilis, tanquam duo extrema contradistincta. Vndè nisi alio pacto explicetur compositio rationis, hoc certè saluari non potest.

Auersæ opinio nullã interuenire compositionẽ rationis inter essentiam, & existentiam.

III. Auersa autẽ in sua Philosophia quæst. 8. sect. 10. docet, quòd essentia, & existentia non solùm non faciunt realem compositionem, sed neque etiam rationis, licet possint comparari secundùm rationem ad modum potentiæ, & actus. Quia, inquit ipse, cogitamus quamdam potentiam, & aptitudinem rationis, per quam essentiam ad existentiam ordinamus, sicuti in natura vniuersali concipimus quamdam aptitudinem ad singularia; non sufficit autem hæc distinctio ad compositionem rationis, quia non est duarum rationum ex parte obiecti, quæ concipiantur inter se coniungi; & vnum quid constituere; sed solùm est distinctio in modo concipiendi, dum eadem entitas, vel simpliciter concipitur, vel affirmatur actu esse. Docuerat enim sect. 8. eiusdem quæst. quòd Essentia, & existentia differunt solùm secundùm modum concipiendi: dum enim eadem res modò absolutè concipitur abstrahendo ab actualitate, & tunc concipitur vt essentia, & modò concipitur cum exercitio essendi, & concipitur vt existentia; & hinc fit, quòd quando se habet vt essentia, obijciatur tantùm primæ apprehensioni, quando verò se habet vt existentia, obijciatur etiam secundæ operationi formanti propositionem de secũdo adiacente.

IV. Sed neque hæc doctrina prorsus satisfacit; nam quamuis verum sit, quòd comparando cum essentia possibili exercitium existendi, non possit interuenire compositio, neque etiam rationis, quia exercitium existendi, vt iam diximus, non dicit aliquid superadditum essentiæ possibili, sed quod erat in virtute causarum, dicit positum in actu, in quo non fit aliqua superadditio, quæ necessaria est ad compositionem. Comparando tamen existentiam ad essentiam, & præscindendo in vtraque ab actuali exercitio existendi, ita vt tantùm rationes quidditatiuæ earumdem considerentur, existimo, quòd interueniat aliqua compositio rationis. Quod potest tali pacto declarari. Essentia habet suam quidditatem propriam essentialem, quæ quantum est de se, potest esse à parte rei mediante existentia; rursus etiam existentia habet suam peculiarem quidditatem, quæ nimirum in eo consistit, quòd sit ratio quædam formalis, quæ faciat rem in actu; atque ex his duabus quidditatibus cosurgit vna res integra, quæ vel existit à parte rei, si hæ quidditates actuales sint, vel potest existere, si sint tantùm in potentia causarum; vndè etiã in re possibili possumus hæc duo distinguere, essentiam scilicet, & existentiam, seu rationem essendi extrà causas, quæ quidem tunc, cum non sit actualis, non facit actu esse extrà causas, sed facit quòd possit esse; cum enim res possibiles habeant suum esse completum, ex vi cuius dicunt ordinem ad existendum, fit quòd intellectus possit concipere diuersas rationes formales, alteram quidem, quæ pertineat ad essentiam, & alteram, quæ pertineat ad existentiam, seu dicat ordinem illum ad existendum, qui in tota essentia rei fundatur. Hæ autem rationes sic distinctæ ita se habent, vt vna aliquid superaddat alteri, siquidem existentia superaddit essentiæ rationem, per quam potest esse in actu; seu rationem illam, quæ ex natura sua facit rem in actu, vel potentem esse in actu: Compositio rationis inter essentiam, & existentiã & quomodo.

Rursus vna se habet vt actus, altera ve-

ro

ro vt potentia, quia nimirum essentia substernitur existentiæ, dum se habet vt potentia, existentia verò tanquam actua, ex vi enim existentiæ formaliter existit, tanquam per formam, cui totum esse rei subijciatur.

Arist.

V. Hinc autem est, quòd Arist. 2. Poster. tex. 7. docet, quòd existentia non est de essentia alicuius; inquit enim *Ipsum verò esse nulli est substantia.* Vndè cum existentia sit extrà substantiam rei, atque existentia sit aliquid, ita vt dicat propriam rationem formalem: essentia quoque dicat suam quidditatem vnibilem cum ratione illa formali existentiæ, sequitur, quòd interueniat compositio aliqua rationis, quatenus ratio formalis existentiæ vnitur cum ratione formali essentiæ. Atque hoc pacto in omnibus creaturis, reperitur compositio rationis ex essentia, & existentia; quæ quidem, licèt sit rationis, habet tamen reale fundamentum in ipsa creatura, atque hoc totum oritur ex limitata perfectione ipsius, quia ex eo, quòd est limitatæ perfectionis, non habet necessitatem essendi, sed potest esse, & non esse; & proindè ratio existentiæ cōcipitur extrà essentiam. In Deo autem neque potest admitti talis compositio secundùm rationem, quia non adest fundamentum concipiendi rationem existentiæ formalem extra essentiam; non enim Deus potest existere, & non existere, sed necessariò existit ex vi suæmet essentiæ, ita vt existentia sit de conceptu quidditatiuo essentiæ, vndè neque per intellectum possumus rationem existentiæ ab eius essentia separare, alioquin corrueret ipsa essentia; cum ergo in Deo non sit fundamentum talis distinctionis, & compositionis, neque etiam potest adesse compositio.

In Deo nō est cōpositio rationis ex esse, & essentia.

Existentiam, & essentiam non posse separari.

SECTIO III.

I. EXistentiam, & essentiam inuicem separari, varijs modis potest intelligi. primo quidem, si ita separentur, vt vtraque separata remaneat in rerum natura. Secundò, vt ita separentur, vt vna, vel altera tantùm remanere possit, scilicet, aut essentia tantùm, aut existentia. Tertiò, vt ita separentur, vt tantùm remanere possit essentia, sub aliena tamen existentia, quæ propriam ipsius suppleat; aut quòd remaneat essentia, & alia de nouo existentia producatur in ipsa, per quam existat. Vel denique, quòd possint ita separari, vt remaneat tantùm essentia, non quidem à parte rei, sed solùm in statu possibilitatis, sed tamen tanquam aliquid actuale. Circà autem primum modum separationis nulla existit opinio, quam viderim, quæ affirmatiuam partem teneat, sed omnes conueniunt, quòd nequeant essentia, & existentia ita separari, vt ambæ separatæ conseruentur in rerum natura. Nos facilè rationem reddimus ex inseparabilitate, quia non sunt rea distinctæ, sed identificantur adinuicem: qui verò ponunt distinctionem, rationem assignant ex dependentia essentiali, qua essentia, vt sit à parte rei, dependet ab existentia, tanquam à causa formali, quam Deus non potest supplere, nisi per aliquid æquiualens ipsi, & quod formali modo contineat id, quod dicit causa formalis; alioquin cum esse à parte rei, & existere sint idem, sequeretur, quòd in essentia daretur effectus formalis existendi sine causa formali.

Diuersi modi separationis.

Nō possunt essentia, & existentia separatim cōsistere.

II. Circà verò secundùm modum separationis, neque aliquis, quem ego viderim, affirmat, quòd essentia, & existentia ita inuicè separari possint, vt destructa existentia remaneat sola essentia. Et ratio est eadem, quia remanere essentiam non est aliud, quàm perseuerare in rerum natura, atque in existentia; at quomodo perseuerare potest in existentia, sine existentia? adhuc enim daretur effectus formalis sine causa formali, & res esset in actu sine actu, siquidem esse extra causas, quod nihil aliud est, quàm esse existens, & habere actum adæquatè correspondentem potentiæ obiectiuæ. Deindè ad quid necessaria esset existentia, si essentia eodem prorsus modo permanaret absque ipsa, aut quid ei præstaret existentia? certe nulla ratio necessitatis assignari potest. Nos verò hic quoque rationem reddimus ex identificatione existentiæ cum essentia, & quia essentia ex vi sui esse, quatenus est extra causas, existit, nec requiritur aliquid aliud superadditum.

Essentia non pōt existere sine existentia.

III. De altera verò parte illius modi separationis, an scilicet essentia, &

exiſtentia ita poſſint inuicem ſeparari, vt remaneat tantũ exiſtentia, deſtructa eſſentia exiſtit affirmatiua opinio: nã Bannea 1. par. quæſt. 4. art. 2. dub. 2. in reſponſione ad tertium tenet, quòd exiſtentia per Dei potentiam poſſit eſſe à parte rei ſine eſſentia: imò addit ſe probabile exiſtimare, quòd ſuppoſito, quòd accidentia non habeant propriam exiſtentiam, ſed exiſtant exiſtentia ſubiecti, de facto in eucharistia conſeruetur ſine eſſentia exiſtentia panis, vel vini, per quam exiſtant illa accidentia, quæ remanent. Verùm hæc opinio non ſolùm falſum præſupponit, quòd ſcilicet accidentia non habeant propriam exiſtentiam, de quo agemus ſuo loco, ſed etiam in ſeipſa falſa eſt, & breuiter eam reijcimus ex noſtris principijs, quandoquidem per nos exiſtentia eſt eadem eſſentia, nec aliquid ipſi ſuperaddit; & impoſſibile eſt, quòd eſſentia ceſſet eſſe à parte rei, niſi tollatur id, per quod formaliter eſt à parte rei, id autem, per quod formaliter eſt à parte rei, eſt exiſtentia. Quòd ſi exiſtentia ponatur diſtincta ab eſſentia realiter, adhuc vrget eadem ratio, quandoquidem conſequenter loquendo, qui talem diſtinctionem admittunt, oportet, quòd dicant, eſſentiam fieri à parte rei formaliter per exiſtentiam; vndè non poteſt tolli hoc eſſe à parte rei eſſentiæ, niſi etiam tollatur id, per quod formaliter fit à parte rei, & conſequenter niſi tollatur exiſtentia. Quòd ſi dicas; nonne ſufficit, quòd exiſtentia ſeparetur ab eſſentia? Reſpondetur, quòd ſufficeret quidem, ad hoc vt illi non exhiberet ſuum effectum formalem; ſed non poteſt ſeparari. Ratio autem eſt, quia exiſtentia eſt actuale exercitium exiſtendi, vndè dicit neceſſariam connexionem cum eſſentia, nec poni poteſt à parte rei, niſi ſimul cum eſſentia, cuius eſt exiſtentia; & proindè vnica tantùm actio interuenit, per quam fit in actu eſſentia, & exiſtentia, quia dum illa actio terminatur ad exiſtentiam, facit ſimul, quòd per illam exiſtentiam ſit in actu eſſentia. Cum autem ad hoc, vt conſeruetur exiſtentia neceſſarium ſit, quòd Deus concurrat ad illam conſeruandam eadem actione, qua illam poſuit in actu; atque ex vi eiuſdem actionis ponatur in actu etiam eſſentia ratione exiſtentiæ, ſequitur, quòd impoſſibile ſit conſeruari exiſtentiam abſque eſſentia. Et poteſt hoc ipſum confirmari, quia non poteſt produci exiſtentia, niſi ex vi productionis exhibeatur alicui eſſentiæ; vndè nec etiam conſeruari, niſi conſeruetur vt exhibita eſſentiæ. Ex quo patet, quàm immeritò Suarez in Metaph. diſp. 31. ſect. 11. num. 3. & 4. affirmet, quòd poſita diſtinctione exiſtentiæ ab eſſentia, conſequenter dicendum eſt, quòd exiſtentia poteſt conſeruari ſine eſſentia, nec poſſe aſſignari aliquam rationem implicantiæ.

Bannes.

Poſſe exiſtentiã ſine eſſentia conſeruari eius opinio.

Refellitur.

Etiãſi exiſtētia realiter ab eſſentia diſtingueretur, non poſſet ſine ipſa cõſeruari.

IV. Quod verò ſpectat ad tertium modum ſeparationis, communiter Thomiſtæ affirmant, quòd eſſentia conſeruari poſſit deſtructa propria exiſtentia, ita tamen, vt alia ſuppleatur; quod de facto contingere aiunt in materia, cui denegant propriam exiſtentiam, & volunt, quòd quotieſcunque vna forma corrumpitur, & alia de nouo producitur, materia amittat priorem exiſtentiam, & aliam de nouo acquirat. Imò complures ex ipſis tenent, quòd Verbum aſſumpſerit humanam naturam, nedum ſine propria perſonalitate, ſed etiam ſine propria exiſtentia, ita vt per exiſtentiam Verbi natura exiſtat. Quod inter alios affirmat Bannea loco ſupracitato. Sed hæc difficultas Theologica eſt, & non eſt hic diſcutienda: affirmandum eſt tamen iuxta noſtram opinionem, quòd natura humana aſſumpta à Verbo exiſtat propria exiſtentia, & ſimiliter, quod etiam materia habeat ſuam propriam exiſtentiam, quæ nihil aliud ſit, quàm entitas ipſius, prout eſt extra cauſas. Vndè concludendum eſt, quòd nequeat eſſentia aliqua aliena exiſtentia exiſtere, ſed ſit inſeparabilis à propria, quod ſequitur ex identificatione exiſtentiæ cum eſſentia. Oppoſitam ſententiam etiam docet Albertin. tom. 2. princip. 1. Philoſop. diſp. 2. quæſt. 5. Sed ex eodem falſo præſuppoſito, quòd exiſtentia à parte rei diſtinguatur ab eſſentia. Atque ex dictis concluditur, impoſſibilem eſſe etiam quartum, & vltimum modum ſeparationis, vt ſcilicet deſtruatur exiſtentia remanente eſſentia, tanquam quid actuale intra tamen ſtatum poſſibilitatis: quia cum exiſtentiæ exercitium faciat eſſentiam eſſe aliquid actuale in ſeipſa, & extra cauſas; impoſſibile eſt, quòd ablata exiſtentia remaneat eſſentia, vt quid actuale in ſeipſa; præſertim quia, vt ſupra ſuo loco docuimus, eſſentiæ nihil ſunt in ſeipſis, antequam actu exiſtant. Quare concludendum eſt, impoſſibilem eſſe quamcunque ſepara-

Eſſentiã poſſe aliena exiſtẽtia exiſtere, Thomiſtarum opinio.

Bannes.

Reijcitur.

Albertin.

tionem, qua existentia separetur ab essentia, quia nihil separari potest à seipso: existentia autem idem est ac essentia, vt diximus.

Essentiam esse perfectiorem existentia, & quomodo.

SECTIO IV.

I. DEnique comparando existentiā ad essentiam, insurgit difficultas, quæ nam ex ipsis perfectior sit; quæ difficultas propriè locum habet in eorum opinione, qui putant existentiam realiter distingui ab essentia; tunc enim comparari possunt tanquam duæ res, & considerari separatim vniuscuiusq; perfectio; vndè hi auctores inter se non concordant: nam Bannes 1. par. quæst. 3. art. 4. dub. 3. putat, quòd simpliciter loquendo perfectior sit existentia; & solùm secundùm quid perfectior sit essentia. Quòd simpliciter perfectior sit existentia fundat in eo, quod D. Dionys. cap. 5. de Diuinis nominib. affirmat, quòd inter omnes perfectiones, quas à Deo recipimus, esse est quid maius. Et Arist 8. Eth. cap. 11. ait, quòd maximum beneficium, quod nobis Deus præstitit est, quòd simus, & D. Th. 1. par. quæst. 4. art. 1. ad 7. ait, quòd esse est omnium perfectissimum. Addit etiam rationem, quia nimirum Existentia est actualitas rerum omnium, & facit, quòd vnaquæque res sit ens simpliciter, ipsa verò nullam perfectionem recipit ab essentia; vndè in Deo perfectissima, & omnium potissima perfectio, quam intelligimus, est, quòd sit ipsum esse subsistens. Quòd verò essentia sit secundum quid perfectior probat ex eo, quoniam ex eo, quòd existentia recipitur in essentia, perficitur quodammodo, quia limitatur, & determinatur, dum ergo existentia perficitur quodammodo ab essentia, signum est, quòd essentia est aliquo modo perfectior.

Bannes. eius opinio de perfectione existentiæ supra essentiā. D. Dion. Arist. D. Th.

II. Econtrà verò alij sentiunt, quòd simpliciter perfectior sit essentia, illam comparando ad propriam existentiā. Ita tenet Scot. in 4. dist. 1. quæst. 1. Ferrar. 1. contra Gent. cap. 28. Soncin. 4. metaphys. quæst. 16. quam sententiam inquit Soncin. esse veram, siue existentia realiter distinguatur ab essentia, siue tantùm conceptibiliter, & secundùm rationem. Atque in eo fundat hanc suam sententiam, quòd perfectior est ille conceptus, qui alicui per se primò conuenit quàm ille, qui conuenit contingenter, essentia autem conuenit per se primò, cum sit proprium constitutiuū; existentia verò conuenit contingenter. Prætereà, quia secundùm essentiam mēsuratur perfectio vniuscuiusque rei, & proinde vna dicitur perfectior altera, prout habet perfectiorem essentiam, sic homo perfectior est lapide, non autem quòd existit, dicitur perfectius eo, quòd non existit. Hinc etiam fit, quòd scientiæ considerent essentias rerum tanquam nobilius esse, atque necessarium, non verò existentiam; rursus essentiæ directè ponuntur in prædicamento, existentia vero tantùm reductiuè: essentiæ habent æternam veritatem, existentia verò cōtingentem, quæ omnia satis indicant, essētiam ex genere suo perfectiorem esse existentia.

Opposita sententia Scot. Ferrar. Soncin.

III. Verùm supposito, quòd existentia non distinguatur ab essentia, neque potest dici, quòd perfectior sit essentia, neque quòd perfectior sit existentia, sed vna, atque eadem erit vtriusque perfectio, sicuti vnum omninò, atque idem est esse vtriusque, vbi autem est idētitas, non potest fieri comparatio secundùm magis, & minus. Quia tamen comparare possumus essentiam actualem cum essentia possibili, tunc inquiri potest, quo nam modo perfectiori modo se habeat, an vt possibilis est, an verò vt actualis, non autem an perfectior sit secundùm esse actuale, an verò secundùm esse possibile, quia adhuc est vna, atque eadem res, vndè non potest interuenire maior, aut minor perfectio; sed solùm modus essendi, seu status magis, aut minus perfectus. Et quidem res clara est, siue essentia actualis comparetur ad essentiam possibilem, prout habet esse obiectiuum in intellectu, siue prout virtualiter continetur in causa; quia semper perfectior est status essendi in actu, quàm essendi in virtute causæ, aut in esse obiectiuo; tunc enim res propriè possidet suam perfectionem, quando actu illam habet in seipsa extrà causas.

Vna, atque eadē perfectio essentiæ, & existētiæ.

Perfectior status actualitatis, quam possibilitatis.

IV. Verùm, quia diximus suprà, Posse formari diuersum conceptum obiectiuum de essentia, & de existentia, formalitates illas concipiamus, tunc possumus comparare esse formale vnius cum esse formali alterius, & inquirere, vtrum

nam perfectius sit. Et quidem in tali casu probabilior mihi videtur posterior sententia, quòd perfectior sit essentia, & vrgent rationes ibi factæ, quòd scilicet perfectio rerum attendatur secundùm essentiam, atque penes ipsam nobilitas, vel ignobilitas consideretur; Et addi potest, quòd essentia est radix omnium operationum, non autem existentia; ex quo colligitur, quòd sicuti per operationes immanentes res magis perficitur, quàm per non operari, ita etiam magis perficitur per essentiam, quam participat, quàm per existentiam. Deindè si existentia esset perfectior essentia, ad quid nobilitas rei desumeretur ab essentia, cum debeat sumi ab eo, quod est melius? Quòd si existentia facit rem esse in actu, non ideò debet esse magis perfecta; quia dum facit, quòd sit in actu, facit etiam, quòd actu participet totam suam essentiam, vndè res nedum actu habet existentiam, sed etiam essentiam; si ergo ipsa essentia est in actu, & actu possidetur ab vnaquaque re, certè cessat ratio, cur deberet esse perfectior existentia, & erit perfectior essentia, vtpotè quæ facit, quòd res actu sit tantæ, & tantæ perfectionis: hinc ratio vitæ facit, quòd res actu viuat, ratio substantiæ, quòd actu sit substantia. Ex quo eliei potest confirmatio, quoniam existentia facit tantùm esse in actu vt sic, ratio verò essentiæ facit esse in tali, & tali actu, vt substantiæ, viuentis; nobilior autem est actus determinatus, quàm actus vt sic, & sicuti existentia est ratio, ut res habeat actu suam essentiam, ita non tollit, quòd essentia sit perfectior, dum ipsa quoque actu est. Et potest hæc ratio vrgeri ex transcendentia; res enim transcendens minus perfecta est, quàm non transcendens, vt patet in ratione entia, quæ est omnium imperfectissima, sic etiam cum existẽtia vagetur per res omnes, imperfectior erit ex genere suo ipsa essentia. Et in confirmationem addere possumus, quòd existentia dicit tantùm vnum gradum perfectionis, essentia verò dicit plures gradus, qui constituunt vnam perfectionem totalem; quia autem non videt, quòd perfectius est id, quod continet plures perfectiones, quàm quod continet vnicam tantùm?

Essentia radix omnium operationum secundù & ipsâ attenditur nobilitas.

Exist. tãquã trãscẽd. per oia.

V. Quòd si dicas, essentiam nullam importaturam perfectionem, si non haberet existentiam, per quam esset. Contra vrgeo sumo essentiam præscindentem à existentia, & illam tantùm obiectiuè considero: sumo item existentiam obiectiuè, non prout exercet rationem existendi, sed solùm prout potest exercere, & illam solùm metaphysicè considero, & comparo cum essentia; tunc vnaquæque habet suum esse proprium formale metaphysicum, & ita inuicem contradistinguuntur, vt vna in sensu formali negari possit de alia; vndè vna habet suum esse independenter ab alia. Quodnam igitur ex hoc duplici esse erit perfectius? certè militant eædem rationes, quas modò adduximus pro essentia, nec modò valet, quòd hæc perfectio illi conueniat ratione existentiæ, quia consideratur, vt contradistincta ab existentia; ergo ex se habet, quòd sit magis perfecta. Et quamuis existentia faciat esse in actu essentiam, & sit ratio, cur vnaquæque res propriam perfectionem essentialem participet, non tamen est formaliter ipsa perfectio, quod est valdè aduertendum: ex hoc enim oritur, tota difficultas, & æquiuocatio, quia Auctores oppositæ sententiæ putant, quòd, quia existentia est ratio, cur res habeant suam perfectionem, formaliter conferat talem perfectionem, ita vt sit ipsa perfectio, quod est manifeste falsum. Quod declaratur supponendo, quòd essentia, & existentia realiter distinguantur; tunc à parte rei aliud esse habet essentia, & aliud existentia; sunt enim diuersæ entitates, & propterea essentia non habet suam perfectionem formaliter ratione existentiæ, sed intrinsece diuersa est perfectio essentiæ, & existentiæ, & tamen maior est perfectio essentiæ, quàm sit existentiæ; ergo ex se simpliciter essentia habet suam perfectionem, quæ maior est perfectione existentiæ; & solùm talis perfectio habet ab existẽtia, quòd sit in actu.

Responsio.

Instãtia.

Existẽtia nõ est perfectio essẽtiæ quãuis est faciat esse in actu.

VI. Neque eadem est ratio de existentia Dei, quia in Deo existentia non facit esse in actu, sed facit esse id, quod est, & est de essentia ipsius, quod non contingit in creatura; imò cum existentia superfundatur toti essentiæ, in Deo est tota essentia eiusdem formaliter, quatenus ex vi sui esse essentialis, habet, quòd sit in actu. Et cum D. Dionys. & Arist. & etiam D. Th. vocant Esse, maiorem perfectionem cæteris; & maius beneficium, intelligunt de esse prout inuoluit simul essentiam, & existentiam, &

Discrimẽ de existẽtia Dei.

D. Dion. Arist. D. Th.

Quo esse sit plurim. perfect. simul.

il-

illud comparant ad cęteras perfectiones, & beneficia, quæ iam accidentaliter superueniunt: vnde ex his nihil colligitur contrà nostram sententiam. Ad rationem verò, quam pro sua sententia adducit Bannes, iam patet ex dictis. Essentia enim non recipit ab existentia suam perfectionem, sed tantùm ab ipsa habet, quòd secundùm suam perfectionem sit in actu. Atque hæc, quæ diximus de essentia, & existentia, prout secundùm diuersos conceptus obiectiuos considerantur, applicari possunt ad essentiam, & existentiam, si realiter distinguerentur, imò fortiori modo de ipsis procedunt supposita reali distinctione, & quòd in extremis distinctis saluetur vera ratio essentiæ, & existentiæ: quod tamen impossibile est.

Deducuntur nonnulla corollaria.

SECTIO V.

I. EX his, quæ diximus, possumus nonnulla corollaria deducere, quorum primum est, quòd vnaquæque essentia habeat propriam existentiam sibi correspondentem, quod specialiter suo loco de accidentibus ostendemus, de quibus nonnulla controuersia esse solet. Atque ita vnaquæque essentia habet propriam existentiam, vt impossibile sit per alienam, & sibi non propriam existere. Hoc sequitur ex identificatione essentiæ cum existentia; si enim existentia realiter loquendo non est aliud, quàm essentia, prout est in actu, manifestum est, quòd non potest, nisi per propriam existentiam existere. Et sicuti impossibile est, quòd aliqua res sit ens per alienum esse, ita etiam est impossibile, quòd sit quid actuale per alienam actualitatem, quia non minus intrinsecè est actualis, quàm sit ens, quia esse actuale nihil aliud dicit, quàm secundùm proprium esse à parte rei reperiri. Hoc autem corollarium cum tali sensu accipiendum est, vt solùm procedat de ijs essentijs, quæ constituunt vnam integram entitatem, non autē de qualibet quidditate; quamuis suo modo etiam qualibet ratio formalis habeat propriam existentiam, quatenus existentia cuiuslibet rei adæquat omnes formalitates ipsius, & hoc pacto dici potest, quòd vnaquæque formalitas habeat suam propriam existentiam; Rursus etiam non debet intelligi de essentijs, quæ non habent proprium esse contradistinctum ab omni alio quemadmodum sunt modi; quemadmodum enim modi sunt ens solùm entitate subiecti, ita etiam solùm existunt existentia subiecti, vt declarabimus suo loco. Quamobrem solùm debet intelligi de ijs essentijs, quæ verè habent proprium esse essentiale integrum intrà aliquam completam naturam, quæ sufficiat ad constituendam vnicam entitatem, & ab omni alio contradistinctam.

Vnaquæq. essentia habet propriā existentiam.

Modi nō habent propriā existētiā.

II. Huius autem rei oppositum tradit Suarez in Metaph. disp. 31. sect. 11. num. 30. qui inquit, necessariò eo modo, quo vnumquodque est factum, vel productum in rerum natura, includere proprium esse, quo in illa actualitate constituatur, vndè modus, sicuti habet suum esse modaliter distinctum, ita etiam debet habere suam modalem existentiam, ratione cuius possit produci, & destrui absque eo, quòd producatur, & destruatur subiectum. Sed non rectè, & quamuis difficile sit huic obiectioni plenè satisfacere absque eo, quòd natura modorum declaretur, dicemus tamen, quantum sufficit pro intelligentia huius doctrinæ. Non igitur modi habere possunt distinctam existentiam ab existentia subiecti, quia neque habent distinctum esse, omnia enim existentia ordinatur, vt ponat in actu aliquam essentiam; modus verò, quantum est ex se præcisè, non ponit in actu rem aliquam, sed tantùm modificat subiectum. Quod mihi ex eo videtur euidenter conuinci, quia quando aliquid habet proprium esse ab alio etiam solùm secundùm rationem contradistinctum, potest concipi se solo, absque eo, quòd aliud concipiatur, quod præcipue esset verum, si haberet distinctam existentiam: hoc autem non contingit in modis; neque enim possumus modum concipere, nisi concipiamus simul rem, cuius est modus, sic in conceptu sessionis intrinsecè imbibitur sedens, ita vt impossibile sit, concipere sessionem, nisi intrinsecè in ipsius conceptu inuoluatur sedens; quare modus non ponit in actu nouum esse, sed tantùm modificat præcedens, & ideò non requirit nouam existentiam, noua enim existentia est tantùm propter nouum esse. Hinc dicitur ens entitate subiecti; nec propriè producitur, aut corrumpitur: sed solùm di-

Oppositū sentit Suarez.

Reijcitur.

Quo modus non dicat propriū esse.

Essentia radix omnium operationum secundū & ipsā attēditur nobilitas.

nam perfectius sit. Et quidem in tali casu probabilior mihi videtur posterior sententia, quòd perfectior sit essentia, & vrgent rationes ibi factæ, quòd scilicet perfectio rerum attendatur secundùm essentiam, atque penes ipsam nobilitas, vel ignobilitas consideretur; Et addi potest, quòd essentia est radix omnium operationum, non autem existentia; ex quo colligitur, quòd sicuti per operationes immanentes res magis perficitur, quàm per non operari, ita etiam magis perficitur per essentiam, quam participat, quàm per existentiam. Deindè si existentia esset perfectior essentia, ad quid nobilitas rei desumeretur ab essentia, cum debeat sumi ab eo, quod est melius? Quòd si existentia facit rem esse in actu, non ideò debet esse magis perfecta; quia dum facit, quòd sit in actu, facit etiam, quòd actu participet totam suam essentiam, vndè res nedum actu habet existentiam, sed etiam essentiam; si ergo ipsa essentia est in actu, & actu possidetur ab vnaquaque re, certè cessat ratio, cur deberet esse perfectior existentia, & erit perfectior essentia, vtpotè quæ facit, quòd res actu sit tantæ, & tantæ perfectionis: hinc ratio vitæ facit, quòd res actu viuat, ratio substantiæ, quòd actu sit substantia. Ex quo elici potest confirmatio, quoniam existentia facit tantùm esse in actu vt sic, ratio verò essentiæ facit esse in tali, & tali actu, vt substantiæ, viuentis; nobilior autem est actus determinatus, quàm actus vt sic, & sicuti existentia est ratio, cur res habeat actu suam essentiam, ita non tollit, quòd essentia sit perfectior, dum ipsa quoque actu est. Et potest hæc ratio vrgeri ex transcendentia; res enim transcendens minus perfecta est, quàm non transcendens, vt patet in ratione entis, quæ est omnium imperfectissima, sic etiam cum existētia vagetur per res omnes, imperfectior erit ex genere suo ipsa essentia. Et in confirmationem addere possumus, quòd existentia dicit tantùm vnum gradum perfectionis, essentia verò dicit plures gradus, qui constituunt vnam perfectionem totalem; quis autem non videt, quòd perfectius est id, quod continet plures perfectiones, quàm quod continet vnicam tantùm?

Exist-tia trāscēd. per om.

V. Quòd si dicas, essentiam nullam importaturam perfectionem, si non haberet existentiam, per quam esset. Contra vrgeo sumo essentiam præscindentem ab existentia, & illam tantùm obiectiuè considero: sumo item existentiam obiectiuè, non prout exercet rationem existendi, sed solùm prout potest exercere, & illam solùm metaphysicè considero, & comparo cum essentia; tunc vnaquæque habet suum esse proprium formale metaphysicum, & ita inuicem contradistinguuntur, vt vna in sensu formali negari possit de alia; vndè vna habet suum esse independenter ab alia. Quodnam igitur ex hoc duplici esse erit perfectius? certè militant eædem rationes, quas modò adduximus pro essentia, nec modò valet, quòd hæc perfectio illi conueniat ratione existentiæ, quia considerator, vt contradistincta ab existentia; ergo ex se habet, quòd sit magis perfecta. Et quamuis existentia faciat esse in actu essentiam, & sit ratio, cur vnaquæque res propriam perfectionem essentialem participet, non tamen est formaliter ipsa perfectio, quod est valdè aduertendum: ex hoc enim oritur, tota difficultas, & æquiuocatio, quia Auctores oppositæ sententiæ putant, quòd, quia existentia est ratio, cur res habeant suam perfectionem, formaliter conferat talem perfectionem, ita vt sit ipsa perfectio, quod est manifestè falsum. Quod declaratur supponendo, quòd essentia, & existentia realiter distinguantur; tunc à parte rei aliud esse habet essentia, & aliud existentia; sunt enim diuersæ entitates, & propterea essentia non habet suam perfectionem formaliter ratione existentiæ, sed intrinsecè diuersa est perfectio essentiæ, & existentiæ, & tamen maior est perfectio essentiæ, quàm sit existentiæ; ergo ex se simpliciter essentia habet suam perfectionem, quæ maior est perfectione existentiæ; & solùm talis perfectio habet ab existētia, quòd sit in actu.

Respon-sio Instātia.

Existētia nō est perfectio essētiæ quia ā se habet esse in actu.

VI. Neque eadem est ratio de existentia Dei, quia in Deo existentia non facit esse in actu, sed facit esse id, quod est, & est de essentia ipsius, quod non contingit in creaturis; imò cum existentia superfundatur toti essentiæ, in Deo est tota essentia eiusdem formaliter, quatenus ex vi sui esse essentialis, habet, quòd sit in actu. Et cum D. Dionys. & Arist. & etiam D. Th. vocant Esse, maiorem perfectionem cæteris; & maius beneficium, intelligunt de esse prout inuoluit simul essentiam, & existentiam, & il-

Differentia de ratione Dei.

D. Dion. Arist. D. Th.

Quo esse perfect. simul.

illud comparatur ad cęteras perfectiones, & beneficia, quę iam accidentaliter superueniunt: vnde ex his nihil colligitur contra nostram sententiam. Ad rationem verò, quam pro sua sententia adduxit Bannes, iam patet ex dictis. Essentia enim non recipit ab existentia suam perfectionem, sed tantùm ab ipsa habet, quòd secundùm suam perfectionem sit in actu. Atque hęc, quę diximus de essentia, & existentia, prout secundùm diuersos conceptus obiectiuos considerentur, applicari possunt ad essentiam, & existentiam, si realiter distinguerentur; imò fortiori modo de ipsis procedunt supposita reali distinctione, & quòd in extremis distinctis soluitur vera ratio essentię, & existentię: quod tamen impossibile est.

Deducuntur nonnulla corollaria,

SECTIO V.

I. EX his, quę diximus, possumus nonnulla corollaria deducere, quorum primum est, quòd vnaquęque essentia habeat propriam existentiam sibi correspondentem, quod specialiter suo loco de accidentibus ostendemus, de quibus nonnulla controuersia esse solet. Atque ita vnaquęque essentia habet propriam existentiam, vt impossibile sit per alienam, & sibi non propriam existere. Hoc sequitur ex identificatione essentię cum existentia; si enim existentia realiter loquendo non est aliud, quàm essentia, prout est in actu, manifestum est, quòd non potest, nisi per propriam existentiam existere. Et sicuti impossibile est, quòd aliqua res sit ens per alienum esse, ita etiam est impossibile, quòd sit quid actuale per alienam actualitatem, quia non minus intrinsecè est actualis, quàm sit ens, quia esse actuale nihil aliud dicit, quàm secundùm proprium esse à parte rei reperiri. Hoc autem corollarium cum tali sensu accipiendum est, vt solùm procedat de ijs essentijs, quę constituunt etiam integram entitatem, non autè de qualibet quidditate; quamuis suo modo etiam quęlibet ratio formalis habeat propriam existentiam, quatenus existentia cuiuslibet rei adęquat omnes formalitates eius, & hoc pacto dici potest, quòd singulę formalitates habeant [illegible] Rursus e-

tiam non debet intelligi de essentijs, quę non habent proprium esse contradistinctum ab omni alio quemadmodum sunt modi; quemadmodum enim modi sunt ens solùm entitate subiecti, ita etiam solùm existunt existentia subiecti, vt declarabimus suo loco. Quamobrem solùm debet intelligi de ijs essentijs, quę verè habent proprium esse essentiale integrum intrà aliquam completam naturam, quę sufficiat ad constituendam vnicam entitatum, & ab omni alio contradistinctam.

II. Huius autem rei oppositum tradit Suarez in Metaph. disp. 31. sect. 11. num. 30. qui inquit, necessariò eo modo, quo vnumquodque est factum, vel productum in rerum natura, includere proprium esse, quo in illa actualitate constituatur, vndè modus, sicuti habet suum esse modaliter distinctum, ita etiam debet habere suam modalem existentiam, ratione cuius possit produci, & destrui absque eo, quòd producatur, & destruatur subiectum. Sed non rectè, & quamuis difficile sit huic obiectioni plenè satisfacere absque eo, quòd natura modorum declaretur, dicemus tamen, quantum sufficit pro intelligentia huius doctrinę. Non igitur modi habere possunt distinctam existentiam ab existentia subiecti, quia neque habent distinctum esse, omnis enim existentia ordinatur, vt ponat in actu aliquam essentiam; modus verò, quantum est ex se praecisè, non ponit in actu rem aliquam, sed tantùm modificat subiectum. Quod mihi ecce videtur euidenter conuinci, quia quando aliquid habet proprium esse ab alio etiam solùm secundùm rationem contradistinctum, potest concipi se solo, absque eo, quòd aliud concipiatur, quod praecipuè esset verum, si haberet distinctam existentiam; hoc autem non contingit in modis; neque enim possumus modum concipere, nisi concipiamus simul rem, cuius est modus, sic in conceptu sessionis intrinsecè imbibitur sedens, ita vt impossibile sit, concipere sessionem, nisi intrinsecè in ipsius conceptu inuoluatur sedens; quare modus non ponit in actu nouum esse, sed tantùm modificat praecedens, & ideò non requirit nouam existentiam, noua enim existentia est tantùm propter nouum esse. Hinc [illegible] ens entitate subiecti; nec propriè [illegible] ducitur, aut corrumpitur; sed [illegible]

nam perfectiua sit. Et quidem in tali casu probabilior mihi videtur posterior sententia, quòd perfectior sit essentia, & vrgent rationes ibi factæ, quòd scilicet perfectio rerum attendatur secundùm essentiam, atque penes ipsam nobilitas, vel ignobilitas consideretur; Et addi potest, quòd essentia est radix omnium operationum, non autem existentia; ex quo colligitur, quòd sicuti per operationes immanentes res magis perficitur, quàm per non operari, ita etiam magis perficitur per essentiam, quam participat, quàm per existentiam. Deindè si existentia esset perfectior essentia, ad quid nobilitas rei desumeretur ab essentia, cum debeat sumi ab eo, quod est melius? Quòd si existentia facit rem esse in actu, non ideò debet esse magis perfecta; quia dum facit, quòd sit in actu, facit etiam, quòd actu participet totam suam essentiam, vndè res nedum actu habet existentiam, sed etiam essentiam; si ergo ipsa essentia est in actu, & actu possidetur ab vnaquaque re, certè cessat ratio, cur deberet esse perfectior existentia, & erit perfectior essentia, vtpotè quæ facit, quòd res actu sit tantæ, & tantæ perfectionis: hinc ratio vitæ facit, quòd res actu viuat, ratio substantiæ, quòd actu sit substantia. Ex quo elici potest confirmatio, quoniam existentia facit tantùm esse in actu vt sic, ratio verò essentiæ facit esse in tali, & tali actu, vt substantiæ, viuentis; nobilior autem est actus determinatus, quàm actus vt sic, & sicuti existentia est ratio, cur res habeat actu suam essentiam, ita non tollit, quòd essentia sit perfectior, dum ipsa quoque actu est. Et potest hæc ratio vrgeri ex transcendentia; res enim transcendens minus perfecta est, quàm non transcendens, vt patet in ratione entis, quæ est omnium imperfectissima, sic etiam cum existētia vagetur per res omnes, imperfectior erit ex genere suo ipsa essentia. Et in confirmationem addere possumus, quòd existentia dicit tantùm vnum gradum perfectionis, essentia verò dicit plures gradus, qui constituunt vnam perfectionem totalem; quia autem non videt, quòd perfectius est id, quod continet plures perfectiones, quàm quod continet vnicam tantùm?

Essentia radix omnium operationum, secundū & ipsā attenditur nobilitas.

Existentia transcēdit per oia.

V. Quòd si dicas, essentiam nullam importaturam perfectionem, si non haberet existentiam, per quam esset. Contra vrgeo sumo essentiam præscindentem ab existentia, & illam tantùm obiectiuè considero: sumo item existentiam obiectiuè, non prout exercet rationem existendi, sed solùm prout potest exercere, & illam solùm metaphysicè considero, & comparo cum essentia; tunc vnaquæque habet suum esse proprium formale metaphysicum, & ita inuicem contradistinguuntur, vt vna in sensu formali negari possit de alia; vndè vna habet suum esse independenter ab alia. Quodnam igitur ex hoc duplici esse erit perfectius? certè militant eædem rationes, quas modò adduximus pro essentia, nec modò valet, quòd hæc perfectio illi conueniat ratione existentiæ, quia consideratur, vt contradistincta ab existentia; ergo ex se habet, quòd sit magis perfecta. Et quamuis existentia faciat esse in actu essentiam, & sit ratio, cur vnaquæque res propriam perfectionem essentialem participet, non tamen est formaliter ipsa perfectio, quod est valdè aduertendum: ex hoc enim oritur, tota difficultas, & æquiuocatio, quia Auctores oppositæ sententiæ putant, quòd, quia existentia est ratio, cur res habeant suam perfectionem, formaliter conferat talem perfectionem, ita vt sit ipsa perfectio, quod est manifestè falsum. Quod declaratur supponendo, quòd essentia, & existentia realiter distinguantur; tunc à parte rei aliud esse habet essentia, & aliud existentia; sunt enim diuersæ entitates, & propterea essentia non habet suam perfectionem formaliter ratione existentiæ, sed intrinsecè diuersa est perfectio essentiæ, & existentiæ, & tamen maior est perfectio essentiæ, quàm sit existentiæ; ergo ex se simpliciter essentia habet suam perfectionem, quæ maior est perfectione existentiæ; & solùm talis perfectio habet ab existētia, quòd sit in actu.

Respon. ... instan.

Existentia nō est p... ... ...

VI. Neque eadem est ratio de existentia Dei, quia in Deo existentia non facit esse in actu; sed facit esse id, quod est, & est de essentia ipsius, quod non contingit in creatura; imò cum existentia superfundatur toti essentiæ, in Deo est tota essentia eiusdem formaliter, quatenus ex vi sui esse essentialis, habet, quòd sit in actu: Et cum D. Dionys. & Arist. & etiam D. Th. vocant Esse, maiorem perfectionem cæteris; & maius beneficium, intelligunt de esse prout inuoluit simul essentiam, & existentiam, &

Discrim. de exist. in Deo.

D. Dion. Arist. D. Th.

Quo est ... perfectissimum.

il-

cipere quemlibet gradum essentiæ cum grado existentiæ sibi correspondenti. Quod autem dicimus de essentia comparata cum existentia actuali, proportionaliter verificatur de essentia comparata cum existentia possibili, quia non possumus concipere, rem aliquam posse existere, nisi similiter sit indiuidua, & completa in suo esse.

V. Et confir. hic discursus. Vnus gradus essentialis adæquatur per alium sibi superuenientem, ita vt ipsius potentialitas adæquate compleatur per talem gradum; ergo non potest immediatè seipso seorsim sumpto recipere existentiam. Conseq. est euidens, quoniam adæquatè completa potentia non rema-

Vnus gradus essentialis adæquatè cõpletur per aliũ sibi d bi rum.

illud comparant ad cęteras perfectiones, & beneficia, quæ iam accidentaliter superueniunt: vnde ex his nihil colligitur contrà nostram sententiam. Ad rationem verò, quam pro sua sententia adducit Bannes, iam patet ex dictis. Essentia enim non recipit ab existentia suam perfectionem, sed tantùm ab ipsa habet, quòd secundùm suam perfectionem sit in actu. Atque hæc, quæ diximus de essentia, & existentia, prout secundùm diuersos conceptus obiectiuos considerantur, applicari possunt ad essentiam, & existentiam, si realiter distinguerentur, imò fortiori modo de ipsis procedunt supposita reali distinctione, & quòd in extremis distinctis saluetur vera ratio essentiæ, & existentiæ: quod tamen impossibile est.

Deducuntur nonnulla corollaria.

SECTIO V.

I. EX his, quæ diximus, possumus nonnulla corollaria deducere, quorum primum est, quòd vnaquæque essentia habeat propriam existentiam sibi correspondentem, quod specialiter suo loco de accidentibus ostendemus, de quibus nonnulla controuersia esse solet. Atque ita vnaquæque essentia habet propriam existentiam, vt impossibile sit per alienam, & sibi non propriam existere. Hoc sequitur ex identificatione essentiæ cum existentia; si enim existentia realiter loquendo non est aliud, quàm essentia, prout est in actu, manifestum est, quòd non potest, nisi per propriam existentiam existere. Et sicuti impossibile est, quòd aliqua res sit ens per alienum esse, ita etiam est impossibile, quòd sit quid actuale per alienam actualitatem, quia non minus intrinsecè est actualis, quàm sit ens, quia esse actuale nihil aliud

Vnaquæque essentia habet propriã existentiam.

tiam non debet intelligi de essentijs, quæ non habent proprium esse contradistinctum ab omni alio quemadmodum sunt modi; quemadmodum enim modi sunt ens solùm entitate subiecti, ita etiam solùm existunt existentia subiecti, vt declarabimus suo loco. Quamobrem solùm debet intelligi de ijs essentijs, quæ verè habent proprium esse essentiale integrum intrà aliquam completam naturam, quæ sufficiat ad constituendam vnicam entitatem, & ab omni alio contradistinctam.

Modi haben propri existe

II. Huius autem rei oppositum tradit Suarez in Metaph. disp. 31. sect. 11. num. 30. qui inquit, necessariò eo modo, quo vnumquodque est factum, vel productum in rerum natura, includere proprium esse, quo in illa actualitate constituatur, vndè modus, sicuti habet suum esse modaliter distinctum, ita etiam debet habere suam modalem existentiam, ratione cuius possit produci, & destrui absque eo, quòd producatur, & destruatur subiectum. Sed non rectè, & quamuis difficile sit huic obiectioni plenè satisfacere absque eo, quòd natura modorum declaretur, dicemus tamen, quantum sufficit pro intelligentia huius doctrinæ. Non igitur modi habere possunt distinctam existentiam ab existentia subiecti, quia neque habent distinctum esse, omnis enim existentia ordinatur, vt ponat in actu aliquam essentiam; modus verò, quantum est ex se præcisè, non ponit in actu rem aliquam, sed tantùm modificat subiectum. Quod mihi ex eo videtur euidenter conuinci, quia quando aliquid habet proprium esse ab alio etiam solùm secundùm rationem contradistinctum, potest concipi se solo, absque eo, quòd aliud concipiatur, quod præcipuè esset verum, si haberet distinctam existentiam: hoc autem non contingit in mo-

Opponitur Suarez.

Refelle

uam perfectius sit. Et quidem in tali casu probabilior mihi videtur posterior sententia, quòd perfectior sit essentia, & vrgent rationes ibi factæ, quòd scilicet perfectio rerum attendatur secundùm essentiam, atque penes ipsam nobilitas, vel ignobilitas consideretur; Et addi potest, quòd essentia est radix omnium operationum, non autem existentia; ex quo colligitur, quòd sicuti per operationes immanentes res magis perficitur, quàm per non operari, ita etiam magis perficitur per essentiam, quam participat, quàm per existentiam. Deindè si existentia esset perfectior essentia, ad quid nobilitas rei desumeretur ab essentia, cum debeat sumi ab eo, quod est melius? Quòd si existentia facit rem esse in actu, non ideò debet esse magis perfecta; quia dum facit, quòd sit in actu, facit etiam, quòd actu participet totam suam essentiam, vndè res nedum actu habet existentiam, sed etiam essentiam; si ergo ipsa essentia est in actu, & actu possidetur ab vnaquaque re, certè cessat ratio, cur deberet esse perfectior existentia, & erit perfectior essentia, vtpotè quæ facit, quòd res actu sit tantæ, & tantæ perfectionis: hinc ratio vitæ facit, quòd res actu viuat, ratio substantiæ, quòd actu sit substantia. Ex quo elici potest confirmatio, quoniam existentia facit tantùm esse in actu vt sic, ratio verò essentiæ facit esse in tali, & tali actu, vt substantiæ, viuentis; nobilior autem est actus determinatus, quàm actus vt sic, & sicuti existentia est ratio, cur res habeat actu suam essentiam, ita non tollit, quòd essentia sit perfectior, dum ipsa quoque actu est. Et potest hæc ratio vrgeri ex transcendentia; res enim transcendens minùs perfecta est, quàm non transcendens, vt patet in ratione entis, quæ est omnium imperfectissima, sic etiam cum existẽtia vagetur per res omnes, imperfectior erit ex genere suo ipsa essentia. Et in confirmationem addere possumus, quòd existentia dicit tantùm vnum gradum perfectionis, essentia verò dicit plures gradus, qui constituunt vnam perfectionem totalem; quis autem non videt, quòd perfectius est id, quod continet plures perfectiones, quàm quod continet vnicam tantùm?

Essentia radix omnium operationum secundū & ipsā attenditur nobilitas.

Existentia transcēdit per oia.

V. Quòd si dicas, essentiam nullam importaturam perfectionem, si non haberet existentiam, per quàm esset. Contra vrgeo sumo essentiam præscindentem ab existentia, & illam tantùm obiectiuè considero: sumo item existentiam obiectiuè, non prout exercet rationem existendi, sed solùm prout potest exercere, & illam solùm metaphysicè considero, & comparo cum essentia; tunc vnaquæque habet suum esse proprium formale metaphysicum, & ita inuicem contradistinguuntur, vt vna in sensu formali negari possit de alia; vndè vna habet suum esse independenter ab alia. Quodnam igitur ex hoc duplici esse erit perfectius? certè militant eædem rationes, quas modò adduximus pro essentia, nec modò valet, quòd hæc perfectio illi conueniat ratione existentiæ, quia consideratur, vt contradistincta ab existentia; ergo ex se habet, quòd sit magis perfecta. Et quamuis existentia faciat esse in actu essentiam, & sit ratio, cur vnaquæque res propriam perfectionem essentialem participet, non tamen est formaliter ipsa perfectio, quod est valdè aduertendum: ex hoc enim oritur, tota difficultas, & æquiuocatio, quia Auctores oppositæ sententiæ putant, quòd, quia existentia est ratio, cur res habeant suam perfectionem, formaliter conferat talem perfectionem, ita vt sit ipsa perfectio, quod est manifeste falsum. Quod declaratur supponendo, quòd essentia, & existentia realiter distinguantur; tunc à parte rei aliud esse habet essentia, & aliud existentia; sunt enim diuersæ entitates, & propterea essentia non habet suam perfectionem formaliter ratione existentiæ, sed intrinsece diuersa est perfectio essentiæ, & existentiæ, & tamen maior est perfectio essentiæ, quàm sit existentiæ; ergo ex se simpliciter essentia habet suam perfectionem, quæ maior est perfectione existentiæ; & solùm talis perfectio habet ab existẽtia, quòd sit in actu.

Respon... Instan...

Essē... nō est ... perfe... ... in actu...

VI. Neque eadem est ratio de existentia Dei, quia in Deo existentia non facit esse in actu, sed facit esse id, quod est, & est de essentia ipsius, quod non contingit in creatura; imò cum existentia superfundatur toti essentiæ, in Deo est tota essentia eiusdem formaliter, quatenus ex vi sui esse essentialis, habet, quòd sit in actu. Et cum D. Dionys. & Arist. & etiam D. Th. vocant Esse, maiorem perfectionem cæteris; & maius beneficium, intelligunt de esse prout inuoluit simul essentiam, & existentiam, &

Differ... de ex... tia Dei.

D. D... Arist. D. Th.

Quō esse... sit... perfe... simum.

il-

cipere quemlibet gradum essentiæ cum grادu existentiæ sibi correspondenti. Quod autem dicimus de essentia comparata cum existentia actuali, proportionaliter verificatur de essentia comparata cum existentia possibili, quia non possumus concipere, rem aliquam posse existere, nisi similiter sit indiuidua, & completa in suo esse.

IV. Et hic procedit ratio illa, quòd

V. Et confir. hic discursus. Vnus gradus essentialis adæquatur per alium sibi superuenientem, ita vt ipsius potentialitas adæquatè compleatur per talem gradum; ergo non potest immediatè seipso seorsim sumpto recipere existentiam. Conseq. est euidens, quoniam adæquatè completa potentia non remanet capacitatem vlterioris actus. Deindè

Vnus gradus essentialis adæquatè cōpletur per aliū sibi debitum.

illud comparant ad ceteras perfectiones, & beneficia, quæ iam accidentaliter superueniunt: vnde ex his nihil colligitur contrà nostram sententiam. Ad rationem verò, quam pro sua sententia adducit Bannes, iam patet ex dictis. Essentia enim non recipit ab existentia suam perfectionem, sed tantùm ab ipsa habet, quòd secundùm suam perfectionem sit in actu. Atque hæc, quæ diximus de essentia, & existentia, prout secundùm diuersos conceptus obiectiuos considerantur, applicari possunt ad essentiam, & existentiam, si realiter distinguerentur, imò fortiori modo de ipsis procedunt supposita reali distinctione, & quòd in extremis distinctis saluetur vera ratio essentiæ, & existentiæ: quod tamen impossibile est.

Deducuntur nonnulla corollaria.

SECTIO V.

I. EX his, quæ diximus, possumus nonnulla corollaria deducere, quorum primum est, quòd vnaquæque essentia habeat propriam existentiam sibi correspondentem, quod specialiter suo loco de accidentibus ostendemus, de quibus nonnulla controuersia esse solet. Atque ita vnaquæque essentia habet propriam existentiam, vt impossibile sit per alienam, & sibi non propriam existere. Hoc sequitur ex identificatione essentiæ cum existentia; si enim existentia realiter loquendo non est aliud, quàm essentia, prout est in actu, manifestum est, quòd non potest, nisi per propriam existentiam existere. Et sicuti impossibile est, quòd aliqua res sit ens per alienum esse, ita etiam est impossibile, quòd sit quid actuale per alienam actualitatem, quia non minus intrinsecè est actualis, quàm sit ens, quia esse actuale nihil aliud dicit, quàm secundùm proprium esse à

Vnaquæq. essentia habet propriā existentiam.

tiam non debet intelligi de essentijs, quæ non habent proprium esse contradistinctum ab omni alio quemadmodum sunt modi; quemadmodum enim modi sunt ens solùm entitate subiecti, ita etiam solùm existunt existentia subiecti, vt declarabimus suo loco. Quamobrem solùm debet intelligi de ijs essentijs, quæ verè habent proprium esse essentiale integrum intrà aliquam completam naturam, quæ sufficiat ad constituendam vnicam entitatem, & ab omni alio contradistinctam.

Modi nō habent propriā existētiā.

II. Huius autem rei oppositum tradit Suarez in Metaph. disp. 31. sect. 11. num. 30. qui inquit, necessariò eo modo, quo vnumquodque est factum, vel productum in rerum natura, includere proprium esse, quo in illa actualitate constituatur, vndè modus, sicuti habet suum esse modaliter distinctum, ita etiam debet habere suam modalem existentiam, ratione cuius possit produci, & destrui absque eo, quòd producatur, & destruatur subiectum. Sed non rectè, & quamuis difficile sit huic obiectioni plenè satisfacere absque eo, quòd natura modorum declaretur, dicemus tamen, quantum sufficit pro intelligentia huius doctrinæ. Non igitur modi habere possunt distinctam existentiam ab existentia subiecti, quia neque habent distinctum esse, omnis enim existentia ordinatur, vt ponat in actu aliquam essentiam; modus verò, quantum est ex se præcisè, non ponit in actu rem aliquam, sed tantùm modificat subiectum. Quod mihi ex eo videtur euidenter conuinci, quia quando aliquid habet proprium esse ab alio etiam solùm secundùm rationem contradistinctum, potest concipi se solo, absque eo, quòd aliud concipiatur, quod præcipue esset verum, si haberet distinctam existentiam: hoc autem non contingit in modis; neque enim possumus modum concipere, nisi concipiamus simul rem, cu-

Oppositā tenet Suarez.

Reijcitur.

Quo modus non

existentia ita possint inuicem separari, vt remaneat tantû existentia, destructa essentia existit affirmatiua opinio: nã Bannes 1. par. quæst. 4. art. 2. dub. 2. in responsione ad tertium tenet, quòd existentia per Dei potentiam possit esse à parte rei sine essentia; imò addit se probabile existimare, quòd supposito, quòd accidentia non habeant propriam existentiam, sed existant existentia subiecti, de facto in eucharistia conseruetur sine essentia existentia panis, vel vini, per quam existant illa accidentia, quæ remanent. Verùm hæc opinio non solùm falsum præsupponit, quòd scilicet accidentia non habeant propriam existentiam, de quo agemus suo loco, sed etiam in seipsa falsa est, & breuiter eam reijcimus ex nostris principijs, quandoquidem per nos existentia est eadem essentia, nec aliquid ipsi superaddit; & impossibile est, quòd essentia cesset esse à parte rei, nisi tollatur id, per quod formaliter est à parte rei, id autem, per quod formaliter est à parte rei, est existentia. Quòd si existentia ponatur distincta ab essentia realiter, adhuc vrget eadem ratio, quandoquidem consequenter loquendo, qui talem distinctionem admittunt, oportet, quòd dicant, essentiam fieri à parte rei formaliter per existentiam; vndè non potest tolli hoc esse à parte rei essentiæ, nisi etiam tollatur id, per quod formaliter fit à parte rei, & consequenter nisi tollatur existentia. Quòd si dicas; nonne sufficit, quòd existentia separetur ab essentia? Respondetur, quòd sufficeret quidem, ad hoc vt illi non exhiberet suum effectum formalem; sed non potest separari. Ratio autem est, quia existentia est actuale exercitium existendi, vndè dicit necessariam connexionem cum essentia, nec poni potest à parte rei, nisi simul cum essentia, cuius est existentia; & proindè vnica tantùm actio interuenit, per quam fit in actu essentia, & existentia, quia dum illa actio terminatur ad existentiam, facit simul, quòd per illam existentiam fit in actu essentia. Cum autem ad hoc, vt conseruetur existentia necessarium sit, quòd Deus concurrat ad illam conseruandam eadem actione, qua illam posuit in actu; atque ex vi eiusdem actionis ponatur in actu etiam essentia ratione existentiæ, sequitur, quòd impossibile sit conseruari existentiam absque essentia. Et potest hoc ipsum confirmari, quia non potest produci existentia, nisi ex vi productionis exhibeatur alicui essentiæ; vndè nec etiam conseruari, nisi conseruetur vt exhibita essentiæ. Ex quo patet, quàm immeritò Suarez in Metaph. disp. 31. sect. 11. num. 3. & 4. affirmet, quòd posita distinctione existentiæ ab essentia, consequenter dicendum est, quòd existentia potest conseruari sine essentia, nec posse assignari aliquam rationem implicantiæ.

Bannes.

Posse existentiã sine essêtia conseruari eius opinio.

Refellitur.

Stiãt existêtia realiter abessentia distinguetur, non posset sine ipsa côseruari.

IV. Quod verò spectat ad tertium modum separationis, communiter Thomistæ affirmant, quòd essentia conseruari possit destructa propria existentia, ita tamen, vt alia suppleatur; quod de facto contingere aiunt in materia, cui denegant propriam existentiam, & volunt, quòd quotiescunque vna forma corrumpitur, & alia de nouo producitur, materia amittat priorem existentiam, & aliam de nouo acquirat. Imò complures ex ipsis tenent, quòd Verbum assumpserit humanam naturam, nedum sine propria personalitate, sed etiam sine propria existentia, ita vt per existentiam Verbi natura existat. Quod inter alios affirmat Bannes loco supracitato. Sed hæc difficultas Theologica est, & non est hic discutienda: affirmandum est tamen iuxta nostram opinionem, quòd natura humana assumpta à Verbo existat propria existentia, & similiter, quod etiam materia habeat suam propriam existentiam, quæ nihil aliud sit, quàm entitas ipsius, prout est extra causas. Vndè concludendum est, quòd nequeat essentia aliqua aliena existentia existere, sed sit inseparabilis à propria, quod sequitur ex identificatione existentiæ cum essentia. Oppositam sententiam etiam docet Albertin. tom. 2. princip. 1. Philosop. disp. 2. quæst. 5. Sed ex eodem falso præsupposito, quòd existentia à parte rei distinguatur ab essentia. Atque ex dictis concluditur, impossibilem esse etiam quartum, & vltimum modum separationis, vt scilicet destruatur existentia remanente essentia, tanquam quid actuale intra tamen statum possibilitatis: quia cum existentiæ exercitium faciat essentiam esse aliquid actuale in seipsa, & extra causas; impossibile est, quòd ablata existentia remaneat essentia, vt quid actuale in seipsa; præsertim quia, vt supra suo loco docuimus, essentiæ nihil sunt in seipsis, antequam actu existant. Quare concludendum est, impossibilem esse quamcunque separatio-

Essentiã posse alie na existe re, Thomistarum opinio.

Bannes.

Reijcitur.

Albertin.

tio-

tionem, qua existentia separetur ab essentia, quia nihil separari potest à seipso: existentia autem idem est ac essentia, vt diximus.

Essentiam esse perfectiorem existentia, & quomodo.

SECTIO IV.

I. Denique comparando existentiã ad essentiam, insurgit difficultas, quæ nam ex ipsis perfectior sit; quæ difficultas propriè locum habet in eorum opinione, qui putant existentiam realiter distingui ab essentia; tunc enim comparari possunt tanquam duæ res, & considerari separatim vniuscuiusq; perfectio; vndè hi auctores inter se non concordant: nam Bannes 1. par. quæst. 3. art. 4. dub. 3. putat, quòd simpliciter loquendo perfectior sit existentia; & solùm secundùm quid perfectior sit essentia. Quòd simpliciter perfectior sit existentia fundat in eo, quod D. Dionys. cap. 5. de Diuinis nominib. affirmat, quòd inter omnes perfectiones, quas à Deo recipimus, esse est quid maius. Et Arist. 8. Eth. cap. 11. ait, quòd maximum beneficium, quod nobis Deus præstitit est, quòd simus, & D. Th. 1. par. quæst. 4. art. 1. ad 7. ait, quòd esse est omnium perfectissimum. Addit etiam rationem, quia nimirum Existentia est actualitas rerum omnium, & facit, quòd vnaquæque res sit ens simpliciter, ipsa verò nullam perfectionem recipit ab essentia; vndè in Deo perfectissima, & omnium potissima perfectio, quam intelligimus, est, quòd sit ipsum esse subsistens. Quòd verò essentia sit secundum quid perfectior probat ex eo, quoniam ex eo, quòd existentia recipitur in essentia, perficitur quodammodo, quia limitatur, & determinatur, dum ergo existentia perficitur quodammodo ab essentia, signum est, quòd essentia est aliquo modo perfectior.

Bannes. Eius opinio de perfectione existentiæ supra essentiã. D. Dion. Arist. D. Th.

II. Econtrà verò alij sentiunt, quòd simpliciter perfectior sit essentia, illam comparando ad propriam existentiã. Ita tenet Scot. in 4. dist. 1. quæst. 1. Ferrar. 1. contra Gent. cap. 28. Soncin. 4. metaphys. quæst. 16. quam sententiam inquit Soncin. esse veram, siue existentia realiter distinguatur ab essentia, siue tantùm conceptibiliter, & secundùm rationem. Atque in eo fundat hanc suam sententiam, quòd perfectior est ille conceptus, qui alicui per se primò conuenit quàm ille, qui conuenit contingenter, essentia autem conuenit per se primò, cum sit proprium constitutiuũ; existentia verò conuenit contingenter. Præterea, quia secundùm essentiam mẽsuratur perfectio vniuscuiusque rei, & proinde vna dicitur perfectior altera, prout habet perfectiorem essentiam, sic homo perfectior est lapide, non autem quòd existit, dicitur perfectius eo, quòd non existit. Hinc etiam fit, quòd scientiæ considerent essentias rerum tanquam nobiliores esse, atque necessarium, non verò existentiam; rursus essentiæ directè ponuntur in prædicamento, existentia vero tantùm reductiuè: essentiæ habent æternam veritatem, existentia verò cõtingentem, quæ omnia satis indicant, essẽtiam ex genere suo perfectiorem esse existentia.

Oppositа sententia Scot. Ferrar. Soncin.

III. Verùm supposito, quòd existentia non distinguatur ab essentia, neque potest dici, quòd perfectior sit essentia, neque quòd perfectior sit existentia, sed vna, atque eadem erit vtriusque perfectio, sicuti vnum omninò, atque idem est esse vtriusque, vbi autem est idẽtitas, non potest fieri comparatio secundùm magis, & minus. Quia tamen comparare possumus essentiam actualem cum essentia possibili, tunc inquiri potest, quo nam modo perfectiori modo se habeat, an vt possibilis est, an verò vt actualis; non autem an perfectior sit secundùm esse actuale, an verò secundùm esse possibile, quia adhuc est vna, atque eadem res, vndè non potest interuenire maior, aut minor perfectio; sed solùm modus essendi, seu status magis, aut minus perfectus. Et quidem res clara est, sine essentia actualis compararetur ad essentiam possibilem, prout habet esse obiectiuum in intellectu, siue prout virtualiter continetur in causa; quia semper perfectior est status essendi in actu, quàm essendi in virtute causæ, aut in esse obiectiuo; tunc enim res propriè possidet suam perfectionem, quando actu illam habet in seipsa extrà causas.

Vna, atque eadẽ perfectio essentiæ, & existẽtiæ

Perfectior status actualitatis, quam possibilitatis.

IV. Verùm, quia diximus suprà. Posse formari diuersum conceptum obiectiuum de essentia, & de existentia, formalitates illas concipiamus, tunc possumus comparare esse formale vnius cum esse formali alterius, & inquirere, vtrum

citur corrumpi, & produci ex eo, quòd res cessat, vel incipit modificari tali, vel tali pacto secundùm proprium esse; vndè non rectè Suarez, putauit reuera aliquod esse corrumpi, vel produci. Sed de his latiùs agemus suo loco. Addo tamen, quòd si modus produceretur, ita vt haberet propriam existentiam, non esset amplius modus, sed entitas. Quod ex eo ostenditur, quia deberet includere tale esse formale, quod sufficiens esset ex se præcisè, vt constitueret aliquid se solo producibile, vndè deberet includere propriam rationem entis, & illi superaddere cœteros gradus essentiæ vsque ad infimum indiuidualem, ab omnibus alijs essentijs pariter contradistinctos. Ens autem cum cœteris gradibus essentialibus sibi debitis positum à parte rei transit in entitatem, quare modus, si esset quid contradistinctum à subiecto, ita vt diceret proprium esse, & existentiam, iam non esset modus, sed entitas.

Existĕtia est actus immediatè afficiens essentiam.

III. Secundò colligitur, quòd existentia sit actus immediatè afficiens essentiam. hoc autem intelligi debet secundùm nostrum modum concipiendi, quatenus distinguimus inter essentiam, & existentiam. Ratio est, quia antequam concipiamus rem aptam esse, vt existat, oportet, quòd illam præintelligamus habere totum suum esse integrum, etiam indiuiduationem; cum enim existentia faciat in actu, oportet, vt præsupponat totum id, quod spectat ad esse rei. rursus non potest præsupponere aliquid extraneum rei, quoniam nó potest res cum aliquo extraneo coniungi, nisi sit in actu, vndè cum existentia non supponat quid extraneum, erit actus immediatè afficiens essentiam, quod etiam confir. quia existentia est actus identificatus cum essentia, nihil autem extraneum identificari potest cum ipsa. Atque hoc verum existimo, etiam si existentia ponatur realiter distincta ab essentia; quia adhuc seruabit eamdem habitudinem ad essentiam. Quòd ideo dixi propter nonnullos Thomistas, inter quos est etiam Caiet. 3. par. quæst. 17. art. 2. qui opinantur, naturæ substantiali prius conuenire subsistentiam, & deindè existentiam; quod tamen dici non potest, nam subsistentia vel fluit à natura, vel saltem in illa recipitur: vtroque autem modo res se habeat, debet semper existĕtia præsupponi, quia vt aliquid à se distinctum recipiat, debet esse existens, quomodo enim aliquid recipiet, si in se non habet esse, per quod recipiat; & si nondum est extrà causas, quomodo aliquid à parte rei exercebit, vt est recipere? & similiter etiam id oporteret dicere, si subsistentia fluit à natura, cum res prius debeat esse in actu, quã ab ipsa aliquid fluat.

Idem dicendum si existentia realiter distingueretur ab essentia.

Nō est solius suppositi existere, sed etiam naturæ.

IV. Colligitur tertiò, non rectè Thomistas docere, quòd solius suppositi sit existere, quia, inquiunt, sicuti solius suppositi est operari, ita etiam existere; quod licet in aliquo sensu verum esse possit, vt si dicatur, quòd solius suppositi est existere, quatenus natura non potest existere, nisi suppositata; in eo tamen sensu, quem intelligunt, verum esse non potest, quoniam, inquiunt, naturam non posse existere, quia illi non conuenit existentia, sed tantùm supposito. Nos verò, qui ponimus existentiam identificari cum essentia, dicimus etiam naturæ conuenire existere ex vi propriæ existentiæ. Et sanè non percipio, quomodo natura possit esse per se terminus productionis, vt accidit in humanitate Christi, quæ se sola, præcisa suppositatione, terminauit creationem ratione animæ, & tamen, & quòd illi non conueniat existere. Nonne productio tendit ad conferendam vnicuique existentiam? si ergo alicui præcisè conuenit produci, cur non etiam conueniet existere? Et res mirabilis est, quòd accidentia, quæ sunt minoris perfectionis, quam substantialis natura, possint existere existentia sibi proportionata, & naturæ substantiali non conueniat existentia.

Existĕtia identicè causat, nō verò formaliter.

V. Denique ex dictis deducitur, quòd identicè loquendo, existentia exercet omnes illas causalitates, quas exercet res, quæ existit, quia cum nihil aliud sit, quam res in actu posita, oportet, quicquid conuenit rei in actu, conueniat etiam existentiæ: & etiam indè colligitur, quia nulla res causat, nisi per suum esse actuale, hoc autem esse actuale, materialiter loquendo, est existentia. Et hoc verum est loquendo de quocunque genere causalitatis; siue materiali, siue formali, siue efficienti, atque etiam finali, si quando finis causat, vt realis, & existens, regulariter enim causat tantùm, vt apprehensus. At si metaphysicè loqui velimus, existentia secundùm suam propriam formalitatem nullam habet vim causatiuam, sed est ratio quædam,

Est rō cōditiōis in statu proximo causandi.

quæ

quæ constituit vim causatiuam in statu proximo causandi; non enim res aliqua causare potest, nisi in se habeat virtutem causatiuam, vt per se euidens est, hinc videmus, non omnia causari ab omnibus, quia non est in vnoquoque vis causatiua omnium, sed in vno est vis causatiua vnius, in altero vis causatiua alterius; nulla autem res habet in se vim causatiuam, nisi in seipsa habeat proprium esse, cum vis causatiua non sit quid distinctū ab esse rei, atque cum solùm ratione existentiæ habeat in se proprium esse, sequitur, quòd existentia sit ratio constituens rem in statu proximo, vt possit causare. Quòd verò non sit vis causatiua, euidens est, quia habet totum suum esse in ordine ad essentiam, vt illam in actu constituat, & non facit rem talis, vel talis naturæ, sed solùm, quòd sit in actu secundùm talem, vel talem naturam. Operatio autem, & quælibet vis causatiua consequitur tantùm naturam rei, in qua sola radicatur.

An existentia componatur ex gradibus metaphysicis.

Disp. LXXXIV.

Opposita sententia. *Sect. I.*
Præfertur secunda sententia. *Sect. II.*

Opposita sententia.

SECTIO I.

Punctus difficultatis. I. VLtima difficultas, quæ circa existentiam præsenti loco examinanda se offert, est, an componatur ex gradibus metaphysicis. Et vt punctus difficultatis percipiatur, sciendum, quòd quæstio procedit, non de existentijs diuersarum rerum, vt esset existentia accidentis, & substantiæ, sed eiusdem rei, v. g. de existentia Gabrielis, aut alterius angeli; & difficultas in eo consistit, an, sicut in eadem re distinguimus diuersos gradus, nempè genericos, differentiales, indiuiduales, ita etiam in eadem existentia plures gradus distinguere debeamus, qui tamen solùm secundùm rationem distinguantur, sicuti solùm ratione in essentia distinguuntur; ita vt vna existentia coalescat ex pluribus gradibus existentiæ.

II. Prima ergo sententia tribuit huiusmodi gradus existentiæ; vult enim, quòd, Quot sunt gradus essentiæ in re, cuius est existentia, tot etiam sint gradus existentiæ. Tribuitur hæc opinio Henr. quodl. 2. q. 1. & eam sequitur Auersa in sua philosophia quæst. 8. sect. 8. §. *Sequitur secundò &c.* Prima sententia. Henr. Auersa. Fundatur autem hæc sententia in eo, quia sicuti possumus distinguere gradus essentiæ, ita etiam possumus distinguere gradus existentiæ; dum enim distinguimus gradus essentiæ possumus illos concipere vt actuales, in indiuiduo producto, tunc autem concipiemus diuersos gradus existentiæ correspondentes diuersis gradibus essentiæ. Fūdamē n hũius sententiæ. Confir. quoniam verè essentia secundùm suos gradus essentiales est in actu; ergo verè habet gradus existentiæ correspondentes gradibus essentiæ. Confir. secundò; potest quis scire, animal existere, aut hominem, aut aliquam aliam speciē, absque eo, quòd sciat in indiuiduo existere; ergo tunc sciet existere ex vi gradus existentiæ correspondentis gradui essentiæ, qui concipitur existere. Præterea vel ponitur existentia distincta ab essentia, vel cum ipsa identificata; si primum, tunc comparatur ad illam, vt ad connaturale susceptiuum; vnde cum essentia habeat gradus diuersos, etiam existentia habebit gradus diuersos, quibus proportionetur diuersis gradibus essentiæ. Si secundùm; multò magis dicet gradus diuersos, quemadmodum etiam dicit essentia.

III. Hanc tamen diuersitatem graduum in existentia negant alij Auctores, asserentes per vnicum tantùm gradum existentiæ totam essentiam existere. Ita tenet D. Th. 2. contra Gent. cap. 52. Ferrar. ibid. Heru. de vnitate Formarum quæst. 5. Alens. 3. Metaph. tex. 7. Suarez in Metaph. disp. 31. sect. 11. num. 2. & sequentib. Albertin. tom. 1. principio 1. Philosoph. disp. 2. quæst. 4. & alij complures. Opposita sententia D. Th. Ferrar. Heru. Alens. Suar. Albertin. Existimat enim, quòd existentia sit tantùm vnica simplex ratio, nec possit essentialiter diuersificari, quemadmodum deberet diuersificari, si contineret diuersos gradus. Et hoc etiam illi repugnat, quia est vltima actualitas, &

proindè nequit vlterius diuerſificari quã tamen rationem Albertin. non putat conuincentem.

Praefertur ſecunda ſententia.

SECTIO II.

Exiſtētia accip. poteſt materialiter, & formaliter,

I. POſterior ſententia, quæ aſſerit, exiſtentiam non continere diuerſos gradus, quemadmodum continet eſſentia, verior eſt, & probabilior; quam vt confirmemus. Aduertendum eſt, quòd ſecundùm noſtra principia, exiſtentia poteſt conſiderari materialiter, & formaliter. Materialiter eſt ipſamet res, quæ exiſtit. Formaliter verò dicit ipſum conceptum obiectiuum exiſtentiæ, quatenus eſt ratio quædam faciens eſſentiam in actu. Certum autem eſt, quòd ſi exiſtentia materialiter conſideretur, habet diuerſitatem graduum, quia cum nihil aliud ſit, quàm eſſentia in actu poſita, ſicuti eſſentia continet diuerſitatem graduum, ita etiam eamdem diuerſitatem dicit exiſtentia. Verùm difficultas non procedit in hoc ſenſu, ſed de exiſtentia, vt dicit propriam rationem exiſtentiæ contradiſtinctam ab eſſentia; hoc enim pacto, debet conſiderari, vt habeat, vel non habeat proprios gradus correſpondentes gradibus eſſentiæ. Et in hoc ſenſu vera eſt poſterior ſententia, negans huiuſmodi gradus in exiſtentia.

Exiſtētia nō h̃t gradus metaphyſicos.

II. Vt igitur eam declaremus duplici via procedere poſſumus. Primò oſtendendo, quòd exiſtentia non poteſt alicui conuenire, niſi concipiamus naturam indiuiduam, & conſequenter exiſtentia dicet vnicum tantùm gradum aduenientem naturæ completæ, non autem plures correſpondentes gradibus eſſentiæ: tunc enim quilibet gradus eſſentiæ concipi poſſet cum propria exiſtentia; nec eſſet neceſſe concipere naturam indiuiduam. Altera verò via eſt, ſi oſtendamus, quòd exiſtentia eſt vna ſimplex ratio formalis, quæ non ſit contrahibilis per differentias; in tantùm enim eſſentiæ habent diuerſos grados, in quantum conſtant rationibus communibus, & differentialibus. Prima autem via excludendi diuerſitatem graduum facilis eſt. Quòd enim exiſtentia ſit actus naturæ indiuiduæ, ita vt non poſſit concipi coniuncta, niſi cum natura indiuidua, facilè conuincitur ex natura exiſtentiæ; imò non ſolùm conuincitur, quòd ſit actus naturæ indiuiduæ, ſed etiam naturæ completæ, & non alicuius tantùm gradus. Sic igitur arguo. Exiſtentia ex natura ſua habet conſtituere rem in actu, ita vt exiſtentia actualis faciat eſſe in actu ipſam eſſentiam, exiſtentia verò poſſibilis reddat naturam potentem eſſe extra cauſas, & æqualem proportionem ſeruat exiſtentia poſſibilis, & actualis reſpectu eſſentiæ; ergo exiſtentia ſupponit ex parte eſſentiæ totum, quod neceſſarium eſt, vt eſſentia habeat tale eſſe, quod poſſit ſubijci exiſtentiæ. Hæc conſequentia clara eſt, quia, dum concipimus exiſtentiam, tanquam actum eſſentiæ, oportet, vt eſſentia ſit talis, vt ipſi ſubſterni poſſit, & recipere eius effectum formalem; alioquin non poſſumus concipere, quòd fiat coniunctio eſſentiæ, & exiſtentiæ; quomodo enim eſſentiæ coniungetur cùm exiſtentia, ſi non habet totum id, ſecundùm quod debet coniungi.

Prima via ad oſtendēda concluſionem,

Exiſtētia ſupponit in eſſentia totum id, quod requirit ad exiſtēdum.

III. Vt autem eſſentia habeat debitam proportionem cum exiſtentia, neceſſe eſt, quòd ſit indiuidua, & completa, & includat omnes gradus, qui inter ſe in ipſius conſtitutione ſubordinantur. Non enim res poteſt habere exiſtentiam, niſi prout terminare poteſt actionem producentis, & ſtatim, ac concipimus aliquid actuale, concipimus, fuiſſe terminum alicuius productionis, quia ſolùm ex vi productionis haberi poteſt actualitas: vndè vt concipiamus eſſentiam coniunctam cum exiſtentia, neceſſe eſt, concipere eſſentiam illam fuiſſe terminum productionis ratione exiſtentiæ acceptæ, atque adeò coniunctam illud habere totum, quod requiritur, vt ſit terminus productionis, vt autem aliquid ſit terminus productionis, neceſſe eſt, vt ſit quid indiuiduum, non enim vniuerſalia per ſe produci poſſunt, ſed ſolùm in indiuiduis; rurſus debet dicere eſſe ità completum, vt includat omnes gradus ſubordinatos à prima ratione entis vſque ad vltimum eſſe indiuiduale, quia nullus gradus per ſe ſeorſim eſt producibilis. Quare cum impoſſibile ſit, concipere aliquid actuale, & non concipere tanquam terminum productionis, impoſſibile quoque eſt, concipere, aliquid actuale, quod non dicat eſſe completum, & indiuiduum. Oppoſitum autem contingeret, ſi darentur diuerſi gradus exiſtentiæ, tunc enim poſſemus con-

cipere quemlibet gradum essentiæ cum grado existentiæ sibi correspondenti. Quod autem dicimus de essentia comparata cum existentia actuali, proportionaliter verificatur de essentia comparata cum existentia possibili, quia non possumus concipere,rem aliquam posse existere, nisi similiter sit indiuidua, & completa in suo esse.

Existētia vltimus actus, & quomodo.

IV. Et hic procedit ratio illa, quòd existentia sit vltimus actus: cuius vis, & efficacia, vt percipiatur, oportet scire, quòd res per gradus diuersos, quorum vnusquisque suam perfectionem importat, distinguūtur, ita vt ex ijs gradus componantur; hi autem gradus seruant inter se talem ordinem, vt vnus se habeat tanquam actus alterius, ipsum reducens ad perfectiorem statum, quoadusque ad perfectum esse, quod est infimum essentiale deueniatur; huiusmodi autem gradus talem correspondentiam seruant, vt ille, qui se habet vt actus respectu alterius, compleat adæquatè potentialitatem illius, cuius est actus, & consequenter gradus, qui completur, ita exigit compleri per ipsum immediatè, vt nequeat compleri per alium eiusdem subordinationis, sic substantia, quæ immediatè completur per gradum corporeitatis, nequit immediatè compleri per gradum lapideitatis; Et ratio est, quia non potest inuerti ordo, quem dicunt illi gradus inter se, quia essentialis est. Hoc autem stante intelligitur, quomodo existentia sit vltimus actus essentiæ completæ; nam existentia ex natura sua facit in actu essentiam; esse autem in actu est illud, quod vltimò potest habere essentia, ita vt, intra idem esse, nihil aliud possit recipere; ergo existentia ex natura sua præsupponit totum id, quod prius potest habere essentia, hæ enim rationes, vt potè quia sunt in eadem entitate identificatæ, ex necessitate præsupponunt singulæ illud, quod ante ipsas potest res habere; cum ergo res habere possit ante existentiā omnes gradus essentiales, ex necessitate existentia illos præsupponet, imò etiam indiuiduationem ob eamdem rationem, atque adeo existentia erit actus essentiæ completæ, atque indiuiduæ. Si igitur ordo, quem dicunt inter se gradus identificati in eadem entitate, est essentialis, & inuariabilis, impossibile erit, concipere existentiam afficientem essentiam, nisi essentia sit completa, & indiuidua.

Ordo essentialis inter gradus essentiæ.

Existētia supponit oēs alios gradus.

V. Et confir. hic discursus. Vnus gradus essentialis adæquatur per alium sibi superuenientem, ita vt ipsius potentialitas adæquate compleatur per talem gradum; ergo non potest immediatè seipso seorsim sumpto recipere existentiam. Conseq. est euidens, quoniam adæquatè completa potentia non remanet capacitatem vlterioris actus. Deindè Existentia ex natura sua est extrà essentiam, ita vt rectè concipere possimus essentiam adæquatè absque eo, quòd concipiamus existentiam. Ex quo fit, quòd existentia ex natura sua sit posterior tota essentia, & omnibus gradibus in ipsa contentis; & etiam indiuiduatione, quia possumus similiter concipere essentiam indiuiduam absque existentia. Si ergo ex natura sua existentia est posterior essentia, non possumus concipere, existentiam afficere essentiam, nisi completa sit, & indiuidua, quia in his formalitatibus, quæ in eadem entitate identificantur, semper quæ natura sua posterior est, supponit omnes priores, ita vt impossibile sit, posteriorem coniungi cum superiori, nisi præsupponat omnes formalitates, quæ natura sua sunt priores ipsa. Neque valet, si dicatur, id esse verum de existentia totali, non de partiali huius, vel illius gradus, quia discursus iste procedit de existentia considerata secundùm rationem formalem existentiæ, quæ debet saluari in qualibet existentia, siue totalis sit, siue partialis, & proindè semper habet, quòd præsupponat totam essentiam.

Vnus gradus essentialis adæquatè cōpletur per aliū sibi debitum.

Existētia natura sua posterior tota essentia.

VI. Et ne hæc doctrina contraria videatur illi, quam suprà tradidimus, quòd scilicet existentia est actus superfusus toti essentiæ, & cuilibet gradui ipsius, & vnumquemque immediatè afficit ratione suæ transcendentiæ. Sciendum est, posse omnes gradus essentiæ ab existentia immediatè affici, si considerentur, prout sunt coniuncti in eadem essentia, non verò si considerentur seorsim. Ratio est quia, vt sunt coniuncti in eadem essentia, constituunt vnum quid tertium includens omnes ipsos, quod est veluti ratio potentialitatis respectu existentiæ superfusæ omnibus gradibus, ratione cuius recipere possunt existentiam. In qua etiam potentialitate includitur indiuiduatio, quæ similiter superfusa omnibus gradibus reddit illos aptos ad recipiendam existentiam, & hoc pacto existentia reci-

Occurritur tacitæ obiectioni.

Quō existentia immediatè afficiat oēs gradus essentiæ.

pitur in omnibus ratione vnitatis essentiæ, & indiuiduationis. Quòd si gradus essentiæ seorsim considerentur, non habēt proximam aptitudinem, vt recipiant existentiam, & ideo non potest concipi, quòd aliquis gradus sit actualis præcissus ab alijs.

Altera via concludendi hanc sententiam.

VIII. Altera quoque via efficaciter conuincit nostram sententiam, quòd scilicet non possint dari hi gradus diuersi in existentia formaliter sumpta ex eo, quòd existentia est tantùm vnica ratio formalis, quæ non est diuisibilis per aliquas differentias; si enim darentur diuersi gradus existentiæ correspondētes gradibus essentiæ, sicuti in essentia reperiuntur gradus differentiales, & generici, ita etiam deberent reperiri in existentia. Hoc autem est impossibile, nam pluralitas graduum multiplicat prædicata, vndè veluti à posteriori ex negatione pluralitatis prædicatorum infertur, quòd nō adsit pluralitas graduum. In existentia autem præcisè accepta non fundatur multiplicitas prædicatorum, sed vnicum tantùm, nempè quòd sit actualitas essentiæ, neque de re existente aliquid aliud ratione existentiæ prædicatur, quā quòd sit in actu; si ergo ratione existentiæ præcisè acceptæ non multiplicantur prædicata, nec etiam importabit diuersos gradus, quemadmodum neq; importat rationalitas, quia exhibet vnicum tantùm prædicatum.

In existentia non fundatur multiplicitas prædicatorū.

VIII. Et hoc amplius declarari potest ex proportione, quæ debet esse inter causam formalem, & effectum, vbi enim non est diuersitas effectus formalis, neq; etiam potest esse diuersitas causæ, cum effectus formalis identificetur cum ipsa; at intrà latitudinem effectus formalis existentiæ nulla est diuersitas, nam totus in eo consistit, quòd res sit in actu, & extrà causas, per quod solum adæquatur effectus formalis existentiæ, in eo autem, quòd res sint extra causas nulla reperitur diuersitas, quia omnia æqualiter id participant; quòd si in existentia reperirentur diuersi gradus, vtpote quia impor tarent diuersas formalitates, haberetur etiam formalis diuersitas in eius effectu formali. Confir. Quamuis cōcipiamus, existentiam afficere diuersos gradus essentiæ, tamen eodem modo se habet respectu omnium, & quod vnus exigit ab existentia, exigit etiam alter, nimirum vt sit in actu, & nihil amplius; ergo cum in omnibus gradibus essentiæ eadem sit exigentia, etiam erit idem terminus exigentiæ, & eadem ratio existentiæ faciet omnes gradus in actu.

Effectus formalis existentiæ est tantū vnicus.

IX. Dices: aliqua per se existere, aliqua verò inexistere alteri; vndè ratione huius diuersitatis debent dari diuersæ species existentiæ; & proindè gradus communes, & differentiales, correspōdentes gradibus essentiæ. Verùm huiusmodi responsio non soluit difficultatē, quòd enim res inexistat, vel subsistat, non prouenit ratione existentiæ præcisè sumptæ, sed ratione essentiæ, quia scilicet est talis, vel talis essentia; vndè sunt potius differentiæ essentiæ, & ideo non licet hinc inferre diuersitatem graduum in existentia. Adde, quòd esse talis naturæ, vt petat esse per se, est constitutiuum proprium, & essentiale substantiæ, sicuti petere esse in alio est constitutiuum proprium accidentis; vndè hi modi essendi pertinebunt tantùm ad essentiam, non ad existentiam, vt ab essentia contradistinguitur, sed existentia tantùm facit in actu res, quæ ex vi sui esse essentialis erunt vel per se subsistentes, vel alteri inexistentes. Confir. Esse per se, & alteri inexistere non est esse in actu formaliter, sed dicit tale esse, quod est in actu; vndè est extrà effectum formalem existentiæ; ergo non indè colligi potest, dari diuersos gradus existentiæ. Præterea si importarent diuersos gradus existentiæ, ad summum duos gradus dicerent, ratione videlicet inexistentiæ, & subsistentiæ, vndè neque adhuc multiplicarentur gradus existentiæ secundùm gradus essentiæ. Sed, vt diximus, falsum est, quòd ratio inexistentiæ, aut subsistentiæ sint differentiæ existentiæ, nam vel loquimur de inexistentia actuali, & hæc est posterior existentia, siquidem accidens potest existere sine ipsa, vt contingit in eucharistia, vel loquimur de aptitudinali, & hæc includitur in esse essentiali adæquato accidentis, vndè non pertinet ad existentiam ipsius. Subsistentia verò, si accipiatur suppositaliter, certum est, non pertinere ad existentiam, quia subsistentia suppositalis distinguitur à parte rei à natura. Si verò accipiatur substantialiter; tunc pertinet ad formale constitutiuum substantiæ, vndè nullo modo spectat ad rationem existentiæ, & ideo non potest constituere gradus aliquos existentiæ.

Per se existere, & inexistere nō sūt differentiæ existentiæ.

Subsistentia, & inexistentia non sunt differētię existētię.

X. Denique argumentari possumus

Fine

ex eo, quod existentia debet præstare essentiæ. Si enim consideretur id, quod primò præstat, nihil aliud est, quàm ponere ipsam in actu, per id enim formaliter incipit res primò existere, per quod incipit esse in actu, & tunc solùm intelligitur participare effectum existentiæ, quando intelligitur fieri in actu. Rursus totus effectus existentiæ, ibi definit, nec ad aliud se extendit; non enim intelligi potest, quòd existentia aliquid aliud præstet essentiæ, quàm illam in actu constituere; statim enim ac intelligitur in actu, intelligitur completè exhibitus effectus existentiæ. Ex hoc autem sequitur, quòd existentia non possit importare diuersos gradus; sed vnicam tantùm simplicem rationem formalem, quæ sit ratio ponens in actu essentiam, quia si diceret diuersos gradus, non possent habere aliquē effectum circa essentiam, sed superflui essent, imò impossibiles, quia non potest dari aliquis gradus existentiæ, qui non faciat existere. Et confir. Si darentur diuersi gradus existentiæ, deberet vnusquisque secundùm suum esse formale esse diuersus ab alio, & exhibere diuersum effectum formalem, quemadmodum contingit in gradibus essentiæ; Hæc autem diuersitas effectus formalis ex vi existentiæ nec excogitari potest, nam cum res omnes conueniant in eo, quòd sint in actu, habent etiam illam rationem existentiæ communem, quæ est actualitas constituens rem in actu, & nullam aliam rationem existentiæ participare possunt, quia statim ac vnaquæque res est in actu, habet completam rationem existentiæ; Cum igitur res omnes id habeāt ex vi vnius gradus existentiæ, qui est, actualitas, non sunt alij gradus concedendi, præter istum: Quæri enim posset de ijs, an rem constituant in actu, an non. Si constituunt in actu, iam sunt ipsa ratio formalis actualitatis communis omnibus rebus, & non gradus diuersificantes existentiam. Si verò non constituunt in actu, tunc non spectant amplius ad rationem existendi, quia res per illud adæquatè, & completè existit, per quod constituitur in actu. Et quemadmodum homo adæquatè constituitur per vnicam rationem formalē rationalitatis, & quælibet etiam essentia, vt inductione patet; ita etiam res constituitur completè in ratione existendi per vnicam rationem, formalem existentiæ.

Adæquatus effectus existentiæ.

In existentia nō potest esse diuersitas effectus formalis.

XI. Ad fundamenta opposita iam patet ex dictis, non enim possumus distinguere gradus essentiæ, & sic distinctos illos concipere actuales, vt supponebatur, & rationem assignauimus in confirmatione nostræ sententiæ, quia scilicet esse actuale est in ordine ad productionem, & terminus ipsius, gradus autem essentiæ seorsim non possunt terminare productionem, & ideò nec habere propriam actualitatem. Hinc ad con fir. primam dico, quòd essentia verè quidem secundùm omnes suos gradus essentiales est in actu, sed ita vt subijciatur existentiæ, prout est vnum quid completum, & ideo potest totalis essentia esse, & concipi cum sua existentia: at si gradus inter se distinguantur, seorsim sumpti non possunt amplius coniungi cum existentia, neque etiam in esse obiectiuo, quia, sicuti non possunt esse terminus productionis, ita neque concipi cum eo, quod habetur ex vi productionis. Ad 2. confir. respond. Si quis sciret, animal existere, & ignoraret speciē, atque indiuiduum, tunc neque coniungeret existentiam cum solo gradu animalitatis, sed cum aliquo indiuiduo indeterminato, conciperet enim aliquod indiuiduum existens, quod determinatè esset animal, sed huius, vel illius speciei, atque tale, vel tale indiuiduum. Quod præsertim verū est, quia intellectus scit, nihil posse esse à parte rei, quod non sit indiuiduum. Ad illud verò, quod dicitur, existentiam debere correspondere essentiæ, si ab ea ponatur distincta, tanquam connaturali susceptiuo, dicimus, id quidem esse verum; sed omnes gradus essentiæ sub vnica ratione respicere existentiam, nimirum quatenus poni possunt in actu, vndè nedum ex hoc arguitur diuersitas in existentia, sed potius colligitur, quòd eadem ratio existentiæ ponat in actu omnes gradus essentiæ cum sit vna omninm actualitas. Si verò existentia identificetur cum essentia, vt verè identificatur, tunc tantùm materialiter, vt iam diximus, habebit gradus; formaliter verò erit vna simplex ratio.

Cur gradus essentiæ seorsim non possint cōcipi actuales.

Existētia correspōdet omnibus gradibus essentiæ secundùm vnicā rationem acceptis.


XII. Ex his autem colligitur, quòd non sint ponendæ plures species existentiæ, sed vnica simplex ratio sufficiat. Ratio est, quia, si darentur diuersæ species, vnaquæque includeret plures gradus, sicut includit essentia; tunc autem sequeretur, quòd vnaquæque species non esset

Existētia non multiplicatur specie.

exi-

existentia, sed essentia, quia non importaret vltimum actum, qui ex natura sua supponat essentiam completam, sed importaret vnum quid tertium, resultans ex coniunctione plurium graduum, quod est contra naturam existentiæ, quæ cum solùm habeat ponere rem in actu, non potest importare nisi rationem formalem actualitatis; illud autem coniunctum ex pluribus gradibus non est proportionatum, vt exhibeat id, quod debet exhibere existentia, quia non poterit ordinari, vt sit aliquid de esse rei, non enim res coalescit ex pluribus compositis metaphysicis, quorum vnumquodque importet integrum esse ex genere, & differentia, sed solùm ex pluribus gradibus simplicibus. Sed præcipua ratio fundamentalis in hac re est, quia formaliter, & præcisè, rea omnes ita conueniunt in eo, quòd existant, vt in ipso nullo modo differant, quia statim ac sunt in actu à parte rei, habent totum id, quod in ratione existentiæ habere possunt, nec aliud recipere possunt in ratione existentiæ. Atque hæc, quæ disputauimus, sufficienter declarant, quæ spectant ad obiectum Metaphysicæ, atque eiusdem intrinseca principia. Cœtera, quæ ad passiones obiecti pertinent, mox in altera parte dabimus. Interim omnia, quæ diximus; veritatis inquirendæ studio protulimus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ censuræ subijcimus, & si quid in ipsis boni, id totum diuinum beneficium.

FINIS.



INDEX RERVM.

Primus numerus Disputationem, secundus Sectionem, tertius eiusdem Sectionis numerum appellat.



D

Definitio.

Demonstratio.

Denominatio.

Determinatio.

Deus.

Dei cognitio.

Dei omnipotentia.

Differentia.

Varię acceptiones differentię.

Diffe

Differentia comparata ad speciem.

Differentiæ inuicem comparatæ.

Differentia comparata ad inferiora.

Differentiæ diuisio.

Differentia Metaphysica.

Differentia subalterna.

Differentia Infima.

Elementum.

Ens

Variæ acceptiones entis.

Entis natura.

Ens vt cognoscibile.

Entis conceptus formalis.

Entis conceptus obiectiuus.

Ens vt commune.

Entis analogia, & vniuocatio.

Ens, vt contrahitur.

Entis prædicatio.

Ens comparatum ad inferiora.

Inferiora comparata ad Ens.

Esse.

Esse à se.

Esse physicum,siue entitatiuum.

Essentia.

Essentia natura.

Essentię gradus.

Essentia vt possibilis.

quod

Essentia actualis.

Essentiæ inuicem comparatæ.

Essentia comparata ad existentiam.

242

F

Facultas.

Falsitas.

Finis.

Forma.

Forma substantialis.

G

Genus.

Generis definitio.

Generis natura.

Habet

Ter-

Obiectum.

Operatio.

Operationis principium.

Oppositio.

Oratoria facultas.

Ordo.

Origo.

P

Pars.

Perfectibile,& Perfectiuum.

Perfectio.

Persona.

Philosophia.

Positiuum.

Possibile.

Vide essentia possibilis.

Possibilitas.

Potentia.

Potentia obiectiua.

Præcisio.

Prædicabile.

Prædicabilitas.

Prædicatio.

Prædicatio in quid.

Prædicatio in quale quid.

Modus prædicationis.

Prædicatum.

Praxis.

Principium.

756

Principium complexum.

Prioritas.

Reduplicatio.

Relatio.

Relationis quidditas.

Relatiuum.

Res.

S

Sapientia.

Scientia.

Scientia vt cognitio.

Scientiæ obiectum.

Scientia comparata ad obiectum.

Est

Idem

263
FINE

F I N I S.



REGESTVM.

† †† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii KK Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii KKK Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sff Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii KKKK Llll Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq Rrrr Sfff Tttt Vuuu Xxxx Yyyy.

Aaaaa Bbbbb Ccccc Ddddd Eeeee.

Omnes ſunt Duerniones præter ††, & Zzzz, quæ ſunt Terniones.



R O M AE,

Ex Typographia Andreæ Phæi. MDCXXXIV.

SVPERIORVM PERMISSV.



